

[June 6, 2021: This is a scholars' draft transcription, suitable for searching and reading; when citing and analyzing passages, this draft must be checked against the original for spelling and punctuation. Please share your corrections; names of contributors will be added as requested.]

Giovanni Battista Folengo, *Commentaries on the Psalms*, Basel, Michael Isingrin, 1543

BSB 36611599010014 on Google Play Books; other markings: 2^o Exeg. 226

[Index of topics: pdf 914-935, p. 449 to end]

{pdf 006, Pre-pages}

IN PSALTERIUM Davidis Israelitarum regis et vatis divinissimi, Ioan. Baptistae Folengii Mantuani Monachi Cassinatis commentarii, summa fide, mira luce, grata brevitate, ex ipsa Hebraica veritate confecti et absoluti.

CHRISTIANO LECTORI.

Ecce tibi, Christiane lector, absoluta tandem FOLENGHII theologi citra controversiam consummatissimi, in omnes Davidis odas doctissima planeque divina commentaria: in quibus sane sive raram viri eruditionem, spiritusve ardore flagrantem animum consideres: sive sensuum candorem et acumen, mysteriorum item rerumque abditissimarum luculentam explicationem: sive etiam aptam concinnamque versuum et sententiarum connexionem spectes: sive fidam denique diversorum interpretum collationem: quin et non minus appositas quam iucundas atque utiles suis locis digressiones, cohortationes, admonitiones (ut teres interim purae dictionis filum, ac bene latinarum vocum proprietatem, quae Romanam elegantiam illam verterem, gravitatemque Theologicam, plane referant, omittam) diligentius expendas: haec inquam omnia, nisi summa laude admirationeque digna esse iudicaveris, omnem mihi fidem (qua apud me nihil est antiquius) abrogari volo.

His igitur feliciter frui, ac vale.

[Stamp]

Cum rerum ac vocum, et Psalmorum etiam, quo quisque inveniendus sit loco, Indice locupletissimo.

BASILEAE, PER MICH. ISINGRINIUM.

{pdf 007, Pre-pages}

[Blank]

{pdf 008, Pre-pages}

Anastasius Caesenas monachus pio

Lectori S. D.

Non te latet, sat scio, Christiane Lector, quantum gratiae et veneris eiusmodi egregiis alioqui monumentis conciliet autoris commendatio. Siquidem Apellis picturae vel solo nomine vulgo commendabantur. Habet igitur in omnem Davidam poesim a IO. BAPTISTA Folengio, viro iam inde a puero sacris literis erudito, peneque detrito, commentaria perpetua, quae tibi multis nominibus debent esse quam gratissima. Quis enim vel felicius, vel sanctius hasce divinas odas enarrare possit, quam qui ab ipso fere lacte in his versatus fuerit, ac velut enutritus? quique profundissima sensa non minus lachrymis, quam indefesso studio elicere studuerit? Sub haec scriptores qui in suo theatro perstiterunt, laudem apud posteros immortalem tulerunt: at qui secus, multorum et sannas et rhonchos experti fuere. Quare non est quod hic timeas Folengio, quin in propria steterit harena, ut si quis alius: illudque lepidum Euripidis dictum, in quemvis potius, quam in eum competat: [Greek] τέκτων γὰρ ὦν ἔπρασσεσ οὐ ξυλοργικά. Accedit vero ad operis cum venustatem, tum decorem, quod vir iste omni superior laude, non aliter loquitur, ac vivit: eo quippe est ingenio, iis moribus, ut nihil mitius, nihil rursus inculpatius fingi possit. Quod si modestiam quaeris, ea est, ut vix passus sit a summis viris exorari, quo tantum thesaurum impertiret studiosis: nec unquam annuisset, nisi hoc uno evictus ariete, ne scilicet divinam concitaret iram, si blattis potius, quam Christianis hominibus harum vigiliarum copiam facere dignum duceret, tantum abest ut inde vel gloriam vel nominis celebritatem aucupari speraret homo a fastu alienissimus. Caeterum quod ad rem attinet, ita dictionis filum attemperavit, ut mediocriter eruditi non arceantur a lectione, multo minus vero doctiores orationis politiam ac nitorem huic nostro felici seculo a Deo optimo maximo condonatum, desiderent. Porro momis & nasutis quis unquam satisfecerit? Boni quique (ut spero) saltem iudicabunt tantum huic in sacris debere Mantuanos, quantum olim in profanis suo Maroni. Optimi vero censebunt eo amplius Christi Ecclesiam debere Folengio, quo Davidis carmina sunt Maronianis excellentiora, ac sibi utiliora. Habes proinde frequentes paraphrases doctas aequae ac dilucidas: allegorias ut pias et solidas, ita nunc primum excogitatas. Digressiones vero cognitu dignissimas, quae te unice oblectare poterunt, si propius et diligentius rem inspexeris. Ad haec non paucos Novi ac veteris instrumenti locos offendes, quos ti [sic? si] operae precium fuit subinde citare, ita in gratiam Lectoris obiter breviterque, sed tamen docte explanat. Verum illud cum primis in votis habuit vir eximius, ut corruptos hominum mores informaret, rem profecto nostris exulceratis temporibus opportunissimam. Ita vero carpit et mordet, ut nihil minus agere videatur: ita morbos contrectat, ut ubique praesentissimum adhibeat pharmacum: nusquam fere non abstinens ab acrimonia, nusquam non prae se ferens et Christiani et monachi pectus. Sed haec et longe commodiora, re melius deprehendes, quam ut ego possim, aut velim praefari. Illud tantum addam, hunc unum esse huius memoriae, quem cum veteribus theologis non iniuria conferre possis, si reconditam eruditionem, atque maximam gravitatem non oscitanter expenderis. Cessabunt iam, opinor, GREEK *analphabutoi* quidam blaterones, qui se demum eruditulos arbitrantur, si in monachorum inscitiam stolidissime debacchentur, cum ipsi ne micam quidem eruditionis habeant. Sed hoc utcunque to-

[tolerabile]

{pdf 009, Pre-pages}

-lerabile, nisi & impudentiam cum ignoratione haberent coniunctam, quae dicacitatis & maledicentiae mater est & origo. quanquam haec [GREEK *απλοςδιονυσα*] *aplos dionusa*, alias fortasse tempestivius. Tu vero Lector candide, despectis interim Orphei vel Pindari profanis hymnis, plectro et odis sanctissimi Regis David fruire potius, cumque iis Folengii doctissimis lucubrationibus, quae tibi tuisque commodis, magnis sudoribus confectae sunt, et invulgatae: atque alia id genus plura, quae [GREEK] ? *theo* propediem e nigris cucullis exhibunt candidissima, praestolare. Neque enim plus valebit tetra vulgi *axarisia* [αχαρισια, ingratitude, gracelessness], quam albi doctorum calculi. Bene vale, quisquis es sacrarum literarum studiosus.

Apud Casinum, anno a Christo nato M.D.XLIII.

IOANNI BAPTISTAE FOLENGIO NICODEMUS FRATER S. D.

Non ignoras frater, longoque rerum usu iam didicisti, cursu equorum favore perniciores fieri: atque illam tandem non vulgarem censi laudem, qui ex notae spectataeque virtutis testimonio oriri solet. Hoc quidem dixisse volui, non quod de ardore mentis tuae quicquam dubitem, sed ut currentem adhibito calcari vehementius impellam, fervoremque favore, quantuluscumque is demum sit, augeam. Ad hasce nuper oras Euganeas quaedam pia religiosaque abs te aedita, & ab Isingrinio luculenter typis impressa, in nonnullos psalmos pervenere commentaria, non insuavia quidem lectoribus, non ingrata, non vel ab ipsis eruditissimis viris neglecta. Mirum quam prona (sic illi referunt) in dictione sint, facilia, arguta, atque, adeo strictim collecta, ut nihil tamen desideretur copiae & leporis. Quo fit, ut a plerisque non infimae classis hominibus laudetur phrasis, a nonnullis orationis nitor, venustas, copia: ab aliis item concinna similitudinum frequentia, atque apta vocum proprietates & elegantia. Quid? lucubrationes istae tuae a probis omnibus laudantur, & ad coelum usque extolluntur. Referunt, (aiunt) Folengii scripta veterum autorum: politiam & gravitatem: cuncta, ut sacra tractari debent, praeclara, sequentia, aperta, libera, & quod pios mirum in modum delectat lectores, Christum ubique spirantia. Sed et illud, inquiunt, mirandum, quod si interdum exteram pellem aut plumam induere contingat, id agit quod astutissimam agere fulicam non ignorat quae foetum aquilae neglectum ut suum alit. Addo & illud, quod & nos nostra conspuere solitis, haec eadem non minus placent, quam arcta nobis necessitudine coniunctis. At ego sensuum candorem, & (non falsus sum) profunditatem, raramque mysteriorum dilucidationem exosculor, cum ob plura, tum maxime quoniam a fratris pectore coelesti, ut opinor, afflato spiritu prodire. Verum tu interim, ut semper gloriae propriae contemptor fuisti, tuae non ignarus mediocritatis, non semel tuis in commentariis te nihil prorsus esse clamitas. Sic enim de te loquens in quodam testaris psalmo: Scio quod in me non est bonum. Gratia Dei sum id quod sum, qui dat omnibus & velle & posse. Probe id quidem. Alio item loco: Possum, inquis, omnia. Sed in quo? aut qua alia ab re? num a naturae dotibus? num a viribus illis plane cum suo arbitrio fractis, quas cum homine nasci, cum ipsoque crescere & enutriri cernimus? haudquaquam, sed in eo qui me confortat. Quare, frater optime, cum minime diffitearis Dei gratiam id efficere quod es, ac perspicuum sit sublimem illam maiestatem non

dedignari citra omne meritum tuum instillare desuper quod tu spargas, quod nobis impartiaris, quod hactenus Dei osores ad bonam frugem pellexit, ac Deo tandem plenos spirituali reaccendit cupidine, te oro, & per venerandos piorum parentum nostrorum cineres atque ossa obtestor ne opponas obicem, neve irritam facias gratiam. Aperi os, corque exere, ac felici successu ad calcem usque iam coeptum opus deducere cura. Id quidem probi appetunt ad solatium id improbi quoque, ad perditae deplorataeque suae vitae remedium obnixè flagitant. Heus tu num abnues? non credo, vel eo maxime? quod otium in Casino nactus, nihil tibi esse debet antiquius, quam ut hac in re orbi fere universo, non solum amicis, qui te literis obruunt, fiat satis. Vale ac numini admonenti prompto auscultata animo.

Patavii, Nonis Augusti, M. D. XLII.

Ioannes Baptista Folengius Nicodemo Fratri S.P.D.

Et tu frater me in nemoribus latitantem interpellas? Me ne tam alta scribere opinantur amici? Caecum id prorsus est amoris genus, quod in amicis eam videt excellentiam, quam ne statim quidem virtutis formam appellarent semidocti. Ego enim quid de me, meisque scriptis sentiam, non raro hisce in commentariis tum dico, tum, ne erret Lector, ad ravim usque clamo: syncerum me scilicet tantummodo esse scriptorem, nempe cui pro scopo Dei sit honor, et susque deque religio: nihil praeterea. Quare meis in monumentis nihil aliud in primis quaerere debent amici, quam amplam erga omnes charitatem, atque in deum fidem. Tantum eruditionem in re sacra non ostento. Quae tamen, si in me aliquam esse iudicant, ea tandem est, quae meam ubique prae se fert, ut tu eam vocas, mediocritatem, non grandiora illa Sophocleo (ut aiunt) digna cothurno, quae tu frater alioqui mihi charior oculis propriis de me aequè praedicas, ac de incognito omnino hospite quis rudis prorsus atque expers iudicii praedicaret. Amor enimvero te in me audaculum aliquantisper facit. Verum ego interea meo me spithamo metiens, adeo ex superfluis amicorum laudibus non efferor, quin me esse Folengium cogitem, hominem nimirum natum Hyadum tempore, idcirco ab aquis illis non abhorrentem, quas Christus in Davide usque ad animam suam intrasse queritur. Haec est crux vitae, hae proborum deliciae, id duri cum mundo certaminis theatrum, forsàn & trophaeum: cuius quidem labores etiam tu mecum experiris Nicodeme. Experitur & Theophilus noster, cuius ingenium nostro aevo rarum atque insolens, semper infensum fuit ranis. Sed cum edentulae sint, nihil aliud quam coaxant: qua quidem re non tam iram quam risum viatoribus excitare solitae sunt. Sed ad propositum redeo. Ain' tu meas expectari lucubrationes? En habeant qui expectant: en nostri exilii fructus (quo enim alio appellabis nomine hanc vitam?) en nemorum partus, en meae fidei confessio, en quid tandem meus toties instipulatus a mundo animus responderit. Exeant itaque in publicum, postquam sic vultis, ac tu me in primis hortaris Nicodeme, cuius benevolentiam tam charam habeo, ut nihil mihi charius esse possit, & festivius. Vale. Albanetae, Idib. Decemb. M.D. XLII.

{pdf 011, Pre-pages}

Herculi Gonzagae principi excellentissimo, ac Dei Ecclesiae Cardinali et docto et pio, Ioannes Baptista Folengius monachus Casinensis S. D.

An fructus mei in Casino ocii (primitias informes, et tanquam ursae partum ineffigiatas haud dudum ursus habuit) te autore Princeps invulgari aliquando debuissent, non semel dubius cogitavi. Quod enim plagis illis orbis, quae Deum vere colunt, mei animi conceptus aperirem, nihil mihi omnino timendum erat, cum nihil, quod veniam facile non impetrasset, me dicturum sperarem. Sed illud deterrebat, te in fronte libri posito id attentasse. Noveram sane quem virum interpellaturus essem, Herculem nimirum Christianum, novum Aristidem, Pontificem tandem magnum (maximum te postea videbimus) & eruditum. Verebar equidem, nedum a vitae iustitiae deerrantes homines pungere, quasique a fuga reprehendere curarem, te, alioquin ab hac scena remotissimum, praetextu tituli in caeterorum numerum obtrudere clam voluisse iudicaret. Verum simulac tua in mentem mihi venit prudentia, atque antiqua tuae familiae coniuncta cum maiestate lenitas, rem eam aggredi non sum ueritus, qua alias forsitan detrectassem. Sume itaque Antistes ullo absque naevo suspicionis, non dico fortunae risus, in cuius labiis residet adulatio, sed pulverulenta, laboriosissimamque in psalmodum amphitheatro exercitationem, utpote a monacho, qui longe a doctorum hominum congressu relegatus, librorumque praesidio destitutus, sed re una solum contentus, a curis mundi ociatur, ad Dei honorem, atque in gratiam suae sanctae plebis assumptam, illique fortassis non poenitentiam, modo tu robustissimus adsis Alcides: qui, ut legere aliquando hi velint, qui tibi nunc parent dicto, non tam horteris, quam ipse quoque, vel fecte, si lubet, lectites. Caeterum quod meum fuerit consilium, post tot eruditissimos aliorum commentarios, post doctas vigilias, post ultimam fere manum, ad illa etiam quae casto hisce praesertim temporibus velanda fuerant silentio, voluisse tanquam spectrum quoddam non amplius visum apparere, novit Dei spiritus, qui instigavit: norunt amici, norunt & qui bene emunctas habent na-
[nares]

{pdf 012, Pre-pages}

-res. Mucidos enim meis a scriptis sane quam procul arceri tam cupio, quam quis alius a suis. Nam cum pituita aegrotent, in discernendis amentis falluntur: ut falluntur de more obloquutores, invidi, atque ociosa ista, omentataque inertium fucorum lues, quibus ut plurimum alveoli magis usui sunt, quam libri: quique more pecudum, sine literis, sine Deo, sine ulla unquam recte actae vitae significatione perire soliti sunt. Obsecro, quid tu tum cogitas, cum portenta istiusmodi religionis tuos gravissimos appetere congressus audis? Fastidis, credo, nondum introductos. Quid cum loqui occoeperint? mera somnia, gerras, patinas, risus Gnathonicos, plausus, & demum insulsa omnia, & fucata. Hanc igitur orbis corruptelam (sic adulatorum atque supinos homines appellare soleo) ut a spiritus sancti amoenitate alienissimam esse et vides, et patientissime nonnunquam, quae tua est modestia, toleras, ita ego quidem tuo a sanctissimo, atque adeo caeterorum principum contubernio procul esse & cupio, & oro, & per CHRISTI sponsam vobis creditam obtestor.

Vale, & tenerum nepotem rebus, ut coepisti, seriis assuefacito.

Quicquid enim aquarum novus hauserit cuniculus, tibi acceptum referent posterum.

Albanetae Casini

{pdf 013, Pre-pages}

INDEX PSALMORUM, IN quo primus numerus psalmum, secundus vero folium iudicat.	Psalm	Page
Index of the title and number of each Psalms, and the page where it begins.		
Ad dominum cum clamavi.	120	395
Ad te domine levavi animam meam.	25	86
Ad te domine clamabo, Deus meus ne sileas a me.	28	99
Ad te levavi oculos meos qui habitas in coelis.	123	400
Afferte domino filii Dei, afferte domino filios arietum.	29	102
Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram.	78	283
Audite haec omnes gentes, auribus percipite omnes.	49	198
Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.	1	1
Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem.	41	169
Beatus vir qui timet dominum, in mandatis eius cupit nimis.	112	368
Beati quorum remissae sunt iniquitates.	32	117
Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini.	119	379
Beati omnes qui timent dominum, qui ambulant in viis eius.	128	410
Benedic anima mea domino, & omnia quae intra me sunt nomini sancto eius.	103	341
Benedic anima mea domino, domine Deus meus magnificatus es.	104	344
Benedicam dominum in omni tempore semper laus eius in ore meo.	34	126
Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas etc.	144	435
Benedixisti domine terram tuam.	85	303
Bonum est confiteri domino, & psallere nomini tuo altissime.	92	319
Cantate domino canticum novum, cantate domino omnis terra.	96	327
Cantate domino canticum novi, quia mirabilia fecit.	98	331
Cantate domino canticum novum, laus eius in Ecclesia sanctorum.	149	447
Coeli enarrant gloriam Dei.	19	60
Confitebor tibi domine in toto corde meo.	9	24
Confitebor tibi domine in toto corde meo, in consilio iustorum etc.	111	366
Confitebor tibi domine in toto corde meo, quoniam audisti omnia verba oris mei.	138	425
Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.	118	375
Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.	136	423
Confitemini domino, & invocate nomen eius.	305	348
Confitemini domino quoniam bonus.	306	352
Confitemini domino quoniam bonus.	307	357

Confitebimur tibi Deus, confitebimur & inuocabimus nomen tuum.	75	277
Conserua me domine quoniam in te speravi	16	42
Credidi propter quod locutus sum.	116	374
Cum invocarem exaudivit me etc.	4	8
De profundis clamavi etc.	130	414
Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?	22	71
Deus auribus nostris audivimus, patres nostri narraverunt nobis.	44	178
Deus noster refugium & uirtus.	46	189
Deus deorum dominus locutus est.	50	202
Deus in nomine tuo saluum etc.	54	213
Deus repulisti nos, & destruxisti nos, iratus es.	60	228
Deus Deus meus ad te de luce & c.	63	234
Deus misereatur nostri & benedicat nobis.	67	245
Deus in adiutorium meum intende.	70	261
Deus iudicium tuum regi da, & iustitia tuam filio regis.	72	265
Deus venerunt gentes in haereditatem tuam.	9	291
Deus stetit in synagoga deorum.	82	298
Deus quis similis tibi, ne taceas.	83	299
Deus ultionum dominus, Deus ultionum libere egit.	94	322
Deus laudem meam ne tacueris.	109	361
Diligam te domine fortitudo mea	18	49
Dilexi, quoniam exaudiet dominus vocem orationis meae.	116	373
Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.	39	160
Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.	14	37
Dixit iniustus ut delinquat in semet ipso.	36	141
Dixit insipiens in corde suo.	53	212
Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis.	110	364
{pdf 014, INDEX PSALMORUM}		
Dominus regit me, & nihil mihi deerit.	23	80
Dominus illuminatio mea, & salus mea.	27	95
Dominus regnavit, decorem indutus est.	93	322
Dominus regnavit, exultet terra, laetentur insulae multae.	97	328
Dominus regnavit, irascantur populi.	99	332
Domini est terra & plenitudo eius.	24	83
Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me.	3	6
Domine ne in furore tuo arguas me.	6	15
Domine Deus meus in te speravi.	7	18
Domine Deus noster quam admirabile est nomen tuum.	8	21
Domine quis inhabitabit in tabernaculo tuo.	15	40
Domine in virtute tua laetabitur rex.	21	67
Domine ne in furore tuo arguas me. [Note: same as above, 6.15]	38	155
Domine Deus salutis meae, in die clamavi & nocte coram te.	88	309

Domine refugium factus es nobis.	90	315
Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te ueniat.	102	337
Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.	131	416
Domine probasti me, & cognovisti me.	139	426
Domine clamavi ad te, exaudi me.	141	430
Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam.	143	434
ECCE quam bonum & quam iucundum, fratres habitare in unum.	133	420
Ecce nunc benedicite dominum omnes servi domini.	134	421
Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me.	59	225
Eripe me domine ab homine malo.	140	429
Eruclavit cor meum verbum bonum.	45	182
Exaltabo te domine, quoniam suscepisti me.	30	106
Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo	145	437
Exultate iusti in domino, nam rectos decet laudatio	33	120
Exaudi domine iustitiam meam.	17	46
Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam.	55	214
Exaudi Deus orationem meam cum deprecor	64	236
Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meae.	61	231
Exaudiat te dominus in die tribulationis.	20	65
Expectans expectavi dominum, & intendit mihi.	40	163
Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob.	81	296
Exurgat eius & dissipent inimici eius.	68	247
FUNDAMENTA eius in montibus sanctis.	87	307
Inclina domine aurem tuam & exaudi me.	86	305
In convertendo dominus captivitatem Sion.	126	405
In domino confido, quomodo dicitis animae meae.	11	32
In exitu Israel de Aegypto.	114	370
In te domine speravi, non confundar in aeternum.	31	109
In te domine speravi, non confundar in aeternum.	71	261
Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite Deo.	66	241
Iubilate Deo omnis terra, servite domino in laetitia.	100	334
Iudica domine nocentes me, expugna impugnantes me.	35	133
Iudica me domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.	26	92
Iudica me Deus, & discerne causam meam.	43	176
LAETATUS sum in his quae dicta sunt mihi.	122	398
Lauda anima mea dominum, laudabo dominum in vita mea.	146	440
Laudate dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi	117	375
Laudate dominum, quoniam bonus est psalmus.	147	442
Laudate dominum de coelis, laudate eum in excelsis.	148	445
Laudate dominum in sanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius	150	448
Laudate nomen domini, laudate servi.	135	421

Laudate pueri dominum, laudate nomen domini.	113	369
{pdf 015, INDEX PSALMORUM}		
Leuavi oculos meos in montes, unde ueniet auxilium mihi.	131	296
MAGNUS dominus et laudabilis.	48	194
Memento domine Daud, & omnis mansuetudinis eius	132	417
Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.	1	207
Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo.	56	218
Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.	57	221
Misericordias domini in aeternum cantabo.	89	311
Misericordiam & iudicium cantabo, tibi domine psallam.	101	335
NISI dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt etc.	127	408
Nisi quia dominus erat in nobis, dicat nunc Israel etc.	124	401
Noli aemulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.	37	145
Nonne Deo subiecta erit anima mea.	62	232
Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.	115	371
Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius.	76	278
OMNES gentes plaudite manibus, iubilare Deo.	47	192
PARATUM cor meum Deus, paratum cor meum etc,	108	360
QUAM bonus Israel Deus his, qui sunt recto corde.	73	269
Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum.	84	30
Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania.	2	3
Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.	42	173
Quid multiplicati sunt qui tribulant me.	3	6
Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate.	52	210
Qui confidunt in domino, sicut mons Sion.	125	403
Qui habitat in adiutorio altissimi	91	317
Qui regis Israel intende, qui deducis uelut ovem Ioseph.	80	293
SAEPE expugnauerunt me a iuventute mea.	129	413
Saluum me fac domine, quoniam defecit sanctus.	12	33
Saluum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.	69	255
Si vere utique iustitiam loquimini, recte iudicate filii hominum.	58	223
Super flumina Babylonis.	137	424
TE decet hymnus Deus in Sion.	65	238
VENITE exultemus domino, iubilemus Deo salutari nostro.	95	325
Verba mea auribus percipe domine.	5	11
Voce mea ad dominum clamavi, voce mea ad Deum.	77	281
Voce mea ad dominum clamavi, voce mea dominum deprecatus sum.	142	432
Usquequo domine oblivisceris me in finem?	13	35
Ut quid Deus repulisti in finem?	74	272

FINIS.

{pdf 016, Pre-pages}

TABULA IN PSALMOS PER LOCOS COMMUNES.

LAUDATIONES.

In psalmore libro aut laudatur Deus, aut ad eum laudandum fiunt adhortationes in quibus eius cum erga alios, tum potissimum erga Israelitas beneficia commemorantur. Ut psal. 8. 29. 33. 47. 48. 65. 66. 76. 81. 92. 93. 95. 96. 97. 98. 100. 103. 105. 106. 107. 111. 113. 114. 115. 117. 119. 134. 136. 138. 145. 146. 147. 148. 149. 150.

PRECATIONES.

Aut oratur. Psal. 16. 26. 43. 84. 67. 90. 126.

In morbo.

Peccatorum venia & expiatio. Psal. 19.

Auxilium petitur contra adversarios & improbos potissimum, in quo insunt querelae & imprecationes. Psal. 3.....

GRATIARUM ACTIONES.

Aut aguntur ei gratiae, in quo inest & laudatio. Psal. 18. ...

FAUSTAE PRECATIONES.

Aut est fausta precatio, vel omen.
Psal. 20. 72. 122.

INVECTIONES.

Aut sunt improbos invectiones, cum precibus coniunctae, Psal. 5. 7. 10. 12. 35. 36. 40. 52. 55. 58. 109. 120. 135.

PRAECEPTIONES.

Aut docetur aliquid, & ad recte vivendum traduntur praecepta. Psal. 1. ...

PRAEDICATIONES

Insunt & de Christo oracula Psal. 2. 14. 16. 17. 22. 24. 50. 53. 68. 75. 82. 85. 86. 94. 97. 98. 110.

Et de Ecclesia. Psal. 51. 87

Atque haec plerunque inter se mixta sunt.

{pdf 018, p. 1}

IOANNIS BAPTISTAE FOLENGII MANTUANI, DIVI BENEDICTI MONACHI, IN PSALMOS ALIQUOT, iuxta Hebraeam ueritatem, commentarius.

ARGUMENTUM.

Totius uoluminis Psalmorum argumentum CHRISTUS est, qui cum duas in se habeat naturas, modo hanc, modo illam, idcirco frequenter per psalmos fere omnes interserit, ut doctiores habeant unde suam defleant ignorantiam, & rudiores unde ex reuelata per CHRISTUM sapientia gaudeant.

{1.1} Beatus uir qui non abiit in consilio impiorum.

Sapientes illi qui in huius mundi sapientia turgent, & se extollunt, beatitudinem uitae commodis metiri solent. Ex ipsis doctiores, uirtute ipsa quidem, sed proprio ingenio acquisita. Nos uero beatitudinem esse dicimus, Deum timere, humana omnia desplicere, coelestia quaerere, nihil quod homini possit accidere intolerandum putare, in Dei lege die ac nocte uersari, spretis interim omnibus quae afferre solet calix aureus Babylonis. Haec summa est beatitudinis Christianae, quam nos affabre docuit Dei filius in terris, quando illos ipsos beatos appellauit, quibus pauperies, luctus, mansuetudo, misericordia, benignitas, cordi essent. Sed alii (o caeca ingenia) in iocis, in risibus, in omni libidinum genere, in latis fundis, in ocio & pluma, in tyrannide, et caeteris id genus monstris & portentis, illam esse ducunt. Abire, seu ambulare in consilio impiorum, est illorum impia sequi studia consiliaque, quae prorsus aliena sunt a Deo: cum impius is uere sit, qui Deo contempto, et sciens & prudens malum agat. At cum consilium a prudentia proficiscatur: prudentia uero alia bona, alia mala cum sit: consilium item, & bonum & malum: bonum ad eos solummodo spectat, qui diligenter ac caute inquirunt, quibus uis & mediis, ad beatitudinem ueram pertingant: malum autem ad illos, qui diuerticula peruestigant, quibus iam conceptam malitiam ad effectum perducant. Beatus igitur uir est, seu, ut in hebraeo habetur, Beatitudines uiro sunt, qui non ambulauit in pessimorum hominum consiliis, qui ignorant Deum: & qui ad eorum nutum, qui semper deteriora consulunt, minime uiuit: quique ab aestu illo cordis irrequieto, quo die noctuque excruciantur miseri, longe abest. Quam felix profecto est talis qui sic non ambulauit,

{1.1} Et in uia peccatorum non stetit.

Peccatorem in hoc loco appellant quidam exteriorem hominem, aperteque peccantem: eum uidelicet, qui in peccatis diutius uersatus, omnibus palam per scelestam apparentiam sese nefarium exhibet. Est sane impius, qui non credit. Est peccator, qui uita & moribus prae se fert incredulitatem. Mala enim desideria in se habet impius, malaque consilia, ac pessimas cupiditates, quae uitia in interiore homine insunt: peccatoris autem sensus, atque ipsa omnino membra, earundem sunt cupiditatum, consiliorumque, ac curarum omnium, quae a solida cordis tranquillitate, quam beatitudinem libenter appellamus, abhorrent, & instrumenta, & adminicula. Sed incidunt nonnunquam etiam sancti ipsi uiri, in uiam peccatorum, cum septies in die cadat iustus. qua ratione quaeso? hac sane, ut ex lapsu cautiores facti, quam sint in uia iustitiae uitrei, quamque nutantes & fragiles, non ignorent. Non stant tamen, hoc est,

non permanent, non perseuerant, sed agnita peccati turpitudine, de uia peccatorum ad uiam iustitiae statim regrediuntur. Porro uiam hominis in scripturis esse quicquid agit, quicquid conuersatur, uiuitque, & omnia quibus per studium haeret, siue bona, siue mala sint, existimamus, sicut in hoc psalmo uidete est.

{pdf 019, p. 1v}

Nouit, inquit, Dominus uiam iustorum, & iter impiorum peribit. Ecce uiae nomen ad utrumque appositum.

{1.1} Et in cathedra pestilentiae non sedit.

Vir enim sic affectus, omne, ut est adagium, tulit punctum. Primum damnauit propheta consilium impiorum, studia scilicet cordis impia: deinde apparentia opera mala, quae sunt peccatorum uiae: nunc tertio mortiferam doctrinam. Ad quae quidem omnia pulcherrima utens analogia, beati uiri uoluntatem in lege Domini, consiliis in primis opponit impiorum: deinde fructum emissum in tempore suo, id est, opera secundum Deum facta, uiae peccatorum: postremo folia, quae sunt uerba doctrinaeque fidei, quae opponitur cathedrae pestilentiae. Nam in spiritus arbore truncus, siue lignum, est fides: fructus, opera: folia uero, doctrina, Sed & radicem huiusce felicissimi ligni in hominis corde fixam, charitatem tum in Deum, tum in proximum una cum fide esse affirmamus. Nec quidem audiendi sunt illi, qui sanctissimae huius arboris truncum, radicemue, aut ramos tantummodo laudare solent, licet sterilis & siccae: errant enim. Nam nihilipendendam esse arborem censemus, in qua neque in foliis uiror, neque in fructibus aut odor, aut sapor, aut decor cernatur. Ita porro fides, ita charitas, ita harum socia, per quam aeterna sperantur bona, absque elegantia operum, doctrinaeque sanctitate, & pulchritudine, flaccidae sunt ac uanae. Quid sibi tandem uelle in hoc primo uersu prophetam putamus? Id sane, ac si diceret: O mire felicem uirum illum, qui praua sceleratorum hominum consilia non est sequutus, neque eorum qui nefarie vivunt socius effectus, quorundam doctrinam, qua ueluti peste quadam letali inficiuntur alii, adamauit.

{1.2} Sed in lege Domini fuit uoluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte.

Legem non tantum scriptam in hoc loco intelligo, quantum quodcumque nouit quis per secretas animi aspirationes placere Deo, atque ad ipsius sanctissimi nominis gloriam facere. Id enim pro lege habet, & ea quidem, quae uel ipsi iusto, alioqui a lege libero, sit posita. In hac enim suam omnem uoluntatem, omne desiderium, omnem conatum adhibet, die ac nocte, hoc est, sine cessatione. Vult semper, et desiderat uir iste beatus ea quae Dei sunt, & odit aduersa. Nam quemadmodum is qui, ut ait eximius ille uates, musam meditatur auena, toto pectore, toto ore, flatu, oculis, auribus, in hoc incumbit, non audit alia, non attendit, non uel ea quae sub oculis sunt, uidet, totus in carmine delectatur, sibi placet, sibi, etsi solus sit, uel ab aliis irrideatur, canit, & totus tandem in fistula est: sic uir iste beatus, sed altiori quadam ratione, meditatur in sola Dei lege die ac nocte, non statutis horis, ut docent quidam, & ridicule: quos quidem interrogare libet. Si amanti illi Terentiano usque eo insanire licuit, ut suae Thaidi diceret: Fac dies

noctesque me ames, me desideres, me somnies, me expectes, de me cogites, me speres, me te oblectes, mecum tota sis, meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus. Si sic, inquam, insano amanti licitum fuit tam ardentis amoris notas in amicam exprimere, quid a nobis tepidioris ignis putamus exigi ab ipso legis autore, qui adeo feruida in suis amat, ut ignis consumens non grauetur appellari? Consumit enim ac macerat ignis iste diuinus affectus caeteros, desideriaque irrequieta in anima illa, quam sibi per amorem coniungi uoluit, ut nihil aliud cupiat, nihil amet, nihil expetat, nihil denique aut uideat, aut sentiat praeter illum, in cuius pene naturam, ueluti ferrum candens in ignis naturam conuersum, transmutatur. Massa enim ferri, si semper in igne sit, uenis omnibus ac poris ignem ipsum amplectens, iam ignis non ferri uim praeferet. Quomodo igitur anima, quae, quasi ferrum in igne, semper in uerbo, in sapientia, in Deo est posita, quicquid agit, quicquid sentit, quicquid intelligit, Deus non erit? Verum non id solum,

{1.3} Sed erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

More hebraeo lignum pro arbore posuit: & est sensus, Vir iste similis erit arbori ad ripam fluminis alicuius amoeni consitae, qui non tantum secundum legis praescriptum aut iussiones principum & praelatorum, sed sponte sua bonarum action-
[actionum]

{pdf 020, p. 2}

-num fructus producet in suo tempore: hoc est, quando ad proximorum salutem se promulgandi occasionem nactus, siue in his quae animae incolumitati conducunt, siue in his etiam quae commoda uitae efflagitant, ad omnia opera, ad omnes personas, ad omnia loca, ad omnes fortunas, modo compertum habeat se gratum fore Deo, indifferens erit. Unde, oro, uerba illa tam parum christiana, cum quis a misero quopiam requisitus ut sibi det operam in aliqua sua necessitate, clamet, Heus tu, quid me obtundis? sine me meum negocium agere, alia curo. O quam longe is abest a re illa, cuius se cupit uideri per uitae apparentiam atque obseruantiam assertorem. Talis profecto ignorat quo tempore dandus sit fructus ille suauis, cuius odore illectus Deus ad animam transit, cum illaque familiarissime conuersatur. Is enim fructus ille est, quem Psaltes ait bonam arborem dare in tempore suo: hoc est, ad sui conditoris gloriam proferre illud totum quicquid est in aliorum salutem, nec quaerere quae sua sunt, sed quae multorum. Neque sane uerendum, ut prae soli incommodo fructum ferre nequeat: etenim fluentis spiritus sancti illis alluitur ac foecundatur, de quibus asserit in suo euangelio Dominus: quod qui biberit ex aqua illa, quam ipse daturus est, non amplius sitiet. Et est perinde ac dicat, Arbor, cuius radices meis undis abluuntur, certissimam foecunditatem habet, nihilue minus timet quam ariditatem, aut sitim pati. Iam uero illud dicere est operaeprecium hic, arborem quae sit plantata, haud quae se plantauit, describi: contra illos quidem, qui sibi nimium, suisque operibus, aut arbitrio credunt, & tribuunt, atque propterea sese plus nimio palpant, alios damnant, se excusant, sibique ipsis tantummodo placent similes nimirum Thrasoni illi tam uulgo celebri, magis, quam sit ouum ouo. Est istuc, ait, datum profecto, mihi grata ut sint quae facio omnia.

{1.3} Et folium eius non defluet, et omnia quaecumque faciet prosperabuntur.

Nec mirum sane: nam a beati uiri ore & uita, nec uerbum, nec doctrina unquam effluet, ac frustra cadet. Cur sic, oro? quoniam Dei est, & Dei uerbum manet in aeternum. Folium igitur conuenientissimum erit sanctam nuncupari doctrinam: sicut fructus opera bona in beato uiro & dicuntur, & sunt. Atqui folium ligni ad gentium salutem fore praeuidit Ioannes in Apoc. Nec ab re quidem, cum doctrina sanctissimi illius ligni, cuius esus uictori in carnis pugna promittitur, sola ea sit, quae olim in consilio ambulantis impiorum, stantibusque in uia peccatorum, ac in pestilentiae cathedra sedentibus, seu, ut in Hebraeo legitur, in cathedra irrisorum, hoc est, blasphemantium, in derisum uerba uitae, opem, salutemque attulerit. Qui, quaeso, in terram cadere, ac deperire poterit uerbum illud, quod caeteris omnibus, & ista etiam ipsa, quam uidemus, coelorum pulchritudine ac forma transeunte, aeternum permanet? Quomodo fieri illud facile poterit, ut doctrina ea, quae nihil aliud docet quam Dei uerbum aeternum, aeterna non sit? Marcescere igitur, atque euanescere non dicam illud, quod ut aeternum sit, necesse est. Esto a multis ueritatis uerbum contemnatur, inuictum tamen maneat oportet, cum Dei sit, propterea aeternum. Vides, ni fallor, arborem in amoenis aquarum ripis consitam semper uirescere, fructuque uberrimo incuruescere, uel eo quidem, qui & maturus sit, & in tempore suo productus. Ita ferme sunt hi, qui nunquam absque Dei lege sunt: nam omnia quaecumque facient semper prospera erunt, ac Deo probata. Quis modo ambigat, omnia, etiam peccata ipsa, diligentibus Deum in bonum cooperari, cum legimus cuncta beato uiro feliciter obuentura? Peccata inquis? Durum profecto: sed tamen ea uidetur ratio esse, quam & diuus affert Augustinus, quam cognito casu, considerataque lapsus foeditate, uir sanctus mox sibi irascitur, se exactius cognoscit, libratque, & cautius se in posterum habens, pro condonata uenia eum qui donauit ardentius amat: nam cui plus dimittitur, plus diligit. Cedunt ergo piis omnia in bonum & salutem.

{1.4} Sed non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem proiicit ventus a facie terrae.

Divus Hieronymus obelo notat secundo loco positum, *non sic*, quod in hebr. non habetur. Item illud, *a facie terrae*, superest: quod quidam additum putant a Graecis, explicandae sententiae gratia. Iam enim uates eximius uirum impium, atque adeo infelicem et miserum, a uiro beato & pio diuersum describens, ait: Non eo modo

{pdf 021, p. 2v}

ligno feraci, atque frondiferae arbori assimilabitur uir impius, & qui nullius legis uinculo tenetur, quemadmodum uir beatus assimilatur: nec quicquid aget, ut ille, prosperabitur ac in bonum cedit. Is enim cum solitus sit impia sua consilia sequi, uana studia, letales haereses, sectas, foedasque doctrinas, & quicquid illi in mentem uenerit, contempta ueritate, non potest non docere uana, nihilque bonorum fructuum afferentia, cum malus sit. Is ultra non proficiet, aiebat Paulus: insipientia quippe eius manifesta erit in omnibus. Non diu igitur erit quicquid est, quod egit, aut molitur: nam uolente spiritu illo, qui se abhorrentem a cogitationibus quae sunt sine intellectu fatetur, dissipabitur,

proiicietur, atque instar pulueris tenuissimi, uel, sicut legunt Hebraei, leuissimae paleae, quae uento aliquo & turbine exagitata, minime eodem in loco ualet consistere, uoluntabitur: dum interim beatus uir, tanquam arbor fixis alte radicibus stabit prorsus inconcussus, ac fructum suo in tempore permaturum proferet. Quod autem impii, impiorumque studia, ac curae, paleis comparari debeant, Ioannes exprimit, cum autore Matthaeo, dicit paleas igni comburendas. Quare cum scelerati, uirique athei eodem se habeant modo,

{1.5} Non resurgent [impii] in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum.

Hoc est, quando istorum uita iustitiae norma examinari contigerit, causa cadent. Quomodo enim ante iustitiae tribunal declamare pro iustitia poterunt, cum semper hostes iustitiae extiterint? In concilio ne iustorum resurgent hi, qui consiliis, quae impia sunt, stulta, prorsusque a Deo aliena, de diametro pugnant cum iustorum consiliis, quae pia sunt, atque deformia omnino? Resurgent tamen sed non ad resurrectionem uitae, quod sane est resurgere in iustorum concilio. Adstabunt enim miseri, & qui obstinati in malis e uita migrarunt, ante Christi tribunal. Qua spe quaeso? hac quidem, ut pronunciato iudicio, dataque sententia, mox sese ad aeternos cruciatus protrudant: cum interim illi, qui non steterunt in peccatorum semitis, regnum illud, quod illis coelestis pater a mundi exordio praeparauit, feliciter accipient, atque aeuo fruuntur sempiterno. Causa uero praedictorum a propheta infertur, cum ait:

{1.6} Quoniam novit Dominus viam iustorum, et iter impiorum peribit.

Quos nouit Deus esse suos, hoc est, quos praenouit per fidem atque amorem fore suos, ac propterea beatos, & in uitae libro conscriptos, hos ipsos agnoscit, fouet, amat, tutatur: atque illorum uita curae illi est maximae, cum contra sceleratorum uitam auersetur, et idcirco pereant. Qui, rogo, perire non debet istorum uita funditus, cum ipsam, sua ipsorum culpa, non agnoscat Deus, deque ipsa curam non habeat, sed tanquam alienam atque incognitam perire sinat? Nouit sane quidem Deus omnes, sed bonos solummodo, uti oues proprias fidelis pastor, & cognoscit, & proprio appellat nomine: quia illos, illorumque mores et uitam approbat, ac, uti res charae solent, seruat & protegit. Caeterum uitam iustorum definiunt nostri esse fidem, diuinorumque praeceptorum curam, atque obseruantiam, non elumbem, aut languidam, sed uirilem et perseuerantem: iustumque ex fidei robore, ac eorundem praeceptorum adimpletione censerit, & iudicari: malos uero atque iniustos contra. Aiunt enim illos ipsos iniustos esse, qui absque fide vivunt, qui & impii: aut qui mandatorum legem transgrediuntur, qui & peccatores. Sed qualem iustitiam esse statuunt, cuius roboris? quam faciem? quam uim? illam sane (ne de illa dicam, quam philosophi in distributiuam, commutatiuamque partiri solent, perexigua plane, si ad nostram conferas) quae in fide, ac mandatorum custodia sedem habeat. Nec tamen illam alteram idcirco perexiguam dixi, quod non aliquid eam esse arbitrer: sed qui humana cum sit, ista est diuina. Quam ob rem quantum res diuinae supereminet humanis tantum & iustitia, & iustus ille, quem modo celebramus, praestat iustitiae, iustoque illi, quem philosophi tantummodo laudant, & agnoscunt. Quam tamen iustitiam humanam, adeo exacte seruari uult nostra haec, ut qui illam uiolauerit, se uiolatam expostulet. Porro cauendum ne in hoc, ut in

similibus, parum docti se multum torqueant, cum legunt uiam iustorum hic dici a propheta, & iter

{pdf 022, p. 3}

impiorum, non uiam. Eadem quippe dictio est tum Graecis, tum Hebraeis, atque idem significat, siue uiam, siue iter, siue etiam uiuendi modum & genus dixeris. Quod quidem optime intellexisse uisus est paraphrastes, qui ait: Agnoscit enim Dominus modum uiuendi iustorum, & gratus est illi. Sed uitae genus illorum, qui Deum non habent prae oculis, interibit.

PSALMUS II

{2.1} Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania?

Hic quaeri solet a nonnullis, quis autor psalmore fuerit, cum legunt quorundam titulos aliis magis quam Dauidi inscribi. Ego enim ut quibusdam haud infimae classis autoribus aliquantisper assentiar, facile mihi persuaderi patior, psalmos omnes a Dauide compositos. Quod si reclament, & titulos opponant diuersos, ut ille est psalmi, cuius initium, Domine refugium factus es nobis: ubi in titulo legimus, ratio Moysi hominis Dei. Respondebitur, non semper prophetarum uerba adeo secundum literam debere intelligi, ut nihil spiritualium rerum inesse arbitremur. Moyses enim assumptus ex aquis interpretatur. Quocirca cui potius huiusce rationis titulum, ac psalmum conuenire dicam, quam illi, qui ab aquis baptismi assumptus, purificatusue, atque ob id homo Dei factus, eiuscemodi decentissimam suae assumptionis precationem in spiritu concinat? Quid iterum de psalmis Solomoni ascriptis censendum? Ego illi Solomoni eos refero, de quo in Canticis lego: Venite, & uidete regem Solomonem cum diademate: non alteri illi, cuius concubinarum numerus tam magnus in Regnorum libris exprimitur. Pacificus enim interpretatur Solomon: quam quidem interpretationem sibi excellentius uendicat Dei filius, quam Dauidis filius. Pacificus ne fuit Solomon ille, qui tam uariis libidinum generibus, uti bellacissimis hostibus obnoxius fuit? non credo. Quare ne in his, quae aut nihil, aut parum conducere existimo ad psalmore intelligentiam, nimius sim, illud de psalmore autore perinde dici posse arbitror, atque de libris Iob dixit Gregorius. Superfluum, inquit, est inquirere quis autor fuerit libri Iob: cum certissimum sit, a spiritu sancto esse aeditum. Utcunque sit, quae de hac re opiner, breuibus exponere uolui: eo animo tamen, ut quicquid aliter sapientiores attulerint, illud amplecter, & pro uero habeam, modo ex sapientium numero sint. Psalmus igitur iste Dauidi reuelatus de Christo, acerbissimas eius per Iudaeos ac gentes contexendas exponit persecutiones: quarum quidem atrocitatem praesentiens in spiritu tantus uates, admiratusue tumultum eum concitantium audiciam*, quid ipso Dei filio glorificato futurum sit praecinit, atque ait: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Hebr. Ut quid tumultuatae sunt gentes? quod quidem expressius aperuit paraphrastes. Quae, inquit, dementia fecit exteris nationes inter se conspirare, & Iudaicam factionem rem stultam animo concipere? Quid, oro, stultius unquam excogitare poterant, quam uelle extinguere autorem uitae? Eradamus, inquit, eum de terra uiuentium. Licet enim pleraque quae a diuo Hieronymo per futurum, a nobis per praeteritum leguntur, dubium sensum reddere uideantur: intelligentiae tamen nihil

obest utrum legas, fremuerunt, an frement, modo uim, intentionemque spiritus uaticinantis attendas. Gentes enim milites Romani sunt: populi uero qui meditati sunt inania, Iudaei, nimirum tali elogio in scripturis fere omnibus antiquis appellati. Laudate, inquit, Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Ut quid igitur Romani milites tumultuati sunt in CHRISTUM? qua utilitate? Certe absque ratione impossibilia conati sunt. Opprimendus ne erat rex regum, & dominus dominantium, ab uno uix cognito in terris Caesare? Sed haec tam impia, impiissimi tyranni sicariis concedamus: uos appello Iudaei. Quanta uos insania dementatos dicam? uos, inquam, qui Dei populus, cui filius charissimus atque dilectus appellari uultis, ut tam uana, tam insulsa, tam risu digna moliri audeatis? Vos uitam mori cogitis? Vos, ne mundus uniuersus post illum abeat, cui coelum, cui tellus, cui paret mare, & ipsi obediunt daemones, aeternae prouidentiae fre-

[frenum]

{pdf 023, p. 3v}

-num ponere tentatis? Vana omnino sunt haec, atque irridenda. Verum quid de plebe miserrima, ac omnium uilissima, cuius proprium est dissidia ciere, loquor?

{2.2} Adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum, aduersus Dominum, et aduersus Christum eius.

Reges terrae, duo sunt Herodes. Alter enim cum pueros interimere iuberet, puerum IESUM interimere est arbitratus. Alterum uero legimus in IESU necem Pilato consensisse. Porro principes in unum qui convenerunt, fuerunt Annas, Caiphas, & caeteri sacerdotum principes, ac scribae, qui conspirauerant, ut si quis IESUM profiteretur, e synagoga illa nefaria expelleretur. Hi igitur omnes adstiterunt, hoc est, non subita, citoque transeuntia illorum fuere consilia, sed diu in malitia perdurantes, nouasque in dies meditati insidias, tandem conuenerunt in unum, ut IESUM dolo tenerent, & occiderent. Primam enim suam iniuriam in patrem, cuius filium amantissimum tam dire trucidarunt, machinati sunt: in filium postea. Idcirco primum ait conuenisse illos in unum aduersus Dominum, postmodum aduersus CHRISTUM eius. Putas ne o tu, qui legis etiamnum persecutiones in CHRISTUM eius desiisse? Non desunt, crede mihi, in nostra etiam aetate, Herodes, non Pilati, non principes, non sacerdotes, non gentes, non Iudaei, qui, licet [sic, qui licet] parum inter-eos [sic, hyphen] conueniat, utpote mutuis inter se odiis, contentionibus simultatibus, dissidiis, atrocissimisque persecutionibus ferocientes: in hoc tamen unum conueniunt, ut suis malis moribus ac turpi uita, CHRISTUM in simplicium animis extinguant. Nullus locus tutus, nullaue hominum conditio, ne in ipsis quidem abditissimis antris et claustris, tam latens est, quo non penetret labes haec execrabilis, atque odiosa. Sed quid inquit spiritus?

{2.3} Disrumpamus vincula eorum et proiciamus a nobis iugum ipsorum.

Diapsalma est, & pausa spiritus, ubi subita introducitur persona. Dauid enim cum ex dolore eorum quae in uita autorem impii erant facturi, tum ex consideratione miserrima futurorum temporum commotus, ac pene extra se factus, parum substitit:

postmodum uero a spiritu experrectus, in haec uerba flebiliter prorupit: O fideles, o aeternae Hierusalem mei consortes, dirumpamus uincula eorum: ne eorum perfidiae consentiamus: ne ad turpissimos eorum mores, quibus nos quibusdam ueluti nodis ac pedicis irretire contendunt, aspiciamus. Audierat enim uates olim patribus fuisse coelitus dictum, Recedite a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quae ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Proiiciamus a nobis iugum ipsorum: nam quae dicunt, facite: quae autem faciunt, facere nolite. Periculosissimum sane atque adeo grauissimum iugi genus imminet simplicium ceruicibus, cum illos quidem homines, a quibus eorum salus ac uita pendere debet, cernunt impie uiuere, omniaque illa quae suauissimo CHRISTI iugo contraria sunt, edocere, seque ui quadam impudentissima ad ea obseruanda adstringi. quae ne minimo quidem digitulo tangere ipsi dignantur. Verum non me latet, hunc tertium psalmi uersum aliter a nonnullis intelligi. Volunt enim, & optime quidem, uerba illa fuisse Iudaeorum mutua sese rabie cohortantium, ac dicentium, Dirumpamus uincula eorum, id est, patris, & eius filii CHRISTI IESU siue CHRISTI & eius discipulorum, ut sentit Ambrosius, quibus nos uincire cupiunt. Vincula enim ac iugum per indignationem sanctissimum Dei Euangelium etiamnum uocant Iudaei, quo tamen nihil liberius, atque ad assequendam aeternam felicitatem expeditius inueniri potest. Abiiciamus, inquit, a nobis pollicitationes illas suas aeterni regni. Quid? illas, illas terrificas gehennae minas, quibus nos in suam ditionem seu ui, seu pauore, & illo quidem uano, iurare uolunt, spernamus. Scindamus illorum rationes: leges, iura, dominium, a ceruicibus nostris excutiamus: contrarii quippe sunt operibus nostris. Sic enim loqui solent, ait Augustinus, hi, qui CHRISTI iugum nolunt sibi imponi: Ecquis, oro, fastus, modestiae, crucisque imperium ferat?

{2.4} Qui habitat in coelis iridebit eos et Dominus subsannabit eos.

Quod Dauid, caeterique prophetae Dominum aliquando sedentem, aliquando

{pdf 024, p. 4}

stantem faciunt, item ambulantem, subsannantem, in ira loquentem, & id genus alia, fictio personae est, & anthropopathia, qua humani affectus Deo attribuuntur, quo dicta penitius animo insideant. Quapropter cum Deum legimus aliquos irridere, ut hic, illos ipsos statim impossibilia, risuque digna conari intelligimus. Cumque in furore, aut ira loquitur, illorum audaciam confractum iri, ac prorsus obtundendam esse demonstrat. Vltterius, loqui in Deo, idem esse quod facere, cognitio eorum quae de diuina potentia, esseque aeterno ac uno, in personis diuinis concepimus, nos admonet credere. Consideremus quaeso, quam pulchra antithesi rem narret propheta. Illi, ait, cum tumultu conuolant, perstrepunt, infremunt: Deus contra quietus, et in coelis, ubi nulla potest esse animi perturbatio aut aegritudo, sedet. Illi anxie loquuntur, consulunt, statuunt, conspirant: Deus autem ridet, subsannatue illos, uti solet pugil aliquis fortis, si eum tenellus puer sternere adnitatur.

{2.5} Tunc loquetur ad eos in ira sua et in furore suo conturbabit eos.

At quando loquetur ad eos in ira? Tunc sane quando suos irritos fuisse conatus, ac uana, confirmato CHRISTI regno, & studia & consilia cognoscent. Quando subita, cum non sperabitur, ueniet contritio, ut ait Esaias, & comminuentur sicut conteritur lagena figuli contritione perualida. Quando illos ad aequitatis normam iustitiaeque seueritatem librare coeperit. Quando ipsum minitantem, atque illam tam horribilem, iustissimam tamen, sententiam pronunciantem audient, Ite maledicti in ignem aeternum. Putas ne parum pauebunt? Quod, oro, signum aliud, aut argumentum magis euidens diuinae ultionis, nedum irae, ab impiis expectandum erit? Quis maior a Deo furor, quam se tam irreuocabiler detrudi ad cruciatus, uel ob id unum miserimos, quia aeternos? Sed & eadem nunc manet seueritas, atque irae diuinae signum, & impetus, illos, quos modo maximo cum dolore cernimus moliri nescio quae contra supremi iudicis legem & instituta: falsa edocere, noua inducere, abrogare solita, & eadem quidem sancta, ac antiquis patribus admodum probata: furere, insanire, & putidos quosdam per uulgus interspergere mores, & ritus. Nec est quod quis hic statim clamet, me hunc huius, aut illum illius sectae insimulare. Uniuersalis enim est spiritus sententia, nec quae a me homuncione ad priuatos homines retorqueri debeat. Tunc, ait, loquetur ad eos. Quos eos? Eos, inquam, quos spiritus contra Dominum infremituros, atque eius uineam deuastaturos praesensit, non tantum sicis aut contis, quantum malis moribus, feritate, tyrannide, ac turpissima omnium uita, & doctrina. Ad eos enim qui eiusmodi farinae sunt, cuiuscunque conditionis, cuiuscunque sectae, cuiuscunque uel nominis, uel gradus extiterint, decretum hoc pertinet.

{2.6} Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius.

Notanda est emphasis, Ego autem constitutus sum rex ab eo. Ego ipse, quem olim tam indignabundi contempsistis, & quem turpissimo mortis genere condemnastis. Ego, cuius leges & praecepta nuper cum clamastis, Dirumpamus uincula eorum, discindere attentastis. Ego ille, contra quem tam atrociter repugnastis, dicentes, Nolumus hunc regnare super nos, constitutus sum rex a Deo patre. Haud quidem regnum mihi, uti plerique agunt mortales, arrogauit: sed constitutus sum, non a me, uerum ab eo, rex. Quam bene profecto res ipsa successit. A uobis contemptus, despectus, altaeque tandem cruci affixus, ac morte omnium ignominiosissima affectus, constitutus sum rex uniuersorum, super Sion montem sanctum eius, quae est ecclesia fidelium, cuius umbra fuit prisca illa Hierusalem. Porro Sion multis in locis meminit Dauid, utpote sedis Dei praecipuae, e qua diuina dabantur responsa: eo enim sacerdotium ac regnum a Deo ordinatum erat. Ibi templum, ibi ritus sacri, ceremoniae, & cuncta illa, quae in terris tunc sancta appellabantur, ac quae diuinam praesentiam, fauoremque prae se ferre, atque testari poterant. Enimuero in Sion super Dauid solium Christum sessurum, quo illud in iudicio corroboraret, ut inquit Esaias, & iustitia, non armis carnalibus, neque ad tempus, sed in sempiternum, apud omnes celebre erat. Et tunc quidem haec omnia per cunctas nationes de Sion iactabantur, ea qua legem aliam ab illa, quae Mosi olim data fuer-

[fuerunt]

-unt in Sina monte, emanaturam affirmabant. Itaque Christi hominis regnum in Iudaea primum, & in Sion principium habuit, fidelium alioqui ecclesiam adumbrante, quae uerius speculatrix gloriae magni Dei dici potest, quam illa umbrarum plena. Atqui hoc in regno Dei filius constitutus, patris gloriam, non suam, erat praedicaturus: propterea ait, Praedicans praeceptum eius. quod perinde intelligo, ac si dicat: Ego ascitus rex, ac a patre constitutus, non aliud docui, quam quod mihi ille commisit, qui misit, & constituit: non enim iniussus accessi, sed uocatus, sed missus, sed constitutus. Qui, rogo, aliud praedicarem, quam quod iussit ille, qui me constituit, & misit? Ita dominus IESUS cum in carne hac aerumnosa esset, paternae iussionis haud immemor, idem ipsum discipulis iamiam ad laborem praedicationis accinctis mandauit. Ite, inquit, docentes seruare eos quaecunque praecepi uobis. Sed quale tandem id fuit praeceptum? qualis iussio, quo parum altius uim spiritus indagemus? Ea sane quod omnibus per Christum promulgandum erat, sibi patrem dixisse, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hoc certe tanquam firmissimum decretum, nedum quidem ab ipso Dei filio diuulgandum erat, sed in acta quoque referendum: quod sane quidem exactissime postea per quatuor illos diuinos scribas factum fuit. Proinde si res optime expendantur, nihil aliud ad nos ueniens Dei filius in mandatis a patre accepisse uisus est, quam ut cunctis se dei filium per signa uitaeque sanctitatem, & doctrinam esse demonstraret: quod quidem est, eundem ipsum esse aeternam uitam, ac pacem. Nam tam alti mysterii notionem habere, summa est, ac diffinitio aeternae beatitudinis. Haec est, inquit, uita aeterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti IESUM Christum. Vita itaque aeterna, hoc est, mundi salus est, cognoscere Christum esse filium Dei. quid ni? Mortem omnino pro hac confessione, & illam atrocissimam libenter oppeterem, nedum iurarem sic esse. Ecquod igitur aliud praeceptum a patre habuit Christus, quam ut mundo exponeret se Dei filium esse, hoc est, aeternam uitam gratis per ipsum mortalibus apportatam? Quocirca se a patre filium uocati, quod idem aiunt esse, quod genitum, declarans Christus, uitam aeternam se apportasse declarauit: quod idem sane est, quod illud, de quo loquitur uates uel per uatem spiritus, in hoc loco, Filius meus, inquit, es tu, ego hodie genui te: **[{2.7}]** hoc est, te in hac etiam aetate, ac uitae statu admodum infelici nasci, & apparere uolui: uel, ut sentit Augustinus, significare hodie, te sempiterna generatione, ac ineffabili modo, genui filium per omnia mihi persimilem, eiusdem substantiae, eiusdem potentiae, naturae, uirtutis, deitatisque. haec enim in terris docuit Christus, haec pater ipse, qui usque modo operatur, una cum suo spiritu miris modis, ac obscurissimis rationibus suis instillare non cessat. O beatum illum, cui tam sublimis arrha spiritus in carne hac mortali contingit

{2.8} Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.

Hic pater filium, quo petat, monere introducitur, ne non sciamus quam ardentem humani generis sitiret redemptionem. Muta enim iam olim in antiqua illa aetate erant omnia, ac surda: nec qui suum aduerteret languorem inueniebatur: in tantum sane unusquisque in malorum stupore obduruerat, atque amisso sensu non erat qui uulnera sentiret. Morbo enim ignorato quis opem postulat? Admonendus igitur is erat, qui & nostras culpas agnosceret, atque ipsis iam mortiferis ex diutino usu & consuetudine factis proprio sanguine, & nece mederetur. Postula inquit pater ad filium. Tunc enim filius uisus est postulare, cum carnem assumens factus est homo: etenim ipse secundum

quod homo interpellat pro nobis, mediator factus, hostia ac sacerdos. Postulauit, quando paternae iussionis dicto parens. tot diras passus est contumelias, sputa, clauos, ac mortem tandem, haud ipsi, sed nobis debitam. Hoc certe modo aeterna cum Christo IESU postulanda est haereditas: neque unquam aliter a uiris illis, quibus nihil in uita antiquius est, quam ut duriter uiuant, beatamque haereditatem uitae incommodis, non deliciis, ac nimia carnis cura adeant, actum fuit. Quid sibi igitur hic uult pater? hoc sane, Postula o fili: si enim poposceris (hoc est, si carnem assumpseris, mortemue obieris) ueluti haereditario iure tuos, tibi omnes orbis subdam nationes. Haereditabis enim orientem-
[orientem]

{pdf 026, p. 5}

-tem, partesque occiduas: meridianas item plagas, ac ipsum gelidum Aquilonem, atque ultima terrae possidebis. At nunc, ut ait Apostolus, necdum uidemus omnia Dei filio parere. Quid ergo? non omnes obediunt euangelio. Obedient profecto, ac uelit nolit uniuersus ei subiicietur orbis tum, cum dominus ad iudicandum uenerit cum senatoribus terrae.

{2.9} Reges eos in uirga ferrea, et tanquam uas figuli confringes eos.

Hebr. sic: Conteres eos in uirga ferra quae quidem litera magis intentionem spiritus uidetur exprimere, quam si legas, reges. Cui & adstipulatur paraphrastes. ut sit sensus: Asper eris, ac durus aduersariis: qui si rebellare uoluerint, sceptratae iustitiae inflexibili, ac seueritatis, perinde illos conteres, atque solet a figulo uas coctum conteri. Eiusmodi ferme similitudine usum esse Hieremiam legimus, qui confracta laguncula coram senioribus, dixisse fertur uice domini: Populum istum & urbem istam confringam, sicut hoc uas confringitur, quod reparari non potest. Sic Christi hostes, sic rebelles fidei, sic crucis osores, solent comminui, ut in aeternum restitui nequeant. Nulla enim res adeo a pristina remota est integritate, si uas ui perfringas uitreum, aut uasculum aliquod e terra coctum, baculo conteras ferreo. Quod quidem alio in psalmo uas perditum appellat uates. Factus sum, inquit, sicut uas perditum. Etenim quae similitudo aptior unquam a propheta excogitari potuit, quam quum impio, infideli, superbo, ac ambizioso, in die irae usque eo conterendo, ut ne uestigium quidem eius ullum amplius a quoquam cerni possit, uas figuli comparare uoluit, quod potenti uirga aliqua e ferro confringatur? Quis unquam uasculi eiusmodi minutias una coire posse iterum somniabit? quis tam pertrita restituet fragmenta? quis, quaeso, illos ad pristinos reponet honores? ad amatas sedes? ad tam ardenti ambitione quaesitos gradus? ad fastum? ad tyrannidem? Atqui ut maxime uas comminutum integrari queat, semel tamen aeternis poenis addicti, hoc longius a reparatione absunt, quo diutius dant poenas, & has quidem interminabiles. Siquidem apud inferos nulla potest esse, aut pietas, aut redemptio. Si ceciderit, ait, lignum aut ad Austrum, aut ad Aquilonem, ibi erit. Porro sciendum, iram, furorem, uindictam, uirgam ferream, & multa aliud genus, hebraismum frequentem esse in scripturis, uix enim aliter res diuinae ab humana lingua exprimi possunt.

{2.10} Et nunc reges intellegite, erudimini qui iudicatis terram.

Consideranda semper est in humanis rebus, siue dulces, siue amarae sint, tum ei bonitas, tum iustitia. Supra enim nos spiritus peramanter admonuit, ne improborum perfidiae faciles praebeamus aures, atque illorum malitiam probemus, cum inquit, Dirumpamus uincula eorum. Modo eosdem nos hortatur, ut intelligamus, erudiamurque, id est, ut aequi simus iudicii, ac consilii: necno n in his quae a nobis agenda sunt, doctrina uerbi Dei praeuia instruamur Quae maior iam potest esse cum iustitiae, qua nos ex peccatoribus iustos efficit, non imputans peccata, tum bonitatis demonstratio, per quam aeternorum bonorum ad haereditatem gratis inuitamur, & quodammodo uel inuiti trahimur? Ait ergo, Et nunc: quasi dicat, Simulatque o reges addiscere potuistis, quam dirae maneant Christi hostes calamitates, iam uel sero sapite. Me enim constituto rege, ne moerore contabescatis, ne conqueramini, non parum uobis praestare arbitremini, quod illi pareatis a quo uerus est intellectus ac eruditio. Caeterae quippe eruditiones ab hoc solo uim habent, & praesidium: imo uanae sunt, ac prophanae, absque huius uel ope uel gratia. Pulchre & illud glossae: Iam contrito luto, iam innouati estis, iam fortes estis regere vos.

{2.11} Seruite Domino in timore et exultate ei in tremore.

Sic sic inquam estote reges, ac praesides, ut uos tamen esse homines agnoscatis. Tunc enim princeps, rex, aut praeses (cum praesidem dico, aut principem, eum dico qui non tantum rempublicam aliquam ciuium gubernat, quantum qui animas) Domino seruit, dictoque paret in timore, cum adeo diligenter, atque ea autoritate suos cu-
[curat]

{pdf 027, p. 5v}

-rat, ut se tamen in coelis oculatissimum habere iudicem cogitet. Nanque ex tali animaduersione quidam oriri solet in iudicandis aliis timor, quo quodam ueluti freno retractus iudex, aegritudines illas omnes animi, quibus corrumpi solent iudicia, expuit a pectore, atque ab sese abigit. Quotus enim quisque est, uel ex religiosioribus quidem uiris, qui in promulgandis sententiis & iudiciis, aut in exequendis promulgatis, seu etiam in inferendis poenis, metum hunc moderatum prae oculis habeat? Putant enim esu, dignitates, atque officia ipsa, non ministeria in dignitatibus & officiis a Deo expeti, & probari. Ex quo sane errore uix ferendo, nascitur plerumque uanitas quaedam animi ac laetitia, pro adepto magistratu, eousque gestiens, ut nullum alium fructum in illo suo, ut uocant, gradu capere uelle uideantur, quam quod a subiectis sub hasta quodammodo transeatur, cum obuuii fiunt. Ridicula plane res est, atque ab animis ingenuis prorsus exhibilanda. Non tibi, ait graecum illud epigramma, o aselle, sed quia deam uehis. Quare huiusmodi parum urbani homines a spiritu admonentur, ut Domino in timore seruiant: quod si tamen exultandum sit, cum tremore exultent. Verum ne timoris, seruitutisque nomine audito suspicaretur aliquis, seruitutem eiuscemodi coactam expeti ac requiri, mox addit, Exultate ei: seu, ut alii legunt, de eo, benignissimo uidelicet patre, non de uestra dignitate & honore. Iterum uero, ne laetitia atque exultatio in gesticulatione & temeritatem iret, ex qua leuitas animi procedit, in tremore, inquit. Solet enim inconsideratum gaudium neglectum parere. Itaque sensus erit, uos reges, o uos iudices, o uos qui respublicas, qui ciues, qui aliorum animas regitis, ac iudicatis, uos Deo

subditos esse perpendite, illum cum timore colite: de tanto rege, non de uestro magistratu ac gradu gaudete, contremiscentes tamen semper ne in iudiciis uestris, ne in poenis exposcendis, ne in imperiis, in moribus, in uita, in doctrina illum offendatis. Atqui hic tandem uides metum cum exultatione permistum: ex qua re nobilissima quaedam pars fidei, uel ea in primis praecipua exoritur, cum quis de se, suisque bonis ac uirtute pauidus, timet Dei minas, flagraque illa quae a Dei lege aberrantibus infligi solent, ueretur: sed rursus de salute, ob promissiones humano generi factas ab illo, qui solus in attendendis promissionibus uerax est ac stabilis, securus perstat, & in Domino etiam atque etiam gloriatur ac gaudet.

{2.12} Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta.

Primum enim, ne in multis morer, uolunt Hebraei particulam hanc tribus modis posse legi: aut ut nos legimus, aut, adorate pure: aut, osculamini filium. Sed magis proprie duabus ultimis quam prima utimur, cuius tamen is sensus esto: Apprehendite disciplinam, hoc est, spiritus increpationes illas quae per uerbum sanctum Dei fiunt, ne detrectetis, quin potius ueluti munimentum quoddam aduersus ea omnia, quae uobis in agendis rebus obesse possunt, suscipite. Erudimini, inquam, haud in superficie quidem, sed summo studio, ardentique cura, atque animo contendite, quemadmodum illius monitis & correctionibus uosmet alioqui rebelles, subiugatis: perindeque tenaciter huiusmodi apprehendite disciplinam, ac tenete, atque hi solent qui pugno tenent aliquid, ne effluat. Illud uero, adorate pure, sic intelligi posse arbitror, quod ipse Deus optimus maximus, solus uere adorandus, ab homine coli debeat pure & syncere, hoc est, nullo nostro in eius obsequio, permisto proprio aut amore, aut commodo. Nullum enim fucum, nullam hypocrisim, nullam crustam admittit purissima illa simplicitas. Proinde maximopere nobis pertimescendum erit, ne nos qui aliquid uideri uulgo uolumus, dum absque huiusmodi disciplinae atque eruditionis freno, seruire posse Deo aut credimus, aut credere fingimus, duos, quod aiunt, parietes de una fidelia dealbare uelimus. Iam tertiae lectionis is erit sensus: Filium Dei, a quo nostra omnis est salus, libenter audite, suscipite, amplexamini, eius expetite amicitiam, non persequamini, non in eum fremite, non aduersus eum conuenite, ne si quando irascatur, pereatis de uia iusta, hoc est, ne excaecati, deinceps, quo eundum sit uobis, non uideatis, & sic in peccato uestro moriamini. Quod quidem obuenerit,

{2.13} Cum exarserit in breui ira eius.

{pdf 028, p. 6}

Id est, cum subito, cum non speratur, repentina superuenerit de improviso calamitas. Illud enim, ne pereatis de uia iusta, praetendere istuc uidetur, ne scilicet de mundo exterminandi, in aeterna supplicia protrudamini. Via quippe iusti, seu uia iusta, recta uiuendi ratio appellari potest. Siquidem uita haec nostra ea est, per quam duo nobis monstrantur itinera: unum, quo ad futuram illam aliam immortalem uitam: alterum, quo ad miserrimam alteram illam inferorum properamus mortem, quae sane breui, atque insperata futura est hora: nam non uideo quid iam longum in hac breuissima uita dici queat, quam ex Graecis unus umbrae somnium appellandam esse censuit. Hebraei

habent, modicum, cuius dictionis is erit sensus: Ne modicam quidem eius iram feretis, quid magnam? Vasa quidem estis fictilia uix usui apta, & iam exterminio obnoxia. Tunc uero, sero licet, sentietis quam illi quidem felices fuerint ac beati, qui totam spem suam, fiduciamque in Deo, non in huius mundi fauore ac gratia collocauerint. Sed quid opus uerbis? quid multis moneo, ut huic regi ex animo seruiatis? quando is est, ut plane beati sint, quicumque ipsum regem adorant, & in eo confidunt. Sat sit igitur hoc unum monuisse, & iterum atque iterum inculcasse, Beati omnes qui confidunt in eo. [2.13]

PSALMUS Daudid, cum fugeret a facie Absalon III.

{3.2} Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me?

Psalmus iste reuelatus fuit Daudid, cum a facie filii sui Absalon, ut in Regnorum libro secundo legitur, sese fuga subtraheret. Tunc enim in spiritu illi, uti umbrae, ac praeludio, domini IESU mors, persecutio, & demum e tumultu resurrectio ostensa fuit. Ex qua quidem uisione & spectaculo, hanc mirabilem composuit odam, quae [sic, quae] tum ipsi, qui multa a proprio filio, a Iudaeis, a suo populo est passus: tum uel maxime, uerissimeque Dei filio, qui eadem & atrociora, in terris a suis pertulit, conuenientissime aptatur. Propterea cum Christus ipse, aut loqui, aut, quod hominis proprium est, pati aliquid in psalmis introducitur, hi omnes loquuntur, patiunturque, quotquot ad eius uenerandum corpus attinent, quorum ipse caput est: nec secus quidem fit, siue sit Daudid qui loquitur, aut patitur, siue anima alia, siue tota ecclesia. Christus enim tum est, ut umbrae ratio, ac ueritas conueniat, qui & loquitur, & patitur, cum ait, Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? Quam multi sunt, clamat Christus, qui me affligunt. Quo tamen meo merito? Quo, malum, quorundam progressa est feritas, ut uel de meis propriis alumnis unum secum trahant contra me? Siccine filios enutriui? Siccine uiros tam diros, tam omnis humanitatis expertes alui, qui aduersum me tandem insurgerent? Quis hic non fleat periculum animae, quae se hostium cuneis, atque his fortissimis, circunseptam uidens, clamare cogitur, Heu quam multi sunt hostes qui me insectantur? Videt sane misera hominis conditio, tauros hinc pingues, illinc canes multos circum se stare: a dextris, a sinistris, ab omni undequaque latere salutem suam a mundo, a carne, a sensibus, a peruersis hominibus impeti, & non uociferabitur, Quam magnus illorum numerus est, qui ex composito, factoque impetu in me, hoc est, in rem tam debilem atque infirmam insurgunt? Aiunt enim a spiritu sancto edocti, tentationes a daemone diuersis artibus exerceri. Aut enim a fronte eum ferire asserunt, cum spem felicitis exitus in rebus maxime nefariis pollicetur, & suggerit: aut a tergo. quando ob memoriam male anteactae uitae oblectat, seu nimium terret incautos. A dextris etiam ab arte sua non cessat perfidus, nobis adblandiens, ac uim atque opem ad assequendas uirtutes, quo nos ad cenodoxiam impellat, addens. A sinistris tandem nos impetit, cum abiecta simulatione, nobis & caesim & punctim cominus aperto iam Marte uim infert manifestam.

{3.3} Multi dicunt animae meae, non est salus illi [ipsi] in Deo eius.

Grauiissima omnium haec est tentatio, cum animae alioqui nimium per se pauidae, obiicitur ab hoste, non est salus tibi a Deo tuo. Te, inquit, contemptui habet, non te audit. Quod quidem accidit, cum Deus animas pene uidetur non so-

[solum]

{pdf 029, p. 6v}

-lum deseruisse, sed & illis aduersari tum, cum nimium diu, ut sibi uidetur, sub aduersitatum pondere laborare apparent. Heu quam dura tunc est uita, quam intolerabilis, quam odiosa. Nulla certe omnium inuenitur aduersitas cum hac comparanda, ne mors quidem ipsa. Verum tu hostium derisionem aduerte, cumque Deo tuo atrocissimum illud in cruce improperium audi: Confidit in Deo, liberet eum nunc si uult. Vah ille Deus, quem hic tanti facit, & in quem sperare iactitat, non fert opem, quare non est salus illi in Deo eius. Nemo certe homo est, qui in diuturnis tentationibus aliquando non fathisceret, planeque desperaret. nisi mox fides praesto esset, quae queribundae illi admirationi, qua anima sese a nimium multis circumuentam conqueritur, responderet:

{3.4} Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.

Hic ab Hebraeis selah interponitur, nota nimirum exaltandae uocis, seu animi ad ea quae dicenda sunt, intendendi. Atque est, quasi id dicat afflictus: Impetat orbis uniuersus, urgeat, laedat, uulneret, ac in me cuncta sua, siue supera, siue infera sint, agmina moueat, quid timebo? Quid me illis obiicere trepidabo, cum tu Domine susceptor meus sis, meque tuteris, ac ab illorum telis uendices? Falluntur sane hostes, cum de me dicunt, non est salus illi in Deo eius: quandoquidem tu, o Domine, me sub tuae protectionis alas non aliter & suscipis, & congregas, quam solet auis aliqua suae prolis studiosa, atque amantissima. Vides ne o lector quid agat fides? Tu igitur, clamat in nobis fides, susceptor meus es, gloria mea: hoc est, tu solus es gloria illa mea, qua gloriari & possum, & debeo. Alii enim genus, diuitias, patriam, honores, addo & iustitiam propriam, propria opera, proprias religiones, ut lubet, iactitent: ego autem, uel inuito mundi fastu, usque ad raucedinem uociferabor, quod tu solus es, in quo meam spem omnem ac gloriam collocaui. Neque uero mihi opus erit caput, mentis, atque adeo animi indicium, prae confusione ac dolore humi figere, ut hi solent qui capite damnati ad supplicium ducuntur, cum tu caput ipsum meum erigis, ac me tandem gloriosum reddis: hoc est, tua me gratia iustum facis, & saluas, quae sane est unica mortalium omnium gloria & exaltatio: ex quo quidem non amplius pudibunda fronte, aut demissa, sed hilari atque aperta incedam. Porro hic caput, minime erit absurdum, mentem, seu humanum intellectum appellare mauis, in Christo intelligi, erectum quidem ad expressam patris uisionem, & contemplationem, quam sane ab illis suis primis incunabulis excellentius assecutus est, quam intellectuales omnes aliae creaturae: & quam subinde alia capitis exaltatio est subsecuta, simulac coepit a patre mundo ostendi. Quando enim in CHRISTO diuinitas ipsa in terris coepta est manifestari, tum & illius caput, id est, Deus ipse in illo homine cognosci potuit: nam caput Christi Deus, ut ait Paulus. Hanc enim gloriam, capitisue exaltationem, alio loco exoptauit filius ipse, cum patrem hoc modo allocutus est: Pater, inquit, clarifica me apud te ipsum, hoc est, fac me cognosci filium tuum: quod idem est, quod exalta caput meum. Verum uos persecutores mei, quo uultu iactare audetis, haud esse in Deo meo mihi salutem? quomodo, quaeso, istuc? longe enim aliter se res habet, quam vos optastis: nam

{3.5} Voce mea ad dominum clamavi, & exaudivit me de monte sancto suo.

Hic filius Dei se semper a patre exauditum cum orauit, gloriatur. Et exauditus est, ait Paulus pro sua reuerentia. O fiduciam nostram. Pater, inquit, ago tibi gratias, quoniam exaudisti me: ego autem sciebam, quoniam semper me audis. Quis, oro, adeo sibi diffidens est ac de se, suaque uirtute atque ope desperans, quin spem sumat atque animum, cum hoc tam certum de Dei bonitate erga se recolit testimoni? Cum clamore, ait Paulus, ualido, & lachrymis orauit patrem. Quae rogo, bonitas, quae benignitas cum illa comparanda, qua nos Deus se in filio semper audire testetur? Hae quidem sunt lachrymae, hi gemitus, hic clamor, haud noster, nostrarumue precum aut modus, aut numerus, quibus intercedentibus a Deo audimur. Vult sane pater, atque a nobis & lachrymas & suspiria exigit, sed eo pacto ac lege, ut ipsarum lachrymarum uim atque efficaciam, sui filii lachrymis & precibus acceptum refera-
[referamus]

{pdf 030, p. 7}

-mus. Cadit, crede mihi, nostra omnis praesumptio, hisce fidei ac ueritatis consideratis rationibus. Sed ad institutum redeamus. Exaudiuit me, inquit, de monte sancto suo. In omni, ait, loco semper exaudit me Dominus: sed potissimum in monte sancto suo, hoc est, de excelso suae gloriae throno, ac solio. Hebraei habent, De monte sanctitatis suae, qui Sion est, typus nimirum ecclesiae. Promiserat enim Deus sese in medio populi sui habitaturum, ac se ad arcae propitiatorium orantes exauditurum, unde diuina solita erant hauriri responsa atque oracula. Ecquis hic non uidet ueritatis imaginem ab illis umbrosis rebus, & imaginibus caducis, solidam emanasse? Arca enim ecclesiam adumbrabat, propitiatorium Christi carnem, qua nobis propitiatio factus est, salus & uita. Mons uero sanctus, e quo nos iri exauditum testatur Deus, ipsa diuinitas: quae Christo homini, atque adeo ecclesiae suae sanctae uim dedit, illi ut ex duabus naturis in unitate personae, unum esset cum patre, hoc est, unus Deus: isti uero, ut ex participatione gratis concessa, una esset & ipsa cum Deo, uoluntate & amore. Exauditur itaque anima, facileque impetat quicquid rogat, si e monte sancto Dei, hoc est, si e diuinae in Christo naturae fide ac persuasionem haudquaquam uacillante spem firmam rogata obtinendi, sumit, non aliunde. Etsi quidem leuandi sunt oculi nostri in montes, ut admonet Daud, auxilium tamen nostrum a Domino sperandum erit, de monte scilicet sancto eius. Quis, inquit, requiescet in monte sancto tuo? Quis adeo montis sancti huius amans erit, ut in illo requiescat, uiuatque non secus quam solet amans esse in amato magis quam in se? Habitat igitur in monte sancto Dei, id est, in Christo eius filio, atque propterea in eius ecclesia, is qui nullo alio e loco, nullaue alia e re, & ope, suum exoptat auxilium, praeterquam ab ipso Dei filio, qui mons Domini praeparatus in uertice montium, ab Esaia dicitur. Caeterum uocis nomine, & clamoris, cum saepe alias, tum potissimum hoc in psalmo, uult uates ardentem in Christo fuisse affectum intelligi, cum oraret: qui uel tum maxime quidem per illud Euangelii considerari potest, ubi ipsum Dei filium in agonia factum, sanguineas guttas exudasse narrat. Ab hoc enim archetypo, neque aliunde, quemadmodum caeterarum uirtutum, ita & orandi nobis exemplum petendum erit.

{3.6} Ego dormivi et soporatus sum, exurrexi, quia Dominus suscipiet me.

Hic nulli dubium esse debet, Christi mortem significari: qui quidem sicut uerus erat homo, ita uere mortuus est, & propria se uirtute e tumultu excitauit. Dormiui, inquit, mortis somno in cruce, & in sepulchri gremio soporatus sum. Nam quemadmodum Christi mors, ita & iustorum, sopor uerius, propter futuram resurrectionem, dici potest, quam mors. Sed quid anima illa, quae se iam sentit exauditam a Deo? Ego, inquit, simulatque intellexi me, meosque gemitus ac suspiria Deum respexisse, leniter soporata dormiui: depulsoque timore, atque diffidentia omni amota, lectulo me meo curis uacua commisi. Vide securitatem hominis Deo fidentis. Alioqui cor curis exaestuans, ac conscientiae stimulis exagitatam, corpus omne consumit, atque ab oculis somnum aufert. Et ego aliquando miser & infelix, cum Elia prae taedio ac lassitudine uiae huius uitae, quam semper maximo meo damno inquinavi, sub una iuniperorum sedens, dormiui in peccatis. Sed neque hoc satis: nam in peccandi delectatione soporatus prorsus a uera uita exanguis iacui. Verum stimulo iam tandem infixio, quo mihi coelitus est dictum, Usque quo piger dormis? exurrexi: non quia uolui, aut multum conatus sum, sed quia Dominus suscepit me: aut, ut legunt Hebraei, quia Dominus sustentauit me, scilicet ne posthac cadam, & moriar omnino. Quamobrem

{3.7} Non timebo milia populi circumdantis me.

Ut lubet multiplicentur qui me affligunt, in me conspirent, insurgantque, ac de me dicant, Non est salus illi in Deo eius: non deinceps uerebor, quo me iterum in letalem aliquem somnum protrudant. Vide quaeso, uiri pectus stabile, in malisque obduratum, atque in Deo firmatum, quod nihil, ne myriades quidem quamuis numerosas hostium pertimescit. Omnia enim aequalia putat esse in hoc mundo, vani-
[vanitati]

{pdf 031, p. 7v}

-tati nimirum obnoxia, citoque praetereuntia. Deum enim, quem unice diligit, timet: atque homines, per Deum. Idcirco non est quod tam pauide quis uiuat, cum tyrannus plagas, exilia, bonorum honorumue depopulationes, carceres, damna, triremes, boias, eculeos, locorumque mutationes, & mortem tandem intentat, cum his atque huiusmodi corporeis admotis tormentis, amplius quid faciat, ut ait Dominus, non habeat. In animas enim ius exercere non possunt tyranni, atque plagiarii isti: qui tamen cum numerosi admodum sint, passimque uel in ipsa parua decurionatus manu, nedum in regnis appareant, nemo est tam infracto animo, qui aliquando illorum ferociam non timeat. Quapropter

{3.7} Exurge Domine, saluum me fac Deus meus.

Iacere dicitur Deus humano more, quando ex occultissimo suo, iustissimo tamen iudicio, bonis sinit malos praestare, atque eos premere: exurgere uero, quando ex liberatione suis praestita, diuinam suam potentiam, quae antea iacere uidebatur, & suscitatur, & manifestatur: tunc enim apparet quod non dormit, neque dormitat qui custodit Israel. O Domine, inquit, in cuius resurrectione omnium sita est salus, exurge iam

demum, tuam demonstra potentiam ac uirtutem, & me libera. Caeterum, quod ait Augustinus, mos est scripturae, ut saepe Deo, quod ipse in nobis facit & operatur, ut hic: tunc enim, ait, nobis Deus surgit, cum nos ei surgimus. Ergo, dicet aliquis, nos prius surgimus, quam nos Deus (hoc certe uelle uidetur Augustinus) excitet, ac nobis surgat. Sed alia disputatio est. Fac igitur o Domine IESU nos a luto, ab humo, a peccandi consuetudine, a sopore ac nocte profundissima aeternae mortis surgere, atque in te transire. Quod enim aliud transfugium esse potest, quod idem turpe non sit, praeter id quo transfugimus, ut ait ille, a dominis agrestibus, a nocte scilicet, a mundo, a peccato, a morte, ad lucem, ad Deum, ad innocentiam, ad uitam? Propterea enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut nos peccatis mortui, iustitiae uiuamus, non ut perpetuo somno in peccatis obdormiscamus.

{3.8} Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti.

Transacta beneficia memorat, quo coelestem patrem ad uentura prouocet. Dicit non potest, quam ipse aeternus benefactor ad dona sua in memorem animam transfundenda propensus sit. Diuus Hieronymus ex hebraeo sic legit: Quoniam tu percussisti omnium inimicorum meorum maxillam. Quibus quidem uerbis uolunt Iudaeos in Christum uerbis maxime ac maledictis peccasse, designari. Haud solum autem eum impudentissime negarunt, sed blasphemias insuper, dicteria, ac contumeliosissimas irrisiones addiderunt. Vah, inquit, qui destruis templum Dei, & illudebant ei Dignum quippe est, ut in ea ipsa corporis parte, qua quis peccauit, ipse mulctae, talionis lege, subiaceat. Sensus igitur erit: Non timebo populum quamuis numerosum me circumstantem: quoniam dentes, maxillasque illorum, hoc est, eorum blasphemias ac maledicta, quibus ueritatis cultoribus obtrectant, fortiter comminuere es solitus. Sine causa, addit: id est, ipsa sola malitia illos ad hoc impellente, non quod illud meritis sim. Multum admodum ad retundendas haereticorum blasphemias, obtrectatorumue maledicentiam, facit doctrina humana: sed ferme nihil est ad uim illam, quae a Deo coelitus infertur, & quam quidem saepe in Conciliis ecclesiae uniuersalibus experti sunt Graecorum haeretici, uicti magis a sancta quorundam simplicitate, quam ab argutissimis doctorum disputationibus. Disputandum sane est (fateor) cum haeticis, doctrina quidem, sed multo tutius sanctitate uitae. Non conturbor, ait Velleius apud Ciceronem flumine inanum uerborum, nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas. [Cicero, *De nat. deo.* 2.1] Siccitas uero ista, ac ieiunitas in Christianorum concionibus & disputationibus, est ipsa spiritus absentia. Ecquis est qui spiritus sancti succo uegetus, rhetorem quamuis eloquentem, sed absque huius ui & uirtute uerba effutientem, uereatur? Confidite, ait Dominus IESUS ego uici mundum. Eadem ratione & electi, per ipsum, non per se, aut per suam literarum copiam, uincere posse confidunt. Sermo meus, dicebat

{pdf 032, p. 8}

Paulus, in ostensione spiritus & uirtutis est, ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in uirtute Dei. Vides, uides, inquam, celebrandorum conciliorum robur, & fundamentum? Vides qui inter alios, publico edicto, ad sancta illa comitia, uel ab extremis mundi regionibus euocandi sunt?

{3.9} Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua. {3.9}

Repressis itaque maxillis, retusisque sannis, in Deum, Deique amicos conspirantium, iam demum exoptata apparet salus, quae quidem ab ipso Deo solummodo sperari debet. Idcirco duo hic propheta dicit. Vnum, quod Deo ipsi tantummodo nostra referenda sit salus, & liberatio: huius enim, suos, etiam ubi omnia conclamata uidentur, ac plane perdita, de improviso liberare mos est. Alterum uero, quod salus eiusmodi ad Dei populum solummodo pertineat. At qualem asserimus Dei esse populum? Eum sane, quem uirum beatum supra in primo psalmo appellauit spiritus. Eum dico, qui nullo actionum suarum habito respectu, malae ne an bonae sint, sola Dei misericordia scit se liberandum, & qui uel in media ipsa morte, ac sepulchro, in eo confidit. Soli enim ferme semper in tentationibus desperantes pereunt. Porro ut affectum demonstret uates, subito personam mutat, Deumque alloquitur dicens, Et super populum tuum benedictio tua: hoc est, tuos bonis cumulare consuescis o Domine. & est metaplasmsus.

Benedictionem Dei in scripturis frequentissime legimus esse beneficentiam ac liberalitatem: nam cum dicere in Deo idem sit quod facere, consentaneum item erit, benedicere, benefacere intelligi. Unde illud: Benedicens benedicam tibi, & multiplicabo te. Hinc & illae tam crebrae coelitus patribus factae in lege antiqua benedictiones, Abraae scilicet, Isaac, Iacob, Ioseph item, atque aliae alias passim per scripturas. Hinc rursus translatum putant quidam ad homines, ut superioris benedictio pro bona imprecatione, felicique omine accipiatur: non sane excogitata ad demonstrandam quorundam animi leuitatem & tumorem, qui sibi adeo fere semper adblandiuntur, ac placent, cum cernunt subditos incuruari, & presso poplite petere benedictionem, ut cum suam illam, protensis digitis, crucem dissecare ceperint, mimos eos dicas, aut personatas simias: adeo & genu, & brachio, & collo, & limis (ut sic dicam) oculis, benedictionem porrigunt. Eane animi uanitate proferenda est salutis nota? Vestrae ne sunt huiusmodi benedictiones, o mortales, an illius potius, quem mansuetissime nunc orat uates dicens, O Domine benedictio tua super populum tuum maneat uel, quod clarius atque elegantius a paraphraste accepimus: A te solo expectanda est salus uera, qui in populum te cognoscentem mirifice semper fuisti liberalis.

PSALMUS David, ad victoriam in Canticis. IIII.

{4.2} Cum invocarem, exaudivit me Deus iustitiae meae, in tribulatione dilatasti mihi.

Prophetae in spiritu de gentium ab idolis conuersione ad ueram pietatem, cultumque solidum, psalmus iste innotuit: & est laetum canticum, ac, ut graeci appellant, προσκελόβσης (*proskelobsis*: recruitment) hoc est, uehemens adhortatio ad fidendum Deo, in quo solo totius uictoriae nostrae uis ac robur consistit: & qui finis noster est, adumbratus quidem sub titulis illis psalmorum crebris, in finem scilicet. Psalmus hic igitur hortatur omnes, ac tuba ueluti quadam militari uocalissima prouocat ad inuadendas hostium copias, illisue fortiter resistendum: quia certissima promittitur de bello uictoria, & triumphus. Verum illi in organis quondam, nablis, & caeteris instrumentis musicis pro uictoria aut adipiscenda, aut iam adepta, Deum orabant, illique gratias agebant: nos uero in cordis gaudio praesentique animo, ac iustitiae

sacrificio tantummodo. Praeterea illud est cum Augustino considerandum, quo nos admonet, Christum in psalmis continuum esse, semperque loqui ac uersari, siue caput sit quod loquitur, siue membra caetera. Verum in Christi uoce, ut ipse ait, unumquemque suam agnoscere posse, & debere uocem. Nam ipse aliquando dicit, quod sibi soli conuenit, nec tamen se a nostris uerbis dirimit, imo a suis propriis ad nostra redit, & a nostris interdum ad sua proptia [sic, propria] transit. Qui enim cum Augu- [Augustino]

{pdf 033, p. 8v}

-stino in psalmorum enucleatione sic sentit, non multum torquebitur, si in quasdam literae interdum salebras inciderit, quibus minus Deo digna dici a propheta nonnumquam uidebuntur. Itaque tantus uates, utpote nobile CHRISTI membrum per fidem effectus, atque adeo fidelissimus quisque Dei amicus, in hoc psalmo gloriatur de diuino fauore, non de humano, in conspectu maxime carnalium quorundam hominum, qui uiam crucis, asperam scilicet & difficilem, irrident: ipsique quantum possunt, & lingua, & uita aduersantur, ac detrahunt. Ait igitur, Cum inuocarem exaudiuit me Deus iustitiae meae: hoc est, Deus iustificator meus, & is, a quo mea omnis dependet iustitia, quique meae testis est innocentiae, cum anxie eius implorarem auxilium, exaudiuit me. Iactat ne se hic de iustitia sua uir sanctus? Iactat sane, ac proprias nonnumquam celebrat laudes, ubi diuinum honorem, non proprium resultare posse confidit. Hi enim tuto suas praedicant laudes, qui e nostro isto sanctorum uulgo minime sunt: qui quidem sancti seipsos nondum integre abnegarunt, qui sua omnia chara nimium habent, qui nihil aliud quam suum nomen, haud Dei, illustrari cupiunt: quicquid habent, a Deo se habere ignorant, atque ad hoc, ut alii sentiant. Volebamus, inquit Paulus, uobis tradere non solum Euangelium, sed etiam animas nostras. Vide, oro, calorem Pauli in fratres, o tu, qui nihil aliud in donis tibi coelitus datis expiscaris, quam tuum nomen ac commodum. In tribulatione dilatasti mihi. Narrat uir sanctus, sui clamoris effectum, iustitiaeque exitum, & uim, quae eiusmodi est, quia mentis tranquillitas acquiri solet, & ex qua quidem summum cordi innasci gaudium existimamus. Cor enim ut moerore constringi cernimus, ita & gaudio contra dilatari. Quod tamen gaudium nunquam, ne semel quidem, nisi pacata prius conscientia, alicui contingit. Mala nanque conscientia, uidelicet a facinorum fluctibus sceleratorum exagitata, nunquam quiescit, sed cor miserandum in modum concerpit, ac uastat. Cor nostrum dilatatum est in uobis o Corinthii, aiebat Paulus. Atqui rursus hic Pauli consideranda est in Corinthios tum charitas, qua uel ipsa saxea corda emolliri possent, tum gaudium, ex bona eorundem conuersatione. Videtur enim uates hoc in loco totam suae supplicationis summam in hoc locasse, ut corde libero, patenti, ac ut alio in psalmo uocat, mundo & candido, donaretur. Sciebat enim ex cordis libertate, atque innocentia, pacem animi erumpere solitam, qua in terris alia certior nulla esse potest. Sint mihi regna, sint magistratus, sit uel ipsius orbis imperium, ne hilum quidem faciendum duco, si ueluti rapax Tityi uultur, meam excarnificet conscientia stimulus. Gratanter igitur applaudit sibi uates, & ait: In tribulatione, quam afferre solet mundus, homo, peccatum, mors ipsa, me dilatasti: hoc est, mihi de concessa liberatione gaudium praestitisti, atque in angustiis redacto latissimum saepenumero de improviso campum aperuisti. Putas ne cum uiro huiuscemodi laetitia affecto, posse affici tyrannum? adulterum? parricidam? draucum? paticum? furem? rerum sacrarum uiolatorem? decoctorem? malum ciuem? malum

principem? malum sacerdotem? malum monachum? Deuastat (crede mihi) funditusque concerpit cor, quicquid sedem in eo habet, quod terram sapit, atque illud omne quod sensus hos brutos alit, & oblectat. Coelestis enim originis cum sit cor, haud facile adulterinas suapte natura admittit cogitationes. Alioqui naturarum ubi diuersitas, ibi discordiam esse necesse est. Affectus carnis, seu, ut noster habet interpret, prudentia carnis mors est, ut ait Paulus: affectus autem spiritus, uita. Quid magis aduersum in re ulla esse potest quam uita & mors? caro & spiritus? bellum & pax? Caeterum quia fidei semel exaudita est, se iterum, ne ingrata existat, exauditum iri sperare, orat denuo,

{4.2} Miserere mei et exaudi orationem meam.

Pugna enim carnis cum spiritu, cum nunquam in hac uita cesset, idcirco nunquam a liberationis desiderio est cessandum. Ingemiscimus, ait Paulus, expectantes adoptionem filiorum Dei, redemptionem corporis nostri. Hoc enim desiderium si adsit frequens, frequens est oratio, & ea quidem, cui facilis ad diuinum contemplandum aspectum pateat aditus. Illum quidem uirum, ne horulae punctum, ab oratione cessare arbitror, qui in continuo liberationis affectu uiuens, nihil tam

{pdf 034, p. 9}

in uita expetit, & quaerit, quam quomodo sua uota omnia, studia, appetentiaque omnes, atque affectus, Deo probentur.

{4.3} Filii hominum usquequo gravi corde?

Blande, peramanterque mortales omnes propheta admonet, uel in primis cordatiores, quos (secundum Hebraeos) inclytos appellat Hieronymus: & ait, O filii uiri, seu inclyti, quos uidelicet Deus nobili, diuinoque effinxit animo, eia quousque plumbeo, depressoue, ac non quaerente, quae sursum sunt, corde, uitam traducitis anxiam? O filii haud amplius Dei, propter turpitudinem peccati, sed Adae: qui terreni, non coelestis Adae imaginem praestatis: quique illius praeuaricationem imitamini, non CHRISTI obedientiam, usquequo graui atque obstinato corde uiuitis? De simplicioribus enim deque his qui in ignorantiae tenebris uolutantur, nulla fere debet esse admiratio, sia solidae ueritatis scopo aberrant: sed uos, o inclyti, qui donorum coelestium amplitudine praediti estis, qui sapientes, qui prudentes, qui religiosi, Deique serui per emphasim ab omnibus ubique gentium appellamini, usquequo cor in uobis stupidum, graue, terrenarumque rerum ambitione, & cupiditate languidum, planeque emortuum cernitur?

{4.3} Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium. /

Nonne de uobis illud Hieremiae dici verissime potest, quo queritur falsum haereditasse patres, ac uanum absque utilitate? Quid, quaeso, uanum? quid magis mendacio, uanitatique obnoxium, quam sic terrena ambire, & amare, ac si nulla esset post hanc mortalem immortalis uita? regnumque Dei in huius bonis elementisque consisteret, & non potius spirituale foret? Mendax enim ea est arbor, quae loco fructuum, folia duntaxat producit. Mendax uitis, quae expectata ut faciat uuas, facit labruscas. Mendax

arcus, & fallax est, qui a scopo exorbitat. Veram ne igitur, solidamque, ac sibi constante esse dicam in uobis religionem, & non potius falsam, flaccidam, & nutantem omnino, cum uos uidero tam anxio studio mundum, mundiue fastum, & gloriam, contra fas omne, tum quaerere, tum passim, etiam usque ad ambitus culpam, in omni loco, in omni gradu, atque ab omnibus mercari? emere? aucupari? meretricioque quodammodo ritu lenocinari? Verum cum ratio, siue humana mens, uoluntate atque intellectu perficiatur: uoluntatis autem primum atque summum sit bonum, finis adeptio: primum uero & summum sit malum, a fine seiungi: bonum item intellectus cum sit uerum, malum autem, falsum: nemo est nisi prorsus in literis plumbeus sit qui non fateatur illum falsa, uanaque & amare, & sectari, qui omnia illa affectu persequitur, & quaerit, quorum adeptione, ueluti a turre aliqua sublimi, a fine debito, bonoque solido ac minime uacillante, deiicitur. Sperat aliquis, exempli causa, lumen a tenebris, aurum a nube, uitam a morte posse excuti: is errat omnino, quandoquidem a sole expectandum sit lumen, aurum e terra, a Deo uita. Nam quemadmodum principium uitae Deus est, ita & finis. Omnes enim nos qui uitali hac aura fungimur, ab eo ipso sumus, in ipso uiuimus, & mouemur. Eodem sane modo & ratione, uel luci solem, uel auro terram esse, liquere potest. Atqui in animae rebus haud secus esse arbitror: siquidem cum Deus ipse summum sit bonum, summa felicitas, summaque animorum tranquillitas, & pax, atque idem omnium rerum certissimus quemadmodum autor, ita & finis: indubium relinquatur, ut ab omnibus qui ratione utuntur, solus, uti bonum & finis, solisque mediis, adminiculisue illis quaeri debeat, quae & uera & solida sint, atque ad assequendum quod optant idonea. Ego gloriam meam non quaero, aiebat sapientissimus magister. Est qui quaerat, & iudicet. Vide, si potes, summam aeterna consequendi. Aut tu si nullum fructum alium tuarum actionum expetis, quam uulgo honorari, laudari, digitoque, ut ait Satyricus, monstrarier, debito excidisti medio. Quid, obsecro, in rebus diuinis terrena commisces? Finis enim coelestium rerum spiritus est. Regnum item suum Dominus non esse de hoc mundo asserebat: tu tuum hic praescrpsisti, hic uis, hic amas, hic mordicus tenes. Quamobrem a sanctissimo uate admonemur, ne tandiu uana pro solidis, falsa pro ueris, fucata pro apertis dea-
[deamemus]

{pdf 035, p. 9v}

-memus. Nam a finis adeptione is abest longe, quin a falsis mediis ea deligit, quae uere nos manuducunt ad finem ipsum, ac bonum, qui Deus est. Ecquid igitur ullo ab alio externo bono, uos, o filii hominum, tantopere exaltari cupitis?

{4.4} Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum.

Felix sic: Et scitote, quod segregauit dominus sanctum suum. Hic uolunt Christum intelligi, circa quem res miras operatus sit pater. Et interponitur diapsalma. Huic igitur nitendum esse soli, quia solus uere magnus existimandus est, caetera uero tantilla, condita omnia proclamant. Magnus profecto mihi uidetur mundus: sed quid ad Dei filium, qui ait, Ego uici mundum? Maiori postea quadam admiratione afficior, cum angelicarum naturarum excellentiam considero: cum uero eundem ipsum lego in scripturis Dominum dici exercituum, & cui adstant ipsi beati spiritus quotidie acclamantes, Sanctus, sanctus, sanctus, eidemque administrantes: umbras ipsos esse,

prae illo, existimare cogor. Quid porro terrificas daemonum naturas magnificiam, qui, ut sacer refert Euangelista, credunt, & ad tantum nomen contremiscunt? Nonne hic est, cui coelestia, terrena, atque inferna ipsa omnia simul genu flectunt? Quam deflenda quorundam hic esset miserrima conditio, qui non solum mundum quidem ipsum, alioqui mira, ac plane diuina ornatum pulchritudine, uerumetiam ipsam carnis faecem, libidinem scilicet, molliciemque detestandae copulae, hoc est, breuissimam uoluptatum horulam, perenni coelestium suauitatum fonti anteponunt. Scitote, o miseri, quoniam mirificauit Dominus sanctum suum: id est, filium suum, quem, ut ait Paulus, constituit haeredem uniuersorum, & quem Daniel sanctum sanctorum, alius uero dominum dominantium appellat, mirum omnibus, mirabilemque fecit: quod mirificare uno uerbo noster reddidit interpret. Quid, oro, huius magnitudini comparandum? Regnane? magistratus? ampli fundi? amplae ditiones? plena aeraria? intolerabiles uectigalium exactiones? mutuane illa, ut uos uocatis, nunquam tamen restituenda? quid dona, ut modo fit, coacta? Vana dubio sunt haec omnia, si ad illam sancti huius potentiam mirifica conferatis. Iam & illud sane non praetermittendum, cur Felix legat. segregauit. Hi enim qui in excutiendis scripturis, emunctioris sunt naris, nobis tradiderunt, idem esse, atque eundem praetendere sensum, segregare, & sanctificare. Nam quod diuino cultui multis in locis antiquae legis segregabatur, id amplius prophanum non erat, sed sanctum. Unde legimus sabbatum sanctificatum, hoc est, segregatum, totumque Domino consecratum. Primogenita item tam crebro legimus sanctificata, quod est diuino cultui segregata, ac sacris ritibus addicta. Nec porro secus illud Hieremiae intelligi oportet, quo legitur: Priusquam de uulua exires sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedite: hoc est, antequam nascereris, ego te in futurum mihi prophetam segregaueram. Ita etiam Paulum uideo ab utero matris suae segregatum: sic Barnabam, sic alios alias passim in scripturis. Diuus Hieronymus legit. Cognoscite quoniam mirabilem reddidit Dominus misericordem suum. Alii uero, Quoniam manifestauit Dominus sanctum suum. Idem tamen omnium sensus. Pater quidem mirificauit Christum eius filium, et mirabilem effecit, cuique opera facere dedit, ut inquit Ioannes, quae nullus alius fecit. Et quemadmodum pater ipse illum gloria, & honore insignem, a caeterorum uulgo segregauit, ita eum suum esse filium, in uirtute, ut ait Paulus, manifestauit, ac definiuit. Non refert igitur utrum legas, sanctum, an misericordem: est enim, ut dixi, sanctus sanctorum, & uniuersae uiae eius misericordia & ueritas. Quid (ait) in pluribus immoror? Is Dei sanctus tam patri charus est, ut omnes, quotquot ad eum clamauerint, pater illico exaudiat.

{4.4} Dominus, inquit, exaudiet me cum clamauero ad eum.

Ad sanctum scilicet suum, & misericordem, tanquam mirabiliter (ut sic dicam) mirificatum. Atqui hic uides Dei testimonium quomodo suos ui aliqua oppressos, ob idque ad eius auxilium confugientes, statim audiat, atque inter aduersitatum turbines, & tentationum, spectabiles reddat: uerum id beneficio, atque intercessione Christi sancti sui, qui, ut ait Paulus, factus est inter Deum & homines media-
[mediator]

-tor, adeo ut quicumque eius nomen inuocauerit, saluus futurus sit. At uos sapientiores, & quibus sunt curae caeterorum animae,

{4.5} Irascimini & nolite peccare.

Diuersa enim cum sint in republica Christianorum membra, uti in ciuitate sunt magistratus uarii, uariusque cultus uitae: in qua tamen hi qui primarii dicuntur, illorum qui minutioris sunt plebis curam habent, his fauent, atque eos, cum opus est, castigant, subque ciuili disciplina, tum publicis, tum priuatis legibus coercent: hi, inquam, primi, quemadmodum sapientia & doctrina uegetiores sunt, quam caeteri e uulgo: ita eos modestia, ac, qua maxime praestare aliis debent, animi moderatione in reprimendis a culpa subditis, ornatos esse oportet. Quare admonentur, ut, postquam naturis omnium insitum uidetur, ut primos uix fraenare possint irae motus, irascantur quidem in multitudinis noxas, sed ea tamen aequabilitate animi, ne quid nimis, ut est adagium. Nam quicquid lacerato, aut dixeris, aut feceris animo, punientis impetus, non corrigentis charitas dici debet. Quocirca nunquam arguendi aliorum peccata, alicui suscipiendum est negocium, nisi pacato prius animo, atque indicet conscientia, se magis dilectione in puniendo moueri, quam ira, aut furore. Caducum esse omne illud, quod absque charitate fieret, aiebat Ambrosius. Caeterum iram nonnunquam peccatum non esse compertum est, motus maxime naturales si non excesserint limitem. Saepe item motu quodam concitatori ex ingenerata in nobis infirmitate, poenaeque a Deo ob peccatum illata, inferuescit ira: quae raro iudicium expectans rationis, ui omni comprimenda est, ne ex peccato, aut nullo, aut digno uenia, in quod est prolapsa in capitale deuoluatur. Est & ira laudabilis, & expetenda, quam zelum libentius appellauerim quam iram: quo, quadam ueluti sanctissima excandescencia, aut in propria, aut in aliorum peccata mouemur. Sed hisce omnibus irae partibus, est alia quaedam belluina magis, quam humana, longe nocentior: quae plane rationis metas perrumpens, ferina rabie, aut in sumendis ab reo poenis, aut in exaturanda sui cordis erinny, contra hostes incalescit. Ex qua quidem miserrima irae parte nasci solent homicidia illa tam crebra inter homines eos, qui in ciuitatibus sectas, & simultates fouentes, ne uagientibus quidem in cunis parcere solent, cum desaeuendi in hostes offertur occasio. Quam ergo cauendum, ne ira, qua ueluti uirtutis, ac iustitiae instrumento uti debemus, a rationis dominio sese subtrahat, atque illi imperet, cui tanquam ancilla obsequi par est. Quod si etiam rationis terminos iram deserere aliquantulum, ob iniuriam acceptam, in aliquo uideris, (de iis qui sponte sua mali sunt, malignique, ac ad exuscitandam non solum suam propriam, sed & aliorum iram in caeteros, sunt proni, non est modo dicendum: conclamati enim sunt, & plane immedicabiles) admoneatur, ne sol occidat, diesque claudatur, antequam ira resideat, & furor. Irascitur quoque & non peccat is, qui sic anteactae uitae suae cursum, sibi iratus deplorat, ut eisdem illis ipsis praeteritis non deinceps inquinetur peccatis. Ille, inquam, irascitur absque culpa, cuius adeo in subditorum uitia excandescit, ut ea ipsa tamen, quorum causa efferbuerat, non amet, & sectetur. Quis, oro, talem ferat iudicem, qui in alium iratus, quia clam furtum fecit, ipse palam furetur? qui mulcta adulterum uix a paucis deprehensum afficit, ipse uero alterius uxorem publice possidet? Quare a sapientissimo uate additur,

{4.5} Quae dicitis in cordibus uestris, in cubilibus uestris compungimini.

Licet enim sensus hemistichii huius per se obscurus sit, obscurior tamen ex oratione paululum duriuscula redditur: quae quidem, eo iudicio, planior erit, si pro compungimini legeris compungite. cuius hic erit sensus: Mortificate, rationique iram, quam contra alios concepistis, & cuius incendii uobis consci estis in cubilibus, hoc est, in cordis uestri latibulis, ac recessibus subigite, considerantes an illud prorsus, quod lynceis pene oculis in aliis uidetis, propter quod in irrationabilem excandescantiam saepenumero prolabimini, exhorrescatis. Felix sic: Cogitate in corde uestro super cubili uestro, & silete, hoc est, redite ad cor: & in quiete mentis uestrae, liberae scilicet ab omni irrationabili motu, cognoscite quae dicimus, & silete,

{pdf 037, p. 10v}

quiescite, cessateue ab omni irae impetu effreni. Secretum enim cordis cubile, ab aliquo mali appetitu atque irascentia sic tangi permitto (postquam homines estis) ut sileatis tamen, quiescatisque, hoc est, ut prorsus cessantes, desideria illa uestra tam longe ab aequitate remota haudquaquam sequamini. Paulo secus Diuus Hieronymus legit ex hebraeo: Loquimini, ait, in cordibus uestris super cubilia uestra, & tacete. Et est perinde, ac si dicat: Confitemini Deo, ipsumque in cordibus uestris laudate, ac super cubilia uestra, id est, in secretioribus adytis animae, tacete, conquiescite, abstineteque ab insaniis istis uestris longe a ratione semotis. Quin potius

{4.6} Sacrificate sacrificium iustitiae, & sperate in Domino.

Hic iustitiae sacrificium uult uates intelligi omnem uirtutis cultum, quem qui amat & sectatur, etiam si nunquam ad perfectiorem uirtutis eiusdem terminum deueniat, ipse tamen ad uirtutem conatus, Deum mirabiliter promeretur. Quid uestri mihi boues, inquit, o insensati? Quid uictimae? quid ipsi cultus exteri absque animi pietate? Sacrificate mihi potius iustitiae sacrificium: hoc est, errores omnes animi, uitiaque, ac libidinum turpitudinem, uti letales dipsades auersati, cursum eum, qui ad assequenda coelestia in futurum, in praesentiarum uero candorem animi, praemonstrat iter, arripite: Deum in omnibus concelebrate, illi soli iusticiam uestram adscribite, uobis uero aliud nihil, praeter peccatum. Omnia inquam, uestra, ut illi solummodo sit gloria, diiudicate, reprehendite, mala esse praedicate. Alioqui crusta est ac fucus, ista uestra iustitia & cultus, propter quem in Deo uos sperare dicitis. Neminem enim unquam dixerim uere in domino sperare, nisi illum qui Deo ipsi iusticiam illam, de qua loquimur, tanquam suauissimi odoris uictimam, ad aras, ut sic loquar, humilitatis, modestiaeque iugulauerit: quod quidem est, quicquid rationalis sacrificii, sanctorum scilicet desideriorum, actionumque illarum quae potissimum a cordis puritate ac candore proficiscuntur, a nobis prodierit, id totum Deo acceptum referre. Verum diuus Augustinus censet iustitiae sacrificio esse cor contritum & humiliatum, quod se puniendo mactet Deo: quod sane fieri puto, per bona post poenitentiam opera, quibus de ueteri uita ad nouam transit. Sed cur Propheta statim post sacrificium iustitiae subintulit, Et sperate in Domino? Quia licet uir sanctus non solum suas actiones, suaque ad uirtutem studia ac uota ipsa cordis Deo continuo litet, sed & seipsum totum, quicquid est, & corpore, & animo tanquam holocaustum illud antiquum, ad honorem Dei accendat, exploratissimum tamen habet, hic uirtutum praemia condigna tribui nulla:

nam quae a Deo sperantur bona, coelestia sunt, & quae sensu corporeo percipi nequeunt. Siquidem quae non uidemus, speramus, atque ea per tolerantiam praestolamur. Rursus quia de ratione actus humani est, ut ad finem sibi naturalem concinnetur: finis uero perfectissimus, & is naturalis, hominis, aeterna est felicitas, quae a solo Deo sperari oportet: idcirco a propheta subinfertur, Et sperate in Domino, hoc est, quemadmodum sacrificiorum iusta, Deo ipso solummodo conuenire fatentur ubique omnes: ita cum eorum, tum caeterarum optimarum actionum ac rituum praemia, ab illo expectari fas erit. Verum quoniam uix, ut diuus ait Augustinus inuenitur, qui bona illa quae ad animum pertinent, & amet, & inquirat, aiunt quidam quasi desperantes,

{4.6} Quis ostendet nobis bona?

Quis in hac errorum ualle, labyrinthoue inextricabili terrenarum cupiditatum, ac laborum pene intollerabilium, solitudinumque pelago, aeterna haec bona, quae nobis a Deo speranda sunt, & ad quae nos suspirare hortaris, demonstrare poterit? Quis, oro, in tam profunda tenebrarum caligine, atque adeo aeterna nocte, facem aliquam lucidam, nobisque coecutientibus praeuiam, proferre audebit? Quis tot in malis, & iis quidem continuis, ostendet nobis bona? Impossibile hoc sane uidetur esse. Videte quaeso, rationis humanae quaestionem, quae nisi carnis incommodis, aut commodis, aeterna metiri solet. Quis ais?

{4.7} Signatum est super nos lumen uultus tui Domine.

Hic lumen uultus Domini, interpretari non audeo rationem, seu rationis lu-
[lumen]

{pdf 038, p. 11}

-men, cum prudentiam carnis lego mortem ab Apostolo appellari. Quinetiam hanc esse iudico meretricem illam speciosam in prouerbiis Solomonis, sapientiam scilicet humanam, seu rationis lumen, quae nisi spiritu fraenet, usque adeo insanit, ut uel contra Dei sapientiam, iustitiamque, & uerbum, disceptare non uereatur: & quae, cum sibi uni tantummodo lucida sit, hoc est, sibi sapiens, sibique, spreto Deo, molliter nimium adblandiens, caeca est omnino. Itaque huiusce luminis super nos obsignati hanc esse intelligentiam arbitrati sunt quidam, ac sensum, ut sit uates, seu animus alius purgatissimus, qui se lumine aliquo raro, nec omnibus concesso, offusum sentiens, temerariae quorundam quaestioni respondeat. Dixerunt enim: Quis ostendet nobis bona? Hic autem, Signatum est super nos lumen uultus Domine, hoc est, peramabili tuae supramundanae illuminationis praesentia, per uerbum tuum, per spiritum tuum, per filium tuum, per sanctam legem tuam, signata est atque ostensa in nobis lux spiritus sancti: haud rationis humanae, quae non potest non propriam amare, fouereque caecitatem, ac sui iudicii tenebras & caliginem priorum consiliorum non libenter amplecti. Huic enim sententiae uide an Paulinae illae crebrae adstipulentur: Ne contristetis, ait, spiritum sanctum Dei, per quem obsignati estis in die redemptionis. Quid alia illa ad Corinthios scribens? Et qui obsignauit nos, inquit, deditque arrham spiritus in cordibus uestris. Potesne igitur ex his quae dicta sunt animaduertere, quoddam aliud esse lumen ab illo per se (heu nimium) languido, rationis humanae,

nobis qui credidimus a Deo datum? Quis iam ambigat luminis huius appellatione, cognitionem diuinorum intelligi, qua se sentit anima mirabili atque insueto modo attractam, ac ueluti ceram molliter impressa, & obsignatam spiritus sancti beneficio ac dono? Donasti nos, ait, o Domine, cognitionis tuae, alioqui humanum excedentis intellectum, raro quodam lumine ac radio: cuius ui atque afflatu, quam clare cernimus in nobis aliud esse nihil, praeter peccatum, tenebras, caliginem, errores: in te autem, lucem, bonum, uitam denique immortalem, atque omnium rerum perfectionem. Quae sane omnia ne cute quidem tenuis intelligere est potis ratio haec nostra per se caeca, imagine tamen Dei alioqui insignita, sed deturpata prorsus, ac pene abolita, ob turpem peccandi consuetudinem. Ecquid iam aliud ualet tenuis (ut de me dicam) pars haec mei affectare? ad quae niti? cum quibus aduersari? nisi cum propriis tenebris? cum propria caecitate? cum carnis uoluptatibus? cum praesentis uitae commodis, ac crucis odio? Sensum enim istum quem posui, prophetae spiritui quadrare non dubito, cum ex supra memoratis omnibus, tum ex Felicis litera, cui & consentit paraphrastes. Ait enim Felix ex hebraeo: Exalta super nos lumen uultus tui: uel, extolle uexillum luminis uultus tui Domine. Qua quidem litera admonemur, uatem orasse a Deo lumen, quod in se non esse compertissimum habebat: alioqui cur exorare contenderet, quod rationi ingenitum sciret? Orat igitur anima, quae se suaque exactissime pernoscit, spiritus Dei lumen sibi dari, datumue augescere, atque ait: exalta super nos Deus cognitionis tuae lumen. Extolle, inquam, tui uultus lumen, seu uexillum, quod in hac dura cum carne acie sequamur. Extincta enim tui in nobis cognitione, quod aliud certius inter bellandum sequemur signum? Dic, oro, animae meae, firmabo super te oculos meos, ut & ego me tuis iisdem oculis obfirmatum, hoc est, tuae cognitionis lampade illustratum, ac obsignatum omnino sentiam: ex qua quidem laetari, diesque festos agere ualeam, dum alii interim gaudent ditati affatim, multiplicatiue terrenarum rerum bonis ac laetitia. Quapropter infertur,

{4.7} Dedisti laetitiam in corde meo.

Atque aliam quidem ab illa, qua solent affici diuites illi terrae, qui ob frumenti, uinique abundantiam, id est, ob terrenarum rerum omnium affluentiam lasciuire consuescunt. Caeterum Hebraeis is uersus integer est, hoc modo: Dedisti laetitiam in corde meo, a fructu frumenti & uini multiplicati sunt. **{4.8}** uel, ut legit Felix: Cum frumentum eorum & mustum multiplicati sunt. Olei, non est in hebraeo, nec in uetusto hexapli psalterio Origenis se inuenisse diuus testatur Hieronymus [Hieronymus]

{pdf 039, p. 11v}

-mus: quanquam sententiae non officiat, cum de bonorum abundantia terrenorum, qua gaudent huius mundi diuites, intelligatur uersus. Verum non desunt, qui suspicantur de pane ac uino sacrificii altaris, hic Dauidem uaticinatum fuisse: & sane, ut mea fert opinio, per quam optime, licet ab aliis reclametur. Volunt enim uatem, simul ac cunctos superius, quotquot sunt mortales, ad sacrificandum uniuersale illud iusticiae sacrificium inuitasset, ad ultimam ac summam sacrificii speciem transiisse, ab illis ipsis primis omnibus antiquis uictimis adumbratam, qua multiplicati fideles, ueram bonorum

abundantiam possident, cum illi interim falsam atque umbratilem sentient, Sed de hoc sacramento alias forsitan, cum commodior locus prouocauerit.

{4.9} In pace in idipsum dormiam & requiescam.

Gaudeant illi, ut lubet, in frumenti, uini, olei, caeterorumque bonorum eius modi opulentia: ego in hac pace cordis ac spiritus gaudeo, paucis scilicet contentus emoriar, & requiescam: nihilque aliud in hac mortali uita expetam, aut inquiram, spe ea fultus, quod caetera omnia facile adiicientur mihi.

{4.10} Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.

Vnde miser ex me mihi bonum aliquod arrogem? nam tu Domine singulariter, hoc est, tu solus hanc mihi spem firmam attulisti. Illi enim multiplicati, ab seseque auulsi ac plane distracti & dispalati, in illa sua rerum multiplicatione laetentur: ego uero uni Deo, ac singulari, in aeternum adhaerebo. Hic, hic, inquam, mundanarum rerum prorsus oblitus, in mentis tranquillitate ac pace, obdormiam: in futuro autem foelicitate omni, bonorum scilicet aggregatione et copia omnium beatus & quietissimus, requiescam. Iam & ultimo illud considerandum, quod ait, In id ipsum, idem praetendere quod una, uel simul: & est in Hebraeo perinde, ac si legas: In pace simul dormiam, & requiescam. Eadem enim dictio est Hebraeis, qua superius uersu secundo, secundi psalmi est usus, in unum scilicet, hoc est, simul. Atque huius tandem in idipsum, is potest sensus exprimi, ne non sua desit copia spiritui: Sine metu o Domine, fauore tuo solummodo contentus, una cum diuitibus illis, imo quid una dico? magis feliciter quam illi, & iacebo, & obdormiscam: quoniam tu ipse Domine, qui solus potes, uel ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt, uocare, & recensere, singulari quodam modo me ab omni metu, perturbationeue animi liberum habitare facies. Illud enim, Constituisti me, Hieronymus legit, habitare fecisti me.

PSALMUS V. pro Haereditatibus ad uictoriam.

Vult Felix, ad uictoriam idem praeseferre, quod ad effundentem sanguinem, scilicet Christum, haereditates uero esse utranque, tum Iudaeorum, tum gentium Ecclesiam, quae in hoc psalmo laudes canit effudenti sanguinem, filio uidelicet Dei, qui solus pro omnium salute, sanguinem in cruce largissimum effudit. Caetera de titulorum interpretatione, partim in praecedentis psalmi titulo dicta sunt, partim cum occasio occurrerit, dicentur. Et cum totum psalterium de Christo, ut iam est dictum, interpretari debeat, in hoc psalmo ipse filius Dei, siue Daud nobilissimum eius membrum, siue quaeuis anima alia, quae se a periculis undiquaque circumuentam cognoscit, orat Deum, ne ad suas surdus preces appareat. Et hic notanda est in primis familiaris prophetae tautologia. Cum enim uerba dixisset, addidit clamorem: nec, tamen in hoc manens, subiunxit uocem orationis meae. Siquidem repetitae sententiae praeterquam quod ardentiolem animi affectum in orante ostendunt, seipsas quoque mutuo interpretantur. Porro clamor in scripturis, cordis est, non uocis: quando enim clamat animus, corque ad Dominum uociferatur, clamorem istum attendit Deus. Ne sileat, aiebat Hieremias, pupilla oculi mei. Non enim silet, aut mutus est oculus, cum lachrymas fundere minime cessat. Quis unquam sibi persuasum habuit, Deum oris uoce absque sensu mentis

delectari? Quocirca cordium afflictorum desideria sunt, quae clamant: ut semper anxio cum desiderio clamant liberari hi, qui in carcere detinent, siue e-[edant]

{pdf 040, p. 12}

-dant, siue bibant, siue etiam dormiant, aut uigilent. Et haec iugis illa est oratio, de qua dicitur, quod oportet semper orare. Clamat itaque cum Christo, anima, iam propter fidem fiduciaeue ardorem, in Deum transfusa:

{5.2} Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum

Hoc est, ipso intellectu atque intentione clamorem meum attende, serioque percipe quid sibi uolunt cogitationes meae intimae. Vocat enim suos irrequietos affectus ad amatum, humano more, uerba, clamorem, uocem. Ita flagrans amor, aiebat Cassius, cum se intra se cohibere non ualet, non intelligit quo ordine, qua lege, qua ue serie ebulliat, solummodo contentus suspiriis. Clamat fides, clamatur amor, clamatur affectus, lachrymae, gemitus: hae enim uoces sunt animae, quae nutu minime, ut ait ille, aut uoluntate prodeunt, sed motu magis erumpunt. Hincue timor suas habent uoces meticulosas, dolor gemebundas, amor iucundas. Sic tandem solent orare illi qui ab homine quopiam exaudiri efflagitant, repetitis scilicet eiusdem sententiae uerbis, quo facilius quod cupiunt exorent. Neque aliter uates animae admodum efflagitantis exaudiri affectum exprimere debuit, quam illius generis uerbis, quibus humanus iudex flecti consuescit.

{5.4} Intende voci orationis meae, rex meus et Deus meus.

Tu qui proprie mihi es tum rex, tum Deus, considera quam ualido cordis affectu ad te orem. A quo enim alio habui ut sic clamarem? Quem ad istum meum clamorem, alium habui impulsorem praeter te? Tu igitur qui dedisti ut ita clamem, perpende an mihi frustra clamandum sit. Caeterum rex meus, ille audet dicere, in cuius mortali corpore, ut ait Paulus, non regnat peccatum, sed sanctitas, & iustitia, hoc est, ipse Deus. Atque hic nostra omnium deprimitur arrogantia: nam quemadmodum ipse fecit nos, non ipsi nos, sic ipse regit nos, non ipsi nos. Deuiat enim prorsus, atque a uia iustitiae aberrat is omnino, qui se sibi non Deum proponit ducem & regem: quod quidem facile illis accidit, qui a se potius in suis actionibus quam a Deo, cuius gratia, si quid boni agunt, aliquid est, dependent.

{5.5} Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies uocem meam.

Solet enim mane esse, simul ut recedente noctis caligine, lux prima emergere coeperit. Et est, ac si dicat, Statim me exaudies: quae uox conceptam indicat certitudinem ac fidem, in orante omnino necessariam. Id certo scio, ait, facies. Praeterea quandiu in tenebris, & caeca errorum nocte uersatur homo, non exauditur a Deo, qui lux uera est, lampasque ardentissima: cuius quidem beneficio ac dono, cum illustrari contigerit, illico exauditur. Atque illud sane considerandum, non dixisse uatem hora tertia, sexta, aut plena luce, sed mane summo, hoc est, cum primum tenebrae mentis expelli ceperint, exaudies. Quam hic caste, atque ex animi medullis ponderanda esset Dei in nos facilitas,

atque adeo promptae eius ad mortalium clamorem aures: non enim extinctis plene in nobis peccati tenebris, diuinus tamen sentitur fauor, praesentiaque. Sedentibus, inquit, adhuc in tenebris lux orta est. Quid illud? Adhuc illis loquentibus, ego dicam, adsum. Scilicet norma haec benignitatis parum, ut caetera uirtutum exempla, a nonnullis animaduersa, quibus ita aliorum calamitates stomacho sunt, ut ne extremus quidem halitus miserorum, nauseam eorum sedare ualeat. Putant enim se nimium praebere contemnendos, nisi turgidi sint, difficiles, duri, ad pietatemque plumbei, crudeles, torui, & plusquam ferrei. Tu itaque Domine, quoniam in te uno confido & spero, idcirco statim exaudies.

{5.5} Mane adstabo tibi, & uidebo, quoniam non Deus uolens iniquitatem tu es.

Iam illud in scripturis mirabile cernitur, quod hoc mane sit tam familiare spiritui. Legimus enim (non est animus omnia omnium rerum citare testimonia) Leuitas mane solitos stare ad Deo canendum. Proinde id temporis patres antiqui, etiam priuatim oraturi, sanctissime obseruauerunt, hodieque obseruat. Nec mirum sane: animus enim hoc tempore ad peruestiganda diuina experrectior est, quam cum interdiu omnia circunstrepuunt. Verum quia & mane, & uesperis, & quacunque hora uenimus oratum, absque dubio exaudimur, modo non desit cor atque intelle-
[intellectus]

{pdf 041, p. 12v}

-ctus, anima scilicet precationis: uidetur mane istuc sensum aliud hoc in loco secretiorem, spirituique propiorem innuere uelle. Est ergo mane, gratiae illucescentis tempus, quod luxit, ut ait Paul. in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis Dei in facie Christi IESU, donec, inquit sponsa, aspiret dies, & inclinentur umbrae. Neque illud ab re est, quod in LXXX psal. legimus: Mane, ait, oratio mea praeueniet te. Mane igitur adstabo tibi, hoc est, non amplius iacebo, non amplius in luto sordescam, non amplius resupinus ociabor: sed mane, id est, cum me statim tuus ille matutinus afflauerit splendor, diuinoque calore irradiauerit, adstabo erectus. Pene hic dixi nostrum arbitrium nullum. Nam cum hominis dignitatem, naturaeque eius sublimitatem intueor, eum uideo maximis undequaque suffultum a Deo donis, & in primis libero arbitrio. Quis hoc, nisi in animarum cognitione omnino stupidus sit, in homine esse non asserat? Cum uero meam ipsius animaduerto ad malum procliuitatem, atque ut cum uulgo dicam, necessitatem, totus exhorresco, ac pene adducor, ut illud uel nullum omnino, uel quamminimum esse supicer [sic: suspicer], adeo nullam in me cerno esse firmam, liberamque in deligendo bono uoluntatem, sed totus mei dissimilis factus, uix horae momento in boni propositi optione perseuero. Ita profecto ad huiusmodi me adegit infirmitatis meae consideratae opinionem, malus mos, malus habitus, malaque in peccatis, ac quasi obductum callum. Atque hinc me propterea dictum illud Esaiiae uaticinium uereor: Quod si, inquit, non dixerint iuxta uerbum hoc, non erit eis matutina lux, sed corruent, & esurient, & cum esurierint, irascentur, & maledicent Deo suo: & ecce tribulatio, tenebrae, dissolutio, angustia & caligo persequens, & non poterunt auolare ab angustia sua. Cur, quaeso, non expauescam, cum lego, quod non poterunt auolare ab angustia sua? Si non poterunt, ubi arbitrium, cum arbitrium nihil aliud sit, quam sui

libertas? Nusquam opinor, si a iustitiae sole semotum fuerit: alioqui neque ipsa salus aeterna, aut beatitudo firma esse poterit & aeterna, absque matutinae lucis huius beneficio, & dono. Itaque cum arbitrium, tum caetera illa bona quibus hominem a belluis distare cernimus, fateor esse ut per se aut parum, aut nihil ad consequenda coelestia ualeant: cum ipsa uero luce, atque ipsi aeterno bonorum fonti unita, omnia & uelle, & posse Omnia, inquit Paul. possum. Sed in quo? aut qua alia ab re? num a naturae dotibus? num a uiribus illis plane confractis, quas cum homine nasci, cum ipsouae crescere, & enutririi uidemus? haudquaquam, ait, sed in eo qui me confortat. Porro hunc uersum hoc modo interpretatur paraphrastes (cum paraphrastem cito, Campensem intelligo) Summo mane componam ad te precationem meam, & uidebo me assequutum quod uolebam. Videbo, inquam, infirmitatem meam alias mihi prorsus ignotam. Videbo, quo mihi sit eundem, cum interim absque huiusce lucis radio halluciner omnino, & caecus sim. Incipiente enim cognitionis luce in me, te uidebo: in cuius contemplatione illud cernitur, quod non Deus is es, cui placere possit iniquitas. Videtur hic Graecis, iniquitatem pro omni genere peccati debere accipi, quod extra aequitatis sit normam. Anomia, dictio quae hic ponitur, non proprie iniquitatem significat, sed esse omnino extra rationis legem: unde anomos is est, quem nos exlegem dicimus. Vide Eutymium. Sensus igitur erit, quod Deus eius naturae sit, qui non patiat in suis diutius immorari peccati tyrannidem, sed eam ueluti rem sibi infensam atque odiosam, a suis longe propellit. At tu in sequenti uersu Dei iudicium tremendum perpende.

{5.6} Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.

Hisce enim tam crebris nominibus iniquitatis, malignitatis, doli, iniustitiae, uult Dauid impiorum animas & mores, in omnem prauitatem demersos, plenamve eorum malitiam exprimere: quemadmodum illius generis uerbis, non approbabis, non habitabit iuxta te, non permanebunt ante oculos tuos, odisti, perdes, & similibus aliis, diuinum de illis iudicium exprimit. Nam cum Deos illos propter ipsorum prauitatem ac fastum detestetur, non fert eos diutius bonis esse molestos. Ergo tam copiosa uerborum sylvae, Dei indignationem in prauos homi-
[homines]

{pdf 042, p. 13}

-nes aperuit. Non habitabit, inquit, iuxta te malignus: hoc est, non patebit apud te locus maligno improbo, peruerso, noxio. Quomodo enim stipula iuxta ardentem ignem stare poterit, & non ardebit? Qua ratione mors cum uita, tenebrae cum luce perseuerabunt? Discedite a me, ait, operarii iniquitatis. Atqui hic mihi considera, quo plenius rem pertractemus, per iniquitatis operarios non tantum publicos istos peccatores, quos etiam mundus ipse execratur, describi: sed & illos quoque, quorum facies cum uideatur sanctissima, sunt tamen sepulchra dealbata: & qui licet mundo uafre admodum imponere calleant, Deo tamen secretorum cognitori sunt noti, imo, ut uerius dicam, incogniti. Amen, inquit, dico uobis, non noui uos. Ante oculos tuos, anthropopathia est, atque idem ualet, quod non eos diu sustinebis in conspectu tuo stare, tantopere illos detestaris: exemplum nimirum a consueto hominum more desumptum: nam quos

uehementer execrantur, eos non possunt nisi torue intueri. Unde illud: Tollatur impius, ne uideat gloriam Dei. Quod quidem clarius in sequentibus aperit, cum ait:

{5.7} Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.

De iniquitate satis est dictum, nunc de mendacio dicendum. Mendacium hoc loco erit omne illud, aut factum, aut dictum, aut a moribus profectum, quod simpliciores animas a recta exorbitare facit. Siquidem cum Deus summa sit ueritas, quicquid contra eius doctrinam factum, dictumue fuerit, id mendacium sit necesse est. Vide, oro, quantum ferme detestabiliores sint hi, qui mendacia loquuntur, quod haereticorum proprium est, atque hypocritarum, quam operari iniquitatis. Argumentum a poena. Nam cum uates pronunciasset, illos qui operantur iniquitatem, odio esse Deo: loquentes mendacium, ait, ab ipso perdendos: ut grauius omnino uideatur a Deo perimi, quam odio haberi. Quod dictum sane esse uolui, ut uideant fucati Christiani quid agant: optimeque perpendant, an quicquam horrendum magis esse possit, quam incidere in manus Dei uiuentis. Nescio enim an mihi utile esse possit, una cum habitu hoc lugubri, squallorem quoque uultus, ac graues oculos circumferre: Euangelium cum ore, tum moribus, inter fratres profiteri: animus uero meus sexcentis mundanarum rerum curis defatigatus, nihil aliud, uel in ipsissimis secretioribus templi partibus, uel cogitet, uel moliatur, quam quomodo suas expleat cupiditates. Videsne mendacii formam? uides quo se ingerat monstrum hoc horrendum, periculosum, maximoque dignum odio?

{5.7} Virum sanguinum & dolosum abominatur Dominus.

Quasi haec summa sit totius improbitatis, quenquam occidere: quod quidem fit non tantum pugione, aut ense, quantum odio, cordeque inimico. Quare multis prius improbitatis partibus connumeratis, concludit uates hoc epilogo. Dixi quod Deus noster is est, cui iniquitas haudquaquam placere potest, & apud quem locum non habet malignus, coramque stare non ualet iniustus. Dixi quod odio habet omnes qui operantur iniquitatem, perditque omnes eos qui loquuntur mendacium. Ne igitur auditorem diu suspensum teneam, in summa uirum sanguinum & dolosum abominatur Dominus. Hi sunt enim fructus eorum, qui sponte mali sunt, omnia ut dolis, odiis, simultatibus, falsis pollicitationibus, astu, simulataque amicitia, & hypocrisi immisceant, atque eo tandem progredi audeant, ut uel ipsum innoxium sanguinem ardentissime sitiunt. Quae dementia cum hac conferenda, mentem scilicet homini datam ut prosit caeteris, totam ad laedendum conuertere? Atqui passim uidere est quam amplum per uniuersum fere orbem sit factum theatrum eorum qui respublicas moderantur, tum insaniae, tum crudelitatis, adeo ut periculosissimum iam sit, & capitale, ciuibus esse iustis. Inenarrabile, ait Lactantius est, quod fit aduersus eos, qui malefacere nesciunt: & nulli nocentiores habentur, quam qui sunt ex omnibus innocentes. Audent igitur homines improbissimi, ministri esse iustitiae, qui feras immanitate uincunt? Haec Lactantius pro conditione sui temporis conquestus est. Nos uero optime nobiscum agi ducimus, ni peiora sint quae quotidie in ciuium perniciem moliri lupos, quos, ut ait, idem, non uentris rabies, sed cor-
[cordis]

{pdf 043, p. 13v}

-dis efferauit, non sine lachrymis cernimus. Caeterum in hoc loco uirum sanguinum appellat uates uirum audum, studiosumque effundendi innoxium sanguine, quem nos sanguinarium dicimus: & quem non solum eum esse intelligimus, qui manu, ferroque aliquem interimit, sed qui odio, ut dixi, irae, ac maleuolentia insequitur. Quemnam iam latet, quod qui odit fratrem suum, homicida est? Iam illud notandum, non immerito homicidae fraudulentum a uate copulari: nam qui aliquem fallit, ut ait Eutymius, aut in pericula coniicit, eum occidere uidetur.

{5.8} Ego autem in multitudine misericordiae tuae, introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Elegans profecto antithesis emphasi perornata. Sint illi iniqui, ait, ut lubet sint maligni, iniusti, impii, dolosi, sanguinarii: ego multa, atque admodum ampla misericordiae tuae abundantia fretus, particeps minime illorum ero, alioqui tamen deterior, quam illi, futurus forsitan. Illi e piissimo sinu tuo egrediuntur, ego uero ingredior. Illi abs te sua uoluntate ab alienati, absque ullo timoris freno vivunt: ego autem introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo: hoc est, cum trepida, filialique ueneratione, & ut ait paraphrastes, reuerenter maiestatis tuae rationem habebō. Hic uates ad ueterem adorandi morem, qui in templo manufacto fieri uidebatur, alludit. Egressis igitur illis abs te, ego ad te ueniam. Equidem hoc in loco impudentes quorundam orationes reprehendi arbitror, qui simulatque perfractas quasdam suas preculas in templo publico faucibus magis quam corde mansas obtulerunt, putant sibi Deum uel multis nominibus deberi: qua quidem parum considerata sui ratione turgidiores facti, licentius quodammodo propter familiaritatem, ut sibi uidetur, cum Deo inuitam, peccare audent. Errant profecto, ignorantēs uim totam orationis in animo sitam esse, non in faucibus & palato. Hos enim mansuetissimum in modum carpens propheta inquit: Non in praesumptione, aut supercilio, coram te meam fatebor indignitatem, peccatique languorem detegam: sed cum reuerentia, ac timore te colam, te uenerabor, te adorabo,

{5.9} Deduc me in iustitia tua propter inimicos meos.

Vix a paucis prophetae prudentiam comprehendere, uel hoc uno suspicor, quod cum sit totus tropis & mysteriis etiam per syllabas singulas inuolutus, praeteritur tamen aliquando adeo integre, ut pene satius sit ab huius interpretatione abstinere, quam tam somniculose oscitare. Assiduus enim commentariorum lector, a mea hac sententia (credo) non discrepabit. Senserat quidem uates se paululum prae iis, quorum uitia commemorauerat, de se iactantius iudicasse: quocirca ne in uanam aliquam opinionem, aut gloriam prolaberetur, mox pedem, improuisum aspris ueluti qui sentibus anguem pressit humi nitens, repressit: ac fassus est, si quo per uirtutum gradus esset eundem, eo per Dei manus sese deductum iri. Domine, ait deduc me in iustitia tua: hoc est, per bonitatem tuam, qua iustus es, & bonus, deduc me: ut quemadmodum tu es, ita quoque ego sim, & bonus, & iustus. Aut (sic cogimur aliquando sensus uarios opinari in re praesertim tam obscura, ne diuinus spiritus suo fraudetur intellectu) deduc me, quo iustitiae tuae solidae, & uerae, non falsae, aut, quae est natura humanae iustitiae,

nutanti, studeam. Hanc, quaeso, mihi da mentem, ut nihil mihi probet, nihil rectum, nihil sanctum a me reputetur, nisi quod tibi probari cognouero: ac quicquid statueris, quantuncunq; mundo, carni, id est, mihi ipsi displiceat, placeat tandem. Deduc me, quam, in te, & sat est. Nam quicquid in Deo est, cum Deus sit, idcirco iustitia Dei, ipsum esse Deum oportet: quare deduci in iustitia Dei, erit deduci in Deo. Et est considerandum, quod in scripturis plerumq; Dei iustitia pro ea, qua ipse iustus est, hoc est, undequaque perfectissime bonus, accipi solet, ut in hoc loco. Caeterum anxius animae suum periculum non ignorantis affectus a uate exprimitur, cum orat se, propter inimicos suos in Dei iustitia deduci. & est sensus, Inimici mei summo me studio, ac peruigili cura obseruant, sicubi praecipitare possunt: nec mihi est integrum tam uafra eorum insidias, nisi tuo ducatu, uel cognoscere, uel declinare: Da, oro, illorum impias non sequi suggestiones, prauaque consilia, quae quidem tam

{pdf 044, p. 14}

turpia sunt, tam'ue foetida, ac male olentia, quam male olent sepulchra patentia, a quibus passim grauissimum exire odorem sentimus. Quid multis utor? Quemadmodum enim sepulchrum apertum iam iam expectare mortuum uidetur: ita illi, absque ullo honestate operculo, in hoc incumbunt, ut me deuorent, & extinguant. hos enim timeo. Quis, nisi amens sit, tam cruentos hostes atque implacabiles, non extimescit quapropter deduc me in iustitia tua, ac

{5.9} Dirige in conspectu tuo uiam meam.

Felix sic legit: Rectam fac coram me uiam tuam. & haec lectio magis spiritui quadrare uidetur: cuius sane mentem doctissime, ut caetera, exprimit paraphrastes. Fac, ait, plana sit ante oculos meos, uia qua itur ad te. atque idem ferme Symachus [sic, Symmachus]. Explana, inquit, Domine uiam meam ad te: hoc est, expedi, repurga uiam tuam coram me, ut inoffense gradiar, atque ad optatum finem perueniam. Fac me uiuere uitam te dignam. Atqui uiam hanc quam sibi explanari poscit uir sanctus, uiam mandatorum Dei esse arbitror, quae quidem affabre perpurgatur, inoffenseque curritur, cum nostrum per iustitiam solam, quam esse definiunt in omnes dilectionem & charitatem, cor dilatatur. Etenim cum Deus amor sit aeternus, atque ad omnia pertingens, inque rebus omnibus diffusus: ad huius imitationem, nostra omnis felicitas consummatioue perfectissima redditur. Nam bonum eo diuinius existimatur, quo in plures magis diffunditur. O immensum facilitatis Dei pelagus in mortales omnes, ubi ipsius iustitia, ipsius bonitas, ipsius uia, qua insistere, quamque amplecti debemus, nostra iam adeo facta est, ut eo, quo nos ipse, absque merito nostro, destinauit, certissime, quasi ex nobis deueniamus. Interim uero orandum, Tu Domine dirige in conspectu tuo uiam meam: hoc est, fac id agam, in eo uerser, illud sequar institutum, quod tu probas, non quod ego, cuiusque tu in teipso exemplum exhibes, & cui soli uerum successum aspiras. hoc ubi dederis, qui iam hostes hosce meos, quamuis audaces, atque inexorabiles, carnem scilicet, mundum mundique amantes, pertimescam? Tantum enim abest ut huius generis hostes, seu daemones, seu homines sint, metuam: ut etiam, te autore, illorum ferociam tanti faciam, quanti solent muscas, aut pulices, elephantas.

{5.10} Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.

Narrat, nec sine lachrymis quidem, propheta, insidiantium probis hominibus, uitia, ac uersutias. In ore eorum, ait, non est ueritas, ideo neque Deus. Non est, aiunt Hebraei, in ore eorum rectum, interiora eorum insidiae. Sed idem sensus, qui is erit: In sermone quorundam nihil est, cui tuto fidi possit. nec sane mirum: nam cor eorum, seu animus, seu, ut alia habet litera, intimum, spurcitiis oppletum est. Quicquid enim loquuntur, mendacium est: quicquid cogitant, uanum: quicquid moliuntur, immundum, insidiarumue plenum, ac plane noxium. Etenim a summo bono, aeternaue ueritate auersi, quomodo falsa, parumue sibi constantia, aut loqui, aut animo uoluere non poterunt? Et amplexati sunt, inquit Hieremias, stercora. Non possum interdum (fateor) non supremum in modum admirari, unde tanta sit huic uitio mentiendi, uis ac robur, quod uel ipsos rerum sacrarum ministros & sacerdotes interdum adeo strictim connodet, ut nihil sii magis uelle uideantur in suis pactis, conuentis, pollicitationibus, aut id genus aliis, quam mentiri. Ex quo quidem mentiendi habitu & consuetudine, illud saepe euenire oportet, ut etiam in his quae sibi admodum officere possunt, si mentiuntur, aperta fronte mentiantur. Quid ergo?

{5.11} Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.

Non te moueat temporum mutatio, plerunque etiam in eodem uersi, ut hic, frequens: familiare quippe prophetis est idioma, phrasisque consueta. Caeterum quis tam ferreus, uel ex Dolopum gente, qui a lachrymis temperet, considerans quibus cum, tum alias, tum nostro hoc infelici aeuo uiuitur? Sepulchrum patens, ait, est guttur eorum: linguis suis dolose agunt: seu, ut alia est litera, Lingua sua falso blandiuntur. Videsne hoc schemate adulatorum frequentiam exprimi? Adeo enim istius generis

{pdf 045, p. 14v}

hominum increuit numerus, ut uix iam, quis uerus sit amicus, qui uera dicat, dignosci queat. Postquam enim impostorum technis, dolis, astu, mendaciis, falsisque blandimentis infectus est orbis, suspecta iam facta sunt omnia. Verum qua ratione dictum sit, sepulchrum patens eorum guttur, uideamus. Quemadmodum enim sepulchrum reseratur, ut mortuum admittat: ita illi sua illa noxia blandiloquentia in hoc incumbunt, ut simpliciores illecebrarum hamo pellectos uorent, & extinguant. Eliquant enim blandiusculas suas quasdam astutiolas prudentes, si Deo placet, uiri, quo incautos illectent, attrahantue, & sic miseros inescatos deglutiant, ac funditus perimant: ut non minus de illo, qui eorum illecebris irretitur, actum dicas, quam de illo qui iam positus sit in sepulchro. Porro cum stomacho huiusce foedissimi sarcophagi maleolentia est consideranda. Linguis suis, ait, dolose agunt. Nulla profecto res unquam rei alteri tam similis fuit, quam linguae dolosae & fraudolentae, tumulus patens est similis. Quid foedius, oro? quod sepulchrum putridis cadaueribus plenum tam male foetet, quam lingua simulatoris? quam fraudulentis? quam dolosi? Hebraei habent, diuidere ac partiri, loco illius, dolose agebant: uel, ut est alia litera, falso blandiuntur. Nam huiusce generis homines non ut res habet, aut ut corde cogitant, loquuntur, sed diuidunt, partiunturque uerba ad eorum gratia, quibus uolunt imponere, cum interim quae uera sunt tegant.

Quos quidem diuus Iacobus in sua epistola ait ex eodem ore dulce & amarum proferre.
At tu Deus

{5.11} Iudica illos.

Destrue illos, condemna, illisque uim aufer, atque illorum fastum infringe, tu qui odisti omnes operantes iniquitatem. Si enim in nos carnis ardor desaeuit, si animi extollentia, si fraudulentum homines, si bilingues, si hi, quorum doctrina tam male olet, quam male olere solent sepulchra, amoto operculo: hos omnes, uti hostes tuae sanctissimae uoluntati obluctantes, destrue spiritu oris tui.

{5.11} Decidant a cogitationibus suis.

Hoc est, irrita fiant illorum consilia. Fallantur (obsecro) frustrenturque suis conatibus, atque omnibus suis in rebus uarii sint, fluxi, inconstantes. Non, quaeso, quod cupiunt, adipiscantur. Quam saepe maligni homines, hi dico, quibus ratio data est, ut cum ratione, qua potissimum a caeteris animantibus dissimiles esse debent, uiuant, atque aliis prosint, consilia in aliorum perniciem effingunt? quae tamen, ut est in alio psalmo, aequissimo Dei iudicio, stabilire nequeunt. Hinc enim illae tam crebrae sunt in nonnullis falsae, inconstantesque pollicitationes, iuramenta, simulationes, dissimulationes, ac plus quam Sardonici risus.

{5.11} Secundum impietatem eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine.

Vide iustitiae normam. Fas enim est, ut quemadmodum uirtutum praemia a probissimis, quibusque expectari debent, ita iustissimo aequilibrio nefariorum scelera sint ponderanda, ac mulctanda. In magnitudine igitur, ait, impietatis ipsorum, secundumque quod eorum commeruit prauitas, a te, atque adeo a tuis, longe illos expelle, ne nobis diutius imponant. Quod quidem scilicet a facie Domini propelli, grauissimum poenarum genus esse existimo. Eo enim expellente, quis locus tutus? In miserrimo certe uitae genere manere, ac tandem postea in gehennam decidere necesse est illos, spe omni sese inde explicandi sublata. Quis, oro, casum huiusmodi illorum reparabit, qui idcirco cadunt, quia sponte se sua a diuina ope, atque aeterno bono tam infeliciter subtrahunt? Neque tamen, ait uir sanctus, me tantum mouet istorum improbitas, & qua in me crudelissime ferociunt, malignitas, quantum quod nec tibi parcunt summo bonitatis fonti: nam te irritauerunt Domine. Quo amplius eorum potest ascendere impietas? Potest ne homo quispiam ad tantum prauitatis culmen excitare animum, ut Deum ipsum contra se prouocet? Auris, cedo, demens est, aut prorsus a Deo destitutus. Sed quis illorum futurus sit exitus, qui eum in se prouocant, uel uno Hieremiae testimonio sciri potest. Siquidem cum dixisset Dominus, Nunquid me ad iracundiam prouocant mox addidit, Nonne seipsos in confusione uultus sui? Expelle itaque illos abs te: quod sane debes, cum propter

multa, tum potissimum propter iustitiam: nam te impudentissime, o Domine, irritauerunt. Quid sceleratius excogitari potuit?

{5.12} Et laetentur omnes qui sperant in te, in aeternum exultabunt et habitabis in eis.

Petierat propheta Dominum, ut impiorum studia & consilia refringerentur, ac euanescerent: nunc petit, ut eos qui illius se fidei commiserint, ita iuuet, quo sempiterno gaudio laetari queant. Perpende, te obsecro, qualis illorum futura sit merces, qui spem omnem suam, haud in se, sed in Domino collocauerunt. In aeternum, inquit, exultabunt: seu, ut alia habet litera, ouabunt, more scilicet triumphantium. Quod quidem gaudii genus proprium eorum est, qui iam defuncti corpore, uitam degunt cum Deo. Sed si ad praesentem quoque uitam gaudium hoc referre malis, quid ni affirmem aliud in hoc mundo tam solidum, tamque uerum esse nullum, praeter id, quo anima Deo unita per spem, atque amorem, afficitur? Caeterum quid tam in rebus humanis exultabile? quid tam triumphali ouatione dignum, quam Deum in se habere, ueram scilicet uitam, ueram beatitudinem, uerum bonum, ueram salutem? Haec illa est foelicissima alias nobis facta promissio. Inhabitabo, inquit, in eis, & inambulabo: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.

{5.12-13} Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iusto.

Haec solida est gloria, in Domino gloriari. Quod quidem nulli hominum conuenire arbitror, nisi illi, qui rebus omnibus humanis pessundatis, Deum super omnia diligit: quod sane est diligere eius nomen: nam ipse est nomen suum. Dum alii, inquit, in sese, suisque fortunis, ac amicis gloriantur, te interim diligentes in te solo gloriabuntur, quoniam tu benedices iusto. Causam reddit uates, quamobrem gloriabuntur. Et est perinde, atque dicat, Cur in aeternum exultabunt sancti? cur habitabis in eis? cur gloriabuntur in te? Responsio: Quoniam tu benedices iusto: hoc est, iusto benefacies, non sinesque diu a malis ac peruersis hominibus iustitiae studiosum diuexari. Omnis igitur salutis nostrae summa, super amplissimae Dei beneficentiae, gratiae, misericordiaeue cardines uersatur. Sint uirtutes, sint dona, sit uoluntas, sit arbitrium, gratia demum est quae nos seruat. Atque hic consideranda est piorum hominum consolatio, quibus nimirum dicitur: Etsi maligni uobis homines maledicunt, confidite, quoniam Dominus ille, a quo gratiae omnes deriuantur, is est, qui secretissimo quodam modo (uobis forsitan ignoto) benedicere solet iusto, atque ipsum circumquaque bona sua uoluntate, ceu clypei tegumento protegere, ac munire. Quamobrem sequitur:

{5.13} Scuto bonae uoluntatis tuae coronasti nos.

Diuus Hieronymus ex hebraeo legit, coronabis: sed non officit sensui, qui is erit: Tua quidem bona erga nos uoluntate, tua, inquam, dignatione & beneuolentia, non nostro studio, cura, aut merito tuti sumus: ac in tantis hostium impugnationibus haudquaquam deiicimur, sed fortissime stamus. Quemadmodum enim miles in acie praelians, siue a dextris, siue a sinistris, aut eminus, aut cominus ab hoste impetatur, totum se umbone tegit: ita homo in uirtutum theatro enutritus, si sit aduersis hostium telis, & his igneis,

circunuentus ac laccessitus, de se statim, deque propria uirtute desperat, sed totum se sub Dei benignitate, ac misericordia, ceu sub tutissimo clypeo, protegendum committit. Muro tuo inexpugnabili, ait alio in loco spiritus, circumcinge nos Domine. Haud dubium quidem, murum hic inexpugnabilem, Dei potentiam, uirtutemque prae se ferre. Ita hoc loco, uoluntatem Dei, illius dignationem, & ut ait paraphrastes, gratiositatem & fauorem praetendere arbitror: cuius ui, atque ambitu, circunsepti fideles, nullum tam atrox est bellum, quod non facile perferant, utpote qui non ignorent ab ipso Deo fortissimo uires omnes suas pendere: a se autem aliud nihil, praeter metum, infirmitatem, lapsum, mortem. Verum hoc secundum eorum sententiam, qui asserunt salutem omnem nostram ex mera Dei uoluntate, soloque eius proposito, absque nostra ulla tum fidei, tum actionum oblatione fore: quod Latinos fere omnes pro confesso habere uideo, secus Graeci. Sed alienior haec est materia, quam ut instituto nostro deseruiat. Illud interim pro comperto habendum, ita in re salutis cum Dei uoluntate ac proposito, nostrum

{pdf 047, p. 15v}

concurrere arbitrium, ut nescias aliquando, cui magis faueas: quanquam ego libentius gratiae, hoc est, benignissimae Dei uoluntati, ac proposito, primas tribuere soleam: quae sane persuasio & fides, tutior mihi semper uisa est, atque eam alis probatum iri semper efflagitauit: modo nos cautes immotas, aut rupes nolint esse, ut plerosque ex gratiae assertoribus hisce in temporibus uelle uideo.

Psalmus VI. In organis super ogdochordo.

Animae secum reputanti quam ignoranter, quamque uitiose praeteritam transegerit uitam, horrendus quidam si sapit, occurrit ob futurum iudicium pauor. Unde perterrita clamat:

{6.2} Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.

Ogdochordum, ne in multis nos morentur tituli, instrumentum erat octo chordarum, quo, alternatim cum organo, a musico pulsato, oda haec inter alias solita erat decantari. Quid uero octonarius ille neruus, aut organum, aut uicissitudo illa harmoniae significet, dicant alii. Nos interim ad institutum. Ira igitur, & furor Dei, in hoc loco, ut in plerisque aliis scripturae, horrendum eius iudicium significat: quod sane nemo, nisi is qui in hac uita diuinam implorat ueniam, euadere poterit. Atqui in primis est ex animo considerandus perterritae animae stimulus, quo intus in ipsis cordis medullis exagitur, in hac dictione, Domine. Quae quidem inuocatio non sine profundissimo gemitu & singultu ab iis proferri potest, qui & proprios norunt lapsus, & quae iam se maneat praesentiscunt. Verum cum Deus absque animi perturbatione iudicaturus sit: & cum furor, & ira in supremum iudicem cadere nequeat: scriptura tamen non nisi per uerba inter homines consueta, qualis nunc sit, aut qualis ad iudicium illud uniuersale futurus expectetur, exprimere ualet: Cum exarserit, inquit, in alio psalmo, in breui ira eius sensum igitur uersus huius doctissime, ut solet, aperuit paraphrastes, cum ait: Domine ne pro ira, quam aduersum me, licet merito, concepisti, castiga me: neque pro bili, quam ego moui tibi, supplicium sume de me. Quis, quaeso, iratum Dominum ferat?

Correptionem, inquit, ego infelix, patre dignam non recuso: sed tantopere saeuam, tam diram, tam immanem, ut scilicet commerui, qui feram? Vide, oro, num huic simile olim petiuerit Hieremias: Corripe me, ait, Domine, ueruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Peccaui, clamat hic anima saucia, peccaui. num id nego? num res meas, ueluti sanctas, uendito? num iustitiam? num spiritum? num suspiria? num crebras, & has diutinas, orationes ostento? hoc solum enim e meo depromere possum cordis promptuario, peccaui. At tu Domine, licet meruerim, quae aeterna est, mortem, noli me iuxta meritum meum damnare, nec debitas de me, oro, poenas exige. Imo Domine,

{6.3} Miserere mei, quoniam infirmus sum.

Iram equidem, ultionemque peccatis meis debitam deprecor, misericordiam precor: nam infirmiozem me esse sentio, quam ut manum tuam tam grauem sustinere ualeam. Quod si quidem humanae uires sunt ponderandae, quodnam aliud reperit animal tam infirmum, tam debile, tam deiectum, tam ignauum, quam homo, ille praesertim, cuius cor, uermis continuus conscientiae, hydra omni truculentior, turpissime exedit? Quare

{6.3} Sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea.

Dolor enim, ait, qui molestissimis conscientiae morsibus me rodit, ossa ipsa adusque sensu carentia peruenit, atque ea miserabiliter conturbat. His enim uates uerbis intimae suae afflictionis uehementiam exprimens, nos naturae doloris admonet: cuius ui ac intentione, sentimus, summoque cum periculo nostro experimur ossa ipsa concuti, ac labefactari. Gelidusque per ima cucurrit ossa tremor, ait eximius ille, & poeta, & philosophus [sic, philosophus]. Rursus non erit absurdum ossa pro mentis uiribus interpretari: quae & habitus uirtutum appellari possunt, licet non admodum recte, qui sane perturbationibus infinitis uitiisque animi enerues facti: atque, ut sic dicam, euirati, ex nostrarum imperfectionum commistione perlanguescunt, in tantum ut iam

{pdf 048, p. 16}

non ossa, sed caro quaedam mollis, & infirma dici potius debeant. Quid igitur dicam?

{6.4} Anima mea turbata est valde.

Pulchra admodum in hoc loco metaphora ab Eutymio ponitur. Quoties, ait, quis ad iram irrationabilem, aut ad prauas concupiscentias fuerit stimulatus, tunc diabolus immodice spirans, animam solet & corpus perturbare, non secus ac ualidus uentus in mare irruens: miscentur enim ambo, atque aestuant, nec proprium aliquem locum, aut ordinem seruant. Propterea non inepte arbitrati sunt quidam, hic animam, omnem uim illam intelligi, qua uiuimus & sentimus, ex mortis memoria, poenarumque horrore summe deiectam, & consternatam: quemadmodum & illud de Christo intelligi oportet, Tristis est anima mea usque ad mortem.

{6.4} Sed tu Domine usquequo?

Plenissima affectus reticentia. Usquequo? uide quid addi debeat. Usquequo, ait, tuam illam solitam opem sic diuexato, sic fracto, differes? Usquequo tam infeliciter turbabitur anima mea, & uenter meus? Quousque horrendum istuc doloris monstrum in me desaeuiet? Diu, inquit, abs te neglectus sum, cum tamen auxilio tuo quammaxime indigerem. Ubi igitur es Domine? usquequo abes? Contemplare, te obsecro mi lector, ad quantum interim deueniat dolorem anima, quae in medio ipso uerborum conatu intercipitur, ac mutit [sic]. Postquam enim dicere coeperat, usquequo non subuenis, a memoria statim peccatorum, quibus longe diuulsa fuerat a tam amantissimo patre, ueluti ab acutissimo iaculo traiecta, elinguis redditur, contentaque solummodo suspiriis, tacet: postea uero a spiritu admonita, qua uia quoue medio commoti iudicis ira sedare queat, statim a moerore evigilans clamat,

{6.5} Convertere Domine et eripe animam meam.

Tu qui auersus es a me, inquit, propter foeditatem peccati, ita ut nihil iam mihi ob oculos uersetur, nisi mors, timor, terror, desperatio: reuertere ad me, ut prius, atque eripe animam meam. Hunc sensum secutus paraphrastes, Redi, ait, Domine ad solitam clementiam. Viro enim maximis in perturbationibus animi constituto, uidetur Deus auersus, ac ueluti se alio recepisse, cum eum sinit aliquandiu, non sine mirabili dispensatione, excruciami. Orat igitur ut ad se reuertatur, hoc est, suum fauorem exhibeat, quasique sese ab ira recipiens, ab imminente exitio, ac quo maxime affligitur dolore, eripiat.

{6.5.} Saluum me fac propter misericordiam tuam.

Nescio an diuinius exprimi posset huius hemistichii sensus, quam a paraphraste est expressus. Libera, inquit, o Domine, animam meam a malis, habita ratione non tam peccatorum meorum, quam benignitatis tuae immensae. Quid huic addendum putas? quid, quaeso, lachrymas nostras frigidissimas? quid planctus? quid actiones? quid affectum illum mordacem, quem compunctionem appellamus, praeferimus? Saluum me fac, inquit. Qui uero? propter iustitiam meam? propter merita? propter, uel usque ad mortem, labores, sudoresue extremos? Minime quidem: at propter unam tuam misericordiam: ut neruum totum, uimque omnem salutis, Dei miserationi, & pietati acceptum referre discamus. Non propter uos faciam, dicit Dominus, notum sit uobis: sed propter nomen sanctum meum.

{6.6} Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?

Dici facile non posset, quantum praesentis uitae amantes fuerint antiqui patres. Huiusmodi enim desiderii ratio ea esse uisa est, quod illis non tam perspicue futurae uitae status fuerit reuelatus, quemadmodum postea nobis, Dei filio glorificato. Quocirca ipse in Euangelio certiore sui regni notionem tunc fuisse asserens, hoc modo suos alloquitur discipulos: Beati estis, qui uidetis & auditis, quae uidere & audire multi reges & prophetae concupiere. Quo ergo ueteres illi futurae uitae bona minus perspecta habebant, etsi non dubitarint ea omnia mortalium omnium excedere captum &

intellectum, hoc fuerunt praesentis uitae cupidiores. Rursus, quia ex suo obitu, suoque a bonorum coetibus secessu per

{pdf 049, p. 16v}

mortem, uidebant improbos rerum potituros, Deique honori & religioni, quam sane semper ante omnia cordi habuere sanctissimi illi uiri, insultaturos: uidebant etiam cum demigrassent, nefarios homines illam adhuc teneram in terris, fastu atque ambitione calcaturos. Nonne istud idem diuinus ille exoptauit antistes, qui lectulo cubans, agensque animam, huiusmodi orauit affectu? Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recusabo laborem. Cernebat enim uir prudens, ex suo obitu tenerum suum gregem a lupis exterminandum: quod quidem nec suos latuit alumnos, qui beatam animam iamiam coelestem requiem subeuntem, lachrymis insequentes clamabant, Cur nos pater deseris? aut cui nos desolatos relinquis? inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. Hinc ergo tam anxie perfectissimi uiri orabant seruari in uita. hinc & orabant in praesentiarum nonnulli, ut ea habeat, qui conditoris bonitatem, cultumque, dignis laudibus extollant, & dilatent. Non est in morte, ait, qui memor sit tui. quasi dicat: Quid me Domine tam cito mori cogis? cur me immaturo ueluti fato absumis, cum apud uita defunctos nulla tui extet memoria? In sepulchro enim quis te unquam celebrabit? Mortuus ac tumulo mandatus, poterit ne tuas laudes proferre? cultum tuum longius extendere? beneficia ne tua immensa inter mortales praedicare? Huic simile orasse Ezechiam regem legimus, cum uitam sibi prorogari exposceret. Quia non infernus, ait, id est secundum Hebraeos, sepulchrum, confitebitur tibi: neque mors, hoc est, neque mortui laudabunt te. Non moriar, inquit Dauid, sed uiuam. ac mox causam addit, quam ob rem uiuere in corpore cuperet: Et narrabo, inquit, opera Domini. Ingens nimirum indicium, uitam propterea diuinitus homini datam, ut sui conditoris cultum, quantum in se est, amplificet: non ut eum uitae fastu, prauisque moribus, uel coarctet, uel corrumpat etiam, ut nonnullos agere uidemus, qui ad decrepitos usque annos prouecti cum sint, attritique in Dei, ut uocant, seruitio, nondum tamen male olentem animam ex humo attollere didicerunt. Iam (credo) palam factum est, quid sibi uolunt hic mortis atque inferni nomina. Hanc quidem interpretationem hi qui uetustissimos, atque adeo uerissimos Hebraeorum libros consulere, nos docuerunt. Latini uero ab eo quod terra reconduntur mortui, ac infra nos ponuntur, inferos appellant. Caeterum in Genesis libro legimus, Iacob in moerore illo suo dixisse: Descendam ad filium meum lugens in infernum. Quis, oro, tantum uirum censeat praedixisse se in locum poenarum descensurum? dicere enim uoluit, sese in luctu sub terra in sepulchro per mortem iri conditum. Infernus igitur sit ipsum sepulchrum: inferi uero ipsa cadauera. Non nego tamen, sensum, quem modo dicturus sum, hic posse accommodari. Aiunt enim per mortem peccatum intelligi, quo cum quis foedatur, amens statim fit, & caecus omnino. quocirca in sorde illa letali manentem, impossibile est Dei memoriam salutarem habere. Infernum porro exponunt esse locum poenarum, in cuius obscuritate neque proprii reatus resipiscentiam, neque peccati odium, neque laudis diuinae studium haberi posse. Ante mortem, ait Eutymius, poenitere quem potest: post mortem uero retributionis tantummodo tempus est. Vide, quaeso, quam abundans in sensibus sit uatum spiritus. Vide, inquam, an in horrida mortis memoria ac inferni, ubi nihil uidetur esse nisi moeror, dolor, desperatio, queat anima nondum ad scoriam usque repurgata, laudare Deum, quem ob anteactae uitae scelera, cogitur tanquam alter Adam, aut Cain, fugere.

Hi enim solummodo diuinas celebrare laudes sciunt, quorum mens ita suo unita est auctori, ut nihil iam quod terrorem ciere possit, aut cogitent, aut sperent. In horrore igitur mortis atque inferorum, quis digne laudat Deum? Quis rursus defunctus uita, ac tumulo conditus, suis ciuibus nomen sanctum Dei praedicabit? Aut quis peccatorum mole obrutus, iamque infernis tenebris atque ignibus destinatus, non magis execrabitur, quam extollet Dei cultum? Certe non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.

{6.7} Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum.

Hyperbolae audentes sunt, doloris nimirum amplificandi causa adhibitae: im-
[impossibili]

{pdf 050, p. 17}

-possibili enim modo se precaturum pollicetur. Quid non promitteret (ut in uotis uidemus) expauescens conscientia? Cuncta quidem plus quam difficillima, modo a tam diris absolueretur pauoris morsibus. Laboraui, inquit, suspirando, plangendo, lachrymando, adeoque in his defatigatus sum, ut largo imbre lachrymarum lectum meum lauarem: quod quidem impossibile uidetur. Sed talibus utimur, cum dolemus acerbius: neque aliud hic sane uult uates, quam instantiam, uehementemque orationis ardorem demonstrare. Conceditur (inquit Fabius) dicere amplius, quando dici quantum sat est, non potest. Felix sic habet: Nabilem reddam per singulas noctes lectum meum: hoc est, efficiam ut natet lectus meus in lachrymis meis. Vides ardentem in propheta affectum? Audiamus (ait Eutymius) nos homunculi tanti regis poenitentiam, eamque imitemur. Sanctissima profecto, atque tam sancto monacho digna adhortatio, modo nostri temporis poenitentes, poenitentiae summam ac uim, in nescio quibus propriae uoluntatis afflictationibus, absque intimo succo, minime statuerent: quibus quidem de more quotidie peractis, rursus idem sunt, ad pias scilicet actiones frigidi, inconstantes, duri, difficiles, morosi, atque omnibus, qui uel parum ab illo suo praecipiti proposito, ac falsa poenitentiae imagine dissentire uidentur, obtrectantes. Verum non negauerim prophetam re ipsa, aut si re non ualuit, uotis tamen ueris, propositoque non ficto praestitisse, si quid inflammatus ore protulisset, cum ut ignis tam aestuantis desiderii, ignem illum alterum concupiscentiarum restingueret, culpasque deleret, tum ut nos tepidioris naturae homines ad flammam illam, qua uerus poenitens uri debet, excitaret. O normam coelitus iis datam, qui anteaetae suae uitae rationem secum exactissime reputant. Laboraui, inquit, non simplici quodam modo, aut in superficie, sed in gemitu meo: uel, ut legit paraphrastes, fletu lamentabili. Postea adiicit: Lauabo, seu natare faciam lectum meum, non semel ac iterum, sed per singulas noctes. Cernis assiduitatem laboris in poenitente? Cur uero in nocte? num dies a carnis cruciatibus eximendus? Per diu enim uariae solent nostri secreti silentium interturbare cogitationes, quae raro in unum, perseuerante lucis strepitu, quo mirum inmodum distrahimur, coire possunt. At nox, cum ex defectu lucis, qua (ut dixi) facile in uaria distrahimur phantasmata, tum ex alto rerum omnium silentio, ac quiete, nos magis acuit, excitatque ad res animi pertractandas. Commodissimum enim id temporis ad nobiscum ratiocinandum esse dixerunt patres. Illud porro, lachrymis meis stratum meum rigabo, praecedentem particulam explicat.

{6.8} Turbatus est a furore oculus meus.

Furorem appellat Propheta horrorem illum iam in corde conceptum, uerum extra per membra ipsa peruagantem. Nam de furore illo superius dicto in Deo, non dici, hebraeus indicat. Diuus enim Hieronymus sic reddit: Caligauit prae amaritudine oculus meus: uel oculus simpliciter, uel tota haec corporis habitudo, & facies, prae dolore assiduo decolorata, ac natiua specie destituta. Inter caeteros enim effectus, quos dolor cum lachrymis permixtus parere consueuit, reddit in primis faciem rugosam, totumque corporis habitum, cariosum, tabidum, penitusque deformatum: & ut alia habet litera, plus quam senilem, et cadauerosum. Hic igitur uates intelligi uoluit, succum sibi omnem corporis deperiisse, seque prorsus contabuisse. Nec sane mirandum, quod sancti Dei uiri tam crebris interdum questibus suum dolorem proferant: nam praeter id quod nobis qui inter poenitentiae lamenta uitam traducimus, in exemplum proponuntur, est considerandum, quod Deus in suis indolentiam non requirit, quemadmodum neque ipse in terris praestitit, ut sanguineus ille sudor in horto, uel solus, testari potest. Quod si electis omnis abesset dolor, ubi crux illa, sine qua Christianorum uita esse non debet? Queri uero adlamentarique apud Deum, ac eius opem exposcere, animi est pii admodum, Deumque, ad quem confugit, pro patre habentis: qui quidem, cum nihil sit adeo indulgens ac misericors, lamentis huiusmodi, quae a corde attrito, simul et amante, procedunt, non offenditur, sed delectatur.

{6.8} Inveteravi inter omnes inimicos meos.

{pdf 051, p. 17v}

Cur, quaeso (dicet aliquis animae, quae tam queribunde suum depromit laborem & dolorem) tanta pateris? Unde haec tam dira afflictio? Inueteraui, inquit: hoc est, nondum nouum indui hominem, qui secundum Deum creatus est: adhuc seruius legi carnis. Inueteraui, inquam, & in uia iustitiae (quemadmodum senes cernimus cito, uel in tantillo labore defatigari) absque uigore spiritus fatigatus sum. Inueteraui dico, ac (quod cum singultibus, & semel, & bis, & tertio proferre cogor) turpissime inueteraui. Siquidem nouum haudquaquam est hoc meum cum hostibus certamen, cum dolore, cum luctu. Annosum enim est, utpote quod mecum una ex matris meae utero sit exortum, mecumque cum ipsis annis subcreuerit.

{6.9} Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Ut animum recepit uates, utque sensit se iam, fugatis tenebris, consolationis radio tangi ac perlustrari, insultat hostibus, atque ait: Discedite a me, facessite, abite quotquot malum machinamini. Iam plus satis audiui, persensique uestra inimica in me odia. Recedite, inquam, spe uestra impia delusi: nam Dominus meo lamentabili fletu, clamosoque eiulatu, & lachrymis, placatus est. Ille enim qui mihi dedit ut tam largo lachrymarum imbre deflerem, ad eumue confugerem, is ad dona sua iam demum respexit.

{6.10} Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Haec omnia eundem sensum habent, ut interim a superuacanea illa in hoc loco, inter orationem deprecationemque differentia cessemus. Illud magis considerandum, quomodo ardeant, exundent, uiuaque sint omnia in sanctis. Neque id rursus praetereundum, quod in hoc uersu Felix legit, suscipiet: quo intelligas summe confidentis orationem esse, quod exauditurus sit Deus in posterum, cum modo exaudierit: alioqui genus esset ingratitude haud mediocre, illum, qui, iam se sensit exauditum, iterum exaudiendum se minime sperare. quocirca a uate est dictum, suscipiet.

{6.11} Erubescant & conturbentur omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valde velociter.

Et hic animaduertenda est tautologia: nam haec omnia, erubescant, conturbentur, conuertantur, idem uolunt ac discedant, licet diuersam habere uideantur intelligentiam: atque est Hebraeis perinde atque dicas, dilabantur, rursusue cum ignominia suo frustrati consilio ad propria reuertantur: similitudine nimirum a uictis in acie mutuata, qui pedem cum ignominia & pudore referunt. Nonne & de ipso quoque daemone, infensissimo mortalium omnium hoste, scriptum apud sacros autores legimus, quod semel in pugna spiritus ab uno aliquo ex electis deuictus, indignabundus ac confusus ita pedem retrahit, ut nunquam postea cum illo in eo genere peccati congregari audeat? Fortissimum hostem, qui cum manum conserere pertimescamus, simulac ad primum, & hunc leuissimum ictum confusus, dat terga. Caeterum sentit Eutymius dictiones, ualde uelociter, omnibus superioribus uerbis adiiciendas. Optat, ait, propheta, atque imprecatur illos quamocysse haec omnia pati. Verum, dicit aliquis, quomodo sancti Dei uiri, uel cum primis Daud, tam dira aliquando uisi sunt hostibus suis imprecari? Sic enim dicere possumus, quod cum oratio sit opus animae, cogitationibus, intimisque affectibus cum Deo colloquentis, eo diuino afflata spiritu saepenumero trahitur, ut mira quaedam, atque ineffabilia uideat, ac patiatur: multa insuper interdum ei iudicia, alioqui reconditissima, summi iudicis reuelentur, quae quidem corporeis uoluptatibus addictis minime sunt nota. Ita Daud, caeterique praeclari Dei interpretes, incredibili quodam in suis precibus ardore, atque ecstasi, in Deum ipsum rapti, cernunt quantum flagris & damnationi prauis homines sint proximi. Tunc enim, quae Deum optimum, optime iustissimeque in reprobos decreuisse cognoscunt, eadem illa, quo boni minus a spe firma dilabantur, accelerare rogant. Nec quidem, cum Deum super omnia & uenerentur, & diligant, ab eo quicquam petere queunt, quod non certo sciant ipsum ultro daturum. Cauendum tamen, ne carnis affectu aliquo moti, aut ira, audeamus temere tyrannis, aut alio modo Dei hostibus, mala imprecari,

{pdf 052, p. 18}

aut de illorum infortuniis gaudere, dolere ue in secundis illorum rebus. Nondum enim ad illam supremam diuinorum cognitionem, nos tardi atque hebetes, ascendimus, qua reuelata facie, quae in huiusmodi rerum dispositione sit Dei uoluntas pernoscamus. Potius autem ex hisce sanctorum imprecationibus doceri debemus, quam longe a

coelesti fauore proiecti sint, ac perdati omnino hi, quos, quia pater illos, sua ipsorum causa, non traxit, ardens daemon contra electos tam dire furere facit. De quibus tamen orandum erit, ut, si fieri potest, conuertantur ad Dominum ualde uelociter, atque illis millies illud Domini inculcandum, Ne tardetis conuerti ad Dominum: ne differatis de die in diem, & dicatis, Miseratio Dei magna est: subito enim ueniet ira eius, & in tempore uindictae disperdet te. uel illud Esaias: Subito dum non speratur, ueniet contritio.

IN FINEM PSALMUS DAVID, quem cantauit Domino pro uerbis Chusi filii Gemini. VII.

{7.2} Deus meus in te speraui.

Titulus huius psalmi haud uno modo redditur. Alii enim, ut hic uides. Alii sic: Exercitatio Dauid, quando cecinit Domino super uerbis & Chus stirpis Benjamin. Alii uero aliter. Volunt enim dictionem hebraeam, quam exercitationem nonnulli interpretantur, errorem etiam posse reddi, aut interpretatione, aut angorem, quod magis placet, aut solitudinem, aut musicum quoque instrumentum, quo canebatur hic psalmus. Nos, ait Felix, haec omnia Christo adaptamus: nam & angorem & solitudinem quammaximam habuit, & passus est a Iudaeis ipsis, qui Chus dicuntur, & filii dexterarum (sic enim interpretantur Benjamin) etenim filii dexterarum fuerant, omnes uero aliae nationes filii sinistrearum. Quid per dexteram, nisi misericordia? & quid per sinistram, nisi Dei ira designatur? Verum ipsi Chus erant, id est, Aethiopes nigerrimi, atri, obcaecati mente & corde, cum ipsum Dominum crucifixerunt. haec Felix. Nos autem ad psalmi mentem uertamus stilum, ne in enucleandis psalmorum titulis nodum in scirpo quaerere uideamur. Dei itaque filius hic est qui loquitur, qui nostras assumit calamitates, qui ueluti colonus in terris, ut ait uates ille, labores, doloresue suos & nostros exponit. Ille igitur absque peccati labe qui fuit, tanquam omnium scelestissimus, tot diros sponte sua patitur cruciatus: nos uero uel ab ipso uitae exordio perditissimi, ne tantillum quidem poenarum, quas commeruimus, non nisi fracto animo ac queribundo toleramus: hinc enim omnia iam facta sunt nobis odiosa, in omnibus morosis ac duris: offendunt omnia, pungunt, lacerant, mordent, uel ipsae quidem edentulae res, atque innocuae, nobis aut pauori, aut fastidio sunt. His tamen, & nobis cognitis, & caeteris plusquam manifestis, audemus nescio quid perfectioris uitae ac studii praeferre, nostrasque uenditare sanctimonias non erubescimus: quarum quidem umbram, & hanc tenuem, uix, ueluti per transennam semel uidimus. Sed ad Dei filium reuertamur, qui hoc in psalmo summam totius perfectionis, cuius ipse autor est, effigiat. Si enim generali quodam modo, quaedam in hoc psalmo posita intelligi arbitramur, ut sunt illa: Si est iniquitas in manibus meis. Et, Iudica me Domine secundum iustitiam meam. Nemo tanta cum fiducia unquam orare potuit, quanta innocentissimus Dei filius. Si uero de crimine falso alicui intentato accipienda ducimus, alicui nostrum etiam, cum duce nostro Christo, conuenire credimus. Equidem, ut de me dicam, peccatorum omnium maximum me esse fateor: attamen non propter hoc, illos qui falsa in me moliuntur, quique eorum maxime insimulant, quae, ne per somnium quidem, unquam cogitauit, et qui a uirtutum itinere, aut salutis cursu me remorari contendunt, excusare debeo, aut malum illorum animum approbare. Imo uitam ipsam, res, fortunas, & denique quicquid sum, effundere mens est, & debeo, potius quam illorum scelera, foedosque mores, ac uitam omnium turpissimam & inquinatissimam laudare, aut obtegere. A professione

igitur fidei suae in Deum, ut sanctos decet, precem auspicatur anima, & ait, Domine Deus meus in te speravi. Non ego in gladio, inquit, non in uiribus,

{pdf 053, p. 18v}

non in scientia, non in meritis, non in amicorum tum copia, tum excellentia meorum, sed in te Domine mi Deus speravi. Certissimum quidem est, illos, qui uere Deo fidunt, deseri ab eo non posse: cum neque uir bonus eum queat deserere, qui suae se fidei penitus commiserit. Quis talem, peruersum non censeret hominem? Porro spem nostri definiunt esse uim illam, qua aeterna sperantur: hoc est, cum fiducia minime uacillante expectantur, & quam ex Dei gratia, atque ope, oriri non est qui ambigat: cuique patrocinantur, ac uim suppeditant opera illa, quae a charitate erga Deum proficiscuntur, quaeque spem ipsam tanquam ardentis faculae praeire solent: alioqui absque bonarum actionum fructu & decore sperare, temeritas potius, quam spes, appellari debet.

{7.2} Salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

Quoniam igitur in te speravi, & quoniam impossibile est eos, qui in te sperant, suo frustrari uoto ac spe, idcirco serua me, tutareque ab hac tam numerosa me persequentium multitudine. Num me abs te totum pendentem in cruentas illorum manus cadere permittes? Ad quem, oro, alium, si abs te deseror, confugiam? nunquid ad me ipsum uitro ipso fragiliorem? num ad amicos fortunae magis de more obsecundantes, quam honesto, quam decori, quam uerae amicitiae? nunquid mundi me huius tam inconstantis fidei committam? Ne uiuam si id tento. Serua tu igitur me o qui potes, meque miserrimum in modum catenis uitiorum innodatum libera. Timeo enim ne tandem deceptus comprehendar. Quis, rogo, tam est ingenio perspicaci, tam prudenti, tam acri, cui hostium technae tam uariae sint notae? Et si tamen sunt, qui poterunt sine te superari? Exime igitur me o Domine,

{7.3} Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.

Quam, bone Deus eleganter vates leonis praedam corripientis, dilaniantisque imagine, ferociam, ardentemque iram hostium, nostram insectantium salutem, ex pressit? Et est sensus: Ne, quaeso, corripiat hostis tanquam leo animam meam, neque dilaceret, dum non est qui eripiat. Pulchra profecto similitudo, Nullum enim animal tam audax est, quod cum leone potissimum praedae inhiante, concurrere audeat. Quis, oro, tam diras fauces a pastu immunis auertat? Censet Eutyminus hunc psalmum illi maxime conuenire, qui ab immanibus exagitatus tentationibus, cum Domino suas computat rationes: ut persecutores sint daemones: leo uero, ipse infelicium spirituum omnium princeps satan, qui cum animas in desperationem rapere molitur, nemo ex omnibus inuenitur, qui illas e cruentissima eius ingluuie redimere ualeat, nisi solus animarum amantissimus Deus. qui quidem senius admodum piis affectibus probari solet. Caeterum haud facile dici posset, quam immensus ferarum sit numerus earum, quae praeclarissimos quosque uiros a schola Christi, secum ad inhospitas syluas, tetraque nemora trahere conantur. Etenim quae ferae, quae belluae adeo immanes sunt, quae tam atrociter in umbrosis saltibus minutiores animantes insectentur, ac uastent, quam uastent animi candorem,

libido, ira, cupiditas, odium, rabies, ambitio? Quae ars igitur? quae industria? quod, quantumuis solers, ingenium, aut consilium, nutantem hanc uitam nostram a tot malis redimet, cum non sit in rebus conditis, qui ad eam redimendam, seruandamque sufficiat, nisi tantummodo Deus? Redimet ne homo hominem? hoc est, peccator peccatorem? sordidus sordidum? caecus caecum? quis unquam hoc uidit? Solus igitur ille, qui, quemadmodum ab omni peccati labe integer uixit in terris, sic bonorum omnium autor est, atque idem eorundem bonorum & finis, & requies.

{7.4-5} Domine deus meus si feci istud: si est iniquitas in manibus meis: si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis, inanis.

Est hic consideranda illius confidentia, qui alicuius insimulatus sceleris ab aliquo, sese diris deuouet. Felicitas sane maxima est conscientiae, nihil conscire sibi, ac nulla culpa impallescere. Si igitur feci istud, hoc est, si uerum est quod mihi obiciunt aduersarii, & de quo tam male audio: si, inquam, meis in manibus inuenitur iniquitas, id est, mihi adfuit, in hoc genere peccati, de quo accusor, consensus:

{pdf 054, p. 19}

si meipsum ulciscor, quae maxima est iniquitas: si alicui malum unquam pro malo reddidi, tunc non exaudies: atque ita tua ope denudatus, ac gratia, cadam, & deficiam. Iam tunc hoc merui. Videtur hic hebraeus paululum a nostro uariare sensus. Si iniqui, aiunt, & prauis aliquid unquam molitus sum, si iuncto mihi consuetudine, pacisque foedere adstricto malum rependi, cadam merito abs te reiectus. nam secundum eorum literam sic legi potest: Si conatus sum perdere quemquam, qui pacem & amicitiam meam ex animo expetiuit, quod quidem minime feci: sed magis persequentem me nulla causa, defendi, amauique: inanis, ac uacuum tuo auxilio, eo corruam, quo me hostes impellunt. Diuus uero Hieronymus sic uertit: Si reddidi retribuentibus mihi mala, & dimisi hostes meos uacuos. Vide perfectionem animae. Non solum, ait, facientibus mihi mala par pari non retuli, sed illos quoque non dimisi uacuos beneficiis, & largitionibus.

{7.6} Persequatur inimicus animam meam: & comprehendat, & conculcet in terram uitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.

Ardens deuotio, atque animo optime sibi conscio digna. Animae nomine seipsum intelligit uates, id quod frequens in scripturis est. Vitae porro in terram conculcatio, uitae est extinctio. Gloriae uero in puluerem collapsio, est nominis ac famae, qua sibi ipsis boni superstites sunt, abolitio. Atque hic selah interponitur, nec immerito. Siquidem quam candido pectore, uel in hostes ipsos esse debeamus, mirandum nobis in hoc loco proponitur exemplum. Sensus igitur esto: Si talia commisi, quemadmodum ignobile istud uulgus de me iactitat, persecuatur me hostis, uel homo, uel daemon sit, non recuso, postquam sic merui: uerum ita persecuatur, ut etiam comprehendat: adeo rursus comprehendat, ut nusquam effugiam. Quid? ubi cruentus ille comprehenderit, conculcet illico, prosternatque usque in terram, uitam, ac demum gloriam omnem meam, famaeque & nominis memoriam in tenuissimum puluerem deducat: hoc est, ad nihilum adeo redigat, quo funditus peream. O mirabiles prophetae affectus. Quis idoneus, ut hasce ardentis exaggerationes intelligat? Persequatur, ait, daemon, caro,

mundus, fomes peccati. Comprehatat, id est, in lege peccati meam deducat animam captiuam, ac laceram. Conculcet in terram uitam meam, affectus scilicet omnes animae, terrenis rebus, mundoque ipsi seruire faciat, gloriam item meam in puluerem deducat: intellectum uidelicet meum, qui gloria est animae, induret, obfuscet, obtundat: unde a gratia tua desertus, penitus obbrutescat. Quid, quaeso, aliud imprecatus est Hieremias cum dixit? Recedentes a te, in terra scribentur [Jeremiah 17.13].

{7.7} Exurge Domine in ira tua.

Satis dira imprecatione, deuotione ues se uates purgauit in superioribus: nunc orat hostium oppressionem. Dum enim sinit Deus, occultissimo quodam, aequissimo tamen iudicio, prauos homines licentius in bonos desaeuire, iacenti similis uidetur, ac dormienti: aut certe, ut audacius dicam, deiecto, prorsusque uiribus destituto. Inenarrabile quidem est, quomodo diuina illa maiestas, quos maxime uult defensos, indefensos relinquat: atque eorum, quos odit, iniuriis patiatum esse obnoxios. Ait igitur: Exurge Domine. Cur quiescis? cur differs? iustitiam tuam hic inuoco. Ostende, te obsecro, potentiam tuam in ira, hoc est, in ultione & uindicta. qua commotiones, grauesque iras me insectantium reprimas. Felix sic: Exurge Domine inter iracundias tribulantium me. Cui & conuenit paraphrastes: Commoueant te, ait, furores hostium meorum: ut dictio, Ira, ad inimicorum rabiem, referatur, non ad Dei uindictam. Quanquam quid uetat, Deum, ut tanquam iratus ad innocentiae defensionem exurgat, inuitare? Reuelatur enim ira Dei de coelo super omnem impietatem, aiebat Paulus.

{7.7} Exaltare in finibus inimicorum meorum.

Hoc est, fac te omnibus altiozem: cunctique tam supereminentem potentiam, illam nimirum qua omnes omnium terminos excedis, persentiant. Scribit Eutymius hic, fines hostium, pro eorum morte accipi. Cum altus, inquit, sis, & sublimis, ita etiam appa-
[appare]

{pdf 055, p. 19v}

-re, atque ostende te hominibus. Huiusmodi autem apparebis in finibus, hoc est, in morte inimicorum tuorum. Mors enim uniuscuiusque finis est. Haec Eutymius. Quae quoniam uisa sunt digna spiritu prophetae, libenter hic caeteris assumus.

{7.7-8} Et exurge Domine Deus meus in praecepto, quod mandasti, & synagoga populorum circundabit te.

Cernis ne quantis argumentis utatur uates ad exorandam diuinam opem? Ab iis enim quae ipse Deus obseruari iussit, argumentatur. Tu, inquit, exurge eo modo, quo uis homines inter sese mutuis exurgere beneficiis. Mandasti quidem ut nos inter nos aequae iudicemus, ac miseros e sceleratorum manibus uindicemus. Tu iam praesta, quod praecepisti. Tu tuam, ne mendax, uanus, tyrannidisque appetentissimus ab improbis appelleris, uindica constitutionem. Quod sane si feceris, tum synagoga, tum populorum corona, coetusue frequens gentium circunuallabunt te, ad te recurrent, te amplexabuntur, ad te, qui ob tuam de me neglectam curam, auersi retrocesserant,

reuertentur. Per me enim tuus ad te reuocabitur populus, tuumque ad cultum aggregabitur, unaque frequentissimus ad tuas coibit aras. Nescio quo pacto id accidat, quod impiis regnantibus in Dei ecclesia pastoribus, greges facile ad impietatem prolabantur, quasique a Deo abducantur, cum interim tamen culpam omnem in greges ipsos reiiciant. Ita pii, probique cum regnant, populus ad Deum, uelit nolit colligitur. Quare semper cum a lege naturae, tum ab ea quae mandata est literis, cautum fuit, ne quis ad gubernandas respublicas, coetusque ciuium, ac conuentus, ascisceretur, nisi is, qui & religione, & uitae sanctitate caeteris praestaret. De iis uero qui honores, aut gradus, non secus ut canes leporem, insectantur, in hisque adipiscendis die noctuque immoriuntur, licet indocti, ineptique, ac tam longe a probis moribus extorres, quam longe exulant a coelestibus bonis daemones, non est praesentis instituti dicere. Videant hi qui promouent.

{7.8} Et propter hanc in altum regredere.

Coelestis enim pater cum sinit sanctum suum gregem, synagogam scilicet populorum, a malis opprimi, uidetur solium regni sui dereliquisse, ac ad suorum iniurias conniuere, neque bonorum amplius partem, ut boni solent iudices, tutari. Cum autem suorum se uindicem, defensoremque manifestat, uidetur tum solium regium denuo repetere, atque iterum in altum conscendere, ut iudicet. Idcirco rogat uates: Tu qui dissimulare uideris, & qui iam non putaris ab aduersariis meis in tuo sedere solio, quique longe abesse a tuis censeris, regredere, reuertere in altum, in solium, ad iudicium. Tu qui miserorum es arbiter, iudica causam tuam: & si non propter me, qui extrema quaeque merui, at saltem propter hanc tuam congregationem, quae ex falso intentata mihi calumnia, pene in maleuolorum consensit mentem. Tenera enim admodum est multitudinis opinio, & quae, quemadmodum ad deteriora, ita ad meliora facile inflecti queat, modo eius generis uita praediti sint illius moderatores, quod ipsis uiuentibus nemo peccare audeat.

{7.9} Dominus iudicat populos.

Hebraei legunt, iudicabit, idemque Graeci & est uerbum ardentissimae fidei, atque adeo certissimae in Deum. Cuius quidem sensum ita explicat paraphrastes: Quam prouinciam (exurgendi scilicet ad iudicandum oppressorum causam) non grauate suscipiet Dominus, & iuste iudicabit populos. Et cum ita fore cedam,

{7.9} Iudica me etiam secundum innocentiam meam, & secundum iustitiam meam super me: vel, quae in me est.

Nullam meam esse iustitiam, atque innocentiam, si ad tuam conferatur, certo scio, cum ne astra quidem ipsa munda sint in conspectu tuo: olimque in angelorum choris reperta sit iniquitas. Quis se gloriatur mundum habere cor? Verum si me cum istorum uita componas, conscius mihi quidem, in eo maxime de quo me accusant, eius iustitiae, atque integritatis uideor esse (donane tua obtegere possum?) ut sperem me abs te actutum iuuari. Id ergo facias precor, petoque ut quemadmodum caeterorum, ita etiam meae rationem habeas innocentiae. Certus enim sum aduersarios meos malam habere causam.

{pdf 056, p. 20}

{7.10} Consumetur nequitia peccatorum, & diriges iustum.

Deficiat ergo, finemque habeat iam tandem, obsecro, improborum malitia, qui me, nulla mea in eos culpa, tam crudeliter adfligunt. Et diriges iustum, hoc est, des ei optatum rerum suarum euentum, cuius ea est uoluntas, ut absque nefandorum hominum, si fieri potest, impedimento, in iustitiae semita gradiatur. Porro iustum ne deserere poteris, quem tu sic esse uoluisti? Tu es enim Deus,

{7.10} Scrutans corda & renes.

Hoc est, eorum quae cogitamus, de quibusue oblectamenta capimus, es perscrutator. In corde enim cogitationum sedem esse, nemo ferme est quem lateat. Caeterum quia in renibus, ut asserunt Physici, inest affectus ille gignendi caeteris uiolentior ac uoluptuosior, renes pro uniuersali oblectamentorum sede ponit propheta. & est sensus: Tu Domine intimarum etiam cogitationum, & cupiditatum es explorator. Vides, inquam, ubi uerus sit amor, ubi fucatus. Itaque uera cum haec sint, illi propterea tuto iudicium committitur contra iudicium hominum, qui fere semper iudicant secundum apparentiam, cum Deus interim intueatur cor. Olim enim Absalon a multis habitus est iustus, Daud uero peruersus: ex quo illum secuti sunt, hoc relicto. Iob rursus ab amicis ipsis suis reputatus est peccator: ipsi autem non solum quidem aliis uisi sunt iusti, uerumetiam illi, uiro alioqui iudicii haudquaquam humani, sed plane diuini. Vides mortalium fere omnium in aliis iudicandis caecitatem? Nonne filius Dei inter suos seductor turbarum appellatus est? nonne publicanorum amator, potatorque uini, Pharisei uero iustissimi? Quotus enim quisque est, uel ex eorum numero, qui religiosiores uidentur, cui iussio illa, qua admonemur, ne ante tempus iudicemus, sit cordi? has enim partes, hoc tribunal, hanc sedem occulta hominum disquirendi, seruauit sibi Deus. Quocirca temeritas eiusmodi cum ab omnibus, tum uel maxime a bonorum coetibus prorsus euelli debet, ac eliminari.

{7.11} Iustum adiutorium meum a Domino, qui saluos facit rectos corde.

Secus Felix: Scutum meum super Deum, aut in Deo. Et sic dictio, iustum, seu iuste, seu potius iustus, ad praecedentis uersus finem pertinet, ut sic legas: Scrutans corda, & renes Deus iuste: uel, ut est in hebraeo: Probator cordium & renum Deus iustus. Ait igitur uates, totam fiduciam suam, ac spem, in Deo sitam esse, qui iustus est. Estque quasi epiphonema ad ea quae dicta sunt. Nec mirum si per transnominationem scutum pro fiducia posuit, nam quemadmodum scutum, illum quem tegit, fidentem ac securum reddit: ita ille, qui in omnibus huius mundi aduersis, quae adeo multa sunt, ut numerari nequeant, Deum pro scuto habet, tutus efficitur, ac fidens. Quem sane fauorem, recto solummodo qui sunt corde, sentiunt & experiuntur: hi dico, qui optime de Deo cogitantes, haud huc, illucue incertis opi nationibus peruagantes, curui incedunt.

{7.12} Deus iudex iustus, fortis, & patiens: nunquid irascitur per singulos dies?

Hic Daudid sacro numine affatus, praeuidit hostium suorum ultionem, quae sane tanta cum instantia, animique ardore, in superioribus petiuerat: atque ob id semetipsum consolans clamat: Deus, iudex est iustus: ideo non me inultum sinet. Fortis item est: utpote qui, quaecunque uult, facit. Longanimis rursus tamen est: expectans scilicet omnes ad poenitentiam. Sed nunquid irascetur per singulos dies? Minime, inquit: siquidem longanimis est, ac patiens. Et quia non quotidie uos punit, sed suffert, iramque dissimulat, quo malos in se animos emolliat, ad poenitentiamque attrahat, nolite ob id improbiores effici. Nam nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrabit. Verum quoniam Hebraeis diuersa est lectio ab hac nostra, diuersus quoque exoritur sensus. Sic Felix: Deus iudex iustus, & Deus irascitur per singulos dies, id est, quia iustus est, indignatur quotidie, quia isti nouis quotidie eum sceleribus ad iram prouocant: unde mirum, ni acceleret ultionem, sic frequenter irritatus. Paulo diuersius paraphrastes. Deus, inquit, & iusti est iudex, & eius, qui sceleribus suis Deum irritat assidue. Quid si alium adhuc adhibeam sensum? Alia

{pdf 057, p. 20v}

enim ab iis omnibus oblata litera effecit, ut aliam quoque suspicarer intelligentiam. Non irascetur, ait, per singulos dies: hoc est, Deus qui mihi uidetur iratus, me tandiu in afflictionibus laborantem deserens, non semper mihi iratus erit: quandoque enim misericordiae memor erit, & mutabit sortem. Sed quoquomodo se res habeant, uos qui tantopere mihi infesti estis,

{7.13} Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & parauit illum.

Asserit propheta, summi iam iudicis imminere in impios mulctam, nisi quamprimum resipiscant, conuertanturque ad ipsum. Per gladium enim, poenarum acerbitatem: per arcum uero celeritatem intelligi uult Eutyimius. & recte quidem. Ensis enim cum uibratur, seu, ut legit Felix, acuitur, aut collimatur, apparatus est ad inferendam alicui mortem. Idem & de arcus tensione dici conuenit: qui tunc tendi, parariue dicitur, cum oculis neruus apte, ne sagitta a scopo aberret, admouetur, sed recta petat quanquam Felix legat, Direxit: quod sane uerbum celeritatem magis uulnerum indicat, quam si legas, parauit. Iam nec illud omittendum quod admonet Eutyimius. Crassioribus, ait, uerbis propheta saepe uti solet, ut auditorum hebetudini consulat. Hac ratione gladium Deum uibrare, arcum tendere, telaque iaculari, atque alia bellica instrumenta habere dicit, ut auditoribus timorem augeat, ac per nota eis nomina lapideam eorum mentem concutiat. Verum huiusmodi armis non indiget ille, qui aspectu solo facit terram tremere, & in cuius manu est omnis spiritus. Haec Eutyimius.

{7.14} Et in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.

More hebraeo uasa sunt instrumenta. Vnusquisque, ait Ezechiel, uas interfectionis habet in manu sua. Vasa igitur in eo parata, sunt spicula in arcu posita, quae secum cum mortem portant. An uero spicula huiusmodi letalia sint, sciunt hi, qui modo in mari Egaeo [sic], & Punico, cum Schytarum & Arabum classe conflagunt, ubi nullo alio armorum genere, tam immaniter prosternuntur nostri, quam sagittarum imbre (ut sic

dicam) ac nimbo. Illae enim cum hamatae sint, uenenoque praesentaneo illitae, raro a sauciorum corporibus absque anima euelli possunt. Sed quibus tandem sagittas illas diuini iudicii parandas dicit? ardentibus nimirum odio, studioque nocendi. Contra hos certe tela omnia tum humana, tum diuina, leges, iura, scitaque omnia collimantur. Paraphrastes uero aliter intellexisse hanc dictionem, Ardentibus, uisus est. Praeparata enim, ait, apud se habet tela mortifera: parabit ea, quo modo solent qui ardentissime persequuntur aliquem. Vtrumuis enim sensum accipias, non errabis: modo non ignores, uasa illa in arcu parata, mala illa esse, quae ex ipsa diuini iudicii celeritate, in scelestissimos quosque, uariarumue cupiditatum, ac libidinum flamma incensos, torqueri solent.

{7.15} Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Assuescendum est in primis eiusmodi tropis hebraeis, in scripturis cum omnibus, tum maxime odarum huius generis, in quibus a plurali saepenumero transitur ad singularem, & contra. Hic enim cum supra dixisset, Consumetur nequitia peccatorum. modo dicit, Ecce parturiit, aduersarius scilicet, peccator, impius, scelestus. Neque sane aliud sibi uult uates in hac partus, parturitionisue translatio ne, quam significare, perditos homines, circaque aliorum perniciem intentos, totos esse in excogitando, concinnandoque exitio alicui: neque aliud uersare animo, uerbis agere, factisque moliri, quam ut aliquem, seu ui, seu dolo, e medio tollant. Atqui cogitationum exordium, conceptui: consiliorum anxia illa ad nocendum dispositio, parturitioni: factum uero partui assimilari potest. Sic enim legit Felix: Ecce enixus est iniquitatem, postquam concepit afflictionem. Quam quidem distinctionem omnibus peccatis, quae, ut nostri partiri solent, suggestionem, delectationemue, atque opere perficiuntur, convenire arbitror. Concipit aliquis animo formas illas irritabiles, quas obiici nobis a daemone scribit Lactantius: huiusmodi enim conceptus, nisi prudens aliquis informem illum adhuc, atque inanimatum conterat, prauo pedetentim effigiatur oblectamento, aliturque consensu: qui porro iam grandis,

{pdf 058, p. 21}

factus, erupit, laboratque in lucem prodire, quod Latini parturire appellant, ac tandem prodit: isque fit partus actione nefaria, ac facinorosa. Sensus igitur erit: Ego ait, dixi, quod nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrabit aeternus iudex: sed quia nulla facta est conuersio, ecce, iusto Dei decreto, parturiit impius iniustitiam: uel, ut habet paraphrastes, Ecce sceleratus ille parturiet iniquitatem, nocere magnopere cupiens: concipiet animo stultum & molestum laborem, & tandem pariet rem nihili. Sane quam rem nihili. Nam

{7.16} Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam quam fecit.

Verissimum illud esse adagium, quotidie & uideo, & miror: Consilium scilicet malum consultori pessimum. Illud etiam: Mali corui malum ouum. Quam multi enim, dictu miserabile, suo se gladio iugulant. Quot consilia quorundam leuium animorum intercisa? quot deliberationes formantur animo, quae aut morte, aut casu aliquo inopinato, intercipiuntur? Ignorant miseri, quod in suo Deus arcu parauit uasa mortis:

quae censet Eutymius uaria esse genera mortis, gladium scilicet, ignem, aquam, terraemotum, hiatum terrae, aegritudines uarias, quibus aceruatim quotidie oppleri tumulos sepulchrorum cernimus. Nonne arcus diuini celeritatem esse fatentur, cum miseros istos, de quibus hic uates loquitur, uidemus ad pedes nostros, aut ense, aut fuste, aut apoplexia etiam ictos, uel angina intercepto spiritu suffocatos occumbere? Quid de tantillo araneoli morsu, aut praesentaneo scorpii aculeo dicam? Quot heri, Deus bone, laetissimo uidimus genio coenam uel usque ad gallicinium produxisse, cras uero, ad summum perendie, exhalasse animam? o incerta mortalium consilia. Sensus igitur is erit: Foueam effodit miser ille: neque hoc satis, eam ipsam apertam reliquit, sperans ut ego imprudens in eam incidam. Verum longe illi diuersum eueniet: corruet enim ipse in eam, nunquam illinc extrahendus. Quibus sane uerbis nihil aliud nobis significari uoluit, quam hostes istos nostros sceleratos, eadem ipsa, quaecunque nobis mala cogitant, ac ui omni intendunt, absumptura. Ecquis iam tam pusillae fidei uir est, qui uel ex unius istiusmodi psalmi testimonio contentus, totum se nolit Deo in aduersis committere, sperans fore, quod malos tandem male perdet aequissimus arbiter? Absalon enim a crine, Iudas uero Christi, hoc est, innocentiae proditor, a collo pependit. Quid Iudaei? nonne de terra ablati sunt? nonne funditus a gratia diuulsi?

{7.17} Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Ecce affectus iniquitatis quo iniquem pertrahit. En quomodo in coelum expuunt temerarii. Studium enim illud suum, ait, tam anxium (dolorem id uocat uates, seu, ut legit Felix, laborem. Quid non cum dolore ac labore molitur impius?) anxietas inquam illa tam studiosa me interimendi, in ipsius caput recidet: nedum quidem in caput illud suum perunctum, sed in ipsum quoque intellectum, quem hic per eminentiam, uerticem appellat. & est ac si diceret: Non solum enim corporea illius moles tuum iudicium sentiet, uerumetiam mens ipsa, atque intellectus indurabitur, obbrutescet, in sensumque reprobum sua sponte praecipitabitur. Ita enim orare possunt hi, quibus Dei uoluntas adeo perspecta est, ut nihil iam petere aut uelint, aut possint, quod non certo sciant futurum: atque in hoc, sicut in caeteris diuinis dispositionibus, toti in Deum ipsum transformati, omnia illa solummodo cupiunt, amant, uolunt, quae ipse aeterna lege & uult, & ordinat. Ita enim erit. Ego autem ab illorum insidiis liberatus,

{7.18} Confitebor Domino secundum iustitiam eius, & psallam nomini domini altissimi.

Celebrabo, inquit, Dominum secundum iustitiam illam suam, qua me sui cultorem ab impiis, eorumque moribus, & foeditate eripiens, illos tandem, ut meriti sunt, perdidit. Nulli porro dubium esse debet, confessionem, quod diuus asserit Hieronymus, non poenitentiam semper, sed gratiarum actionem saepenumero ac laudem significare. Unde illud: Confessio & pulchritudo in conspectu eius: nam ornatissimis moribus, uitaeque pulchritudine ac candore, laudari Deum conuenit. Atque hic idem esse, confiteri Domino, & psallere nomini Domini altissimi-
[altissimi]

-mi, censeo. Quod quidem illud est, quo in oratione Dominica petimus sanctificari nomen Dei. Hoc agunt illi, qui haud ficte, & in superficie, sed ex animo credentes, fiduciamque suam totam in Deo collocantes, quaecunque illius sunt, uerbis, moribus, gestis, ac uitae integritate profitentur: quo mundus ipse, alioqui per se ad malum procliuis, habeat, unde in nobis benedicere, non maledicere, aut oblatrare nomini sancto Dei ualeat.

**Super torcularia, seu ad githith.
PSALMUS DAVID VIII.**

**{8.2} Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in
universa terra.**

Theophylactus in commentariis super Ioannem censet Hebraeos solitos cantare hunc psalmum tempore antiquae legis in festo Scenopegiorum mense Septembri, quod iam conuectis frugibus, factisque uindemiis, gratias hoc psalmo bonorum omnium datori Deo agerent. Alii asserunt githith instrumentum musicum exitisse, quo cum psalmus iste cantabatur. Adeo uariant, apud interpretes, de titulis psalmorum opiniones. Quoquo modo sint illae, exploratissimum nos habemus hunc psalmum decantari solitum ab anima illa quae ex admiratione rerum conditarum, in quibus summa conditoris sapientia ac bonitas maxime relucet, obstupescit, totaque extra se posita exclamat, Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in uniuersa terra. Hebraei legunt, Domine, Domine, seu Domine dominator: quare illud primum diuinitati Christi Iesu conuenire, secundum, humanitati, coniectamus: & est ac si diceret, Deus here noster. Nos interim hoc modo: Domine rerum omnium opifex ac seruator, qui Dominus, per specialem quandam tui cognitionem, factus es noster, quam admirabile est nomen tuum: hoc est, quam admirandus es tu. Nomen enim Dei esse eius gloriam, famam, cognitionem, qua ipsius bonitas, maiestastue cognoscitur, facile nobis persuaderi patimur: ac, ut ait quidam ex Hebraeorum rabbinis, nomen eius ipse est, & ipse nomen suum. Et nomina insuper habet omnia, ut ait Hermes, quoniam unus est pater: uel potius, quod idem asserit, nomen habet nullum, quoniam pater est omnium. Verum haec alias. Nunc, quantum ad institutum nostrum attinet, dicendum, hic animam sanctam mirum in modum stupore affici & admirari, quomodo tam sublimis appareat Deus in rebus conditis: qui tam longe, tam late, tamue profunde innotescit, alte, quam longe, quam late, eius incomprehensibilis bonitas cernitur, & se passim uidendam exhibet. Atqui hanc esse illam in Paulo latitudinem, longitudinem, profunditatem, sublimitatemue, quam ut comprehenderent Ephesii, ipse flexis genibus Deum orabat, arbitrati sunt quidam. Caeterum ex effectibus, atque rerum conditarum ordine & concinnitudine, notionem de Deo cum habeamus, eos ipsos effectus partim naturales, partim naturam ipsam excedere dicimus: sed cum hi, secundum naturae legem, uimque illam rebus ab initio ingeneratam coelitus procedant, illi magis ad ea pertinent, quae gratiae, fideique mysteria continent. In utrisque tamen admirabilis, ac super omnia sublimis apparet Deus. Idcirco dicendum: Domine, Domine, inquam, nostrum omnium, quam merito magna fama nominis tui per uniuersas terrarum regiones est sparsa: quam sublimis, quam excelsusque ab omnibus quotquot hanc terrae uastitatem incolunt, praedicaris.

{8.2} Quoniam eleuata est magnificentia tua super coelos.

Magna sane sunt argumenta tuae maiestatis in terra: sed non minora, quae apparent in coelis. Quod ibi decus? qualis ordo? qualis concentus? Quod nos legimus, Quoniam, uae, uel Qui, legit Felix, hoc modo: Quam admirabile est nomen tuum in uniuersa terra, quae dedit confessionem tuam super coelos: uel, qui eleuasti laudem tuam super coelos. Sed unde rursus admirabile nomen tuum redditur?

{8.3} Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos meos, ut destruas inimicum et ultorem.

Hic temeritas summa esset, hunc uersum secus interpretari, quam summa sapientia interpretata est tum, quum Iudaeis obmurmurantibus hoc modo satisfacit, si tamen lapideis animis unquam satisfieri potuit: Nunquam legistis, ait, quia ex

{pdf 060, p. 22}

ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Proinde ego quidem uatis excellentiam, atque adeo spiritus ignem, ignisque eiusdem celeritatem uix a perfectissimis uiris comprehensam, nedum retentam, contemplans, facile adducor, ut credam hic sanctissimum Daudis pectus, cum coepisset uelle res illas, quibus potissimum Dei gloria & maiestas apparet, enarrare, a spiritus uelocitate interceptum, mirabile infantium & lactentium argumentum interposuisse: quod quidem in Iudaeorum persecutionibus in Dei filium, cuius laudes in omnibus suis psalmis celebrare nititur, fore praeuidit. Quid ni mirabile dixerim? Antequam enim Dei filius nostrae huius miseriae particeps factus, omnis iustitiae normam in terris fabricasset, legimus a sanctis uiris daemones a miserorum corporibus eictos, claudos rectis incessisse plantis, leprosos emundatos, ac tandem mortuos ad uitam restitutos. Quod uero pueri, & hi lactentes, ore illo suo balbutienti & imperfecto, perfecta fecerint laudem Deo, quis legit unquam? Nonne hoc inter miracula, uel ea quidem, tum ab antiquis, tum a nostris elegantissime decantata, connumerandum? Verum si qui sunt, qui hoc in psalmo allegorias diligunt, pulcherrimae admodum sunt, ac sparsim per caeterorum libros coniectae, Ego quidem hunc totum laborem, mihi tantummodo ut satisfacerem, meo maximo incommodo desumpsi. Scio certe & ego quoque cum illis, eos, qui non in suasoriis humanae sapientiae uerbis, ut ait Paulus, sed simplicissimo modo, crucis diuinitatem in suis libris pertractant. paruulos, atque infantes posse appellari. Scio rursus humiles, modestos, patientes, innocuos, & qui nullo alio cibo pasci, aut uolunt, aut cupiunt, nisi coelesti, lactentes uocari. Est infans, sub cuius lingua mel est, & lac. Est lactens, qui duo sponsi sugit ubera illa, quae uino meliora esse canit sponsa in amatoriis Canticis. Sed haec & eiusmodi, sicut suo loco posita, margaritae quaedam sunt preciosissimae, & quae mirabilem in modum me afficiunt: ita non sua sede collocata meum reddunt animum (ut alii afficiantur non quaero) a gustu illo, quem afferre solent solidi in scripturis sensus, plane refugum, & nescio qua sorte, aridum ac ieiunum. Proinde ut illa excellentissima sint, cedroque digna: mea haec ita accipi uelim, tanquam ab homine in solitudine sese inter poenitentiae lamenta macerante, atque otio istiusmodi imaginationibus non prorsus abutente, ut non abuti mei ordinis uiros semper

concupiui. Neque enim a recto intelligentiae scopo aberrare dici debeo, si extollendae diuinae uirtutis materiam, non minus admirandam elegantiam libertatemue, ac ingenii acrimoniam in pueris, suppeditare affirmauero, quam caetera in uniuerso condita. Num absque magna aliqua ratione factum putem, quod uatum eximius exemplum puerorum inter miranda rerum exempla, quibus uel usque ad coelos, maiestas conditoris celebratur, interposuerit? Si initium eius tenellae aetatis cogitas: si innatam in parentes cum risu uel cognitionem, uel mansuetudinem: in iram ac ueniam, facilitatem: si male prolatam, atque in saliuam natantem balbutiem: si tatham, si mammam, si lusus, si iocos, si fletus tandem illos in rem omnem faciles consideras, omnia certe amabilia uidentur, & nescio quid prae se ferentia laudis diuinae: cum nulla fere sit domus, quae uere appellari queat, aut laeta, aut felix, in qua tener infans non uagiat, & perstrepat. Quid memorem pericula illa infinita, a quibus non nisi manifesta coelestis numinis ope, sanctorumque angelorum ministerio, eripitur puer? Verum ut non sit aliud, illud in primis dignum uidetur consideratione, quod ex tam tenera aetate, nos Dominus intelligere iusserit, quid sit nobis a coelesti patre sperandum. Si uos, inquit, cum mali sitis, hoc est, amore proprio corrupti, potestis tamen bona data dare filiis uestris, nulla etiam expectata gratia: quanto magis nouit pater coelestis bona dare uobis. Igitur, ut iam tandem finiam, uidetur propheta, cum immensam Dei bonitatem in humanum genus praedicare instituisset, nosque in dignam tanto largitore imitationem excitare, post exclamationem sui maximi stuporis testem, de pueris statim subiecisse in hunc sensum: Bonitate Dei in mortales omnes plena adeo est terra, ut ad coelos usque pertingat, imo illos superet. Hoc enim ita admiror, & omnem excedentem intellectum iudico, ut nihil supra.

{pdf 061, p. 22v}

Quocumque me uerto, passim in oculos tantae bonitatis argumenta incurrunt, radiisque suis meam totam offundunt mentem. Sed quid opus uerbis? uel in sola illa tenella puerorum aetate sic elucet, sic resplendet, sic est perspicua, ut ex illorum ore, qui adhuc suum illud lallare exprimere nequeunt, hostium Dei maledicentia abunde confutari possit. Ex ore igitur paruulorum, non ex sermone, quia infantes sunt: sed suo modo, ut caetera agunt inanima, quae suo etiam modo norunt suum fateri conditorem, maiestas diuini nominis praedicatur. Opera, inquit, manuum eius annunciat firmamentum, cum tamen ore careant atque animo coeli. Caeterum non illud omittendum, quod loco Perfecisti, Felix legit, Fundasti uirtutem: uel, ut alia habet litera: Initium fecisti tuae uirtutis praedicandae. Siquidem paruulis praedicantibus illis, de quibus Paulus ait: Estote malitia paruuli, sanctam legem Dei, fit robur spiritus, inualescitque ac in auditorum animis initium uirtutis uim sumit: quo quidem adaucto, uelutique alimentis quibusdam spiritalibus alito, ad perfectissimum uitae statum fit transitus. Inimicum uero & ultorem, quos destruendos dicit, aiunt quidam esse Iudaeos, qui impudentissime, non iam dissimulato Marte, Dei filio infensi fuerunt in terris: qui tamen & ultores appellari queunt ob id, quod iniurias Christo illatas, propterea quod a Deo non esset, qui sabbatum non seruaret, iustas, atque in lege praeceptas affirmarent: & sic Dei contumelias ulciscerentur, ultores, si Deo placet, zelantissimi. Verum cum alia sit litera Hebraeis, uidetur alius praetendi sensus: ut is ultor sit, qui se uelit contra Deum ulcisci. quare sic reddit paraphrastes: Ut destruas, seu subuertas inimicum, & eum qui ueluti uindicem se opposuerat tibi. Quas uero iniurias ulcisci uelit, nescio: nisi forte improbo pro iniuria sit, se factum hominem ratione praeditum: accepisse legem,

qua secundum rationem uiuere oporteat: & demum innumera Dei beneficia in humanum genus quotidie in oculis habere. hoc certe scio, prauissimum quenque, & qui iam in peccatis obduruit, nolle esse Deum, ut licentius peccare posset. Quare maxima se iniuria affectum putat, cum si lex & Deus.

{8.4} Quoniam uidebo coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quae tu fundasti.

In prophetis enim parum referre dicunt, per unum tempus, an per aliud legas. Prius dixit, Eleuata est. perfecisti laudem. modo uero uidebo. Et est perinde ac legas, Video, seu uidi. Et uidetur causam ponere propheta, cur tantopere Dei in homines bonitatem miretur: ex contemplatione scilicet rerum conditarum, cum omnium, tum illarum maxime, quae in coelis tanto ornatu conspiciuntur. quod quidem animae illi praesertim euenire necesse est, cuius studium ac uoluntas, fractis interdum corporeis istis membrorum repagulis, per ampla diuinarum sedium theatra spaciantur. Verum cum Deus tam nobilis opificii autor sit, tanquam immensi operis artifex, atque idem quemadmodum initium, ita & finis: nequit anima satis mirari, qui id accidat, quod cum tantus sit, adeo sese deiiciat, ut hominis ferme nihili tam benigne, tamue paterne curam habeat, sic illum euehat, sic extollat, sic perornet. Unde subdit,

{8.5} Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quia reputas eum?

Atqui candidior hic a paraphraste ponitur sensus, quam qui multum a me debeat illustrari. Ait enim: Quoties uideo coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, & reliquas stellas, quas elegantissimo ordine in illis collocasti, tunc sic apud me cogito: Deus bone, quid est miserabilis homuncio, ut tu illius rationem habeas? aut Adae nepos, ut tu inuisere illum, aut amicitiam contrahere cum illo dignum ducas? fecisti illum tantum non Deum. At tu uide quomodo singuli fere apices in propheta, singulas ex se flammam eiaculentur. Non contentus enim dixisse, quoties uideo, seu suspicio coelos: dicit, tuos. Neque hoc satis, addit praeterea, opera digitorum tuorum. Neque his rursus moratus, cum subiecisset, stellas: subintulit, quae tu fundasti. Plumbeam prorsus animam illam esse arbitror, quae huiusmodi affectuum telis non transfoditur. Ad haec, opera digitorum tuorum

{pdf 062, p. 23}

dicit, propter uaria spiritus dona, tanquam nodos quosdam in digitis: nam in scripturis, Dei digitus est ipse spiritus sanctus, propterea quod quemadmodum digitus eiusdem est substantiae cum manu, atque adeo cum reliquo corpore: ita spiritus eiusdem est cum patre & filio substantiae ac naturae, idemque Deus. Aut quod uidetur sentire Eutymius, ut magis mirabilis appareat conditor, qui talia, ac tam immensa corpora, tantilla diuinae suae potentiae parte sit fabricatus. Porro quod lunae stellarum ue mentionem faciat, omisso sole, ea uidetur ratio: quod quo tempore conspicitur luna cum stellis, is non uideatur: quocirca cum haec suspicere se canit, apposite de sole tacuit. Non desunt etiam qui censeant, lunae haudquaquam fieri posse mentionem absque solis intelligentia, quippe quae ad hoc, haud aliunde habet unde luceat: nam absque solis

radio, corpus ea est iners, tardum, tetrum, obscurum. In alio quoque psalmo, omissis stellis, atque ipsa luna, tantummodo solis meminit. Tu fabricatus es, ait, aurora & solem. Coeli igitur, sol, luna, astra, omnisque firmamenti ornatus reliquus, ab ipso summo rerum opifice fundata sunt: hoc est, adeo in primogenio suo ordine stabilita sunt, ut dimoueri minime ualeant e sede sibi praescripta. Sensus ergo is erit: Iure obstupesco, demirrorque tuam immensam erga nos, o Deus, bonitatem, qua sic terra est referta, ut supra coelos etiam magis quam dici possit, euadat. Etsi enim insani illi ac temerarii, tantam tuam excellentiam aut ignorant omnino, aut cognitam demoliri conantur: pueri tamen, & hi lactentes, & sciunt & praedicant. Quod si uel parum oculos attollo, si coelum suspicio, o quam ingens decus tuum in illo resplendet: ibi sol, ibi luna, ibi sidera, ibi ornatus infinitus. Quis haec animo pertractans non extra se admiratione rapiatur? Tu tantus, tam immensus, tamque immensi artificii opifex, caduci uasculi, quod homo est, planeque uitrei, & nihili, eam geris curam, ut nihil ferme aliud cogitasse uidearis, quam ut moribundam hanc carnis molem, sexcentisque miseriis obnoxiam exaltares? Tantum non fecisti eum Deum. Quid?

{8.6} Minuisti eum paulominus ab angelis.

Siquidem solo corpusculi onere, moriendique necessitate, ipsis beatis spiritibus, qui dii uocantur, quia diuinus illis aspectus plenius quam caeteris creaturis communicatur, minor est homo. Eo excepto, non uideo cur homo non dici debeat maior angelis, simulatque Dei filius ad patris dexteram, humanam collocauit naturam: adeo quod filius Dei idem sit, qui & filius hominis. Vltius, nonne clamat Apostolus, quod sunt omnes administratorii spiritus, in ministerium missi propter electos? Maior ne est ille qui ministrat, an is cui impenditur ministerium? qui aliis obsequitur, an cui obsequium praestatur? Atque ob id forsitan probabilior uisa est aliquibus litera qua legunt, Minuisti eum paulisper a Deo. Sed haec magis de Dei filio, qui ob carnis assumptae naturam inferior est patre, dici arbitror, quam de ullo alio homine. Nec illud interim satis intellectu facile esse opinor, quo dicunt ipsum Dei filium etiam angelis, nedum Deo, propter moribundae carnis infirmitatem, minorem: cum lego Dionysium asserentem, Christum uti hominem etiam summos angelos purgare, illuminare ac perficere. Neque illud obstare credo quod Paulus scribit: Eum uero, inquit, quem modico, quam angeli, minoratum esse uidimus IESU Christum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. Siquidem asserunt hic legi debere, modico quam Deus: quemadmodum ibi, Minuisti eum paulisper a Deo. Sed de iis alii. Nos qui in hoc psalmo uolumus naturae humanae dignitatem extollere, ne ab instituto nostro recedamus. Atque in primis illud superius dictum non omittendum, Quid est homo: in Hebraeo non tantum hominem ipsum, quantum aerumnosam ac sordidam eius natiuitatis conditionem significari. Quocirca saluator, quo nostram omnem humilitatem miseriamque, solo peccato excluso, sese subiisse testaretur, filium hominis, hoc est, mortalem, aerumnosum, abiectum, atque unum e uulgo ac infima plebe se libenter appellabat, eumque titulum sibi proprium fecit. Ex quo uolunt quidam distinctionem illam, qua nos aliqui filios recte hominum nuncupandos asserunt, Christum uero filium hominis, prorsus repudiandam, cum in scripturis maxime

antiquis passim sit uidere, filium hominis quemlibet hominem dici: ut illud, exempli causa: Quid est homo quod innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas et? Vel illud ex hebraeo: Nolite confidere in principibus in filio hominis, in quo non est salus. His itaque medullitus introspectis, illud cogitatu iucundissimum exoritur, quomodo gratia hominis dignitati annexa fuit, cum Christus per omnia nobis similis fieri uoluit, absque peccato, ut ait Paulus.

{8.6-7} Gloria et honore coronasti eum Domine, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

O miram prophetarum conuenientiam. Nonne tibi uidetur Daudem hic illud Mosis replicasse? Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut praesit piscibus maris, & uolatilibus coeli, & bestiis, uniuersaque terrae, omnique reptili quod mouetur super terram. Quae ergo alia tam excellens gloria? Quis honor cum illo conferendus, quo ad imaginem similitudinemque sui conditoris factus est homo? Cui unquam alii ex rebus conditis tam amplum imperium concessit Deus, ut ei diceretur, Replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, uolatilibusque coeli, & uniuersis animantibus quae mouentur super terram?

{8.8} Omnia subiecisti, ait Daud, sub pedibus eius, oues & boues, & uniuersa pecora campi.

Verum Paulus scribens ad Hebraeos, de Christo Dei filio, hunc locum interpretatur. quae quidem interpretatio adeo uera est, spirituique prophetico germana, ut nullam aliam fas sit admitti. Sed in hoc tamen rursum mihi excellentiae conditionis humanae memoria refricatur, cum succurrit animo, per amantissimum nostri generis Dei filium, omnia diuinae dignitatis quae sunt, reliquis nobis conciliata, concessaque illius dono & beneficio. Quapropter quicquid de hominis dignitate lex sacra enarrat, Christo primum uti capiti, instauratorique nostro competit, ac de eo iure omni intelligi oportet. Cuius tamen dignitatis, tanto unusquisque copiosius fit particeps, quanto spiritu illo diuino, quo mediatore dii appellamur, largius fuerit donatus. Sed heu nos miseros, qui magna ex parte excellentissimum illud potestatis munus, dum ipsi conditori subditi esse nolumus, amisimus. Verum adhuc spes est recuperandi dominii his qui uere Christo credunt: quorumque imperio ex summi opificis mandato, & daemones & montes, & quicquid uspiam est, obtemperat. Omnia certe subiecta sunt illis qui ex Deo nati sunt, & qui iam in terris ui tam uiuunt coelestem, quibusque etiam ipsi beati coelites & seruiunt & ministrant. Caeterum oues in hoc loco, sunt minorum pecudum greges: boues uero maiorum armenta. Pecora porro campi, ferae agrestes, quibus non sine ratione est additum. Insuper, auxesis est: & est perinde ac dicat, Videte o mortales, admirandam Dei benignitatem: satis non habuit tot pecudes cicures usibus uestris mancipasse, adiecit & feras. Nullae enim tam sunt immanes, tam dirae, tam noxiae, quas homo natura et arte, suo imperio non subiiciat, utilitatemue ex eis non capiat. Atqui ut uno uerbo tandem rem totam definiam, & superi & inferi, illi, qui se penitus Deo addixerit, subiiciuntur, & parent. Nec profecto ab ulla alia est causa, quod tam crebris exagitamur aduersis, quam quia conditoris nos uoluntati, ut par est, inuiti obtemperamus. Regnum ergo in res conditas obtinebimus, seu potius recuperabimus, si pristinam animae dignitatem, ut ait Eutyimius, seruauerimus.

{8.9} Volucres coeli & pisces mari, qui perambulant semitas maris.

Volucres coeli, uolucres aeris intelligit, pro quo saepenumero coelum in scripturis ponitur. Praeterea cum maris pisces omnis generis subiectos esse homini dixisset, se haud bene sub piscium nomine belluas marinas comprehendisse suspicatus est. Idcirco post piscium commemorationem mox addidit, Et qui perambulant semitas marium: seu, ut legit Felix, pertranseuntia semitas maris: cauta quidem, ne illud, Qui, ad pisces, non ad monstra marina referas. Eam ob rem a paraphraste sic redditur: Pisces qui natant in mari, & quicquid usque degit in ullis aquis. Nam maris monstra, Balenas, Orcas, Pristes, Physetros, & id genus alia innumera quis pisces dicat? Aiunt uulgo id in mari esse, quicquid in terris nascatur: quae quidem

{pdf 064, p. 24}

opinio in tantum doctioribus etiam uisa est uera ac celebris, ut scribant rerum quidem omnium, non solum animalium, simulachra in mari esse, uuam, gladium, serras, cucumin uero & colore & odore similem. Notat etiam Felix esse quorundam opinionem, qui hunc hemistichium, quem dicimus de monstris marinis intelligi, ad hominis ingenium referant, & dicant: Tantum ei tribuisti ingenium, ac ad omnia mentis acumen, ut pertranseat semitas maris.

{8.10} Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in uniuersa terra.

Admiratione eadem, atque eodem spiritus ardore, quo coepit psalmum, desinit uates. Quo exemplo monemur, quod interdum flagrantiori aliquo affectu, ne uerba Deo dare uideamur, diuinum opus inchoare contigerit: postea uero, quae humana est natura atque intentio, fugax scilicet ac uaga, frigere mens coeperit, mox uel in calce saltem recalescat spiritus.

In finem pro occultis filii. vel, Vincenti super morte insipientis.

PSALMVS DAVID IX

{9.2} Confitebor tibi Domine in toto corde meo.

In finem pro occultis filii, uel pro morte filii, seu, ut notat Felix, super morte insipientis. Est psalmus igitur, secundum illos, qui putant eum celebrandum pro morte filii, laus pro gratiarum actione, de infinitis beneficiis humano generi a cruce & morte filii Dei exhibitis: quae occulta dicuntur, ob id quod crucis mysterium occultum in priscis illis temporibus semper extitit: angelis quoque ipsis a seculis aeternis absconditum, ut ait Paulus. Hi uero, qui titulum Felicis approbant, aiunt gratiarum actiones esse, pro morte insipientis, scilicet antichristi, & cuiuscumque alterius (sic ipse ait Christianae fidei inimici. Quod quidem fore credimus, cum erepto prorsus e manu principis mundi huius dominio, Christus regnum, ut ait Paulus, tradiderit Deo & patri, Deusque erit omnia in omnibus. Sit ut lubet titulus, nos potius quam ardentem, quamue ex animo referendae

sint gratiae Deo, ob dona mortalium generi collata, per filii Dei cruorem ac necem consideremus. More suo propheta cupiens aliis mouere affectum amoris & gratitudinis, eodem sese ardere demonstrat. Nam summa circa mouendos affectus in hoc posita est, ut is qui persuadere nititur, prius ipse moueatur. Confitebor, ait, in toto corde meo: hoc est, agam gratias tibi o Domine, non more eorum qui te ore ac ritibus colunt, corda autem illorum abs te longe abeunt: sed in toto corde meo, animo scilicet toto ad hoc affecto, & ardente, adeo ut nihil aliud prius habeat. Mirum ni uideas, in rebus omnibus illis, quae ad interiorem hominem formandum, uirtutesque animi adipiscendas attinent, cor omne, affectus, amorem denique omnem, ac curam a Deo expeti: alioqui illud unum ad quod inuestigandum nati sumus, dissipatis studiis, distractoque in plura ingenio atque animo, inquirere, nonne hominis est ocio ac uita ipsa prorsus abutentis?

{9.2} Narrabo omnia mirabilia tua.

Legimus enim in Iob: Cum uix paruam scintillam eius sermonum audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Peraudax itaque hyperbole est, animi summe in Dei amorem flagrantis index, quo etiam impossibilia conari fateatur. Quod enim uult saepenumero, non quod facturus sit, pollicetur uir in Dei amore perustus. Ecquis potis est mirabilia omnia Dei enarrare, cum sint inenarrabilia, quia infinita? Porro assidua beneficia ac dona, quibus humanum genus Dei est misericordiam benignitatemque expertum, appellat uates mirabilia, quae sunt, ut ait Eutymius, trophaea ueluti quaedam de inimico admiranda. Caeterum, illum in toto corde confiteri ac laudare Deum dicimus, cuius cor non est aliqua, ne tantilla quidem parte, caducis rebus inhaerens, sed Deo penitus affixum.

{9.3} Laetabor & exultabo in te: psallam nomini tuo altissime.

Vide, te oro, gratissimi animi candorem. Fatetur enim sic se exhibitum sibi fau-[favorem]

{pdf 065, p. 24v}

-rem aestimare, tantiue facere, ut in perpetuum de eo laetaturus sit, gratiasque acturus. Memor fui, inquit alio in psalmo, Dei, & delectatus sum. Solus enim uerum ac solidum Deus est bonum, quo laetari nos decet: caetera uero, quibus laetari solent homines, moerore potius merentur appellari, quam gaudia. Si nulla res condita, uel inter primos beatorum spirituum choros posita, satiari potest humanam mentem, satiabit ne tantillum gaudii huius mundi, quod adeo fugax est, ac praecipitans, ut nesciam an fulgur celerius e coelo eiaculentur nimbi? Sensus igitur: Non in auxilio humano, quod infirmum est: non in curribus, non in equis, non in structis copiis, non in rebus qualibuscunque mundi huius labilis, non in propria iustitia & uirtute: sed in te solo laetabor, nomenque tuum psalmis, atque odis celebrabo, licet omni sit laude altius, ac sublimius.

{9.4} In conuertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur & peribunt a facie tua.

Connumerat propheta beneficia, quibus laetari, gratiasque agere intendit. Diuus Hieron. ex hebraeo sic reddit: Cum ceciderint inimici mei retrorsum. atque hinc uir sanctus hunc uersum cum superiore uelle connecti uidetur: ut legas. Psallam nomini Domini altissimi, cum ceciderint inimici mei retrorsum, & corruerint, & perierint a facie tua. Alii interim hoc modo: Dum fugabitur inimicus meus a te, hoc est, cum amplius opem dissimulare nolueris, tunc aduersarii mei peribunt a praesentia tua: ut solent uicti, contra faciem uictorum stare non audentes, terga dare: & ita dum timore acti fuga sibi praecipites consulunt, facile aliquo impingunt, inde'ue cadunt, & pereunt. Haud raro enim in scripturis faciem pro praesentia accipi scit uel mediocriter in illis eruditus. Ecclesia ad sponsum: Cum per tuae passionis merita, ac uirtutem, o dilecte, antiquum hostem fugaueris, nouissimaque abolebitur mors, tunc illi quidem infirmabuntur, prorsusque uiribus denudati peribunt, hostes scilicet fidei, haeretici, peruersique doctores. Interim uero sinis, quemadmodum comminatus es, regnare hypocritas: nam nondum impletas esse iniquitates Amorraeorum, uel hoc uno suspicor, quod ad uniuersa flagitia etiamnum conuiuet Deus.

{9.5} Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam: sedisti super throni, qui iudicas iustitiam.

Tu interim, o Domine, cum ego uiribus impar illis essem, pro me stetisti, causaeque meae patrocinium suscepisti. Ecquis iam tam orphanus, tamue destitutus cliens est, qui se miserum sub tanto patrono expostulet? Facit Deus iudicium nostrum, in fauoremque causae nostrae sententiam profert, & ab hostibus nostris quamuis potentissimis opprimi ueremur? Sedet pro tribunali ille, qui solus iudicat iustitiam, & de causae naufragio dubitamus? Non equidem supremus ille iudex inter nostri huius aevi iudices connumerandus est, qui adeo interdum iustitiae sunt osiores, ut in deliberandis iustitiae causis, illud unum maxime uideantur in primis profiteri, ut iustitiam opprimant, benemeritos de suis ciuibus conculcent, & pessime meritos extollant. Hinc (credo) eiulatus illi moestissimi uiduarum, orphanorum, innocuorumque ciuium, non solum per domos, ac tecta propria, sed, quod infelicius est, in teterrimis carceribus audiuntur.

{9.6} Increpasti gentes, et periit impius.

Adeo uel sola Dei increpatio, bonorumque uirorum cum Deo, ad extinguendam hostium rabiem, sufficit. Sensus: Tu impios istos humani seminis hostes tantum increpasti, & periit eorum dux. Et hic more suo Hebraeus numerum mutat. Quid faciet satan, immundorum omnium spirituum princeps, si gladio ipse spiritus feriat, cum ad solam obiurgationem suis factam, pereat?

{9.6} Nomen eorum delesti in aeternum, & in seculum seculi.

Haec enim tota exaggeratio, in aeternum significat. Vult hic uates omnimodam illorum extinctionem intelligi, ut nulla causa esset reliqua post mortem, quam ob rem nominari possent. E medio enim mundi huius sublata principis tyrannide, per Christi mortem: cultu illius delet, deletisque impiis illis ritibus, & sacrificiis: deletum est & nomen, ita ut iam per orbem uniuersum, uix nominis Iouis, Mercuri, Apollinis, Dianae, caeterorumque huius generis monstrorum supersint reli-

[reliquiae]

{pdf 066, p. 25}

-quiae. Ita & eorum, qui sceleribus, prauisque cupiditatibus, & sordidis libidinibus uitam suam omnem conspurcantes, in hostium castra transfugiunt, cum uita transit & nomen, & fama, & quicquid est, quod post mortem etiam bonos uiuere facit in hoc mundo. Nomen enim illud quod peracto uitae cursu superest improbis, nomenne est, an potius uitae transactae labes, memoriaque execrabilis, atque aeternum dedecus?

{9.7} Inimici defecerunt frameae in finem, & ciuitates eorum destruxisti.

Hic uersus quamuis uarie enarretur, tamen hoc unum dicam, quod Hebraei pro dictione frameae, legunt uastationes, seu solitudines, seu potius depopulationes: sensus tamen idem cum nostro, qui is erit: O inimici, uestrae depopulationes, uestrae uastitates, in sempiternum (id enim in finem significat) consumptae sunt, iam finem habent, iam posthac non dabitur deuastandi facultas. Et est in daemones, atque in eorum cultores insultatio. Iam, inquam, ciuitates uestras, quae hominum corda erant, euertit Dominus, & destruxit. Vide aliud, secundum aliam literam, insultandi genus. Vos uestras uastitates fecistis aeternas? uos nostras ciuitates euertistis? Memoriane illorum, quibus extrema quaeque comminabamini, una cum ipsis interiit? Non erit ita: nam Dominus, qui nostrae fauet causae, in aeternum permanet. Unde mox addit, Periit memoria eorum cum sonitu, & Dominus in aeternum permanet. Verum si cui magis simplex nostri interpretis arridet litera, non contradicimus, sed eo modo quo res sacrae probari debent, & probo, exosculor. Huius igitur is erit sensus. Frameas, hoc est, arma, telaque inimici, quae sane in acie spiritali multa admodum sunt, per filii Dei aduentum prorsus e manibus illius cruentis excussa: subindeque illorum ciuitates, corda scilicet hominum, summa olim impietate aedificata, per uerum unius Dei cultum destructa iam esse. Plusquam aereus ille est, cui iam compertum non sit, quam acuta hostium arma fuerint, quam irae immanes, quam ampla tyrannis, quam uastum imperium daemonum in orbe terrarum ante accessum ad nos diuini uerbi: quo quidem fortissimo duce sese pro nobis in acie offerente, acutae illae hostium frameae obtusae sunt, e pugno eiectae, ac penitus ui omni denudatae: ipsi uero terga dederunt, eorumque imperium & nomen extinctum est. Tam enim robustos hostes plane deiectos fatebimur, & debiles illos, qui ius in animam habent nullum, timebimus? Saeuire quidem in nos, uel inuitis nobis, possunt: uincere uero, minime, nisi uolentibus nobis.

{9.7} Periit memoria eorum cum sonitu.

Hebraei habent, Periit memoria eorum cum ipsis. Vtrunque enim abolendos omnino esse hostes nostros, prae se fert. Nam quemadmodum sonitus, tandiu sonitus est, quandiu auditur: mox uero non est, sed prorsus euanescit, cum desierit: ita improbi homines, uel daemones, atque eorum mancipia, desaeuiunt quandiu a iustissima Dei prouidentia permittuntur, mox non sunt. Periit enim memoria illorum cum ipsis, ut ne uestigium quidem famae illorum supersit, ipsis e medio sublatis. Porro quid inanius sonitu excogitari potest? In ipso enim suo strepitu, ac boatu, quis non perterretur? eo tamen cessante, atque in aere resoluto, nihil, ne memoriam quidem, superesse uidemus.

Ita tu caue putes maiores esse potentiae & uirtutis, hostium humani generis terrores ac strepitus, cum nos illis suis nocendi artibus aggrediuntur, quam sit fragor, sonitus, aut ampullarum tumor: modo nos nobis non desimus. Atrociores enim uidentur his, quibus nondum uirtus crucis est nota. Itaque de medio reuulsis hostibus,

{9.8} Dominus in aeternam permanet.

Is dico, de quo ipsi hostes insultantes dixerant, Eradamus eum de terra uiuentium: haeres enim est, occidamus eum: declarauit tandem se eum esse, qui uere solus sit, & permaneat, cum interim caetera omnia, prae illo, caduca sint, ac nihili. Neque hic illud, quod dicit Eutymius, praetereundum. His uerbis, inquit, semel receptae fidei stabilitas, atque ipsius ecclesiae incommutabilitas denotatur. Nec sane mirum. Siquidem in Euangelio legimus amantissimum nostri Dominum dixisse

{pdf 067, p. 25v}

Petro, Ego pro te rogauit Petre, ut non deficiat fides tua. Scimus enim Dei filium rogasse patrem, ut non deficiat illius ecclesiae fides, qui sumus nos: & ueremur ne Turca, aut haereticus, aut impii quorundam Christianorum mores illam extinguant? Illud forsitan uerendum, ne eiectis illis, qui hucusque filii regni uisi sunt, tradatur uera Dei cognitio atque haereditas, peccatoribus & publicanis. Iam milites, iam ipsi militum duces commiscent arma libris: atque inter tormentorum strepitus audimus uerba fidei, sacramque legem libenter admitti. Quis amplius miretur Benjamin lupum rapacem effectum Paulum: cum nostris quoque diebus cernimus ferocissimum illum ursum, agnum factum? Quae res iam ulla quorundam supercilium retundere est potis, si haec non potest? Quam profecto uerissimum illud Oseae est, quod legimus, Deum scilicet uocare ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt.

{9.8-9} Parauit in iudicio thronum suum: & ipse iudicabit orbem terram in aequitate, iudicabit populos in iustitia.

Non te rursus mutatio temporum moretur. Haec omnia quae hic canit uersus, iudicis integritatem denotant. Nam cui desit aut iudicii rectitudo, aut mens aequa, aut iustitiae zelus, is omnino a iudicandi munere secludi debet. Caeterum, quod alias diximus, cum Deus ad sceleratorum hominum flagitia conuiuere, nec opem suis statim afferre uidetur, quasi a throno iudicii deiectus sit, suspicamur: cum uero eo suos iam absque dissimulatione ab improborum manibus liberat, tum ipsum iustitiae tribunal ascendisse, iudicareque quotquot usque gentium sunt in aequitate, dicimus. Atqui sub tentationum malleo desudanti tetra sunt omnia, plena moeroris ac desperationis, adeo ut pene, uel ipsi perfectissimi uiri, eo quandoque impatientiae impellantur, ut dicant, Non est Deus. Vides quo nos interdum nostra obtrudat sanctitas? Verum ille, qui nouit etiam infinitis rebus finem ponere, quique suum probe cognoscit figmentum, tum, quando maxime est opus, accedit: atque illos flagrantissimis suis afflatibus, quibus uel ipse durissimus adamas emolliri posset, in abditis animae recessibus admonet, ac dicit, Ego sum, nolite timere. Tantum porro abest ut nimium perfracte feramus, quicquid rerum aduersarum in nos desaeuire iusserit Deus, ut etiam infracto pectore, ac uti decet robustissimi ducis CHRISTI IESV imitatore, amplexemur, nedum toleremus. Parauit,

e dubitemus, in iudicio thronum suum: seu, ut habet Felix, Direxit in iudicio sedem suam, ut iudicet in aequitate, & iustitia. Quod si adhuc haesites, quid sibi uelit throni huiusce apparatus:

{9.10} Factus est refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

Poterimus ne uereri, quin Dominus sit pauperum refugium, atque eorum adiutor, in tempore potissimum tribulationis hae sunt quidem opportunitates opem implorandi cum credimus eum iudicare in iustitia, & aequitate? Super quem, ait, respiciam, nisi super pauperem, & contritum spiritu? Imo, nescio quo secretiori modo, cum sit aequissimus omnium arbiter, pauperem tamen speciali quodam fauore prosequitur, & tutatur. Sed quis uerus sit pauper, alias dicemus. Non omnes enim qui uicatum, ostiatimque plenis manticis interdum stipem quaerunt, pauperes Christi dici debent. Quod si tamen huiusmodi quaerendi cibi mos in Dei ecclesia uisus est aequus, ac, ut sic dicam cum opulentiorum uenia, necessarius: illum uero, quo etiam sanctimoniales cernimus passim per uillas cum asellis circumcursare, quis probus ferat?

{9.11} Et sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quaerentes te Domine.

Hi enim, qui Dei nomen, hoc est, Deum ipsum, ut iam dixi, nouerunt ex aequo & iusto, iudicium proferre solitum, illo ipso solummodo nituntur, eique fidunt, in neminem alium in suis aerumnis & afflictionibus respiciunt, eum solum inuocant, quaerunt, lachrymis ac suspiriis ad sibi opitulandum prouocant. Quam bonus, ait ille, sperantibus in se, animae quaerenti eum: id est, animae illi, quae de eo assidue sollicita est, & cui omnis in primis cura est, ut illi placeat, ac cum uate illo dicere audet, Etiam si occiderit me Dominus, in ipso sperabo. Sperent igitur quot-

[quotquot]

{pdf 068, p. 26}

-quot fideles sunt in Domino, nullo respectu siue meritorum, siue demeritorum habito: sed solummodo hoc fidei ardore acti, quoniam Dominus non derelinquit quaerentes se: alioqui aut nimius erga merita nos amor obcaecabit, aut demeritorum exacta nimium consideratio ad animi desperationem adiget. Illa enim sicut praemittenda sunt nobis ad sepulchrum, ita haec detestanda: sed eousque, ut neque in illis confidamus, neque ob ista admodum diffidamus, sed totam salutis nostrae summam in bonitate Dei, gratia & misericordia sitam esse credamus, damnationis uero in nobis tantummodo.

{9.12} Psallite Domino qui habitat in Sion, annunciate inter gentes studia eius.

Cum talis sit Dominus, quemadmodum dixi, psallite illi in coetibus sanctorum, quae Sion est: hunc laudate, huic uestras odas, hymnos, cantionesque, non scorto, aut lenoni adscribite. Sed cur hoc? ut nimirum quam plurimi eius uirtutem, bonitatemque agnoscentes, uno uobiscum grege facto, ac ouili, eius item concelebrent studia illa, quae

superius mirabilia appellauit uates: seu studium & curam, qua, ueluti pater uniuersalis, erga genus humanum afficitur: seu etiam, quod ait Aquila, immutationes. O dictionem auream. Quid ni ego, uel usque ad spiritus a corpore diuisionem, tam mirabiles Dei immutationes praedicem? extollam? diuulgemque omnibus? Qui longe, ait Paulus, erant, facti, sunt prope in sanguine Christi. Ecce immutatio una. Vis ne aliam audire? Habitantibus, inquit, in regione umbrae mortis, lux orta est eis. Abiecti enim assumpti sunt, mortui ad uitam restituti: & tandem Deus homo factus est, & homo Deus. Haec studia sunt, hae artes, hae immutationes, quae de Deo cogitanda sunt, atque ab omnibus propalanda. Spargite in vulgus, ait paraphrastes, admiranda eius consilis.

{9.13} Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est, non est oblitus clamorem pauperum.

Hoc est, non relinquens Deus innocuum sanguinem inultum, eorum pauperum scilicet, recordatus est. Videtur Deus nonnunquam pauperum oblitus eo modo, quo superius in hoc eodem psalmo est dictum de iudicio eius dissimulato. Cum enim non requirit, uidetur oblitus. Cum uero requirere, hoc est, ulcisci, uindictamque de persecutoribus pauperum sumere coeperit, palam fit ipsum non esse immemorem clamoris miserorum. Nam inferius dicitur: Desiderium pauperum exaudiuit Dominus. Porro pauperes Christi non secundum inedia, pecuniarumue indigentiam solummodo iudicari oportet: uerum hi sunt, qui ab ipso seruatore nostro Deo, in Euangelio pauperes spiritu appellantur: hoc est, qui nulla in re uitae huius sua bona statuunt. A mundo enim despecti & contempti, sua se sponte ab omni superuacaneo affectu abdicant: oblatos honores respuunt: praeteriti cum risu ferunt: deiecti, in ordinemque redacti, ne summum quidem uultum mutant: laccessiti iniuria, tacent: in calumniis, in pressuris, in uerberibus, in contumeliis, in infamia demum, ac derisione, idem uultus, idemque animus & cor, fixum scilicet in Deo. Sciunt enim nihil adeo in hoc mundo tanti aestimandum, cuius uel beneficio, uel iniuria, ne tantillum quidem a perseueranti contemplatione coelestium rerum auerti debeant. Alioqui nimia dum carnis teneritudine affecti, ad leuissimum quenque fortunae morsum animo destituimur, aut ineptissime ad eius plausum gestimus: fit sane, ut quas horas in rebus homine dignis collocari par fuerat, totas in spinosis istis euentis, atque adeo dubiis & uariis, animo pertractandis consumamus. Caeterum haec omnia inferiora, aut sirenae sunt, aut canes: hae cantu, illi adlatratu, nos a boni propositi tramite, qui arduus est, uiroque forti dignus, deturbare contendunt. At per illum soli spiritu pauperes, expedito atque imperterrito gradiuntur passu.

{9.14} Miserere mei Domine, uide humilitatem meam de inimicis meis.

Quasi iam omni tentationum genere defunctus sit uir sanctus, nunquam sic Deo gratas agere consuevit. Sed quia praeteritos per Deum uicit ictus, iterum se sperat uictoria potiturum. Atque haec est continua pectoris erga Deum affecti exercitato, gratias de uictoria praeterita agere, sed nihilominus Dei misericordiam, atque

{pdf 069, p. 26v}

opem implorare ut iterum uincat. Nunquam enim in hoc mundo perfecta speranda est quies: nam cum nos tutos, quia uicimus, arbitramur, tum magis saepenumero

recrudescit pugna, & fortior eo fit hostis, quo minus expectatur. Ait igitur: Miserere mei Domine, uide humilitatem meam. hoc est, deiectionem meam: uel, ut legit Felix, afflictionem meam, ex persequentibus me odio. Ab iis enim, qui nos odio insequuntur, quem alium exitum expectari par est quam afflictionum? Quod quidem periculum ut perpendat Dominus, ac uindictet, ab anima suae miseriae conscia, ardenti huiusmodi precatatione inuitatur.

{9.15} Qui exaltas me de portis mortis.

Qui cum fiducia non clamem? Tu enim ille es, qui me erigis, atque a mortis ianuis ac faucibus retrahis, cuius ad limen iam miser accesseram. Iam enim de me actum erat: sed tu, quae tua est pietas, a limine illo tetro me ad uitam reuocasti. Num propterea me sic extulisti, ut uitam in luxu, ocio, & desidia transigam? ne uiuam, si hoc uolo: uerum

{9.15} Ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion.

Hoc est, ut mirabilia illa tua, ut studia, ut in mortales omnes, & consilia, & beneficia, praedicem, atque in sanctorum coetibus enarrem. In prauorum enim hominum conuentibus haec potius obtegenda sunt, quam diuulganda. Portae in scripturis, haud raro pro locis publicis, conuentibusque popularibus, ubi uel iudicia, uel conciones habebantur, poni consueuerunt. Ad hoc enim, inter caetera quae usui erant populo, ciuitatum portae deputabantur, utpote loca, tum ciuibus, tum ruralibus uiris satis commoda. Nobilis, ait Solomon, in portis uir eius, quando sederit cum senatoribus terrae. Portae igitur mortis, ut rem paucis absoluam, iudicia sunt mortis intentata a tyrannis, concilia sceleratorum, coetusue, ac conciones haereticorum, & demum quaecumque ad mortem pertrahunt, uti sunt peccata, & desperatio. Per portas enim hasce teterrimas est iter ad mortem. Portae uero Sion, sunt iudicia, congregationesque bonorum, sancta concilia, casti mores, exemplaue optimae uitae, ac tandem quicquid ad Sion, coelestem scilicet Hierusalem, nos manuducit. In his itaque portis, Dei sunt laudes annunciandae. Neminem porro ab hoc munere immunem esse arbitror, simulac Deus unicuique mandauit de proximo suo: modo is, qui annunciare instituit, ea sit doctrina, ac uitae sanctitate praeditus, ut uita respondeat uerbis.

{9.16} Exultabo in salutari tuo.

Felix, In salute tua. & est sensus connectendus cum superiori uersu: quo innuit uates, sese idcirco misericordiam consequi optare a Deo, ut in sanctorum collegio & coetu, innumera suae bonitatis dona enarrare ualeat, ac cum laetitia de accepta ab ipso salute testari. Ideo paraphrastes: Ut conscribam, ait, & commemorem uarios te laudandi modos illis, qui uersantur in portis Sion: & gaudio afficiam eos propter salutem tam miraculose [sic, miraculose] allatam mihi per te. Venite, inquit in alio psalmo, & uidete quanta fecit Deus animae meae. His dictis, denuo ad decantandum Dei iudicium redit, quod contra hostes populi sui fecit, & ait:

{9.16} Infixae sunt gentes in interitu, quem fecerunt. In laqueo isto, quem absconderunt comprehensus est pes eorum.

Diuersa similitudine eandem sententiam dicit propheta, quae est: Malum quod, aliis parauerunt, in suum ipsorum caput recidit. Lacum, inquit superius, aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit: similitudine nimirum a luporum uenatione sumpta, qui foueis capi solent. Praeterea de laqueo isto in alienam mortem abscondito, hoc est, dolose excogitato, quod aliud exemplum conuenientius citare debeo, quam illud Amon? Is enim eodem ipso in patibulo, quod Mardochoae parauerat, suspensus interiit. Quod sane exemplum, uel solum, uellere illorum aures deberet, qui dignitate aliqua sublimi a principe suo donati, nihil prius habent, quam ut carnifices suorum ciuium appareant. Sed

{9.17} Cognoscetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

{pdf 070, p. 27}

Apertissimum admodum indicium illud est, unde cognosci Deus queat, aequitatis ac iustitiae amans esse, cum prauos ipsos sese suo illo gladio, quo alii interitum concinnauerant, iugulare sinit. Cognoscetur igitur Dominus, ne uereamini, cum pauperes, cum afflictos, cum destitutos ac contemptos, coeperit in iudicio liberare: quem alioqui duri homines cognoscere renuunt: Aegyptiis nimirum persimiles, qui, nisi ab aqvis comprehensi, pedem a persequendis Iudaeis referre contempserunt. Hi enim suo conatu frustrati, una cum suis illis curribus atque equis obruti fluctibus interiere: quorum cadauera, ad aeternam posterorum memoriam, super littus maris, ut in Exodi libro legimus, insepulta iacere. Caeterum dum in hac uita uiuitur, quis tam nefarius est, qui uelit se nefarium confiteri? Quare a perspicacissimis quoque ingeniis uix deprehendi potest, quis malus sit, uel ne. Sed simulatque Deus ad iudicium obeundum uenerit, thronumque suum aequissimum, ut iudicet, ascenderit, deprehendetur illico miser ille, teste sola conscientia. Deprehendemur certe & nos ex operibus manuum nostrarum tum, cum omnis fucus, simulatioque illa, quae modo uirtus caecis uidetur, aberit, locumque cedet. Hic uero interposita dictio selah, admonet rem esse narratam, dignam omnino quae animo reponatur.

{9.18} Conuertantur peccatores in infernum: omnes gentes quae obliuiscuntur Deum.

Epiphonema est, ad omnia superiora spectas, ab animoque de salute sii praestita exortum Abeant, inquit, peccatores, facessantque suo maximo exitio, ad inferos, uti olim Datan [sic] & Abiron, rebelles legislatori abiire. Abeant et una cum illis gentes uniuersae, quibus curae non est Deus, quaeque nulla tenentur religione. Indigni enim sunt uita, qui uitae autorem non cognoscunt. Totus, fateor, cohorresco, dum haec commentor. Quam mihi uerendum est, ne in eorum numero adscribar, qui facile tam beneficum Dominum obliuiscuntur. Vna enim cum sit in homine uis memoriae, quemadmodum una est uoluntatis, atque intellectus: unum expetere oportet, quod solum ipsa, uel quod ipsum attinet, recordetur, sicut illa unum solum uult, ille intelligit. Is Deus est. Alioqui in diuersis phantasmatis, atque appetentiis, res istae animae partes occupatae, saepe omissio Deo, ad turpia memoranda, aut appetenda, aut cognoscenda, & amanda etiam, reuoluuntur. Quid igitur insaniae, aut potius impietatis, & in Deum

ingratitude, cor meum incitat ad illud appetendum, quod Deus non sit? num meo in pectore una simul esse queunt Deus & mundus? num fastus & humilitas? num puritas & libido? num mors & uita? Illa enim quemadmodum animam undiquaque felicem reddunt, ita haec bonum omne, uel in primis Dei cognitionem, longe a corde propellunt: unde miserabilis quaedam exoritur in memoria stupiditas, in uoluntate peruersitas, atque in intellectu tarditas & hebetudo: quibus simul concurrentibus, ac in animae perniciem conspirantibus, ea facile una ex illis fit, quae, ut ait uates, obliuiscuntur Deum. Sic igitur illis eueniet,

{9.19} Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.

Ad tempus enim patitur iustus, sed in aeternum non deseritur (sic in finem significat) imo in memoria aeterna erit iustus. Patientia pauperum. Hebraei habent, Expectatio, seu spes mansuetorum non interibit in aeternum, licet aliquando uideatur nutare. Mirum, quod alias me dixisse recolo, quantum benignissimus Deus fauere soleat miseris & aerumnosis: dissimulat tamen aliquando, ad eorumque lachrymas conuiuet, ut sentiant, uel sero, nullam in terris speranda esse beatitudinem: illudque solum, & expetendum, & diligendum, quo absente, illa quoque, quae uidentur mundo excelsa & felicia, summae despectionis plena sint, & miserae. O si hemistichii huius uerba literis aureis insculpi animo illorum, qui nimium muliebriter mundi molestias tolerant: quid tolerant dico? intuentur potius, concederetur: PATIENTIA pauperum non peribit in finem.

DIVISIO.

{9.20} Exurge Domine, non confortetur homo.

Iam Dauid, simulatque uictorias per Dei misericordiam partas commemorat
[commemoravit]

{pdf 071, p.27v}

-rauit in superiori parte huius psalmi, idque totum diuinae retulit acceptum prouidentiae: orat modo, ut ea etiam ratione cuncto suo populo adesse uelit, ne improbi cristas erigentes, supra modum insolescant. Ait igitur: Exurge Domine, qui dormire uideris, cum non fers opem: ueni in auxilium nostrum. Non, quaeso, confortetur homo. Haec dictio, Homo, cum neglectu est pronuncianda, & cum stomacho: quasi diceret, homuncio futilis, uitroque fragilior, ne inualescat, non praeualeat, ubi tu es iudex ac fautor: uel, ut alia habet litera, non temere agat. Videtur hic mihi uates breuibus quorundam leuitatem, naturamque paululum, quam fas est, audaciorum, uoluisse exprimere. Hi enim aliquando cum caeteris omnibus sint & doctrina & moribus inferiores, audent tamen ad omnia, quae tractanda sunt, siue humana, siue diuina sint, suum ingerere iudicium, ne dicam temeritatem. Sed quia id uitii genus immedicabile ferme uisum est humanis rationibus, orat uates, ut a diuina manu rescindatur, ne in futurum, quod ait Felix, corroboretur.

{9.20} Iudicentur gentes in conspectu tuo.

O terrificam imprecationem. Gens, inquit, scelerata haec: haec, inquam, quae coram mundo uult, etiam cum manifestissima legis iniuria, pro lege stare uideri, ac iudicare: reprimatur, oro, abs te, arguaturque, ac tandem eius causa in conspectu tuo uentiletur, iudiceturque, qui falli non potes.

{9.21} Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.

Hoc est, da illis aliquem, qui suam illam arrogantiam reprimat. Vel, ut reddit Felix: Pone Domine iugum ipsis. Potentes se faciunt, sed a Deo uel leuissima castigatione uisitati, cernunt se nihil aliud esse, quam homines. Diuus Hieronymus legit Terrorem, ubi nos legimus Latorem: quasi uates Deum oret, ut tyrannis, tyrannorumque satellitibus ac magistratibus, terrorem per signa & portenta immittat, ne tam immaniter in Christi pauperes desaeuiant: sed cum cernunt ob horrenda illa prodigia esse certam quandam prouidentiam & uirtutem plusquam humanam, cui omnia obtemperare, uelint nolint, oporteat, ab incepto resiliant, confitentes se esse homines, & nihil aliud praeterea. Huic sententiae noster adhaerens paraphrastes, sic reddit: Incute Domine terrorem illis, & ostende gentes illas impias sibi, ut sentiant homines esse se miris modis miserabiles: uel, ut alius habet interpres. Ut cognoscant se esse quid mortale, caducum, aerumnosum, nil postea. Qui enim de se sic sentit, quomodo in suae naturae consortes tam crudelis erit? tam dirus, tam immanis, ut ipsos ueluti belluas quasdam excruciet & interimat: se uero ut Deum haberi efflagitet? Verum in re nostra magnopere foret, si nunquam (postquam a nobis nil nisi arrogantia, fastus, tumor, ac cum superbia iunctus neglectus sperari potest nostris ceruicibus concussor aliquis, durusque monitor deesset, siue tyrannus is esset, siue lex aliqua iniqua, siue morbus saeuior aliquis, siue aliqua alia extrema calamitas: ut uel hoc modo edocti admoneremur, nos homines esse, hoc est, miseros, calamitosos, bullam, umbram, imo umbrae somnium. Hic interponitur selah. Quam uero apte, sciunt hi, qui ob continuam propriae miseriae considerationem, seipsos, tanquam feras aliquas indomitas, & timent, & fugiunt

PSALMVS X. SECUNDUM HEBRAEOS.

{10.1} Ut quid Domine recessisti longe?

Querelis passim scatet hic psalmus animae, diuinae prouidentiae imperscrutabiles recessus inuestigare conantis: sed frustra. Quis enim profundissimum iudiciorum Dei pelagus perscrutari potest? Cur impii prosperantur, ait Esaias? Quis, oro, tam in fide robustus est, qui secum reputans, uirum iustum nullo modo malum, quod queat auertere, laturum: Deum uero iustissimum, atque adeo ipsam iustitiam, cum omnia possit, tolerare bonos a sceleratissimis quibusque opprimi, quasque non uidere, quae hic aguntur, non aliquando nutabundus exclamet: Ve quid Domine recessisti longe? haec secum, Solet profecto Deus afflictis atque aerumnosis adesse: superbos autem, & in aliorum iniurias promptos, deicere. Qui fit igitur, ut tandiu sinat bonos a malis diuexari? Abest certe procul, nec uidet, aut curat humana. Haec secum expendens anima moerore aliquo immenso af-

[affecta]

{pdf 072, p. 28}

-fecta, quemadmodum de his apud Deum patrem expostulare cogitur, ita non potest eum non rogare, atque opem in tantis rerum difficultatibus non implorare. Ait itaque: Quare homines permittis temere & casu ferri, quo sors iubet, nec ulla eorum cura tangeris? Num prorsus omnem de tuis expuisti cogitationem? Metaphora nimirum haec, sumpta ab iis uidetur, qui procul a suis positi, relictorum nulla tanguntur cura. Porro anthropopathia est, qua, dum sinit Deus perditos homines pro sua libidine debacchari, ac bonos affligere, procul stare dicitur, recessisse, auertisse se, dormire, & similia alia pati.

{10.1} Despicias in opportunitatibus, in tribulatione?

Felix: Ut quid occultaberis in tempore, in tribulatione? Videtur hic uates innuere uelle, ac uice miserorum conqueri, Deum longe abesse: aut si adsit, oculos, tempore quo ipsi aduersis agitantur, tegere, ne iniurias, quas ab improbis tolerant, uideat. Caeterum opportunitates, quas hic nominat propheta, tempus scilicet ad ferendas afflictis suppetias idoneum, ipse Deus nouit: nos enim ad tam alta iudicia perscrutanda prorsus hebetes sumus.

{10.1} Dum superbit impius, incenditur pauper.

Turgescit impius, ac superbia inflatur, cum, nemine contradicente, imo omnibus applaudentibus & laudantibus, regnat: suaque desideria fauente, ut sic dicam, uniuerso, ut lubet, implet. Quae pestis maior, quam nostris ineptissimis plausibus improbos in improbitate stabilire? atque id agere laudibus, quod qui sordidi sunt, sordescant magis? Interim uero quod exitialis haec flamma in dies magis inualescit, incenditur pauper, affligitur, cruciatur, zeloque fidei totus exaestuat. Impossibile enim est, hominem diuini honoris studiosum, absque extremis animi cruciatibus posse intueri, quae quotidie in rebuspublicis, in urbibus, in priuatis aedibus, in templis, in ipsissimisque templorum penetralibus perpetrantur. Nullum ignis genus est, ne illius quidem, quem ex Phlegetonte ipso ardenti deriuari aiunt, cum hoc comparandum. Alia litera sic habet: Prae superbia sua insectatur improbus afflictum. Unde exclamat paraphrastes: Summa arrogantia impius persequitur pium. Neque hoc mirum sane, postquam suos in hoc mundo Deus iussit in crucis amplexibus debere emori. Verum uide arrogantium exitum.

{10.2} Comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.

Hebraeis est, comprehendantur. Quae extimescenda imprecatio uatis est, in spiritu cernentis, eos nullo modo posse resipiscere. Quid hoc iudicio calamitosius? Quid tam horrendum, uel in ipsis inferorum sedibus, unquam uisum est, quam impium hominem intueri mille nefandorum operum maculis conspurcatum, nolle, propterea non posse, ad aequiorem mentem transire? Hinc enim fieri aequissimo Dei iudicio sanctissimi asserunt uiri, quod qui longo habitu in peccatis induruere, minime queant, nisi maximo miraculo, in resipiscentiam uenire: sed potius, ut alius reddit interpret, apprehendant

beneplacita, quae excogitauerunt. qua quidem re nil infelicius, aut dici, aut excogitari potest. Num id uerum est, peccatorem hominem inueniri, cui, quod malum corde concepit, exequi permittitur ac perficere? Haec enim infoelicissima est comprehensio, qua irretitur is, qui ideo derelinquitur a Deo, quia sponte sua malus est: diuinaeque bonitati, quae aequae omnes ad se prouocat, blandeque inuitat, reluctans, haud aliunde, sed a seipso, atque a uoluntariis, propriisque consiliis in praeceps agitur. Est rursus alia litera: Coadiuuantur, inquit, in consiliis, quae cogitant. Neque hoc rarum inter nos. Nonne quotidie cernimus omnia fere, quae ad luxum, quaeque impia ad uota perditorum hominum faciunt, abunde, a quo fato nescio, suppeditari? Quis iam ditior inter ciues? quis agris, honoribus, donis, facultatibus, liberis, tam potens? Haec enim omnia impium hominem adiuuant ad maiorem ignorantiam tum Dei, tum sui: quo sane morbo nescio an sit alius tam lethalis.

{10.3} Quoniam laudatur peccator in desideris animae suae.

Hic monet Eutymius, **Quoniam** seu **Quia**, dictiones apud Hebraeos non semper

{pdf 073, p. 28v}

causam reddere, sed aliquando aduerbium esse confirmandi: interdum etiam, iuxta usum idiomatis, superfluas esse, sed solummodo positas esse ornatus causa. Sensus igitur: Adeo enim praeualuit error ac uitium huiuscemodi, ut non solum non inueniatur qui peccatorem a uia illa sua nefanda auertat, sed neque desint qui laudibus eum extollant palpentque, in his praesertim quae effrena illi libido suggerit, ac quae infinita concupiscentiarum flamma proponit. Verum longe alium sensum esse ostendit Hebraea litera, quae sic habet: Nam laudat impius de desiderio animae suae. Cuius sensum ita reddit paraphrastes: Placet enim impius ipse sibi, et facit quicquid illi petulantia animi suggerit. Neque hoc satis: siquidem, ut albius inquit interpres, improbus laudat suos complices, ob ea quae ipse spurcissimis desideriis affectat animo: eadem enim & ipsi sectantur. Chaldaeus uero sic: Quare iactatur impius super concupiscentia animae suae? Vide quantum uariant interdum interpretationes, ac aequae desudent interpretes, in his maxime quae ex amphibola breuitate fiunt mutila.

{10.3} Et iniquus benedicitur.

Felix: Et iniquus benedicat blasphemanti Dominum. Quid hac impietate grauius? quid scelestius? Ad tam enim olidam rerum faecem peruentum est, ut non desint, ut ait paraphrastes, qui adulentur iniquo tam manifeste blasphemando in Dominum? Mens igitur prophetae est, improbos ac scelerosos illos in hoc uersis describere, qui & seipsos & alios peruersitatis nomine, cum aperta Dei contumelia ac blasphemia laudare soliti sunt. Nedum quidem hoc, sed ab aliis etiam complurimis laudantur, ac, si Deo placet, ad coelum usque extolluntur: adeo praepostere uiuitur, uel ea sane uita, quae iam omni facinosae audaciae obnoxia sit. Quid iam, oro, adolescentes natura simplices ad temerarios illos alieni thori congressus, ad furta, ad homicidia coniecit, nisi genus istuc nefandorum hominum, qui cum bona sua omnia in ganeis decoxerint, interque aleatores ac parasitos consenuerint, corruptores tandem puerorum efficiuntur, & illorum maxime qui factitatis patriae profusiores uidentur? Sed quemadmodum hi inter ciues, cum

nonnullis aliis uitiorum monstris tolerantur, ut sunt usurae, artesque meretriciae, ludi illiberales, & similia: ita nullo modo in rerum sacrarum administratione ferri debent, ne, quod aiunt, ad ingenium lupus. Malus enim suarum rerum custos, bonus haudquaquam aliorum esse poterit.

{10.4} Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem irae suae non quaeret.

Fastum hic minime tolerandum, atque arrogantiam illorum, quos supra peccatores & iniquos appellauit, uult uates ostendere. Irritant igitur illi Dominum inque suum exitium prouocant, coguntque, ut sic dicam, sua illa in malis pertinacia. Qui enim eius generis maculis conspersus est, raro ad synceriores uitae statum se transfert, sed potius secundum multitudinem irae suae non quaeret. uel, ut diuus interpretatur Hieronymus, secundum altitudinem furoris sui non requiret. cuius is sensus erit: Secundum quod profunditas irae suae atque superbiae eum extimulat, non curabit de Deo: consilia tantum propria requiret, sequeturque, non Dei. Ideo subiungit uates: Non est Deus in conspectu eius. Vide quo nos trahit mens improba, corque ad iniquitatem uegetum. Verum si uellet quis uerbum e uerbo reddere, sic esset uertendum: Improbis prae sublimitate nasi sui non requiret: ut nasum sublimem ferre, superbiae indicium esse non ignores. Hi quidem nunquam requirunt, id est, nil pensi habent, neminem metuunt: nunquam inquirunt, liceat necne, quod agunt, an deceat, an sit utile, an honestum, aut minus: sed in omnibus suo arbitrio, libidine, ac ferarum more, impetu feruntur. Ex qua quidem impudentia illud emanat, quod

{10.5} Non est Deus in conspectu eius.

Vel, ut diuus legit Hieronymus, Non Deus in omnibus cogitationibus suis hoc est, id sunt omnes eius cogitationes, id caput omnium illi est consiliorum, quod non sit Deus. Parum aliter Felix: Non est Deus omnes cogitationes eius.

{pdf 074, p. 29}

id est, quicquid cogitat, non est Deus: sed gloria, sed ambitio, sed fastus, sed ficta religio, pecunia, furor, ira, scortatio: sibi enim persuadere nititur, quod qui haec puniat, non sit Deus. Atque hoc est quod alio in psalmo dicit, Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Qua quidem persuasionem qui infecti sunt, nihil non turpitudinis moliri audent. Quare,

{10.5} Inquinatae sunt viae illius in omni tempore.

Adeo, inquit, indies magis corrumpitur eius uita, ut nunquam speres meliora. Iam prorsus de illo conclamatum est. Secus Hebr. Idcirco Felix sic: Prosperantur uiae eius in omni tempore. Nullum certe aliud tam terrificum potest esse iudicium, quam cum Deus sinit res impiis ad uota succedere. Atque hinc illud esse arbitror, quod Dominus ait: Misereamur impio, ne discat facere iustitiam. Talem equidem, o Domine, nollem misericordiam. Sensus ergo: Quicquid enim instituit uir improbus, prospere ei succedit. Cupit ille quicquid libuerit, nec difficile potitur cupitis: ita ut iudicium sententiae Dei

ab eo prorsus semota uideatur, cum secundum eius merita non iudicat. Unde alia est litera ex Hebraeo, hoc modo: Iudicia tua, o excelse, ab illo sublata sunt. quod noster interpres sic reddit:

{10.5} Auferuntur iudicia tua a facie eius, omnium inimicorum suorum dominabitur.

Aliquanto lucidius habet Hebraeus: Alte a conspectu illius iudicia tua. hoc est ardua illi tua erunt iudicia, quae minime apprehendere poterit. Ille enim modis omnibus, omnique hora ac loco nocere dat operam: quid uero de se statuas, ignorat prorsus. Quare turgidior factus, atque efferatior, confidit se, uel solo flatu suos posse sternere aduersarios. Idcirco Hebraeis est: Omnes inimicos suos flatu prosternet. Queritur uates, & ego quidem cum ipso, tantum potentiae ac successus, dari improbis, ut uel solo spiritu, si tantum moti grandius spirare coeperint, obuios quosque sibi hostes sternere sese posse putent. Solent enim qui eiusmodi sunt, dum eis omnia pro animi sententia eueniunt, sortis suae miserrimae, ac conditionis obliti, mirum in modum tumere, & immane, nescio quod spirare, praesertim cum ira conciti, & superos & inferos in aciem prouocant. Hincque illa tantae securitatis persuasio originem habet, de qua vates in sequenti versu sic:

{10.6} Dixit enim in corde suo, non movebor a generatione in generationem, sine malo.

Hoc est quod dicere uult: Cogitauit firmavitque id apud se: sic credidit, neque aliud sibi persuaderi uoluit. Non mouebor: uel, ut legit Felix, Non elabor a generatione & generatione: hoc est, per multa secula non nutabo, nihilque accidet incommodi, eo quod nihil infortunii experior. Sine malo. praecisa locutio, sed tumoris plena: addendum est, uiuam, seu, ero: ut dicas, sine malo uiuam, aut ero. Ad tantam ne mentis insaniam deuenire potest homo aliquis, ut haec dicat? Scilicet par est, ut quae Deo tantummodo conueniunt, sibi arroget. Persuasum ne habet Adae filius longissimo se uicturum tempore, in uita hac tam labili, nec incommodi quicquam accepturum? semper felix ero? sine malo uiuam? Quid, quaeso, id aliud esse ducimus, quam quod olim stultissimus ille angelus dixit? Similis, ait, ero altissimi. Quid illud rursum, quo persuasi primi parentes, comederunt uiam illam acerbam, per cuius gustum, quicquid iam vivunt posterii, totum etiam num coacescit? Eritis, ait serpens, sicut dii.

{10.7} Cuius maledictione os plenum est, et amaritudine et dolo: sub lingua eius labor et dolor.

Descripta superius improborum felicitate (ut eos tam digno honestem uocabulo) transit propheta ad uias illorum nocendi, opprimendique innocuos, manifestandas, & dicit, quod omnia quae loquitur uir improbus, execrabilia sunt, & digna odio, cum omnibus maledicat, obtrectet, spernat omnes ac uituperet. Sed hic occultioris nescio quid intelligentiae uidetur innuere litera, quae est Hebraeis: Improbus, aiunt, implet os suum periurio. nec ab re asserunt uerbum, Implet, positum, cum is mos & consuetudo illis sit, qui Deo & hominibus infensi sunt, quod non tantum deierare contenti sunt, nisi pleno

ore, multaque obtestatione prae se ferant sese ex animo, & uere deierare. Simulachrum hoc impietatis, forensibus, in con-
[contentionibus]

{pdf 075, p. 29v}

-tentionibus clarius, alio in loco cerni potest. Porro pro maledictione, quicquid uulgo docetur, quod aut haeresim sapiat, aut turpem uitam, intelligunt quidam: quemadmodum pastoris benedictionem, doctrinae ac uitae sanctitatem praetendere arbitrantur: alioqui ubi in pastore scientia & sanctitas locum non habent, cur eum pastorem uerius dicam, quam opilionem, non uideo. Quod si tamen horum alterutrum, quae nostra est debilitas, tantummodo est expetendum, malo sanctitatem uitae. Sat enim doctus est, qui sanctus est. Amaritudine, hoc est, ut ait Eutymius, iracundia: cum non nisi summa exagitatus iracundia loqui potest. Hebraei habent, fraude: quod quidem bene conuenit cum dolo: quanquam pro dolo, alia litera habeat, auaritia. Vtrunque enim perditorum hominum consuetudini bellissime quadrat, qui omnia & supera & infera arrogantissime confundere soliti sunt. Sed de auaritia postea. Sub lingua eius labor & dolor. Num tibi uidetur hic uates dicere, ac eiusmodi uerborum congerie attestari, illius generis homines, cunctas suas actiones, atque intimos animi motus omnes, mendaciis, dolis, fallaciis, periuriisque commiscere? Quid laborem, doloremque continuum in tam male affectis pectoribus memorem, cum iniquus nihil non molestum, & quod prius in se, in aliis postea, laborem doloremue pariat, loqui possit? Hebraei habent: Sub lingua eius molestia & prauitas, seu iniuria: nam quicquid lingua eius profert, iniuria est, ac prauitas. Verum postquam linguae tam praesentaneum uirus per se admodum exitiale est, ut merito serpentibus illis comparari queat, qui in siticulosus Africae littoribus enutriunt, quique, ut scribit Plinius, solo sibilo caeteros serpentes fugant, frutices nec contactos necant, afflatos uero exurunt: tamen adhuc illi animum ad execrabiliora, ac magis detestanda promouent. Nam,

{10.8} Sedet in insidiis cum diuitibus, in occultis, ut interficiat innocentem.

Ecce aliud peruersi cordis indicium. Iniquorum enim uitam comparat propheta, tum leoni in specu aliquo latitanti, praedamque expectanti: tum latroni qui in desertis locis, aut saltibus uitam degens, clam habitat, siletque, ut praetereuntes adoriatur. Verum cum diuitum fiat mentio, seu, ut est in Hebr. Sedet insidians in atriis: uidetur aliud genus latronum ab illo, quod clam degit in nemorosis locis, exprimere uoluisse: eorum scilicet qui in ipsis aulis, atriisque principalibus reipublicae populos depraedantur. Et sic erit sensus: Cum alii in desertis ac solitudinibus insidientur, latrocinentur: hi domi, ac in urbibus: illi hospites, isti ciues expoliant. Ab illis interdum pietatem aliquam prodiisse, & uidimus, & experti sumus: ab istis, ne umbram quidem, adeo suorum ciuium sanguinem, peculium, fortunas, uitam tandem expetunt. Ad haec, quis crudelior unquam uisus est, aut latro, aut praedo, aut pirata quoque, quam is qui usuris, nefandissimisque uersuris ac depeculationibus integras respublicas exhaurit? Quid putas aliud sibi uoluisse Hieremiam, cum ait? A minimo usque ad maiorem omnes auaritiae student. A propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum, Hi sunt igitur qui sedent insidiantes in atriis, in aulis, in ipsis intimis uisceribus ciuitatum (ne dicam modo de illis, qui quascunque uoluerint res undique uenantur, atque emunt, ut postea

quanto libuerit precio distrahant) ut interficiant innocentem, aeri que alieno obstrictum, atque eum quidem, cuius nullo suo uitio, res alius decoxit.

{10.9} Oculi eius in pauperem respiciunt.

Assiduam perpetuamque insidiatoris narrat attentionem uates: qui cum pertranseuntem aliquem uiderit, summa diligentia, uel irreuerberatis oculis obseruat, quomodo eum comprehendat: sumpta nimirum similitudine a latronibus, haud multum hisce a nostris domesticis dissimilibus, qui totis in hoc uiribus incumbunt, quomodo miserorum calamitatibus res suas accumulunt. Et quod hic legimus, pauperem, nomen magis miserabile exprimunt Hebraei. Eadem enim dictio, oppressum, uiribus exutum, confractumue significat: ut fere semper eos appellat uates, qui obteri solent, bonisque omnibus denudari ab impiis: eo depingere intendens, quales ab illorum rapacitate reddantur, haud quales fuerint

{pdf 076, p. 30}

antequam illis facti essent obnoxii, alioqui quomodo iam confractis, ac ad summam inopiam redactis insidiarentur?

{10.9} Insidiatur quasi leo in spelunca sua.

Quis hic non miretur tantam uatis in translationibus copiam? animus eius est, ut ostendat his similitudinem tropis, quam ardentem flagrent peruersi, nefarii que homines, atque adeo ipsi spiritus nequam, innocentes uel usque in cinerem redigere. Ait enim, illos plus quam leones callere insidiandi artes, plus quam latrones, plus quam aucupes. Nam quemadmodum leo in antro delitescens speculatur, si quod ex minutiori grege animal incautum, nihilque insidiarum aduertens pertranseat: ita improbi, ita daemones, incautas animas, si ex iis forsitan e mandra aberret aliqua, contemplantur.

{10.9} Insidiatur ut rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum.

Perstat propheta in metaphora leonis, & sic ordinanda est litera: Ipse insidiatur rapere pauperem, ut rapiat pauperem. hoc est, insidiatur ut rapiat, quia pauper est, quia fidelis, quia Dei amicus, quem ipse infelix odio habet. Sed cur rapit? ut attrahat eum, hoc est, ut eum deglubat, ac discerpat. Iam illud non omittendum, quo uates pathos mouere intendit, cum dicit, secundum ueriores literas, Insidiatur ut rapiat pauperem, ut rapiat pauperem: quas duas clausulas non sine singultu autoris prolatas fuisse existimo, & est sensus, Illum, illum, quem a calamitatibus par fuerat eximi, insectatur, & miseriam miseriae accumulatur. Neque illud quoque silendum, quod Hebraei, Attrahit eum, connectunt cum sequentis uersus principio: ut sit sensus, Attrahit eum ut dilaniet: dilaniabit enim absque ulla commiseratione, quicumque in illius rete aut laqueum inciderit. Litera enim Hebraeis haec est: Insidiatur ut corripiat afflictum. Corripit afflictum, cum trahet eum in rete suum. Qui sensus, quia uisus est uerus, mihi admodum arrisit, nec alium quaerendum esse censui. Tamen ne noster interpret suo etiam ipse defraudetur, interim dicendum,

{10.10} In laqueo suo humiliabit eum.

Id est, dolo & calliditate, qui nefandorum hominum laquei sunt, illaqueabit eum, ac ad terram deiiciet, prosternetque & occidet. Inclinet se, & cadet, ad pauperem referunt. & est sensus, quod pauper inclinabit se, hoc est, ob atrocitatem afflictionum, ad terram incuruabitur, & cadet tandem, cum dominatus fuerit pauperum, cum scilicet impius manus sacrilegas erexerit super innocuos. Et haec secundum literam nostri interpretis. Verum, quoniam, ut dixi, huius uersus principium, scilicet, In laqueo suo, connexum est Hebraeis fini praecedentis: & ille sensus uisus est, quem sequi debeam, ab hoc non declinare animus est, tum ob multa, tum uel maxime, quod uates in similitudine a leone in insidiis latitante mutuata perseuerat. Sic enim Hebraei: Comprimit se leo, deiicit, & cadit uiribus eius coetus confractorum. Fere idem Felix: Subsidebit, inquit, humiliabit, & cadet in fortitudine eius exercitus contritorum. Quae metaphora, ut idem saepe repetam, est a leone subsidente, & inclinante se in spelunca, ut incauta animantia capiat, desumpta. Quemadmodum enim ille comprimit sese, & incuruat, & deiicit, ut eo fortius in praedam insiliat: ita miserorum oppressores, ita haeretici, ita adultores sese, uafri homines interdum demittunt, & se cum deiectis deiiciunt, cum flentibus flent, quo commodius hisce dolosis artibus inescatos opprimant, & comminuant. Sic uides, quomodo ex peruersorum hominum, nec minus daemonum uafra ac dolosa deiectione, cadat exercitus contritorum. Eo enim iam robore sunt, ut innoxiorum facile multitudinem, quam exercitum uocat ob assiduam cum hostibus conflictationem, prosternere queant. Sed unde hoc, quaeso?

{10.11} Dixit eum in corde suo, oblitus est Deus.

Si quis auet rationem intelligere, causamue non ignorare, quam ob rem improbi, omni humanitate exuti, tanta cum saeuitia miseros ciues insectentur, decipiant, irretiant, fraudent, dispoliant, extinguant, ut in huiusmodi nocendi studio, atque arte, rapacitatem latronum, leonum truculentiam, ac dolos aucupum superent: eam

{pdf 077, p. 30v}

esse dicit propheta, quod dicunt in corde suo, hoc est, secum cogitant, definiuntque, non esse Deum, qui rerum praesentium curam habeat. Auertit faciem suam, inquit, ne unquam ista, quae hic fiunt, uideat. [10.11] Non curat quae hic agunt homines. Excidit illi prorsus de humanis actibus memoria. Hinc enim apte admodum, ut caetera paraphrastes: Persuasit, inquit, sibi Deum negligere haec, & auertere faciem suam ab his, nec habiturum unquam rationem horum. Quare his tam inhumanis, tamue diris, nec omnino tolerandis actionibus consideratis,

{10.12} Exurge Domine Deus, & exaltetur manus tua, ne obliuiscaris pauperum.

Iam uates connumeratis pauperum Dei calamitatibus, transit ad sanctarum animarum preces ac gemitus, quibus Deum ipsum, quo tandem ad suos respiciat, sumatque poenas de improbis illis, qui feritate ac saeuitia, uel cum ipsis Hircanis tigris contendere possent, orare soliti sunt. Et primum, ut Dei potentia, quae iacere dicitur dum non

succurrit, sese exerat demum, rogat: nec tamdiu suos sinat culto res ita inhumaniter a malorum petulantia tractari. Exurge Domine Deus. Satis iam superius de his familiaribus tropis prophetae est dictum. Ad sensum igitur: Expergiscere Domine ad ultionem. Exaltetur manus tua, hoc est, leua in altum, percussurus ualidius, manum tuam. Metaphora quippe haec inde sumpta uidetur, quod hi qui aliquem paulum atrociter percutere intendunt, dexteram, quantum in sublime possunt, leuant. Ne obliuiscaris pauperum. hoc est, ne negliges tuos omni humano auxilio destitutos: his fer opem, ne quando a maledicis dici contingat, te facile illorum obliuisci, quos tibi cordi esse in primis oportuit.

{10.13} Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde suo, non requiret.

Est perinde, atque si dicat: Qua bonitate, quae patientia, impium ferre potes tam manifeste blasphemum, ut audeat dicere non esse Deum? non esse prouidentiam in coelis ullam, quae sit ista curatura? Hebraeis autem sic est litera: Cur lacescit improbus maledicto Deum? dicit in corde suo, non requires. Atqui uel ex hoc unico uersu perpendi potest, sanctos Dei uiros, non sui causa, sed gloriae diuinae gratia, uindictam efflagitare: proinde summam hic animi indignationem, ob laesam Dei gloriam, in sanctis uidere est. Primum enim hoc indicat interrogatio, Cur lacescit impius Deum? Deinde personae mutatio, postremum oratio mutila, Non requires. hoc est, apud se cogitat impius, quod tu Deus non requires, neque ultionem sumes. Vides quomodo Dei bonitate ac patientia abutuntur nonnulli? Mira nimirum impietas, diuinam indulgentiam, patientiamque, ab improbis stupiditatem reputari.

{10.14} Vides quoniam tu laborem & dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas.

Sensus est: Oblatrat enim peruersus ille maledicus, te non inquisitum de suis actionibus: at secus experietur infelix. Vides siquidem tu, & laborem, doloremque hominum omnium iniuria affectorum conspicias: iramque, & furorem illorum, qui iniurias inferunt, optime consideras, & subtiliter (sic ait Eutymius) magno cum examine discernis, ut in futurum eos poenis tradas. Haec sanctus monachus. Tradi uero in manus Domini, est ab eius iudicio puniri, reque ipsa experiri, quod Deus non sinit in perpetuum, licet ad tempus dissimulare uideatur, malos in bonos desaeuire. Similitudo nimirum ab operantibus accepta, qui tum opus exequi dicuntur, cum illud in manus accipiunt. Sic Iurisconsulti, sic aduocati, sic procuratores, sic caeteri causarum disquisitores, pupillorum ac uiduarum, illarum maxime, quae uerae uiduae sunt, ut ait Paulus, causas in manu habere dicuntur, cum eas a luporum ingluuie, ut tenentur, uendicant.

{10.14} Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.

Pauper, orphanus, pupillus, uidua, in scripturis pro quocumque ab omnibus destituto, & qui omnibus omnium iniuriis facile obnoxius est, accipi solet. Et quia Deus his potissimum, qui ab hominibus prorsus deseruntur, citius consulere, opemque illis ferre

consuevit, scriptura prope adagii loco, eum iudicem esse uiduarum, pauperum orphanorumque, omnium scilicet afflictorum, iactitat. Horum igitur

{pdf 078, p. 31}

-tur causa, ait, tibi est derelicta. uel, ut legit Hebraeus: Super te relinquet oppressus hoc est, causam suam tibi committet oppressus. nam pupillorum semper, quae tua est bonitas, curam habere es solitus. Male enim se haberent res nostrae, hoc est, mortalium, si tyranni, ac caetera huius generis monstra, impune, & pro libidine in miseros ciues grassarentur: ipsi uero omni humano auxilio denudati, nec Deo quidem essent curae. Nolite timere, ait Moses ad populum: state, & uidete magnalia Domini, quae facturus est hodie. Aegyptios enim quos nunc uidetis, nequaquam ultra uidebitis usque in sempiternum. Quam uellem animo libero, atque humano, huiusmodi tractarent comminationes, mundi principes, atque animarum antistites, & rectores. Quod si tamen fastus aliquis, aut arrogantia a mundo illis conceditur: quid monstri id est, in Dei ecclesia, in templis, in ipsis quoque sacrarum sepium cellulis & antris, mortuorum scilicet domiciliis, inueniri superbiam, & dominandi ambitionem? Cuperem equidem, sic me Deus amet, cum meo Paulo, anathema fieri a Christo, modo sanctissimum eius nomen & gloria, passim ab omnibus magis, quam propria celebritas, quam magistratus, quam mundus iste concupiscentiarum omnium irrationabilium nutritor, amaretur. Felix profecto religio Christiana, Felix princeps, Felix ciuis, si ea sibi ratio ne uiuendum in terris arbitrarentur, ut bona sua omnia in coelis esse iudicarent & cederent: Christusque ardentius coleretur, quam aes, aut rerum mundanarum possessio, & scortum, & si quid turpius est.

{10.15} Contere brachium peccatoris, & maligni, quaeretur peccatum illius, & non inuenietur.

Confringe, inquit, potentiam improbi, in qua tam arroganter confidit. Non nos moueat ad distinctiones inter peccatorem & malignum, nominum uarietas: absurdae plerunque sunt, & parum ad institutum facientes. Logice enim tractandarum scripturarum spiritualis est, ac quieta: non illa contentionum plenissima, quae cum nimium audax sit, ac in partiendis omnibus importuna, plerunque nos in suis illis bellacibus diuisionibus, adeo diuidit & confundit, ut ignoremus quem maxime sensum in scripturis sequi debeamus. Hic enim cupit, oratque uates, illorum, qui iam ad omnis generis flagitiorum culmen peruenerunt, brachium, potentiam scilicet atque imperium conteri. Quaeretur peccatum illius, abs te uidelicet. Quod melius expressit Felix: Inquires, inquit. Et est sensus: Postquam coeperis illius improbitatem per iudicium inquirere & inuestigare. qui interim dicit in corde suo, quod non requires: postquam, inquam, coeperis instituere quaestionem, eiusque mala denudare ac iudicare, statim iniquitas eius quae aliis noceat, non erit, desinet, euanescit. Vel, non inuenietur qui male agat, iudicio tuo aequissimo perterritus. Caeterum, quomodo non etiam iustissimus quisque statim a lite cessabit, causaeque cedit, si in iudicio cum Deo illum intrare contingat, quando coram ipso, ne astra quidem ipsa munda sunt? atque olim in beatis angelis prauitas inuenta est? Multo magis igitur cum malorum operationes excuti coeperint, euanescent omnino, terga dabunt, proiicienturque tanquam quisquiliae leuissimae a facie uenti.

{10.16} Dominus regnabit in aeternum, & in seculum seculi: peribitis gentes de terra illius.

More suo uates de concessa diuinitus ope gratulationem celebrat. Certe suos Deus deserere non potest. Ideo in omnibus ferme psalmis, in quibus pro liberatio ne a malis oratur, subiuncta est simul & gratiarum actio pro iam percepta. Ita in hoc psalmo, post ardentissimam contra miserorum oppressores imprecationem, tanquam exorato iam Domino, impetrataque in illos ultione, gloriari sanctos, hosti busque insultare facit, hoc modo: Dominus regnabit in aeternum, & in seculum seculi: peribitis gentes de terra illius. hoc est, negabant illi Deum curam rerum humanarum habere: ridebantque eos, qui Deum rerum omnium prouidentiam habere, cunctaue exactissime diiudicare ac regere, asseuerabant. At secus, suo maximo malo, experti sunt: eum scilicet sempiternum omnium regem, potentissimumque iudicem esse. Vos gentes impurae et exleges, eradicabimini in praesentiarum de hoc mundo, qui illius est, non uester: postea uero de terra illa uenturum, cuius Do-
[Dominus]

{pdf 079, p. 31v}

-minus rex ipse est aeternus, summa cum ignominia arcebimini. Hoc idem post patrem comminatus est Solomon, in suis Prouerbiis dicens: Impii de terra perdentur.

{10.17} Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.

Causam reddit uates quamobrem Dominus iudicio in scelestos homines seuerissimo usus sit, atque utatur continuo, ut de terra illius funditus extirpentur, quae est maxima omnium poenarum. Non quis mihi modo teterrimos inferorum ignes, aut sulphureos halitus, cruciatusue caeteros animarum, miserorum in imo Phlegetontis lacu iacentium memoret: secludi enim a felicissimo Dei aspectu in aeternum, ea est poenarum omnium acerbissima. Desiderium, ait, pauperum exaudiuit Dominus. Quid putas quantum commoueat pii patris animi, gemitus illi afflictorum? suspiria? singultusue ab imis cordis radicibus euulsi? quid lachrymae illae? quid planctus? quid eiulatus uiduarum, orphanorumque, & omnium illorum, qui ob continuas minas, oppressiones, depopulationes, caedes, confiscationesque (quod aiunt) bonorum, querelis magis ac lamentis uitam miseram sustentant, quam pane, aut alio cibo simili? Haec nempe sunt desideria, quae a Domino exaudiri clamat uates. Porro quid censes aliud expeti posse a uiro illo, cuius corpusculum in terris utcunque uictitat, cor autem eius in coelo fixum ac uegetum, ardet totum cum Deo unitum, atque per amorem & cognitionem in ipsum prorsus transformatum, nisi ut in terra, quemadmodum in coelo, fiat Dei uoluntas? ut eius sanctificetur nomen? utque illius tandem adueniat regnum? hoc est, ut blasphemii, ut maledici, ut disseminatores dissidiorum, ut impuri, ut rapaces, ut simulatores, elati, ambitiosi, tyranni demum de terra extirpentur, quo pax, quo iustitia, quo tranquillitas, quo charitas tum in Deum, tum in homines, ob illorum scelera fugatae, redeant, in ipsaque locum habeant, & nobiscum habitent?

{10.17} Praeparationem cordis eorum audiuit auris tua.

Non mirum sane esse debet, si Dominus aures illas suas pientissimas, ad cor nostrum praeparatum ad exorandum aliquid, quod eius sit uoluntatis, porrigit, cum ipsius praeparationis ille autor sit, ac dator. Quare sic reddunt Hebraei: Diriges cor eorum, auscultabit auris tua. Nam quid oremus sicut oportet, ipsi nescimus, ut ait Paulus: multo minus quomodo, aut quo exordio rem tantam inceptemus. Sed ipse Christus adiuuat infirmitatem nostram, ac postulat pro nobis. Vides igitur, uelle praeparari, nedum quidem praeparationem ad orandum, donum Dei esse, modo altissimis illis primis ab Deo oblati inspirationibus non reluctemur. Porrigit enim Deus, atque offert homini sua dona: non cogit tamen, ut illa admittat: quanquam assensus illi etiam, & uoluntas, & ipsa quoque potestas ad amplectendum bona, non secus donum Dei sint, quam illud est, quo assiduis coelitus admonemur afflatibus, ueluti a solis radiis, ne lucem oblatam aspernemur. Verum & illud interim fatendum (ne quae donorum omnium sit uis ignoremus) arbitrium quoque nostrum inter diuina dona in primo rerum exordio homini data, connumerandum: quo, tanquam oculo, ut nonnulli asserere uidentur e nobis effosso, id fere fit, quod diuus scribit Dionysius, ac si quis, sole suos radios sanis largiente oculis, sibi oculos eruens, solaris luminis particeps fieri postulet. Paraphrastes enim sic hunc uersum reddit: Desideria piorum audiuisti Domine, gubernabis corda ipsorum, praeparabis aures tuas precibus eorum.

{10.18} Iudicare pupillo & humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

Felix sic: Ut iudices orphanum, & pauperem. ac si dicat, Auscultauit auris tua, de quibus te interpellant miseri, ac eorum desideria & uota exaudisti, ad hoc sane, ut iudices illorum causam, qui humano prorsus destituti sunt patrocínio, ne ultra homo adiiciat adeo inolescere super terram. Ut quid enim ob uires, aut uirtutes aliquas tibi diuinitus concessas, aut potentiam & dignitatem plerunque in immerito collocatam, homo e terra prognate intumescis? Dominus enim est qui humilium causam tutatur. Tu interim homo bulla, tua sorte mortali teipsum metire. Notat Felix in hoc loco *henos* poni, ubi nos hominem legimus, quae dictio hominem plane abiectum, & uilem significat: quare melius putat hoc modo legen-
[legendum]

{pdf 080, p. 32}

-dum, Ne pergat conterere, homo ex terra, id est, homo abiectus & uilis, qui ex terra est, terrenaque meditatur, caeteros ex terra. Vel, ut ipse quoque interpretatur: Ne addat amplius ut opprimat homo ex terra. id est, homo impius, terrenusque, ne pergat conterere iustos. Quocirca sic reddit paraphrastes: Vindica pupillum & humilem, ne mortalis homo posthac uim audeat inferre.

**PSALMVS DAVID IN FINEM, XI.
{11.2} In Domino confido.**

Psalmus est, mortales omnes, modo uelint, in Christum, qui finis est noster, perfecta uirtutum omnium consummatio, dirigens. Olim enim Dauid a facie regis Saul profugus,

nullis in locis, ob exploratorum uigilantiam, tutus considerare diutius poterat. Quacunque enim in sede latuisset, aut quocunque proficisceretur, illi non longo interuallo sequentes, eum tandem coegerunt, ut relicto regno Israelis, ad Philistaeos transfugeret, hoc est, ad idololatrias. Vide quid agat interdum persecutionum acerbitas. Illos igitur tam passim sibi infensos exprobat uates, conqueriturque, cur uirum eum, qui semper in Domino fuerit confisus, adeo moleste insectarentur, ut ne in desertis quidem locis sese occultandi daretur facultas: imo de latebra in latebram, de monte in montem oberrare, tanquam auiculam timidam, cui nusquam nidos struere concedatur, impellerent. Vmbra prorsus haec omnia sunt eorum, quae nunc accidunt. Sunt sane undique circa nos molestissimi hostes, qui non sinunt animam, quoquoersum se uertat, tutam esse. Modo enim importunissimas ingerunt cogitationes, arduam esse uiam uirtutum, nos uero debiles: quocirca nos frustra conari. Modo etiam, quid stulti molimini? Si praedestinati non estis, quo uester is durus tendit labor? Rursus etiam persuadere nituntur, uitam illam, quae in pietatis exercitio desudat, miseram esse, & aerumnosam: contra autem, mundanarum rerum cupidos ac sectatores, bonorum omnium lautitia abundare. Quare cum tam periculose sese nobis insinuare nitantur suggestiones, ne cedamus tam malo suasori, a patribus admonemur. Offert enim dulcia daemon unus, alius aspera & amara: caro prouocat, trahunt sensus, illectat mundus, perterrefacit lex. Tu ne cede malis, sed tota fiducia tua sit in Domino: ac dic, in Domino confido.

{11.2} Quomodo dicitis animae meae, transmigra in montem sicut passer?

O meae cogitationes, o tetri spiritus, o adultores. Qua impudentia me hortari audetis, ut deserta uia Dei, quae recta est, ac tuta, ad solitudinem, ad montes incultos, ad terram minime peruiam & aquosam, profugiam? Timidis enim auibus, ut passer est, solet is esse mos, ut de agro in agrum, de monte in montem errando demigrent, simulatque nulla eis ab aucupibus nidificandi conceditur libertas. Vide, oro, aliam eo periculosiorem cogitationem, quo occultam magis. Transmigra, ait, in montem, hoc est, in proprium sensum, in proprium consilium, in proprium amorem. Iam passer es, prudens scilicet iam es, quid uereris? (ait Hieronymus, passerem in scripturis pro prudentia accipi interdum) iam quidem dignus es, ut alios instruas. Quid in imis latitas? Desere iam tandem loca haec campestris, atque ad montes propera. Cur tu perinde, atque ille, non dignus es, qui ad altiorem gradum proueharis? immeriti ascendunt: tu meritissimus praeteriris? Nonne uides tuam in sementem desinere plantam? Ubi tuorum laborum fructus? ubi inedia? ubi curae illae tam anxiae, si uotis optata non respondent, succeduntque? Cernis, o amice, quam nos occulte adlatrent canes, latentes scilicet cogitationes? At tu, si sapis, prudentissime respondeas: In Domino, non in rebus hisce longo spacio inferioribus, quam ea sint, ad quae expetenda factus est homo, confido: hunc amo, hunc volo, vel ruat mundus.

{11.3} Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Dicat aliquis, cur bone uir in Domino hoc tuo confidis? Quoniam, inquit, ecce peccatores, ecce daemones, ecce adultores, qui bellicis praeparatis armis, inno-
[innocentes]

{pdf 081, p. 32v}

-centes, quando maxime non comprehenduntur, aggredi soliti sunt. Huiusmodi enim naturae hi sunt, propter iam conceptam animi puritatem, & simplicitatem, ut facile ab acutioribus seducantur ingeniis, ac suggestionibus, ni praesto adsit Deus, qui horum potissime fautor est & defensor. Porro per sagittas, pharetram & arcum, totum belli apparatus intellige, siue corporeum, siue spirituale id sit. Per illud uero obscurum, quo recti, ut ait propheta, impetuntur corde, insidias: quod Graecis significantius una dictione exprimitur, [Gk] *εν σκοτομηνη*, qua noctem significant, quando maxime luna est obscura: quod Latinis esset obscurilunium. Quae sane omnia occultas hostium insidias praetendunt. Quo quidem nocendi genere uti solent daemones, adulatorumque & amici illi, qui affectu carnis magis, quam spiritus, erga nos afficiuntur. An nescitis, ait paraphrastes, quoties impii tetenderunt arcus, aptauerunt sagittas suas ad neruum, hoc studiose agentes, ut clam tela sua iacularentur in eos, qui candido sunt pectore, ipsi quidem laedere studuerunt?

{11.4} Quoniam quae perfecisti destruxerunt.

Aliam causam ponit, Quamobrem Domino fidere debeat. Condidisti, ait, tu Domine leges, iuraque omnia. Tu mandata, quae mandasti custodiri nimis, tanquam uirtutum aedificium erexisti. Illi autem & leges, & iura, & mandata impudentissime destruxerunt. Siquidem, tempus faciendi Domine dissipauerunt legem tuam. Hunc esse huius uersus sensum affirmat diui Hieronymi litera. Leges tuas, inquit, destruxerunt. Verum cum secus habeant alii, uisum est etiam alium praetendi sensum. Aiunt enim, fundamenta diruta sunt: ac si uates asserat, res suas adeo deiectas, euersasque a fundamentis esse, ut nihil prorsus superesset salutis: quocirca eo ardentius confidendum esse in Deo, quo maior est calamitas.

{11.4} Iustus autem quid fecit?

Quid commeruit? quid tantum delinquere potuit, ut in uita tandiu perduret, quo illud propriis cernat oculis, de quo iam olim conquestus est Elias? Aras, inquit, tuas destruxerunt prophetas occiderunt, & ego derelictus sum solus. Plena commiserationis haec est interrogatio, nec pathetico uacat affectu. quasi diceret: Ego miser, qui nocui unquam nemini, omnibus autem nec requisitus profui, tamen ab amicis deseror: deuincti beneficiis partim me produnt, partim contumeliis insectantur, partim etiam uel eo usque impellunt, ut nullum uspiam mihi supersit confugium. Atqui neque ob id animum despondeo, sed in Domino eo fortius confido, quo magis ab hostibus meis impetor, & affligor. Is enim in coelis, omnibus supereminens residet, cunctaque mortalium, quae hic aguntur, intuetur, examinat, iudicat.

{11.5} Dominus, inquam, in templo sancto suo: Dominus in coelo sedes eius.

Felix sic: Dominus in templo sanctitatis eius. Quod si quis adhuc ignorat, ubi habitat Deus, audiat prophetam alium. In sanctis suis, ait habitat Deus, & in coelis praesidet. Hic enim in terris nobiscum per gratiam, donaue illa sua sanctissimi spiritus, ac lucem

eam, qua nos in se totos rapit, conuersatur: Illic uero in coelis perfectissima uisione, aeternoque bono, ac felicitate, praesidet, & suos beat. Talis igitur is est, in quo spem meam omnem collocaui. Nec ab re quidem: nam

{11.5} Oculi eius in pauperem respiciunt: palpebrae eius interrogant filios hominum.

Dicendum in primis hic esse arbitror, in pauperem, non inueniri in Hebraeo: sed tantummodo sic, Oculi eius considerant, palpebrae eius probant filios hominum. uel, ut reddit paraphrastes, Dominus in coelo habet solium suum, unde oculi eius contemplantur omnia, & palpebrae illius obseruant diligentissime quaecunque designant posteri Adae. Quare is sensus esto: Dominus non solum uidet, ac sua illa rerum omnium, ut ait Eutymius, exquisita scientia cognoscit, sed iudicat etiam, aequissimaque statera mortalium omnium actus librat. Palpebrae enim pro obtutibus ab Hebraeis usurpantur unde alia litera sic habet: Eius intuitus explorant filios Adae: seu, ut legit Felix, probant, hoc est, discutiunt, exami-
[examinant]

{pdf 082, p. 33}

-minant, diligentissimeque attendunt quicquid moliuntur filii Adae, homunciones scilicet fragiles, & nihili.

{11.6} Dominus interrogat iustum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Rursus legendum esset, Dominus probat, seu exquirat, ut sensus apertior redderetur. Et uide, an Felicis litera pene integrum sensum faciat. Dominus, inquit, iustum probabit & impium, & diligentem iniquitatem odio habuit anima eius. Clarius adhuc paraphrastes: Dominus, ait, obseruat & iustum & impium: sed eum qui amans est iniquitatis, odio persequitur ex animo. Unde in primis admonemur, quid sit animam Dei odisse aliquem, hoc est, ex animo, ac serio. Hac enim periphraasi intimum odium exprimere uoluit. Porro is diligere iniquitatem dicitur, cui non solum ipsa placet iniquitas, sed & qui eam defendit, amatque ardentissime. Nec nos moueat, quod tum hic, tum alias, Deum habere animam legimus, oculos, palpebras. Sacrarum rerum scriptura, cuius propositum est, omnibus, uel ipsis mulierculis quidem, ut consulat: non uult, cum nobis de ineffabili Deo eloqui instituit, aliter loqui, quam more humano, ac ueluti de homine, eiusque natura & effigie, nos loqui consueuimus. Sic enim ad Esaiam locutus est Dominus: Calendas uestras odiuit anima mea. hoc est, ex animo, non fecte odiui. Caeterum Deus mirabili quodam artificio iustum aduersis examinare, perpolireue est solitus, non secus quidem quam solet aurum aurifex ignitis prunis, ac flamma: ex qua quidem arte, id quod syncerum est, facile secerni potest, ac dignosci: faex uero iacet, nihilque aestimatur. Ita Deus suos per tribulationum ignem excoctos, in lucem educit, ut omnibus palam, quantum dona tanti opificis ualeant, innotescat. Falluntur sane hi, qui secus quam per angustias & aerumnas, excelsum sibi uirtutis iter patere existimant: cum rerum harum ui atque acerbitate, mundanarum rerum amor extenuari soleat, non secus, ac sub malleo ferreo bracteola. Nam quemadmodum ab auro in fornace posito euaporat

quicquid alienae materiae admixtum fuerat: ita diuinus amor eo perfectior redditur, quo minus iam res conditae diliguntur. Verum tu, si sapis, quid poenarum improbos maneat, animo perdende.

{11.7} Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.

Non possum equidem non supremum in modum mirari, ac simul dolere, si sit ullus uspiam gentium, qui iam audeat esse malus, simulatque passim & legit & audit, quam horrenda sint illa, quae a summo rerum omnium iudice parata sunt illis, quibus cum integrum sit, manum uel ad ignem, uel ad aquam porrigere, ad ignem potius, quam ad aquam admouent. Pluet, inquit, super peccatores laqueos. Alludit enim (ni fallor) uates, ad Sodomorum eersionem illam tam tetram, ubi nunc lacum Asphaltem, bitumen euomentem limi, esse affirmant, cuius natura sulphurea est. Horum quippe exterminium, propter insignem suam immanitatem, pro qualibet dira atque horrida ultione usurpari solet. Poena profecto tam execrabili uitio condigna. O terrificos cruciatus. Sed o poenas omnes suo horrore ac foeditate superans uitium. Potest ne? uerumne est? Christianum hominem ad tantam mentis caecitatem deuenire, ut membra illa non iam amplius corporea, sed ob sacram undam spiritualia effecta, tam detestandae copulae prostituat? Non credo, licet audiam, licet uideam. Quare ad propositum reuertamur, ne tam sanctas odas, patissimi huius uitii uel memoria conspurcet. Laquei enim sunt ea omnia, quae nos implicant, irretiuntque, & ne euadamus, perstringunt. Quae sane, licet cum superioribus tormentorum generibus, quantum ad carnem attinet, horribilia sint, & metu digna, & quae uerius in futuro seculo apud inferos mortiferis inquinati peccatis experientur, quam impraesentiarum: tamen neque ab iis sunt modo immunes peccatores in anima. His enim aequissimo Dei iudicio laquei caecitatis animi, atque desperationis, stupida cum hebetudine intellectus permixtae iniiciuntur. In hos, inquam, in modum pluuiae diuinitus proiciuntur concupiscentiarum ignes, atque irae, sulphurque detestandi nominis & famae perpetrati sceleris. Spiritum rursus procellae in illos iaculatur Deus, quemadmodum meriti sunt: tempestatem scilicet, horroremque illum, & confusionem, quae continuis stimulis, uel usque ad amentiam, exagitant

{pdf 083, p. 33v}

conscientiam. Et haec tandem omnia pars calicis eorum: hoc est, talia bibent. Et est metaphora a ritu antiquo mutuata, quo per conuiuii modiperatores sua cuique uini portio, quam hauriret, statuebatur. Ita, ea similitudine, quicquid nobis a Deo uel obuenit, uel statuitur, amarum sit, uel dulce, calix noster est ac portio: quam uelimus, nolimus, bibere necesse est. Sed de calice alias.

{11.8} Quoniam iustus Dominus & iustitias dilexit, aequitatem vidit vultus eius.

Hoc ultimo psalmi uersu rationem reddit, cur Dominus, ex more, bonos exploret, perficiatque aduersis: malos uero detestetur, atque in eorum exitium & perditionem, uerberet. Iustus enim cum sit Deus, non potest non amare iustitiam, hoc est, secundum

phrasim hebraeam, iustitiae cultores. Quare non absque ratione est dictum, quod iustitiam dilexit, & aequitatem uidit uultus eius: & est perinde ac dicat, aequitatem aspicit, illique fauet. Solent enim qui alicui rei fauere uolunt, non solum uerbis ac nutibus, sed & gestu ac uultu exhilarato prae se ferre animi fauorem. Porro haec legens quis iam iustitiae studio defatigari potest, quamlibet malam gratiam rependat mundus? Sat sit, obsecro, nos, qui sub truci aduersitatum malleo expolimur, Deo charos esse. Sat sit, inquam, tam aequum iudicem causam nostram sereno, fauentique uultu aspicerem. Non nos malae fortunae acerbitas ab instituto deturbet, postquam perpetuam, quoad uixerint, suis domesticis exercitationem in cruce esse decreuit Deus.

PSALMVS DAVID super octauam XII

{12.2} Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus

Psalmum hunc canit uir sanctus: quanquam quis sanctior Christo? Is enim ille est, qui vere, vel solus, huius mundi pericula, & miserias dignoscere, querique potuit in terris vivens, utpote cui non solum ea, quae in imo hoc mundi diuersorio tractantur, nota erant: sed & quae in ipso patris corde aeterna caligine cunctis mortalibus obiecta sunt, erant aperta. De ogdochorde, seu octaua, iam est dictum in superioribus. Vir igitur sanctus, ut dicere inceperamus, cum Dei filio queritur, quod rerum summa penes, sed in primis apud delatores & adulatores, posita sit: qui quidem primas in rebus publicis nacti dignitates, innoxios quosque opprimunt. Nullum sane uulnus acerbius arbitror posse perpeti, uel regnum, uel rempublicam aliquam, quam cum pestilentissimi homines rerum summam gubernant, bonorumue nulla prorsus ratio habet. Et quia passim per orbem ferme uniuersum idem error usqueadeo iam proserpsit, ut ne loca quidem sancta ab hac exitiali labe immunia sint: propterea uir tum Dei, tum sanctae illius ecclesiae studiosus queritur, quoniam defecit sanctus. Sed primum feruenti ac exaestuanti animo exclamat: Salvum me fac Domine, serua o Domine, succurre, fer opem. Ita sane exclamare soliti sumus, cum nihil, in re aliqua, omnino subsidii superesse cernimus: nisiue Deus actutum opituletur, actum de nobis putamus. Defecit sanctus: uel, ut alia habet litera, consumptus est sanctus. hoc est, nulli boni supersunt. Enallage numeri est. Credentium numerus admodum diminutus est. Nam fidi qui sint, atque integri, iam inter mortales esse desierunt. Omnes enim, uel in primis hi, qui aliqua praediti sunt & dignitate & potentia, quae sua sunt quaerunt, non quae IESU CHRISTI. In ipsis enim diminuta est ueritas uitae, quia corrupta. [12.2] Diminuta est ueritas doctrinae, quoniam aut ineruditi sunt, aut falsa docent: diminuta est ueritas iustitiae, pacis, beneuolentiae & charitatis tandem in populos. Atqui querelas hasce a propheta in illos, qui auctoritatem & potentiam super alios nacti, improbe vivunt, prolatas esse, illud est indicium, quod in sequentibus canitur, Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Qui quidem pauperes, silentii & quietis cupidi cum sint, libenter a uulgi strepitu latitant, cum interim peruersi quidam audaculi sese ad omnia ingerunt, se ostentant, se tamen, ac caeteros infeliciter perturbant. Porro uix dici posset, quantum propheta noster infensus sit omnibus uniuersali quodam modo

-do peccantibus ex malitia ac consulto: sed dolosos potissimum, atque illos, qui duplici sunt corde, execratur omnino. Et apte quidem bona omnia a filiis hominum excidisse expostulat uates. Nam ab illis ipsis quidem, a quibus summa uitae perfectio deriuari debuit, mala omnia emanarunt, emanantque in dies magis. Quid propterea a reliqua uulgi multitudine expectandum sit, tu qui legis iudica: siquidem ut caetera absurdissima, quae uulgo fiunt, omittam,

{12.3} Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde & corde locuti sunt.

Mendacia quisque loquitur cum socio suo, & apud amicum lingua loquitur fraudulenta, cui duplex animus scelerata suggerit uerba. Sic paraphrastes. Quid ni igitur dicam, querarumque passim per aulas, per plateas, in nugis, in domibus quoque sacris, nedum prophanis, mendacia audiri? deceptiones? simulationes? dolos? postquam audio spiritum asserentem unumquemque uana cum proximo suo eloqui? Porro labiis dolosis in corde, & corde loqui: uel, ut ait Felix, labium adulationum in corde, & corde loquentur, est, cum quis eo malitiae peruenit, ut malum inferre proximo sitiatur, bonum tamen uerbis polliceatur. Interim enim applaudit, arridet, adulatur, tempus expectans uenenum euomendi. Hi cum tantummodo sibiipsis amici sint, idcirco alios fallere, & decipere, ut inde sibi emolumenta & commoda comparent, summa arte inuestigant. Simulatores enim istiusmodi generis homines appellantur, faex scilicet orbis terrarum, ac nautea, omni latrina graueolentior. Verum,

{12.4} Disperdat Dominus uniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.

Cernis ne quanti uir probus istiusmodi dolosorum hominum pestem faciat? aut quantam animo concipiat indignationem? Disperdat, ait, Dominus uniuersa labia fraudulenta: linguamque non nisi turgida, grandiaue, & arrogantia loquentem confundat. Falsis enim blanditiis & assentationibus, iungit uates magniloquentiam, illis solitam, qui malis artibus iam demum fessi, ad sedem aliquam concupitam, uix ui deuenere. Sed in sequentibus, quae sit lingua magniloqua, uerbaque, ut sic dicam, sesquipedalia, elegantissime edisserit.

{12.5} Qui dixerunt linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?

Videntur hic imprudentissimi illius generis homines id uelle dicere: Nos linguis nostris magni, potentesque erimus. Labia nostra, os scilicet nostrum penes nos est. Iam quaecumque libuerit eloqui, eadem & facere licebit: nemo enim est, quem uereamur. Quis noster Dominus est? quis superior? Decernamus, statuamus, ordinemus: nonne os nostrum in nostra est potestate? Quis iam nostra audebit reprehendere statuta? leges? ordinationes? plebiscita? diffinitiones? Perpende, te oro, quo nos aliquando nostra propellit temeritas ac cum arrogantia iunctus contemptus, ut neminem ne Deum quidem, pertimescamus. Nihil enim mentiri, nihilue fingere, aut decipere, pudet, dummodo nostris ciuibus formidabiles, ac pertimescendi simus.

{12.6} Propter miseria inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.

Hic uersus cum uarie legatur, in idem tamen recidit sensus: ut intelligas scilicet, quod Dominus diu miseros sub angustiarum onere laborare non patitur: quod si diu, non tamen in aeternum. Nouit enim pius pater miserendi tempus. Illud uero non praetereundum, quod Hebraeis, Prae, seu Propter, geminatur. Aiunt enim, prae uastitate afflictorum, prae gemitu, siue eiulatu pauperum, nunc exurgam. Quae sane geminatio haud modicam in se habet dinosim ac pondus. Hic igitur inopes & pauperes, intelligi uult uates, bonos & innoxios, qui malorum fraudibus deceptionibusque, & iniuriis, adeo obnoxii sunt, ut miserabilem in modum, non affligantur modo, sed prorsus obterantur. Ex quo, cum intolerabiliores, quam ferre queat humana conditio, interdum patiantur iniurias, uelint nolint, ingemiscere, ab imisque praecordiis suspiria trahere cogunt. At Deus, cui derelictus est pauper, & qui tum miseris opitulari est solitus, cum ipsi suam potissimum miseriam, & sentiunt, & fa-

[fatentur]

{pdf 085, p. 34v}

-tentur, tam iniustis oppressionibus motus, ait: Nunc ad horum auxilium exurgam, qui hucusque dormire uisus sum.

{12.6} Ponam in salutari: fiducialiter agam in eo.

Hoc est, collocabo afflictos in salute, eosque liberabo. Paraphrastes sic: Collocabo pauperem eo loco, ut tutus futurus sit ab illo, qui laedere uirulenta lingua sua conabatur illum. Sed illud considerandum quod Felix legit, Ponam in salute: loquetur pro ipso. Est mutatio numeri. Nam cum Dominus dicat: Ego Exurgam, & ponam in salute pauperem, hoc est, seruabo illum: statim uates subiungit ex sese, Loquetur Dominus pro ipso paupere: quasi asserat, uaticineturque illud Euangelii, Non enim, ait, uos estis qui loquimini, sed pater uester qui in coelis est, ille est qui loquitur pro uobis. Tamen nec suauius quidem affectu caret id quod nos legimus, Fiducialiter agam in eo: hoc est, meos cum omni fiducia pauperes faciam, ac uigore, res suas agere, uel eousque, ut nihil in diris illis suis afflictionibus trepident, sed robustissime perstent. Nonne hanc diuina Dei opem sanctissimi senserunt martyres, cum mortem caeteris molestissimam tam granter, tamue imperterrita animo oppetierunt? Quid illi, qui ibant, ut sacra ponunt annalia, gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESU contumeliam pati? Nonne amoris plenissima, ac fiducia, uox illa fuit Pauli? Curramus, ait, ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & consummatorem IESUM, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis uestris deficientes. Sed & illud quoque admodum castissimis mentibus placere solet, quo sentiunt aliqui in hoc uersu prophetam futurae felicitatis nostrae statum praeuidisse: miserorum scilicet, piorumque omnium salutis summam totam collocandam esse, haud amplius in iustitia illis carnis antiquae legis, sed in salutari patris, hoc est, in Christo eius filio, qui factus est nobis salus & uita & redemptio. Nam uiderunt, inquit senex ille prudentissimus, oculi mei salutare tuum.

Huic enim sententiae uidetur fauere Chaldaica translatio, quae sic reddit: Ponam redemptionem populo meo. Quatenus alia potest esse redemptio, quam Christus IESV, qui redemit nos, et lauit, ut ait Paulus, in sanguine suo? Redemptionem, inquit in alio psalmo, misit populo suo: hoc est, filium suum misit populo suo. Quis populus eius? nonne credentes? nonne illi qui tum hic, tum passim in sacra lege, pauperes, egeni, inopes, aerumnosi, et quorum dignus non erat mundus, ut ait Apostolus, appellantur? His igitur fauet Deus, suumque semper ab ipsis rerum primordiis, pollicitus est auxilium. Fallere enim non potest ipsa ueritas, neque stare non potest promissis. Quocirca nefas est uereri, ne ad ferendas nobis suppetias exurgat, ac dum a mundi huius oppressionibus exagitamur, ne nos ponat in salutari suo, postquam se nobis affuturum promisit: nec eius eloquia sint nisi pura, uera, quibus toto animo fidere debeamus. Nam

{12.7} Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum.

Quam longo interuallo inter se differunt eloquia Domini, & eloquia hominum. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, ait uates de filiis Adae, labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. Eloquia uero Dei, ait esse casta, pura, sincera, & quod simplicissimae Dei naturae conuenit, simplicissima, & absque fuco. In plerisque enim mortalium conuentis, in pactis, in foederibus, in ipsis etiam doctrinis saepenumero errores insunt, mendacia, doli. In diuinis uero eloquiis quid aliud expectandum censes, quam rectitudinem, fidem, ueritatem, constantiam? Proinde uerendum haudquaquam est, ut is qui summa & aeterna est ueritas, nos sua lactet blandiloquentia, aut inanibus pollicitationibus, cum eius uerba & promissiones, ut inquit paraphrastes, candidissimae sint, ipsoque argento, igne diligentissime expurgato, puriores. Pulcherrima sane similitudo. Iam, inquit, eius uerba omni uanitate defaecatiora sunt, quam ipsum sit argentum, plumbo, aut alia adulterina commixtione depuratum, coctumque septies, hoc est, pluries. Scripturae enim

{pdf 086, p. 35}

mos est, per septenarium numerum, indefinitum significare, ait Solomon: Argentum [sic, Argentum] electum est iusti lingua. Quod tamen de uiro iusto non tantum intelligi oportet, quam de Deo ipso: quanquam iustitia ipsa potius, quam iustus appellari debeat. Probatum terrae graecismus est, pro purgatum a terra, ut omnino purum sit. Totus enim is uersus uarie admodum ab Hebraeis legitur. Sermones Domini, ait quidam interpres, sermones puri argentum excoctum in catino, uel, ut alius reddit, in uase alchimico terrae, depuratum septies. Felix uero sic: Argentum igne examinatum a Domino terrae, purgatum septies: ut illud in Catino, seu uase alchimico, alludat ad modum depurandi argentum in uase fictili: Id uero a Domino terrae, prae se ferat argentum publicum, manifestum, & quod tanti ab omnibus aestimetur, quanti res pura, haud adulterina aestimari par est. Utcunque enim uariet lectio, sensus non uariat, quo purissimo defaecatoue argento, ac exactissime depurato, dicta Dei propter eorum ueritatem, aeternamque certitudinem comparat propheta. Quocirca paraphrastes, postquam dixit pollicitationes Domini candidissimas esse, atque argento ipso igne diligentissimi ex purgato puriores subiunxit, a quo arte et instrumentis ad eam rem aptis, ablatum est quicquid inerat terrae impurioris, idque septies repetita concoctione. Quod uero in

sacris literis argentum, uel doctrinam, uel uitam puriorem, quemadmodum aurum tum fidem, tum charitatem significet, manifestius est quam ut a me, qui aliud ago, refricetur. Ergo impossibile est, quin Deus propter miseriam inopum & gemitum pauperum ad afferendum auxilium exurgat, eosque ponat in salutari. Siquidem illius excellentiae sunt diuina uerba, & promissiones, ut sint tanquam argentum purgatissimum, ac summe defaecatum: & est maioris ponderis dictio, quam si solummodo dixisset, sicut argumentum.

{12.8} Tu Domine servabis nos: & custodies nos a generatione hac in aeternum.

Secus Felix: Tu Domine custodies eos: custodies eum a generatione hac in aeternum. Atqui hic notandum, summopere necessariam esse intelligendis psalmis troporum cognitionem, quibus utuntur Hebraei: uel illius maxime, quo subito, cum non aduertis, fit uel personae uel numeri uariatio, ut hic: Custodies eos pauperes scilicet: Custodies eum, hoc est, pauperem. Sensus igitur: Tu Domine, quando tuae pollicitationes adeo purae sunt & uerae, ut nihil purius ac uerius esse possit, seruabis optima fide, quae promisisti, & nos tutaberis perpetuo, seruabisque ab huiusmodi pessimo hominum genere. Quid, quaeso, aliud hortari nos uoluit Petrus, quando Iudaeos admonuit dicens, Saluamini a generatione praua, quam quod nunc uates orat? Difficillima sane res est, circa molam, quod aiunt, triticeam uersari, & non poline dealbari: uel ad profurnium sedere, nec fuligine denigrari. Porro sicut picare proprium picis est, ita in prauorum consuetudine, prauitate non affici ferme impossibile. Quare Dominum precatur, ut nos a generatione hac (quod quidem cum stomacho est legendum) tutetur: quasi dicat, a generatione ista, quae cum ob innumera coelitus beneficia sibi data, & grata & sincera esse deberet, facta est omnium generationum pessima, ingratisissima, impurissima. Verum quoniam labilis, sors est humana, qui tantam uel per secretiores passim orbis angulos coniectam malitiam, uitare poterimus, nisi tu nos custodias, ac perpetuo serues? Quis in terris iam locus tutus? quae urbs? quae domus quod tugurium etiam unius hominis uix capax, quod prorsus immune sit ac liberum? quodque non subrepat aliquando uel dolus, uel fraudulentia, uel simulatio, uel inconstantia, uel bellua illa omni Lernaea hydra crudelior perfidia? Quam uerum igitur est illud quod defecit sanctus? quod diminutae sunt ueritates a filiis hominum? qui tamen cum dicto citius, ab una illa atque inuariabili unitate sese diuellere soliti sint, circunquaque securi obambulant, nihilque uerentes utranque in aurem stupidi obdormiunt. Idcirco a propheta dicitur,

{12.9} In circuitu impii ambulant.

Hoc est, quoquo uersus te feras, circumfusi sunt undique peruersi homines, ob-
[oberrant}

{pdf 087, p. 35v}

errantque tanquam in corona malignissimi daemones. Quis igitur tutus? Audiui, ait, alio in psalmo, uituperationem commorantium in circuitu. At unde tanta malorum colluuius? Respondet paraphrastes, haud ego: Cum principatum nacti fuerint, qui inter homines perditissimi sunt. Verum

{12.9} Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

Per ea quae dicta sunt, nulli dubium esse debet, hunc psalmum in primis compositum esse in assentatores, ac sordidi ingenii homines, qui ob facilitatem principum [sic, principum, 1585], ad sublimiorem aliquem gradum euecti, nihil non agunt, quo suam libidinem de ciuium miseris satient: si tamen satietas ulla, aut modus ullus in exaturanda cupiditatum erynni statui potest, Hi sunt enim plerunque, qui ex humili fortuna ad primas dignitates in bonorum perniciem asciscuntur: quibus quidem nullatum amplis regnis, tum rebuspublicis tum religionibus quoque ipsis priuatis, pestis nocentior esse potest. Proinde sapientes multo optabilius censuerunt habere principem stultum & malum, consiliarios uero & ministros bonos, quam hos malos, principem bonum: propterea quod per ministros agunt omnia principes, audiunt, uident, loquuntur. Quare cum hi perditii sint, quamlibet boni principes existant, omnia peruertunt, ac in reipublicae perniciem detorquent, quantumuis ab ipsis principibus instituta sint, & sapienter, & pie. Atqui quomodo non experimur quotidie uerissimam illam Solomonis sententiam? Dum regnant iusti, laetatur populus: dum autem dominantur improbi, gemit. Sensus igitur erit: Mala omnia supra commemorata eueniunt nobis, cum tu, o Domine, sicut altus es, atque profunda iudicia tua, exaltasti eos immeritissimos, fecistisque ut tanquam dii in terra, uulgi stolidi opinione haberentur: cum tamen nihil aliud sint, filii hominum, hoc est homines uiles ac nihili. Huic enim sensui alia ex Hebraeo litera quadrat admodum, cum ait: In circuitu impii ambulat, cum exaltabuntur uilissimi filiorum hominum: uel, ut interpretatur Felix, Cum exaltabunt opprobria filiis Aadae. Sed nulla melior Chaldaica: In circuitu, inquit, obambulant impii, sicut hirudo, uel sanguisuga, quae sugit sanguinem filiorum hominum. Ecquis tam alta haec Dei iudicia perscrutari potis erit?

VINCENTI, PSALMVS DAVID XIII

{13.1} Usquequo, Domine obliuisceris me in finem?

Is psalmus totus affectibus ardens, ab anima illa decantat, quae prorsus ob uarios perturbationum occursus exagitata, nullum euadendi modum per proprias uires inuenit. Ex quo de se suaque uirtute diffidens, cum Domino uidetur conqueri, cur tam tarde subueniat. Talem enim animi desperationem haud semel Dauid in suis illis, tum a Saule, tum a proprio filio, exuscitatis persecutionibus, expertus est: sed eo maxime tempore, quo a patria & regno exulabat. De psalmi titulo, quem Felix interpretatur, effundenti sanguinem, satis superius in quarto psalmo est dictum. Nam certe cui alii nostram salutem committere debeamus, non uideo, nisi fortissimo illi, qui deuicta morte, profligatoque inuisibilium hostium exercitu atque imperio, non armis ferreis, aut telis, sed cruore proprio ac nece, uictor tandem euasit. Circunuallata igitur anima, & pene ab circuncursantium uariarum perturbationum impetu obruta exclamat, Usquequo Domine obliuisceris me in finem? Neminem quidem esse arbitror, uel mediocriter in schola spiritus exercitatum, qui ignoret quas animi consternationes, anxietates, cruciatusue experiatur anima illa, quae in inquisitione ueritatis, exercitioque seipsam superandi, ac proprios motus, innatasue cupiditates atque appetentias rerum diuersarum innumeras, occupata, torquetur, anxiaeque uel quadam solitudinum,

pulsuue, ut sic dicam, irrequieto concitatur. Hinc enim suam ipsius considerans imbecillitatem propriique acuminis hebetudinem & languorem: illinc vero potentissimorum hostium insidias et laqueos aduertens, qui eo atrociores sunt, quo eorum pars maior invisibilis est, angitur supra modum, utpote quae se

{pdf 088, p. 36}

miserrimam reputat, dum suam in longum miseriam protrahi conspicatur. Quocirca illud saepenumero illi obuenire est necessarium, ut inter tot rerum difficultates atque angustias perstricta, dubitet interdum suam a Deo negligi salutem. Eo enim aliquando dubietatis ipsi perfectissimi quoque uiri adiguntur, ut quid in re salutis opus sit facto, deliberare nesciant: sed tum potissimum, cum res suas adeo ab hostium dolis circumuentas uident, ut fere nullus elabendi modus appareat. Clamant igitur fere attoniti, Usquequo Domine tuorum non recordaris? Esto quod ad tempus nostra non cures, num haec tua obliuio erit in finem, hoc est, in perpetuum? Oblitum Deum nostri dicimus, cum eum curam de nobis non habere suspicamur.

{13.1} Usquequo auertis faciem tuam a me?

Hoc est, usquequo, quasi nolens uidere quae hic aguntur, ut hi solent qui indignabundi, cum rogantur, auertunt faciem, tuum subtrahis fauorem? Quare sic reddit paraphrastes: Quousque auertis tanquam iratus uultum tuum? Quousque?

{13.2} Quandiu, inquam, ponam consilium in anima mea? dolorem in corde meo per diem?

Vide quantam commiserationem, hisce repetitis sententiis, mouere intendit. Quandiu, inquit, mecum ipse consultabo anxius? Hic sane mihi considera, quid nostra ualeant consilia, cum nostra sunt: his enim nostras in dies magis accumulari curas, & has quidem superuacaneas experimur. Quid cor, cum perplexitate illa infinita humanorum consiliorum exeditur? Quam quidem necessarius sit rebus nostris diuinus fauor, sciunt hi qui in pugna hac carnis molestissima iam plane attriti sunt. Qui si certe nos ob innatam nobis malitiam, in angustiis uiuere permittit: hoc est, si auertit faciem suam a nobis, nulla nostra uigilantia, nulla circumspectio, nulla cautio ad assequendum finem, ad quem adipiscendum facta est humana natura, sufficiunt. Nam quo magis nos a malorum congerie, Dei auxilio destituti, conabimur extricare, hoc magis intricabimur. Dolorem.) Clarius Hebraei, anxietatem seu moerorem. Unde paraphrastes: Quousque uanis curis animam meam affligam, quae nihil praeter moerorem continuum pariunt? per diem uero, iugiter, quotidie, absque requie.

{13.3} Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?

Usquequo perfidos homines? usquequo daemones? usquequo carnem hanc petulantem sines in me ferocire, cristasque erigere? Quousque atrox haec pugna, in qua hostibus meis prorsus sum impar, perdurabit? aeternane erit? Quandiu subiecta erit anima mea uanitati, etiam nolens? Quandiu serui legi peccati & mortis? Hoc certo scio, quod qui in

carne sunt, ut ait Paulus, placere Deo non possunt. Quare tu Domine, qui omnia ab aeterno respicis,

{13.4} Respice & exaudi me Domine Deus meus.

Conuenientissime enim uerbo Auertis, opposuit uerbum Respice: & est perinde ac si dicat: Habe, quaeso, calamitatis meae rationem, & tandem post tot gemitus ac suspiria exaudi me. Tu sane meam nosti indigentiam: tu gemitus, tu lachrymas non ignoras. Cur igitur more irati, auertis faciem, & non respicis? nonne te in Dominum, in regem, in ducem, in Deum meum elegi, in quem solum confidere debeam? Hebraei habent, Respice, responde mihi: quasi diceret, Annue o Domine, ac responde, qua demum uia elabi possim.

{13.4} Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.

Eodem consilio uates, quo supra, petit sibi uitae lucem impartiri, atque oculos illos quibus ueritas cernitur, illuminari: hoc est, prementium malorum tanquam grauedinem ac tenebras quas mortis somnus, desperatio scilicet, consequi solet, dispelli. Unde Felix: Ne quando obdormiam mortem: seu, ut ipse interpretatur, dormitionem aeternae mortis incurram. Alioqui quomodo mortem hanc omnibus debitam deprecaretur? Sensus igitur erit: Absterge o Domine mei intellectus oculos, a caligine illa qua per tales ueluti quosdam tentationum uapores, cataclysimque obnubilati, pene caeci facti sunt. Nam nisi tu praesto sis, quid nostra consi-
[consilia]

{pdf 089, p. 36v}

-lia? quid conatus? quid animi uires agere poterunt? Quomodo ego quidem ex me eo euadam quo non is somnus obrepat, eaque occupet oscitantia, quam indubitatus interitus comes sequatur? Solis enim diuino lumine, suo uitio, destitutis, mors datur aeterna. Illud uero considerandum, quod electi, quibus ab hoc seculo demigrare contingit in uitam, quodammodo moriuntur: hoc est, ut semper uiuant, ab hac uita decedunt: mali uero sic moriuntur, ut semper mortui sint. Quod quidem infelicissimum mortis genus tum illis accidisse non dubitamus, cum illorum, Deum oblitum esse in finem, in perpetuum scilicet, haud dubii sumus. O miserrimam illorum conditionem, qui adeo impie uitam hanc uiuunt temporariam, ut aeternam amittant. Aeterna uero uita amissa, quid, oro, aliud expectandum ducimus, quam mortem illam, quae idcirco terrificata est, ac malis omnibus obnoxia, quia aeterna? quia perpetua? quia interminabilis? Quare, uide Domine, et considera,

{13.5} Ne quando dicat inimicus meus, praevalui adversus eum.

Cernis quam trepidula aliquando fiat anima, cum non ignorat periculum? Cernis quam non cessandum sit ab imploranda Dei ope? Respice, ait, exaudi, illumina, ne in extremo illo meo obitu, in quo rei summa absoluatur, hostis praeualeat, iactetque sese, ac dicat, me pugna cessisse: tum dico, quando mors aderit, nec ulla salutis spes erit reliqua. Quo mihi, rogo, tunc erit confugiendum, quando uitalis, ingrauescente morbo, respiratio

intercludetur, uox aberit, perlanguescent oculi, frigida extrema, atri ungues, cadent malae, rigebit frons, ac tandem relicto corde, anima frigidum deseret corpusculum? Alia litera habet, Superai eum, pro Praeualui. Utcunque litera sit, uox est in aduersarii consternatione exultantis: quae quidem insultatio plerumque uictis solet esse acerbior, quam ipsa mors. Sensus itaque is erit: Habe, quaeso, Domine rationem mei periculi, & exaudi me cum tam crudelibus inimicis colluctantem: ne forte dicat hostis exultans, factus sum illo superior: uici tandem, occubuit. Et hoc quidem modo,

{13.5} Qui tribulant me exultabunt, si motus fuero.

Felix: Tribulantes me: seu, ut alius legit, infestatores mei exultabunt, cum lapsus fuero. Solent enim in monomachia certantes, admodum gestire, laetari, uiresque colligere, si hostem suum uel paululum labare gressibus uiderint. Porro consilium omne nostrum ac deliberatio in hoc nostra firma esse debet, ut mori malimus, quam vel semel peccando Deum offendere. Huic enim proposito insistere, in hanc curam incumbere, niti ac tota ui animi intentos par est eos omnes esse, qui ob fusos, fugatusue hostes ac daemones, trophaea uictoriae in sublimi suspendere efflagitant. Quo quidem genere triumphi, nescio an aliud, uel in deuictis Persis, Turcis aut Poenis celebrius esse possit. Verum summa adhibenda est diligentia, ne in medio ipso pugnae feruore meticulosi nutemus, & ut ait uates, moueamur, ab instituto scilicet nostro ac proposito: quod sane esse debet, ne a pugna nisi uictores secedamus. Caeterum in pugna huiusmodi non parum facit, si quibus potissimum armis uti oporteat, non ignoretur. Quare a propheta adiicitur,

{13.6} Ego autem in misericordia tua speraui.

Durae sint, conditiones belli, dubii euentus, hostes fortissimi: & si omnia circumspectio, meque exacte considero, uictoriae spes extat nulla, nisi in te. Quocirca misericordia tua, non in me, meisque uiribus & actionibus, quamuis, ut mihi uidetur, sanctissimis, & semper speraui, & nunc spero. Vides qua acie collimatus sit spei gladius? Perpendis quo te, de Domini bonitate fiducia prouehat? Ignoras ne adhuc quibus telis minaces illi tui hostes confodiendi sint? Ita e contrario, non est in bello illo, quod fit in carne, miles adeo accurate, uel septemplici aere circumdatus, hoc est, omni uirtutum genere circumseptus, qui facile non occumbat, si hoc unum spei telum deerit.

{13.6} Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi.

More suo uir sanctus de condonata sibi uictoria, quam totam in Dei misericordia
[misericordia]

{pdf 090, p. 37}

-dia sitam esse asseruit, gratias agit. Dignus profecto ille est, qui totam suae uictoriae summam a Deo pendere credit, cui Dominus opituletur, atque eius cor solido perfundat gaudio: quemadmodum & spei & fidei comites semper sunt, pax & gaudium: ex quo iugis illa, de perceptis spiritus donis, gratiarum actio, enasci solet. Nequit sane confundi,

qui in Domino sperat. Exultabit igitur cor meum in salute mihi praestita, tot exantlatis rerum difficultatibus, modo in spe: tunc uero exultabo in Deo IESU meo, cum uidebo eum sicuti est, cognoscamque eum, sicut cognitus sum. Interim enim cantabo, agamque gratias tam benigno Domino, ubi ultus fuerit iniuriam, ut canit paraphrastes, qua affecerunt me hostes mei. Cur tali Domino & patrono, meas omnes ingenii uires, mea studia, measque lucubrationes, meas uigilias, non dedico? Ille, ille est, qui per accessum eius filii ad nos, bona omnia contulit: nam ipse est omne bonum. Unde ad Mosen loquitur Deus: Ostendam, inquit, tibi omne bonum. Ille, ait Paulus, qui unigenitum suum nobis dedit, quomodo non omnia bona cum ipso dedit? Illud postremo notandum: Psallam nomini Domini altissimi, in Hebraeo non inueniri, sed a pio aliquo interprete a psalmo septimo mutuatum, huicque additum.

Vincenti Daud, seu danti aeternitatem.

PSALMVS XIII.

{14.1} Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.

Psalmum hunc dicatum uincenti, aut danti aeternitatem, Christo scilicet bonorum aeternorum omnium erogatori, in eos compositum esse, qui dum rerum potiuntur, Christi pauperes absque commiseratione aliqua crudelissime, ac pro libidine diripiunt, & ut scribit uates, comedunt, affirmant doctiores. De huiusmodi quidem potentium immanitate conqueritur apud Michaeam Dominus dicens: Comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebetes, & quasi carnem in medio ollae. Hoc igitur modo in terris male habitus uir sanctus, miratur, ac apud Deum, quid sibi uelit tam saeua superiorum atrocitas, expostulat: & ait, Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Cum omnibus, secundum Damascenum, natura ingenita sit cognitio, Deum esse: neque tam nota sint prima principia, quam hoc: tamen cum quis adeo scelestus est, ut sibi uitam totam in perpetuis uitiorum sordibus traducendam esse arbitretur, atque ob id Deum contemnat & excretur, dicit proculdubio in corde suo, non est Deus. Licet enim ore id non dicat, sic tamen uiuit, ut prorsus Deum esse neget. Ait de his Paulus: Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. Praeterea illi, quibus iam Deum esse innotuit, acerrimum eum exactorem uirtutis esse, atque omnium iudicem, ignorare non possunt. Quare neque prauis cupiditatibus facile obtemperabunt, neque impietate ulla afficientur, praesertim si eo sint cognitionis euecti, ut quem admodum eum esse, ita & optimum esse non ignorauerint. Ex qua quidem professione id nasci solet, quod sicut Deum & esse & optimum esse cognoscunt, ita eum summo studio, curaque omni, & diligentia, & colunt, & amant. Nam ex huiusmodi cognitione is amor oritur, qui ex se studium, ac eum ipsum, quem supra omnia diligit, imitandi ardorem parit. Reprobi uero, etsi quantum satis sit notionis diuinae a benignissimo omnium Domino habeant, ut inexcusabiles sint, ut ait Paulus: eo tamen saepe iniquitatis adducuntur, ut Deum non esse, qui sua uideat scelera, sibi persuadere conentur: atque in re alia, quam in Deo, sibi confidendum esse existiment, quae sit illis Deus. Siquidem cum in solo Deo confidendum sit, id necessario Deus tuus erit, in quo confidis. Quod si in alio, quam in Deo uero confidis, iam Deum negasti, iam dixisti in corde tuo, non est Deus. Proinde qui confidit in Deo, is Deus illi erit. Qui in opibus, qui in operibus, qui in homine, iam &

opes, & opera, & homo, Deus illi erunt. Vide, oro, quam facile, uel non aduertentes, ita efficitur insipientes, ut dicamus, non est Deus. Itaque

{pdf 091, p. 37v}

ut iam finiam, is qui non sapit quae Dei sunt, quique ignorat Christum esse Dei sapientiam, insipiens factus, dicit uita, & moribus, licet forsane fateatur lingua. non est Deus. Eam ob rem mala arbor ac radix infecta, bonos cum non ualeat afferre fructus, a uate infertur:

{14.1} Corrupti sunt, & abominabile facti sunt in studiis suis.

Corruptum & integrum in rebus solummodo corporeis cum opponantur, in his quae uacant corpore, transumptiue dicuntur. Nam animi integritatem dicimus, perfectam ad Deum conuersionem: quemadmodum ab ipso auersionem, corruptionem appellare soliti sumus. Corrupti sunt, ait, ueluti carnes putridae, in studiis suis: hoc est, in cordis radice mala, ac peruersa. A corde enim mala omnia ortum habent. Nam cum Deum esse negent, in quo omnis inest puritas: & mente & corpore inquinati euadant necesse est: atque ob id per omnia reprobis, in studiis, in curis, in consiliis, in amoribus, in actionibus quoque suis prorsus obbrutescunt. Primum enim gradum sceleratae uitae, aiunt sancti Dei uiri esse, in animo statuere Deum non esse: proximum uero, uitae actiones deprauare: hoc est, nihil rectum, nihil sanctum, nihil cum ordine, aut uelle, aut agere. Ex qua quidem re, tum Deo in primis, tum bonis omnibus, sicut sanis putrida cadauera, sunt abominationi. Nec sane mirum: nam recto iudicio praeditis, nihil habetur uirtute suauius: uitiis uero nihil magis detestabile, & iniucundum. Quare Solomon, uir prauus, inquit, abominatio est iustis. Porro cum diuus Paulus, Christum illis, quibus eo nihil amoenius atque odoratius afferri poterat, praedicaret, aiebat: Odor sumus aliis uitae ad uitam, aliis autem mortis ad mortem. Hincque asserebat Solomon, sceleratum uirum abominationem esse illi, qui recta graditur.

{14.1} Non est qui faciat bonum.

Est perinde ac si dicat: Non est cadauer, quod non nauseam cieat. Et quemadmodum inter illa quae naturam ipsam hominis prosternunt ac deiiciunt, foetor ponitur: ita nil tantum pii hominis animum angit, & plane affligit, quantum mala sceleratorum uita, & mores. Animus enim suum habet odoratum, licet incognitum, illis maxime qui nullum aliud odoramentum aut suffitum esse existimant, praeter illum, quem rosacea aqua permixtum cirthacum aut ladanum excitat: aut quem etiam tantilli soricis umbilicus e molliculis emortui animantis pellibus euaporans, ad delicatas nostrarum matronarum nares emittit. Scilicet puella sponso haudquaquam est placitura, nisi prius sit undiquaque libidinis illis suffumigationibus perlustrata. O nostrorum ciuium mores, o impensas in alenda Christi inedia impensius erogandas, quam in enutriendo in rebus publicis luxu & libidine.

{14.2} Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirons [sic: requirens] Deum.

Quasi attonitum ac stupidum, uates Deum facit, atque admirantem, omnes adeo a recta deflexisse, neminemque, qui bonis actionibus daret operam, inueniri. De coelo, ait, respexisse. Humano enim more haec a uate, & his similia, dici saepe legimus. Nam cum ubique uere sit Deus, ac per omnia diffusus, in coelo tamen eum esse, atque habitare, omnibus ubique est iam persuasum. Unde Eutymius: Quasi ex alto coenaculo procumbere & spectare Deum facit propheta, cum tamen & ubique sit, & omnia exactissime pernoscat. Simile ferme & illud est in Genesis lib. Cumque uidisset Deus terram esse corruptam, dixit ad Noe. Item illud de Sodomitis: Descendam, & uidebo, an iuxta clamorem, qui ad me peruenit, omnia commiserint. Illud rursus, Descendit ut uideret ciuitatem, & turrim: anthropopathia est, nostro prophetae admodum familiaris. Contemplatur igitur Deus sublimi tanquam e specula, an inter Adae filios sit intelligens & inquirens Deum hoc est, si est qui intelligat, sapiatue quae bona & recta sunt, quaeque ad bene, beateque uiuendum conducunt. Caeterum, illum absque errore Deum inquirere dicimus, qui eum in spiritu & ueritate, uti spiritalem naturam decet, & colit & ueneratur: atque interim fucatis abiectis operationibus, aut ritibus, illum, ut patrem, non minus timet, quam diligit, ab eoque bona omnia, quae tum ad corpus, tum ad animum maxime spectant, plena cum fi-
[fiducia]

{pdf 092, p. 38}

-ducia rogat. Inquiritur rursus Deus, ac utcunque intelligi potest, uita optime instituta, orationumque studio, & feruido, & pertinaci. Paraphrastes enim sic legit: Dominus e coelo contemplatus est posteros Adae, ut uideat num sit in tanto hominum numero cordatus quisquam, qui Deo studeat esse charus.

{14.3} Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Nostri temporis homines haec omnia ad priscos referunt, utpote qui ante summi patris, per eius amantissimum filium, conciliatam gratiam, in iustitiae operationibus enerui erant, ac prorsus hebetes: secus uero impraesentiarum, simulatque secum, ipse ueniens, & robur & uim bene operandi nobis attulit. Illi ut lubet: nos audacter dicimus, ne unum quidem esse modo, cuius sanctitas non omnino sordida sit, atque impura, ni recens semper gratia illum excitet, moueat, purget, attrahat. Omnes, ait, declinauerunt. A quo obsecro? a Deo, a bono, a uita. In quod uero? in se, in sua studia, in omne malum, in mortem. Sequuntur enim iam omnes (non falsus sum) omnes, inquam, sequuntur, non quae uere bona sunt, sed quae illis bona uidentur: non quae Iesu Christi, non quae proximi, sed quae ad se, suumque commodum augendum attinent. Hos quidem deplorat Esaias hoc modo: Omnes, ait, quasi oues errauimus, unusquisque declinauit in uiam suam, relicta scilicet uia Dei. Ne, quaeso, nostras ambagibus palliemus imperfectiones. Res enim haec accuratius, quam a nobis fit, est perpendenda. Stupiditas quidem periculosissima ea est animi, cum quis se sibi bonum esse persuadere nititur, cum tamen sexcentis, ne amplius sex, aut septem dicam, se obnoxium esse maculis, uel uno die, cernat. Neque enim illa solummodo letalia esse peccata existimo, quae uel a sicariis publicis, uel a foeneratoribus, aut adulteris & maleficis, perpetrari nouimus: sed illa etiam, quae intus interdum, ut in comoediis accidit, transiguntur in desideriiis, in

uotis, in appetentiis, in anxietatibus tandem illis animi irrequietis, quibus non aliter ambitionis, odii atque auaritiae stimulis exagitamur, quam solet canis, aut equus, ardente Sirio, ab oestris compungi. Sed ad propositum reuertamur. Declinare in hoc loco idem est, quod Dei legem reiicere, ac bene operandi studium relaxare. Nam qui iuxta Dei praescriptum studet uiuere, is fidus ceu seruus dominum comitatur, nec alio declinat: qui uero illud contemnit, & eum qui iussit, contemnit, ab illoque se subtrahit, atque alio deflectit. Inutiles ait, hoc est, ut hebraeus reddit interpret, adeo computruerunt, ut Deo & hominibus nauseam ciere possint. Qui non eos inutiles adpellabimus, cum sint membra putida, & plane emortua? Quis uero unquam ad usum aliquem, membrum adhibuit huiusmodi affectum, quod nisi a reliquo corpore resecetur, periculum est, ne totum corrumpat? Ita impii, ita scelesti illi, qui ob uitae impuritatem, & Deo & hominibus inuisi sunt, cum charitatem, quae uita est animae, non habeant, nihil uiuum, nihilque uegeto agere queunt, quia mortui sunt: & Deus ipse, non est Deus mortuorum, ut sacrum testatur Euangelium: Non est qui faciat bene. Horrendum profecto uerbum, & iudicium. Quod sane, ut maius habeat pondus, facit uates, ut a Deo, postquam de coelo prospexit, omniaque exactissime explorauit, proferatur. Quo quidem uerborum tropo, uoluit exprimi, sceleratos illos palam fuisse perditos, uulgoque deploratos: ut nonnullos nostra quoque aetate esse cernimus, & maximo cum incommodo uniuersi pene orbis experimur. Porro illud non absque energia est additum, Ne unus quidem.

{14.3-6} Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant. Venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in uis eorum, et uiam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum.

Hi tres uersus neque in graecis, neque in hebraeis exemplaribus habentur. Sed quorundam est opinio, in septuaginta interpretum traductione hos olim habitos: quod sane, ex eo quod ab apostolo, qui illorum consueuerat uti translatione, in epistola ad Romanos sunt positi, coniectari potest. Alii uero, quibus et ego assentior,

{pdf 093, p. 38v}

putant apostolum, ex diuersis locis, quod de cordis humani impietate hic scribitur, conguessisse. Utcunque sit, illis omissis, quae in psalmo quinto sunt dicta, caetera prosequemur. VENENUM aspidum sub labiis eorum.) Aiunt rerum naturalium indagatores, aspidem anguem in Aphrica gigni, cuius quidem ictui nullum extet remedium. De hac enim letali serpente legimus, quod obuia quaeque uiuentia praesentaneo suo ueneno perimit: & uocatur ab autoribus aspis somniculosa, quod somnum letiferum percussis immittat. Cui uero alii uitio aptius quam rancori ac oblocutioni comparari queat, non uideo. Nam rancor in uase, sicut id totum inficit, & putere facit: ita in animo aliquo miserrimo positus, cor ipsum totum, in quo sedes est animae, corrumpens, ad os tandem peruenit: ubi linguam aggressus, eam contaminat: unde necessario uomitus quidam atre obtrectationis erumpit, a quo quidem illi, qui audiunt, facile inficiuntur. Sub labiis, ait: hoc est, sub lingua, sub uerbis. Hebraismus est, & est sensus: Quicquid loquuntur uenenum est mortiferum. QUORUM os

maledictione & amaritudine plenum est, ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.) Omnia inquit, eorum uerba blasphemiae sunt, irrisiones, maledicta. Hi enim sunt, qui in iniuriis acceptis par pari referunt, uel interdum non lacessiti.

AMARITUDINE.) Ex illa enim maledicentia, facile mentis indignatio & rancor, qui hic amaritudo nuncupatur, deprehendi potest. Est adagium satis uulgo tritum, quod qui amarum gerit in corde, dulce expuere nequit. Omnis amaritudo, clamabat Paulus, atque ira, tollatur de medio uestri. Signum enim animi huiusce generis morbo affecti, sunt torui illi aspectus, pallor, macies, silentium, cum illo maxime, quem odio insequeris: cum caeteris uero, obtrectatio, ac perpetua, etiam in sacris occupatus, maledicentia, VELOCES pedes eorum ad effundendum sanguinem. Mirum profecto esset, nisi post amaritudinem, indignationemque animi, mors sequeretur, uel ea quidem, qua frater odio occiditur, uel qua ferro. Vtrunque enim perficit cor maleuolentiae ueneno infectum. Vides odii summam? Vides quo te trahat animi indignatio? Cernis ad quem finem te ducat infecti cordis amaritudo, ut illum, quem filius Dei proprio cruore & morte uiuificauit, tu odio atque indignatione interimis?

CONTRITIO & infelicitas in uiis eorum: uiam pacis non cognouerunt.): Contritionem hanc in corpore, infelicitatem uero in anima esse arbitror. An a felicitate solida & uera (haec enim inferna felicitas miseria est) ceciderit, unde infelix dicitur ille, qui a recto exorbitans, ac, ut inquit uates, declinans, simul cum eiusdem propositi hominibus inutilis factus sit, non est qui dubitet: cum omnes pro confesso habeant, illum infelicem, ac plane extinctum esse, & deploratum, qui dicit in corde suo, non est Deus. Ex qua quidem animi infelicitate, qui est aeternus quidam in conscientia terror & horror, aliud emanat ulcus extra in membris, quam contritionem hic appellamus, nec prorsus ipsis ethnicis autoribus ignotam. Nam cum Catilinae saeuitiam, atque in rempublicam Romanam indignationem uellet exprimere Sallustius, sic de illo scribit: Color exanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus, prorsus in facie, uultuque uecordia inerat. Atqui quotidie in oculis sunt exempla, quam liuidi sint, quam foedi, quam uecordes, quam uix aspectu tolerabiles sanguinarii homines, & hi, qui nihil tantum in uita amant, quam ut caeteros homines & odio & ferro insectentur. Hinc rursus hypocritae, hinc alieni, seu honoris, seu aeris appetentes: hinc inuidi, hinc illi qui non suas depereunt mulieres, misere effigiantur: ut sane asseuerare non dubitem, contritionem continuam in improborum corporibus inesse, & quam quidem ab interna illa infelicitate, corrosione scilicet conscientiae, deriuare dicimus. Verum unde hoc tam tetrum emanat uirus? ob quam causam, oro? Quia uiam pacis non cognouerunt. Fidem hic, uiam pacis esse arbitror: qua quidem iustificati, ut ait Paulus, pacem habemus ad Deum. Quae sane est, cum secunda redditur conscientia, ac credit, Deo, omnia quae agimus, grata esse. Alioqui cum dubiae sunt nostrae in re salutis actiones, dubia & ipsa redditur salus:

{pdf 094, p. 39}

quae tamen nisi in certissima persuasione ac fide, quod eam assequuturus sit, uiuenti datur nulli. Non enim ulla alia iniuria tam cum molestia affici potest Deus a suis, quam cum ancipiti animo rogatur: ac dubie, quod ipse certissime daturus est, petitur. Haec igitur ea est cognitio pacis, quam uates asserit a reprobis ignorari. Ubi enim mens

fluctuat, corque curis ac studiis exagitur dubiis, pax ibi esse non potest. NON est timor Dei ante oculos eorum.) Haec tandem totius nostrae peruersitatis summa est, absentia scilicet diuini timoris. Qui quidem cum sit sapientiae exordium, imo ipsa sapientiae perfectio, non potest non maximopere sui cultores extollere, hoc est, ex hominibus heroas facere, cum eos a peccati contagione immunes reddit. Siquidem timor Domini, ut ait Solomon, expellit peccatum: quo quidem ab anima semoto, ac per spiritus gratiam, non solum eo, sed & ipsius fomite restincto, pax cordis, arrha scilicet salutis, peccati sedem occupat, fitque unum cum Deo anima per amorem in campo sedatae conscientiae. Ita e contrario, simul ac Domini timor esse inter complures desiit, cernimus, nostroque maximo dolore experimur, illud quod in Osaea legimus: Non est ueritas, ait, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledictum, homicidium, mendacium, furtum & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Poterat ne elegantior penicillo nostri aevi conditio depingi? Quae, oro, mala a corde illo abesse possunt, a quo abest ueritas, misericordia, pietas? His enim seclusis, illa actutum subeunt.

{14.7} Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis?

Perstat propheta in instituto: atque hic tangit illos, qui facile sibi subditos perinde exagitare solent, ac obterere, uti solet panis obteri dentibus, & deuorari. Quare sic reddit paraphrastes: Mirum profecto eos, quibus mandata est cura plebis, posse eo amentiae peruenire, ut licere credant opprimere miseros, & deuorare populum meum, non maiori commiseratione, quam deuorari solet frustum panis. Nonne cognoscent? quasi dicat, Re ipsa certe uidentur de Deo nihil unquam legisse, aut proprii muneris & officii, parum memores esse. Dura profecto increpatio: sed quae nostris a magistratibus, rerumque publicarum primoribus, exacte perpendatur. Nonne cognoscent aliquando quam male egerint? Cognoscent sane, ac per poenas experientur, quod nunc scire dissimulant. Et ut maxime inpraesentiarum cordis improbitatem tam alte ex longo habitu absconditam uidere non possint, ex uerissimo tamen conscientiae testimonio sentient tandem quid ignorauerint, quod maxime sciri oportuit: tunc dico, quando, ut minatur Solomon, turbabuntur timore horribili, & prae angustia spiritus gementes dicent: Ergo ne errauimus a uia ueritatis? & iustitiae lumen non luxit nobis? solque intelligentiae non est ortus nobis? Lassati sumus in uia iniquitatis & perditionis, & ambulauimus uias difficiles: uiam autem Domini ignorauimus. Quid nostra nobis profuit superbia? quid fastus? quid ambitio? Transierunt omnia illa tanquam fumi umbra. Vide, obsecro, ad quantam interdum cognitionem perueniant acti plagis, qui in croceis uiuentes, uix, an Deus esset, suspicabantur. Ut cibum panis.) Hyperbole est, qua bonos ab improbis superioribus, rectoribusue multitudinis prorsus atteri significatur. Litera quae hic est Hebraeis, ab hoc paululum sensu deuiat. Felix sic: Populum meum commederunt panem: uel, ut alius habet, uorant plebem meam in cibo panis. Idcirco huius literae sensum hunc esse arbitror, quod uorant Dei plebem tum etiam quando comedunt panem. Adeo enim infelices sunt, ut ne uictus quidem eorum quotidianus sit absque macula & infamia: ut id quoque quod edunt, & bibunt, & vivunt tandem, sit peccatum, dum ex usuris, & rapinis, & furtis, delitias, nedum uictum quidem necessarium, sibi comparant.

{14.8} Dominum non invocaverunt

Sed Belial, aut Mammonam, ut auari: aut Belzebub etiam, ut impudici & scortatores. At quomodo illum inuocabunt, in quem non cedunt? Quae po-
[potest]

{pdf 095, p. 39v}

-test illorum esse inuocatio, qui dicunt, totoque uitae circulo testantur, quod non est Deus? Praeterea iucundum ualde est considerare uatis prudentiam in explicanda sceleratorum hominum uita. Ut enim quam deplorati essent quorundam mores, spe omni sublata resipiscentiae, enarraret, primum illis Dei negationem tribuit. Non est, inquit insipiens in corde suo, Deus. Deinde clarius recensere cupiens, quam flagitiose inter caeteros conuersarentur, ait, eos, & Deo & hominibus, uti putentia cadauera nauseae esse, ac foetere: neque inter illos quenquam esse, qui bene ageret, sed Dei populum ac plebem, crudelissime deglubere, & deuorare. Postremo uero tantae prauitatis radicem detegens, ait non esse ante illorum oculos diuinum timorem, ipsosque Deum non inuocare: hoc est, nullam prorsus de Deo curam habere, nihil ab ipso expectare, nihilue petere. Cum enim Deum esse, ut ait Anselmus, per se notum sit, ex hac fit cognitione, quod homo identidem ipsum cognitum nominare libenter aueat, atque eius uirtutem praedicare, extollere, dilatate, illamque in angustiis & aerumnis, quas uita humana quotidie experitur, inuocare non reformidet. Vates igitur cum negat illos, in quos haec scripsit, Deum inuocare, plane dicit, eos omnis religionis uacuos esse, atque a diuino timore penitus alienos. Caeterum in scripturis inuocare Dominum, aut Dei nomen, perinde illud esse quod Deum colere norunt hi, qui sacrae legis studio libenter nauant operam. In Genesis libro scribitur, quod Enos coepit inuocare nomen Domini: quod est, ipsum coepisse Dei cultum, iam tum in primis illis rerum exordiis parum cognitum. Item illud de Abraham, quo legimus sanctissimum senem aras extruxisse, ac in uocasse nomen Domini, nihil aliud uult, quam Abraam colendi Deum loca instituisse, ibique primum eum ipsum coluisse, ac caeteros ad id agendum prouocasse. Unde Chaldaeus hunc uersum sic reddit: Nomen Dei non praedicauerunt.

{14.8} ... Ibi trepidauerunt timore, ubi non erat timor.

Licet enim, Ubi non erat timor, in codicibus Hebraeis non inueniatur, sed solum ibi, formidabunt formidine, cui statim adiicitur, Dominus in generatione iusta est: tamen ut nostro etiam faueamus interpreti, ut par est, dicendum erit, quod si ad praesentem uitam huiusmodi superuacuum referamus timorem, non erit praeter uatis mentem. Nonne uidemus, etiam inter illos qui aliqua religiosa uel dignitate uel professione in Dei ecclesia praediti sunt, quam perfracte bonorum, honorumue temporalium timeant, ac lugeant amissionem? Deum uero, qui solus timendus est, neque timeant, neque uereantur? quid cum moriendum est? quantos eiulatus? quanta lamenta? quos gemitus audire licet? Non sic enim pauet lepus, aut capreolus ad canum latratum, uti hi ad minimam quanque mortis memoriam. O si non moriendum esset, aiunt. Quid, oro, tali metu in Christiano uiro turpius? quid magis superuacaneum? Timendum ne erit hinc demigrare, ubi uir iustus non absque dolore maximo animi, & cruciatu, manere potest? Sed quid hi timent, forsitan aliquis dicat? nonne Deum? nihil minus inquam. Timent

enim sese, Timent transactam uitam. Timent conscientiae testimonium. Timent aeternas poenas, quas etiam uiuentes quodam modo miserabili praesentiscunt. Timent igitur, ubi timor esse non debet: illum uero qui potestatem habet mittere in gehennam ignis, neque metuunt neque colunt, Rursus enim ad futuram uitam quae dicta sunt conuertamus. Illic dictio sic posita uidetur, ut innuat prophetam tormentorum locum praeuidisse animo, ubi damnati infelicissima inquietudine trepidant, ubi non est trepidatio, similis uidelicet: tam saeua, tam formidabilis, tam atrox. Huic non dissimile illud est quod in Esaia legimus: Ecce terra Chaldaeorum, talis populus non fuit: id est, huic similis & est sensus: Vos Deum, quem solum timere oportuit, non timetis, quin potius eum contemnitis, plebemque illius pro libidine deuoratis, atque omnia denique effreni petulantia peruertitis. At ego iam praeuideo quo uestra uos impellet malitia, ad loca scilicet illa inferorum tetra, horrida, ac omnis generis tormentorum plenissima: in quibus quidem adeo perterrefaciemini, adeoque pauebitis, ut similis nunquam pauor fuerit,

{pdf 096, p. 40}

{14.9} Quoniam Dominus in generatione iusta est.

Causam reddit propheta, quamobrem tot mala in commemoratis peruersae uitae hominibus futura sint. Quoniam, inquit, herilem domum offenderunt, quae gens utique est, iustitiae studens, & timorata. Nam qui alicuius habitationem diruere molitur, quomodo non ipsum habitationis dominum offendet? Ad haec, qui probis uiris molestias ingerere conantur, non dubium quin ipsum Deum, qui in sanctis libenter conuersatur animis, laccessant. Laccessitus uero ac quodammodo ob assiduas eorum iniurias impulsus, ultionem tandem de illis sumere deliberabit: generatio autem iustorum benedicetur.

{14.9} Consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est.

Consilium uiri iusti, quem hic uates inopem, hoc est, rebus omnibus huius mundi denudatum appellat, est, Dei praesidium ac uoluntatem hominis praesidio & uoluntati praeferre: Deum super omnia, calcato prorsus huius seculi amore, diligere: lenocinia carnis ab sese, tanquam importunissimas harpyias abigere: mundum hunc affectu deserere, Deum solum timere, ac se tandem ad omnem conditarum rerum iniuriam, pro Dei honore libenter exponere. Hoc tamen consilium, hoc uotum, hoc institutum magis diuinum, quam humanum, confundunt facile improbi, ridentque ac profusissimo cachinno subsannant: &, quod magis dolendum est, nullam aliam ob causam tam salubre propositum damnare prae se ferunt, quam quia Dominus spes eius est. hoc est, quia in solo Deo, non in huius mundi dynastis, pusillitateue confidit. Est enim apostrophe. O impiissimi uiri, uos sanctum inopis consilium illud, quo fiduciam suam omnem in Domino posuit, irridetis? Haud mirum quidem. Nam uos dicitis, non est Deus. Non est Dei timor ante oculos uestros. Deum inuocare contemnitis. Et non probauerunt, ait Paulus, Deum habere in notitiam.

{14.10} Qui dabit ex Sion salutare Israel? cum auerterit Dominus captiuitatem plebis suae, exultabit Iacob, & laetabitur Israel.

Mos est scripturae aliquid desiderantis, ut dicat, quis det? aut quis dabit? pro uti nam det. Unde illud est in Numeris testimonium: Quis tribuat, inquit, ut omnis populus prophetet? hoc est, utinam omnis populus prophetet. Et illud: Quis dabit capiti meo aquas? id est, utinam dentur capiti meo aquae. Ita in hoc loco. Vtinam, inquit, salus ueniat ex Sion. Quare sic reddit paraphrastes: Vtinam praestet Dominus ut ex Sion prodeat salus Israeli promissa. Videtur hic uates, postquam iustorum calamitates longa ueluti periodo deplorauit, filii Dei ad mortales accessum praeuidisse, quo solo opitulante, a tot aerumnis liberati, una cum ipso liberatore Deo opt. max. dii efficerentur. Optauit igitur uir sanctus, ut quod certo uenturum esse non ignorabat, acceleraret. O utinam, inquit, salus illa iam tum ab exordio rerum conditarum promissa, adueniat. Erumpat iam tandem ex Sion, ut est pollicitus, seruator. Exeat, egerminet demum flos ille e radice Iesse. Quid ultra praestolandum, simulac totus corruptus est orbis? Iam non est qui faciat bonum, ne unus quidem. RESPONSIO. Tunc, o uates, salus adueniet, cum auerterit Dominus captiuitatem plebis suae. Hae gentes utique sunt, quae iam olim non plebs eius, ut est uaticinium, nunc plebs eius. Imo omnes sunt, quamuis ab his nostris cultioribus plagis remotissimi. Iam non est Iudaeus, aut Graecus: sed omnes unum sumus in Christo IESU qui fecit utraque unum. Omnes enim, ait Esaias, errabamus sine pastore. Ecce captiuitas humani generis: quae quidem prorsus, per aduentum filii Dei, a nobis auersa est ac discissa. Quando enim unquam alias exultare potuit Iacob, supplantator scilicet uitiorum? aut quando laetatus est Israel, hoc est, uidens Deum? nisi postquam coeli, iam a principio ob hominum scelera clausi, aperti sunt, ac uox patris audita est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audi te. O laetitiam inenarrabilem. Tunc egrediemini, ait Malachias, & salietis quasi uituli de armento. Vide exultantem animam, atque ob salutem praestitam, gestientem, cui animanti assimilet uates. Qui non igitur ouantes e turpissimis peccatorum claustris, ut nos inuitat sponsa, egrediamur, ut Solomonem regem intueamur
[intueamur]

{pdf 097, p. 40v}

-mur cum diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis suae? A saltune poterimus abstinere? a gaudione? simulatque ipsum uidimus salientem in montibus, transilientemue colles, ac similem factum, ob agilitatem, capreae, hinnuloque ceruorum? Ergo perpetuo nobis est gaudendum, ac die noctuque exultandum, postque salutis aeternae, uitaque beatae quicquid incidat, certi sumus: id quod purissima in Christum fides, hoc est, regni Sion municipatus efficit. Nos interim qui hic cum mundo conflictamus, scimus quod ex Deo sumus.

PSALMVS DAVID XV.

{15.1} DOMINE quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Non admodum explicatu facilis a uate proponitur quaestio. Ardua enim res est, atque adeo ad intelligendum difficilis, quis ex Dei dono dignus sit, qui in eius ecclesia inter electos censeatur, ubi adhuc acerrime pugnatur, ac in tentoriis militaribus,

tabernaculisque Cedar, non absque periculo habitatur. Sed illud difficilius: quis dignus tandem reputabitur, qui triumphato mundo, uictor requiescere debeat in monte sancto Dei, hoc est, in aeterna beatitudine, quae omnis rationalis creaturae finis est, ac laborum requies. Vnde Eutymius: Requiescere is dicitur, qui ex longo itinere & labore fessus, requiem capit. Per montem sanctum, ait, supercoelestem locum intelligere debemus. RESPONSIO. Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Omnes Hebraeorum codices habent, ambulans, siue gradiens sine macula, & faciens iustitiam. Nulli enim dubium esse debet, totum hunc cursum uitae, uiam esse quandam, per quam mortales omnes deambulare oportet: & in qua, ueluti in arena ac theatro unusquisque sese qualis in alio futurus sit seculo manifestat. Verum quoniam non omnibus spectatoribus facilis est, cuius uirtutis unusquisque sit, cognitio: idcirco id uates a spiritu edoctus, ne haereamus, aperit: ac toto quantum potest conatu, e sublimi tanquam specula clamat: O mortales, o uos quotquot in felicissimo illo uenturo redemptionis humanae aeuo nascituri estis, quid haesitatis? quid uestros priuatos cultus iactaturi estis? quid ritus? quid uarium religiosae fidei uiuendi modum, alter alteri praeponetis? Vnum hoc uobis expetendum erit, in hoc solum incumbendum, qualiter cum innocentia ambuletis, colatisque iustitiam. Caetera enim ultra haec, ornamenta potius & decorem pietatis appelletis, quam ipsam pietatem oportet. Equidem nihil aliud esse iudico ingredi sine macula, quam innocenter, simpliciterque in domo fidei, quae est ecclesia, uiuere: ut de Iacob legimus, qui uir simplex erat, habitans in tentoriis, umbra scilicet futuri Christiani, qui omnia carnis prudentia, sibiipsi tantummodo prospiciendi, simplici quadam ratione uitae, abs Deo pendere debet. Atqui hi certe sunt, qui, ut scriptum est, & ingrediuntur & egrediuntur, & pascua inueniunt. Ingrediuntur enim per diuinos excessus in Deum: egrediuntur uero ad res curandas proximorum, bona fide. Nam a suis ante omnia Deus requirit, ut omnis ab eorum pectoribus absit fucus & dolus. In utroque tamen inueniunt coelestem, qua se nutriant, pastionem. Ecquid aliud uoluit Apostolus, quando dixit, siue excedimus, Deo: siue sobrii sumus, uobis? Caeterum in hoc uersu, interiorem uidere uideor iustificationem illam, quae a fide est: simul & exterioris officii munus, siue fructum fidei, qui in actionibus a charitate profectis consistit: per quas tum Dei, tum proximi dilectio cognosci potest. Et haec quidem ingressio illa est, atque deambulatio, absque macula, de qua & hic & alias mentionem facit Propheta, cum ait: Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege Domini. [15.2] Porro eum ipsum operari iustitiam arbitror, qui iustis totus deditus est operationibus illis, quibus nimirum Deo gloria, proximisque utilitas ac beneficium prouenire solet. Nam actiones eas omnes ociosas ac frigiditas omnino esse opinor, quibus horum utrunque non conveniat. Nostra itaque studia, nostras literas, nostra oia, sint quantumvis sancta et diuinam nulla esse existimo, nisi pro fine et studii et ocii, Dei gloriam statuamus.

{pdf 098, p. 41}

{15.3} Qui loquitur ueritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.

Felix sic: Qui non detraxit lingua sua. Atqui ueritatem eum loqui in corde suo asserunt, qui absque fuco omni & simulatione, sed ex animo, atque ingenue, ut Christianum decet, cum proximis ambulat, promissisque nunquam deest. Quod quidem fidei genus a Cicerone definitur esse, dictorum conuentorumque constantia. Hinc certe hypocritis ac fraudulentis pudor in iniicitur, qui uenenum aspidum ueritatis loco sub lingua obtegere

consuescunt. Qui non detraxit, seu ut alia habet litera, qui non detulit lingua sua. Legimus enim in Regnorum libris, Miphiboseth Saulis filium descendisse in occursum regis, illotis pedibus, & intonsa barba, dicens: Seruus meus accusauit me, seruum tuum ad te Dominum meum. Vide ad quas animi angustias deuenit miser ille, propter unius delatoris linguam, ut tantis miseriae indiciiis sese ante conspectum regis sisteret. Nescio sane qua sorte id accadat, ut in ipsis quoque bonorum coetibus adeo surrepat interdum de aliorum uitiiis deferendi facilitas, quod quasi a natura ingenitum uideatur omnibus, ut alter alterius uitam mordeat. Quodnam colloquium? qui conuentus habentur, in quo alienorum peccatorum denarratio non audiatur? Tantumne obtrectationis amans est lingua? Procul clamat Solomon, Sint a te labia detrahentium, ac quasi a facie colubri fuge a detractore. Delatores igitur, hypocritae, obtrectatores, dolosi, & in primis simulatores, e numero illorum sunt, qui non requiescent in monte sancto Dei, una cum felicissimo illo coetu qui operatur iustitiam, qui loquitur ueritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.

{15.3} Non fecit proximo suo malum.

Hoc est, nulla in re laesit, ne in appetentiis quidem ac desideriiis. Etenim sicut eius generis fraeno moderari linguam fas est Christianum, ut nihil prorsus eloqui audeat, quo non gratia atque utilitas audientibus afferatur, Dei uero gloria illustretur: ita ab eo nihil expeti quidem aut fieri debet, quod non sit aliis utile, Desque nomen sanctificetur. Mirum ni hic uideas, quam a iustorum congregatione longe expellendi sint futiles gerrones illi, quibus una illa in primis cura est, ut uel in doctissimis grauissimorum hominum colloquiis, risum intempestiuum moueant, aut adeo fabulas ingerant, unamque post aliam tanquam annulos connectant, cachinnosque immisceant, ut sanissimis quoque animis stomachum prouocare, ac uomitum, non minus sufficiant, quam si plenam nauteae pateram uel pissitando haurirent. O hominum genus inuisum bonis, atque his quidem quibus sanctissima illa Pauli admonitio semper est cordi: Omnia quaecumque facitis in uerbo & in opere, in nomine Domini IESU Christi facite.

{15.3} Nec opprobrium accepit aduersus proximos suos.

Hoc est, ab aliis non est passus proximum suum opprobrio haberi: sed illius famam, uti suam propriam tutatus est. Nam ex praecipuis uerae charitatis indiciiis, illud potissimum est, fratris famam abs te defensam: nullumque quod depellere possis, eius opprobrium ferre. Quocirca ut sibi quisque gratiam & famam apud bonos (quis probus improbis placere studeat?) saluam optat: ita & alterius nomen & gratia, bonis omnibus curae esse debent, Est & alius sensus, qui illis placere solet, qui nostrae huius uulgatae aeditionis mentem libenter sectantur: ut accipere opprobrium aduersus proximos suos, nihil aliud uelint esse, quam illos, neque propter peccata, neque propter morbum aliquem corporeum, irrisione aut contumelia uelle afficere. Sed prima aliquanto melior, ut mea est opinio: ut sint gradus hoc modo. Primum, neminem laedendum esse uerbis: unde est dictum, Qui non egit dolum in lingua sua. Deinde non laedendum facto: quam ob rem additur, Nec fecit proximo suo malum. Postremo defendendum etiam esse ab aliorum iniuria: ideo statim adiecit, Et opprobrium non accepit: uel, ut alia est litera, Non tulit super proximo suo. Quapropter adiunctum est,

{15.4} Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.

{pdf 099, p. 41v}

Hoc est, iniquum proximi calumniatorem, quamuis potentem, quamuis ferocem, quamuis diuitem, contempsit.

{15.4} Timentes autem Dominus [sic, Dominum] glorificat.

Id est, quantumuis despectos mundo honorat, tuetur, cum illis conuersatur. Verum paululum diuersius legunt Hebraei hunc uersum: Despectus in oculis suis contemptus est: timentes Dominum honorabit. quod quidem sic reddit paraphrastes: Qui ipse contemptor sui, & de seipso nihil minus quam magnifice sentiens, alienae uirtutis est admirator: maxime autem facit eos, qui reuerenter colunt Deum. quasi diceret, sese posthabito caeteros diuini honoris studiosos, quanto potest affectu complectitur, beneficiis subleuat, & demum totus in alienis est commodis. Aspicias ne quomodo passim per scripturas uox illa, de qua nonnulla supra, charitatem scilicet a seipso incipere, abrogetur? Qui, uel uno filii Dei testimonio, non fit illis satis, qui per triuia hanc uenditant? quem quidem scimus, nedum a Deo, nedum ab angelis, sed ab omnibus ferme rebus conditis diminutum. Verum hoc paulisper, hoc est, quandiu fuit a Deo discerptus [Errata : adeo discerptus], ut ne speciem quidem hominis haberet. Atque id certe ob amorem, quo semper affectus fuit erga alios, haud erga se. Alioqui quis unquam illum ad tantas coegisset aerumnas? nonne sua se sponte in sacrilegas illas Iudaeorum manus crucifigendum tradidit? Sic nimirum agere solet perfecta charitas, quae nihil minus quam propria attendit commoda, uerum quae aliorum ac Iesu Christi, ut inquit Paulus.

{15.4} Qui iurat proximo suo, et non decipit.

Felix: Iuravit affligere, & non mutabit. Utraque enim lectio spiritus sancti mentem sequitur. Iuravit, inquit Felix, affligere, scilicet seipsum, ac propriam uitam: perstabitque in illo, quoad eius uixerit, proposito. Et est sensus: Hic uir iustus se quantum potest, per abstinentias, ieiunia, uigilias, & id genus alia, perseueranter affligere decreuit. Tantum uero abest, ut alios laedat aut affligat, ut etiam illos officiis subleuet, ac sibi in percipiendis uitae commodis praeponat. Verum sensus is nostrae erit literae, quo fidei constantia inter homines celebretur. Nam si cui oblata occasione iurare contingat, quod damnosum sibi postea, & molestum fore appareat, praestabit tamen: neque ullo suo aut damno aut periculo ab eo quod iurauit, deflectet animum. Sic Ionatham cum Dauide, alioqui patri suo infenso, foedus iniisse legimus: quod etiam quae summa erat in iuene illo constantia, sanctissime, maximo tamen cum periculo seruauit. Sic olim Regulus ille (liceat etiam Dei dona in ethnicis agnoscere) Carthaginem rediit, ubi tamen grauissimum sibi paratum supplicium diuinabat. Quantam uero fidei constantiam ab iis qui per sanctum Dei nomen, quo nihil in terris uerendi magis habent, iurant, in re praesertim honesta requiri censemus? Verum cum iuramentum pene in totum per euangelium sit a Christianis abscissum, quo iubetur, ut sermo noster sit, est est, non non: tamen propter Dei gloriam atque utilitatem proximi, cum aliter fieri nequeat, permittitur iuramentum: hoc est, ut nemo ex sese, aut pro se & sua sponte

iuret, sed ubi proximi interuenit commodum, aut salus. Ita hoc modo re utimur prohibita in alterius bonum, quemadmodum iudex in iustitiae defensionem, homicidio. Sic Paulum iurasse, ad confirmandum Euangelium, legimus: haud secus. Nam iurare, ac tam uenerandum nomen Dei in testem assumere, in re nihili, ut passim fieri uideo, aut decipiendi animo, non est scelus hoc iuramento grauius. Quod si tamen duriusculum uidetur in hoc loco de iuramento a uate dici, non erit absurdum pollicitationes intelligi, quas in bono uiro uim iuramenti habere oportet. Alioqui in eodem ferme puncto horae eadem polliceri, quae statim neget, hominis turpissimi est, ac parum sui compotis.

{15.5} Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.

Ne de usuris modo loquamur, quibus uniuersus fere orbis miserrimum in modum atteritur: satis sit admonuisse, haud fas esse iniusto aliquo lucro proximo aliquid auferre. Olim enim Deus a fratre usuras exigi prohibuit, a Iudaeo scilicet Iu-[Iudaeum]

{pdf 100, p. 42}

-daeum. Ab alienigena tamen & a gentibus permisit, ut omnia suis cultoribus subiecta esse indicaret. Nobis uero, qui omnes in Christo fratres sumus, neminem licet, seu Graecus ille sit, seu Arabs, seu etiam ab ultimis oceani littoribus conuena ulla in re grauare. Quapropter usuram prorsus a Christiano uiro euulsam uult Deus. Nec mihi iam nomina illa mentita, Interesse, cum pactis uendendi & retrouendendi, caeteraque his similia ab imo inferorum barathro euocata obiicias: crusta est haec, atque apertae damnationis quidam ridiculus fucus. Mutanda est ergo ex Dei praecepto. Quid mutuanda aio? Nonne tua egeno impartiri iuberis? nonne donare? Sed postquam eo res nostrae deuenere, ut libentius eas mutuo, quam dono demus: mutuanda est, inquam, tua pecunia, sed nihil inde interim sperandum, ne esculentum quidem minimum. Nam uerissimum hoc est dictum, quod qui pecuniam suam non dederit ad usuram, requiescet in monte sancto Dei: qui uero dederit, e Dei populo, ut sacra lex sanxit, exterminabitur.

{15.5} Et munera super innocentem non accepit.

Et hoc in lege prohibitum. Nam nihil est, quo tam, ut sic dicam, exoculetur iudex, sapiensque a iustitia delabatur, quam munerum frequentia. Hinc illi sunt lachrymarum pleni in Esaia questus. Principes, ait, tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa uiduae non ingreditur ad illos. Vidi, uidi ego aliquando uel in sacris locis, quod fas, quod leges, quod iustitia non potuerunt, exculsit munus. Vidi, inquam, quod absque singultu dicere nequeo, ui munerum nocentissimos homines in sublimiorem aliquem gradum accersiri: innocuos uero, quamuis elegantissimo praeditos ingenio, aut e gradu deiici, aut praeteriri. Ex quo quidem inuerso rerum ordine illud necessario oritur, quod uulgo iam omnium pessimos illos appellant, qui ab omnibus olim optimi ob uitae simplicitatem uocabantur. Illud porro hic aduertendum, quod non solum iudices aut primores rerumpublicarum iniquos uult uates intelligi: sed eos quoque, qui iniustas fouent ac protrahunt lites, compendii sui causa. Quod quidem exitii genus, adeo per orbis urbes licentius peruagatur, ut pene nulla alia in re suam quis ominari possit ruinam, quam cum in palatio, quod aiunt,

rationis agit lites. Hunc uere miserum, hunc aerumnosum, hunc uiuentem mortuum appellare possumus: non tam sane ob legum vitium, quae iustissime sunt, quam ob causas agentium cupiditatem, ac cum impietate iunctas cavillationes: quibus quidem iam et rostra omnia, et senatus (bonos semper excipio) et rotae quoque ipsae miserabiliter rotantur, et insaniunt.

{15.5} Qui facit haec, non mouebitur in aeternum.

Qui illa quae dixi, ait uates, seruauerit ex animo, fixus inuictusque quicquid incidat, permanebit. Unde alia habet litera: His rebus qui studuerit, in aeternum non nutabit. Nam is tanquam ex omni parte beatus, nunc a soliditate ea ac fide quam in Deo habet, deturbabit: nunc quidem per gratiam, in futurum uero per gloriam. Siquidem is uir ille est euangelicus, qui domum suam supra petram aedificauit. Felix: Faciens haec, non elabetur in aeternum. Paraphrastes: Qui facit haec, non peribit unquam. Christus uero: Hoc fac, & uiues.

INSIGNIA DAVID, uel secundum Graecos statua, seu columna Dauid.

PSALMVS XVI /

Statua seu columna in rerum gestarum memoriam uictori erigi solet, trophaeo aliquo onusta. Sic Christo psalmus iste pro statua uictori ponitur, qui ob deuictam mortem, iugulatumque peccatum, ac direptum inferorum regnum etiam nunc cum suis triumphat. Porro de insignibus Dauid sic ait Felix: Quis magnae uirtutis, seu uictoriae insignia tulit nisi Christus? qui principem huius mundi, aduersus quem nulla arma, nullae insidiae, nulla ingenia potuerunt, uicit: ac extra lares proprios, hoc est, extra lares huius mundi eiecit, ac expulit. Sunt qui censent quoque titulum huius psalmi significare instrumentum musicum, quo psalmum istum canebant. Utcunque sit, filius Dei omnium redem-

[redemptor]

{pdf 101, p. 42v}

-ptor est, qui loquitur, ea ratione, quam in superioribus psalmis diximus. Tentatus enim ille est, ut nos: in tentatione patrem inuocauit, ut nos: quo per omnia similis nobis, ut ait Paulus, fieret. Debit enim, inquit, per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret. In eo quidem in quo passus est, & tentatus, potens est & his qui tentantur, auxiliari. Ait igitur:

{16.1} Conserua me Domine, quoniam in te speraui.

Ecce quomodo spem, uim eam esse, qua a Deo, cum oramus, exaudimur, opemque eius benignissimam sentimus, tam crebro inculcat uates. Proponit enim causam, quamobrem seruari debuit: Quoniam, inquit, in te speraui. Quis, oro, bonus eos, qui suae se fidei commiserint, deseret? Multo enim certius pater hoc agit coelestis, qui totius bonitatis fons est. At tu mihi considera, quam necessaria sit spes, fiduciaque in orante. Caetera quidem, quae bona tibi uidentur, cum petis, non mirum si interdum haesites, cum quomodo orare oporteat ignoremus omnino. Verum si peccatorum

ueniam, salutemque aeternam petieris, ut continuo petere est necesse, caue dubites te assecuturum quod petis. Alioqui si in orando consequi dubitas, quod ipse Deus tibi dare pollicitus est, de te actum est, tuaque oratio impia fit, ac immunda omnino. Clamandum igitur esse ad Dominum semper, nos admonet uates, imo ipse uatum Dominus, qui hic loquitur, cum spe tamen, atque fiducia adipiscendi rogata: ne simus, ut ait apostolus Iacobus, fluctui maris similes, qui a uento mouetur, & circumfertur. Non enim existimet, ait, homo ille (scilicet qui dubius orat) quod accipiat aliquid a Domino. Haec diuinus apostolus. Iam illud rursus perpendendum, quomodo Dei filius, atque cum eo purgatissimus quisque animus, non sua proponit merita, non opera, non eleemosynas, non ieiunia, non psalmodiarum numerum, aut missarum, non caetera huiusmodi, fidei nimirum ornamenta, atque (ut diuus appellat Benedictus) bonorum operum instrumenta: sed spem solam, qua plena fide, Deum exorari credit. Spes ergo, fides, fiduciaque, quae idem pene sunt, impetrant a Deo: praeterea nihil, quo tandem tuarum actionum supercilium deponere perdiscas.

{16.2} Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Quid mirum si flagrans Dei amore anima clamat, Deus meus es tu, cum ab eo ipso didicerit hoc esse suum nomen? Ego sum, inquit, Dominus deus tuus. Quam porro uerum illud est quod Paulus asserit, neminem scilicet posse dicere Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Soli enim fideles (hi dico, qui non solum ore, atque externo cultu, sed intimo cordis affectu, Deum esse fatentur) hunc honorant, hunc amant, in hocque solo confidunt, uere dicere possunt, Deus meus es tu. quod quidem non ualet blasphemus, adulter, auarus, atque is, qui dicit in corde suo, non est Deus. Beata profecto gens, cuius est Dominus Deus eius, populus quem elegit in haereditatem sibi. Verum cur bonorum meorum non eges? quia Dominus es. Nam si mearum rerum egeres, non esses Dominus. Qui tamen (dicet aliquis) a nobis Deus requirit nostra? Adiciturne aliquid Deo, nostris ex rebus? Quis adeo demens est, qui ex honore ac cultu, Deo a creaturis impenso, arbitretur ipsius felicitatem augeri? Delectatur tamen huiusmodi beneuolentiae, ac grati animi indicio, ut occasionem habeat, quae est eius bonitas, maiora elargiendi. Alii modo aliter hunc uersum legunt, & exponunt: Bonitas mea non super te. hoc est, aliquam mihi dare bonitatem non teneris: uerum quicquid fecisti, tuo munere ac benignitate fecisti. Diuus uero Hieron. sic: Bonum mihi non est sine te. Vides quanta spiritus copia in hisce diuinis odibus abundat? Neque interim aliam praeter mittam interpretationem, quam paraphrastes adamasse uisus est. Ait enim: Dico anima mea Domino, Dominus meus es tu. Bonum meum non ad te. Ut sit aliquis in spiritu, qui animam suam, ut Deo sese penitus consecret, adhortetur: sed ne uideatur eo aliquid tam excelso numini, ex sua illa cura & studio, conferre, eam admonet hoc modo: Bonum meum non ad te. hoc est, nihil meum tibi bonum confert, o Deus. Tantum, inquam, abest, ut tibi, quicquid illud boni sit, usui esse pos-

[possit]

{pdf 102, p. 43}

-sit, ut etiam fastidio existat. Quare sic reddit paraphrastes: Persuasum habes o anima mea, & dixisti ad Dominum, Dominus omnium es tu: quare si quid in me est boni, id tibi

usui non erit: sed sanctis, qui degunt in terra, & fide robustis, modis omnibus prodesse studebo. Propterea additum est:

{16.3} Sanctis qui sunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis.

Felix dilucide magis. Ait enim: Sanctis, qui in terra sunt, & admirabilibus, omnis uoluntas mea in eis. & est sensus: Non sum adeo extra me, ut credam in me esse aliquid, quo tua queat augeri sublimitas. Celsior enim ultra omnem metam es tu, quam ut meis beneficiis frui debeas. Attamen quoniam Deus meus es tu, cuique mea omnia debeo, erit interim meus omnis amor, cura & studium in sanctos, qui mecum adhuc his in terris degunt, atque abs te peregrinantur: illos, dico, qui tum uirtutum omnium cumulo, tum maxime fide insignes atque admirabiles omnibus existunt. Deus igitur mortalium beneficiis, aut donis, etsi laetetur propter nos, tamen ditior minime fit ex his, aut potentior. Sancti uero, quoad in terra vivunt, non parum rebus nostris indigent, atque illarum commodo iuuari possunt, & subleuati. Quod quidem adeo Dei filio semper placuit, ut nihil aliud plane in carne gessisse uisus sit, quam ut patrem ex beneficiis in miseros collatis promereretur. Sibi enim factum putat, quodcunque, uel minimis eius domesticis, fecerimus. At tu uide quomodo caro, hoc est, amor proprius, haec omnia inuertat. Deo enim benefacere, cui nihil dare possumus, arbitramur: fratres uero, quos ipse iussit rebus nostris adiuuari, uel usque ad nauseam fastidimus. Perpulchra sane commutatio. Verum si magis sensus nostrae literae conueniens arriserit, is erit: Filius enim Dei homo Deus, fatetur hic patrem mirificasse, hoc est, mirabiliter, copioseque perfecisse suas uoluntates, sua scilicet desideria, sua uota, precesque pro salute hominum in terra etiamnum degentium, effusas. Nam nulli dubium esse debet, Christum multa in humani generis commodum ac salutem exoptasse, a patreque petiisse, & exorasse. Ego, inquit, rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis. Illud etiam: Volo pater ut ubi ego sum, illic sit & minister meus. In his enim, ut in caeteris, exaudiens est, ait Paulus, pro sua reuerentia.

{16.4} Multiplicatae sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt.

Antequam enim Dominus Iesus ad mortales accederet, homo factus, quis non peccatis onustus? Omnes, ait Paulus, peccauerunt. Ad haec, quod conuenientius epitheton tribui peccato unquam potuisset, quam languoris ac infirmitatis? Multiplicata erant igitur, atque in immensum accreuerant peccata, cum in omnibus, tum in gentibus maxime: qui postea, accepta ex alto spiritus sancti ui & gratia, ad sacras regenerationis undas adeo accelerauerunt, ut plane illud uerissimum fuisse cernamus, quod ubi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Quocirca in Actis legimus, quod glorificauerunt Deum dicentes: Ergo & gentibus poenitentiam dedit Deus ad uitam? Hebraei sic habent: Multiplicabuntur dolores: seu, idola illorum: post alterum festinauerunt. Et est Domini Iesu expostulatio, qua queritur mortales fere omnes idola, supersticiosos'ue cultus, qui nisi dolores, anxietudinesque, & molestias pariunt, elegisse, se totius bonitatis, pacis, atque adeo aeternae quietis fonte derelicto. Hinc idem apud Hieremiam deflet, dicens: Me dereliquerunt fontem aquae uiuae, & foderunt sibi cisternas dissipatas. Alio item loco Iudam appellans, eius uanitatem deridet: Iuxta numerum urbium tuarum, ait, fuerunt dii tui Iuda. Nec minori stomacho clamat in Osea: Multiplicauit Ephraim aras

ad peccandum. Vides, ni fallor, multiplicatas infirmitates, hoc est, uanum cultum, simulachra, molestiasue, ac labores superuacaneos fere omnium. Qui non dicam omnium omnino, cum lego populum Dei, uineam electam, plebem sanctam, tam acriter a uatibus obiurgari? Porro festinauerunt, ait, post alterum, hoc est, relicto uero Deo, alterum amatorem amplexati sunt.

{16.4} Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus.

Non erit, inquit, mea amplius ecclesia, ut hucusque dissimulaui, coetus ille, illaque

{pdf 103, p. 43v}

ecclesia malignantium, qui ex sanguinibus, non ex Deo nati sunt. hoc est, qui gloriantur se filios Abraae secundum carnem: & qui (ut aliquid per excessum dicam) Christianos se iactitat, se sanctos, se a mundo segregatos, absque spiritu, & fide: cum tamen non solum uiuunt, sed miserandum in modum marcescunt in sanguinibus, in carnis uidelicet putredine, ignorantes miseri, quod qui in carne sunt, placere Deo non possunt. Longe enim hi sunt ab illorum conuentu, de quibus in Euangelio legimus: In mundo sunt, sed de mundo non sunt. Felix sic: Non libabo libamina eorum de sanguine. Hic nonnulli opinantur de Iudaeorum sacrificiis dici, quae magna ex parte constabant sanguine, adeo quod adagii prope loco erat, absque sanguinis effusione non esse remissionem. Quae tamen sacrificia, oblato sanguine illo in cruce, cuius sanguinariae omnes hostiae illae umbra fuere, penitus abolenda essent. Alii gentium ritus quosdam impiissimos taxari credunt, in quibus pro uino cruorem libare humanum consueuerant, seque mutuis uulneribus ad aras conficientes, propriosque natos immolantes, ac caeteros huiusmodi carnificinae usus religiosissime in suis illis sacrificiis obseruantes, toti in tabo ac sanie uolutabantur. Vtrumuis accipias, hoc satis liquet, seruatorem nostrum hic profiteri usus istiusmodi cruentos, superstitionemque omnem alienissimam esse a mundissimo suo cultu, cuius uim totam in animo prorsus sitam esse uoluit, atque in his postea rebus exteris, quae ornare queant, non foedare, aut irrequietam facere conscientiam.

{16.4} Nec memor ero nominum eorum per labia mea, seu per os meum.

Et est perinde atque dicat: Hisce nominibus quibus hucusque eos nominaui, haud amplius nominabo. Verum quae illa gentium fuerunt nomina, antequam asciscerentur ad uitam? Mortui sane, impii, caeci, immundi sues, filii irae, damnationisque, ac mortis mancipia. Iudaeorum uero? populus Dei, populus peculii loco habitus, uinea electa, pars, haereditas, funiculus Domini. Horum igitur nominum fatetur Dominus sese posthac memoriam non habiturum. Quomodo, quaeso? Qui enim longe erant, prope facti sunt in sanguine Christi: ac seruos suos, ut ait Esaias, uocauit alio nomine. Quo, oro? Vos genus electum, ait Petrus, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei: qui non misericordiam consecuti, nunc autem misericordiam consecuti. Vide nunc miserrimam Iudaeorum nominum commutationem, qui non iam populus Domini, sed populus durae ceruicis, & incircuncisi cordis appellantur: semen item nequam, generatio praua, adultera, uiperea. Vos, ait Christus, ex patre diabolo estis. Illud porro non omittendum, quod sunt qui interpretantur, nominum eorum, ad sacrificia & libamina referri. Quae

quidem interpretatio uisa est placuisse paraphraetae, qui sic reddit: Illos mihi illarum uictimarum sanguine adeo libare non iubebo, ut ne mentionem quidem unquam amplius eiusmodi libaminum fieri apud me uelim.

{16.5} Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei.

Ne longius pervagemur in recensenda tota lege antiqua, in qua cum nullam Deus partem Leuitis inter fratres suos attribuisset, se illorum fore haereditatem asseruit: dicam omnia illa, ut caetera priscae legis, umbram eorum, quae postea acciderunt sanctis Dei uiris, fuisse. His enim nulla esse debet in terris rerum possessio, quibus coelestis haereditas promissa est. Verum cum in hoc mundo nihil aequae proprium iudicetur, tantaque diligentia custodiri soleat, quanta solent haereditaria bona: idcirco hoc nomine sanctissimi quoque uiri libenter utuntur, utpote qui sibi Deum habeant, ut propriam haereditatem. In eo enim omnia bona sua, & ea charissima & propria, possident: neque est res ulla, cui maiori cum diligentia studeant, quam ipsi, quem unice diligunt, gratificari. Nec mirum quidem: in Deo enim, per Christum, aeternam uitam, ac omni regno ditiores possidemus felicitatem. Cuius sane estimatione quo magis exprimeret, tam multas uoces congegit, portionem scilicet, partem, calicem, sortem, haereditatem. Summa igitur: Voluit hic uates, seu uatum princeps Christus Iesus significare, sibi ex partis beneficio, partem illam in

{pdf 104, p. 44}

eius populo contigisse, ut inter eius electos connumeraretur, eorum filius factus: hincque patrem ipsum orat, ut quemadmodum sibi, ita & caeteris, qui suas sequentur partes, uelit sors esse, haereditas ac portio. Quod quidem hoc modo exprimit paraphraetae: Dominus, inquit, ipse portio est, & patrimonium populi, qui partes sequentur meas, & calicis mei particeps fiet: quare tu Domine tutaberis illos, qui ueluti sorte obtigerunt mihi. Quocirca subiungit propheta:

{16.5} Tu es qui restitues haereditatem meam mihi.

Seu, ut alia habet litera: Tu sustentator sortis meae. hoc est, me adiuuisti, mihi ut hanc eligerem haereditatem, adfuisti. Tu illaesam, immotamque illam seruabis. Nam quos dedisti mihi, non perdam ex eis quenquam. Quare hinc perpendi potest, tum Deum sanctis, tum sanctos Deo, haereditatem esse. Hi enim, quoniam ipse alit eos, sustentatque, ac de illis curam habet, ut de haereditate patria haberi solet, haereditas sunt Deo. Ipsis uero Deus: quoniam hi Deum, ante omnia colunt, amant, bonaque omnia sua ipsi acceptum referunt, ac toti demum ab illo pendent. Caeterum calix, ut iam diximus in alio psalmo, est, quicquid mali aut boni a Deo nobis obuenerit. Sume calicem, ait Dominus in Hieremia, uini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo, & bibent, & turbabuntur, & insanient. Vide quantae amaritudinis plenus fuerit calix ille, e cuius haustu insaniisse bibentes legimus. Sed in hoc loco calix est ipse Deus, qui se suis benignissime ingerit, atque epotatus, mirum quanta illos afficiat suauitate, ac sapientia. Hem calix meus, aiebat alio in psalmo, inebrians, quam praeclarus est [23.5]. Non tamen quidem huiusce calicis partem, hoc est, Deum ipsum totum (ne cum partem audis, de tota haereditate assequenda dubites) in nos transferri posse credamus, nisi

calix alter nobis probetur, qui est, ut coelestis patris, haud nostram, compleamus uoluntatem. Qui porro calix (postquam Deus suos pascere decreuit amaritudine & absinthio, ut inquit Hieremias, in hoc mundo) quam Dei filio amarus extiterit, scit illa in horto ab ipsis penetralibus animae conuulsa oratio, quando hoc modo orauit: Mi pater, si fieri potest, transfer a me calicem istum. Sciunt, inquam, eadem ipsa repetita uerba. Scit crux, scit poculum illud, felle ac myrrha permixtum, huius nostri figura atque admonitio quaedam, ne suos in deliciis Deum alere solitum arbitremur. Haustu profecto intolerabilis is esset, ni Christus ipse hunc prius praebisset. Postquam enim & hunc insuauem, et alia complura figmento suo insupportabilia, ut sibi gentium omnium haereditas, ob Adae peccatum amissa, restitueretur, sponte praelibauit, facta sunt iam omnia, quae prius uidebantur amara, super mel & fauum, dulciora. Norunt enim hi solummodo, qui non iam sibi uiuunt, sed ei, in quem per amoris flammam penitus transformati sunt, quam suaue, quamue ultra omnem mundanam consolationem, & iucundum, et gaudii plenissimum sit, una cum Christo, eodem ipso tribulationum calice inebriari, unumque propterea cum ipso per uoluntatem, ac dilectionem effici, Sed me stultum, qui pene propositi mei, atque instituti oblitus, rem coner uerbis explicare inenarrabilem, & quae gustu magis a piis animis sentitur, quam intellectu comprehenditur. Id enim totum amor efficit: praeterea nihil. Ait igitur amantissimus Dei filius ad patrem: Tu es qui restitues haereditatem meam mihi. Haereditatem, inquam, ab alieno possessore usurpatam, ac pene consumptam, ad integrum mihi reddis: ut qui filius sum, sim & rex & Deus, non Iudaeorum tantum, sed & gentium: mihique potestas omnium, & quae in coelis sunt, & quae in terris, abs te detur: quemadmodum & tu quoque Dominus es, rex, atque rerum omnium imperator, & Deus: nam ego, & tu, unum sumus.

{16.6} Funes ceciderunt mihi in praeclaris, etenim haereditas mea praeclara est mihi.

Hebraei sic: Funes ceciderunt mihi in amoenis: etiam haereditas pulchra ad me. Metaphora sane est a rebus corporeis desumpta. Nam funibus olim homines metiri consueuerant haereditates. Humus tua, aiebat Amos, funiculo metietur. Quare is sensus erit, quod filius Dei, suae haereditatis sortem, amoeno ac iucundo assimilat fundo, & ait: Sors mihi cecidit in fundo optimo & amoeno, in quo mihi quidem haereditas praeclara ac speciosa assignata est. Quam nobis hic esset lae-
[laetandum]

{pdf 105, p. 44v}

-tandum, nisi tam tenaciter corporeis rebus inhaereremus, postquam Dei filii haereditatem, qui sumus nos, amoenam, speciosam, praeclaramue nuncupari audimus. Quid huiusmodi appellatione felicius? quid, quaeso, pro tanta patris dignatione, insuetoque munere eius amantissimi filii, rependere unquam poterimus? Hoc nempe, quod eius rependit unigenitus, qui ait:

{16.7} Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.

Vel, ut est alia litera, qui consuluit mihi. hoc est, qui mihi spiritum dedit: meque, quod illi gratum esset, eligere docuit. Hoc enim ferme idem est, quod in Ioanne legimus: Sicut docuit me, inquit, pater, haec loquor: & qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia quae placita sunt ei, facio semper. Edoctus quidem, mirisque modis, ac intellectum humanum excedentibus, Dei filius a patre in terris fuit eruditus, sed tentationibus maxime, & pressuris, ut per omnia similis nobis, misericors fieret, ut ait Paulus. Qui quamuis, inquit, esset filius Dei, didicit tamen ex his quae passus est, obedientiam. Hincque a capite erudiuntur membra, Deo in aduersis, qui nos ut sibi uidetur, utque nobis magis expedire iudicat, instruit. gratias agere: quod idem est, quod nunc ait, benedicere. Et quia non inter ultima Dei munera illud est, rebus in aduersis, & quae tum carni, tum animo plerunque displicent, diuinum non ignorare consilium: idcirco sic redditur is uersus a paraphraste: Laudabo Dominum, qui in omnibus a consiliis fuit mihi.

{16.7} Insuper et usque ad noctem, increpauerunt me renes mei.

Felix: Castigauerunt me: seu, ut alius legit interpres, erudierunt me. Quia enim scriptura, ut in superioribus psalmis diximus, solet interiores magis affectus cordis per renes significare, fatetur hic uir sanctus, se intimis affectibus huc actum, ut improborum hominum necessitudinem, communionemque & amicitiam abhorreret. Cum enim Deum secreta, quamuis alte recondita & obstrusa nosse fatemur, eidem scientiam quoque renum nostrorum, ac cordium attribuimus. In illis enim cogitationum, in his oblectamentorum sedem esse definiunt. Quapropter si quis uehementi aliqua animi attentione affectat aliquid, quaerit, cogitat, peruestigat, is quodammodo eruditur, increpaturque ab ipsis irrequietis animi motibus, quod potissimum in uehementer cogitantibus quomodo, caeteris spretis rebus, soli Deo, ac per ipsum eius haereditati, hoc est, sanctissimis uiris, inseruire queant, accidere necesse est: ut sic paulatim caro in spiritum transeat. Summa igitur: Adeo enim, inquit, mea desideria omnia, meum amorem, mea oblectamenta, ad sanctam mei amati conuerti haereditatem, ut his accensus, noctibus etiam insomnis & cogitabundus, nihil aliud uersem animo, quam ut Deo gratus sim. Hoc sane agere nequeunt hi, qui cum primum se lux a mundo subtraxerit, nihil potius cogitant, quam ut meditata interdum scelera expleant. Illi uero, uel dormientes, cum illo, quem intentissime quaerunt & amant, conuersantur. Tantum enim abest, ut importunis illis suggestionibus, quae per soporem, uel a daemone, uel a naturali quadam membrorum lege in dormientes immittuntur, obnoxii sint, ut etiam ipsa uaria ac confusa animae phantasmata unita habeant, ac munda omnino, atque erudita.

{16.8} Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris meis est, ut non commouear.

Vnde igitur huiusmodi spiritus eruditio, renumue [sic, rerumue] increpatio, aut correctio? quis fructus, quaeso? quis finis? Hic nimirum, ut Deum continuo nobis prouideamus, proponamusque: hoc est, ut Deum semper ob oculos habeamus, nunquam non obseruemus, timeamus, colamusque, ac illi soli nitamur. Qui quidem cum nostris a dextris est (eos enim, quorum opera nos defensos uolumus, a dextris collocare soliti sumus) tanquam fidus comes & amicus, hoc in itinere passim a latronibus obsesso,

de quibus supra: Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Cum, inquam, a dextris est: hoc est, cum nobis ferre opem coeperit, securi tum sumus, ac tuti prorsus ab omni hostili incursione uiuimus. Quare a paraphraste sic: Opposui, inquit, ueluti scopum ante oculos meos semper Dominum: qui quia adest mihi ad latus dextrum, nemo poterit perdere me. Vide quid in Dei amore

{pdf 106, p. 45}

accensa anima dicere queat. Non respexi, ait, quid mihi conduceret, quidue noceret: non ad hostium crudelitatem considerandam, non ad eorum tela illa, quae iniicere solent in non suos, meditanda, conuerti animum: sed mihi illud satis uisum est, Dominum uidelicet ob oculos, quicquid incidisset, continuo habere. Is est mihi omne bonum. Is amara omnia, ac plane mortifera, in dulcorem salutemque conuertit. Scio equidem nulla me a tentatione posse superari, ab eoque separari, quoniam a dextris, ne commouear, est meis. hoc est, auxiliatur, ne in firmissima fidei acie uacillem, ac ut ait Felix, elabar. Quod autem legimus: Et diabolus stet a dextris eiusne de auxilio e daemone expetendo cogites hunc habet sensum, ut diabolus locum occupet, ne sit locus Deo, qui tamen semper adstitit a dextris pauperum.

{16.9} Propter hoc laetatum est cor meum, & exultauit lingua mea.

Ille enim, qui Deum die noctuque ob oculos habet, quique eum certissima scit fide sibi in omnibus subsidio esse, quomodo non ex corde gaudebit? Quomodo etiam illius non exultabit os & lingua? hoc est, quomodo Non, uel in ipsis amarissimis cruciatibus gratias aget? Hic igitur uir sic affectus, se tanto gaudio, ob diuinam praesentiam, perfusum asserit, ut non solum cor, in quo nimirum solidi gaudii sedes est, ac radix, mirandum in modum laetitia gestiat, sed & lingua quoque exultet. Quid linguam aio? corpoream ipsam molem totam membrorum, quiete atque ocio iam diu optato frui, ob tanti boni accessum, praedicat. Quare a uate adiicitur,

{16.9} Insuper et caro mea requiescet in spe.

Etsi enim adeo verum eum esse sensum, quem dixi, certe sciam, carnem scilicet, nedum cor, aut animum, et linguam, coelestis eiusmodi gaudii fore participem, quo anima illa afficitur, quae Deum continuo ob oculos habet, ut nullus alius uerius sit: tamen is, quem statim dicam, mitior est, ac animae diuinis contemplationibus assuetae magis gratus. Proinde hic Dei filium de corporum morte, ac eorundem resurrectione dicere arbitrantur fere hoc modo omnes: Non solum quoad uiuam, semper mihi Deus erit cordi, in oculisque uersabitur: ex qua quidem fide tanta afficiar laetitia, ut uel corpus ipsum alioqui graue & onerosum optata pace, tutoue ocio & quiete, copiose fruatur: uerumetiam post meum quoque obitum, in spe quiescet, hoc est, securum de futura resurrectione dormiet. quem sane sensum perpulchre sic reddidit paraphrastes: Corpus quidem meum, inquit, in sepulchro iacebit: sed nihil dubitabo, quin excitaturus sit illud. Sed cur requiescet in spe?

{16.10} Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Non mirum sane esse debet, si quasi inopinato spem memoret, ac de improviso interserat: cum eius uis sit, ac roboris, ut illi, qui hanc perfecte possidet, leuia omnia, & suaui reddantur. Quid in terris tam asperum est, tamue ab humanitate omni abhorrens, quod non aequissimo ferat animo uir spei clypeo munitus? Alia litera habet: Non dabis sanctum tuum uidere foueam. Proinde omnes, nisi prorsus in fidei articulis stupidi sint, persuasum habent, ceduntque indubie, filio Dei, Christum Dominum, inferos adiisse, uere mortuum & sepultum: sed neque animam apud inferos, neque corpus in sepulchro, ultra triduum detentum: hincque nulla corruptione resolutum. Licet enim mortuus, ac tumulo mandatus fuerit: non tamen in morte ac tumulo mansit: sed in tridui spatio rediuius, immortalem, beatamque uitam, etiam cum corpore est adeptus: adeo ut non iniuria, eum ipsum inferos unquam adiisse, aut foueam uidisse, fas sit fateri. Videre enim, pro ingredi, non erit inconueniens intelligere, iuxta illud in Euangelio a Ioanne positum: Qui incredulus, inquit, est, non uidebit uitam. Rursus illud: Non uidebit regnum Dei. Summa igitur haec erit, Dominum Iesum adeo celeriter resurrecturum, ut neque illius anima ad umbras tartareas concessisse, neque corpus in sepulchro mansisse, multo minus corruptionis labem contraxisse appareat. Intactum enim corpus illud uenerandum, atque ab omni cadauerosa putredine immune, semet e tumulo excitauit, quo nos quoque secundum propositum uoluntatis suae, tempusque

{pdf 107, p. 45v}

praefinitum a patre, aliquando cum corporibus hisce aerumnosis ad immortalem secum uitam excitet. Quod si non statim, postquam e uita demigramus, a tumulo reuocamur, uiuimus tamen interim animo beati cum Deo, certi quodque corporum resurrectionis ac reuiuiscendae. Sic autem mori, non est mori: sic sepeliri, non est sepeliri: sic corpore corrumpi, non est corrumpi. Confer, si libet, momentaneam sepulchrorum corruptelam cum futura uita, potius enim illam non esse, a quam esse, fateberis: iurabisque mortem hanc corporum, aditum ad uitam magis quam mortem, posse dici Caeterum, ut de omnibus uel tantillum saltem praelibemus, sicut Christus mortem appetens, sed sub mortis imperio nequiquam manens, ipsam interemit, ut te uiuum faceret: ita ad inferos bellator fortissimus concessit, ut te inde, celeriter remeans, quo, propter Adae transgressionem, nondum pene natus descenderas, extraheret.

{16.11} Notas mihi fecisti uias uitae.

Hactenus Dei filius, se a patre seruatum, ne diutius apud inferos, in morteque ac in sepulchro, unde corrumpi posset, detineretur, gloriatus est. Non hoc erit, ait, sed potius uiam, qua ad uitam, immortalem scilicet, nullique obnoxiam contaminationi, deuenire ualeam, demonstrabis. Hebraei habent uiam, numero singulari. Sic enim ex Hebraeo Felix: Notam mihi facies semitam uitae. Caeterum uiam uitae, esse obseruantiam mandatorum Dei, interpretantur quidam, optime quidem. nam si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Verum prope nihil ad psalmi intelligentiam facit. Non hoc uult uates impresentiarum: alia res est. Quod si ego de meipso, hoc est, de abiectissimo Christi membro uellem hunc uersum interpretari, sic sane dicerem, edoctus nimirum a numine illo, quo uel tenuiter afflante, cor hominis totum, in diuinis ignibus, e quibus uera est scientia, exaestuat ac eliquescit. Ego, o Domine, propter contractam ex parentum delicto

noxam, a primo quidem meo ortu debui tanquam irae filius ad aeternos inferorum cruciatus obrudi anima, corpore uero in puluerem, putremve glebam resolui perpetuo: tu tamen noluisti. Imo, quod tua me arctius astrinxit beneuolentia, semitam uitae, hoc est, quo medio, quoue adiutore, aeternam uitam, tum anima, tum corpore, assequi possem, demonstrasti. Quae quidem semita, quod medium, qui adiutor, unigenitus tuus est: qui propterea a sinu tuo secretissimo, ad hanc nostram periculosissimam pugnam, cum peccato & morte conflictaturus descendit, ut nobis, qua ui, quibusue telis nostri confodiendi essent hostes, praemonstraret. Alioqui quia non caecus? quis non debilis? Omnes enim uires nostrae diris hostium iaculis penetrabiles erant. Omnes errabamus dispalati, fusi, fugatique, nec spes euadendi ulla erat reliqua. Tu uiam, tu robur, tu uires, tu belli tandem palmam, nobis amantissimum tui filium donans, concessisti. Nunc itaque mortalibus omnibus, uitae semita una cum Christo Iesu ostensa est, qua nos (o debiles omnium gressus) longos post itineris labores eo peruenire possimus, unde plenissimo, atque adeo tutissimo satiari gaudio concedatur. Tunc dico, scio,

{16.11} Adimpletis me laetitia cum vultu tuo.

Hoc sane quidem, quoad eius in carne uiuitur, non praestolamur: sed quando uultus tui praesentia aderit, teque uti es, uidebimus, tum laetitiae huiusce cumulus apparebit. Felix sic: Satietas laetiarum cum uultu tuo. hoc est, ubi aspectus ille tuus est desiderabilis, amorisque plenissimus, in quem, nouo semper animi ardore, prospicere efflagitant coelestes spiritus, ubi sane laetiarum copia inuenitur: tunc enim eris omnium bonitas, omnium uita, omnium pax, omnium amor & gloria. Tunc uero nos, qui modo ex parte cognoscimus, rem totam perfectissime cernemus, intuebimur, cognoscemusque, ac copiosissime satiabimur, cum apparuerit gloria tua, quae nunc per speculum in aenigmate, magis promittitur, quam datur.

{16.11} Delectationes in dextera tua usque in finem.

Quid multa admodum memorem? In manu tua est, tuaque potentiae est id muneris, ut nos scilicet perenni gaudio in te oblectari facias. Quae tum felicitas, Deus bone, nostra erit? quae laetitia? quae animae exhilaratio, quando in nostrae huius

{pdf 108, p. 46}

caducae molis corporeae reuiuiscencia, ad Dei patris dexteram, una cum eius amantissimo filio statuemur? Quae oblectamenta alia? quae delectationes cum hac comparandae? Pudeat iam Christianum hominem in his sordidissimis mundi lenociniis ac delectationibus uolutari, quorum finis mors est & continuus conscientiae laniatus. Caeterum dextera Dei plerumque in scripturis uita est aeterna in qua quidem inenarrabiles sentiuntur delectationes, ad quarum comparisonem, hae carnis, moeror sunt & afflictio: cum interim sinistra eius, sit uita praesens, ob arduos labores atque aerumnas, quas experiuntur hi, qui die noctuque internis incumbunt purgationibus.

ORATIO DAVID. PSALMUM XVII

{17.1} Exaudi Domine iustitiam meam.

Filius Dei, sapientia patris, Christus Deus homo, hoc in psalmo est qui ex animo precatur, ne pater, alioqui mortalium exacerbatus in peccatis duritia, nostram sinat tam potentibus aduersariis succumbere imbecillitatem. Illud in primis considerandum, quod uir exacte iustus nunquam propriam solet ante diuinum conspectum iactare iustitiam, nisi cum in acerbiori aliqua positus aduersitate ac persecutione, nouit indubie se propter iustitiam illud quidem pati, quod alioqui e caeterorum si esset grege, haudquaquam pateretur: scitque hostium suorum causam iniustam, ac plane dignam, quae a supremo iudice Deo opt. max. reiiciatur. Clamat igitur: Exaudi Domine iustitiam meam. hoc est, causam meam, quam tu iustam esse nosti, defende. Esto enim quod nihil in nobis boni sit, quod abs te non proficiscatur: bonus tamen adeo es, atque amantissimus nostri, ut tua dona uelis quoque nostra esse. Quare tua ex hac benignitate audaciores facti, dicimus iustitiam abs te datam, nostram esse, Exaudi igitur, ac tua defende munera.

{17.1} Intende deprecationi mee [sic, meae]. Auribus percipe orationem meam.

Congeries haec est, Exaudi, intende, auribus percipe: qua animi admodum exaestuantis in periculis, ac ferme desperantis, affectus demonstratur: ne diutius in distinctionibus rerum incognitarum immoreris. Dicas igitur, ut hi solent, qui in aliquod coniecti periculum anxie clamant, rem suam exaggerant, uerbaque inculcant, quo ad commiserationem facile commiserantes moueant,

{17.1} Non in labiis dolosis.

Perinde enim id est, ac si dicat: Tu scis quod ex animo loquor, atque oro. Hypocritae quidem labiis dolosis orare solent: & hi quoque, quos quotidie, uel cum lachrymis, a Deo petere cernimus, ut sibi remittat debita, quemadmodum suis ipsi remittunt debitoribus: cum interim nihil tam uersant animo, quam quomodo exigere ualeant, non solum quidem aes debitum, quod capitale uocant, uerum etiam usuras, sanguinem, uitam. Ridiculum sane, aut potius flebile, uirum quempiam uidere in templo, cum gemitu ac singultu, pro offensionibus ab sese in Deum factis, ad aras orare: pro alienis autem uindicandis, quas aliquem in se moliri suspicatur, ne de iam perfectis loquar, suspirare, occasionem, tempusque ad se ulciscendum animo praemeditari. Putas ne huiusmodi preces pro se factas, mundas esse? Censendum ne est, a dolo, malo immunem huiusce hominis linguam sic orantis esse?

{17.2} De vultu tuo iudicium meum prodeat.

Orat hic patrem, ut iam tandem inter se, & hostes suos iudicium faciat, & ait: O Deus, de arcano sapientiae tuae thesauro iudicium profer. Pronuncia tu, ait paraphrastes, in causa mea: nam nostrae aetatis uiri, in iudicandis iustitiae causis nihil non plerunque agunt, ut eam funditus extirpent. A quo, obsecro, iustum expectandum erit iudicium, nisi abs te, qui non solum iustitiae amator es, ac defensor, sed ipsa iustitia appellaris, & uere diceris? De uultu tuo, idem est, quod a conspectu tuo, sedeque iudiciaria, et potestate.

{pdf 109, p. 46v}

{17.2} Oculi tui videant aequitates.

Hoc est, ope lata, auxilioque praestito, te meam causam aequam approbare, & considerare manifesta. Nam non me clam est, quod oculi tui in pauperem respiciunt, nec nisi res iustas approbas ac defendis. Praeterea illud maxime non praetereundum: quod licet cum in hoc psalmo, tum in aliis saepe horrenda quaedam persecutionum appareant monstra, quae uitam hanc nostram corpoream uexent & perterrefaciant: nulla tamen atrociora, si simul conferantur, quam illa quae a contrariis, secumue rixantibus in animo fiunt affectibus. Nullum profecto belli genus cum illo quod in se intus experitur homo & patitur, aequiparandum: atque eo saepius saeuire illud solet, ac late magis peruagar, quo quis animum a conflictu studiosius auocare nititur & laborat. Quae turbae, oro? quae commotiones cum illis conferendae, quum consilio uoluntas, uoluntati ratio, rationi uoluptas, susque deque alterum alteri repugnat, & contradicit? Hinc uero, cum haec legimus, non tantum corporeas improborum hominum insidias ac persecutiones, iras, enses, tela, atque id genus alia, attendamus oportet, quantum carnis nostrae faces, appetentias, pugnamue spiritus cum sensuum arrogantia & libidine. Illa enim non semper nos tangunt, ab iis autem continuo exagitamur, ac cum eorum ferocia nobis dum hic uiuitur, perpetuum est negotium.

{17.3} Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.

Paulo secus Hebraei: Explorabis cor meum: inuis nocte: igne me examinabis, non inuenies: cogitatio mea non praeteribit cor meum. ut sit sensus: Ego enim oraui ut meam defenderes causam, atque innocentiam mihi abs te datam: quae quidem ut omnibus innotescere queat, explora cor meum, inuis nocte, hoc est, eo sane tempore secreta animi examina, quo maxime dediti cogitationibus esse solent homines: tum dico, quando ex ipso rerum silentio & solitudine, malis ab hostium dolis impetimur, dieique praeteriti phantasmata in nobis congeruntur. Hoc fere idem de se quondam professus est Iob. Probauit, inquit, me Dominus, quasi aurum quod per ignem transit. At tu si aues, quo modo, uel quo instrumento a Domino proberis, intelligere: abs te, ne longius exempla quaeras, perdiscere poteris, si aliquando sub tentationum malleo tenacissima carnis forcipe uersatus es. Quae uis ignis cum illa comparanda, qua tu accensus, nedum mundum quidem, sed & coelum ipsum territas, minisque oneras? linguae arrogantia & supera & infera simul conuoluis? ac solo flatu tanquam aspis somniculosa tum Deum, tum homines iri perditum autumas? Caue item putes esse usquam, nec inter Chalybum montes quidem, caminum ardentiolem, quam est cor libidine exaestuans, aut foedis conspurcatum amoribus. Huius enim generis arietibus nos sinit Deus concuti: hoc igne, hoc incendio, hoc flammaram cumulo cor nostrum experitur, probat examinatque coelestis aurifex, quo tandem cuius temperaturae simus appareat. Ad haec quanta ferocia mundus interdum in non suos desaeuit? quanta daemones? quanta homines? Sed is felix, qui de se illud iactare potest: Non est inuenta in me iniquitas: seu non inuenies, ut alia habet litera: hoc est, non inuenies in me, ne tantillum quidem infirmae fidei. Perstabo enim immotus, nec tentatori cedam. Vide candidum animum, de se nihil, de Deo autem omnia praesumentem. Verum quis ex nobis iam est, qui tantam prae se

ferre queat animi constantiam, ut haec dicere audeat, postquam maxime adeo intepuit fides (ea habita, natura quoque ipsa rerum a nobis immutari potest) ut nihil plane illius habeamus praeter nomen? Caeterum ab Hebraeis principium sequentis uersus huic additur. Sic enim reddunt: Cogitauit, ut iterum te deprecarer, ut tentares me, seu probares, non pertransibit os meum: id est, non dicam amplius uerba huiusmodi. Alii uero secus: Cogitauit, hoc est, sic apud me statui, non pertransibit os meum: usque eo scilicet non cedam aduersariis, ne uerbo quidem: uel, ne uerbo quidem aut lingua praeuaricatus sum. Alii etiam sic: animus a uerbis haudquaquam uariat: sed quod corde cogito, illud idem & ore profero. Cui sane interpretationi fauet paraphrastes. ait enim: Examinasti totum me,

{pdf 110, p. 47}

nec inuenisti id quod animo cogitauit, discrepare ab ore meo.

{17.4} Ut non loquatur os meum opera hominum, propter uerba labiorum tuorum ego custodiui uias duras.

Diuus Hieronymus legit: In opere hominum propter uerbum labiorum tuorum ego obseruauit uias latronis. Felix uero: In operibus hominis in uerbo labii tui ego custodiui semitas dissipatoris. Et est sensus: Quando hominem intueor aliquem operari, ego quid sibi uelit, quo animo, quo ingenio operatur, obseruare soleo, metuens ne incautus seducar: atque id ago tuis sanctissimis uerbis admonitus, quibus nos hortaris, ut a uis dissipatoris, seu corruptoris, seu, ut legit Hieronymus, latronis, perquam diligentissime caueamus. Dissipator porro est corruptor ac latro, qui simplicissimos quosque tectorio quodam mentitae sanctitatis, ad peccatum allicit. Quid non subuertit fucatus sanctus? Non uacat modo exempla recensere, quot uirgines stupratae, quot matronae prostitutae, quot uiduae deceptae, ob simulatam quorundam religionem. odiosa sunt haec. Possem & mecum quidem, quod saepe facio, stultam quorundam facilitatem, uel potius leuitatem dolere, qui ne momentum quidem horulae in sententia perseuerant: & quod magis dolendum est, in his quae fidei sunt, eo inconstantiores apparent, quo a pluribus peruersae iustitiae assertoribus edocentur. Danda igitur opera est, ut caute propter uerba labiorum Domini, atque eius sanctam legem, obseruemus dissipatores istos gregis Dominici. Vigilate, inquit Dominus, ac iterum dico uobis, uigilate. Verum si cui arridet magis uulgatae aeditionis litera, quo uersus integer sit, ut in ecclesia legitur, sensus erit: Probasti me o Domine, igneque tentationum & persecutionum examinasti: at ego quidem facta hominum non sum locutus, non blasphemauit, non questus sum, non murmurauit, non detraxi. Propter enim uerba tua, sanctasque iussiones, ego non solum malum non egi, sed uias arduas uirtutis aggressus sum, quae suapte natura nihil molle aut tenerum amat. Quod & fatentur quoque philosophi, qui asserunt artem ac uirtutem circa difficile uersari. Seu custodiui, hoc est diligentissime attendi, considerauique, ne duras perditionis uias ac difficiles rebus secundis deceptus, aut aduersis deterritus, sectarer. Ambulauimus, inquiunt improbi illi apud Solomonem, uias difficiles. Quare, ne custodia haec mea uana sit, o Domine.

{17.5} Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moueantur uestigia mea.

Supra enim uir sanctus suam secretissimo quodam coelitus afflatu attactus iactauit innocentiam. Verum ne suis uiribus aliquid arrogasse uideretur, commodum subiecit orationem, qua primum innocentiae tutelam, persecutionum deinde depulsionem exorare nititur. Ait itaque: Perfice, hoc est, sustenta, firma meos in uis illis gressus, quibus itur ad te. Iuua, inquam, meos conatus, mea uota, mea consilia, ut in ipsis tuae iustitiae semitis rectus perpetuo gradiar, atque a tuo instituto nunquam deflectam: ne labantur pedes mei, hoc est, ne a recta exorbitem ac peccem. Vide, quaeso, quam necessarium sit abs Deo nos in uiam iustitiae conduci. Nam si a nobis uel tantillum quidem aberit, recidunt omnia quae ad salutem adipiscendam faciunt. Caeterum quae uis tam ualida erit, quae illos quos Dei spiritus in bono proposito stabiliuit, ab animi rectitudine amouere queat? Tantum uero abesse debet, ut ob ignauiam cursus noster retardetur, ut etiam in dies magis incalescat, ardeatque ad assequendum illud quod toto affectamus studio. Illud interim animo recondendum, quod de se Paulus praedicat: Ego, inquit, non arbitror me apprehendisse, sed quae priora sunt oblitus, ad anteriora me extendo. [Paraphrase of Paul, Philippians 3.13: Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quae quidem retro sunt obliuiscens, ad ea uero quae sunt priora, extendens meipsum]

{17.6} Ego clamaui, quoniam exaudisti me.

Cogita quam tenera familiaritate loquatur hic sponsa ad sponsum. Quoniam, inquit, in aliis meis precibus exaudisti me, clamaui. quasi diceret, exaudi me etiam nunc, ut iterum clamem: hactenus enim non fefellisti, falles modo? Non puto. Igitur

{17.6} Inclinas aurem tuam mihi, & exaudi uerba mea.

Etiam si minus digne clamauero, aut nimium summissem. Est similitudo ab optimatibus, proceraque staturae uiris mutuata, qui sese inclinare, auresque quodammo- [quodammodo]

{pdf 111, p. 47v}

-do ad os uoce exili ac timida loquentis, admouere solent. Sic benigni principes, sic /eorum imitatores magistratus, sic parentes agere soliti sunt erga liberos, meticulososque ciues, aut in plebe pauidos: alioqui perterrefactos subditos & oppressos auersari, ac tumido prospectu ab sese propellere, ferinae mentis indicium est, non Christiani affectus & charitatis. Felix secus hunc uersum reddit: Ego, inquit, uocaui, quoniam respondebis mihi: ut sit haec perfectissima spei forma, quam in supplicante esse oporteat. & est sensus: Clamo, inuoco, quia te meis clamoribus responsurum certo scio: alioqui superuacaneum eum esse laborem quis non uidet in orante, cum absque spe orat? Non oratio illa uere dici potest, aut debet, sed derisio ac stupiditas animi parum considerantis, quid sit cum Deo loqui, aut ab eo aliquid petere. Porro uerba illa quae hic cupit a Deo exaudiri, cordis sunt desideria, in Dei amore ac fide flagrantia.

{17.7} Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te?

Tunc enim mirabilis omnibus ea uidetur liberatio, cum quis a periculo aliquo, in quo omnia desperata apparent, eximitur. Orat igitur hic anima, cui mundi insidiae, carnisque lapsus sunt noti: nec minus interim quam longum in peccandi consuetudine obduxerit callum, & duriciem ob oculos, ueluti spectra quaedam terrifica ac uisa, continuo illi obiciuntur. O Domine, exhibe te mihi mirabilem, ubi maxime omnia adeo desperata uidentur, ut iamiam periclitari necesse sit, quo noscant omnes tuam esse manum, quae liberat, non hominem, non artem, non fortunam. Poteris ne me, quamuis in immenso peccatorum morbo & languore positum, ac uix spirantem, tuam tamen opem implorantem, auxilio frustrari, qui quae tua est benignissima natura, seruare soles ui te sperantes? Quod si alicui propter illius scelera, ac obstinatam in perpetrandis delictis uoluntatem, tua auferenda est misericordia, ab illis potius qui tuae potentiae ac uirtuti reluctantes, sese plus quam uis humana postulat, erigunt, aufer: hoc est,

{17.8} A resistentibus dexteræ tuæ.

Dexteram Dei, in hoc loco, eius uirtutem ac potentiam esse dicimus, Dexteram Domini, ait uates in alio psalmo, fecit uirtutem. Non desunt enim inter mortales qui ex rerum secundarum opulentia in tantum efferuntur, ut nihil magis suis in actionibus quaerere uideantur, quam ut Deum, uirtutis omnis scilicet erogatorem, contemnant, & quantum in se est, e coelo deturbent. Quo sane sacrilego faenore, an aliud, uel impurissimis auribus possit esse magis detestandum, norunt hi, qui in acie dii, ut sibi uidebantur, immortales, in medio ipso belli strepitu, ac cum ardentius in Deum excandescerent, inopinato tormenti uulnere icti, miserabiliter inter cruenta tum hominum, tum equorum cadauera efflarunt animam. Hos Domine, atque horum similes, postquam sic expetunt, contere: me uero tuum,

{17.8} Custodi ut pupillam oculi.

Exactam custodiam, non uulgarem precatur hic uates. Et est perinde ac si diceret: Illis arrogantibus abs te suo merito disiectis ac contritis: me diligentia illa qua oculi pupilla custodiri solet, custodi. Cernimus enim in ipsis membris humani corporis, nullum aequè diligenter ab externis offensionibus reparari solitum, quemadmodum tenella illa oculi pars, quam luminis scintillam appellat Lactantius, nos pupillam. Ita hac diligentissimae curae similitudine petit se uates exacte seruari: neque tamen sola huiusmodi contentus, aliam adiicit,

{17.8-9} Sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum, qui me afflixerunt.

Metaphora rursus haec alarum, immensam Dei erga nos bonitatem demonstrat. Exprimi sane quidem non potest, quam sollicita sit ea cura quam suis impendunt pullis aues: quam anxia illa quam homo propriis oculis: sed infinito maior ea, qua Deus tutatur in se cedentes. Huic enim sententiae quadrat & illud alterius psalmi, quo ornatissime a propheta mortalium dignitas enarratur. Scapulis suis, ait, obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Quis ex his maxime, qui praesunt aliis cum miserorum neglectu & contumelia, non saltem

{pdf 112, p. 48}

a terrae animantibus uinci erubescat, simulatque uidet quomodo gallina sui prorsus oblita, pullos suos foueat, alat, pro ipsisque (quod & uoce & pluma demonstrat) infirmetur, pugnetue, ac uitam ipsam ut liberos tutetur ac seruet, contemnat? Tales sunt nimirum affectus in mente Dei erga mortales: quos quia cernere tanta in maiestate minime poteramus, suum misit unigenitum, in quo cerneremus. Hae sunt, inquam, curae, haec studia, hi mores quibus ornati esse debent urbium magistratus, atque ipsi principes, & hi quoque qui moderandarum animarum sceptrum facile assumunt, & plerunque etiam (malum) & quaerunt, & absque pudore, tum aere tum hypocrisi ac assentatione uenantur atque emunt. Praeterea a facie impiorum idem ualet quod a praesentia impiorum, ne me uideant. Apte profecto: nam non solum a nefandorum hominum lingua ac manibus defendi nos oportet, uerumetiam a turpissima illorum conuersatione & uita. Hoc quoque modo Loth iustum, ut scribit Petrus, oppressum a nefandorum hominum iniuria, & luxuriosa conuersatione eripuit Deus, Nam erat habitans, inquit, apud eos, qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant. Quod autem iustissimi uiri tam anxie petant ab improborum hominum necessitudine & conuersatione eximi, id in causa esse uidetur, quod non nisi exulcerato animo uidere queant istiusmodi morum portenta, quibus & coelum & terra, & ipsa quoque infernae regionis abyssus inficiuntur. Quanta putas amaritudine affici uirum probum, cum uidet passim regnare fastum, superbiam, ambitionem, spreto pudore, modestia, pietate? Quare mirum haudquaquam esse debet, si rogat a malorum praesentia hominum, & conuersatione subtrahi.

{17.9} Inimici mei animam meam circundederunt.

An quidem uerum sit, quod ab omni parte hostium cuneis circunualati simus, hi norunt, qui in pugna spiritus die noctuque uersantur. Alioqui cor stupidum, ac ad minimum hostilis impetus ictum perterrefactum ac uictum, ne per somnium quidem tanti mysterii capax est. Felix sic: Inimici mei in animam circundederunt me. hoc est, propterea circum me adstant, ut animam meam, portionem scilicet mei immortalem interimant, secumque trahant. Atque hic uides iam uim hostium describi, postquam mores descripsit. Ad mores enim attinet, quod supra impios illos appellauit: hoc est, sine Deo.

{17.10} Adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam.

Adipe & pinguedine in scripturis animus enim est superfluas ambages amputare rerum abundantiam significari, uel mediocriter in sacris literis eruditus scire potest. Pinguis factus est Israel, ait Dominus in Deut. Et est sensus: Adipem suum concluserunt: hoc est, opes facultatesque copiosas suis commodis reposuerunt, unde tam insolenter ferociunt, ac contra Deum in primis ac contra homines blasphemias fastu plenissimas congerunt. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, ait uates in alio psalmo: transierunt in affectum cordis. Caeterum ex opulentia, felicitique rerum successu oriri solet fastus ac superbia: qua quidem peste cum quis est affectus, nihil in terris excellentius ducit, quam ut adipem suum, hoc est, cor & uiscera, ut ait Eutymius, stringat ad misericordiam, claudatque animum, ne quem ex bonis maxime in amicitiam admittat: & qui, ut reddit

paraphrastes, tam est pastus bene, & obesus, ut aruina obstructum uideat os eius: quare & contemptim & cum fastu de aliis loquitur. Ex quo illud potissimum obuenire necesse est, quod alio in loco scripsit uates: Posuerunt in coelum os suum, & lingua eorum transiuit in terra. hoc est, in Deum & homines, quaecunq; illorum suggestit arrogantia, locuti sunt. Quare additum est: Os eorum locutum est superbiam. Cum enim id uitii genus adeo fastuosis diuitibus, atque arrogantibus plebis superioribus, familiare sit, ut nullo alio se a diuino fauore tam manifeste alienos esse demonstrent, ac gratia: illud tamen futili quadam honorum, quibus ornati sunt, autoritate ac licentia obtegere nituntur, dum omni in loco & tempore quaelibet effutire, sibi de aliorum moribus ac uita licere arbitrantur. Unde illud oriri cernimus, quod a subiectis sibi populis, nihil sperare

{pdf 113, p. 48v}

audeant, praeter timorem, iram, indignationem, neglectum, inquietudinem, odium, obtrectionem. Quis hoc modo regnare exoptat?

{17.11} Proiicientes me nunc circunderunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.

Quasi, ait, proiectamentum quoddam me existimantes, atque eum quidem, qui indignus essem ipsa uita, contempserunt ac undequaque circunderunt, peruestigantes oculis, quo terrae loco, sua in meam perniciem expanderent retia. Heb. sic: Gressus meos circunderunt. hoc est, quocunq; ambulare contingebat, hi uias omnes euadendi praecludebant. Oculos suos statuerunt declinare, seu ponent ad declinandum in terram: hoc est, perpetuo in nos oculos fixos habent, si qua ueniat occasio nos adeo deiiciendi, ut labamur in terram. Eiusmodi enim illi sunt, qui, uel post reconciliatam amicitiam, resarcitamque pacem utcunq;, & uerba, & actiones, & ipsos quoque minimos reconciliati amici gestus, ea obseruant uigilantia & perspicacitate, qua quondam augures soliti erant oscines obseruare. Sed illi deteriores, quam isti. Hi enim religione quadam, licet superstitiosa & falsa, ne quid inauspicatum agerent, auguriis utebantur: illi uero odiis ac simultatibus infecti, nullum non mouent lapidem, quo foedus illud mentitum amicitiae perrumpant. Alii piis mentibus consulentes, hunc uersum interpretantur hoc modo. Oculos suos, aiunt, statuerunt declinare in terram, ne, proditorum more, aut quemadmodum senes illi dierum malorum inueterati, de quibus in Susannae historia horrendum contexitur iudicium, in coelum aspicerent. Hisce enim uerbis, inquit, improborum affectus describuntur, quibus tanquam ab oestro molestissimo concitati, in proximum continuo machinantur malum: quippe qui obliti, quid decus appetat, et honestum, ad suas tantummodo cupiditates intenti sunt, miseri et caeci. & sic secum: Utcunq; ista placeant, uel displiceant, sic uolumus.

{17.12} Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam: & sicut catulus leonis habitans in abditis.

Nunquam, fateor, uidi elegantio rem metaphoram, & quae clarius, ueluti politissimum speculum, eorum reddat imaginem, qui, seu clam, seu palam, nescio quid crudele in animo moliuntur, reque perficiunt, cum est occasio. Leo enim palam, utpote qui propriis fidit uiribus, irascitur, rugitque, ac praedam petit. Catulus uero clam in insidiis & dolo,

cum palam non audeat, ob uirium imbecillitatem. Quod quidem felicissime, ut caetera, sic reddit paraphrastes: Quisquis illorum, ait, similis est leoni, qui maximo studio inhiat praedae: & catulo leonis, qui insidiatur ex locis occultis praetereunti ouiculae. Tu interim, qui haec legis, omnia ad animum transfer, atque ad allegorias, troposue, metaphoras ac secretissimos prophetarum sensus, assuesce. Quam mallet profecto, Dei religioni studentes, ouiculas intelligere uulgo nuncupari, & has truculentissime discerptas: quam leones, leonique catulos, in insidiis sedentes, & sese mutuis morsibus, non contentos innocuis carnibus, dilaniantes. Quantum, proh Dei fidem, semper obfuit Dei ecclesiae, ac sanctorum coetibus, superiorum discordia, & simultas? Qui possunt tenella uirgulta in arboris duritiem crescere, trunco ipso ab sese diuulso, ac longe a radice proiecto? Via ne surculos tuos, o arbor, o radix, semper uegetos esse, & uirides, tute prius esto unum: hoc est, non tantum tute tecum concors esto, atque unanimis, sed & ipsos minimos malleolos ac surculos, tanta charitate tibi connecte, quanta sibi uoluit connecti eius sponsam Christus Iesus. alioqui discordantibus a capite membris, mirum si ignores aliud nihil in toto corpore uideri posse, quam languorem, morbum, dissolutionem & mortem tandem. Iam illud non omittendum, quod Felicis litera apertior est, quam si legas: Susceperunt me sicut leo. Ille enim: Similitudo eius sicut leo.

{17.13} Exurge Domine praeueni eum, & supplanta eum.

Tu Domine, inquit, qui dum ferre suppetias differs, dormire uideris, exurge, praeueni, anteuerte, praeoccupa, praecide eius conatus, ne quod machinatur malum perficiat. Supplanta, inquam, illum eo modo, quo hi solent, qui currenti tibiam at pedem subiiciunt, ut cadat, ne ad metam deueniat. Vides quomodo ex omni

{pdf 114, p. 49}

parte ardentissimis scateat affectibus is uates? Vides quomodo de Deo loquens, a consueto hominum more, quo nostrae consulat hebetudini, non discedat?

{17.13} Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuae.

Hic indubie legendum esse, framea tua, septimo casu, tam Hebraei quam Graeci affirmant. Sic Felix: Eripe animam meam ab impio framea tua. Alia uero litera & secus, & clarius: Eripe animam meam ab improbo, qui tibi uice gladii est. Idem paraphrastes: animam meam, inquit, libera ab impio, qui gladius est tuus. Erit igitur sensus: Eripe animam meam ab impio, qui est framea tua, seu gladius, quo tuum perficis iudicium. Legimus enim in Esaia: Vae Assur, uirga furoris mei & baculus ipse est: in manu eius indignatio mea. Proinde sequitur: Ab inimicis manus tuae. hoc est, eripe me ab inimicis, qui tibi uice manus sunt, qua nos caedis, atque infers plagas. Quod de daemone etiam dici uideo, tum alias in scripturis, tum in Iob maxime libris. Manus, inquit, Domini tetigit me, cum daemon tetigisset, cuius ira Deus usus est uice manus. Quare piorum est animorum, si quando a tyrannis atque peruersis magistratibus affliguntur, aequo animo ferre, postquam in scripturis passim legunt, improbis superioribus, gladii loco, sapientissimum uti Deum. Alioqui, qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit, ut ait

Paulus. Non admodum enim iam interest, a quo hominum genere regatur mundus, simul ac altior factus est mundo uir probus.

{17.14} Domine a paucis de terra diuide eos in uita eorum: de absconditis tuis adimpletus est uenter eorum.

Hoc est, improbos eos, ab electis tuis, qui pauci sunt, secerne: eos, dico, qui de terra sunt, terram sapiunt, & amant, non coelestia. In hac enim terrenarum rerum colluue & inconstantia, felicitatem suam collocauerunt, atque adeo bona sua omnia. Unde illud scomma in diuitem epulonem, ex Euangelio: Tu, inquit, recepisti bona in uita tua. Ex istis sane erat diues ille, quos nunc uates in hoc psalmo memorat. Varie admodum Hebraeis is est uersus, ac sequens. Felix sic: A uiris ex tempore, quorum pars in uita: & abditum tuum, ut impleas uentrem eorum. Quorum uerborum is sensus esto: Eripe animam meam etiam a uiris ex tempore: hoc est, qui ad hoc tantum pertinent tempus, non ad futurae uitae perennitatem, quorum pars in uita: hoc est, qui actionum suarum, bonorumque gestorum partem, mercedem scilicet in hoc mundo recipiunt, quemadmodum de epulone illo iam diximus. Et abditum tuum, ut impleas uentrem eorum: hoc est, secretum, atque alte absconditum est humanis ingeniis consilium tuum, quod in tanta bonorum copia uiuant. Quis hoc tuum iudicium perscrutari par est, quo Lazarus ille iustus malis affectus sit: heluo uero, & qui nihil a sordido suae uitae consuetudine atque instituto differret, bonis omnibus afflueret? O profunditatem incomprehensibilem. Non solum, inquit, improbi & scelerosi, in huius seculi bonis quietissime natant: sed & illis liberos donas, quibus post se, opulentissimas suas opes, tanta crudelitate partas, relinquunt. Ideo subiicit uates,

{17.14} Saturati sunt filiis: & diuiserunt reliquias suas paruulis suis.

Vel, ut alia habet litera, pueris suis. Idest, tam pollucibiliter atque abundanter huius mundi rebus affluunt, ut etiam nepotibus suis ac seruis aliquid impartiant post mortem. Plus quam par est, diuites sunt. Caeterum si non placet interpretatio, quam posui de absconditis, dicas abscondita diuitias esse, de quibus in superioribus questus est, quod adipem suum concluderunt: seu quia potissimum hae in auro & argento, peregrinisque lapillis, qui in terra latent, consistant, uel quia ab auaris diuitibus absconduntur. Idcirco alius sic reddit: Thesaurus tuus replebit uentrem eorum. Et uere uentrem: nam ad animam diuitiae hae caducae minime spectant, nisi forte in eius damnum. Expauescendae igitur sunt, non amandae, postquam ab ipsius ueritatis ore proditum est, diuites difficile peruenturos in regnum coelorum Nonne amentiae genus illud est, rem eam expetere, conatuue omni, & labore quaerere, quae tua diu esse non potest: coelestia uero, quae aeterna sunt, ac propria animae bona, non solum non quaerere, sed auersari, amam obuia quoque, tanquam colu-
[colubrum]

{pdf 115, p. 49v}

-brum letalem, fugere? Nulla enim res, re ulla alia inferiori, aut aequali, expleri potest. Et cum nihil homine maius sit, quam ipse Deus, ipso solo impleri potest, ac satiari. An autem satient animum diuitiae, imperia, & quibus maxime sollicitantur mortales, belluae

illae infinitae libidinum, testari hi possunt, quibus bellorum tororumue alienorum, nullus est finis. Illi ut lubet,

{17.15} Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua.

Iam suam felicitatem illorum felicitati opponit uates. & est emphatica antithesis. Illi enim, inquit, bonis caducis abundant, postquam sic uolunt: nihil moror. Ego iustitia diues, tua felici aeternaque uisione ac pace non fluctuagis mundi huius rebus satiabor, expleborque ad summum. Illi, inquam, ita ut expetunt, copiosissime habeant. Quid mea interest? Ego non eis tam manifestam damnationem inuideo, sed iustitiae potius, uirtutum scilicet perfectioni, ut coepi, incumbam. Etsi enim in harum studio plurima me mala experiri oporteat, non frangar tamen, non deiiciar animo. Erit profecto, erit, et tuam faciem aliquando uideam o Christe, atque ex tuo illo amabili aspectu, quo solo beatæ animæ expleat, ueram obtineam beatitudinem. Tunc sane, plene, uere copioseque satiabor, quando tua manifestabitur gloria: cum interim indubitatum damnationis futuræ indicium sit, res eas in terris expetere, ac tam anxie, ut uideo, & amare & quaerere, quarum uoluptas aut commodum cum morte desinit. Diuus Hieronymus ex Hebraeo, loco, Cum apparuerit gloria tua, legit, Cum surrexerit similitudo tua: quod idem est quod species aut gloria: nisi malis similitudinem, hic dici hominem qui ad Dei similitudinem est factus. Et erit sensus: Tum saturabor gaudiis, cum e tumulto euigilans, ad immortalem uitam surrexero. Similitudo enim Dei in nobis adeo per Adæ peccatum perlanguit, ut mirum uideri possit, quomodo non prorsus sit abolita, nostris maxime accedentibus erratis ac lapsibus. Verum per iustitiam fidei hic in terris, operante Christo, reformari potest: ac dum de fide in fidem ambulamus, aulescere. Tum uero cum Christo, in quem per amorem transformamur, nouissima in resurrectione perficietur, quando ad eius similitudinem rediuiui e sepulchris excitabimur. Nam quos Deus ad uitam praesciuit aeternam, ut diuus inquit Paulus, praedestinauit conformes fieri imaginis filii sui.

PSALMVS XVIII.

IN FINEM PUERO DAVID, SEU DOMINI DAVID, quae locutus est Domino uerba cantici huius in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & dixit.

{18.2} Diligam te Domine fortitudo mea.

Dei filius Christus Dominus, hoc in psalmo, Deo patri gratias agit quod se immunem ab improborum manibus reddidit. Sed haec omnia propter nos, ut scilicet in angustiis, siue quas mundus, atque ipsius amatores, siue quas daemon, in anima ac carne excitare solet, quo tuto euadendum sit, perdiscamus. O nos beatos, si continuo Christi actiones ante oculos haberemus. Caderent, mihi credite, prorsus squammae illae, a caecitate nostra, quas olim Paulus per triduum passus est: & quibus nobiliorem partem oculorum obtegentibus, in iustitiae semitis plane lusciosi atque hallucinantes gradimur. Porro nihil hic agere illos arbitror, qui admodum in tituli interpretationi distorquentur, ignorantes quod Dauid in suis illis persecutionibus, quibus tum a proprio filio, tum ab

externis nationibus affectus est, ac tandem diuino suffragante auxilio liberatus Christum ualde angustiandum, liberandum etiam, in spiritu uiderit. Proinde caput ipsum nostrum audiamus, ac cum ipso (modo simus digna tanto capite membra) decantemus hanc amoris odam. Sed illud in primis considerandum, neminem huiusmodi appellationibus, fortitudinis scilicet, firmamenti, refugii, libera-
[liberationis]

{pdf 116, p. 50}

-tionis, Deum inuocare posse, praeter illum, qui totus, nihil sibi reseruans, ab ipso solo pendet, ac de eius auxilio certus est. Ad haec, cum amor sit primum & maximum donum, atque in ipso omnia a perfectissimo Deo & opt. max. dona dentur gratuita: nullum aliud maius donum, uel Deo, uel homini rependere possumus, quam amoris. Unde illud est sponsi ad animam: Dilige, pro tantis sat mihi solus amor. Christus enim, ut Deus, simplici quodam, infinitoque, ac inenarrabili amore diligit patrem: sed ut homo, eum maiore dilectione solus, quam omnes simul electi, & colit, & amat. Quocirca audacter & uere dicere potest, Diligam te Domine fortitudo mea. Equidem cum ne guttam quidem minimam eius flagrantis amoris adhuc persenserim, quoniam tamen illum ipsum hoc modo clamare uideo, qui me etiam reluctantem ac sordidum, ad sublimiora secum trahit, ac perinde me unum esse cum patre, uti ipse est, & cupit, & uult, summa cum fiducia, una cum ipso, dicam: Merito te amo, o pater, cum sis fortitudo mea, sine qua ipsi etiam coelestes spiritus infirmi sunt, ac debiles. Cum tu Domine multis immensisque me affeceris beneficiis, & in reddenda gratia me imparem cognoscam, agam quod possum, quamuis neque hoc sine te queam, te reamabo.

{18.3} Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus.

Hebraei: O rupes mea, propugnaculum meum, ereptor mi. Vide metaphoram. Solent enim hi, qui se in praeruptas rupes, pendentiae saxa, ac loca inaccessa recipiunt, se tutos putare. Quis eo nisi aliger quispiam ascendere est potis? Tales profecto olim Israelitarum turmae fuere ab Madianitarum exercitu fugatae, de quibus in sexto Iudicum capite sic legimus: Fecerunt sibi antra & speluncas in montibus, & munitissima ad repugnandum loca. Alio quoque in psalmo, Deus a propheta, petra refugium herinaceis appellatur. His igitur appellationibus, tutissimam esse Dei protectionem, innuere uult uates. Unde sic reddit paraphrastes: Dominus instar rupis & turris, semper fuit mihi, seruator meus, dux meus & fortitudo mea. Stolidus nimium sum, si hic non considero, quod hactenus ignorauit, omnia scilicet bona mea, omnes uires, omnia arma, in Deo sita esse: neque ulla ab alia re mortalium errores tam crebros enasci, nisi eum sibi, quod Dei solius est, tribuunt.

{18.3} Deus meus, adiutor meus: & sperabo in eum.

Felix: Lapis meus, confidam in ipso: & sic in metaphora persistendum est earum rerum, quae omnifariam prae se ferunt securitatem. Porro nunquam de Deo nostro simile quoddam insultationi illi, qua in Aegyptios olim usus est Moses, auditum est dici. Ubi sunt, inquit, dii eorum, in quibus habebant fiduciam?

{18.3} Protector meus, & cornu salutis meae, & susceptor meus.

Hebraei: Clypeus meus, uirtus, qua seruor: perfugium meum. Clypeus enim noster est Deus, qui tela illa ignea, pro nobis, quae intorquet hostis, atque in nos iaculatur, suscipit. Cornu est, quia potens & robustus. Siquidem in scripturis per cornu, quo animantia potissimum & pugnant & intumescunt, potentia, uirtus, robur, gloria interdum, ac regnum significatur. Unde impiis dicitur: Nolite extollere in altum cornu uestrum. De Christo autem: Et erexit cornu salutis nobis. Et illud: Exaltauit cornu populi sui. Vide uero quam tenera, ut sic dicam, usus est dictione, susceptor: more scilicet anxiae nutricis, quae perterritum puerum, aut leui, nescio quo strepitu fugatum, inter amica brachia suscipit, stringitque ad pectus.

{18.4} Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.

Post inuocationem memorare iam incipit, quibus e malis Dei beneficio ereptus sit. Praesentaneum enim remedium est, in angustiis acerbioribus, ac tentationum mole, ut de iam praestitis beneficiis & liberationibus gratias agens, Deum, ut iterum opem ferat, implores: quod quidem in scripturis fit passim obuium. Adde quod eum inuocare non potes, de quo salutem non speres. Quare in Euangelio Lucae legimus, Dominum Iesum eleuatis oculis in coelum dixisse: Pater gratias ago tibi, quando me audisti. Ego sciebam, quia semper me audis. Et cum haec

{pdf 117, p. 50v}

dixisset, uoce magna, hoc est, fiduciae plena, clamauit. Verum cupis ne scire quid utilitatis afferat eiusmodi erga Deum, uel affectus, uel gratitudo? Ab inimicis meis, inquit, saluus ero. Hic certe uides quam breui compendio eo peruenit, quo nostri labores omnes desudant: ad eam scilicet animi securitatem, ut nullum quamuis crudelem pertimescamus inimicum. A spe enim, ac laude, gratiarumque actione, tantum sibi comparatum bonum asserit: non a superstitiosis sygraphis, & tabellis collo alligatis, quibus nostri temporis milites utuntur, aut in rebuspublicis factiosi. Vis ne miles, inter densissima hostium tela, uel inermis, inoffense uiuere? Deum, quem praeteritae vitae impuritate, furtis ac rapinis offendisti, vitae innocentia & puritate tibi concilia, eumque time.

{18.5} Circudederunt me dolores mortis: et torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Quis tam ferreus est, qui hoc non fleat? Qui culparum suarum pondus non excretur, pro quibus eluendis tam uilis factus est Christus, ut perterrefactus clamet, expostuletque, sese a doloribus mortis circumuentum? At tu, si tam durus es, atque mixta te positus, ut haec non uideas, immensum saltem liberationis munus recognosce ex periculi magnitudine, in quo se esse queritur Deus tuus. Caeterum dictio, Dolores, in Hebraeo quiddam uehementius sonat, quam latinus reddit interpres subitum scilicet, uiolenterque irrumpentem, ac omnem corporis texturam dissoluentem dolorem, ut ille est, quo miris cruciatibus ac torminibus distorquentur parturientes. Ita igitur non dissimulanter, aut in superficie, Dei sui languores contemplabitur ardens anima. Coepit

Jesus, ait scriba ille diuinus, pauere, & taedere, & contristari. Mirum si neges uehementes in pauore illo, qui mortem intentaret, in taedio, in tristitia, fuisse dolores. Et torrentes, inquit, iniquitatis.) [sic] Felix: Congregationes Belial perterruerunt me. Quod clarius expressit alia litera: Torrentes quidam perditorum hominum me exanimarant. Sunt profecto peruersorum hominum impetus, quasi torrentes: qui nulla lege, nullo ordine, nullo habito respectu, uel honesti, uel decoris, ferarum more, in omnibus suis consiliis & actionibus sese habent, uti nimirum torrentes solent, qui subitis imbribus, uel niuibus e montium apice eliquentibus, repentino quodam impetu praecipitanter defluunt. Conturbauerunt me.) [sic] Perterruerunt me, ait Felix: seu exanimarant: aut, ut paraphrastes Torrentes diaboli terruerunt me. Aiunt enim corpoream naturam in Christo, a naturali sua dispositione immutatam, propter acerbiteriam doloris: non tamen rationem a rectitudine, ne pilum quidem, deflexisse.

{18.6} Dolores inferi circudederunt me: praeoccupauerunt me laquei mortis.

Volunt, enim quos modo dixit, dolores mortis, eosdem etiam dolores inferni appellari, quo ex tanta uerborum exaggerantia, ut moris est Dauidi, summam angustiarum uim & anxietatem in Christo futuram exprimeret. quod quidem placet. Addunt porro hunc inter Christi dolores atrociorum fuisse, quod suos scilicet tam diros cruciatus, ac saeuam mortem, perpaucis profuturam praeuidit Vnde illud e purissimi illius cordis radicibus emanauit, Sitio: quo se supremum in modum salutem humani generis sitiuisse significauit. Condoluit igitur Christus futurum mortalium exitium, ac nigras inferorum aedes infinitis animarum agminibus patere, suamque bonitatem pene ab hominum duritia deuictam conquestus est, Praeoccupauerunt me laquei motis.) [sic] Felix: Praeuenierunt me. Ut intelligas, anxios Iudaeorum animos, ad festinandam Christi necem extitisse. Queritur etiam apud Hieremiam filius Dei hoc modo: Foderunt foueam, ut caperent me: & laqueum absconderunt pedibus meis. Hinc, ueluti interpretationem ditorum, adiicit: Tu Domine scis omne consilium eorum aduersum me in mortem. Summa: Tam astutas in me fabricati sunt technas, uafrosque dolos, & insidias, ut euadendi spes esset nulla. Nihil non tentauerunt, ut me occiderent, eraderentque de terra uiuentium. At ego.

{18.7} In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamavi.

Narrat hic Christus, quo angustiatus fugerit. Non quidem ad magos, & ario-
[ariolos]

{pdf 118, p. 51}

-los, non ad mathematicos ac physiognomos, ut quosdam, uel in sublimiori professione aliqua constitutos, confugere audio, uidi quoque: sed ad Deum uerum, atque hunc solum omnipotentem, & constantissimum. Summa enim uirtus est, ac praecipuum fidei argumentum, cum aut ab inuisibili tentamur hoste, aut iniuriis a uisibili impetitur, non despondere animum, aut nimium perfracte dolere: sed illuc nostra dirigere consilia, unde certissima expectatur salus. Ita enim egit Christus cum semper, tum maxime, cum procidens in faciem suam prolixius orauit, factusque est sudor eius sicut guttae

sanguinis decurrentis in terram. Porro quid apertius ab apostolo dici potest, quam illud quod ad Hebraeos scribens enarrat? In diebus, inquit, carnis suae, preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere a morte, cum clamore ualido, & lachrymis offerens, exauditus est: O miram filii Dei erga homines dignationem: o nostram uero ignauiam: ipse enim innocentissimus, pro se, suaque salute, orat: nos autem sordidi, horas omnes, ac si nullum esset periculum, ad puluinar stertimus. Nonne aliquando saltem, si non continuo, a pollicitationibus per nos in baptismo, uoto illo scilicet publico, ac solenni, factis, excitamur? Pater, inquit ille, saluifica me ex hac hora. Mi pater, ait, transfer a me calicem istum. Nonne pro nobis etiam? Pater, inquit, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut nos. Poterit ne filius amantissimus a patre tam pio noto fraudari? Cum clamore, ait Paulus, ac lachrymis: quod pene idem est, quod antea ipse Dei filius in propheta questus est: Oculi mei, inquit, languerunt prae inopia: quasi lugens, & contristatus ingrediebar. Atque hoc saepe alias, sed tum fortius cum cruento ligno suffixus, humani generis ingratitude defleuit. Et cuius miserando spectaculo, sol obscuratus est, discissae rupes, ac condita omnia dederunt notam doloris.

{18.7} Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam.

Vide gratitudinem animi, qui in extremo quoque periculo constitutus, non potest non fateri beneficia. De monte sancto suo, inquit, deque aeterno maiestatis suae palatio, ac sede coelorum immortalis, exaudiuit me. In coelo enim habitare Deum, in tranquillitate infinita, hoc est, in seipso, & credimus & praedicamus. In caeteris enim locis ac rebus, cum per potentiam quandam inenarrabilem, incomprehensibilemque bonitatem, totus sit, quippe qui natura spiritus sit, propterea indiuisibilis: in coelo tamen, beatorum scilicet sede ac patria, speciali quadam praerogatiua per diuinum aspectum, quo suos omnes beat, sedem habet.

{18.7} Et clamor meus introiuit aures eius.

Hoc est, non solum clamor meus, miserorum scilicet omnium, in sanctissimum eius conspectum peruenit, sed usque ad ipsius aures sese insinuauit. Cupis ne scire an a patre filius sit auditus? Et clarificauit, inquit, & clarificabo. Verum quibus tandem signis pater suam solitus fuerit mortalibus manifestare potentiam, cum in antiqua lege populo illi durae ceruicis, tum uel maxime moriente amantissimo eius filio in cruce: tum, dico, quando terrificis portentis ac signis testatus est sese dolere, atque irasci, in nece tam mansuetissimi agni, edisserit uates, ac feruentissimo pectore clamat,

{18.8} Commota est, & contremuit terra.

Ardent omnia in hoc psalmo: quare flagrante in diuino amore, opus est intellectu, ad hunc peruestigandum. Alioqui mens algida, atque coelestis prophetarum furoris experts, quomodo in flamma huiusmodi perfectissimis uiris uix cognita, incalescet? Num haec legentes ignoramus adhuc, ad diram illam filii Dei mortem, condita omnia perturbata, concussa, ac terrifico spectaculo coelestis patris dilectissimi sui unigeniti spectantis necem, declaratam iram? Fuere quidem olim, mirabili mortalium stupore, terraemotus, tellusque non semel altissimo subsedit hiatu. Fuit aeris tempestas, atque aliae coeli

terraque & abyssi commotiones. Sub hora tamen, qua filius patri reddidit spiritum, fuere cuncta terribiora quam

{pdf 119, p. 51v}

unquam, ac horrenda magis. Ab Euangelio enim accepimus terram motam, petras scissas, monumenta aperta, inferos patuisse, obscuratum solem, lunamque, ut ait Petrus, sanguineam factam: signa insuper sursum in coelo & in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & uaporem fumi. Quae quidem omnia, moriente Christo, accidisse, non desunt, qui dicant, citantes illud Ioelis ab apostolo Petro in mediam adductum: licet alii ad iudicium uniuersale referant. Vtrunque enim, ut mea est opinio, spiritui conuenit: sed illud magis, quo quidam asserunt diem illum magnum, &, ut ipsius Vatis uerbis utar, manifestum gratiae tempus protendisse: quandoquidem is statim, connumeratis miraculis, quae diem istum felicissimum praeuenire debuerant, infert: Et erit (postquam scilicet signa illa praeterierint) quod omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quae sane inuocatio, quum fide & cultu consistat, in alio seculo locum non habebit, cum omnia ibi definita, sedem sibi in aeterno destinata, citius quam ipsi sit oculi nutus, perenni lege sortientur. Signa igitur quae hic a Vate narrantur, indicia irae patris ac doloris ob filii necem fuere. Qua ratione uero humani Deo dicantur esse affectus, cum natura stabilis semper sit, ac sui similis, iam antea diximus. Nostri enim intellectus hebetudo, vix aliter de divina illa natura, vel cogitare, vel ratiocinari, nisi more humano ac consuetis vulgo uerbis, idonea est. Atqui huius temporis sexcenta prius praeteriere argumenta praeludia testantia Dei indignationem in mortalium genus. Sed illud in primis (caetera enim omittam) quod in Exodi libro legimus: Iam, inquit, advenerat dies tertius, et mane inclaruerat, et ecce coeperunt audiri tonitrua, et micare fulgura, et nubes densissima operire montem, eratque omnis mons terribilis. Huiusmodi enim terrificae illius regionis commotiones, umbra erant futuri quemadmodum caetera Iudaeorum, quibus quotidie in spiritu erudiuntur electi hoc est, Dei ecclesia. Plagas illas huc Vates memorat, ac minas, quae in Iudaeorum gratiam coelitus olim Aegyptiis obuenerunt: quo admoneamur, nostrae huic aetati, quam auream appellare fas sit, postquam in ea uixit Christus, et nunc uiuit, portenta illa praelusisse.

{18.8} Fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.

Quoniam, inquit, iratus est eis. Cur iratus? ob necem scilicet tam indignam sui unigeniti, ob generis humani interuersionem, ob late diffusum per orbem tartareae potestatis imperium. O desiderabilem electis supremi patris excandescitiam, atque iram, improbis uero extimescendam. Caeterum moriente Christo, genus aliud terrae, etiam quam id est, quod pedibus calcamus, permotum esse credimus: homines scilicet, qui tum praesentes aderant crudeli illi spectaculo ac tragoediae Centurio, ait Euangelista (ecce terrae fundamentum) & qui cum eo erant (ecce terra) uidentes quae fiebant, & quia sic clamans exspirasset, timuerunt ualde: hinc uides & terram motam, & montium fundamenta concussa. Ita enim tropo scripturae, terra & montes, frequentissime usurpantur. Aliud ferme huic excedentia ab alio Euangelista enarratur. Omnis, inquit, multitudo eorum qui aderant ad spectaculum illud, uidentes quae fiebant, percutientes

pectora sua, reuertebantur. Porro Dei ira in hoc loco est diuinae iustitiae uindicta, exactaque punitio, quam cum intentas Deus, aut signis huiusmodi terrificis pollicetur, quis liber a pauore? Tunc ait Propheta, conturbati sunt principes Edom: robustos Moab obtinuit tremor. Perterrefactis enim principibus, nemo sane ex uulgi turba est, qui impauide uiuat.

{18.9} Ascendit fumus in ira eius.

Vide quomodo de Deo Vates, ut de homine loquitur: quo tandem ex his, quae quotidie in iratis hominibus fieri cernis, assuescas, uel sic, Dei potentiam ac iustam eius iram, uindictamque, tum fateri, tum extimescere. In ira furoris mei, inquit, sufflabo in te. Creatore enim irato ob creaturae interitum, uindictae olim fumus praecessit, cum tyrannum ex parte coercuit: quod quidem ultionis futurae atrocioris exordium fuit, quemadmodum fumus est igni praeuius. Quocirca daemones

{pdf 120, p. 52}

natura acutissimi, suam prorsus praeuidentes exterminandam tyrannidem, atque ad aeternos sese obtrudendos, per Christi mortem, cruciatus, exhibant clamantes: Venisti ante tempus torquere nos. ac si dixissent, fumus tuae est irae, quem sentimus: nondum enim ignis tempus aduentasse scimus. Cur igitur cum fumo flammam quoque ante tempus eiacularis? Caeterum nonne de homine uehementer irato dicimus, quod in illius nares fumus ascendit? Hic itaque maxima Dei ira atque ultio, in reprobos est expressa. Solet enim scriptura, & potissimum Daudis, mentis oculos excitare ad illa de Deo considerata, quae corporeis passim oculis ultro occurrunt. Ad haec, in prisca illa Iudaeorum aetate uulgo omnibus erat notum, Deum scilicet, cum praesentius suam decreuisset potentiam, iram quoque atque ultionem declarare, intonuisse, fulgurasse, ac terram terrificè concussisse. Quo alio signo se iratum ostendit in Iudaeorum gentem, quae, iniussu Domini, regem sibi petierat? Quo rursus alio, se potentem, quando suo Vati liberationem populi ab Assyriis est pollicitus? Visitaberis, inquit, cum tonitruo, commotione, uoce grandi, turbine, tempestate, flamma ignis urentis. Neque sane quidem alio se indicio, potentem, commotumque, ac timendum praebuit, cum mortalium redemptionem Christi morte paratam, coelestis lampadis obscuratione, terraemotu, rupiumque collisione, testatus est. Adeo enim antiquitus omnibus inualuit persuasio eiusmodi, ut etiam poetae ethnici hanc se habuisse suis in carminibus demonstrauerint. Sic enim illorum princeps: Ipse pater media nimborum in nocte, corusca fulmina molitur dextra. Cum igitur tropos, atque huiusce generis metaphoras, in scripturis legere contingit, caue ducas in Deo esse, aut irae aut excandescitiae motus: quippe qui simplicissimae, atque adeo perfectissimae naturae sit spiritus: sed tantummodo ex his elice, quam mirabilis, quam potens, quam iustus, quamue irreuocabile eius iudicium sit, ac firma lex. Praeterea ordinem illum, quem in humanis concionibus seruari oportet, si in rebus propheticis uidere nequis, ne idcirco ab illarum lectione deterrearis: sed magis assuesce in sanctis uatibus sanctum furorem pernoscere, ut in tanta praesentis psalmi troporum congerie est uidere: qui partim ad Christi tempus, partim ad iudicium uniuersale: totum uero ad ea, quae quotidie in peccatorum conuersione fieri cernimus, attinet. Non est enim tam horridus in rebus conditis fragor, tam saeua concussio, tam asper motus, tam dira tempestas, quae illa minor non sit,

quae in hominis pectore uere sese examinantis, ex cordeque resipiscentis, ac quibus, ob uitae impuritatem ac turpitudinem, obnoxius sit poenis, peridentis, miserabilem in modum uersatur. Porro quis adeo lucidus ignis est? quae fulgetra? quod fulmen? quae coruscationes adeo splendidae, adeo ardentes, quae cum face illa diuinae consolationis comparandae, quam in se sentit uir sanctus, ob reconciliatam cum Deo conscientiam? sol ipse quidem purificatae conscientiae splendori cedit.

{18.9} Et ignis a facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.

Irati hominis, ut iam diximus, qui e naribus spiret fumum atque ignem ex ore, Deo personam tribuit Vates: quo terrificum eius in sceleratos homines iudicium, hisce saltem usitatoribus uulgo uerbis, cor nostrum alioqui durum ac intractabile, intelligat & ueneretur. Verum carbones, hoc est, bonae naturae dotes, per Adam extinctae, per Christum accensae sunt: per uoluptatum, inquam undas ac fluctus, restinctae, per spiritus ignem reaccensae. In ardentissimam enim flammam diuini amoris, per Christi accessum ad homines, iam terminauit uoluptuosarum rerum fluor ac torrens.

{18.10} Et inclinavit coelos, et descendit: et caligo sub pedibus eius.

Habitus hic coeli, saeviente procella, describitur: tum enim demissum videtur, ac terrae incumbere, montesque fumo, & caligine, & nebula conuolui, & obscurari. Quae quidem cum uidentur fieri, ut olim in monte Sinai uisa sunt, & quotidie in excelsioribus montibus cernunt, Dei praesentiam pertimescimus, fateamurque eum ipsum descendere, caliginemue sub eius pedibus, condensari: quod in picturis quo-

{pdf 121, p. 52v}

-que effingere conantur pictores, ut passim in templis locisque prophanis fieri conspiciamus, licet ab omnibus ferme causa ignoretur. Ex hac porro terrificam coelorum concussionem atque obscuritatem, crebrae illae rogationum supplicationes in Casino monte a sanctissimis illis mei ordinis uiris originem habent. Vidimus enim saepe, maximo cum spectantium miraculo & stupore, ipsius fulminis telum iamiam terris propinquam, uide precum in aere pendere, tandemque in mediis ipsis coruscationibus una cum nimbis in tenuissimum uaporem resolui. Quis, oro, huiusce generis remedium tam salubre, ad placandum Deum iratum, mortales edocuit? Quis fidei carbones illos iam in nobis reaccensos, cinere olim obductos & plane emortuos excitauit, in flammamque effudit, nisi is qui nostri gratia despectus, inclinauit sese, formam serui accipiens, descenditque, ut ait Paulus, in inferiores partes terrae? Verum caligo sub pedibus eius. Nam obscura uia est, ut inquit Eutymius, atque incomprehensibilis incarnationis filii Dei modus & ordo.

{18.11} Et ascendit super cherubin, & volauit: volauit super pennas ventorum.

Crubin Hebraeis aues sunt: crub auis. Hic enim Dei potentiam, celeritate omnia indicibili superantem cogita, quippe qui pro equo, crub seu uolucrum, & hanc coelestem

habere dicant a Propheta: & qui pennis, ut ait paraphrastes, ipso uento celerioribus volat et equitat. Caeterum in rebus corporeis nihil uento celerius esse re ipsa uidemus. Quid si alas addis? Vide prosopopoeiam, fere necessariam ad exprimendos diuinos affectus in terris, apud rudiores praesertim, qui raro ad coelestium rerum contemplationem mouere animum norunt, nisi corporea aliqua similitudine proposita. Et uere Dominus Iesus cum inclinasset coelos, & descendisset, equitauit super cherub, hoc est, super plenitudinem scientiae (sic enim hanc uocem interpretantur) quam esse charitatem diuus asserit Augustinus. Ipse enim solus creaturarum omnium simul charitatem supergressus est, cum pro inimicis, atque illis quidem ipsis impiis occubuit: cum ne pro amicis certe, & illis iustis & bonis, quis mori audeat.

{18.12} Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius: tenebrosa aqua in nubibus aeris.

Nimborum uis, qui terrae incumbunt, eo maxime tempore quo totus passim nigrescit aer, a Propheta narratur, ex quo tremendam creatoris potentiam in nullum obscuritate latentem fere sentimus. Facit, inquit paraphrastes, tenebras latibulum suum circum se: in modum tugurii habet obscurissimas aquas, & densissimas nubes. Certum porro est, inuisibilem diuini luminis plenitudinem, ut ait Dionysius ad Gaium monachum scribens, appellari diuinam caliginem, seu Dei tenebras. Has tenebras, ait, & hanc caliginem, ponit Deus latibulum suum. Rursus alio in loco: Diuinae tenebrae, inquit, cooperiuntur omni lumini, & absconduntur omni uisioni, propter incircumscribitatem, & super plenissimam proprii splendoris claritatem. Noctuae enim oculi, hoc est, mortalium intellectus, ad hanc densissimam diuinae naturae caliginem, quae lucem habitat inaccessibilem, omnino caecutiunt. Quocirca quid humanis, tardis scilicet atque hebetibus animis profundissimos illos diuinarum tenebrarum recessus aliquando intelligere speramus, cum & in nubibus aeris, in prophetis uidelicet, apostolis, angelicisque naturis, tenebrosa sit aqua: id est diuinarum rerum scientia & speculatio hallucinetur & lusciosa sit? Angeli enim Dei, ut ait Dionysius, nubes coeli sunt. Caeterum de apostolis canit ecclesia hoc modo: Qui sunt isti qui ut nubes uolant, per coelestem scilicet contemplationem ac notitiam? Qui tamen, quandiu in terris peregrinati sunt a Domino, non tam alte, quemadmodum angeli, diuinae notionis secreta perscrutati sunt. Hi enim, ut ait idem, recipiunt illuminationes diuinas receptione prima, clara et immediata. Illi uero receptione secunda, symbolica et mediata: nam per angelos deferunt ad nos.

{18.13} Prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando et carbones ignis.

Vidisti ne unquam commotiones aereas & uicissitudines elegantius exprimi-
[exprimi]

{pdf 122, p. 53}

-mi? Clarius Hebraei: A splendore, aiunt, qui coram eo est, densae nubes transierunt, hoc est, fulgetris crebro micantibus, fulminibusque candentibus, extenuatae nubes disparuerunt. Solent enim nubes ex crebrescentibus coruscationibus admodum

extenuari. Sensus igitur erit: A praesentia fulgoris & coruscationum, quae coelitus erumpunt, dissoluuntur nubes, quamuis densae & opacae. Grando transit, fulminaque illa ignea, quae perinde cuncta perurunt & afflant, atque solent accensi carbones in aridas segetes coniecti, stipulas amburere ac deuastare, euanescunt. Sunt & alii carbones, quos supra memorauit uates, succensos esse ab eo: qui prius tanquam praeusti quidam sudes, semiustique titiones, extincti uidebantur, erantque omnino: postea uero uiuidi effecti, atque maiori quam antea, reaccensi lumine & ardore, quamcunque afflant animam, quamuis algidam & mortuam, in ignis illius naturam transmutant, qui consumens dicitur: similes nimirum lucernae, quae cum premitur, ut purgetur, uidetur extinguui: sed emuncta, postea maiori sese lumine manifestat, & lumen praebet. Hos enim carbones, Dei scilicet apostolos, alio in psalmo, carbones desolatorios, seu iuniperorum, appellat Propheta: quorum quidem natura ea uis est, ut tenacius quam caeteri ignem alant ac seruent. Transeuntes igitur carbones eiusmodi, ac tanquam scintillae in arundineto discurrentes, ut ait Solomon, ibant omnia sacrosancta diuini spiritus conflagratione perurentes, ac ueluti grando ui aliqua uentorum intra nubes colluctantium irritata, quae late solet agros depopulare, sataque sternere, ac uites. gratissimo fructu denudare, simulachrorum cultores cum ipsis aris & lucis demolientes, funditusque exterminantes.

{18.14} Et intonuit de coelo Dominus, & altissimus dedit uocem suam.

Ex incensa uentorum inter sese luctantium ira, istae nubes tonitrua aedunt: hincque fulgetra ac fulmina, quae hic uates carbones ignis uocat, excutiuntur. Tum sane nemo homo est, quamuis altus ac sublimis, qui non paueat, fateaturque diuinum illud esse opus, propterea timendum. Verum aliud quoque tonitruum genus a uate hic dici arbitror. Intonuit igitur Dominus, & altissimus dedit uocem suam, quando Dominus Iesus, data de frumenti grano doctrina: quid dicam? ait, Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo uox de coelo dicens: Et clarificaui, & clarificabo. Turba uero quae stabat, & audierat, dicebat, tonitruum factum esse. Nonne alte Deus intonuit, uocemque dedit altissimus, cum aperti sunt coeli, & facta est uox patris dicentis, Hic est filius meus dilectus? Nonne quando factus est repente de coelo sonus aduenientis spiritus? Quid? nonne modo etiam fatemur coelestem patrem, tonitruo quodam secretiori ac uoce, nos desides excitare, cum aperit nobis sensum, ut intelligamus scripturas? ut resipiscamus? ut a uia nostra mala, in semitas iustitiae, pacis ac uitae redeamus? Nedum hoc quidem, sed

{18.15} Misit sagittas, et dissipauit eos.

O amabiles sagittas, o pharetram calore alio ignitam, quam ille sit, quem suo Cupidini inesse somniant caeci adolescentes. Sunt, inquam, coelesti patri suae sagittae, suae pharetrae, sui arcus, sua tela: sed quibus solummodo hi traiciunt, quibus nullum cum mundo foedus est ac pax. Immittit enim Dominus ab arcu illo suo diuino & funda, suae sacrae legis stimulos, acresque morsus, uerba scilicet illa omni gladio ancipiti, ut inquit Paulus, penetrabiliora: quorum quidem uulnere dissipantur, longeue fugantur turpes animi affectus motusque, ac tandem daemones illi tam mortalium generi infensi: quos sane, ut ait Eutymius, hic non nominat spiritus, quia non solum eos, sed & eorum nomina abominatur. Sat igitur fuit dicere eos.

{18.15} Fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

Vide altissimi bonitatem, qui non solum eiaculari dicitur fulgura, sed multiplicare: quo animum facile aduertere queas, quantum nunquam mortalibus defuit, quos semper admonitos uoluit, tum primum quidem per optimam naturae legem, eandem ipsam postea in tabulis illis lapideis repetitam: tum per sanctos Dei uates atque interpretes, per signa, per miracula: tum nouissime per sanctissimos suos

{pdf 123, p. 53v}

apostolos, caeterosque illius praedicatores: quae quidem omnia diuina sunt fulgura. quibus copiosissime nostra, alioqui dura ac lapidea afflata corda conturbantur, partim quidem ad poenitentiam, partim uero ad desperationem. Nonne fulgur illud fuit coelitus emissum, cum Paulus furia concitus in Dei uiros, ab equo deturbatus proruit in terram, nihil uidens? Quid illud, quando intransitibus urbis moenia Magis, conturbatus est rex, & omnis Hierosolyma cum eo? Sexcenta alia, atque eo amplius in scripturis inuenies Dei fulgura huiuscemodi, aliis quidem ad uitam, aliis uero ad mortem. Sed felix ille, qui a tam salubri percussus telo, afflatuque admonitus, melior fit, haud deterior, uti solent hi qui eo stupidiores fiunt, ac in tam benignum numen duriores, obstinatioresue redduntur, quo crebrius uulnerantur. Huiusmodi enim pertinacia affectus olim fuit Pharao. Iulianus postea inter Christianos: sed parum antea Iudas Ischariotes. Sed nullus unquam adeo amplius fuit exemplorum istiusmodi numerus, quin modo a quamplurimis nostri aevi hominibus aequet. Vnusquisque enim habet in sua patria quod doleat, [sic] cum ob multa, tum potissimum ob obstinatam quorundam in malis pertinaciam,

{18.16} Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata funt [sic, sunt] fundamenta orbis terrarum.

Post tonitrua fulgetraque ac nimborum agitationes hinc inde uarias, gratus sequitur imber, serenus fit aer, amoena omnia. Idcirco, ait, reuelata sunt fundamenta orbis terrarum. Haud amplius enim uisuntur cisternae illae dirutae, non ualentes continere aquas: sed riui amoenissimi: sed fontes uiui salientes in uitam aeternam. Ex qua quidem aquarum copia, profundissima humorum receptacula deteguntur: hoc est, reconditi scripturarum sensus, per aduentum spiritus Dei reuelantur. Nam gratia & ueritas per Iesum Christum facta est. Et haec quidem omnia,

{18.16} Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus irae tuae.

Tunc dico, quando increpasti gentes, & periit impius. Quando, inquam, increpabat eos, & non sinebat loqui. O miram diuinae potentiae amplificationem. Cui enim ad uerbum parent flumina, ac profundissimae aquarum scaturigines obtemperant, eum potentissimum esse necesse est. Quare Iudaei diuinam in Christo admirantes potentiam, dicebant: Quis est hic, cui mare & uenti obediunt? Nonne is idem est, qui olim increpauit mare rubrum, & exiccatum est? Non est enim in rebus conditis res ulla adeo in suae naturae soliditate immota, quae protinus a minima diuinae potentiae increpatione ac iussu non dissoluatur, & pereat. Multo magis uero, si quae agunt homines, rerum naturae aduersantur: legibus bonisque moribus, humanitati,

ciuilibusue sanctionibus ac publicae concordiae & paci repugnant. Ab inspiratione spiritus irae tuae.) [sic] Ardens periphraſis, qua ira describitur. Ira enim, ut ait Eutyminus, ignis ſimilis eſt: quae ſane accenſa atque excitata, uaporem quaſi fumum emittit, & per irati hominis nares in aere ſpirat: unde & ſpiritus irae dicit. Eos qui ualde irati ſunt, iram ſpirare aſſerunt. Hac igitur ſimilitudine motum irae ſignificauit Propheta, humano more loquens. Adeo, inquit, tu Domine iratus eras quod ſpiratio, ut ita dicam, ſpiritus irae tuae in aere eſſet, & inimicos diſſipares. haec Eutyminus. Caeterum ut nulla alia unquam fuerit increpatio, ac ſpiritus irae Domini, ea ſola tandem nos perterritiſſe debuit, qua ipſe Dei filius comminatus eſt dicens. Niſi poenitentiam egeritis, moriemini. Quo mortis genere quaero? Moriemini, inquit, in peccatis ueſtris. Quae unquam tam extimeſcenda audita eſt increpatio? quo noſtrae igitur tendunt uanitates? quo tumor? quo noſtrae ſanctitatis opinio? Niſi enim poenitentiam egerimus, moriemur. Ergo poenitentia ad aſſequendam beatitudinem, hoc eſt ueram uitam, neceſſaria eſt, ne tandiu a poenitentia, nescio qua deludamur. Quae uero uera ſit poenitentia, alia res eſt. Nunc ad inſtitutum.

{18.17} Miſit de ſummo, & accepit me: & aſſumpsit me de aquis multis.

Diuulgata enim Dei potentia per terrificas aeris commotiones, quo ad conſiderandum potentiffimum coeleſtis patris imperium excitaret ignauos, ad propositum redit Propheta, quo coeperat ipſius opem implorare, dicens: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Ac paulo poſt: Exaudiuit de

{pdf 124, p. 54}

templo ſancto ſuo uocem meam. Quod quidem rhetorum more, facta digreſſione repetit, inquiens: Miſit de ſummo, & accepit me. Vide grati animi affectum, qui omnia quae ad uictoriam faciunt, diuinae bonitati attribuit: contra quorundam nimirum arrogantiam, qui parta in acie, aut in arcis alicuius expugnatione uictoria, non Dei potentiam & auxilium, ſed aut militum fortitudinem, uimque pecuniarum, aut arietum, tormentorumue aeneorum ordinem, ac aptam diſpoſitionem iactitant, eiſque tribuunt, ſi quid felicioris ſucceſſus, in euentibus belli dubiis aſſecuti ſunt. Quid porro dicendum, quomodo in referenda gratia pro reportata de inuiſibilibus inimicis uictoria, turpiſſime erratur, dum nos ſolummodo, noſtraque ſtudia ac conſilia miramur & laudamus? Quotus enim quiſque eſt, uel ex prudentioribus quidem uiris, qui non magis tranſactae ſuae uitae innocentiam, ieiunia, uota, peregrinationes, & id genus caetera adiaphora credat, ac uulgo memoret, cauſam ſuae uictoriae extiſſe, quam benigniſſimi patris fauorem & gratiam? ſecus uero Dauid, qui interroganti ueluti amico, quo ſuas referret uictorias, reſpondit: & ſit de ſummo, & accepit me. Hebr. Miſit ab excelſo. Quid miſit, oro? auxili uirtutemque uincendi. & me eripuit. Vide effectum coeleſtis auxili. Hic Dauid Deum pene uidere facit corporeis oculis, manum e ſublimes porrigere, ſequae ex aquis malorum in quibus uolutabatur, eripere, ac iam demerſum extrahere. Idcirco canit: Aſſumpsit me de aquis multis. Metaphora haec quidem ex aquis profundioribus ſumpta eſſe uidetur: in quas ſi quis ceciderit, aut e ripa deturbatus fuerit, pereat neceſſe eſt, niſi ab aliquo actutum liberetur. A profluuiio, inquit, calamitatum immenſo, in quibus periclitabar, extraxit me. Aquae enim in ſcripturis anguſtias nonnunquam ac perſecutiones oſtendunt, ut illud eſt: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquae

usque ad animam meam. Interdum per aquas, populos praetendi, in prophetis maxime uidemus: unde illud in Esaia: Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, regem Assyriorum.

{18.18} Eripuit me de inimicis meis fortissimis.

Iam uates aperit quae sint aquae illae e quibus se ereptum memorat, hostes scilicet fortissimi: quos quidem non tantum illos esse iudico, qui inter ciues armis ac sicariis affatim muniti sunt, quantum qui honoribus, magistratibus, autoritateque sunt praediti: hisce enim bonorum ciuium ornamentis si accesserit malus animus, prauaque conscientia, ac turpis uita, quid infelicius rebus publicis contingere potest? Hebraei habent, fortissime, quo intelligas quanta ui opus sit & robore, ne tam uaftris hostibus succumbas. Huiusmodi enim sunt animarum insidiatores, qui eo extimescendi magis sunt, quo inuisibiles & acuti.

{18.18} Et ab his qui oderunt me.

Oderunt (inquit Dominus, non tantum propter se, quantum propter nos, qui credimus) & me & patrem meum. Hi nimirum, ut ait Eutymius, daemones sunt, qui uniuersos oderunt homines, uel in primis ipsum Dominum, in quem ad tempus praeualuerunt. Quare additum est,

{18.18} Quoniam confortati sunt super me.

Robustiores, inquit, me, facti sunt. Olim enim uiuente adhuc patriarcha illo antiquo, in eius filio Ioseph, adumbrata fuit istiusmodi saeuitia odii, quo longe ualentius improbi bonis praestant, illisque aduersantur. Fratres, inquit, eius oderant illum, nec poterant quicquam pacifice loqui. Haec umbra. Veritas uero haud semel in Euangelio queritur, sese gratis odio haberi a suis. Ciues enim, ait, oderant illum. Quare ex his asseuerandum esse puto, eum qui alterum odio habet, daemones imitari: qui uero habetur, Christum: qui & se & suos mundo inuisos fore praedixit, ac uoluit: ne carnis uisco irretiti, facile in his quae oculis corporeis uidentur, beatitudinis summam statuerent. Et in hoc quidem genere erroris admodum reprehensibiles sumus, cum adeo teneriter nobis adblandimur, quod bonis plerunque neglectis, quia officere nequeunt, ad conciliandos nobis improborum animos, totos neruos intendimus. Ex quo illud euenire necesse est, quod

{pdf 125, p. 54v}

& bonis et malis inuisi efficimur. Illis quidem, quoniam dissimiles nostri sumus. Istis uero, quia alieni instituti normam profitentes, populares tamen uideri appetimus ac ineptissime quaerimus. Bonus is tandem esse non potest, qui malis aut placere, aut assentari studet.

{18.19} Praeueniunt me in die afflictionis meae.

Vides quam uigili cura, nauanda est opera ne opprimamur? Venerunt, inquit, super me de improviso hostes, uti aqua solet torrentis, ruptis aggeribus, ne mihi euadendi esset

uia. Quod quidem elegantissime expressit paraphrastes hoc modo: Callidis suis consiliis circumuenire incautum conabantur me, tempore afflictionis meae, quando scilicet maxime destitutus uidebar. Putasne Christum in terris ab hac quoque peste illaesum uixisse? Obseruantes, inquit Lucas, miserunt insidiatores, & qui se iustos simularent, ut caperent eum in sermone, & traderent eum principatui & potestati praesidis. Quid magis, oro, monstris simile quam uelle amentiam, uerbo, sapientiam ipsam captare ac fallere? Audet tamen & maiora: quanquam nesciam, an maius aliquod moliri queat homo, quam in ipso ueritatis ore, uerba inuertere cupere, & conari. Porro diem afflictionis uniuscuiusque, tempus constitutum ab aeterno, a Deo patre, quo affligatur, esse existimo. Ante enim illud temporis, quid in nos possunt aduersarii, uel si mundus ipse uniuersus ferociat? Quid interim nobis timendum? Quod si uero tempus ipsum perferendi persecutiones aduenisse nouimus, iam Deo placet ut patiamur. Quid igitur recusamus? Quam detestanda quorundam est animi mollities, qui (uti febricitantes solent, qui dum futuram periodicam extimescunt, semper, uel cum non laborant febrim, febricitant) in suspecta tantum aduersitate ita misere anguntur, ut nihilo infelicius illi se habeant, qui in media ipsa calamitatum flamma uoluntantur. Quid igitur tam effoeminate morbos portamus? quid rerum iacturam? Siue uiuimus, siue morimur, Domini sumus. Ruat coelum, Dominus firmamentum nostrum, arx, & robur est. Pudeat Christianum, ab ipsis etiam puellis Spartanis ethnicis, in hoc genere luctae superari. Nam quemadmodum benignissimi patris manus, suos in aquas angustiarum induit, ita rursum extrahet.

{18.19} Factus et enim Dominus protector meus,

Adeo ut non timeam ne mihi perpetuo haerendum sit in luto aquarum multarum. Non iam de meis uiribus, non de mea iustitia, non de ui animi deblatero: sed uici, quia Dominus me suo dignatus est auxilio, & custodia. Non solum enim hoc, verumetiam

{18.20} Eduxit me in latitudinem.

Hoc idem est quod supra: In tribulatione, inquit dilatasti me. & est sensus: Ex angustiis me in locum patentem, ac spaciosum eduxit.

{18.20} Quia uoluit me.

Vel, ut legit Felix, quia dilexit me. Quid mirum enim si hominem tutatur Deus, illique in tribulationibus fert opem, pro quo emendo, proprii filii unigeniti, at eiusdem amantissimi, sanguinem tradidit? Translatio haec latitudinis sumpta esse uidetur a ceruis, qui ex angustiis ac periculosis locis, in quibus a uenatoribus arctabantur, liberati, gaudent planitie, camporumque latitudine, ac sese ad altiora loca, ubi & circumspicere, & cauere insidias possint recipiunt. Ita sancti Dei uiri in acerbissimas persecutionum angustias ab improbis coniecti, metu pene exanimantur, donec, miserante Deo, a laqueo uenantium exempti, loca patentia atque excelsa, ubi coelestia circumspectare ualeant, petunt. Unde alio in Psalmo, animi summe grati dedit specimen uates, dicens: Qui posuit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuit me. & hoc quidem, quia dilexit me, seu, quia uoluit me. Cur enim uoluit me? O miram tanti patris misericordiam. Ut secundum electionem, propositum Dei maneret, non ex operibus, sed

ex uocante. Itaque, antequam ego uelle eum, uoluit me, uocauitque, cum adhuc non essem: quo tandem beneficiorum eius omnium in mortales collatorum causam, illius uoluntatem esse, & beneuolentiam

{pdf 126, p. 55}

fateamur, quae arbitrium humanum, aequali bonitate movet, ac ad se trahit: ut non minus illud ipsum arbitrium munus Dei sit, quamuis naturale, quam caeterae intellectualis animae dotes. Quibus enim hoc persuasum est, hi fateantur oportet bona omnia, siue quae a Dei uoluntate, siue quae a nostra, arbitrioque proficiscuntur, ab ipsius Dei dono, ac gratia prouenire. Voluit, inquit, me, eripi scilicet, atque ad uitam aerumnarum omnium expertem ascisci.

{18.21} Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Videtur hic uates suum extollere meritum. Non extollit quidem, sed nos potius ad considerandam Dei erga homines benignitatem prouocat. Deus enim, qui gratis iustitiam nobis impartit, ac manuum puritatem, hoc est, uitae innocentiam elargitur, pro ea praemium, perinde ac si nostra esset, & non sua, reddere est pollicitus. Retribuet, ait Augustinus, secundum iustitia bonae uoluntatis, qui dedit misericordiam, ut uellem. Quare suam in nobis uidetur Deus coronare misericordiam, simulatque coronat iustitiam, cuius causa & origo ea sit. Adhaec, secretiori nescio quo modo, hic mihi occultus retegitur sensus, quo contemplari libuit, prophetam in hoc uersu, ut sic dicam, iactabundo, nos admonere uoluisse, quam non illos Deus deserat, qui studio omni, ac cura adhibita, iustitiae student, uitaeque puritatem atque innocentiam sectantur, proque illis omnibus aeternam mercedem rependat: quo sane quidem magis attendenda sit prompta coelestis patris retributio pro iustitia facta, ex illius misericordia, nostra: quam quod iustitia nostra, uitaeque puritas retributionem mereatur, et quaerat. Nihil enim in terris tam sordidum est, atque impurum, quam nostra est iustitia, si nostra tantummodo est.

{18.22} Quia custodiui uias Domini, nec impie gessi a Deo meo.

Vide quam eleganti breuitate utrunque complectitur, iustitiam scilicet, atque actionum puritatem. Custodia enim uiarum Domini, studium est uitae, quod Deus, non mundus, praecipit. Argumentum utrinque ingens. Custodiui, inquit, uias Domini. Ecce cordis iustitia. Nec impie gessi. Ecce manuum puritas. Quas quidem uitae conditiones is solummodo possidet, qui seipsum plena fide Deo committit, ac se penitus ad proximorum utilitatem exponit. Diffidere autem de Deo, atque in actionibus illis, in quibus synceritas omnis inesse debet, turpitudinem exercere, summae infidelitatis indicium est. Caeterum ad propria commoda, uel cum proximorum incommodo & ruina, omnia referre, ciuis est, digni magis qui inter feras conuersetur, quam inter homines. Non eo, inquit uates, malitiae perueni, ut a Deo meo unquam deficerem. Quod sane accidit, cum homo suo uitio ac culpa, a Deo deseritur. Deseritur tamen prius ab homine Deus, quam ipse hominem deserat: ut in omnibus uastissimus pateat campus considerandi summi patris in mortales tum bonitatem, tum patientiam. Visne a diuino

fauore minime deseri, ea, qua praeditus es a primis ipsis exordiis, potestate, illius serua praecepta: uel saltem, quod tibi integrum est, pro uirili conare: quibus abs te neglectis, statim ab ipso negligaris, desererisue, ac ueluti suae sanctae uoluntati obluctaris, in reprobam mentem prouere sineris. Quod ea uero aliquando, premente carne, non praetereantur, fieri quodammodo non potest: uerum illorum studium relaxare, sponteque omittre, ultroneae a Deo defectionis indicium est: tum sane impie geritur a Deo, ut ait uates. Remissio igitur curae ac studii, obediendi diuinis iussionibus, a Deo auersio est. quam quidem remissionem ab sese alienam fuisse, in sequentibus testatur propheta.

{18.23} Quoniam, inquit, iudicia eius in conspectu meo, & iustitias eius non repuli a me.

En studium Dei praecepta exequendi, quod non remittit unquam uir sanctus. Ob oculos, ait, cuncta eius habeo decreta, legesque illius a me haudquaquam summoueo. Quae, inquit paraphrastes, iustissime ab ipso praecepta fuerant, uersabantur assidue ob oculos meos, & mandata illius nunquam repuli a me tanquam parere nolens illis. Porro iudicia & iustitiae io hoc loco licet idem prae se fere uideantur,

{pdf 127, p. 55v}

tamen iudicia existimamus esse, quaecumque Deus ipse bona esse iudicat, & quae illi placent. Unde erit sensus: Non mea sequor iudicia, non consilia, non uoluntatem, sed Dei. Quae uero iustitiae sint, Hebraeus interpret aperit. Sic enim uertit: Et caeremonias eius non repuli a me. Quae profecto, non uti in eis sita sit tota pietatis summa, & religionis, seruandae sunt: sed tanquam decor ecclesiae ad aedificationem. Alioqui eliminatis a fidelium coetu ritibus huiuscemodi sacris & caeremoniis, quas uel Getae ipsi, aut Sarmatae laudare soliti sunt, non uideo qua re ulla alia corporea, suam erga Deum ecclesia testari queat pietatem. Non pietas quidem hae sunt, sed pietatis testificatio, gratique animi assertio atque exhibitio.

{18.24} Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea.

Hoc igitur modo, ut dixi, ait Vates, uitam degens puram & innocentem: Inculpate, ut coepi, uitae reliquum exigam: quandoquidem sola ea uera est inculpataque, ac casta uita, quae ne unguem quidem transuersum a iudiciis ac iustitia Domini deflectit. Nam hoc antiquum semper cum homine fuit foedus ab Deo initum, quod ipse custos esset, protector ac merces: homo uero innocens & immaculatus. Ego Dominus, ait ipse ad Abraam, omnipotens: ambula coram me. hoc est, uitae integer esto, & me cole: ego uero ero merces tua magna nimis. Nec est omittendum, quod non dixit, & non peccabo: quod quidem humanae sorti uis est concedendum, sed obseruabo me, &, ut ait Paraphrastes, cauebo sollicite, ne impietate mea offendam illum.

{18.25} Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius: uel, ut est alia litera, ipso iudice.

Qua quidem in re ostendit, nihil bonorum conuentibus debere esse fuci & simulationis. Vide porro stabilem de percipienda retributione fidem in hac geminatione ac repetito uersu. Neque id solum quidem, sed ut alios ad idem innocentiae studium prouocaret, idcirco secundo dixit, quod Dominus retribuet secundum iustitiam eius: ac si dicat, Dominus enim illis qui pie vivunt in hoc seculo, mercedem rependere solitus est: quare, ne sui dissimilis uideatur, mihi quoque qui illius ope adiutus, innocenter uixi, retribuet. Errant tamen hi qui se putant adeo inculpate posse uiuere in hoc mundo, ut illorum uita per actus singulos Deo probari mereat. Lapsibus enim, uel ipsi sanctissimi uiri, quia homines, obnoxii sunt. Tantum uero abest, ut studium illis desit ac conatus, attingendi metam perfectionis, ut etiam in dies magis incalescat: atque eo acrius illi resurgant, quo saepius relabuntur. Quod qui habet institutum, iuxta Ioannis doctrinam peccare non potest: hoc est, non potest ex animo rebus malis incumbere, atque in illis diutius perseuerare, licet peccet aliquando: quia semen Dei manet in illo.

DIVISIO secundum Latinos.

{18.26} Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente eris.

Cum Vates enarasset quae suae rependit Deus iustitiae, digreditur ad idem de caeteris praedicandum: concluditque talem nobis esse Deum, ut ait Cyprianus qualem nos esse uolumus, ac credimus. Ideo quicumque se sanctum, hoc est, pium & religiosum, in his quae Dei sunt, exhibet, pius ei ac benignus se exhibet Deus. Quod innocens, &, ut legit Felix, immaculatus, hoc est, in humana conuersatione purus, nemini nocens, quam multis benefaciens, talem is sibi Deum facit.

{18.27} Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris: seu, perversus eris.

Qui enim electus erit, hoc est, fidelis, simplex, quique perfecte sese in uirtutibus exercuerit, talis erit illi Deus, fidelis scilicet, promissa attendens, simplex, ipsaque uirtus ac merces. Verum qui peruersus fuerit, hoc est, qui ab omnibus supramemoratis alienus, curuus, exorbitansue inceserit, ac pactum quo se Deo adstrinxit immaculatum fore, uiolauerit, cum hoc Deus ipse peruerse, hoc est, praeter morem suum, dirum se ultorem ac iudicem exhibebit. Et est considerandum hic de illu duntaxat dici, qui lege recepta atque intellecta, sponte prauis sunt, a Deoque desciscunt]

{pdf 128, p. 56}

-scunt, ac sese prorsus ab eo diuellunt. Horum enim multitudinem deplorat Moses in Deut. dicens: Dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo. Vidit enim Dominus, & ad iracundiam concitatus est, & ait: Abscondam faciem meam ab eis. Vides quomodo praeter naturam suam hic agat Deus in populum illum peruersum, quem chariorem semper habuit, quam charam habeat homo pupillam oculi proprii? Generatio, inquit, peruersa est, quae in foedere mecum inito, promiserat se mihi promissa seruaturam, fregit pactum, peruerseque mecum graditur. Peruertam et ego, inuertamque omnia, ac a promissis animum deflectam, simulac ipsa prius

pollicitationes perfregit. Quam uereor, ne nostra tempora in minas illas antiquas deuenerint. Videtur enim mundus fere totus, sed in primis cordatiores qui censent, adeo in suis actionibus consiliisque caecutire, atque a rectitudinis linea exorbitare, ut uere affirmare non dubitem, multas, non dico mortalium turmas, sed regiones quoque & prouincias Christianorum a Deo desertas esse. Solent enim qui huiusmodi sunt peruersitatis (ut intelligas quo miseriarum peruentum sit a nonnullis) semper perplexe impeditae & perturbatae sua agere omnia, nullam certam uitae rationem habere, castaque firmaque omnino ignorare consilia, & demum omnia quaecunque tractant cum caeteris negocia, peruerse agere. Contra uero Deus tanta huiusce peruersitatis hominum temeritate lacessitus, cum tempus quo eis quae meriti sunt, rependat, postulauerit: ita perturbat, atque illorum omnes peruertit uitae rationes & consilia, ut sempiterno in reprobam mentem traditi, errore & confusione miserabiliter rotentur. Hincque horrenda illa uitia quae Paulus ad Romanos scribens commemorat, ortum habent. Hinc atrocissimae in rebus publicis inimicitiae, in magistratibus crudelitas, auaritia, ambitio. Hinc, inquam, oppressiones miserorum ciuium, hinc libidines: & hae quidem promiscuae, homicidia, odia, ciuiles discordiae, & simulationes, etiam in his qui ecclesiastici appellantur, originem sumunt. At tu, cui nobilissimarum rerum studium est curae, cum sancto uiro, ut ait Ecclesiastes, assiduus esto, & quemcunque cognoueris obseruare timorem Domini. Facile enim cum corrupto peruersoque homine, peruersus eris. Nam qui, ut ait idem Sapiens, tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Neque sane absque causa clamat Apostolus, Exite de medio eorum, & immundum ne tetigeritis. Hasce enim immunditias tu o Domine execraris.

{18.28} Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.

Id est, abiectum, mundoque despicabilem, atque eum quidem quem sanctum, quem immaculatum, quem electum tibi fecisti, seruas. Homines uero fastuosos, atque arroganter extollentes oculos, indicium nimirum elati animi deiicis ac humilias. In eiusmodi conditionis hominem inuehit Iob, dicens: Quid te eleuat cor tuum? & quasi magna cogitans attonitos habes oculos? Ac ne parui momenti id esse auitium putemus, hoc inter ea quae odit Deus, a Solomone connumeratur. Volunt physiognomi ab oculis maxime, cuius habitus uniuscuiusque mens sit, dignosci facile posse: sed in primis superbi. Caeterum Nonne olim tum, cum uocauit Dominus non plebem suam, plebem suam: gentes, populus scilicet uilis, abiectus, ac humi pronus, salutem est consequutus? Iudaeorum uero natio turgida, atque omnia fastu intolerabili calcans ac fastiditus, reiecta? uiliorque omnibus nationibus facta?

{18.29} Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.

Ne longius a mente Prophetiae euagemur, torquentes nos plus quam par est, in discernenda lucerna a luce ac lumine, arbitramur hic Vatem suam, atque adeo nostrum omnium ab hostium crudelitate liberationem, per allegoriam lucernae a Deo accensae uoluisse a nobis coniectari: fusos uero fugatosque aduersarios, per lucis aduentum, hoc est, depulsione tenebrarum intelligi. Quod nos etiam sic esse fatemur: qui cum aliqua nos urget miseria ac calamitas, clamamus solem abesse, noctemque omnia caligine

obduxisse: sperantes interim, quod sol remeabit aliquando, id est, tranquillior rerum facies. Verus tamen & ille erit sensus, quo fa-
[faciunt]

{pdf 129, p. 56v}

-ciunt animam cum Deo hoc modo colloquente: Tu illuminas lucernam meam Domine. hoc est, omne lumen quod in me est, a te est, sine quo nusquam lumen est. ac si dicat: Lucernam satis lucidam abs te habeo, non a me, qua tum uidere, tum fateri, & possum & debeo, quod Deus meus es, liberator, firmamentum, refugium. Sed hanc fac tu illustriorem, quo adhuc eadem ipsa copiosius uidere queam. Nonne illud quod in Euangelio legimus, huic fere simile esse fatendum est? Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Summa: Video enim, ait qua mihi sit eundem: amplius uere uidebo, cum eliminatis prorsus tenebris, solem ipsum iustitiae meum in cor reduxeris. Cum sedero in tenebris, ait Michaeas, Dominus lux mea est, & deducet me Dominus in lucem, & uidebo iustitiam eius. Nemo enim tanta perfusus est fidei cognitionisue luce in hoc mundo, quin maiori semper perfundi indigeat ac uelit.

{18.30} Quoniam in te eripiar a tentatione: & in Deo meo transgrediar murum.

Felix longe secus: Quoniam, inquit, in te percurram per militum cuneum. Alius uero: Perrumpam conteramque aciem quantumuis instructam. O fiduciam. Legerat profecto psalmum hunc, seu magis psalmi spiritum hauserat beatus uir ille, qui cum caeteris dimicaturus tyranno respondit: Ego in nomine Domini Iesu Christi, signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. Per murum, hic rerum difficultates intelligi arbitror. & erit sensus: Per te Deum meum difficultatem omnem superabo, liberque euadam. quasi dicat, te adiutore, nulla me angustia tenere poterit. Ego, inquit, peccata omnia, uiam scilicet mihi ad Deum, tanquam muro quodam aeneo, obstruentia, saltu transiliam hoc est, expedire me ab illorum commercio in hoc uitae cursu seruabo.

{18.31} Deus meus impolluta uia eius.

Cum admiratione enim diuinae erga nos bonitatis proferenda sunt haec, Deus meus. & est perinde ac dicat: Deus meus is est, o mortales, cuius uiae, studia uidelicet ac praecepta, aequa sunt: facta item pura, certa, & quae optime pollicitationibus respondeant. Quare adiicit: Eloquia Domini igne examinata. Porro uiam Dei, uirtutem esse, quae nostrum ad Deum explanet iter, scribit Eutymius. Atque ob id, inquit, irreprehensibiles illos esse oportet, qui per uiam istam incessuri sunt. Quam uero in terris immaculata fuerit Christi uita, hi norunt solummodo, quibus nulla est cum mundi uoluptatibus pax & concordia. Semel enim in eius uulneribus immersis, ac cruore, nihil purum uidetur et impollutum, praeter illud quod Christi uitam referat. Reliqua enim studia, curae, sollicitudines, sanctimoniae quoque, sordescunt omnino, si uel parum ab huius exemplo & imitatione discedunt.

{18.31} Eloquia Domini igne examinata.

Felix: Eloquium Domini examinatum. Vel, ut alius: Sermo Domini perpurgatus. hoc est, certissimae ueritatis est, & ut reddit Paraphrastes, ab omni fuco alienissimus. Quomodo uero eloquium sit tanquam aurum purgatum alchimico, supra in psalmo alio fusius enarratum est.

{18.31} Protector est omnium sperantium in se.

Hebraei: Clypeus est omnibus in se confidentibus. Hoc est, quod expressit Paraphrastes: Instar clypei est omnibus qui in ipso praesidium suum collocant. Naturae enim simplicissimae atque purissimae cum Deus sit, iustitiam rursus cum diligit, immaculatos omnes illos uidelicet, qui, quantum carnis onus permittit, Deiformes fieri desudant, ab hostium immanitate eximere solitus est, ut iam promisit: & eloquia eius uera sunt. Quid igitur timendum? Fallere enim non possunt diuina uerba, quae magis quam aurum saepius excoctum ac probatum, uera sunt, pura & defaecata. Quid aurum memorem? quid ignem? Non solum enim liberalissimus Dominus tutatur, fouet, & par pari omnibus in se sperantibus refert: sed omnem omnium exuperat spem, cum supra quam sperari potest, amplissime dona accumulatur. Unde,

{pdf 130, p. 57}

{18.32} Quis Deus praeter Deum nostrum?

Exclamatio haec est omnibus his, qui latam sibi coelitus opem sentientes, nihil potius habent, quam quod a caeteris agnoscatur, quod ipsi experti sunt, admodum conueniens. Quis alius Deus, aiunt, potest in se sperantes seruare? Certe, ut inquit Moses, non est Deus alius, ut Deus rectissimus: magnificentia eius discurrit nubes Quantis hic lachrymis deplorandi essent hi, nisi aliud agere instituissem, qui cum iam pene in coelestium rerum disciplinis attritam uixerint uitam, data occasione sese per morbum aliquem grauiorem demonstrandi cuius temperaturae sint, retunduntur illico, auersique actutum a bonorum omnium fonte, in lacunis expiscantur. O ingratos homines. Nonne Deus erat in sua Ecclesia, o uos qui consulistis deum Acharon? Quid Christiano? quid sacrorum ordinum candidato, commercii cum saga? cum maga? cum phanatica? Horret animus sacrilegos recensere tetragonismos, circulos, angulosque, ac caetera huiusmodi ab imo auerno eruta portenta, cum sexcentis uenerandae crucis distincta signis, ad illudendam debilem hanc fidem nostram. Quod si anginae, pleuresi, aut podagrae medendum est, quis Deus praeter Deum nostrum? quis magis potens? quis magis ad opitulandum accinctus? Omitto prudens ueneficia illa quae a rabida uenere in inconcessis amoribus perpetrantur. Tam enim nefaria sunt, ut quae ne a sceleratoribus quidem lenonibus, absque uerecundia proferri possunt. Tu Christiane cum tanta sacramentorum iniuria sacro oleo abuteris? Tu labia illa minio conspurcata, sacrosancta, atque ipsis beatissimis spiritibus non nisi cum tremore uidenda hostia audes perlustrare? Tu ad tantam iudicii diuini obliuionem deuenisti, ut praesumas inter meretricia oscula commiscere uerba illa diuina, quorum ui immensa, altissimi Patris filius in manus delabitur sacerdotis? Tu, ut tuam exatures rabiem, & coelum & terram et elementa omnia, & ipsas quoque Stygias sedes, atque imo inferorum penetralia commoues & inquietas? Sed me incautum, qui longius quam putaram, in re forsan non

uera, digressus sum. Non enim me latet uelle rhetores illos qui scribunt aliquid ad disciplinam faciens morum, posse confingere, simulare dissimulareue, mentiri etiam, si in re sua est, modo animus sit iuuare, non officere. Ad institutum igitur nostrum redeamus.

{18.33} Deus qui praecinxit me virtute ad bellum, & posuit immaculatam viam meam.

Vide quam graphice hic pingat Vates boni militis dotes. In primis enim magnanimo ac forti pectore illi opus est: deinde felici successu. quae quidem duo in hoc uersu comprehenduntur, caetera in reliquis qui sequuntur. Ait itaque suo more Vates (tu interim a corporeis ad spiritualia transire assuesce) Ipse ille est Deus, non belial aut satan, aut alius aliquis spiritus nequam, a saga in nouilunio a profunda sepulchrorum fossa euocatus, qui me undique robore, fortissimaque muniuit armatura. Neque hoc satis. O diuinam in electos bonitatem. Fecit insuper, ut incontaminata esset uita mea. Porro quis nesciat brutos hos carnis sensus a planta pedis usque ad uerticem luxuriantes, nos a uitae cursu retardare? Praecingendi enim sunt a Domino (a nobis uero quid possumus?) ne uti uestimenta ad pedes usque demissa cursum impediunt. Quanquam tamen uestis illa in primis polymita puero Ioseph a matre consuta, nobis desideranda sit, longa licet ad talos: & de qua Paulus, Induite, ait, Dominum Iesum Christum. Qui quoque uia illa immaculata est, quam sibi tanquam uestem positam fatetur Dauid. Nam ipse solus uere immaculatus ex se, & est, & dici debet: nos uero per ipsum. Siquidem solus absque peccato in terris conuersatus est. Ille, inquam, solus sanctissimam in hoc mundo uiuens uitam: is est,

{18.34} Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me.

Hebraei: Aequauit pedes meos sicut caprearum, & super excelsa constituit me. Aiunt id genus animantium, si quando a uenatoribus acrius urgentur, maximo conatu loca excelsa, utpote tutiora petere. Ita rerum coelestium studiosos agere me cesse est. Eo enim & studio & cursu indefesso illis contendendum est, ubi omnia quae illorum proposito officere possunt, circumspicere ualeant Atque hinc duas alias

{pdf 131, p. 57v}

dotes in strenuo milite necessarias, ex hac ceruorum, caprearumque similitudine est uidere, celeritatem scilicet & agilitatem. Alioqui desides, atque inter hostes, illorumque insidias stertentes, quomodo aut carnis uiscum, aut cupiditatum tela effugient? Dauidem enim perfectissimi uiri typum prae se ferentem, legimus in caprearum rupibus & latibulis iram regis deuitare solitum. Quid Gadditas illos commemorem, qui cum ad Dauidem transfugerent in solitudine latitantem, facies leonis, pedesque quasi caprearum habuisse referuntur? Ait igitur: Ipse Dominus, qui me robore impenetrabili circumquaque muniuit, is etiam fecit ut pedes mei non minus ueloces essent, quam sint ceruorum: & quoties opus fuit, in aeditis ueluti locis atque praeruptis, inaccessibleibus hostibus, ubi tuto mihi esse liceret, me collocauit. Non uacat affectu solito in Dauide uerbum, perfecit: adeo ardent omnia in hoc sanctissimo uiro.

{18.35} Qui docet manus meas ad praelium, & posuisti ut arcum aereum brachia mea.

Secus Felix, & clarius: Docuit manus meas ad praelium: & contritus est arcus aeneus brachiis meis. Cuius quidem uersus sensum sic reddit Paraphrastes, & optime, ut suus est mos. Docuit manus meas arma tractare, sic ut frangere potuerim brachiis meis arcum, etiam ferreum. Vide quomodo Vates fateatur omnia sibi bona prouenisse a Deo. Supra enim fassus est, sibi a Deo datam esse, non tantum ad fugam, sed ad insequendos hostes, pernicitatem: nunc uero manuum promptitudinem, roburque lacertorum ac uim, in se cognoscit. Censet Eutymius Hic, manus, uirtutes illas significare, quae ad actiones pertinent: &, ut alius exponit interpres, discretionem, ut ait Paulus, spirituum: quo profecto non ignoremus, quomodo cum mundo, cum carne, cum affectibus animi pugnandum sit. Aliis enim armis utitur pugil, aliis eques. Caeterum Iudas ille Machabaeorum imperator perfectissimam posteris reliquit pugnandi formam, ut in eius gestis legitur. Iudas, inquit, semper confidebat cum omni spe auxilium sibi a Domino affuturum: & hortabatur suos, ne formidarent, sed sperarent ab omnipotente sibi affuturam uictoriam: & locutus est ad eos de lege & prophetis, singulosque animauit, non hasta, aut clypeo, sed sermonibus optimis. Solent enim nostri temporis milites ridere, si audiunt uictoriam a bello contra infideles, domum magis spe & fiducia in Deo, referendam, quam ense, aut tormentis aeneis, absque fide. Quid uero sentiant hi, quorum conuersatio in coelis est, de mutuis inter Christianos uulneribus & nece, non est praesentis instituti edocere: uiderint alii. Quod si tamen corporeis armis certandum erit, strenue id quidem, & imperterrito animo: sed eo quo Iudas ipse, de quo ita legimus: Iudas quidem, & illi qui cum eo erant, manibus quidem pugnabant, cordibus uero Dominum exorabant.

{18.36} Et dedisti mihi protectionem salutis tuae.

Felix: Scutum salutis tuae. hoc est, eam dedisti mihi opem, qua uti umbone usus sum ad mei protectionem. Et uere ea mihi pro scuto fuit, id est, non leuis illa quidem, aut inutilis, sed fortis, sed utilis, sed salutaris. Ea, inquam, illa fuit, a qua omnis mea profecta est salus, non aliunde.

{18.36} Et dextera tua suscepit me.

Explicatius quomodo res acta sit enarrat. Tua, inquit, ope protectus sum, qua quidem clypeo tanquam aliquo salutari, tela hostium depulsa sunt. Verum quomodo? quia dextera tua, inquit, suffulsit me: seu, ut interpretatur Felix, sustentauit me. Solent enim, ait Eutymius, qui alicui opem ferunt, uti dextera, quippe quae & potentior est, & aptior & agilior, quam sit laeua. Non desunt etiam qui sentiant hic, Vatem bona humano generi prouentura ex aduentu filii Dei, quem dexteram patris appellant, praeuidisse. Ab hac enim dextera, seu brachio (sic illum uocat Zacharias) bona omnia mortalibus emanarunt olim, & nunc maxime emanant: adeo ut illum a recta prorsus exorbitare existimem, qui per medium aliud, quam per Christum, aeternam beatitudinem assequi opinetur. Nam quemadmodum coelestis pater omnia, per hoc medium, sapientissime condidit: ita eadem illa nunc ser-

[servat]

{pdf 132, p. 58}

-uat per ipsum: illisque, qui coelestium bonorum capaces sunt, aeterna illa bona, quae nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, copiosissime elargitur. Dexteram igitur Domini huiusmodi, ait Dauid, suscipiet me, quando suscipiet Israel puerum suum. Ideo alio in psalmo clamat: Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, ut uiuam, secundum te scilicet, qui hactenus secundum me uixi: & non confundas me ab expectatione mea, seu spe mea, quin potius suum ipsa sortiatur finem, hoc est, teipsum. Nullus unquam sperauit in Domino, & confusus est, ait Ecclesiastes.

{18.36} Et disciplina tua correxit me in finem: & disciplina tua ipsa me docebit.

Talpis caecior est, qui hic non uidet, quantae utilitatis sit in hoc mundo rebus aduersis affligi, nullamque pacem, nec inducias quidem cum ipso habere. Videtur hic Vates hoc unico uersu asserere uoluisse, tot antedicta a Deo sibi collata bona, prouenisse, seque inde ad summum pene uirtutum culmen ascendisse, aduersitatum lima, ac beneficio Disciplina tua, inquit, correxit me: hoc est, castigatio tua, non ab excandescenti animo atque irato, sed pio ac paterno profecta, erudiuit me, in finem: id est, erudiuit, in aeternum erudiet. Disciplina, inquam, tuae correctionis, qua me ut filium, non ut seruum admones, & in officio contines, me docebit, dabitque mihi intellectum, ne sicut equus & mulus efficiar, quibus non est intellectus. In Hebraeo, pro toto hoc uersu, non est aliud quam: Et mansuetudine, seu bonitate tua, multiplicasti me: hoc est, paterna tua gratia, & benignitate, tantum mihi fortitudinis, quibusdam ueluti auxiliariis copiis accumulasti, uirtutum insuper ac gratiarum, ut iam potis sim a meipso aduersarios debellare. Quid aio a meipso? Tu enim es qui dilatasti gressus meos subter me, & non sunt infirmata uestigia mea. Ruptis igitur hostium impedimentis, contritisque laqueis, quibus ego miser detinebar, securus iter facio. Aperta enim iam est uia, expurgatumque ab insidiis iter est, quo tuto ad te, per te, uenire queam. Haud hic aliud uult Vates, quam omnia sibi, Dei dono, ex animi sententia successisse, quod quidem, secundum historiam sacram, aliquando uerum fuit. Legimus enim capite secundo tertii Regnorum libri, quod postquam Moab Dauidi factus est seruus tributum soluens, atque ipse rex deuicta Syria in ualle Salinarum fecisset sibi nomen, seruauit eum Dominus Deus in omnibus, ad quaecumque profectus est. Summa: Fatetur uir sanctus in tam longa uerborum periphrasi, se adeo in pugna carnis profecisse, ut & actiones, & motus animae, qui & gressus dicuntur, rationis imperio subegerit: ita quod omnes eius partes robustiores sint factae, quam quod amplius nutare queant, ac uinci. Et haec quidem est grati animi de beneficio coelitus percepto confessio, non iactabundi ostentatio.

{18.38} Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar, donec deficiant.

Stabili ex prioribus erga se admirandis Dei operationibus concepta fiducia, inanimat sese Vates, & ait: Inimicos meos tandiu insectabor, donec comprehendero illos: nec, nisi deletis illis, reuertar. Solent enim exercituum imperatores, hi maxime qui uictoria potiti

in conflictu compertum habent nihil esse uicisse, nisi & uictoria sciant uti, palantes hostes, ac in fugam uersos, a tergo insequi, quo prorsus una cum armis, desiderio quoque iterum instaurandi praelii expolientur. Argumentum sane mirabile, ac instructio in rebus spiritus necessaria. Non quidem sat est unum aut alterum superasse uitium: perstandum enim summa ui est, modisque omnibus contendendum, ne hostis non omnino a nobis contritus, fortius recrudescat. Aiunt quippe sanctissimi uiri, humani generis hostes arcu orationum aereo facile transfodi, fugari lachrymis, ac flagrantissimis in Deum affectibus prorsus deleri. Sunt enim huiusmodi acie sanctorum arma instructa, de quibus etiam Paulus: In uerbo, ait, ueritatis, in uirtute Dei, per arma iustitiae, a dextris, & a sinistris. Porro quia saepe per ignauiam nostram, uel extinctus hostis reuiuiscere solet, propterea prudentissime subiungit Vates: Non conuertar, donec deficiant. Tunc enim magis timendus est hostis, cum non sentitur. Simulat se saepe mortuum, ut

{pdf 133, p. 58v}

incautos postea a tergo aggrediatur. Sed quia, quoad uiuitur in hoc mundo, nunquam ab insidiis cessant hostes, eo profecto nunquam nobis ab illorum insectatione est desistendum. Non reuertar, ait Hebraeus, donec consumetur.

{18.39} Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.

Figura fuit illa eorum, quae nunc fiunt in Ecclesia, cum domitis Philistaeis, Moabitis, Ammonitis & Syriis, rex Dauid nunquam adduci potuit, ut cum illis pacem iniret, donec bona eorum parte deleta, reliquos sibi tributarios efficeret. Confringam illos, seu potius, ut ait Felix, percutiam eos, et surgere non poterunt. Vides ad quantum exterminium cogendus sit hostis, caro scilicet, appetentiarumque libido ac petulantia, ne te laedat? Et quidem de te actum esse ne dubites, si uel tantillum foederis cum tam saeuo hoste, ut tute tibi es, percusseris.

{18.40} Et praecinxisti me uirtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtus me.

Quis non miretur huius sanctissimi Vatis animi gratitudine? Suam enim enarrans per partes, ut fit, uictoriam, in media ipsa enarratione, ad scribendum Deo quicquid felicis successus esset nactus, digreditur: et ait, quod Dominus is ille fuit, qui se tam ualida praecinxit armatura ac uirtute, ut hostes prorsus attriuerit. Loco supplantasti, Felix legit, prosternes, seu incuruari facies: utrunque enim ad extremam hostium deletionem ostendendam facit. Caeterum supplantatur hostis, cum putans uincere, uincitur: prosternitur autem, aut incuruatur, cum adeo fortiter ense, aut fuste percutitur uulneratur, ut nulla salutis suae spes extet reliqua. Sensus igitur: Tu Domine ille es, qui bellis gerendis me idoneum fecisti: strauisti quoque inimicos meos omnes, illos qui insurgere in me moliebantur, eosque insuper terga mihi dare coegisti. Idcirco addit Propheta,

{18.41} Et inimicos dedisti mihi dorsum.

Hypallage est. Quid hoc oro? Obuertisti mihi terga, haud pectus hostium: eosque in fugam egisti, sed qua tamen effugere non poterunt.

{18.41} Odientes me disperdidisti.

Felix sic: Et inimicos meos dedisti mihi ceruicem. Quod quidem ipsemet exponens, inquit, fecisti illos retrorsum ire, ut post tergum illos insequerer: ac me odio habentes, ad interneeone perducerem. Non fuit, inquit, qui uersa facie ueniam rogaret ea propter, o Domine, illorum superbiam penitus extinxisti.

{18.42} Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.

Haec plagarum omnium miserrima est, cum clamant ad Dominum peccatores, & non exaudiuntur. Humiliauimus, inquit, animas nostras, & non aspexisti Quae res infelicioi homini accidere potest? homines enim quantumlibet mali sint, & adorent creaturas magis quam creatorem, ut inquit Paulus: in afflictionibus tamen Deum inuocare soliti sunt, sed non serio. Siquidem in aliis rebus magis, quam in Deo, uel cum Deo simul, spem suam ponunt. Verum zelotes est Deus noster, qui se solum coli uult, inque se solo exigit, ut ponat homo fiduciam suam. Non quidem eius fauor ac gratia, uanis ritibus, superstitiosaque, ut est illa Iudaeorum, emitur religione, aut cruentis sacrificiis placatur, sed corde puro, conuersioneque uitae tota diuino cultui consecrata. Quid igitur Deum nostris precibus sollicitamus? nos, dico, qui res alias cum ipso adoramus, aurum scilicet, scortum, gloriam, famam? Vides, certo scio, quo animi proposito eum ipsum praeditum esse oporteat, qui cupit a Domino, cum orat, exaudiri. Alioqui si infecti auaritiae ueneno, si fraudibus, si dolis, si odio, si nosmet ipsos ulciscendi cupiditate fuerimus conspurcati, quomodo purissimas diuinae maiestatis aures obtundere audebimus? Quo circa quia Dominus illos sua ipsorum culpa contempsit, neque illorum dignatus est supplicationes admittere, secure

{18.43} Comminuam illos ut puluerem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos.

His enim similitudinibus uult Vates suos hostes, non tantum Moabitas & Serios, quantum daemones iri exterminatum intelligi. Parum enim esset, uel Daudem olim, filium Roab Adadezer regem Soba, ac omnes eius curruum subiuga-
[subiugales]

{pdf 134, p. 59}

-les subneruasse: uel, nos qui mutuis tam crebro inter nos desaeuimus uulneribus, palmam a Tuneto, aut Byzantio reportasse, nisi illi regii animi ferociam edomisset, nosque depositis armis, dominandi cupiditatem, atque ambitionem allideremus, unaue cum ipsis ensibus abiiceremus. Hi sunt sane hostes, qui a nobis (modo nostra nobis salus sit curae) non simpliciter uincendi, sed radicitus extirpandi sunt: ac non aliter, ut ait Paraphrastes, dispergendi, quam puluerem solet uentus, et tanquam lutum platearum abiiciendi. Lutum enim platearum, ut notat Felix, solet abiici, ac ex illo extra

uias cumulus fieri, ne credo, nundinas impediatur, dum coeni uisco atque odore offensi homines, a negociis abstrahunt: quamuis adeo iam succreuerit intra urbium moenia lucri sitis, ut ne, si caderet quidem nautea e coelo, aut asphaltum, deterrentur, & a contractibus forensibus ciues, & a licitatione licitatores.

{18.44} Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium.

Haec de seipso Dauid, ut Christi typus. Alioqui nusquam legimus in Dauide completum esse, quod constitutus sit in caput gentium. Et quidem, ne ipsum Deum unicum esse rerum omnium conditorem ac reparatorem, cuique acceptum referri oporteat, quicquid boni successus, in hac dura cum mundo & carne conflictatione, nobis prouenit, dubitarem, subitam introducit filii Dei personam, qui fateatur sese diuino auxilio atque ope adiutum, ereptumque de manu hostili, ut ait Hieremias. Vnde coelestis nobis exoritur doctrina, qua admonetur, quam forti medela nos monstra rerum indigeamus, postquam Dei filium, & hunc innocentissimum, cernimus paterno auxilio seruatum. Porro Iudaei, ut iam diximus, populus Dei peculiari praerogatiua appellabantur, quemadmodum caeteri, gens. Ait igitur hic Christus: Tu pater ille es, qui me a rixis ac iniuriis populi tui, Iudaeorum scilicet, liberabis: quo quidem abs te, sua sponte reiecto, constitues me in caput gentium. Et certe tota Dei filii uita, si rem ex animo cogites, nihil aliud in terris fuisse tibi uidebitur, quam contradictio quaedam, rixa & contentio cum Iudaeis. Hi quidem liuore, & qua maxime cruciabantur, ambitione moti: ille autem amore ac beneuolentia. Illi, ut eum perderent: noster uero, ut illos uiuificaret, suaque aeterna domo, & felicitate donaret. Quid? ne illi quidem ipsi inter se in eo, in quo Christo contradicebant, erant concordēs, Alii enim asseuerabant eum bonum esse, alii non, sed seducit turbas. Quid Pilatus? Regem uestrum crucifigam? illi autem, Non habemus regem, nisi Caesarem. Populo tandem isto duriore, quam sit aes aut adamas, proiecto, constitutus est Christus caput, dux, rex ac princeps gentium. Vides quomodo naturalibus fractis oleae ramis, horum loco succreuit oleastri surculus? Et erit, ait Osea, in loco ubi dictum est eis: Non plebs mea uos, ibi uocabuntur filii Dei uiui, Sed illud magnopere horrendum, quod cum cogito, totus cohorresco. Clamat enim Dominus in Euangelico illo Esaias spiritu: Inuentus sum a non quaerentibus me: palam apparui his, qui me non interrogabant. Ad Israel autem: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Putasne totas noctes in peccatis stertendum esse spe fultis regenerationis, ordinum, sacramentorum? Erras toto, ut aiunt, coelo, si ritibus conuenis, uita uero dissentis, ac contradicis.

{18.45} Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.

Quae maior potest esse laus, quam sic a filio Dei laudari? Ecce clamat Esaias, & ut potest, Deo in carnem uenturo gratulatur. En gentem, quam nesciebas, uocabis: & populi. qui non cognouerunt te, ad te current. Dominus autem: Populus, o Esaias, quem antea meum neque habebam, neque cognoscebam, seruiuit mihi per fidem. Sed & aliquid amplius addam: In auditu auris, hoc est, non uiso me, non perspectis miraculis ac signis, suscepit me: filius uero dilectus contempsit. Idcirco beati illi, qui non uiderunt, & crediderunt. Quam uereor quidem interdum, ne abiectis nobis, subintret

Parthus aut Turca, postquam eo res nostrae deuenerunt, ut pene diuina bonitas a nostris sceleribus superari uideatur.

{18.46} Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt.

{pdf 135, p. 59v}

Heu lachrymabilem commutationem. Tu popule electe, cui data est lex, ut ait Paulus, promissio, testamentum, sinis te a suis & canibus, hoc est, a publicanis [sic, publicanis] & peccatoribus ab aeterna uita deturbari? Quam uerum fuit illud, quod filii regni eiecti foras sunt, interim illo genti facienti iustitiam concesso. nam publicani uos, ac meretrices, praecedent in regno coelorum. Conqueritur igitur Dominus, & ait: Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Quod quidem ferme idem est, quod hic dicitur: Filii alieni mentiti sunt mihi. hoc est, hi qui filii esse debebant, negauerunt me, persecutique sunt, ac tandem occiderunt: quocirca alieni, spuriique facti sunt. Vis ne audire qua sorte miserabili mentiti sunt ei? Nos, aiunt, patrem Abraam habemus: Iesus autem, Vos ex patre diabolo estis. Filii, inquam (quod sine animi dolore replicare nequeo) alieni inueterati sunt,

{18.46} Et claudicauerunt a semitis suis.

Id est, spurii isti non solum semel, bis, aut iterum, me negarunt, sed in malis quoque penitus consenuerunt, semperque claudicantes, prae in iustitiae semitis incesserunt. Verum quoniam Hebraei aliter haec uerba legunt, Et claudicauerunt in semitis suis: uidentur etiam uelle sensum alium intelligi. Sic enim legunt: Ex penetralibus suis trepidauerunt, uel defluent, seu cadent ex clausuris suis. Quibus & consentit Paraphrastes: Desertores, ait, semper in metu erunt, & abdent sese in latibulis suis. Propterea quidam, sed in primis Felix, illud mentiti sunt, eundem habere sensum autumant cum illo sexagesimisexti psalmi, uidelicet: Prae multitudine uirtutis tuae mentientur tibi inimici tui. Quem sic reddunt: Tua potentia efficit, ut hostes tui fateantur se mendacium & uanitatem sectatos esse, cum propria se uirtute superaturos iactarent. Felix uero sic: Dicent prae timore non fuisse aduersum me. Aliis autem uisa est absurda haec sententia, proinde asserunt Vatem uoluisse his uerbis nihil aliud a nobis intelligi, quam illos penitus Deo supplices, atque eius potentiae obnoxios fuisse, illud Deuteronomii citantes, Negabant te inimici tui: uel, ut alia habet litera, mentientur tibi inimici tui, & tu eorum colla calcabis. Et forsitan, aiunt, inde mentiri pro tepidare, seruili maxime subiectione, scriptura usurpare solet: quod qui ita subiecti sunt, multa soleant, timore nimio adacti, his mentiri, quibus seruiunt, & quorum potentiam reformidant. Nam et illis quidam sic reddidit: Seruiliter mihi supplices facti sunt, quocirca ex penetralibus suis trepidauerunt. hoc est, in locis etiam clausis ac munitis timore contabuerunt

{18.47} Viuit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltetur Deus salutis meae.

Iuranti hic erat mos apud Hebraeos, ut passim in ueteri instrumento est uidere: & est perinde ac dicat, per Deum uiuentem, cum interim gentes per deos mortuos iurarent.

Verum in hoc loco uox est gratias Deo agentis: unde Hebraeus interpres sic uertit: Laudatus propugnator meus. Felix uero fere idem cum nostro, Viuit Dominus, ait, & benedictus creator meus. Adeo dulcissima uoce uitae delectati sunt pene omnes, & quam uere, singulariterque Deo uiuenti in secula, conuenire arbitrati sunt. Sensus igitur: Ipse Deus, qui fons est uitae, uitamque habens in semetipso, cum dii gentium mortui sint, haec tam mirifica, quae hactenus enarraui, operatur: idcirco sit semper benedictus, laudatusque in aeternum, qui mihi rupis instar ac propugnaculi semper extitit: exaltetur ab omnibus, colat, agnoscat: ipse enim salutis meae autor fuit. Huiusmodi quidem sublimitatis mens debet esse Christiani, ac perfectio, ut in omnibus tum dictis, tum factis, semper aueat Dei nomen exaltari, suum uero deprimi. Vides quomodo suo more Vates se ad psalmi finem accingens, laudibus illum occludere satagit? Desunt ut nobis ignauissimis argumenta uirtutum in hoc sanctissimo uiro?

{18.48} Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.

In Hebraeo, Iracundis non habetur, sed hac uoce aduersariorum affectus exprimitur, qui rabie sola, atque ira eos impellente, in Dei electos insanire solent, non iusta causa aliqua, aut ratione. Summa est, quod Deus ipse semper uiuens, atque omnium potentissimus, uires nobis suppeditat nos ulciscendi, qui & solo nutu subi-
[subigit]

{pdf 136, p. 60}

-git nostro iuri atque hastae, inimicos eos nostros, qui sola animi impotentia ac rabie in nos desaeuiunt. Et quidem non te mouere debet, quod hic cernis Vatem sese iactare de accepta coelitus facultate se ulciscendi. Nam nihil aliud esse de inimicis nostris, uel in primis inuisibilibus, quorum, ut inquit, Dionysius, furor est irrationabilis, amens concupiscentia, phantasma proteruum, poenas sumere, quam illis non cedere, eorumque suggestionibus non assentiri, cum a sacra lege, tum ab experientia edocti, probe nouimus. Vis ne e tam dira lucta uictor recedere? ne pedem moueas, sed persta, dura, finge te fortem ac ualidum. Alioqui mirum, quam daemon in meticulosos acer sit, atque audax. Secus uero nobis cum hominibus nostrae professionis certandum est. Carbones, inquit Paulus, ignis congeras super caput eius. hoc est, par pari in iniuriis ne referas: non odio te persequentem insequaris, non remordeas, sed uince in bono malum. Hostes enim beneficiis deuincire, ac nobis obsequiis conciliare, summa laus est, atque honoratior triumphus & uictoria, quam si eos laqueo strangules, aut ferro iugules.

{18.49} Et ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me.

Iam finem facit Propheta omnibus praedicandi a quot malis ereptus sit a Domino, quo cuncti in eum credentes perdiscant tandem ad unicum illud asylum, tutumue perfugium recurrere, ac post adeptam liberatione, partamque uictoriam uim omnem, qua uictores euaserunt, illi referre acceptam, atque eum, quantum fas est humano ingenio, laudum trophaeis onerare. & est, ac si dicat: Quid multa commemoro? quid per partes bellum commissum, uictoriamue concelebro? Tu enim is ille es, qui omnibus illis, qui in me

insurgunt, superiorem me facies, a uiroque iniquo & maligno: seu, ut legunt Hebraei, a uiro uiolentiae: uel, ut uertit Felix, a uiro iniquitatis, tutaberis me. & est mutatio numeri.

{18.50} Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo psalmum dicam.

Hic enim Dei filius Patri pro electis gratias agit, & ait: Quoniam me in caput gentium, reiectis filiis illis alienis ac rebellibus, constituisti: meque a populi contradictione eripuisti, superioremue omnibus illis, qui in me cristas erexerant, fecisti, uim mihi de inimicis meis me ulciscendi suppeditans: demumque, quoniam me ab omni homine maligno ac uiolento tutatus es, in futurumque tutaberis, te, tuumque nomen laudabo, spargamque tui regni famam per cunctas passim nationes: ac demum faciam, ut omnes, qui sanctum tuum uerbum accipient, te laudent, te extollant, actuum tremendum nomen sanctificent. Videsne, o homo animalis, quo tuae referendae sint odae? quo cantiones? quo metra illa tua mille libidinum naeuis conspurcata? Nomini, inquit, tuo, o Deus, psalmum dicam: non scorti, aut lenae nomini, aut adulterae. Quid turpitudinis in metris illis, quos metriceales uocant (ob id puto, quod a Cale oppido Galliae originem habeant: uel, quod magis placet, a calo, quod bonum significat, eo modo sic dicti, quo apud inferos, Eumenides) non auditur? Quam sanctoribus musis, puerorum, puellarumue ingenia exercitanda essent? quam castiori plectro emollienda, ad amoremque diuinum, non lasciuum ac turpem, in suis istis primis annis imbuenda? Vidimus enim aliquando, uel castissimas matronas, neque insanientium amantium lachrymis aut donis, neque pulchritudine ipsa sua ab omnibus laudata, atque a quamplurimis concupita, potuisse flecti: ad unam tamen lasciuam cantionem, cor ad ea cogitanda conuertisse, quae perpetrata, & sibi, & familiae, & patriae, perpetuam infamiae notam inurerent. Sed parum forsitan hoc esset, nisi & templa quoque ipsa istuc uenenum infecisset. Ridiculumne illud est, an flebile magis dicendum, auribus choros audire, sacros hos psalmos in templis Deo canere: corde uero, intercalari quadam ueluti turpitudine, foedos amantium ignes ab organis haurire?

{18.51} Magnificans salutes regis eius, et faciens misericordiam Christo suo David.

Mutatio rursus est personae, & est ac si dicat, magnificas salutem: seu, ut legit Paraphrastes: Aduages in immensum salutifera dona regi tuo, facisque misericordiam

{pdf 137, p. 60v}

Christo tuo David, & semini eius usque in seculum. Quanta spes hic concipi debet, postquam cernimus totam uim regni Christi in misericordia consistere. Genuit enim pater filium sibi ab aeterno, Deum uerbum, natura sibi aequalem, eiusdemque potentiae ac uirtutis, quem constituit regem uniuersorum, per quem fecit & secula, & cui fecit misericordiam: hoc est, regni eius summam uoluit esse misericordiam. Proinde eundem ipsum filium appellat uates Dauidem, hoc est, amabilem, lenem, speciosumque forma prae filiis hominum &: quo etiam nomine ab Hieremia uocatu. Et seruiant, inquit, Dauidi regi suo: id est, ut interpretantur, Messiae. Regnum igitur amabilis huius regis,

amor est & misericordia: non fastus, non odium, non ambitio, non tyrannis, non crudelitas.

{18.51} Et semini eius usque, in seculum.

Cuius eius? Christi scilicet. Haec enim electorum est multitudo, quae semen Dei appellatur. Quinimo in ipsis diuinum est semen, atque ob id peccare non possunt, ut ait Ioannes. Quid autem sit hoc semen, si interrogor: puto esse aeternos illos motus atque igniculos, a summo rerum opifice ab aeternis seculis in electorum cordibus accensos, secundumque infinitam eius misericordiam, electorumque ipsorum electionem atque propositum, ut cum Chrysostomo sentiam, futurum, praeuisos, immotaque sententia destinatos: quorum quidem suauius illapsu ac monitis, crebro experrecti, non peccant ad mortem: hoc est, in peccatis haudquaquam moriuntur, sed in Domino: propterea beati. In seculum, ait: id est, misericordia regni huiusmodi aeterna erit, & adeo aeterna, atque interim tam regi nostro familiaris, ut pene iustitiae uideatur, ut sic dicam, oblitus. Erit, inquit Zacharias, ex his, qui offenderit in die illa (gratiae uidelicet) quasi Dauid. hoc est, erit sicut Dauid, qui post culpa suam magnam misericordiam est consecutus. quare clamabat: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Vides differentiam legis & Euangelii? Cernis quam uerum sit illud, quod olim mundi sapientibus Dei maiestas, Iudaeis iustitia, Christianis uero misericordia innotuerit? Et quidem, licet misericordia & iudicium cantanda sint Domino, misericordia tamen Domini plena est terra. Dulcor sane is est, quo absente, nostrae omnes actiones, quamuis diuinae & sublimes, amarae sunt, ac Deo parum gratas: praesente uero, uel illae quidem, quae nota aliqua imperfectionis respersae uidentur, munda efficiuntur, & Deo gratas.

Danti aeternitatem,

PSALMVS DAVID XIX.

Hoc psalmo uates Dei uirtutem ac prouidentiam, ex opificio coelorum relucentem, celebrare intendit. Memorat deinde legis diuinae excellentiam & robur, ac demum a peccatis seruari rogat petitque, ut quicquid animo cogitat, aut ore loquitur, illi probetur, & gratum sit. Nulli dubium esse debet, coelos istos uisibiles, stellas, solem, lunam, dies, noctes, diuina esse spectacula, in quibus conditoris gloriam intuemur, aeternamque eius potentiam, ut ait Paulus, & diuinitatem contemplamur. Et quia haec iam ex consuetudine atque usu apud homines coepta sunt euilesce, paucique inueniuntur, qui ex tam pulchra coelorum machina, Dei maiestatem intelligere curent: prudentissimus uates uoluit hisce rebus, quae ante oculos semper obuersantur, & nunquam non apparent, humani generis stupiditatem excitare ad illam considerandam, a structura scilicet ordinatissima coelorum, ordine, motu, ornatu, & sic orditur:

{19.2} Coeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Volunt interpretes hebraei hic idem esse, eundemque sensum praetendere coeli & firmamentum: quamuis dictio hebraea, ut ipsi asserunt, non firmamentum, sed aether,

significet, utpote quae non a firmitate, sed ab expansione dicatur. Ex quo illud, quod nos in Genesis libro legimus: Et uocauit firmamentum, coelum: illi, athera uocauit coelos. Hinc etiam ex nostris quidam Aristotelem imitati, dicunt coelorum, syderumque naturam hoc nomine appellari, ducta nimirum huius uocabuli origine ex eo, quod semper motu circumductili aether feratur. Quemadmodum igitur, ut hi uolunt, idem est aether, quod coeli: ita quoque idem enarrant, glo-
[gloriam]

{pdf 138, p. 61}

-riam scilicet Dei, ac maiestatem. Quare a magnitudine & pulchritudine rerum conditarum, quasi proportione quadam, ut uocat Eutymius, earum, artificis excellentia consideratur. Nam qui coelorum, siue aetheris, formam, situm, pulchritudinem, ornatum spectat, uisu, ueluti doctore aliquo, utitur, ad sempiternam Dei uirtutem specularandam. Quocirca dicimus coelos, coelorumque machinam, Dei magnitudinem praedicare, cum proprio eos aspectu, ornatae ac motu, pro uoce uti consideramus. Nemo est enim, nisi sit omnino indoctus, qui censeat coelos esse animatos, atque os habere ac linguam, ut caetera animantia, contendat: uerum, ut dixi, ipsa in illis pulchritudo & forma, uox est quaedam mirabilis, qua eorum opificis magnitudo annunciatur in uniuerso mundo. Ad quam quidem considerandam nos prouocat Esaias non semel, sed illud in primis: Leuate, inquit, in excelsum oculos uestros, & uidete, quis creauit haec. Caeterum, ut hic uerissimus sensus sit, quem dixi, quis nos tamen uetat, postquam uideo Paulum, quartum huius psalmi uersum de sanctis apostolis interpretari, hic sanctos Dei uiros, ac uates caeteros, coelorum nomine intelligere? Coeli igitur apostoli sunt, ac caeteri eiusdem propositi uiri, e quibus Deus, ueluti ex hoc aethere solet fulmina, ignita uerba iaculatur, terret, fulgurat, ac terrifico quodam iustitiae strepitu detonat. Hinc nimbi illi, ardente persecutionum Sirio, consolationis gratissimi hinc fiduciae pluuiae, hinc casti amoris nubes, aestum atque ardorem huiusce inhospitae solitudinis uitae refrigerantes, ortum habent. Audite, ait Moses, coeli, quae loquor. Quid mirum si coeli existimandi sunt hi, qui tum ore, tum animo, cum Paulo clamant: Nostra conuersatio in coelis est? Sed quid enarrant coeli isti felicissimi? gloriam profecto Dei, quam esse arbitror cum Cassiodoro, gratuitam peccatorum ueniam: ex qua quidem solus glorificatur Christus, nos uero, nostraque iustitia, uis & studium, damnantur. Verum hanc gloriam quis enarrare? quis praedicare? quis extollere potis est, nisi coeli isti formosissimi? Etenim terra terram sapit & praedicat: hoc est, mundi fastum ac pompam. Secus uero coeli isti mystici, quibus sui artificis gloriam & maiestatem annunciantibus, nostra illico cadunt omnia, proprius scilicet amor, ac carnis cura.

{19.3} Dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat scientiam.

Nescio an ullus alius possit esse apertior sensus huius uersus, quam quem ponit Paraphrastes. Ait enim: Dies unus indicat subsequendum alterum, & nox una docebit nos cognoscere aliam: perpetua enim uicissitudine mutuo succedunt. Inter caetera huius structurae mundanae, quae pulcherrima sunt, haec inter prima esse uidentur, cum in rerum ordine, dies diei, perpetua quadam uicissitudine, eructat, seu manifestat uerbum: hoc est, mandatum Dei, ut miro quodam modo & ratione, subsequens dies a praecedenti

pendeat, ab eoque modum praefixum, qui ei obuenturus sit, sumat. Ex quo quidem ordine & harmonia, rerum opifex laudatur, eiusque magnitudo ab omnibus & cognoscitur, & praedicatur. Neque porro id solum in mutua ista dierum ac noctium concordia est uidere, sed in anni partibus quoque, qui tam concinne quadrifarie diuiditur, ut nullus alius in rebus conditis mirabilior appareat ordo, qualem in ueris, aestatisue, autumnii, atque hyemis ordinatissima successione cernimus. Quod sane non esset, si nullo ordine, nullaue unius & eiusdem optimi ac perfectissimi prouidentia principii, sed casu, temerariaue ui ac sorte, mundus regeretur. Hoc itaque modo, illud adagii loco uulgo celebre uerum esse deprehenditur, quod discipulus prioris est posterior dies. Caeterum dies, gratiae tempus est: nox, legis & peccati. Unde illud: Nox praecessit, dies autem appropinquabit. Nox Dei ignorationem praetendit, dies scientiam & fidem. Dies spiritum, nox carnem. Noctis inuolucris obducti erant prophetae: diei radiis Euangelium, hoc est, Christi praesentia. Verum & nox suam habet gloriam, quamuis tenuem, ad illam diei, in quo sol iustitiae nunquam deest. Noctis enim ea est gloria, cum doctorum hominum stimulis exciti, nos omnes sub peccato esse arguimur, ac de nocte ad diem reuocamur. Nonne igitur nox legis scilicet minae, atque nostra declarata per legem damnatio, & conscientiam, annunciat nocti scientiam? hoc est, illis quidem, qui etiamnum in fidei ignorantia.

{pdf 139, p. 61v}

Iudaicisque superstitionibus uersantur. Etenim absque legis ac conscientiae monitis in profundissima errorum nocte uolutamur: ab illis uero puncti, facile ab huiusmodi, tum legis, tum conscientiae tenebris, ad lucem diei, quae est fiducia in Deo, prodimus. Porro felicissimum illum esse diem arbitror, qui, ut aliquando nox dies efficiatur, se in noctem transformat. Quod quidem accidit, cum perfectissimi uiri sese infirmioribus animis tandiu attemperant, quandiu crescant in uirum perfectum. Cum liber essem, aiebat Paulus, ab omnibus (ecce lux in Paulo) omnium me seruum feci, (ecce nox) cum Iudaeis Iudaeus, cum gentilibus gentilis, omnibus omnia factus sum, ut Christum lucrifacerem. An uero dies, in suauiissima Christi academia, diei eructet uerbum, hi norunt, quibus in uita nihil iucundius est, quam in sacrarum literarum campo assidue spaciari. Sacrum enim Euangelium, quod lucidissimum diem appellare fas est, quomodo diei, sanctae uidelicet animae, uerbum illud diuinum, qui Christus est Iesus, cuius ipsum grauidum est, non eructabit? non ostendet? non notum faciet? Lux, o lumen, o lampas uniuersi, Christe benignissime, quem unicum & colo & ueneror, usquequo in tenebris uersor? Semper ne in caligine errorum, insipientiaeque, cor meum frigidum uolutabitur? Heu me miserum, quot annis absque luce, attonitus super terram, infelicem hanc traduxi uita? Transactae me poenitet uitae. Tu igitur dies luce omni splendidior, mihi, non iam diei, sed nocti obscurissimae ac deploratae, tuum sanctissimum uerbum, tuam sanctam legem, tuam gratiam, tuum fauorem, instilla. Da me in te transfundi o lux beatissima.

{19.4} Non sunt loquelaе neque sermones, quorum non audiuntur uoces eorum.

Felix: Ut non audiat uox eorum hoc est, non est idioma, non sermo, non natio tam remota, quae non audierit uocem rerum conditarum suo more loquentium, passimque praedicantium sui conditoris sapientiam, potentiam, uirtutem, bonitatem. Namque

{19.5} In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbi terrae verba eorum.

Censet Eutymius praecedentem uersum legi debere per interrogationem [sic, interrogationem], et sit sensus: putandumne est, uariarum rerum articulata uoce carentium pulchritudinem, cessare posse a celebrandis laudibus sui opificis, etsi inanimae sint? Non hoc quidem. Nam in omnem terram exiuit sonus eorum. In elementis igitur, uniuersique fabrica & structura, ipse ornatus, distinctio, utilitas, pulchritudo, uisque illa rebus omnibus a suo conditore sapientissime, qua seruantur, quaque altera alteri affinitate est coniuncta, ingenita, uox est ac sonus, quo Dei magnitudo etiam in ultimis orbis recessibus degentibus innotescere potest. Sed quid haec, dicet aliquis, ad promerendam fidem eam, quae in assequenda uita aeterna prorsus est necessaria? Respondet spiritus, quod nunquam uiri sanctissimi defuere, & in primis apostoli, qui per uniuersum orbem donum hoc fidei disseminarent. Quod ne repentinum aliquod ueluti monstrum exhorrescerent homines, praedictum a sanctis Dei uatibus longe ante fuit. Ait enim Esaias: A finibus terrae audiuius laudes, gloriam iusti. Rursus uice Domini: Mittam ex eis, qui saluati fuerint, ad gentes, in mare, in Aphricam, in Lydiam, tenentes sagittam, in Italiam & Graeciam, ad insulas longe, & annuntiabunt gloriam meam gentibus. Quam gloriam, quaeso? remissionem certe peccatorum, gratis dandam per Christum mortalibus. Quo nimirum beneficio, maximam sibi comparauit gloriam Deus apud eos, qui & in terris sunt, & qui in coelis, cum pro his mortuus est Christus, qui & impii erant, & hostes: qua quidem morte extinctus plane mundus uniuersus, ad uitam est restitutus. Gratias ago Deo meo, aiebat Paulus, quod omnium uestrum linguis loquor. Quorsum eo linguarum dono, tum Paulus, tum caeteri primae Ecclesiae proceres a Deo insigniti fuere? hac nimirum causa, ut in omnem terram exiret sonus eorum, ac non essent loquelae, neque sermones, quorum non audirentur uoces eorum.

{19.6} In sole posuit tabernaculum suum.

Quia nullum aliud in coelis sidus Dei maiestatem aequae attestatur, uti sol, idcirco Vates huius peculiariter mentionem facit, asserens, quod in ipsis coelis tam nobilem facem collocauerit. Felix sic: Soli posuit tentorium in ipsis. Cui & quadrat

{pdf 140, p. 62}

Paraphrastis litera. Ipsi, ait, soli aptauit Dominus habitaculum in eis, & imperium dedit in eos. Unde Eutymius: Deus, inquit, habitationem soli posuit in coelo. Vides enim quomodo Graeci cum Hebraeis in huius uersus lectione conveniant. Sol itaque, ut ipse ait, qui constitutum sibi in coelo habitaculum nunquid reliquit, diuinae gloriae ac prouidentiae perpetuus [sic, perpetuus, 1585] est praeco. Et quidem ut nullum aliud in sole, quo queat a nobis summa Dei potentia considerari, argumentum sit: num illud non per se amplissimum, cum, eo exoriente, maneque iubar illud aureum, ex quo aurora est dicta, mundo proferente, uniuersi facies mirabiliter exhilarescit, ac miro quodam modo innouatur? Verum quo magis id quod dicit illustretur, eum persimilem facit sponso e thalamo egredienti, decoro scilicet, ac circumquaerue gemmis atque auro insigni. Est

similis, ait Paraphrastes, sol sponso, qui exurgens egreditur de cubili suo. [19.6] Ferunt Iudaeos antiquitus sub expansa cortina, sponsam sponso tradere solitos: e qua quidem cum progrediretur, omnes qui aderant, exhilarabat, indeque festi ipsi dies nuptiarum sumebant exordium. Proinde prophetam aiunt ex tali Iudaeorum more, huiusmodi de sole cecinisse encomium, quem non solum sponso, qui nuptiali e thalamo egreditur, sed giganti quoque, aut, ut legunt alii, heroi comparat. Unde sequitur:

{19.6} Exultauit ut gigas ad currendam viam.

Mysteria enim quae in hoc psalmo ab aliis enarrantur, diuina quidem sunt, propterea ab illis curiosus lector, ut lubet, ea inquirat. Non minoris forsitan laboris res ea est, ac ratio interpretandi, quam nos sequimur, cuique, uel usque ad sudorem, insistimus, quam illorum, qui in allegoriis assueti, nihil non agunt, quo cuncta allegorica in scripturis esse demonstrant: utinam apte. Verum nec nos in huiusmodi interpretandi genere ieiuni erimus: quam uero feliciter, iudicent alii. Sat enim mihi sit candorem animi profiteri, atque in me esse non dissimulare. Illud igitur in primis dicendum erit, ne intacta prorsus mysteria relinquamus, quid sibi uelit, in sole Deum posuisse tabernaculum suum. Et quidem posset aliquis in dubium uertere, an ob id, quod in fidei causa ab apostolis per orbem uniuersum sparsum fuerat a finem nostrum nancisceremur: & si fine, & hoc perbeato, non essent frustrandi electorum labores, in quo tandem huiuscemodi moraretur finis, in quo adipiscendo tot rerum difficultates sancti Dei apostoli adierunt. Quocirca subiunxit Vates, quod in sole posuit Deus tabernaculum suum. hoc est, in facie Christi, ut ait Paulus, & claritate, qui lucis omnis fons est atque origo, quemadmodum sol est lucis huius corporeae autor & principium, uoluit Deus cognosci, qui antea fuerat incognitus, quando scilicet nox erat, stertebatque mundus uniuersus somno altissime o errorum immersus, In hoc igitur sole conquiescit pater, in ipsoque sui posuit domicilium. Nonne, inquit, ego in patre, & pater in me est? In ipso enim, ut clamat Paulus, omnis plenitudo diuinitatis, etiam corporaliter, inhabitat. Ne porro illum lucem esse unius solummodo regionis aut gentis suspicaremur, de se asserit hoc modo: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Quid illud? ego lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et uere mundi lux est Christus: nam subtracta ab orbe hoc nostro, satis per se obscuro ac turbido, Christi luce, plena erunt omnia tenebrarum, impietatis, perfidiae, ignoratae, crudelitatis: & tandem nihil erit in humanis nisi nox perpetua ac mors. Non quidem lux est Christus eo modo, quo sol est uisibilis: sed penetrantior ille est, utpote qui cor ipsum electorum, atque animam, adeo suis diuini amoris radiis perfundit & illustrat, ut unius pene substantiae cum ipso efficiatur. Is itaque sol iustitiae, aureus sane, atque aspectu desiderabilis, e thalamo illo suo regio, in quo idem cum patre Deus lucem habitat inaccessibilem, egrediens, cum ab aeterno delituisset, erupit tandem in lucem hanc uitae, carnemque assumens, homo factus est. Verum ne subito, ue luti spectrum, aut uisum aliquod nocturnum, disparuit lux haec amabilis Christus Iesus? minime quidem: nam habitauit in nobis, ut ait Ioannes, & manus nostrae contrectauerunt de uerbo uitae. Ne porro, cum solem hunc pulcherrimum audis hominem factum, eum ipsum cogites solummodo despectum, ac quasi leprosum, ut inquit Esaias, atque a Deo perculsum, ob idque ad obediendum patri ui impulsam, ac

{pdf 141, p. 62v}

metu: eiusmodi dubitationi occurrit spiritus dicens, quod exultauit ad currendam uiam suam, gestiens nimirum, ut ait Paraphrastes, tanquam uir strenuus absoluere cursum suum. Fatebatur enim se Christus, in Hieremia, peregrinum esse super terram, & colonum absque diuersorio. Quare uitae huius cursum ac uiam, a calce ad metam, uti peregrini solent, perficere accelerauit. Quid ni appellem cursum? cum uelociter currat sermo Dei, qui Christus est? mirabilem gigantis huius atque herois agilitatem. O nostri hinnuli saltum celerem, & stupendum.

{19.7} A summo coelo, ait, egressio eius, & excursus eius usque ad summum eius.

Hebraei clarius: A fine coelorum egressus eius, & recursus ad finem eius. Cuius quidem sensus, unica ipsius solis ac gigantis sententia diffinitur. Ego, ait, exiui a patre, & ueni in mundum. En a summo coelo egressio eius. Iterum relinquo mundum, & uado ad patrem. En rursus excursus eius usque ad summum eius. Cum tot igitur passim per rerum conditarum machinam, atque adeo per tot suae erga nos beneuolentiae signa, sui notionem dederit,

{19.7} Non est qui se abscondat a calore eius.

Nemo iam homo est, qui se ab eius amore excusare ualeat. Calor is est uniuersalis. Proinde unusquisque, quantum lubet, quo suum cuique arbitrium maneat liberum, sumere potest. Porrigit enim Deus homini, & uelle, & perficere, suum tamen non subtrahens fauorem, atque auxilium: sed non cogit, non inuitos trahit illectit tamen pollicitationibus, quo dona sua non aspernentur. Vide enim quomodo bona uoluntas tua sit, ac Dei donum, quemadmodum etiam fides, quam donum Dei esse affirmat Paulus.

{19.8} Lex Domini immaculata convertens animas.

Commodum enim, connumeratis argumentis illis, quibus adamussim perspectis, nullus est tam barbarus, qui non admiretur, simul & praedicet Dei potent ac maiestatem, adiicit de lege & doctrina Domini, munere quidem eximio, uereque diuino & coelesti. Nam cum per sacram legem ad Dei cognitionem accessum habeamus, cognitio uero Dei sit uita aeterna, concludi potest, Dei doctrinam uitam esse aeternam. Unde illud est Pauli, ad Timotheum scribens, de illa elogium, quo asserit diuinam legem nos ad salutem instruere. Porro cum uaria contineat lex, in unum tamen desinentia, uariis illam uocibus appellat Vates, modo legem, modo praeceptum, modo testimonium, modo iudicia, eandem ipsam nominans. Quarum quidem uocum ea uidetur ratio, ut lex sit id illud omne, quod ad bene recteque agendum, rationem praescribit. Testimonium uero, quod de Dei uoluntate nobis testatur. Iudica etiam, quoniam uiuendi cum proximo legem explicat. Mandatur rursus, seu iussiones, quod quae a nobis seruari uult Deus continet. Timor item Domini, eo quod Deum timere, ueramque religionem, contemptis superstitionibus, ingerit. Iustificationes quoque, ob id, quod iustum eius obseruatorem reddit. At huiusmodi tam uariis nominibus appellata, una lex est irreprehensibilis, atque animas a Deo auersas conuertens. Et est perinde ac si dicat: Fessus sum coelos istos

uisibiles Dei gloriam praedicare, quod sane magnum est, sed prope nihil, si ad legem gratiae conferas: ea enim sincera est, perfecta, absoluta, nihil mutationis admittens, nihil uarietatis, nihil quod inconstantiam prae se ferat, aut corruptionem, cum in coelis ipsis, alioqui pulcherrimis, uicissitudines lucis, atque alterationes aliis aliae succedant. Ista porro animas restituit, reuocat, & in aeternum renouat, beatque & recreat: coeli uero tantummodo corpora. Quantum postea fidele sit legis testimonium, ob id certe considerare possumus, quod fide a diuina lege subtracta, ea omnia quae ad salutem hominum faciunt, uacillent oportet: qua quidem re, nihil in rebus humanis, simul & diuinis, absurdum magis accidere potest. Coeli praeterea Dei sapientiae, sapientes solummodo admonent at scriptura diuina, uel imperitis ipsis mulierculis, paruulis, mundoque despectis, sapientiam suppeditat. Mandata Dei postmodum aequa sunt, iusta, irreprehensibilia, cum interim coelorum lumen obliquet interdum, ac saepe sui dissimile sit.

{pdf 142, p. 63}

Praeceptum Domini, ait, lucidum: sed lucem istam coelestis structurae nubes crebro, ut uidemus, obscurat, densissimaque obducit caligine. Illa tantummodo corporeos oculos aperit, oblectatque: haec mentis aciem, ipsumque totum interiorem spiritum aperit, & exhilarat. Sol item, luna, & caeterae aliorum corporum coelestium faces, cursum suum, motum, ordinem, a summo illis opifice praefixum, dum seculum hoc erit, tenebunt: uerum ultra omne aeuum timor Domini permanet in seculum seculi. Iudicia porro Domini adeo uera sunt, ut ne pilum quidem a recto uariant: sed fallunt saepenumero astrorum iudicia, luxque ipsa nonnunquam deficit, atque omnia tandem uicissitudinibus immutantur, uariant, ac in interitum festinant, cum sacra Dei lex uitam eam polliceatur, quae aeterna sit, uereque beata. Hinc igitur cernas uelim, quam indicibilis sit Dei in nos bonitas, qui, cum satis per se naturae lex ad praestandam nobis de eiusdem magnitudine, ac potentia, cognitionem sufficere uideretur, addidit tamen & legem scriptam, quo nulla in re nobis assequendi finem, ad quem conditi sumus, deesset. Lex itaque eadem haec est, quae immaculatam animam reddit, atque irreprehensibilem: & est, ut ait Paulus, lex spiritus uitae in Christo Iesu Domino nostro.

{19.8} Sapientiam praestans paruulis.

Sola enim humilitas, uirtus ea est, quae legis huiusce sensum assequitur. Quod si tamen huius mundi sapientes interdum uisi sunt (ut nunc maxime uidentur in nostra hac aetate, in qua omnes de profundissimis sacrarum literarum sensis, ac mysteriis, disserere audent, sed utinam candido animo) elegantius quae de diuina lege sentiunt, proferre, quam pauperes spiritu, non intelligunt tamen: non ita afficiuntur, ut hi, qui nihil de se suoque ingenio praesumentes, in solo Deo fixum habent, quicquid sunt. Qui enim de terra est, terrenaque sectatur, atque amat, is, ut inquit Ioannes, de terra loquitur, terraeque incumbit, & immoritur. Erras quidem si animale hominem (sic eum appellat Paulus) unquam coelestium rerum pabula corde haurire existimas, quamuis Demosthenem orationis grauitate superet. Spiritualiter enim illa, ut inquit Paulus, examinantur: quocirca a spiritualibus uiris, infensis scilicet mundo, tantummodo percipiuntur. Gratias tibi ago, o pater, aiebat filius Dei, quod abscondisti haec sapientibus, & reuelasti ea paruulis.

{19.9} Iustitiae Domini rectae laetificantes corda.

Mandata proculdubio nouae legis intelligit, quae iustum gratis reddunt hominem, ac conscientiae pace laetificant, non deterrent, ut olim lex uetus, impraesentiarum etiam nonnullae quorundam parum sibi constantes in Ecclesia ordinationes.

{19.9} Praeceptum Domini lucidum

Tum factum est, cum detecta Mosis facie, & ablato, discissoque a summo usque deorsum uelo templi, una cum capite nostro Christo Iesu in interiora uelaminis, ut ait Paulus, penetrauimus. Caeterum quomodo lucidum id non esse fatebimur, cuius origo lux ipsa est ac sol?

{19.10} Timor Domini sanctus, permanet in seculum seculi.

Alii reddunt, timor castus: alii, filialis, quo intelligas, hunc eum non esse timorem, quem in Iudaico illo populo ferreo, atque adamante omni duriore, fuisse legimus. Porro timorem eum castum esse diffiniunt, cum Deus filiali quadam reuerentia timetur: qui quidem cum ab amore proficiscatur, non potest non sanctus, ac Deo ipsi gratus esse: atque is prorsus infinitus est, perstatque in aeternum, cum in eum tendat, qui supra omnem aeternitatem aeternus est: ille uero alius cum seruilis sit, ac temporarius, cum tempore deficiat necesse est: propterea nonnulli mancipium illum mortis appellandum censuerunt.

{19.10} Iudicia Domini uera iustificata in semetipsa.

Profecto uera, ac in sese absque alieno adminiculo firma manentia. Nam eo ipso quod Domini sunt, uera statim sint oportet: nec alia peruestiganda est ratio, ut solent mundi sapientes, qui, ne in ipsis quidem rebus, quas prorsus coelestis pater uoluit humana ingenia latere, fidem adhibent. Ex quo quidem errore, & temerario

{pdf 143, p. 63v}

ausu, fides pene in Ecclesia Dei periclitata est. Felix sic: Iudicia Domini ueritas, iustificata sunt simul. Quare sic reddit Paraphrastes: Iudicia Domini ipsa sunt ueritas, & modis omnibus aequissima. Insuper

{19.11} Desiderabilia super aurum, & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum.

In rebus enim corporeis nihil aequae existimari uulgo solet ab hominibus ut aurum, & lapides preciosi: proinde a prophetis saepenumero pro diuinis eloquiis usurpari solent, utpote quae magis optabilia sunt, quam quaeuis res preciosissima. Et quidem nihil in terris tam utile esse potest, ac iucundum, quam Dei uoluntatem in sacra lege intelligere. Mirum quam tranquille ocietur anima in ea cognitione, qua Deus cognoscitur, gustaturque, ac plane hauritur. Putasne animae illiusmodi gaudio affectae, ea quae

uidentur in hoc mundo suauius & preciosa, placere posse? nihil certe minus. Nam semel in diuinum amorem, per sacrarum literarum cognitionem transfusa, nihil aliud, tum in coelis, tum in terris, iam uult & optat, quam in eo, quem unice diligit, pausare. Praeterea, quemadmodum hic aurum, lapisque preciosus, id omne quod appetere solent homines, quod principale sit ad obtinendas diuitias, atque inter caeteros principatum, significat: ita apud labor atque opus, ponitur a propheta pro quacunque re, quae uoluptatem nobis, siue in esculentis deliciaribus, siue in quavis re alia delectabili afferre solet. Nec porro uacat mysterio, quod inter caetera edulia, mellis & faui solummodo mentionem facit propheta, cum mel nouum, fauus uero antiquum adumbret testamentum. Illud enim purissimum, utpote a cera repurgatum: is autem permixtus, & confusus. Amabilia sunt igitur diuina praecepta, ut ait Paraphrastes, magis quam aurum, etiamsi purissimum sit, & plurimum (hoc significat, multum, in nostro interprete) & suauiora sunt melle & faui mellis dulcissimo: hoc est quicquid expeti potest a mortalibus in hoc mundo, quod diuitias, quod potentiam, quod uoluptatem adducere consuevit, id minus est, quam si in Dei lege oblecteris. Obryzum scribit Felix pro lapide precioso. Idcirco posuit Paraphrastes ex Hebraeo, purissimum, aurum scilicet quod Hebraei ophir dicunt: & et aurum syncerum, excoctum saepius ac optime repurgatum: de quo quidem in Daniele legimus, quod uir unus uestitus lineis, & renes eius accincti auro obryzo. Cum itaque digna adeo sint, iucunda, plenaque decoris ac uoluptatis, uerba tua, o Domine,

{19.12} Servus tuus custodit ea.

Seu, ut alia est litera, Seruus tuus admonitus est ab illis: ut cautius scilicet agat & non peccet. Conuersio nempe est ardens, atque exclamatio ad Deum, qua eorum, quae dixit, gustum ac experientiam se habuisse testetur, desiderabilia uidelicet super aurum, & quodcunque preciosius auro in terris inuenitur, Dei iudicia esse. Quare sic uertit Felix: Seruus tuus cautus fuit in ipsis. Vide enim quomodo diuina haudquaquam probantur eloquia suauius esse, solaque, quae prae caeteris rebus sint expetenda, legendo solummodo, aut loquendo, sed custodiendo: ut nimirum e prorsus inutilis, ac uana censeatur doctrina, quae ex ore tantummodo erumpens, curiosorum aures uano demulceat pruritu. Verum frustrane custodienda sunt, atque ex animo seruanda Dei iussa? minime quidem. Nam

{19.12} In custodiendis illis retributio multa.

Hic proculdubio aeterna bona, diuinis praeceptis obtemperantibus, retributionem fore asserit. Verum ut multa ac maxima sit, ut est, merces illa beata & aeterna, ad quam suspiramus, cupientes iam tandem dissolui, & esse cum Christo: est & alia in hoc seculo non parui ducenda, quippe quae a Domino in Euangelio centuplum appellatur: quam sane esse arbitror, cum penitus a nobis euulsis peccati radicibus, calcatoque mundi fastu, atque edomita carnis petulantia, uirtutibus ditamur, nihilque non agimus, quo ex hominibus dii efficiamur. Paruipendendane erit huiusmodi retributio ac merces, quae nos adeo diuinae uoluntatis adimplendae cupidos facit, & inflammat, ut unum iam cum tanti boni autore Christo

{pdf 144, p. 64}

Iesu facti, eadem ipsa bona, quae post hanc uitam expectamus, cum carne nihilominus conflictantes pergustamus?

{19.13} Delicta quis intelligit?

Celebratis Dei laudibus in superioribus, ostensoque, & quam ardenti studio in perficienda Dei lege nauanda sit opera, quantiuue facienda sit eius obseruatio, dubitat Vates, an aliquis tam sapiens inueniat, qui impedimenta illa omnia, peccata scilicet, quibus ab assequenda aeterna beatitudine retrahitur anima, perfecte intelligat. Tum enim maxime cum non putamus, e nobis exeunt reliquiae quaedam latentes uetustatis, Cananaeorum residuum nondum omnino edomitum. quare continuo nobis clamandum est, Delicta quis intelligit? Quis delicta omnia aduertere potis est? quamlibet enim uirtutum studia amemus, quamlibet caute solciteue circumspectemus necubi impingamus, uitare tamen non possumus, quin in multis labamur, quorundamque peccatorum nexibus adstringamur, quorum ipsi conscii non sumus, quaeque nostram prorsus fallunt conscientiam. Quapropter quis hic tam imperterritus est animo, qui num sibiipsi interdum timeat, simulac cernit sanctissimos dei uiros uereri, an sit in terris aliquis, qui examussim peccata pernoscat? Errores, seu ignorantias, legit Felix: quem secutus Paraphrastes, sic reddit: Quae errore committimus, tam sunt multa, ut ne deprehendere quidem quisque possit omnia: quare ab huiusmodi, quae latenter irrepunt, munda quaeso me. Propterea a propheta subditur:

{19.13-14} Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.

Tam enim uerum est illud, quod in Prouerbiis legimus, quam aliud quidem maxime: prauum scilicet, atque inscrutabile cor esse hominis. Certe postquam compertum habemus, passim, &, ut sic dicam, artuatim e nobis ebullire flagitia, nostris actionibus tuto fidere nequimus, quantumuis candide, tum nobis, tum caeteris, uiuere uideamur. Quid igitur hic sibi uult Vates? hoc sane: Ab iis me affectibus, uerbis, operationibus, quae cum tibi aduersentur, mihi tamen placent, aut saltem non, ut par est, displicent, libera. Quamuis enim oculatissime cuncta quae ago & cogito, mihi uidear ad normam tuae sanctissimae legis edolasse: attamen, cum opus ultimam exegerit manum, uideo me plurimum a rectitudine aberrasse, cum nihil tamen minus uererer. Aiunt quidem peccata omnia duobus includi terminis: aut occulta omnino esse, aut aliena. Occulta illa esse dicunt, quae in nobis innascuntur, quae & originalia uocant idcirco, quod in secretioribus animae recessibus oriri soleant. Aliena uero illa ipsa, quae suadentibus malis hominibus, aut daemone, committimus. Ab illis, inquit, quia sordes quodammodo sunt naturales, me emunda: ab istis autem me uendica, ac parce. Illud porro non omittendum quod alii legunt, a flagitiis parce seruo tuo: quae sane prorsus alienos nos faciunt a Deo. Alii item putant hic Vatem orare, ut se seruet Deus a consortio alienorum, illorum scilicet, qui in sorte Dei minime censentur. ac si dicat: Retrahe me, ne impiam illorum uitam probem, secterque, qui longe abs te alienati sunt. Quare hi uolunt masculino genere pronuntiari debere, alienis: ob id quod sequitur, Si mei non fuerint dominati. Alii rursus asserunt, ab alienis peccatis legendum esse, quae nostra fiunt, cum non prohibentur ne accidant: aut non mulctantur commissa, cum possumus, ac

nostra interest. Verum Hebraeorum interpretes, & in primis diuus Hieronymus, in hoc consentiunt, ut sic legamus: A superbia, seu fastu, contine seruum tuum, ne dominetur mihi: & est sensus, ut mea est opinio, uere spiritui prophetae cognatus. Non enim rogo, ait, me a reconditis sordibus, & quae me penitus fugiunt, emundari, propterea quasi reliquorum periculum me euasisse arbitrer: haec esset quidem nimia de meipso praesumptio. Nam nisi tu serues, nisi mundes, nisi fluxae meae naturae, ac vitro ipso fragiliori succurras, manumque supponas, video me in quaeuis facinorosa flagitia, quorum caput est superbia, posse prouere. Peto igitur ut a grauioribus quoque flagitiis illis me seruum tuum, hoc est, eum qui sese totum tibi iam ab ipsis primis incunabulis consecrauit, & cui nunquam res ulla tam fuit cordi, quam tuae est sanctissimae legis obseruatio, tuteris, perpetuoque munias. Ne dominetur mihi, ab Hebraeis

{pdf 145, p. 64v}

additum esse puto: quo periculum quod in uoluntariis delictis natura est insitum, perpendatur, Solent enim a uoluntate profecta peccata, simulatque animam prorsus occupauerint, ad alia statim rapere. Desideria patris uestri, ait Christus ad huiusmodi male affectos homines, uultis perficere. Vides in his uerbis peruersae uoluntatis conatum, ad exaturandam suae libidinis rabiem contendentem? At quantum magis elaborandum nobis esset, ne tam imperspecte a diuinarum rerum consideratione auersi, in id flagitiorum sponte nostra prolaberemur, unde exire postea, ne per poenitentiam quidem illam quae nihil opis Iudae Domini proditori attulit, nequiremus. Traditi enim, iusto Dei iudicio, hoc est, uolentes, in mentem reprobam, quomodo Dei iniuriam poterimus non amare? ex animo delinquere? atque in perpetuis erroribus obdurescere? Sed etsi uerum illud sit, quod de peccati dominio, secundum Hebraeos, est dictum noster tamen interpres, quem altissimo spiritu praeditum fuisse iudico, suo non est fraudandus sensu. Ait enim:

{19.14} Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.

Quamuis lucidior esset litera, si secundum graecam lectionem uerteris: Si mei dominata non fuerint: ut dominata, ad peccata referas: tamen & haec quam frequentamus, pia est lectio. Peccata enim quae supra commemorauit, suos uocat hostes Propheta: & est perinde ac si dicat: Non oro, Domine, ut peccata, hostes scilicet mei tollantur omnino a me: quandoquidem hoc nobis pene a natura ingenitum esse uidetur, ut crebro labamur: sed eorum deprecor dominium. Sat mihi sit illis ipsis caris necessitatibus quibus uel ipsi innocentissimi uiri etiam inuiti parent, inseruire: tantum non seruiam atrocissimis illis hostibus qui sunt, peruersa uoluntas, obstinatio, temeritas, superbia, ambitio, atque cum caeteris huius generis monstris desperatio. Hoc enim abs te exorato, immaculatam perpetuo degam uitam, insuperque

{19.14} Emundabor a delicto maximo.

Haec est irreuocabilis in malitia consuetudo & impenitentia, quod est maximum omnium bonorum animae exterminium. Et quidem ex eo, quod tentator libentius seruimus, quam nobis ipse imperat & dominat, formatur in nobis habitus quidam pestilens in peccandi consuetudine: qui quidem cum tenacius cordis radicibus

inhaeserit, alteque sese in penetralibus animae insinuauerit, procreat impenitentiam & desperationem, quod est peccatum in spiritum sanctum, id est, omnium maximum. Felix legit: Transgressione maxima, uidelicet rebellione, a fideque defectione. Nullum enim maius potest esse delictum, quam a Deo, ut ait Sapiens, per desperationem apostatare.

{19.15} Et erunt ut complacent eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Immundum illud esse, planeque Deo execrabile, quicquid id est, quod uir impius aut loquitur aut cogitat & agit, nemo est, uel mediocriter in schola spiritus enutritus, qui ambigat. Is sane est, quem alio in psalmo conquestus est Dauid dicere in corde suo, non est Deus. Qui quidem turpissimus uitae modus adeo uel in ipsis nobilioribus rerumpublicarum membris uim sumpsit, ut ferme nemo sit qui libentius de oppressione miseris inferenda, aut de satianda siti uel auaritiae uel libidinis non loquatur & cogitet, quam ut semet rationis atque adeo diuinae legis imperio subiiciat, uiuatque nemini infensus, gratus omnibus. Horrendas interim omite blasphemias, dissolutos mores, motusue effoeminatos, ac choreas illas detestabiles, irritamenta scilicet libidinum, atque infecti cordis indica. Etenim eiusmodi qui sunt infecti morbo, cum Vate sanctissimo metrum hoc canere ex animo nequeunt, licet ore interdum proferant. At secus hi qui spiritu Dei, ut ait Paulus, non spiritu huius mundi acti, concepta prius in corde fiducia, ac certitudine illa quae maxime in filiis Dei est necessaria, canunt, ac ardentissimo affectu dicunt: Et erunt et complacent eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, hoc est, ut interpretatur Eutymius: Preces meae erunt tibi gratiae, atque eas suscipio quando scilicet a praedictis omnibus emundatus fuero: ut eloquia hic oris, sint animae familiares cum Deo colloquentis in regio cubiculo confabulationes. quod

{pdf 146, p. 65}

quidem in sequentibus magis exprimit: nam uult meditationem cordis in conspectu altissimi idem esse, quod oris eloquia: nam & anima suum habet os, suaque eloquia ac sermones. Impossibile enim esse arbitror, cor illud quod nondum cogitare turpia exhorret, sanctarum cogitationum posse fieri domicilium. Non me latet tamen, oris eloquia simpliciter posse intelligi: nam tum quidem perfecta Deo laus canit, cum & os & cor in celebrando diuino cultu sanctissime conveniunt: alioqui corrupto corde ac sordido, mirum si putes tui oris eloquia & orationes gratas fore Deo.

{19.16} Domine adiutor meus et redemptor meus.

Hebraei hunc uersum ultimum cum superiori sic legunt, & est (ni falsus sum) uera ac germana lectio: Sint, aiunt, sermones oris mei, & cordis mei meditatio, ut tibi probentur, o Domine propugnator mi & redemptor. Felix sic: Sint in uoluntate (tua scilicet) eloquia oris mei, Domine creator meus & redemptor meus. Quocirca Paraphrastes elegantissime, ut suus est mos, hoc modo reddidit. Sint, quaeso, grata tibi uerba haec oris mei, & gratus sit animi mei affectus in te Domine, qui Deus meus es, & redemptor meus. Caeterum quis redemptor noster est? quis adiutor? quis refugium herinaceis, nisi

Christus Iesus? qui quemadmodum nostrae omnis actionis, nostri studii, nostraeque orationis atque amoris principium debet esse, ita & medium & conclusio finisque & consummatio.

PSALMVS DAVID XX. //

{20.2} Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.

Equidem statueram hunc psalmum interpretari, ut esset Ecclesia, quae Deum oraret pro salute illius, qui in rerum Christianarum expeditione contra infideles, qui & terra & mari ad extinctionem fidei Iesu Christi accinguntur, futurus esset imperator. Verum cum uideo exercitus quos in profligandis fidei hostibus instructos esse decuerat, in mutuas Christianorum clades armari, stylum ad Dominum meum Iesum Christum conuerti: quem pro totius humani generis salute precaturum, praeuidens Dauid, optat illum, oratque exaudiri. Nondumne satis Christianorum sanguine respersa est Italia? Quam dignius sane uestra esset laude, ad Euphratem potius aut Danubium uestros uos cogere exercitus, quam ad Lirim, Rhodanum aut Truentum. Quam aequius, inquam, esset, classes hasce uestras, uel ipso coelo formidabiles, Byzantium properare (cur non uolare dixerim, simulac cernimus enses barbaricos iamiam Italiae ceruicibus imminere?) quam per hoc uestrum tantillum Adriaticum ociari perlanguescereque. Sat ne etiamnum poenarum dederunt Insubres? sat ne Sabaudienses? sat ne tota Italia? Cum itaque inter tot rerum pericula non sit, ne unus quidem ex orbis primoribus qui uelit, uel si uelit, queat, miserrimae nostrae aetatis conditioni ferre suppetias: unum, & illud maximum, in primisque expetendum, extat confugium, Christus Iesus, Deus opt. max. qui cum sit perpetuus apud patrem pro nobis intercessor & aduocatus, is solus est, qui totius nostrae miseriae pondus sustinet: idcirco uotis omnibus optandum est, ut illum pater ipse, in die maxime tribulationis exaudiat, nobisque, ipso mediatore, reconcilietur. O igitur unicum nostrum solamen IESU Christe, firmumque robur ac praesidium, exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. In primis enim considerandum est, nos nobis imprecari, quicquid Christo imprecamur, cum ipse caput sit, nos membra. Verum & illud arbitrandum, nihil omnino stimuli Deo addi posse nostris precibus ut suum exaudiat unigenitum, atque hunc amantissimum, quem semper audit, ac ut petat, admonet, quo illi det eius haereditatem esse uniuersum. Sed hic Vates duo uoluit. Vnum, quo sui uaticinii excellentiam ostenderet, cuius ui attactus, Dei filium carnem assumpturum, eundemque ipsum patrem pro cunctis Auiae posteris rogaturum, longe ante cognouit. Altero uero (quae, sua erat in nos, qui uisuri eramus illum, quem ipse uenturum praeuidit, charitas) nos admonendos duxit, cuius fidei spesque, atque animi ardoris, in eum esse oporteret Christianos, qui pro ipsis sese exhibiturus esset uictimam: idemque sacerdos at precator. Porro tribulationis diem in Christo appellat Vates,

{pdf 147, p. 65v}

tempus illius peregrinationis in hac uita, quae nihil aliud fuit, quam crux & amaritudo quaedam, cum flagrantissima nostrae redemptionis siti coniuncta: quae sane fuit continua pro nobis oratio. Optat igitur Dauid, & nos cum ipse optamus orantes hoc

modo: Ne frustra, quaesumus, tot pro nobis suscepti laboris aerumnas pertuleris. Ne uanus afflictionum tuarum acruus extiterit. Ne crux, ne sanguis, ne moeror, ne mors ipsa tandem inanem sortita sit finem. Sed pater aspiciat, tuasque admittat preces, quarum finis nostra est salus. Ab hac enim proiectis nobis, fas erit te indignationis insimulare, patrem uero crudelitatis, qui aut te filium orantem non audiat, aut nos frustra creatos indicet. Itaque cupimus: quid cupimus aio? uolumus potius te exorare id, quod te orare scimus, hoc est, nos saluos fieri.

PROTEGAT te nomen Dei Iacob.) Id est, Deus ille quem Iacob suis in afflictionibus inuocauit, te exaudiat, teque de manibus iniquorum eripiat, atque tutetur, ne te prorsus, ut eorum molitur perversitas, extinguant. Iacob enim, qui & Israel, simul cum Abraam & Isaac, speciali quodam modo inter caeteros patres multitudinis crediturae in Christum gestabant umbram. Quare quum legimus Deum in scripturis dixisse, Ego sum Deus Abraam, Deus Isaac, Deus Iacob: etsi secundum historiam tres illos in viros peculiari quadam tutela semper protexerit, tamen nos magis, qui credituri eramus, fauor ille diuinus spectat, quam illos quorum uita fere omnis typus fuit futuri. Sensus igitur erit: Nomen Dei Iacob hoc est, Dei nominis inuocatio protegat te: vel, ut leguntur Hebraei, exaltet te: seu, in tuto te collocet: & est uerbum hic Hebraeis, quod proprie eiusmodi exaltationem significat, qua quis ab hostis ereptus in loco tuto ac in accesso collocatur: nisi forte magis arrideat Paraphraste litera, qui sic reddit: Suppetias ferat tibi maiestas Dei Iacob: & sic clarior erit sensus, ut nomine Dei, illius intelligatur maiestas, numen, virtus, et idem ipse Deus.

{20.3} Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te.

Sensus est eo uerior, quo breuior. Certissimum sit, ait, auxilium tibi a Domino. Iam tum enim in lege Mosis celebre fuit apud Iudaeos, diuina oracula, promissiones, atque adeo certissima auxilia, de sacrosancto tabernaculi propitiatorio ac templi sanctuario e Sion prodire, ut hi bene norunt, qui crebris uigiliis in scripturis sacris uersantur. Licet sane omnibus seculis, in omni loco orari colique Deus uoluerit, quo tamen populum illum antiquum, quem prae omnibus charum semper habuit, a gentium superstitionibus in uera contineret religione, certam sibi sedem in qua rogaretur, ei praescripsit, donec copiosiore spiritu per aduentum sui unigeniti ad nos, donati homines, cultui illi assuescerent, quo uere diuina adoratur maiestas, in spiritu scilicet & ueritate, haud amplius in Sion tantummodo & Hierusalem. Orat igitur Dauid Patrem, ut filio suo dilecto opituletur, atque eum, ut ait Felix, de Sion fulciat, quemadmodum olim e monte sancto Dei & Hierusalem, quae Sion est, indubitatum prodire auxilium Iudaeis, fama erat Caeterum non ab instituto alienum esse arbitror, si dicam, hoc quoque modo Ecclesiam pro unoquoque nostrum orantem imprecari, ut nostras, alioqui frigiditas ac ieiunas, exaudiat Deus orationes, eo maxime tempore, quo acrius a tentatore impetitur: quod quidem tempus, diem appellat tribulationis Vates. Solet enim id temporis potissimum nos nostrae miseriae admonere: quocirca necessitate saepenumero acti id agimus, quod sponte alias atque omni tempore agi oportuerat.

{20.4} Memor sit omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat.

Sacrificium filii Dei, cuius hic memorat Propheta, fuit eius crux & mors, quam Patri pro mortalium salute obtulit Ipsius enim satisfactione, non nostra, seruat sumus. Felix sic: Memor sit Deus omnium munerum tuorum: seu, suffiet omnia munera tua. hoc est, munera omnia tua aequae grata habeat, ut solent in sacrificiis haberi & suffitus & nidor. Atqui munera hic uocat Dauid labores, afflictiones, moerores, ieiunia, orationes, ac caetera huiusmodi per Christum, tanquam sacrificia Deo patri pro nobis oblata: quorum sane omnium orat ut memor sit, uidelicet

{pdf 148, p. 66}

ne frustra ab eius filio suscepta sint: hoc est, ne damnemur. Nam tota salutis nostrae uis ac summa, in Christi nece & sanguine consistit. Ob id quidem ad has nostras carnis aerumnas accessit Dei filius, ut aperto uirtutum itinere per sanctitatem doctrinae ac uitae, nos tandem mortem oppetens crudelissimam, cruore sui corporis innocentissimo, a peccatorum sordibus ablueret. Porro pingue ut fiat holocaustum illius exoptat, quod fere idem esse cum sacrificii memoria arbitror, & quod quidem in Christo fuit natura humana, super afflictionum & angustiarum aram, amoris igne consumpta. Nonne tum uisa est admodum ardere, cum e ligno pendens filius Dei exclamauit dicens, Pater ignosce illis? Pinguis igitur fiat tua haec oblatio, hoc est, grata acceptaque sit patri, sicut solent pinguia atque opima, grata esse in uictimis & sacrificiis. Eo enim tempore quo Deus huiusmodi cruentis hostiis ac sacrificiis coli uoluit, ex selectioribus atque opimioribus, suam erga Deum testabantur religionem. Et quidem holocausta illa, si Deo probabantur, ignis quidam occultus e coelo lapsus absumebat, & sic paulatim in cinerem delabi uidebantur. Quare Felix sic uertit: Et holocaustum tuum in cinerem conuertat. Et tunc id quidem. Nos uero Christiani, qui ex cortice nucleum, aut ex umbra corpus seligere, subleuante cor nostrum a terra spiritu Dei, nouimus, aliud ab illo prisco sacrificium intelligimus. Quemadmodum enim illud totum in honorem Dei, ueraeque pietatis cultum & religionem cremabatur: ita nos, qui melioribus litare uictimis, nimirum rationalibus ac uiuis iubemur, eum ipsum hominem holocaustum, & hoc mire accensum dicimus, qui sese totum, quicquid est, Deo deuouens, omnemque conditarum rerum amorem exuens, ac quicquid carnem mundumque sapit contemnens, in mortuos concupiscentiarum cineres resoluitur: atque in illum qui spiritus est, ignem se totum transfundens, ardet uiuus, ardensque uiuit, unius effectus naturae, ut sic dicam, cum Deo, qui ignis consumens dicitur. Selah hic interponitur.

{20.5} Tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet.

Det tibi, ait, quicquid desideras, & omnia consilia tua compleat. Quis, oro, est, quem lateat desideria e corde emanare? Quare hic uides, sitis illa in Christo redimendi a peccati iugo ac uetustate homines, quomodo ex animo fuerit, & consulto, non temere aut fecte. Desiderio, inquit, desiderauit hoc pascha manducare uobiscum, antequam patiar. hoc est, in tot meis laboribus & aerumnis, in hoc uitae curriculo toleranter assumptis, nihil aliud tam frequens in corde habui, quam ut uobiscum in hac ultima coena, de mortalium salute commentarer, eamque uobis quodammodo in manibus ponerem: ex animo quidem, atque amore percitus, non fecte, aut cum simulatione, ut plerique mortalium faciunt, qui sua in omnibus commoda uenantes, nihil non agunt, modo quae cupiunt, uel cum Dei iniuria assequantur. Caeterum quia, ut a sacra lege accepimus,

cogitationes mortalium timidae sunt, & incertae prouidentiae nostrae, propterea in tanta rerum uarietate ac perturbatione, consilis dono, ne labamur ab iis, quae Deus firma esse uoluit, est opus. In salutis enim nostrae suscepto per Christum negocio, duo genera consilii fore esse praeuidit Vates: alterum quidem, quo consilium inierunt Iudaei, ut Iesum, & nos cum Iesu tenerent, & occiderent: hoc est, quo nostram impedirent salutem: sed frustra. His enim longe olim ante comminatus est Deus per Esaia, illisque obiecit illud admodum horrendum: Vae filii desertores, ut faceretis consilium, & non per me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum. Alterum uero genus illud fuit, per quod Dei filius ab Esaia magni consilii angelus est appellatus. Magnum profecto atque ab aeterno in mente Dei firmatum propositum & consilium id fuit, cum decreuit suum ipsum coaeternum sibi filium, eundem cum ipso Deum pro hominibus, et his quidem impiis ac inimicis emori. Quod igitur tandem istuc fuit diuinum consilium? hoc nempe ut gratificaret nos, ut ait Paulus, in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem in sanguine eius. cui & ipse filius propriis uulneribus, sanguine ac nece satisfecit, Corroboret, ait, pater tuum

{pdf 149, p. 66v}

consilium o fili, tuamque adimpleat uoluntatem, cum una, eademque sit cum patris uoluntate: quae est, ut dum ipse mittit, tu missus, ambo eorum omnium, qui ante mundi constitutionem sunt electi, salutem, cum utriusque spiritu, certissimam operemini. Et sic semoto a nobis dubitationis uitio ac terrore

{20.6} Laetabimur in salutari tuo.

Hoc est, de salute nobis praestita gaudebimus, alterque alteri tam diuinum munus gratulabimur. Felix: Exultabimus in salute tua. Clarius Paraphrastes: Exultabimus ob salutem, quam attulisti nobis. Vides quomodo opus non sit in hoc loco, ut aliqui interpretantur, sub illo salutari, Christum intelligere: quanquam nulla salus esse queat sine Christo. Quo quidem amabili hoc hemistichio expresse dicitur, cum canimus, In salute tua nobis concessa iucundabimur.

{20.6} Et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Felix: Erigemus uexillum. hoc est, triumphantium more, cum explicato uexillo, ouabimus. Quid ni ouabimus? cum in solo nomine Dei nostri magni sumus, qui antea pomilii ueluti quidam eramus pessundati, uel a minutissimis quibusque mundi rebus? Dicit non facile potest, quam parui eramus, quam despecti, quam humiles, antequam Dei filius, Christus Iesus, nos exaltaret: hoc est, ipse prius omnium abiectissimus factus, uilissimusque, & ab omnibus contemptus, adeo nostram hanc extulit miseriam, ut nihil non ageret, colluctans cum huius mundi principe, quo tandem illam sic in altum eueheret, ut ad dexteram Dei patris uictor collocaret. Pudeat iam Christianum in illis rebus immorari, quae idcirco ab ipso spernendae sunt, quia uiles, quia mortales, quia ipso inferiores sunt. Alta enim a nobis requirit Deus ac sublimia, postquam dii facti sumus per Christum. Num coelestes affecti, ad terram iterum mordendam reuertemur? Ubi, oro, illa antiquorum patrum in contemplandis diuinis rebus celsitudo? ubi feruor fidei? ubi coelestis patriae feruida illa inquisitio? Heu cecidit robur e Sion. Suspisor

enim aliquando, an accuratius a nobis, quam olim a Iudaeis, nostra in terris statuuntur bona, ac inquirantur, simulac uideo nostram hanc Ecclesiam nihil aliud iam esse, quam inextinguibilem terrenarum rerum sitim & ambitionem apud quamplurimos, atque illos quidem, qui altissimam uitae professionem prae se ferunt.

{20.7} Impleat Dominus omnes petitiones tuas.

Quid in singulis recensendis immoror? Det tibi Dominus quantum desiderare potes, optatoque euentu secundet. Impleat, ait Augustinus, non solum petitiones, quas in terra, sed etiam eas quas in coelo facis, interpellans pro nobis.

{20.7} Nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum.

Ecce, orantis qualis debet esse affectus & fides. Alioqui perplexe rogans, quomodo similis non erit in alto nauiganti, absque uelis ac clauo? Compertissimum iam esse debet, totius rei Christianae summam, fidem esse, deque diuina erga nos beneuolentia certitudinem. Verba sunt igitur Prophetarum in spiritu cernentis, quam non uanae futurae essent Christi supplicationes. Quis unquam de sanctissimis illis uatibus hoc dubitauit? Verum id dictum uelim, quo tandem excitemur ad concipiendam animo haudquaquam uacillantem de salute nostra certitudinem, ne in re tam certa cespitemus, aut dubii simus: periculosissimum id quippe esset. Idcirco dubietas omnis, e qua oriri solet diffidentia, si sapimus, procul a corde amoueat: ac certi de nostra salute (tantum in peccatis non perseueremus) etiam interposito, si fas est, iuramento, dicamus cum Propheta, Nunc cognoui, uel, ut reddit Paraphrastes, nunc experientia didici, quod seruauerit Dominus Christum suum quo quidem seruato, e mundo omnis est sublata perditio, extincta mors ac abolitum peccatum.

{20.7} Exaudiet illum de coelo sancto suo, in potentatibus saluus dexterarum eius.

Hebraeus sic: Respondebit illi de coelis sanctitatis suae, uirtute saluifica dexterarum suarum. Ex his enim Hebraeorum uerbis uidetur is sensus esse: E penetralibus coelorum sacrosanctis audiuit pater filii sui amantissimi preces, eiusque uotis an-
[annuit]

{pdf 150, p. 67}

-nuit, atque illum uirtute eximia suae potentiae seruauit. Et uere in potentatibus dexterae Dei, salutem nostram per Christum factam esse non dubitamus, exploratissimum nimirum habentes, quam fragiles eramus, hostes uero nostri fortissimi. Quod si modo etiam in lapsus, & hos turpissimos, proni sumus, nostra est culpa, qui sic uolumus: non quod per Christum, atque eius mortem non sit addita imbecillitati nostrae, & uis, & robur. Hoc enim uno maxime inter caetera, lex gratiae & spiritus, ab illa carnis antiqua & imperfecta, admodum dissentit, quod si tum homines peccare contigerat, qui eos ablueret non inueniebatur, cum omnes sub peccato conclusi essent, ut ait Apostolus. Modo uero Christus in terris ueniens, hoc est, unus absque peccato ad peccatores accedens, omnia eorum peccata sua fecit, secumque tulit. Quare in alio psalmo

conqueritur hoc modo: Longe a salute mea uerba delictorum meorum. O ingratos homines, ac ad considerata diuina. beneficia stupidos. Nostra enim ingratitude, nostra perfidia, nostra a Deo auersio fecit, quod quae erat per Christum leuissima effecta cum mundo pugna, & conflictatio, nunc omnium grauissima sit facta, & intolerabilis. Idcirco continua, & illa quidem potentissima est opus tutela a Deo in acie tam forti ac saeua, ubi ne horulae quidem momento a periculosissima cum carne mundique illecebris cessatur lucta & bello. In coelis porro Deus habitare dicitur peculiari quodam modo, cum ubique sit, ex eo, quod in illis, eius diuinitas & maiestas praeclarius ostenditur.

{20.8} Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.

Duplici enim antithesi, & hac pulcherrima, utitur Vates: primum in hostes, qui in rebus, ut sunt currus, & equi, adeo caducis ac nihili, spem suam collocauerant, inuectus: deinde diuinam bonitatem in uendicandis suis a malis concelebrans. Hi enim, ait, in magnifico curruum apparatu, equisque ferocibus confisi sunt: nos uero in nomine Domini Dei nostri inuocabimus, in clamabimusque, uti hi solent, qui in bello manus cum hostibus conserturi, sese mutuis clamoribus ad pugnam adhortantur: quod sane aiunt ad reuocandos timidorum animos mirum in modum ualere. Proinde Vatem hinc arbitror sumpsisse similitudinem: & est perinde ac dicat: Alii, ut lubet, in insigni apparatu bellico, mutuis se clamoribus cohortentur: nos autem nullo equitatu, nullis curribus, nullis ue copiis instructi, uerum in solo Dei nostri nomine confisi, pugnabimus, in clamabimusque, Dei solummodo auxilio freti. Et quidem re ipsa Dauid, eundem ipsum animum Deo tantummodo fidentem in se fuisse, cum alias, tum maxime in pugna cum Philistaeis, prae se tulit. Nam cum esset cum eorum duce Golia conflicturus, illi, ut sacra refert historia, audacter dixit: Tu uenis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo ego autem uenio ad te in nomine Domini exercituum. Nonne tibi uidetur tunc Vates dixisse, quod nunc dicit? scilicet, hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus. Turris fortissima, ait Solomon, est nomen Domini: ad ipsam currit iustus, & exaltabitur, hoc est, uictoria potietur. Quid ueremur an fortissimum omnium sit sanctum Dei nomen, cum legimus, quod quicumque inuocauerit nomen Domini saluus erit? Tantum uir solidae iustitiae studens, in propriae uirtutis curru, aut operationum suarum audacia, ueluti equo effreni, haudquaquam spem ponat: sed in Dei misericordia suam omnem uincendi facultatem positam esse certo sciat. Alioqui nostrorum ieiuniorum, orationumque & eleemosynarum numerum & turbam, hostibus in pugna spiritus obiicere, hominis est supra modum in Dei bonitatem ingrati, & digni sane, qui ob superbiam, in reprobam tradatur mentem, cadatque in turpissimos errores, ut quotidie in hac Domini area fieri conspiciamus. Quare

{20.9} Ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, et erecti sumus.

Ipsi, ait, uiribus illis suis, quibus tam impudenter fidere sese iactabant, destituti, compeditique: seu, ut reddit Felix, incuruati, depressi, factique aduersariis inferiores, ita a Deo, propria sua culpa, in sexcentos, & eo amplius, peccatorum laqueos traditi, ut effugere nequeant, occubuere. Illi sic: nos autem surreximus,

{pdf 151, p. 67v}

seu, ut alia habet litera, insurreximus, in hostes uidelicet, & erecti sumus. Vides quam longe ab inuicem absint, & hi qui sibi ob propriam excellentiam facile adblandiuntur: & illi qui cum nihil se esse fateantur, atque ex animo credant, a solo Deo pendere uolunt? Hi, inquam, sua culpa, in mentitam quandam fucatamque sanctimoniam a Deo proiecti, facile in quaeuis errata prolabuntur: illi, utpote qui in Deo semper sunt ac vivunt, eo audacius in inuisibiles insurgunt hostes, quo Dei praesidio tenacius inhaerent. In se enim nihil aliud inesse intelligunt quam culpam, lapsum, peccatum, mortem: in Deo autem innocentiam, iustitiam, uirtutem, uitam, & omne bonum. Stat quidem semper erectus in Deo, qui nihil sibi reseruans, totum se, quicquid est, in diuinam reicit misericordiam, cum ille interim alius mille uitiorum occultorum nodis obstrictus, illisque obligatus, tanto foedius cadit, quanto obstinatius suos ignorat errores. Caeterum uult diuus Augustinus in hac nostra cum mundi acie & bello, illud superius dictum de curribus & equis, de his intelligi mortalibus, qui a uolubilibus mundi huius trahuntur bonis, ac tument. Quocirca temporalium rerum cupiditatibus irretiti, facile a uia iustitiae prouunt. Nos uero quibus per spiritum sanctum data est regni coelestis arrha & certitudo, a lapsibus actutum surgimus, non tam quidem viribus nostris, quae plane nullae sunt, quam erecti ab alio: cuius sane auxilio atque ope, cum fortissimis humanae naturae hostibus congredi audemus.

{20.10} Domine saluum fac regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

Modo Vates ad Deum se uertens, obsecrat, ut quemadmodum in toto hoc psalmo oratum est, ita exaudiat, saluumque faciat Christum suum, cuius quidem salus nostra est, uti sunt etiam illius gratiae ac dona. Paraphrastes per futurum legit, hoc modo: Dominus seruabit ipsum regem, & nos quoque exaudiet, quotiescunque implorauerimus auxilium illius. Verum longe secus Hebraei: aiunt enim: Serua o Domine. Rex respondebit nobis in die qua clamabimus. Chaldaeus quoque: Verbum, ait, Dei redime nos, rex fortis accipe orationem nostram in die inuocationis nostrae. Quam quidem literam diuus etiam Hieronymus approbat. Sententia igitur tam uariae lectionis una erit hoc modo: Serua nos Domine, ferque opem: nam si tu nos seruaueris, non frustra quidem ad regem nostrum, bonorumque omnium autorem, quotiescumque insurrexerint aduersarii, clamabimus. Ipse enim proculdubio respondebit, votisque nostris benignissime annuet. Res quippe nostrae male se haberent, si a sceleribus nostris deterritis fugatisque a praesentia iudicis, id unum quoque fiduciae in Christo solamen nobis dasset.

EFFUNDENTI SANGUINEM PSALMUS DAVID XXI

{21.2} Domine in virtute tua laetabitur rex, et super salutare tuum exultabit vehementer.

Epinicion est, quo coelesti Patri laudes, pro parta victoria eius unigeniti, canit Ecclesia. Cum enim Ecclesiam dico, sanctos viros intelligo, ne imaginariam nescio quam Ecclesiam formemus animo. Est igitur psalmus de Christo Ecclesiae capite ac sponso,

qui sua ut esset sponsa absque macula & ruga, copiosissime in cruce effudit cruorem: cuius sane uim ac mysterium hoc facilius penetrabimus, quo strictiori nodo, tam felicissimo capiti membra arctius copulabimur coaptabimurque. Alioqui euulsi artus a capite pereant necesse est: ac caput itidem absque suis membris, cuius erit caput? Ideo cum capitis huius nostri uel laudes, uel gloria, uel labores etiam atque aerumnae, & ipsa mors tandem celebrantur, caueas oportet, ne te prorsus ab eo seiungas, etsi ipse a te, quantum est iactus lapidis diuelli uideatur. Et quidem cum & hic, & alias saepenumero, regem ipsum nostrum CHRISTUM IESUM legis aut laetari, aut moerere, nae tu, nisi cum ipso laeteris & moereas, ad ipsum non pertines. Verum altior haec est ratio, quam quae a carnis uisco irretitis comprehendi ualeat. Huius enim generis sensa ac my-
[mysteria]

{pdf 152, p. 68}

-steria, quemadmodum a spiritu proficiscuntur, ita spiritualiter a spiritualibus tantummodo, ut inquit Paulus, diiudicantur. Vide, te obsecro, a quanto bono excluduntur hi, quibus res corporeae magis quam diuinae sunt cordi. Vitam enim illam, haud uitam quidem esse existimo, sed miseriarum cumulum, ac mortem illorum potius, qui terrae solum lucris, negotiationibus, usuris, ac infinitis cupiditatibus [sic, cupiditatibus] inseruiunt. Num semper humi cubandum erit? Quid porro de illorum uita censendum, qui cum in interiori cordis secreto innumeris sollicitudinum curarumue stimulis, tanquam uulturibus quibusdam perrodantur, Deo tamen, tantillo obseruantiae, quod aiunt, regularis satisfacere opinantur? Vita ne haec est censenda? Qui uitam, oro, illam appellauero, quae omnino a uera uita, quae Deus est, eo longius abest, quo error ac peccatum, sub praetextu tranquilli cordis, periculosius obtegatur? O caecam mortalium ignorantiam. Ad tantam ne animi hebetudinem? quid hebetudinem dico? ad tantam ne malitiam peruentum est a nonnullis, ut sacramentorum, bonorumue morum ac rituum candore & puritate, ad conciliandos sibi honores ac dignitates, pro lenone abuti non reformident? Hi enim ut lubet: ego ad alia uocatus, cum perfectissimo Vate cantabo Domino, dicamque: Domine in uirtute tua laetabitur rex. Rex noster Christus est: qui licet Deus, atque propterea eiusdem naturae idemque Deus cum patre esset, uti homo tamen, utpote minor patre, ad superandas inimicorum oppressiones, rerumque humanarum difficultates, ac, ut ipse uocat, contradictiones, & patris opem implorauit, & eius uirtutem saepissime expertus est. In ea quidem parte, qua hominibus obtemperabat, uirtute diuina ac sapientia simul cum aetate robustus factus, res mirandas in terris operatus est. In ipsa hora, ait Lucas, exultauit in spiritu sancto. Qui quidem uirtutis, gratiarumque liquor ac riuus, tum coeptus est a capite in artus atque adeo in barbam, barbam Aaron descendere. Tum inquam nobis, nostraeque imbecillitati additus est uigor, ac uirtus quaedam plusquam humana & mortalis, cum coelorum ianua, prius seueritatis pessulo obfirmata, coepta est per Dei misericordiam reserari. Quidni igitur cum rege nostro, eodemque ipso & amico & fratre, non laeter, ob uirtutem ei, ac mihi simul cum ipso coelitus praestitam? Omnia enim Christi bona, omnes gratiae, omnesque uirtutes, meae factae sunt. Porro salutare Dei in hoc loco, ut in plerisque aliis scripturae locis, salus est, ut alias annotauimus. Nec illud omittendum, quod Hebraei hunc uersum maiori legunt emphasi, quam nos. Quare sic uertit Felix: In salute tua quam exultabit uehementer: hoc est, inenarrabilis erit laetitia illa regis, cum se suosque sentiet de improborum manibus ereptos, sui patris dono ac gratia. Eodem

enim uerborum tropo in superiori quoque psalmo est usus Vates. Laetabimur, inquit, in salutari tuo.

{21.3} Desiderium cordis eius tribuisti ei.

Vide, te obsecro, psalmore concinnitudinem. Antea enim in superiori psalmo dixerat filio Dauid, Tribuat tibi pater secundum cor tuum: modo uero patri, Desiderium cordis eius tribuisti ei. Tunc, omne consilium tuum confirmet. modo, uoluntate labiorum eius non fraudasti eum. Ecce quomodo alternis, ueluti camoenis ac tibiis, sibi respondeant psalmi, ac inter patrem & filium nostra firmata sit salus. Haud amplius igitur res in dubium est uertenda, simulatque sole ipso clarius cernimus filium toto animo ac desiderio nostram exoptasse salutem: patrem uero filii uotis annuisse. Idcirco a Vate additur:

{21.3} Et uoluntate labiorum eius non fraudasti eum.

Quid hoc enim? id sane. Quicquid te rogauit, non illi negasti. Poteratne pater filio illi praesertim, per quem uniuersa condiderat, quibusque omnibus illum praefecerat, atque omnium eorum iusserat esse solamen ac tutelam, quicquam negare? Quomodo, quaeso, defraudatus est dicendus labiis, cum ipsemet rem asserat hoc modo? Pater, inquit, scio quod semper me audis. Quid tamen illud? Non ueni facere uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me. Asserunt patres in Christo Iesu duas fuisse uoluntates, quemadmodum duas naturas, diuinam scilicet

{pdf 153, p. 68v}

atque humanam. Hac enim pati & mori, utpote sensibus reluctantante, recusabat. Vnde illud est: Transeat a me calix iste. Siquidem integros in Christo affectus humanos fuisse, praeter peccatum, affirmant. Illa uero quam unam cum Patre aeternam habuit & morti & caeteris aerumnis, quas electorum causa sponte sua suscepit, uoluntarie sese subiecit: atque propterea asseuerabat se non uenisse ut suam faceret uoluntatem, eam nimirum, quam e uirgine nascens, secum traxit, humanam scilicet, sed uoluntatem eius qui se miserat, nempe aeternam, atque unam cum patre. Verum unde hoc ei? Unde tam largus gratiarum riuus, seu potius flumen & mare?

{21.4} Quoniam praeuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.

Hoc est, ea uidetur ratio esse, quod amplissimis eum muneribus ac beneficiis anteuertisti, praeoccupastique suauissimis benedictionibus atque liquorum omnium dulcissimis, cum interim alii primorum patentum maledictionibus amarissimis praeueniantur. In dolore, ait, paries: maledictaque terra in germine suo. Quantis uero praeuentus fuerit filius Dei coelitus donis, anteaquam in hanc pugnam cum mundo ac morte descenderet, testantur passim prophetarum uaticinia, sed illud in primis, quo eum implendum praedicit Esaias, spiritu sapientiae & intellectus, spiritu consilii & fortitudinis, spiritu scientiae & pietatis, & spiritu tandem timoris Domini. Quam quidem munerum exundantiam Ioannes Baptista oculis pene corporeis intuens clamabat, quod de plenitudine eius nos omnes accipimus. Oceanus enim quidam est Christus, e quo

gratiarum omnium ac uirtutum amnes & riui effluunt. Quare non immerito selah hic interponitur, quo paululum e sensibus exeuntes, ea quae dicta sunt, quaeue dicentur, spiritu colligamus. Nec mirum profecto si, ut in principio psalmi uidimus, rex noster Christus in Patris uirtute laetatus est: siquidem suauiissimis praeuentus benedictionibus, qui poterat non ardere, atque ea uelle quae Pater eum uelle, mundique in theatro exequi iussit, ac uoluit? At uide mortalium quorundam iudicium, quibus adhuc est persuasum, posse hominem ex sese, animi uirtutes ad fidei normam corrigere absque ulla alia coelitus electione, cum tamen legant ipsum Christum idcirco omnifaria illa spiritus dona prae se tulisse, quoniam illum pater in benedictionibus dulcedinis longe ante praeuenerat, illum ornans, aptansque ueluti uas quoddam preciosum, in quo omnis plenitudo diuinitatis, etiam corporaliter, ut inquit Paulus, habitaret. Electus enim es, si nescis, ante mundi constitutionem, ut esses sanctus, ut idem ait, & immaculatus. Non uos, inquit, me elegistis, sed ego uos elegi. Elegit ergo nos Deus, ac ab aeterno donis suis dulcissimis anteuertit, ut simus filii eius, ea nobis prouidens quae ad salutem attinent, nosque iustificans, ac demum glorificans. An uero nos sua sponte eligat, arbitrarioque suo iudicio ac proposito ad se trahat: uel quod praenoscat nos per fidem suos fore, propterea eligat, iustificet, saluet, non est meae infantiae id posse exprimere. Quod si tamen possem, ut suum unicuique est ingenium, non auderem tamen meum inter tam nobiles pugiles interponere iudicium, hisce praesertim temporibus, in quibus utrius faueas opinioni suspectus haberis. Satis enim mihi factum arbitror, si illi sententiae tacite subscribam, quam uerissimam maxime esse iudicem. Nam limacem suo se nutrientem succo, quis unquam reprehendit? Hoc solum interim aperte effari liceat cum Propheta, filium Dei in terris, ab omni parte idcirco perfectissimam uixisse uitam, quia a coelesti Patre gratiarum cumulo fuit praeuentus.

{21.4} Posuisti in capite eius coronam de lapide precioso.

Velut ex Hebraeo diuus legit Hieronymus, coronam de obryzo: de quo auro nonnulla in psalmo decimonono sunt dicta. et est perinde atque si dicat: Fecisti eum regem, data illi potestate uniuersali in coelo & in terra. Corona enim praecipuum est regis insigne ac decus, quo honor qui tantae debetur maiestati, exprimitur. Corona aurea, ait spiritus in alio loco, super caput eius, expressa signo sanctitatis, gloriae, honoris, & opus fortitudinis. Hae sunt sane dotes, quibus ornatum esse regem conuenit, & quae in obryzo, auro uidelicet puro summeque defaecato, mysti-
[mystice]

{pdf 154, p. 69}

-ce cernuntur. Suo enim more Propheta spiritualia, carnali uocabulo deliniat: quod quidem frequenter inculco, ut ingenio tardiores in re spirituali, corporea imaginari dediscant. Summa igitur erit, ut Dei filium intelligas a Patre regia potestate donatum: quod sane eximium fuit donum ac beneficium, inter alia innumera, quibus prae consortibus suis ornatus fuit, cuiusque gloriam uidimus, ait Ioannes, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae & ueritatis: ut interim essentielle illud, ut uocant, praemium, in hoc loco minime convenire dicam. Solent enim id bonum incomprehensibile, ueluti ceram in omnem formam inflectere, Porro umbra huiusce spiritualis regni fuit celebris illa Rabbath urbis expugnatio, quam cum cepisset Dauid,

tulit, ut sacra refert historia, diadema Aichol regis de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas preciosas, & impositum est super caput Dauid. Iam tum primum quidem expressius quam in antiquioribus figuris, coepta sunt iura omnia regnorum Christo subiici.

{21.5} Vitam petiit a te, & tribuisti ei: longitudinem dierum in seculum seculi.

Petiit enim non semel Christus a Patre, & sibi & suis uitam immortalem, quam se tamen habiturum certo nouerat. Unde illud in primis est: Pater clarifica me ea claritate quam habui antequam mundus fieret. hoc est, da mihi pater immortalitatem. pus ne est morte? emoriar. Tantum enim abest, ut diutius a morte occuper, ut etiam uix triduo completo, rediuius e tumulo atque immortalis egrediar. Scio equidem quod non dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Cernis ne hic quomodo nobis facta sit uitae, & illius quidem quae in aeternum protendatur, promissio per Christum? Non tantum enim sibi Christus, tum uitae mortalis donum, tum caeteras quae ad bene perfecteque uiuendum in hoc mundo faciunt, dotes a Patre postulauit, quantum nobis, qui quaecunq; bona habemus, ab ipso nos habere cedimus. Alioqui ablato a mundo Christo, quid boni expectandum esset, cum ipse sit omne bonum? Vitam igitur a te, o pater, petiit: tu uero quod petiit, dedisti, nempe longitudinem dierum in aeternum. Non solum, inquit, dedisti ei uitam, sed uitam longam, aeternam, immutabilem. hoc enim significat, in seculum seculi.

{21.6} Magna est gloria eius in salutari tuo.

Maximo cum stupore animi haec non omni hominum colluioni cognita, sunt consideranda. Vis enim diuina huiusmodi excellentiae est, ut eum statim cui benigne affuerit, uerendum omnibus reddat. Hanc olim expertus Iudaeorum populus, caeteris nationibus (ut interim omittam maiestatem, honorem, dignitatem, & qua maxime exteris populis summae erant uenerationi, cultus politiem) maximo erat terrori. Ita nunc contra, nil in toto orbe terrarum abiectius, nil uilius, nil magis detestabile inuenitur, quam istuc uulgus Iudaeorum suis sceleribus a fauore illo antiquo Dei destitutum. Quid porro de Ecclesiae primordiis dicendum? Bone Deus, quis uitae modus? quae reuerentia? quanta maiestas, uel ipsis inferorum manibus formidabilis? desiere pene funditus cuncta haec, atque horum loco succreuit iam ea uitiorum labes, cuius maculis infecta, omnibus ferme inuisa facta est ac despicabilis. Olim enim pro miraculo uulgo habebat, si in publicis locis aut sacerdos aut monachus uidebatur: ex qua quidem uitae modestia, maximam sibi in populis conciliabant gratiam & reuerentiam. Nunc uero dilaxato, planeque amisso rigore illo antiquo morum ac seueritate, amissa est & in populis prisca illa in religiosos uiros obseruantia. Quam magna igitur, quam immensa ei data est gloria ob salutem illi abs te praestitam. [21.6] Num magna illa non fuit gloria, cum datum est illi nomen quod est super omne nomen? Quid illud, quod audito IESU nomine, coelestia, terrena, inferna quoque ac cuncta ab initio condita, flexis genibus summam etiamnum testantur reuerentiam? Quod pectus igitur tam ferum? quae mens adeo inhumana est, quae suum audiens regem ac Dominum, tanto honore & gloria coelitus ornatum, non timore ac reuerentia afficiatur, trepidetque

uenerando quodam metu atque ecstasi? Caeterum quid gloriosius? quid honoratius cui alicui esse potest, quam in periculo aliquo immenso constitutum, manu ipsa principis]

{pdf 155, p. 69v}

-pis aut regis eximi? Verum non solum hoc dono affectus est Dei filius, sed alia insuper addita est gloria ac decor, cum eum tecum, o Pater, in coelestibus consedere fecisti, ut sicut omnes honorificant Patrem, ita & filium honorificent.

{21.7} Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi.

In, tam Graecis quam Hebraeis uacat. Quare uerior ea uidetur litera, quam ponunt Hebraeorum doctores, quae sic reddi potest: Quoniam pones eum benedictiones in aeternum. Non solum enim Christus amplissimas in se habet benedictiones, sed est benedictiones ipsae: ut modo, si non alias animum aduertisti, Christum id semen esse intelligas, in quo gentes omnes, ut sacra refert historia, benedicendae forent. Iam quidem relecto umbrarum uelo, scimus Christum esse omnium benedictionem ac pacem & est sensus: Quid innumera eius dona enumerare coner? In summa dico: Tu pater ab aeterno decreuisti, ut non sol beneficiis ille tuis ac donis auctus ornatusque & esset & diceretur, sed illud etiam addo, quod ipse idem rectius tua dona ac beneficia appellari queat ac debeat, quam illorum, licet amplissimorum, particeps: adeo in illum uoluisti thesauros omnes tuos sapientiae reconditos effundi, Nam, ut caetera omittam,

{21.7} Laetificabis eum in gaudio cum uultu tuo.

Haec tandem totius felicitatis summa est, Dei aspectu frui. Sunt enim qui in theatro aut arena sese fortissime exercent, atque inde palmam frequentissime referunt: his tamen labor omnis, & ut aiunt, oleum & impensa deperit, si excurso stadio, prostratoque aduersario a regis uultu ac praesentia longe propellantur. Quid si regio aspectu, ueluti uictores solent, dignarentur? gauderent plane admodum. Sed omnem laetitiam superat, si eos rex uultu hilari & gratulabundo conspicit, uocat, illisque applaudit & gratulatur. Sic Vates quo particularem quendam patris fauorem erga filium suum dilectum ostenderet, facit illum ex aspectu paterno hilari & aperto affatim laetari: & est perinde ac dicat: Aspicias eum cum gaudio. Vnde illud etiam est quo filius alloquitur patrem: Adimplebis me, ait, laetitia cum uultu tuo. Alioqui quid mihi principis afferre potest gaudii aspectus, aut truculentus, aut uulgaris? Facies enim principis in aliquem aperta & hilaris, aut conceptae animo beneuolentiae indicium est, aut futuri beneficii: quemadmodum maleuolentiae uenturique exitii signum est, toruus uultus, minax & obscurus. Quare qui prudentiores sunt curiales, uiso semel atque iterum principis uultu in se turbato, solent cedere, nec suo periculo praestolari, quo tandem illud erumpat tonitruum atque irae praeludium. Solent enim humaniores principes huiusmodi uti artificio erga illos quos amant, sed tamen in aliquo grauiori delicto deprehensos, ne uel inuiti in rem alioqui charam saeuire cogantur. Difficilis quidem res est, principem iustum, iustitiae etiam cum suorum interdum exitio non parere.

{21.8} Quoniam rex sperat in Domino, & in misericordia altissimi non commovebitur.

Cernis quomodo passim Propheta filium Dei regem appellat? Diuino hoc quidem consilio agitur, quo tandem perdiscamus, cui regi potissimum seruire debeamus. Iam causam omnem quam ob rem tantam felicitatem Christo contigisse cecinit Vates, in spem reiicit, & dicit, supra memorata omnia Dei bona illi obuenisse, quoniam sperauit in Domino, ac totam in eius bonitate & misericordia suam collocauit salutem. quare non commouebitur, ait, non nutabit, non deficiet: misericordia, inquit, facit ut persistat. Ecquis iam, obsecro, est, qui despondere animum uelit ac queat, postquam cernit totam Christi beatitudinem a spe misericordiaeque Patris emanasse? Verum admonenda est carnalium hominum ignauia, ne, cum audiunt innocentissimo Dei filium fleuisse, doluisse, sperasse, timuisse, misericordiamque implorasse, id sibi ob propria contigisse peccata opinentur. Absurda sane haec esset opinio, ac prorsus detestanda. Quid igitur? Nobis fleuit Dominus Iesus, nobis doluit, nobis timuit, nobis sperauit, nobis misericordiam implorauit, impetrauitque: licet uere fleuerit, uere doluerit, uere sperauerit, uere timuerit, ac uere misericordiam impetrauerit. Per omnia enim debuit fratribus assimilari, ut inquit

{pdf 156, p. 70}

Paulus. Non commouebitur.) [sic] Diuus Hieronymus uertit, non decipietur. Et certe ille qui sperat in Domino, decipi haudquaquam potest: nam, ut idem asserit, spes non confundit. Sit aliquis quantumuis scelestus, ac a uia iustitiae extorris, & impius, num eum ipsum deperiisse omnino dicam, cui speranti ueniam pollicitus est Deus? tantum a peccandi consuetudine sese uiriliter eximat, nec ultra adiiciat iniquitatem addere iniquitati Atqui illud admonuisse utile erit, spem illa scilicet tantummodo ueram esse, si eo modo, quo Dei filius sperauit, sperauerit aliquis: hoc est, in misericordia altissimi: uel, ut legit interpres Hebraeus, in bonitate altissimi, non in actionibus propriis, ac orationum numero, & multitudine. Errant enim admodum nonnulli, qui plusquam par est, suae illi obstinatae, in offerendo quotidie altaris sacrificio, aut exequenda corporea aliqua opera, in qua pietas inesse arbitratur, consuetudini tribuunt, absque uera in Deo fiducia, ac fide. Sperandum enim est, quia bonus Dominus, non quia nos boni. Sanctae quidem consuetudines in Dei ecclesia, atque ordo & modus supplicandi Deo, non utiles solum, sed etiam necessariae sunt, ac seruandae: uerum hac lege, & instituto, ut noster omnis amor & gloria longe absit, sed Dei tantummodo in illis, & nomen, & gloria, requiratur: ea quo quidem proposito, & consilio, illud necessario oritur, quod homo in se nihil sperare audet, in Deo autem quamplurimum. Etsi enim de meritis disputandum erit, non ad suas sanctitatis operationes, tanquam ad promptuarium quoddam mercium recurrit, omnibus diuulgans, quot horas nocte una uigilauerit, quot Missas in tota uita sua celebrauerit, quot lachrymas, quot uerba, quot uisiones quoque & afflatus spirituales perpeusus fuerit: sed diuinam bonitatem potius, Christique cruorem, ac mortem, summa cum reuerentia et timore, commemorat.

{21.9} Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.

Vide quomodo inualidi atque imbelles fiant hostes alioqui truces ac feri, contra eos qui totam spem suam in Domino ponunt. Vide insuper cui rei hostium debellationem adscribi oporteat. an nostrae iustitiae, quaeso? an studiis? an conatibus? an potius quia Dominus debellauit? Non est enim quod tu te ames, aut tibi applaudas, si carnis petulantiam, mundanarumque rerum appetentiam, in te extinctam senseris. Id nempe totum haud tu, sed Dei uirtus perfecit. Inuenit sane, prorsusque hostes tuos profligauit Dei manus, ac bonitas. uel, ut alia est litera: Suffecit manus Domini inimicis tuis: id est, quamlibet innumeri sint, atque illorum saeuitiae ac fortitudini impar existas, una uel sola Dei manus ac uirtus, ad eos prosternendos potis est. Dexteram tuam, inquam, o Deus, inueniat, assequitur: comprehendat insuper, inuoluetque poenis & cruciatibus illos, qui te, tuosque tecum odio persequuntur. Infelix plane, omniumque miserrima eorum sors est, qui cum te insectentur, tu eos contra apprehendas, atque adeo occupes, ut nullus effugiendi locus extet reliquus. Felix sic legit hunc uersum: Inueniat manus tua omnes inimicos tuos. Num porro id satis? minime quidem. Nam

{21.10} Pones eos ut clibanum ignis in tempore uultus tui.

O horrendum mortalium quorundam exitium. Quando, inquit, eos coeperis secundum multitudinem impietatum eorum exagitare corrigereque, ac eorum acta, irato uultu, examine, pones illos tanquam furnum accensum. Et quidem hoc olim genus uindictae, per Esaiam Deus Iudaeis comminatus est, dicens: Erit fortitudo uestra ut fauilla stuppae, & succendetur utrumque, & non erit qui extinguat. Felix sic uertit: In tempore irae tuae. Aiunt enim Hebraeis eandem dictionem, & iram, & uultum significare. Exempli causa. In psalmo alio legimus: Vultus autem Domini super facientes mala. habent Hebraei, Phene autem Domini. Rursum, ut hic legitur,

{21.10} Dominus in ira sua conturbavit eos, et devoravit eos ignis.

In Hebraeo, Phene autem Domini. Quare utraque dictione usus est indifferenter noster interpres. An uero atrocior queat esse in anima, inflammatorque gehenna atque aestus, quam Deum in se iratum experiri, atque a clementissimo trucu-
[truculenter]

{pdf 157, p. 70v}

-lenter aspici, clarior res est, quam ut a me exprimi debeat Aetnae quidem, Veseui, Phlegethontisque ipsius ignes, mortuas fauillas, aut cineres dices, si ad aestum edacissimum pectoris illius, qui a facie Dei, tanquam alter Cain, profugus, sentit se a diuino fauore, ob sua scelera, destitutum, atque ob id ad aeternam morte destinatum, compares. Faxit Deus ut haec ignores. Etenim quae experientia didicimus, facile non nescimus. Porro in foedis amoribus, nonne dicimus amantes ardere? Quid auaros? nonne illos habendi cupiditate? superbos fastu? iratos excandescencia? inuidos odio? ambitiosos inquietudine peruri cernimus? Hic clibanus est, hic ignis, haec fornax, hic caminus ille igneus, quem secum gerunt hi, qui se hostes Dei, turpissima uitae consuetudine profitentur, quique a diuinis iussionibus abhorrentes, totos se in corporearum rerum amoribus immergunt. Effectus uero, atque ardoris huiuscemodi, terminus is erit, quod sequitur: Dominus, ait, in ira sua conturbabit eos: seu, ut legit

Felix, opprimet, ac tandem sempiternus illos deuorabit ignis. Solet enim scriptura, poenam atrociorē diuinitus illatam, ignis conflagrationibus significare: quanquam de aeternis inferorum incendiis e uero igne ad sceleratorum tormenta erumpentibus, non sit ambigendum. Dominus omnipotens, ait sanctissima illa mulier, dabit ignem, & uermem in carnem eorum, ut urantur & sentiant: hoc est, in igne ut uiuant in aeternum. Interim autem

{21.11} Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum a filiis hominum.

Impios enim superius iri perditum affirmauit, modo uero etiam eorum posteritatem tollendam esse praedicit. Fructus quidem ac semen, hoc in loco filiis sunt, nepotes, & reliqua posteritas, quam e caeterorum hominum conuentu exterminandam fore uaticinatur, ut de Iudaeis (omitto prudens integras recensere familias, etiam nostra aetate, parentum impietate funditus extinctas) uidere est, qui per incertas sedes perpetuo errantes, caeteris nationibus sunt abominationi, essent uel etiam beluis ipsis, nisi quorundam Christianorum uitio, nulla habita fidei ratione, & amarentur, & in nobilioribus ciuitatum uicis collocarentur, fouerentur, ac ad conuictum quoque familiarem, cum uxoribus propriis, innuptisque puellis, admitterentur: quasi miserrimi decoctores, unde damna instaurent, non habeant, nisi a sceleratissimis Iudaeorum contractibus, usuris, uersurisque adiuti, blande in omnium rerum suarum interitum properent. Tantum non fiunt publica connubia: caetera uero, uel quae scribere erubesco, indifferentia. A filiis hominum.) [sic] Hebraea est phrasis, pro, ab hominibus. Huiusmodi enim uerborum congerie, & circumlocutione, diuinae uindictae seueritatem in improbos exprimere uoluit. Caeterum, ut de interioribus quoque, qui ab animo procedunt, fructibus, ac filiis, nonnihil dicamus: quicquid agunt uiri athei, quicquid cogitant quicquid docent, quicquid moliuntur, diu stare non potest: sed adeo confunditur atque impeditur, ut nihil prorsus, quantumuis accurate res suas ordinent, efficiant. Quid boni, diuque manentis a tam corrupta radice emanare poterit? Hoc sane modo habiti Dei hostes sunt,

{21.12} Quoniam declinauerunt in te mala.

Felix sic: Quoniam proiecerunt super te malum. Non solum enim, inquit, malo te affecerunt impii illi, quando astiterunt reges terrae, & principes conuenerunt in unum, aduersum te, sed more uasis a fundo prouoluti, quicquid ueneni in corde iam antea conceperant, id demum totum in tuam perniciem effuderunt. Verum

{21.12} Cogitauerunt consilia, quae non potuerunt stabilire.

Hebraei: Cogitauerunt fraudem, & non potuerunt. In alio psalmo: Meditati sunt inania. Omne quippe lapide, & fraudis, & doli, uoluerunt Iudaei, quo Christum perderent: sed frustra. Nam illud sane maius fuisset, quam solem radiis, aut aquis oceanum exhausisse. Est ne in naturis rerum quicquam amentius, quam uelle uitam mori? Conati sunt igitur impossibilia, & ea quidem magno studio, ui, atque arte. Verum in medio ipso malitiae conatu desiere. Alta enim nimium, & supra uires, animo conceperunt: sed, ut ait Felix, non potuerunt, perficere

{pdf 158, p. 71}

scilicet. Eorum quidem consilia eo spectauerunt, ut prorsus interiret filius Dei, hoc est, fons uitae, rerum opifex Deus ipse. Interiit tamen secundum tempus, ut inquit Paulus: uerum postea, debellata morte, reuixit immortalis. Considerasne quam saepe frustra improbi malique ciues, in optimos quosque, & plerunque de sua republica bene meritos, insaniant? Quod si tamen occulta Dei prouidentia, & iudicio, uel usque ad bonorum suorum depopulationem, exilium, carcerem quoque, ac mortem affligi sinuntur, eo tamen remeant, unde amore ac desiderio, nunquam semoti discesserant: ad caput scilicet suum Christum remigrant: quos ideo in terris ab improbis sic male haberi uoluit, ne se aliter, quam ipsemet egit. aeternam requiem adepturos sperarent. Crux enim & afflictio, uia est, qua ad Christum pergimus. Quare longe hi absunt a scopo, qui uiam sibi salutis aliter parant. Cum equidem uideo hominem aduersis, quantum potest, reluctantem, in illisque deflentem, murmurantem, ac pene diuinis permissionibus resistentem, eum ipsum tanquam in aeternam mortem properantem comitor lachrymis, si resuffragari nequeo. Non eo se modo habuit fortissimum illud pectus IOAN. Lodouici Gonzagae nobilissimi patritii Mantuani, qui audita morte duorum filiorum suorum, iuuenum quidem optimae indolis & expectationis, qui in octo dierum spatio, alter Mantuae, alter uero Venetiis, uiuere desierunt, ne summum quidem mutauit uultum, non defleuit, non questus est, non incusauit coelum, ut plerique mortalium solent, etiam in minoribus infortuniis: sed in Deo fixus, nihil prius curauit, quam ut Christo Iesu, quem sibi in omnibus unicum elegit solamen & perfugium, gratias illas redderet, quas alii ob thesaurum aliquem inuentum preciosissimum redderent. Quid mihi, inquit, iucundius in terris esse potest, quam res mihi charissimas, illi, quem supra omnia & colo & amo, obtulisse? O uocem diuinam, atque a pectore coelesti conflagrante incendio perrumpentem. Occumbat & caeteri, ait, filii, occumbat uxor, occumbat tota denique familia absque ulla posteritatis spe, modo meus mecum sit Christus, & mihi opituletur, ne hilum quidem facio. Atrociora enim, inquit, pro me passus est Christus. Porro cui alteri, nisi Deo, genui filios? quis illos mihi concessit? nonne Deus? Insaniam quidem, nisi libenter illi reddam depositum, qui semper in me tam beneficus fuit. Sed ad psalmum reuertamur: pene enim, dum nobilissimum meae patriae, diuinumque id donum, & exemplar fortitudinis, ac in Christum amoris, gratulor, & latenti quodam modo proponere satago, nimium digressus sum: si tamen in laudando uiro illo, qui laudes omnes exuperat, nimietas inueniri potest.

{21.13} Quoniam pones eos dorsum, in reliquiis tui praeparabis uultum eorum.

Hic uersus uarie legitur. Felix sic: Quoniam se pones eos, cum neruis tuis diriges in uultus eorum. Alius interpres: Quoniam pones eos partem, in neruis tuis diriges contra facies [sic, facies] eorum. Diuus uero Hieronymus: Quoniam pones eos humerum, funes tuos firmabis contra facies eorum. Quae quidem lectionis uarietas, ne sua asperitate suauius Vatis sensum offendat, emollienda erit. Et primum, quod ad uulgarem aeditionem attinet, sic quidam interpretantur: Pones eos dorsum, hoc est, in fugam eos conuertes. & est idem cum illo noni psalmi uersu: Et inimicos meos dedisti mihi dorsum. Dorsum ponere, ait Eutymius is dicitur, qui fugit ac terga dat. nihil enim aliud corporis eius uideri potest, quam tergum. Haec Eutymius. Quo quidem locutionis tropo,

& periphrasi, quoddam fugae genus ignominiosius exprimi uoluit, quam si dixisset, fugerunt, & haec in hoc mundo quidem. Postea uero quam ab humanis discesserint, quid eos maneat, aperit: In reliquiis tuis, ait, praeparabis uultum illorum. & est sensus: Interim enim quod in fugam uersi, in praiceps feruntur, facies illos uidere, quod nunc uidere recusant, inter damnatos, qui sunt reliquiae tuae: hoc est, quos, propter illorum in peccatis obstinationem, reliquisti, prorsusque abs te proiecisti. Tunc enim uidebunt reliquiae illae miserrimae in quem transfixerunt. Modo quippe praeparatos non habent uultus, atque oculos, sed caeci omnino sunt. Res quidem hac mihi digna uidetur, quae lachrymarum amne, atque eo sane capaciori, quam sit Rhodanus, Tyberis,

{pdf 159, p. 71v}

aut late exundans Padus, consideret: quod homo ad Dei imaginem formatus, in tantam mentis caliginem proruat, ut a lumine radiisque solis, sua se sponte subtrahens, nihil antiquius in uita se habere profiteatur, quam perfracto diuini timoris freno, in perpetuis tenebris uiuere (si huiusmodi tamen hominum uita appellanda est, & non magis miseria, ac mortis umbra) terga dare legi ac dorsum, non faciem mentis, quae sola est capax iustitiae, quae per fidem est Iesu Christi, contra ueritatem atque ipsum Deum, uertere. Iam illud quod reddit Felix, considerandum. Quoniam, inquit, sepones eos: hoc est, ab aliis, a tuis electis: ab illis, qui ab aeterno in libro sunt scripti uitae, separabis. Heu infelicem separatione. Et separabunt, inquit, bonos a malis: hos quidem, ut regnum felicibus animis ab aeterno paratum, accipiant: illos, ut perpetuam miseriam, inconsolabilemque dolorem subeant. Interim uero eos tanquam scopum sagittis tuis assidue petes. quod sic reddunt Hebraei: Cum neruis tuis diriges in uultus eorum: hoc est, sagittabis in eos. ut sit sensus: Fugient profecto, sed non effugient, a tergo habentes persecutorem, ante oculos autem sagittantem in illorum faciem. Huic item sensui conuenit quoque litera, quae uertit: Pones eos partem: hoc est, pones eos in unam partem, ceu signum & scopum, in quem iaciantur uulgo iacula, & sagittae. Sed & diui Hieronymi litera quadrat, utpote ex Hebraeo desumpta. Ille funes, hi neruos. Ille humerum, hi dorsum, interpretati sunt: eundem tamen omnes prae se ferunt sensum: qui sane is erit, quo nos instruat animo perpendere, ad quantam salutis desperationem deueniant Dei hostes, qui eo ignominiae corruant, ut diuina manu destituti, signum, aut scopus, in quem turbae iaculentur ex arcu spicula, a spiritu appellentur. Habent enim hunc exitum tandem improbi homines, ut in illos, & supera, & inferna, & quicquid uspiam in orbe uniuerso conditum est, conspirent: licet ipsi, propter obduratam in peccatis mentem, non sentiant. Hi sic. Tu uero Domine,

{21.14} Exaltare in uirtute tua: cantabimus & psallemus uirtutes tuas.

Accensus enim Vates admodum ex consideratione salutis amplissimae, Christo, ac cum Christo nobis praestitae, more suo, cum gratiarum actione, cantu, & triumphali, ut sic dicam, ouatione, psalmum terminat, oratque ut nota fiat mundo potestas eius aeterna. Sensus porro uersus huius a Paraphraste expressius redditur, quam ut a me aliquid addi debeat. Ostende, inquit, Domine, quantus sis, & uiribus quantum ualeas: ut occasionem habeamus cantandi, & psalmis celebrandi omnipotentiam tuam. Et sic cum sanctissimo uirtutis nomine, quemadmodum hanc incoepit odam dicens, Domine, in uirtute tua laetabitur rex: eam claudit, ac terminat, canens eo modo quem diximus.

**PSALMVS DAVID VINCENTI SUPER cervam matutinam, sive aurorae.
XXII.**

{22.2} Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquistis?

In hoc psalmo omnia pathetica sunt. Verum antequam odam decantemus, praeludio prius ludendum erit. Praeludia uero in psalmis sunt ipsi tituli qui plerunque difficiliore sunt interpretatu, quam ipsi psalmi. Nec adhuc ex doctioribus aliquem uidi, qui cum est de titulis tractandum, non magnopere desudet, se torqueat, ac tandem fateatur, se uocum amphibologiis uictum, nihilque, nisi per tenuissimas coniecturas, se posse intelligere, melius dicerem, diuinare. Secus indocti, qui adeo impudenter omnia sua uulgo exponunt, ac si e coelo ipso supremo delapsa, ea sola mirari, amplectique debeamus. Quae sane res tantam in Ecclesia Dei peperit confusionem ac dubietatem, ut plerunque satius esset simpliciores Senecae tragoedias legere, aut Aesopi fabulas, quam eorum scripta. Ex Hebraeis enim interpretibus uolunt aliqui dictionem, quae uice tituli huic praefertur psalmo, instrumentum musicum esse, in quo psalmum hunc Dauid iusserat decantari. Alii item aliud. Sed celebrior ea uisa est sententia, qua dicunt, ceruam matutinam, siue aurorae, significari: quae mihi quoque non parum arridet. At illa magis, qua affirmant nonnulli, stellam illam, quae solem mane praecedit (hanc

{pdf 160, p. 72}

Graeci phosphoron uocant) adumbrari. Nam cum nulli dubi esse debeat, hunc psalmum totum de Christo intelligi oportere, cum ex ipsa odae serie, tum ex Euangelistarum, ac Pauli testimonio, nescio an alius germanior Deique filio convenientior, titulo adscribi queat sensus, quam ipsum illud sydus matutinum nuncupare, utpote qui nobis per carnem suam purissimam, omnem attulit cognitionem solis illius, qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum: quemadmodum illud est ueluti praeco quidam istius solis, quem oculis corporeis cernimus. Et quidem si filius Dei, filius hominis fieri recusasset, omnis prorsus uera de Deo cognitio a mortalium intellectu expuncta esset. Conuenit & ille ceruae matutinae. Familiare enim est epitheton Dei filio, qui se damulae, aut ceruorum hinnulo libenter assimilat. Et uere Christus cerua matutina tum fuit (quando summo mane, ut refert Matthaeus, consilium inierunt sacerdotes, & seniores populi aduersus Iesum) agitata a canibus: quae post crudeles morsus, post uulnera, post cursum illum miserandum ab uno ad alterum iudicem, excelsam tandem petiit crucem. Et super excelsa, inquit, statuit me. Verum quoquo modo intelligatur titulus, hanc psalmi summam esse affirmant, filium scilicet Dei se in cruce derelictum a patre expostulantem. Nec mihi nunc altius repetenda res est, quo probem ipsum Dei filium uere, ut ait Esaias, languores nostros tulisse. Fidelibus enim, non infidelibus, hunc meum laborem probari cupio. Id sane quidem mihi semper firmissima persuasum fuit fide, quod quemadmodum Christus semper fuit, ut nunc quoque est, supraquam dici potest, humani generis amantissimus: ita pro ipso redimendo, quippe qui peccata omnium in proprio corpore luere, eorumque reus, ac pro bonis omnibus qui non eramus soluendo, praes & fideiussor esse statuerat, ueros, atque eosdem ipsos atrociores, quam qui ab humano intellectu comprehendi ualeant, dolores subiit: hincque tanquam unus ex nobis, quid unum aio? tanquam ille, qui totius mundi scelera in se transferens, scelus

quodammodo ipsum, peccatum, ac maledictum, ut inquit Paulus, effectus est, clamat quanto potest animae affectu, Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Duplicata enim dictio, Deus Deus, commiserationis est plena, dolorisque intentionem ostendit. Iam illud in primis non omittendum, quod Respice in me, non inuenitur in Hebraeo: sed simpliciter est, ut refert Euangelista, *Eli eli lamaasabatani*: hoc est, ut idem diuinus interpretatur scriba, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Queritur Dei filius, qui fieri potest, ut pater ille, qui etiam hostibus propriis parcere, atque illis opitulari solet, se tamen filium obsequentissimum extremo in dolore & periculo constitutum deserat? & est, ac si diceret: Quare me innocentissimum in manibus impiorum deseruisti? Cur me perinde quasi ad te non pertineam habes? Dicent sane improbi, te prorsus auertisse faciem tuam a puero tuo, de quo tamen toties affirmasti dicens: Hic est filius meus dilectus. Siccine dilecti filii a patribus deseruntur? Respice, te quaeso, in me. Nam

{22.2} Longe a salute mea verba delictorum meorum.

Quam uerum illud fuit, quod olim de Christo uaticinatus est Esaias: Nos putauimus, inquit, eum quasi leprosum & percussum a Deo, & humiliatum. Tantum non dixit Vates, destitutum & derelictum. Vide argumentum filii Dei, quo causam suam tutari nititur apud patrem. Reatus, inquit, peccatorum meorum procul sunt a salute mea: hoc est, nulli mihi impedimento esse debent, quin salutem obtineam, quia nulli: mors autem poena est peccati: cur igitur morior, cum non peccauerim? Serio enim, non fecte, Christus propter se peccatorum omnium sordes attraxit: alioqui mori non poterat, cum mors peccatum, ueluti umbra corpus, sequatur. Alii hunc uersum hoc modo interpretantur. Verba, hoc est, numerationes, seu facta alienorum delictorum, quae mea facta sunt propterea, quia eorum factus sum uas, & reus, non sinunt me exaudiri ac seruari. Quomodo enim Christus non omnium peccatorum fuit reus, cum sua se sponte principalem patri pro omnibus constituit debitorem? Impossibile quippe fuit tam immensum debitum solui, absque Christo: qui uice omnium sub peccatorum onere hic gemens,

{pdf 161, p. 72v}

clamat, adeo immensa illa esse, ut penitus a patre exaudiri non mereatur. O felix culpa, o felix, ut sic dicam, peccatum, & mors: postquam tanto bono, ut Christus est, ornatus est mundus. Quid, oro, mundus hic esset absque Christo? Ecquis porro est, qui animum iam, propter facinorosam suam anteactam uitam, despondere uelit, simulatque uidet Dei filium ad tantam, ut per excessum dicam, amoris dementiam erga humanam naturam deuenisse, ut pro omnibus illius delictis, atque his grauissimis, patri uadimonium promittat, totum debitum soluat, ac sese (o incomprehensibilem amoris uim) cum ipso humano genere elongatum asserat a Deo? Cum enim Dei filium factum esse pro nobis maledictum, peccatou peccatum damnasse in carne intelligimus in Paulo, tunc ea, quae hic dicuntur a propheta, noua non uidentur, licet mira atque insolita. Spiritus, inquit Hieremias, oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris. Caeterum, longe a salute mea uerba rugitus mei, legunt Hebraei. quae quidem uerba, meo sane iudicio, per interrogationem legi possunt. & erit sensus: Cur longinquus factus es a me, o Deus, cum tamen rugitus mei uerba audias, hoc est, gemitus,

immensosque clamores a cordis penetralibus euulsos? quasi diceret: Res haec in te admodum insolens est ac praeter morem tuum. Rugitum porro dicens propheta artificiosissime naturam doloris exprimit: quae quidem ea est, ut postquam uim spiritus, in corde eo maxime, quod in fortissimi uiri pectore situm sit, diutius continuit, tandem illa cumulo moeroris excita, cum se amplius tenere nequeat, erumpit in clamorem quendam leoninum magis, quam humanum. Idcirco ex hoc uersu & immensitatem doloris, & summam fortitudinem in diuino illo pectore Christi fuisse non dubito.

{22.3} Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.

Aut per noctem, aut eodem casu legendum erit, die ac nocte. hoc est, iugiter, seduloue clamabo, ut salutem abs te exorem, & tamen non exaudies. Stultum profecto uidebitur apud mundi sapientes, quod ad te non auscultantem, clamem, & dicent: Cur clamas? Cur eius aures obtundis, qui ad tuos rugitus obsurdescit? Sed stulti illi ac hebetes, quos prorsus, quomodo tu pater tuos ad tempus negligere uideris, praeterit: atque propterea insipientem illam iudicant precem, quae statim non exauditur, cum interim tua apud te iudicia aequissima maneant. Non igitur abs te, neque ab alio quopiam poterit mihi insipientiae dari, si ea rogo, de quibus non exaudior. Verum diuus Hieronymus hunc uersum sic legit ex hebraeo: Nec est silentium mihi. ut hinc saltem intelligamus, iugem, continuumque clamorem, ex desiderio sitiue immensa redemptionis humanae, fuisse in Christo. Vnde elegantissime reddidit Paraphrastes, Absque ulla intermissione. Atque hinc rursus nostra capitur ignauia in orando, quae, ne mille quidem sancti spiritus igniculis admonita, ad mediae horulae perseuerantiam disponi potest. Neque hic loquor de stabili solum modo membrorum situ, sed de firmo, uti decet diuina peragi, ac constanti in Deum proposito, & uoluntate. Alioqui orationum uim & robur, in horarum numero, uel usque ad corporis lassitudinem metiri, atque in locis publicis uenditare, superbae mentis indicium est, parumque considerantis, in quo Dei honor consistat, aut fidei feruor.

{22.4} Tu autem in sancto habitas, Laus Israel.

Vide fiduciam in orante. Aliis forsitan, ait, uidebitur te iniustitiae merito insimulandum, quod, cum rogaris, non exaudias. Errabunt sane: nam tu semper, siue exaudias, siue exaudire neges, sanctus es, & in sanctis illis, quos tu tibi ab aeterno, ut sancti essent, elegisti, inhabitas. Nemo unquam iuste te huiusce errati accusare poterit, quod tuos deseras, & non tuos adiuues, cum sis laus Israel: hoc est, cum is sis, quem canit, quem laudat, quem celebrat, cuique gratias agit cedentium populus, quod semper eum liberas. Quomodocumque enim res se habeant electorum, siue dulces, siue amarae sint, semper eas curat Deus, quamuis secus uulgo appareat. Est & alius pius sensus, ut in sancto, ad ipsum Dei filium hic orantem referatur, hoc fere modo: Dixi quod non imputabitur ad insipientiam mihi, si continuus orator

cum sim, nihil impetro: nam ex hoc uere dici non potest, quod me auerseris, cum semper ego in te, tu pater in me sis. Tua enim una mecum est uoluntas, una deitas, una natura, atque idem amor. Porro infinita prope sunt in sacris libris ac lege uaticinia, quibus olim pollicitus est Deus fore, ut nobiscum, uel usque ad consummationem seculi conuersaretur. Sed illud in primis apud Leuitas cap. uigesimo sexto: Si in praeceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiiciet vos anima mea.

{22.5} In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt et liberasti eos.

Amplificatio haec est querelae. Ex eo enim quod pater ad filii sui dilectissimi [sic, dilectissimi] preces conuiuere uideretur, qui tamen priscis illis patribus, atque Israeli uniuerso precanti semper affuerit, magnitudinem calamitatis in Christo immensam fuisse ostendit. Ait itaque: In te olim iusti omnes, siue patriarchae, siue prophetae hi fuerint, suis in angustiis sperauerunt: sperauerunt, inquam, & liberasti eos. quasi diceret, nullus unquam ab te fuit derelictus, modo ex animo sperauerit. Quid?

{22.6-7} Clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Ego autem sum uermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Videsne quantam commiserationem haec commisceant? Mos enim est prophetis, ut ad maiorem emphasim sententias easdem repetant & inculcent. Sensus igitur huius omnis uerborum congeriei is erit: spem suam progenitores nostri in te, o pater, ponere consueuerunt, atque propterea omnis illorum suis in afflictionibus ad te clamor erat: & quotiescunque id faciebant, tu illos liberabas, neque unquam passus illos pudore suffundi, hoc est, repulsam pati. & hi quidem serui. Ego autem filius cum sim, uermis, & non homo, opprobrium insuper hominum, & abiectio plebis, reputatus sum. Ego, inquam, filius ille tuus unigenitus, & is amantissimus, abs te derelictus, factus sum res omnium uilissima, proiectamentumque ab omnibus derisum, exhibitum, ac infinitis iniuriis affectum. Non solum enim nouissimus uirorum reputatus sum, sed ne uir quidem. Quare uermis despectissimus, atque infimae plebis faex magis quam homo, dici debeo. Et uere uermis est Christus, qui exiguus, abiectissimusque omnium cum in terris uideretur, mirum tamen quam exacte perrodatur & comminuat quicquid nactus fuerit in suis electis rubiginis, ac duritiei. Caeterum ferunt sancti Dei interpretes, inter caetera quae Dei filius in gratiam nostri gessit in terris, maximam semper in patre fiduciam prae se tulisse, utpote qui suas omnes afflictiones in patris uoluntatem semper reiecerit: quod quidem neque illius hostes Iudaeos latuit. Idcirco cum uenerabile eius corpus ligno crucis, cruentissimis confixissent clauis, atque illum moribundis oculis iamiam agere animam conspexissent, scomma huiusmodi inter sese de illo, maximo cum contemptu, & ironia, iactitarunt: sperauit in Domino, eripiat eum nunc, si uult. Quam ob rem a Vate infertur:

{22.8} Omnes uidentes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput.

Quam contemptus, quamue abiectus, & uilis prae omnibus mortalibus, fuerit mansuetissimus Dominus in terris, in hac undequaque commiserationis plena enarratione exequitur propheta. Quid, oro, ignominiosius? Quid opprobriosius in plebe audiri potest, quam id quod refert Lucas in historia crucis? Viri, ait, qui tenebant eum, illudebant ei, caedentes eum: & uelauerunt eum, & expuebant in faciem eius. Quid, obsecro, illud erat, nisi in maiorem miseriam, mortis cruciatus prorogare? En quanta pertulit pro suis hostibus Dominus maiestatis. En quanto opprobrio subiacuit Deus, ut homini ereptum honorem restitueret. Ecquid rursum saeuus? quid contemptius? quid tantum lachrymis dignum, quam audire, quod milites praesidis plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & dicebant, Aue rex Iudaeorum: & dabant illi alapas. Vidisti ne unquam tam tetrum spectaculum? tam informe? tam crudele? tam cruentum? cum cernis speciosissimum illum iuuenem, in cuius diuinam faciem ipsi quoque coelestes spiritus cupiunt aspicere, a Pilato absque ulla commiseratione a planta pedis usque ad uer-

[verticem]

{pdf 163, p. 73v}

-ticem cruentatum, ac sexcentis, & eo amplius, uibicibus liuidum, e rostrisque uulgo ostensum hoc scommate? ECCE HOMO. Non ab re igitur, neque fecte suam deflet miseriam summus opifex, postquam suum adeo insanit opificium, ut ne tenus quidem cutem, tam saeuae morti enim quisque est, uel ex sublimioribus, ut sibi uidetur, animis, qui Christi mortem habeat, ut sponsus sponsam in amatoris canticis hortatur, sicut signaculum super cor suum? Porro de irrisione qua Dominus in illo suo ultimo uitae termino est habitus, uno spiritu, tum prophetae, tum prophetarum filii euangelistae, unquam ore plura olim conquesti sunt: sed in primis ipse Dei filius apud Hieremiam conqueritur hoc modo, dicens: Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die. Cui postmodum succinuit Euangelista: Praetereuntes, inquit, mouebant capita sua, dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus excitas illud: & deridebant eum. Caeterum illud, locuti sunt labiis, diuus Hieronymus uertit, demittunt labia: quod quidem ad exprimendum subsannantium morem summopere facere uidetur. His enim ridiculus quidam mos est, ut cum alicui procacius illudunt, labia demittant, ac foedissimum in modum distorqueant. Verum aptius aliquibus uisum est, id omne uno uerbo reddere, conuiciati sunt.

{22.9} Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam uult eum.

Seu, ut alius uertit: Quoniam deamat eum. Vide ironiam. Si rex, inquiunt, Israel est, descendat nunc de cruce: confidit in Deo, liberet eum nunc, si uult. Hoc plane illi dicere uolebant: Stulte admodum ac ridicule fecisse uideris, qui a Deo te diligi es arbitratus. Perpendis ne, o homo, iam tandem quomodo aurorae cerua per syluas, per nemora, per rupes a canibus agitata, aegre trahat spiritum? Mirum ni iam exhalauerit animam. Quid uero? Initia quidem dolorum nondum audita sunt. Antequam enim nobilissimus pugil ultimum suae uirtutis praebeat specimen, quibus armis confisus propinquam praestoletur pugnam, prius indicat Vates his uerbis:

{22.10} Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meae.

Totus hic uersus confirmandae suae spei gratia paulo ante derisae, probroque habitae a Iudaeis, adhibetur hoc fere argumento: quod impossibile sit coelestem patrem qui nos adeo benigne, nostra absque scientia & uirtute, ex latebris uteri materni eduxit, aluit, ac usque ad uirilem aetatem enutriuit, non rursus sic adultos & amare, & nobis opitulari, eo maxime tempore quo maior ingruit angustiarum procella: impia haec enim esset persuasio. Qui, quaeso, fieri potest, ut qui nos sine nobis, atque adeo nobis ignorantibus a secundinis illis tricisque maternis explicauit, statimque in ipso uitae exordio mamillarum succo enutriuit, modo adultos, clamantes, cognoscentes, eiusque auxilium implorantes, deserat? Te procurante igitur, ait Dei filius ad Patrem, Ex utero materno prodii, indeque bene sperare me docuisti, cum adhuc matris meae ubera sugerem. Quid dicam?

{22.11} In te proiectus sum ex utero.

Quis hic non attonitus miretur audiens, quod is cui condita parent omnia, ac genuflectunt, dicat se ueluti aborsum inanimem ex matris utero proiectum? Nudus, inquit, pauper, infirmus, miser, inops, & qui uitam a uagitibus auspicatus sum, ac lachrymis e claustro materni uentris eiectus sum: sed in te tamen, hoc est, tuae curae ac prouidentiae derelictus. Quare

{22.11} De ventre matris meae Deus meus es tu, ne discesseris a me.

Vide quomodo diuina beneficia mortalibus collata, etiam ab ipso primo conceptu horum sursum pertractet, ut nos aliquando ingratitude nostrae pudere faciat. Semper enim uel ab ipso conditarum rerum principio, antequam quicquam faceret ab exordio, cum nondum terra esset, aut coelum, de suis electis curam habuit Deus, hoc est, ab aeterno. Cum talis igitur sis, inquit, o pater, ne nunc, oro, a me discedas, proculque absis.

{pdf 164, p. 74}

{22.12} Quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adiuuet.

Si mei, inquit, discipuli, me relicto, aufugerunt, quid de aliis sperandum? Ergo tu solus spes mea. Hoc idem Dominus olim in Esaia conquestus est, dicens: Circumspexi, & non erat auxiliator: quaesiui, & non fuit qui adiuuaret. Nullum, quod sciam, maius est animi in angustia positi exterminium, quam se solum uidere ab omnibus, & illis ipsis quidem amicissimis uiris derelictum, eo maxime tempore quo maiori auxilio est opus. Et quemadmodum summa infelicitas existimari solet fuisse felicem: ita extremam esse calamitatem iudico, in calamitatibus a charioribus deseri: ut desolato Christo accidisse legimus, qui cum in horto illo trans torrentem Cedron, de quo sacra refert historia quaedam, ob Christi frequentiam non indigna memoratu, a militum turmis impeteretur, uidit se ab intimis illis suis, a secretis discipulis, & a Ioanne quoque illo tam charo deseri. At iam theatrum plenum est: producendus est pugil fortissimus, qui cum orbe

universo, cum peccato, cum morte, cumque ipso autore mortis ac peccati est conflicturus.

{22.13} Circumderunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.

Hic iam primum cinctum se, & conclusum memorat a potentissimis hostibus: quorum ferociam quo maiori exprimeret emphasi, grandes ac praeualidos tauros, quales regio Bassan diues pascuis alere solet, illos appellat. Nam Felix sic reddit: Circumderunt me tauri multi: tauri Bassan circumderunt me. Idem ferme Paraphrastes: Cinxerunt me, ait, tauri multi, fortes, & ueluti saginati in pascuis Bassan circumderunt me. Solent enim huius generis animantia eo saeuus ferocire, quo fuerint in pinguioribus pascuis enutrita: qualis est regio Bassan, quae, ut est in libris antiquae legis, mirum in modum ferax est ac felix. Vitulos hic appellat Vates effraenes iuuenes et indomitos, qui cum nullo natura rationis iugo contineantur, facile in effraenatas actiones feruntur, ut quotidie infinita ob oculos exempla, etiam in grauioribus rebus publicis atque aedibus habemus. Tauros uero pingues, obesos illos Iudaeorum sacerdotes, honoratosque uulgo scribas & pharisaeos appellat, qui ex nimia rerum copia elati, tyrannico magis imperio atque arte, quam legum scientia, res tum sacras, tum prophanas moderabantur. Huiusmodi enim strenuis, si Deo placet, ducibus, primo in congressu cinctum se expostulat Dominus Iesus, hoc est, se penitus in eorum manibus ac potestate positum. Crudelis quidem fuit illa Iudaeorum in Christi corpus saeuitia ac rabies. Crudelis & sacerdotum & pharisaeorum persecutio: sed quibus forsitan, ob ignorantiam, aut rei nouitatem, uenia praestari debuit. Adhuc enim sol ipsae iustitiae carnis uelo adumbratus, non se illis prorsus & aperte, ut illorum exigebat perfidia, impendere uoluit. Sed quid modo, ipso sole medium iam tenente coelum, hoc est, glorificato Christo, ac sese aperta ueluti facie, omnibus exhibente, cum tot mala in Ecclesia Dei fieri cernimus, erit dicendum? Crudelior certe haec mihi quam illa semper uisa est in Christum pugna ac persecutio. Quae uero tela atque arma illa sint, qui ministri, quis locus pugnae, & qui tandem spectatores, quibus omnibus rebus atrocior haec quam illa effecta sit in Dei filium concertatio & pugna, uniuersali quodam rumore sciunt omnes: sed altiori qui sunt mente praediti, & sciunt, & ingemiscunt, expectantes quo demum haec se rerum confusio ac perturbatio dirigat. Sed ad propositum redeamus, ne dum nimium exacte res uniuersales, in oreque omnium positas uentilamus, particularis nos iudicii, & forsitan odii insimulemur. Itaque ad ceruam nostram tot uenatoriis canibus circumuentam, nostra redeat oratio. Putas ne mansuetissimum Christum rabidos illos tauros ac petulantes uitulos, ob ea quae superius dicta sunt, ad commiserationem flectere potuisse? minime quidem. Clamat enim,

{22.14} Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.

Non sane satis fuit Iudaeos in cruciatibus filio Dei admotis, taurinam induisse ferociam, nisi & immanitate leonum usi, funditus discerpere eum statuissent. Aperuisse enim illos fauces horrendo illo hiatu asserit, quo leo cum praedae incumbens, totoque ore rugitum evomens, illam aggreditur. Aiunt quidem leones terri-
[terrifico]

{pdf 165, p. 74v}

-co quodam modo rugire solitos, cum praedam appetunt, & uident. Quem quidem morem non ignorauit Amos: Num rugiet leo, ait, in sylua, si non sit illi praeda? Porro quid saeuitiae leoninae tam simile unquam fuit, quam cum positi ante iudicem illum dirum Iudaei, calcatis legibus, aequoque iampridem ab atriis pontificum eliminato, abrasa iustitia, conculcato ue iure, decoreque & honesto, inualescebant clamantes: Tolle, tolle, crucifige eum? Obsederunt me, inquit. Obsidionem uero hanc fuisse arbitror cum saepe alias, sed tum potissimum, quando modestissimus iuuenis, cum iam aptarent manicas & funes, circumfusa agmina circumspectans, pacatissimo pectore respondit: Tanquam ad latronem exiistis cum gladiis & fustibus comprehendere me? Tum cohors, & tribunus, & ministri Iudaeorum accesserunt, & iniecerunt manus in Iesum, & ligauerunt eum.

{22.15} Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.

Toto, inquit, corpore exhaustus sum sanguine: qui quidem e membris meis crebris ictibus attritis, eo modo & copia effluxit, qua solet aqua e uase aliquo effundi. Aptata profecto, ac plane intentioni prophetae deseruiens similitudo: qui sane, cum uellet indicare totum cruorem adeo e Christi corpore effusum esse, ut ne gutta quidem quamuis modica remanserit, addit similitudinem aquae de uase aliquo proiectae & effusae, quae nihil omnino sui relinquit uestigii, cum caeteri liquores saltem saporem in uase relinquunt. Verum alii hac effusae aquae metaphora uolunt intelligi extremam membrorum Christi dissolutionem, quae non tantum a cruciatibus et tormentis procedere consuevit, quantum a metu in homine mire exagitato. Quocirca a Vate additur:

{22.15} Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventri mei.

Illi enim quam modo dixi de membrorum dissolutione, libenter assentior opinioni, postquam in mentem mihi uenit illud in Iosue libro, quo asserit cor populi pertimuisse, atque instar aquae fuisse liquefactum. Ea enim uis est pauoris, ut e summis in intima, & a supernis ad infima cogat calorem: quo praesente, membra omnia uegeta sunt, vivuntque, ac proprium seruant decorem. Eo uero sese, ob metum, in occultioribus partibus, magisque intimis insinuante, frigus statim pectus occupat, atque propterea caetera omnia refrigerantur, ipsaeque membrorum compages uitali calore destitutae dissoluuntur. Deficiente uero naturali humore ac sanguine, in quo uita est animantium, perlanguescunt ossa, & quodammodo luxantur. Unde in superiori uersu conquestus est Christus, sua omnia dispersa fuisse ossa. Cor item cum sit organum, ut dicunt physici, partis sensitivae: cumque primum sit uiuens in animali, atque ultimum moriens, facile ex nimio caloris cumulo oppressum eliquitur, quemadmodum solis calore ac radiis, cera liquescere solet. Vnde, oro, concitationes illae cordis, in uiro etiam sapienti, sed in maximo moerore aut metu constituto, originem habent, nisi quod cor ipsum a superabundanti calore illuc, propter nimiam illam perturbationem, aggregato, obrutum liquefit, & immutatur? In medio uentris, ait, huiusmodi intestinorum turbam esse commotam. quasi diceret, uulnerati cordis liquor in uentrem, more cerae a solis radiis liquefactae, effluxit. Per uentrem uult Eutymius iuxta graeci nominis significantiam,

totam corporis concauitatem intelligi. Utcunque intelligas, id scias uelim, Vatem hic omni eiuscemodi uerborum exaggeratione nihil aliud exprimere uoluisse, quam membrorum dissolutionem, quae ex metu, ac dolore aliquo immenso, in delicatioribus praesertim naturis accidere solet.

{22.16} Aruit tanquam testa uirtus mea.

En alius doloris, ac pauoris effectus. Reductus enim, ut dixi, ad abditiores intestinorum recessus calor, udumque pabulum absumens, ciet ariditatem, ac sitim excitat: quocirca humor omnis, uel, ut hic legimus, uirtus, seu, ut reddit Hebraeus interpret, succus exhauritur, eo modo quo testa seu olla igne exiccatur, & arescit. Conqueritur igitur Dominus, uires omnes sese defecisse, ac ob naturalis harmoniae corruptionem, cruorisue profusionem, atque ex consumpto uitae

{pdf 166, p. 75}

succo & humore, exaruisse, quemadmodum arescere solet olla testea in fornace. O Christe, quantis tibi nominibus debitor sum, quantum me meae praeteritae teneritudinis dispudet. Tu semper dirus tibi fuisti: tu in te crudelis, asper, inhumanus, quo me infinitis peccatorum sordibus infectum repurgares, ablueres, ac tandem te summum bonum, summamque pacem, & aeternam uitam, iam millies amissam, mihi restitueres. O si saltem guttam unam sanguinis pro te effundere par sim, ac dignus, qui pro me tu totus effusus es & dissolutus. Id unum tamen tibi de me polliceri audacter uelim, quod nihil tam auide in terris cupio, quam pro te posse mori. Hoc enim impetrato, quicquid de me futurum sit, non curo. Sed ad te, a quo nunquam discessit, redeat stylus. Videor nimirum te e crudeli illo ligno pendentem audire, proferentemque,

{22.16} Lingua mea adhaesit faucibus meis.

Hoc est, lingua siti exusta, in moribundis faucibus pallida iacuit. Quare non praeter naturam fuit, quod Christum in cruce ardentem sitim tolerasse legimus: ut interim de siti illa aeterna, quam semper habuit Dei filius cum patre, redimendorum hominum, nihil impraesentiarum dicam, cum totus hic psalmus nihil aliud prae se ferat. Quid, quaeso, aliud filium ipsum e sinu patris ad terras deturbauit? Quid tam nobilem ceruam in uasto hoc perturbationum theatro sistere fecit? Quid mori tandem, nisi sitis ardentissima recuperandi genus humanum? Caeterum faucibus meis, interpretes Hebraei reddunt, palato meo. quos imitatus Paraphrastes, sic legit: Lingua mea agglutinata est palato meo. quod quidem in aegrotante euidens signum est mortis: unde rari sunt, quibus, cum morti fiunt proximi, lingua uisco, nescio quo, impedita, sermonem non interturbet: adeo ut uix sit, uel ex propinquioribus quidem, qui, quid sibi uelit, aut postulet aegrotus, intelligat. Quare statim adiicitur a Vate,

{22.16} Et in puluerem mortis deduxisti me.

Hoc est: Ita me, o pater, confici iussisti, ut plane sepulchro, in quo puluis solummodo ac cinis esse solet, adaptaueris, mortique, cuius ui omnia in puluerem rediguntur, me tradideris. Corpus itaque exangue in tumulto iacere uoluisti. Vnde paraphrastes: Et

tandem, inquit, in puluere, quemadmodum mortui solent, sepelies me. Certa igitur mors mea est,

{22.17} Quoniam circudederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.

Diuus Hieronymus ex Hebraeo: Circudederunt me uenatores: quo melius exprimat Christum fuisse ceruam illam, de qua in titulo nonnulla. Videtur hic rursus Dei filius uelle causam tantae suae anxietudinis reddere. Antea enim se a tauris, & uitulis, quos rugientibus leonibus assimilauit, circumuallatum est questus: modo uero se a canibus, ceu feram, circunseptum replicat: moxque qui fuerint canes illi, ac uenatores, aperit, inquires: Concilium malignantium, hoc est, peruersorum hominum conuentus, obsedit me. Haec sane obsidio longe antequam accideret, sapientissimum non latuit regem, qui eorundem canum uice, sic nostram oblatrat ceruam: Circumueniamus iustum. Ecce canum obsidio. Causa uero: Improperat, aiunt, nobis peccata legis. Grauis est nobis etiam ad uidendum, En rabiem caninam: Contumeliis & tormentis interrogemus eum, morteue turpissima condemnemus eum, Ecce iam tandem quo canum saeuitia prorupit. Quam uere illud de seipso praedixit filius Dei in alio psalmo: Periit fuga a me, & non est qui requirat animam meam.

{22.18} Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea.

Hic tandem grauissimam poenarum omnium in suo corpore commemorat dulcissimus Iesus. Altera enim manu, aut pede, clauo aliquo obtusiori traiecto, statim ibi humorum congeries aggregatur. quare nerui caeteri pastu humorum destituti, maximo cum dolore confixi contrahuntur. Ideo ui altera extendenda est manus & pes, ut par sit in confixione cum prima. Nulli porro dubium, quod membra illa, quae neruorum robore magis ualent, dolori quoque laesa magis obnoxia

{pdf 167, p. 75v}

sunt. Praeterea in corpore sic affecto, nudo scilicet, ui extento, distractoque, & consumpto, ut fuit illud Iesu, non difficile erit ossa dinumerare. Idcirco sic is uersus a Campensi redditur: Tractatus sum ab eis tam inhumaniter, ut numerare potuerim facile omnia ossa mea. Caeterum si quaerere licet, cuius generis homines hi fuerint, qui tam crudeliter dilaniarunt Dominum uitae: idem ipse suum aperiat dolorem, qui cum in Zacharia interrogetur, quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? respondet, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Neque ob id tamen saturi.

{22.18} Ipsi uero considerauerunt, & inspexerunt me.

Felix sic: Ipsi considerabunt, toruum aspicient. Idem enim cum nostro est sensus, sed expressius reddita est litera. Nam Hebraeis in hoc loco, id quod nos legimus considerare, uidere, seu inspicere, aliquid aliud intelligitur, quam simpliciter intueri, aut uidere: sed est cum uoluptate & gaudio aspicere, uti hi solent, qui in extrema calamitate inimici nondum plene exaturati, ipsum sese inter cruciatus ac mortis terrores

distorquentem, risu quodammodo sardonico, ac crudeli omnino, aspiciunt, atque interdum toruo illum considerantes uultu, prae se ferunt etiam in mortuum, saeuitiam. Hoc igitur modo a suis habitus Christus, clamat, ac quanto potest dolore omnibus diuulgat, his notis: Ipsi, quos me diligere arbitrabar, me acerbissimis in tormentis aegre anhelantem, multoque in sanguine prouolutum intuebantur ridentes, insultantesue, quod alios seruauerim, meam uero salutem neglexerim. Neque hoc satis: nam me nondum plane exanimato,

{22.19} Diuiserunt sibi uerimenta mea, & super uerstem meam miserunt sortem.

Per futurum legit Felix, diuident: sed nihil officit sensui. Idioma est Hebraeum. Milites illi, quos modo canes, modo tauros, modo uitulos appellat Vates, cum, ut refert Euangelista, crucifixissent eum, acceperunt uestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem: & tunicam, scilicet acceperunt. Per uestimenta, exponunt indumenta consuta: per tunicam uero, uestem inconsutilem, de qua sortiti sunt: illa autem partiti. Verumenimvero qui mysteriorum sublimitatem, cum in his diuisis uestimentis, tum in inconsutili tunica requiri cedunt, non falluntur omnino: sed ab aliis hauriant, qui innumeri sunt, qui totam uitam Christi piis suis quibusdam allegoriis perornare norunt. Nobiscum autem non male agetur, si sensum Vatis germanum, in quo maxime exprimendo elaboramus, assequi poterimus. Caeterum cum illud in Iob legis, quod equidem absque lachrymis (non erubesco crucem Christi) recensere nequeo, nonne ob oculos positum tibi uidetur spectaculum miserabile filii Dei, suum hoc modo expostulantis dolorem? Nunc oppressit me dolor meus, & ad nihilum redacti sunt omnes artus mei. Aperuerunt super me ora sua, exprobrantes percusserunt maxillam meam, saturati sunt poenis meis: sed haec passus sum absque iniquitate manus meae. Ipsi ita:

{22.20} Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum a me, ad defensionem meam conspice.

Coeperat enim Vates in superioribus, sub Christi typo, fere idem orare, cum dixit: Deus meus ne discesseris a me. Sed uolens afflictionum suarum, multo magis Christi, nos esse admonitos, a supplicatione illa se auerterat, & ad querelas quas audiuimus, id est, ad enarrandum quantis malis teneretur, paululum digressus, iterum ad intermissam precem reuertitur, atque ait: Nec elongeris a me Domine, ne sis procul, ne amplius opem differas. Iam me cinctum a canibus, & his quidem insaturatis, uideo. Iam uestes meas, ut de mortuis fieri solet, partiti sunt inter sese. Quare tu, quaeso, ne longe abscesseris, quin potius, cum sis robur meum, ac uirtus, ferre mihi suppetias propera. Illud porro quod nos legimus, conspice, Hebraeis est, propera, seu festina. Atque hinc sane habes, cuiusmodi habitus illum, qui cupiat a Deo, cum orat, exaudiri, esse oporteat: suum uidelicet ut agnoscat periculum, hostium insidias non ignoret, ad Deumque assiduo cordis gemitu, ac desiderio clamat, ut liberetur. Interim uero toleranter ferat quicquid accidat, sed in primis Domini manum. hoc est enim, quod nunc dicit, ne elongeris a me: sed

{pdf 168, p. 76}

{22.21} Erue a framea Deus animam meam.

In alio psalmo idem precatur: De gladio maligno eripe me, hoc est, a potestate dominique improborum meam protege uitam.

{22.21} Et de manu canis unicam meam.

Nescio quidem an infelicius quicquam mortalibus accidere possit, quam a malis superioribus gubernari. Quod sane, ne inter minimas hominum molestias collocari putes, facit hic Vates a Dei filio inter acerbissimos suos cruciatus connumerari. Sentis ne hic instantiam in orante necessariam? Vides ne quomodo in tentatione positus, uerba quae mouere queant liberatorem, inculcare debeat? Nos stupidos quos hi non tangunt affectus. Caeterum unicam suam petit Dei filius e manu canis eximi. Animam enim suam uocat unicam, id est, solitariam, derelictam, omni prorsus auxilio destitutam, & quam tu, o pater, unice diligis. Canem uero appellat immundum Iudaeorum coetum, de quibus supra est questus, dicens: Canes multi obsederunt me. Et uere canes: siquidem Dei filium olim, cum adhuc inter mortales degeret, mordicus dilaniarunt: modo autem immortalem factum, quem dentibus nequeunt, ineptissimis blasphemiiis aggrediuntur. Non mirum sane esse debet, si numerum mutat. In scripturis enim prophetarum & numeros & tempora confundi, non absque tamen sancti spiritus consilio, frequenter cernimus.

{22.22} Salua me ex ore leonis, & a cornibus unicornium humilitatem meam.

Supra enim: Aperuerunt super me os suum, sicut leo rugiens. Hisce quidem animalium nominibus tum ferociam, tum implacabilitatem Iudaeorum accusare intendit. Est enim unicornis, seu monoceros, bellua adeo fera & indomabilis, ut mori magis eligat, quam ad humanos usus mansuefieri: cum caeterae animantes, & ipsae quoque tigres, alioqui natura implacabiles, uiuae capiuntur: haec sola non nisi mortua in potestatem hominum uenire patitur. Unde Iob rerum harum non ignarus sic loquitur: Nunquid uolet tibi seruire monoceros? Num pernoctabit ad praesepe tuum? Num illigabis monocerota loro tuo ut aret? [Job 39,9-10] Huiusmodi igitur immanitate insignes fuerunt Iudaei in Christum, & nunc sunt, ut leones audacia, tigres saeuitia, monocerotem uero implacabilitate superent. Quare huius totius uersus is sensus erit: Erue me, o pater, a crudelitate hostium meorum, qui uerius leones quam homines dici debent: atque a potentia illorum indomita, qui nihil tantum in uita amant, aut uideri uolunt, quam feritatem prae se ferre, hanc meam tutare deiectionem, qua factus sum uermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Sic fere semper in scripturis mos est accipi hoc nomen, humilitas, despectio scilicet ac deiectio. Unde in alio psalmo: Vide, ait, humilitatem meam de inimicis meis. Caeterum cornu, ut alias admonuimus, potentia est, imperium, uirtus, robur, fortitudo, & id genus alia.

{22.23} Narrabo nomen tuum fratribus meis.

Equidem absque ulla dubitatione asserere possem, omnem esse in hoc sacro psalmorum uolumine iustitiae normam, uirtutumque legem, ac decorem illum quem in uita seruari conueniat: cuiusque robur & uis ea sit, ut curemus ne ingrati in benemeritos de nobis existamus, sed par pari, quantum possumus, & animo & re beneficis referamus. Verum quia nulla e nobis retributio, quae digna sit Deo, prodire potest, quippe qui nullarum rerum nostrarum indigus est: hoc cupit tamen, atque a nobis exigit diuina maiestas, ut bona quae nobis ipse contulit uel irrequisitus, nos fratribus saltem rogantibus communicemus. Quotus enim quisque est, qui non facilius eligat uulgo reputari absque ulla bonorum suorum (de bonis animi loquor) collatione in alios, quam multis benefaciens, ab aura populari praeteriri? Non sic quidem se habuit filius Dei in terris, non sic eius apostoli, non sic caeteri primae illius Ecclesiae primates. Quid putas aliud in mente Pauli tum fuisse, cum sese anathema pro fratribus suis fieri exoptauit, [Romans 9.3] nisi posthabitis priuatis commodis, & salute quoque propria neglecta, totus quicquid erat, in aliorum salutem transfundi? Chamaeleon quidem necesse est ut fiat quodammodo is, qui in alios

{pdf 169, p. 76v}

quicquid bonorum coelitus se accepisse pernoscit, transmittere est paratus. Sed illud omne, quo (quemadmodum in illo suo anathemate Paulus efflagitauit) diuinum illustretur nomen, non suum, Deique praedicetur bonitas ac iustitia, non sua: ut nonnullos agere cernimus, qui suis in studiis & actionibus, quantumuis iustis & sanctis, se semper praedicant, proponunt caeteris, & nonnunquam saepe praeponunt: caeterum de illo a quo bona cuncta procedunt, aut nulla, aut frigida mentio. Scilicet tua illectus uirtute & pulchritudine Deus, te tam honoratis condecorauit bonis. Vide igitur quid Dei filius pro sua exoranda salute polliceatur. Vide, inquam, an cum nostrae aetatis hominibus in morbo aliquo aut periculo constitutis conueniat. Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis. Totum enim bonorum consilium in hoc uersatur, ut non solum ab sese, sed ab uniuersi quoque orbis hominibus colatur Deus, sanctumque eius nomen ac cultus celebretur, ametur, & si fieri posset, uel usque ad Antipodas apportetur. Fratres hic uocat Christus cohaeredes suos, Dei scilicet filios per fidem, quos ab se edocendos asserit: ut uel hinc, si non aliunde, perdiscamus, nullam posse esse in terris, neque in coelis etiam, plenam de coelesti patre, aut de salute nostra cognitionem, nisi unctio doceat, quae Christus est, rex noster, sapientia patris, & per quem accessum habemus ad Deum, ut ait Paulus: quanquam speciali quodam modo fratres appellat apostolos, utpote qui una cum ipso in carne tanquam pronubi sponsam fratri & praeparauerunt, & sanguine proprio ac morte tutati sunt. Non ero, ait, ingratus, si me liberaueris. Nomen enim tuum (id scilicet quo omnes ut pater diligis, foues, amplecteris, ac paterno affectu ad te trahis) omnibus illis quos tu tibi, ut tui sint, eligis, atque ab aeterno elegisti, manifestabo, in medioque Ecclesiae, hoc est, in puris sanctorum conventibus ac coetibus te laudabo, ut merito es laudandus. [22.23] Innumera porro cum sint argumenta quae nos admonent, quam flagranti corde atque ore simul laudandus sit a nobis Deus, id unum tamen uidetur maximum, cum animo recensemus quam benignus sit, quamue ad miserorum calamitates & pius & facilis: non iam ut Dominus, sed ut pater, & is quidem clementissimus, qui non tam cito ad gemebundas preces pauperum commouetur, quam praeparationem cordis eorum audit auris eius benignissima. Quid, oro, aliud est Euangelium, quam Dei in miseros bonitatis praeconium ac promissio? Quo alio affectu

Dei filium fuisse permotum dicimus, ut terras hasce nostras miserrimas inuiseret, naturaeque nostrae particeps fieret, nisi ut ad sese miseros, aerumnosos, atque humana prorsus felicitate uacuos ac destitutos inuitaret traheretque, & demum aeternis suis donis ac diuitiis bearet? In medio igitur eius generis conuentu faciam, inquit, te, o pater, celebrem, in omniumque oculis & mirabilem & stupendum. Hunc uersum citat Apostolus ad Hebraeos scribens, uolensque cognationem quam sponte assumpsit Dei illius cum homine ostendere: Qui sanctificat, ait, & qui sanctificantur, ex uno omnes: propter quam causam non confunditur. hoc est, nil eum pudet eos fratres uocare, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis.

{22.24} Qui timetis Dominum, laudate eum, uniuersum semen Iacob glorificate eum.

Ne forte qui sint isti fratres Christi, etiamnum, tanquam parum supra declarati ignoremus, aperit dicens, quod hi uere Dei haeredes cohaeredesque Christi, atque adeo uera Ecclesia sunt, qui timent Deum. Quo alio breuiori, &, ut sic dicam, diuini apophthegmate, summa Christianae professionis exprimi potuit? Non hic mihi elegantissimos quorundam mores, grauia instituta, plebis ue scita a grauissimis uiris sancita, leges iuraque obicias, absque interiori spiritus diuini timoris condimento ac pulchritudine: cum ea uera uereque beata in terris dici crediue debeat religio, sese impollutum seruare, ut diuus scribit Iacobus, in hoc seculo, mundumque habere cor atque animum: cuius quidem integritas & puritas in Dei timore maxime consistit: caetera uero umbrae somnium. Carnem enim a nobis non requirit diuina maiestas, sed fidem, sed dilectionem a corde, ut sic dicam, meticoloso, non arroganti & superbo proficiscentem. Caeterum si rursus interrogor, qui sint isti timentes Deum: recte, ut arbitror, respondendum erit, eos illos esse quos

{pdf 170, p. 77}

in sequentibus semen Iacob appellat, ut subsequens hemistichium praecedentis sit interpretatio. Uniuersum semen Iacob glorificate eum. O uos, inquit, qui fidem Iacob imitati diuinum nomen inuocare didicistis, illi soli gloriam adscribite, quae est (ni in rebus difficillimis prorsus hallucinor) fides, qua eum ipsum solum esse credimus, qui nos a seculo hoc nequam absque nostro merito liberat: ne dum plus nimio nobis de nostra iustitia adblandientes aliquid somniemus, in quo citra Deum gloriari debeamus, quasi bona illa, quibus nos coelitus donatos agnoscimus, nobis nostro studio, cura, atque in uirtutum theatro exercitatione contigisse opinemur. Necessarium utrunque, & Deo omnem, & nobis nullam tribuere gloriam. Clamare quidem possumus, ac utcunque appetere, quod nobis conducere arbitramur: liberari uero, atque quod cupimus, exorare, alterius est iurisdictionis [sic, iurisdictionis, 1585]: quamuis nec clamare quidem, aut optare, quod nobis utile sit, idonei simus, nisi Deus, qui in nobis nostrum format uelle, moueat animum ad ea desideranda, quae tanquam holocaustomata illa antiqua, queant tota in Dei gloriam incendi: hoc est, quae nihil omnino carnis, nihil mundi, nihil proprii amoris, & commodi sapiant. Qui enim uitam suam omnem hoc modo instituunt, uere Christi fratres sunt, caeteri hostes. Notat hic Eutymius, pro seniore Iacob Iudaeos fideles intelligi, quorum tribuum omnium Iacob progenitor extiterit: pro Israel uero utranque nationem. Nam qui eo modo quo sanctos decet, Deum timet & cognoscit, is, siue a

Iudaeis, siue a gentibus oriundus sit, uerius forsā appellari poterit Israel, quam priscus ille uir, qui diuina uisione dignatus, ex Iacob Israel a Deo nuncupatus est. Israel enim mentem Deum uidentem interpretantur. Ex qua quidem nominis mutatione coelitus admonemur, neminem posse ad diuinam uisionem contemplandam, tum hic per speculum in aenigmate, tum illic in coelesti regno reuelata facie assurgere, nisi prius calcatis uitiis, supplantatoque mundo, & peccato, immundis spiritibus imposturam fecerit. Iacob enim supplantatorem interpretari possumus.

{22.25} Quoniam non spreuit, neque despexit deprecationem pauperis.

Secus Felix, & clarius: Quoniam non despexit, inquit, neque abominatus est humilitatem afflicti: ut superiori respondeat uersui, quo precatus suam seruari humilitatem, rursus Dei beneuolentiam erga apud mundum inglorios testatur: & est ac si dicat: Eia animum resumite, o qui rebus hisce caducis infensi estis, atque omnibus prorsus despicabiles. Nam a mundo contemptum, non uilipendit Deus: non pauperem, non pannosum, non lepra affectum, non denique peccatorem aspernatur. Sed neque extremam ob miseriam, in qua ego a meis coniectus sum,

{22.25} Auertit faciem suam a me.

Hoc est, non contemptim auertit faciem suam a me, uti solent uultuosi quidam, ac alto gradientes supercilio, qui facile abiectissimos quosque auersantur. Vidisti ne unquam expressius taxari quorundam hominum fastum, atque arrogantiam, & in his quoque, qui in ipso ecclesiae centro delitescunt? Deus optime, quae monstra interdum in Dei uinea aluntur? stomacho plena sunt fere omnia. Sed de his alii. Caeterum solent simplicioris qui sunt ingenii (ut sunt in omnibus propemodum ob iudicii tenuitatem dubii) quaerere, qui fieri potest, ut qui superius dixerat: Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: modo uero asserat Deum non auertisse faciem suam, sed exaudiuisse? Vtrunque enim uerum esse scient, si prius, quod alias admonuimus, duas in Christo fuisse, quemadmodum naturas, ita & uoluntates, didicerint. Ea quippe hora, quando suas illas doloris notas deprompsit, querens se non exaudiendum, quamuis die noctuque precaturus esset, sibi uisus est derelictus. Tota enim in eo natura humana in improborum manus tradita, neque quopiam, qui opitularetur, apparente, mortem facile oppetiit: quam tamen, quo se uerum hominem esse demonstraret, summa animi anxietudine, non semel deprecatus est. Postea uero deuicta morte rediuius e saxo, in quo fuerat tumulatus, egrediens, sibi suisque immortalem adeptus est uitam. Impossibile unquam erat uictorem mortis diutius a morte detineri. Hoc igitur modo exaudi-
[exauditus]

{pdf 171, p. 77v}

-tus fuit, illo uero minime: cum tamen semper idem esset filius Dei, qui & filius hominis, eiusdem uoluntatis cum patre, utpote rerum omnium principium cum patre, atque Deus, propterea idem.

{22.25} Et cum clamauro ad eum exaudivit me.

O uim castis pectoribus, ac summe in Deo sperantibus impressam. Vide quid de se pro nobis asserat Christus. Non benignissimus pater, ait, contemptim, uultuoseque sese habuit, atque idcirco se auertit a me: quin potius, cum clamarem, diligentissime me audiuit, remque meam exactissime ponderauit. Atqui clamor in hoc loco, ut alias diximus, non tantum is est, qui ex afflicto pectore, aut diuexato corde enascens, ab ore expostulantis erumpit, quantum affectus ille interior amoris comes in Deum, quem motus animae eo magis oblectant, quo fuerint coelestium rerum desiderio magis affecti, minusque loquaces: quemadmodum huius rei in sanctissima Samuelis matre praecessit typus. Quod si & ore, & lingua, & caeteris huiusmodi interiorum affectuum nunciis ac proditoribus, laudandus est Deus: cor tamen illud est, atque animus, in quo uera laudandi Deum impressa est imago ac forma. Verum uide grati animi recompensationem.

{22.26} Apud te laus mea in ecclesiam magna.

Felix: Ex te laus mea. hoc est, a te uenit, quod ego te in ecclesia magna laudo: nam supra pollicitus fuerat se in medio ecclesiae laudaturum eum. Non displicet quod alius reddit interpres: De te laus mea in ecclesia ampla. id est, omnis mea laus, omnis cantio, omnis stylus, omnesque lucubrationes meae, de tua erga me bonitate erunt, apud omnes: non sane quidem in angulis, locisque obscuris & angustis, sed in ampla, ac uasta tua ecclesia. Vocat hic gentium ecclesiam, uastam, & amplam, prae illa, quae angusta proculdubio uidebatur, quando solummodo erat notus in Iudaea Deus, uerbumque Domini preciosum, hoc est, inter paucos cognitum. Et uere magna iam facta est Dei ecclesia, postquam uerissime admodum illud per triuia quoque iactatur elogium, quod quicumque inuocauerit nomine Domini, saluus erit. Unde exclamat Deus in Esaia: Ab ortu solis magnum est nomen meum in gentibus. Ecce Dei ecclesiae amplitudo. Ecce coelestis habitationis immensitas. Ecce diuinarum aedium uastitas ac prorogatio, quae non tam quidem numero, aut multitudine & hominum & regionum censi debet, quam propagatione diuini uerbi: in quo sane res tota salutis nostrae, ac summa, regnum scilicet Dei, mirabili delitescit artificio. Quocirca optimo erit opus artifice ad huiusmodi e cortice discernenda mysteria. Is enim spiritus est, quo quidem doctore inspirati patres olim loquuti sunt. Qui me, ait, dilucidauerit, inueniet uitam. Alioqui regna quotidie prophana Dei ecclesiae addere, aedificia gemmea erigere, fana, uel in minutissimis uillulis & oppidulis, fabricare, hoc est, mundanarum rerum cumulo augeri ecclesiam, atque hominum colluione dilatari, permagna res est, & quae facile infideles prouocat, si non ad cultum, ad politiem saltem, ac munditiem morum. Verum a furtis, a rapinis, ab adulteriis, incestibus, sacrilegiis, ac quibus maxime atteruntur miserrimi ciues, usuris, simoniacisque contractibus & uersuris non abstinere, si ecclesia Dei est, ego de ecclesia Dei esse nolo. Nam nihil in rebus humanis tam angustum esse duco, quam uitae illis inseruire, quae mihi Deum adimunt, qui solus immensus est, solus uastus, solus amplissimus, caetera angusta & arcta. Amplus ne tibi uidetur ille animus, qui auaritia intentus, nil nisi pecuniam cogitat? Ille ne, qui toto anhelitu ad assequendum gradum aliquem excelsiorem suspirat? Quid ille, qui in foedis uoluptatibus, uti sus sordida, uolutatus, Helenam totus, quicquid est, deperit? Nisi forte magnum existimari debeat, ob calamistratum unius scorti uultum, totius Asiae regnum olim excisum fuisse. Verum ille excelsus, ille amplus, ille ad amplam ecclesiam pertinens est, qui derisis huius

generis rerum fragmentis, totou calcato orbe, qui ad aeternae uitae immensitatem collatus angustissimus angulus est, imo nihil est, altissimis contemplationibus per atria illa coelorum immensa spa-
[spatiatur]

{pdf 172, p. 78}

-tiatur, atque propterea nihil conditum magnum arbitratur.

{22.26} Vota mea Domino reddam in conspectu timentium eum.

Videtur id quasi natura comparatum, hominumque consuetudini admodum familiare, ut quoties aliquid a Deo, quod nobis magnopere sit cordi, postulamus, uicissim illi quaedam polliceamur, quae tantae maiestati grata fore speramus. Atqui praecipuam, & quae magis placitura foret illi, promissionem eam in primis opinati sunt patres, impenseque obseruarunt, qua homo se uoto adstringit, Dei honorem, quantum in se est, tutari, eiusque sanctissimum nomen extollere, promulgare, ac pro eo dilatando mortem libentius obire, quam uiuere cum Domini sui iniuria & contumelia. Et quidem uota haec erant, ac desideria filii Dei. Hoc unum potissimum egit in terris, ut patris sui nomen in omnes regiones propagaretur. Nonne illud fuit uotum ac promissio, quando superius sese adstrinxit, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medioque Ecclesiae laudabo te? Sed, ne noua tibi afferri cogites, uide quo modo fere semper in scripturis uota adduntur laudis sacrificio, ne uerearis idem esse uotum ac Dei laudem. In me sunt Deus, inquit, uota tua: reddam laudationes tibi. Rursus illud: Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo, uota mea Domino reddam. Quid porro illud? Psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi, ut reddam uota mea de die in diem. Sexcenta alia per prophetarum libros conspersa inuenies testimonia, quae mortales omnes commodum admonent, quam in pollicitationibus, ac uotis Deo factis errent, si aut ea, quibus nihil emolumenti diuino honori ac nomini adiicitur, aut, quae uires humanas superant, pollicentur. Haec stulta, illa superstitiosa: utraque uero a Dei religione & cultu abdicanda, ne ueritatis sedem error occupet. Vota tamen illa, quae quotidie uulgo fieri cernimus, uel in primis illa, quae in claustris profitentur, inter ea censenda arbitror, quae in diuinae tandem laudis ac nominis honorem desinunt: licet interdum hi, qui promittunt, promissis stare non uideantur. Sensus igitur erit: Vota mea, hoc est, laudem quam tibi debeo, in conspectu timentium te persoluam: reddamque tibi tui sanctissimi nominis indefessam, flagrantemue, quoad uixero, professionem, quo tui honoris studiosi, hi dico, qui te timent, ac uerentur, non ignorent sese illum colere, qui merito colendus sit, atque unice timendus. Hic uides, ni fallor, quae sit ea ecclesia, in cuius meditullio se Deum laudaturum superiori uersu promiserat, timentium scilicet Deum coetus & congregatio. Alioqui ubi omnia, contempto Deo, pro libidine aguntur: ubi ambitio, ubi simultas, ubi terrenarum rerum cupiditas dominantur: iustitia uero, pudicitia, ac qua maxime oblectatur Deus, animi puritas, seruiunt, ibi nullus modus vitae, nullus Christianae religionis, ne odor quidem esse potest.

{22.27} Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum.

Quia enim omnis uirtus suum habet fructum & uoluptatem, in hoc loco Vates commodum aperit, qui fructus, quae uoluptas, qui effectus expectari debeant tum ab illis, qui Dei uerbum per diuersas regiones deferunt, tum ab iis, quibus huiusmodi gratissima est merces, & qui cum audierint, cordis affectu excipiunt, ac, ut ait CHRISTVS fructum afferunt in patientia: & hi quidem sunt mundo plerumque inuisi & odibiles, quosque cum hic, tum alias Propheta uocat pauperes. Et uere pauperes ab Adae filiis nuncupantur, cum rerum omnium, quae cari ac mundo parere solent, amore exuti, ab eo ipso tantummodo pendent, qui propterea carnem hanc nostram miseram induit in mundo, ut & ipsam carnem & mundum, hoc est, animas omnes illas, quae carnis, mundique ipsius amantiore erant, ad sese traheret, secumque a dextris uirtutis Dei in excelsis beans, spiritales prorsus efficeret. Elegerat enim illas iam primum ab aeterno e mundo, ne cum mundo interirent. Interim uero, Dei uerbo, quod est uerum animae edulium, pascentur: nedum quidem hoc, sed & saturabuntur,

{pdf 173, p. 78v}

absque fastidio tamen. At qui quaeso, edent? Edent pauperes, edent afflicti, despecti, inglorii: edent peccatores, publicani, lenones, meretrices, & id genus ali, qui morbo aliquo letali infecti, morbumque ipsum non ignorantes, nihil aliud tam ardentem cupiunt, quam a praetereunte IESU sanari. Hi nempe, ut ait Vates, sanctissimo Euangelii pabulo pascentur, inebriabunturque ab ubertate domus Dei: uituli scilicet illius saginati in Euangelio, pro recuperato filio adolescentulo a patre occisi, pinguedine exaturati, non e siliquis amplius porcorum uentrem eum implebunt, qui, ob fidei candorem, eburneus in amatoris canticis appellatur. Quo quidem saluberrimo cibo pastae animae, in eundem ipsum cibum, contrario ordine cibi corporei, transmutantur: hoc est, adeo unum efficiuntur ui uerbi, amore ac desiderio cum CHRISTO, ut nihil amplius uel cogitare, uel eloqui, uel agere libeat, quod non in sui amati honorem cedere queat omnino: cum interim diuites dimittantur inanes: hoc est, de propriis uiribus, iustitiaque, & religione praesumentes, atque propterea se diuites existimantes, gratia omni destituantur. Ecce, ait, serui mei comedent, & uos esurietis. Verum ne in re alioqui per se aperta haesites, cuiusmodi scilicet cibus ille sit, quem edere oporteat Dei pauperes, adiicit: Et laudabunt Dominum qui requirunt eum. Vide, te oro, quam elegantissimo, & eo quidem mirabili, ac stupore pleno, utranque rem claudat epilogo. Nam duobus propemodum uerbis, & qui sint pauperes, hoc est, qui requirunt eum: & quo cibo sese oblectari oporteat, id est, laudabunt Dominum, edisserit. Qui uero fructus? quis finis illorum erit?

{22.27} Et uiuent corda eorum in seculum seculi.

Nam, non mortui laudabunt te Domine, sed uiuentes, sed qui corda habent uiua ac uegeta: hi scilicet, qui mundana omnia, quae inferre solent mortem, fastidiunt abominanturque, ac in perpetuis gratiarum actionibus uiuentes, omnia bona Deo accepta referunt, totamque uitam suam illis ipsis studiis, quibus maxime delectatur Deus, consecrant, atque aliis diuinum laudandi nomen occasio sunt. Ne putes enim diuinarum gratiarum concessionem in tepidis pectoribus facile prouenire, marcessereque debere & occultari. Diuulgandae enim sunt, quo uita ipsa habeat, unde sese continuis

successionibus, in alios effundat, sciantque caeteri, idcirco uerbi Dei semen a coelesti agricola spargi, ut coalescat uiuatque in aeternum. Quod quidem fit, cum alter alteri uitam impartit. Caeterum uitam appello doctrinam sacram & Euangelium, in quo CHRISTVS ipse, uita scilicet omnium, latet. Quid latet dico? omnibus, inquam, expositus ai, magisque lucet, quam sol iste uisibilis orbi uniuerso. Ceruis modo, ni fallor, ad quantam nos felicitatem coelestis uerbi pastio euehat ac perficiat. Sunt qui dicant hic Vatem sub eiusmodi uerborum inuolucro de CHRISTI corpore ab altari percipiendo uoluisse dicere, obscure tamen, quia umbrarum illud erat tempus: modo uero, decusso e cortice nucleo, ueritatis. cui & praeluisse donarium illud a rege populo datum asserunt, collyridam scilicet panis unam, assaturamque carnis bubulae unam, & simulam frixam oleo, seu ut legunt Hebraei, uini sextarium. Verum literae series me, ut de esu sacrae doctrinae, & intelligerem, & interpretarer, monuit, fultus tamen nonnullorum iudicio, & in primis Eutymii graeci, qui in hoc loco sic refert: Pauperes enim sunt ueri omnes Christiani: qui tamen spiritualem cibum Euangelicae comedunt doctrinae, qua uere alitur, & augetur anima. Vtrunque enim sensum prophetae spiritu dignum esse iudico, cum & hoc, & illud, unum atque idem, eiusdemque efficaciae ac dignitatis esse, sanctos Dei uiros disseruisse uideo. Quod si tamen inter sese paululum differre uideantur, uult Ambrosius, doctrinae cibum, carni, ac sanguini filii Dei praestare: quandoquidem asserit, sceleratiorem rem esse Euangelium Dei contemnere, quam eius filium ex altari proiectum pedibus conculcare. Sed eius generis sententiae obstrusiores sunt quam quae, nisi a perfectissimis uiris, intelligi ualeant.

{pdf 174, p. 79}

{22.28} Remiscentur & conuertentur ad Dominum uniuersi fines terrae: & adorabunt in conspectu eius uniuersae familiae gentium.

Vis uno uerbo dicam, quid e pastu eiusmodi saluberrimo secutum sit? Hi enim, qui ex longa peccandi consuetudine adeo in malis obduruerant, ut prorsus omnem sui conditoris memoriam e corde abiecerant, ui ignea uerbi Dei afflati, pedem actutum referunt, ac deploratae uitae eiecto opprobrio, decussaque omni ab anima rubigine, quae funditus igniculos illos homini cognitionis Dei inditos oblitterauerant, remiscentur: hoc est, quae prius nouerant, remiscentur: (praenotionem hic Platonis non intelligo, cui uisum est, animas antequam corporibus uniantur, omni scientia perfectas esse: sed ob corporis hebetudinem tardiores factas obliuisci penitus quae antea nouerant. Ex quo concludit uir alioqui sapientissimus, pueros non noua discere, sed uetera reminisci) ex qua quidem reminiscentia, e doctrinae fidei auditu, per orbem uniuersum excitatae, oboritur, seu magis reuiuiscit lumen: quo illucescente, fit omnium finium terrae ad Deum conuersio, ita ut iam adorent eum: uel, ut reddit Felix, genua flectant coram eo uniuersae stirpes gentium. Et adorabunt eum, ut alio in psalmo, omnes reges, omnes gentes seruiant ei. Non illud porro praetereundum, quod refert Eutymius, ex ui. ut ipse ait, graeci uerbi, posse elici sensum passiuae significationis in uerbo remiscentur: ita ut sit sententia (eius enim uerba referre libet) quod digni efficiantur, quorum Deus reminiscatur, tametsi eousque repulsi, ac neglecti fuisse uiderentur. Quid mirum igitur si nostra etiam aetate cernimus a Deo uocari ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt? hoc est, eos qui ad uitae regnum minime pertinere uidentur, ut sunt latrones, homicidae, scorta, &, quod difficiliter hucusque uisum est,

tum milites, tum militum duces, ad cognitionem ueritatis ascisci, cum Deus illos ad memoriam, ut sic dicam, reuocasse censetur? Saxa (credo) inanima, si eo modo illorum diuina reminisceretur bonitas, quo perditorum hominum reminiscitur, ad uitam, alioqui ipsis a natura negatam, respiscerent, ac conditorem suum agnoscerent, & adorarent. Hinc uides, ni prorsus hebes es, unde pietas nostra ac religio ortum habet: unde, inquam, est, quod nunc certatim per urbes, per oppida, per uicos etiam minimos, ad audiendum salutis uerbum concurritur. Recordatus est enim Dominus misericordiae suae, sicut olim locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius, qui CHRISTVS est, ut ait apostolus, per quod benedicendae erant omnes tribus terrae. Causa uero?

{22.29} Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.

Quia enim forsitan in dubium uerti poterat, ac quaeri, quorsum gentes, de quibus in superioribus uates mentionem fecerat, dicens: Et conuertentur ad Dominum uniuersae familiae gentium: euocandae essent, ac dominico gregi inferendae, addit: Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Quod idem ferme a Paulo replicatur Romanis scribente: Num solummodo, ait, Iudaeorum Deus? Imo & gentium. [Romans 3.29] Nos stultos, qui hucusque putauimus cognitionis diuinae reliquias in fanis solummodo ac templis manufactis conquiescere. Et licet quorundam uita aliena prorsus ab huiusmodi uulgari opinione foret, tamen, quae male suasae sanctitatis natura est, facile a quauis boni specie nobis imponi patimur, homines, si Deo placet, uafri, & prudentes. Fatendum est igitur, quod quemadmodum Deus rerum est omnium & conditor, & Dominus: ita omnes omnium, mundi climatum, ad sese occultissimis afflatibus attrahere, siue fidelis, siue infidelis is sit, qui trahitur. Non publicanus, non fur, non latro, non parricida, non mercator, o miles, non quicquid uspiam gentium est, quod diuini calor sit capax, seu uir, seu mulier sit, se excludi arbitretur, quin potius audeat, promptaque fide persuasum habeat, Christum non posse non reminisci eorum, quorum gratia tam dira a suis perpeesus est in terris. O felicissimum mortalium omnium eventum. Vide quid addit:

{22.30} Manducaverunt et adorauerunt omnes pingues terrae.

{pdf 175, p. 79v}

Versus iste subobscurus est, idcirco uarie enarratur: quae tamen uarietas in interpretandis sacris libris, quammaxime, nisi forte ad rem faciat, uitari debet. Videtur igitur hic mihi Vates illud idem dicere, quod alio in psalmo dicit: Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. ut idem plane sint, & diuites plebis, & pingues terrae: hoc est, opulentiores, qui rerum affluentia lasciuire solent. Et qui cum, secundum euangelium, difficilius Dei ingrediantur regnum, quam acus foramen cameli: diuinae tamen maiestatis nomen affatim illustratur, si & ipsi cum pauperibus Christi ad saluberrimum cibum hic euangelii, illic postea apertae deitatis admittantur. & est perinde ac si dicat: Quam ex animo celebranda est Dei bonitas, quae adeo sese in omnium salutem uniuersaliter, ac in omni loco & tempore diffundit, ut uel ipsi rerum domini, & potentissimi uiri, alioqui a mensa aeternae coenae prope modum exclusi, ad esum agni asciscantur, illique, flexis poplitibus, quod potissimum, externum licet, uerae pietatis indicium est, suum erga Deum testentur animum. Neque hoc solum. Audi rem

dictu incredibilem. Ipsi etiam mortui, sepulchroque conditi, siue, ut legit hebraeus, in puluerem descendentes, proni in faciem coram eo cadent: hoc est, eum, uel inuiti, adorabunt. Hunc enim sensum nonne tibi uidetur illi Seruatoris sententiae convenire? Venit enim, inquit, hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filii Dei, & qui audierint uiuent. At unde tantae bonitatis copia? quia uitam propriam, inquit, non est dedignatus pro illis impendere. Nam quod nos legimus in principio sequentis uersus, Et anima mea illi uiuet: Hebraeis praecedentis est finis, hoc modo: Coram ipso adorabunt omnes descendentes in puluerem, quoniam animam suam non uiuificauit: uel, ut diuus reddit Hieronymus: Et anima eius non uiuet: hoc est, animam suam non uiuificabit, sed pro ipsis eam tradet. Verum quo simplicioribus, atque in uulgata aeditione enutritis consulatur, erit dicendum:

{22.31} Et anima mea illi uiuet, & semen meum seruiet ipsi.

Filius Dei est qui loquitur: cui quidem e tumulto excitato, glorificatoque ac ad dexteram patris collocato, omnia iam genuflectunt: sed & mortui ipsi, secundum tempus praefinitum a patre, e puluere experrecti, suam testabuntur reuerentiam & timorem: non quidem mortuo Deo, ut sunt dii gentium, sed uiuenti in secula. Et anima mea illi uiuet. quasi dicat: Ego filius uiuens propter patrem, uiuo ipsi: hoc est, totam uitam meam illi tanquam maiori refero, ac totus, quicquid sum, ad eius gloriam uiuo. Nam meam propriam in hoc mundo gloriam non quaero, sed eius qui misit me, patris. Hincque semen meum mecum ipsi seruiet: hoc est, eo modo, quo ego illi serui, ita filii mei euangelico semine concepti, nati, enutriti, deseruiet. Quod uero fuerit Christi obsequium patri exhibitum, nae eius semen non es, si rem tam apertam ignoras. Neque enim est, quod nostram contegamus ignorantiam. Apertior enim res est, quam quae uel a uetula ignorari queat. Exploratissimum, inquam, iam factum est omnibus, quam piam, quam sanctam, quam puram, Christus in hoc mundo vixerit uitam. Norunt & ipsi infideles, quantum obsequens fuerit patri, quantum patiens, quantum mundanarum rerum, & in primis gloriae, contemptor: quantum ad referendum par pari in iniuria obliuiosus, in beneficiis uero etiam irrequisitus, propensus. Quis rursus tam barbarus uel ultra Sarmatas uiuens est, qui ignoret eius mansuetudinem? prudentiam? facilitatem? benignitatem? ac, qua maxime bonis omnibus gratus erat, comitatem? Nonne ille in furta, in adulteria, in occisiones, in libidines, in odia, in rapinas, & huiusmodi alia inuictus, testabatur Dei iram in illos futuram, qui eius generis facinoribus irretiti, nihil antiquius in uita ducebant, quam contempto Deo, calcatisue legibus, iure & aequitate, in sceleribus uiuere? Quis porro unquam a tyrannorum metu, consuetudineque, & amicitia, tam liber fuit? Quem unquam uidimus cum tanto stomacho, pharisaeorum, scribarum, sacerdotumue, atque huiusmodi latrinarum mores & uitam detestatum palam esse? Omitto enim amorem illum immensum in miseros, in aegrotantes clementiam, in destitutos opem, in peccantes commiserationem tantam, quantam nunquam exhibuit in filios mater. Iam claus

{pdf 176, p. 80}

illos atroces, quibus ignominioso ligno pro te, o homo, confixus fuit, ne patri non obediret, praetereo. Praetereo diutinos cruciatus, languores, tormenta, & ea quidem diriora, quam quae unquam, nec ab ipsis quidem immanibus expectari potuerint

Cyclopibus. Atque haec sane omnia, quo patri suum probari posset obsequium, atque ex animo famulatus. Quasi enim per excessum illius faciem, qui semen Christi effici cupiat, deliniaui, quanquam imperfecte. Complura enim is sibi, praeter ea quae a me dicta sunt, deesse arbitrabitur: quae sane omnia in Christi uita ac moribus, tanquam in uirtutum omnium archiuo, accumulatissime apparent. Non enim frustra Deus, qui eo quidem proposito homo factus est, ut homo homini abolitam naturae legem innouaret, recteque uiuendi formam traderet, nobiscum in terris commoratus est. Tantum porro abesse debet, ut uulgari mediocritate contenti, nunquam eo perueniendi nauemus operam, quo non ascendisse, Christi uitam contempsisse indicium erit. Neque illos profecto admodum laudare possum, qui cum a turbis semoti, uitam sibi perfectiorem, quam uulgo uiuitur, instituant: nihilo secius tamen (utinam non turpius) neque altius sese a terra eleuant, quam qui propter rerum familiarium sollicitudinem ac curam, humi depressi, uix interdum se Christianos esse reminiscuntur. Nos miseros, qui tam inconsiderate, superatis uasti pelagi difficultatibus, in portu allidimur.

{22.32} Annunciabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt coeli iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

Hic absque dubio ecclesia Dei perpetuitatem uaticinatur Propheta. Nam quod superiori uersu cecinit, Et semen eius seruiet ei: credentium posteritatem, quae mortuo Domino in eius ecclesia successura erat, praedixit: modo eandem ipsam asserit illam esse, quae populus Dei a cunctis appellabitur, quae & aeterna erit. Caeterum coeli dictio, neque in Hebraeo, neque in Graeco inuenitur: idcirco redundat. Neque rursus, quem, legendum esset: sed quae, aut quoniam, hoc modo: Semen seruiet ipsi: narrabitur, seu numerabitur Domino in generatione: uenient, & manifestabunt iustitiam eius populo genito, quoniam fecit: uel, quae fecit Dominus. ut sit sensus: Semen eius, hoc est, posterius seruiet Domino, atque in spiritu & ueritate eum colentes, populus peculiaris, gensque sancta ac pura, illi censebuntur. Insuper haec de Domino, quae dixi, scribentur, quo posterius omnes intelligant, ut & ipsi ueniant, & filiis quoque suis, qui ab illis nascentur, annuncient Dei iustitiam. Sed quam iustitiam? quoniam ipse fecit, omnia scilicet, quae ad salutem hominum pertinent. Nihil enim non fecit benignissimus Dominus quo a peccati, atque propterea mortis imperio electos, semen uidelicet Dei eximeret. Sine me, ait, omnem iustitiam exequi. hoc est, permittite me omnem morum rectitudinem, omnemque, atque eam quidem absolutissimam bonitatis normam ostendere. Sic enim Hebraei appellant iustitiam: quemadmodum Graeci, qui eam diffiniunt esse uirtutem omnium summam. Quocirca nescio an recte iustitiam dicant esse quidam iuris seueritatem illam, quam opponere solent misericordiae. Iudicium id potius in scripturis, ni fallor, appellatur, quam iustitia. Caeterum licet, ut dixi, neque in codicibus Hebraeis, neque in Graecis, quod sciam, coeli dictio habeatur: non uacare tamen a decore arbitror, cum eiusmodi dictiones, ueluti gemmae, fortuito quodam ornatu scripturae interseruntur. Quamobrem hic putant, per coelos, apostolos adumbrari, qui iustitiam Dei, hoc est, immensam diuinae bonitatis amplitudinem [sic], qua Deus ipse, non solum & Deus, & pater nobis esse uoluit, sed homo factus, & is omnium despectissimus, proprio cruore & morte, hominum genus infinitis errorum tricis illaqueatum, in libertatem filiorum Dei uendicauit, intrepide diuulgauerunt. Hanc itaque iustitiam diuinam, non humanam, non superstitionibus foedam, praedicauerunt, continuoque praedicant felicissimi coeli isti, Cui, quaeso, praedicant? populo nimirum

ex aqua & spiritu renato, & quem fecit Dominus: hoc est, quem sibi cum doctrinae, tum crucis semine progenuit, ut illud maxime uerissimum sit de electis elogium Oseae, qui ait: Filii facti sunt Dei uiuentis.

{pdf 177, p. 80v}

PSALMVS DAVID XXIII

{23.1} Dominus regit me, et nihil deerit: in loco pascuae ibi me collocauit.

Felix prorsus Christianorum conditio, si quemadmodum crebro, et hoc, et huius simile de Deo testimonium ore proferunt, ita persuasum animo haberent, sibi nihil, quod ad suam, tum corporis, tum animae, spectat salutem, deesse posse, Deo propitio, tutore, & duce. Haud raram quidem huiusmodi translationem in scripturis esse inuenies, qua Deum pastorem, nos oues uocari legitur. Nec sane id absque altissimi consilio factu ducimus. Nam sicut nullum aliud pecus tanta aequem indigere cura & solitudine cernimus, quanta ouis tenella, & quae minus sese tutari, sibique prospicere ualeat: ita hominem animantium omnium, si corpus spectas, miserrimum, interire omnino necesse est, nisi illum benignissimus atque idem peruigil pastor Deus, continuo ducat, pascatue, ac ad aquas, ut ait Propheta, refectionis minet. Hac igitur Dei cura ac prouidentia cum Dauid sese indigere pernosceret, atque adeo omnes Aadae posteros secum, non tantum per se solum, quantum uice omnium, qui in laetissimis ecclesiae pascuis uicturi erant, gloriatur hoc modo: Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocauit. Felix ex hebraeo sic legit: Dominus pastor meus, non deficiam. Quem alius secutus interpretes sic reddit: Dominus pastor meus, non egebo: neque ultra primum psalmi uersum protendi existimant. Quod & affirmat paraphrastes: Dominus, inquit, pascet me, quare nullius egere potero. Nonne tibi uidetur hoc idem Paulum dixisse in epist. quam Corint. scripsit? Omnia, inquit, possum in eo qui me confortat. Certe equidem cum ex longa rerum experientia, tum ex ipso acerrimo afflictionum tumultu edocti, non ignorare possumus, quod homo, cum se duci a Deo, atque ab eius indeficiente gratiarum fonte potari senserit, durior quidem silice erit, ni benefactorem agnouerit: hoc est, ni eum supra omnia amauerit, reuerentiaque ea, quae filium decet, timuerit. Proinde cum eiusmodi timore affectus fuerit, nihil sibi deesse posse arbitrabitur, cum non ignoret a Dei spiritu promissum esse, quod nil deest timentibus eum. Neque hic mihi metum illum orbis uniuersalem obiicias, quo tonitruis, fulgetris, ac terraemotibus, cuncta territat Deus: aut cum armatae acies in coelo dimicare, spectraque nocturna, atque alia terriculamenta apparere cernuntur. Nemo enim inter mortales tunc est, qui non timore commoueatur, atque ob id uotis omnia, quae in mentem ueniunt, polliceatur. Propulsis tamen postea ab aere nimbis, atque a mare procellis: terriculamentis rursum illis in somnium resolutis, aut ab aegris corporibus eiecto morbo, aut non reddunt, aut aegre reddunt, aut iam etiam in commodiorem sibi usum commutant, quae promiserant. De hoc enim illaudato metu, tantum abest ut uel hic, uel unquam alias loquantur Dei interpretes, utpote qui in sapientem quoque uirum cum cadere possit, eum tamen a recto rationis statu, ac iudicio, non dimoueat. Timete, inquit, eum, qui potest animam mittere in gehennam ignis. Sed neque de hoc genere timoris, hic locus, ut diffusius pertractemus, requirit. Caeterum illud quod nos legimus: In loco pascuae ibi me collocauit, alia litera sic habet:

In conseptis soli herbidi facit me accubare. Quasi enim parum uisum fuerat Prophetæ, Deum pastorem, hominem uero ouem nominasse, nisi & commoda ob pastoris uigilantiam ouibus prouenientia, in translatione perseuerans, exprimeret. Quorum quidem id unum potissime necessarium esse uidetur, ut non longe a pascuis stabula collocentur, illis maxime in regionibus, ubi umbræ raræ sunt. Medio enim die, aiunt peritiores gregis, cum incrudescit aestus, in umbram deducendos esse greges, ne lac aestu præreptum nimium exiccetur. Quocirca ubi arborum adumbratio, in uastis præsertim solitudinibus, haberi nequit, id septorum, mapaliumue uicinitate fit satis. Hic primum igitur se iactat anima illa, quæ uere nouit, uana omnia sua esse studia, uanum iter, uanum item laborem & sudorem, nisi diuinæ prouidentiae benignitate regatur: & clamat: In pascuis amoenissimis recubare me fecit Dominus: uel, ut legit Eutymius: In loco herbarum, in loco ubi erant optima pascua, me collocauit. Summa itaque: Dominus uberrimum mihi pabulum præ-
[praestitit]

{pdf 178, p. 81}

-stitit. Caveas uelim hic, cum pascua herbarum audis, aut trifolium, aut gramen aliud, quo pasci debeat anima, imagineris. Est sane res altius peruestiganda, nec a pascuis opimis fidei ac sacrae legis, auertenda mens est: ne corrupto, propter rerum corporearum imaginationem, animo, intellectus alioqui perspicax & acutus, a diuinarum rerum contemplatione deturbetur, uisque ea coelestis aduentitiis quibusdam somniis contenta, in considerandis rebus nihil immoretur. Cum enim animus, quem purgatissimum esse uolumus, ad contemplanda coelestia se rapi senserit a Deo, ac trahi, nihil agit, nisi euulsis quodammodo mundanarum imaginationum, atque affectuum radicibus, liber ad illa peruestiganda se totum dedat, ad quæ appetenda natura se natum intelligit. Humana quippe omnia, mortalium animo, cui uigor igneus est, ac coelestis origo, inferiora sunt. Quare summus error est, in illis requiem quaerere. Seruire enim debent, non imperare animo quaecunque condita sunt,

{23.2} Super aquam refectionis educauit me.

Vide aliud gregis commodum, aquarum scilicet copiam: quod sane Dauid a puero didicit. Pastor enim fuerat, ut pene caeteri omnes antiqui patres. Felix sic legit: Super aquas requiei: hoc est, ubi defatigati libenter requiescunt homines. Quod quidem Seruatori nostro contigisse legimus apud Samaritas. Et uere refectionis aqua leniter fluens, ut reddit Paraphrastes, est Dei spiritus: ad cuius ripas defatigatus cum sederit animus, mirum in modum refocillatur, ac uires pene in conflictu cum carne & mundo attritas reassumit. Quas putas aquas illas esse Esaiae, nisi hasce, de quibus modo loquimur? Haurietis, inquit, aquas in gaudio de fontibus Seruatoris. Mirum si cogites Vatem de aquis Siloe, aut Iordanis, sermonem facere: quibus quidem uel a fundo ipso ab aliquo epotatis, is rursus sitiet: illae uero, uel summis labiis degustatae, totam animam adeo in se transmutant, ut deinceps nunquam, ut ait Christus, sitire possit. Nimium, crede mihi, in contemplandis diuinis beneficiis torpidus es, o tu, qui ad Dei obsequia speciali quodam modo, & cultu te ascitum uideri efflagitas, si nondum sacras hasce undas a Christi spiritu emanantes sensisti, Vide, obsecro, tuamque tute ex animo rem perpende, quomodo scilicet prope modum a publicanis & peccatoribus, in puritate uitae,

anteuerteris. Quam profecto mihi, ne de aliis dicam, uerendum est, quam pertimescendum, ne ego quidem una cum mea de meipso, rebusque meis opinione, proximum, amaras aquas destitutus, uideam interim, nescio quos, cum Domino meo, super puteum Iacob considerare. Verum timendumne mihi semper erit? num desperandum? minime quidem, postquam

{23.3} Animam meam conuertit

A se enim auersam, conuertit Dominus animam meam, alioqui uagam & errabundam: insuperque eam ipsam siti atque inedia periclitantem, sui spiritus consolatione refocillauit. Ad unum eam a multis, a perturbationibus ad quietem, a rebus conditis caducisque, ac maiori celeritate labentibus, quam si torrens rapidus, ad immortale, increatum, incommutabileque bonum, adeo prorsus conuertit, ut plane mihi uidear, Dei dono, id breui, quatuor scilicet annorum spacio, quibus per solitudines uagatus sum, assecutus, quod uix in tota uita mea, quamuis ad multos annos prorogata, in claustris uiuens sperare unquam ausus fuisset. Ipse, ipse enim fuit, non mea uoluntas, non desiderium, non studium, non conatus, qui

{23.3} Deduxit me super semitas iustitiae.

Seu, per semitas iustitiae, ut habetur ex hebraeo. Hic rursus operaeprecium erit, iustitiam, eam esse uniuersalem uirtutem, quae caeteras omnes complectitur, diffinire: semitas uero illius, alias particulares uirtutes, quae, ut uerbis utar Eutymanis, ad illam uniuersalem tendunt. Idcirco uates in hoc loco iustitiae nomine, uita per omnia legi Dei respondentem intelligit. & est sensus: Deduxit me Dominus, hoc est, ita formauit atque instituit, ut totus omni bonitati studens, nihil iam mihi sapiat, aut gratum sit, quod non a dignioribus huiusmodi iustitiae partibus proficiscatur. Erraui equidem iam diu sicut ouis sine pastore, aut instar infantis, qui amoenitate ripae fluminis illectus, dum inconsulto, quae est eius aetatis natura, sese a matris tutela elon-
[elongat]

{pdf 179, p. 81v}

-gat, in aluei torrentem infelix proruit, ni mater natura in filiorum periculis suspiciosa, se a thalamo proripiens accurrat, puerumque iamiam cadentem, ui, nescio qua, celeri, e praecipitio clamans retrahat, sed non absque iurgiis, minis interdum ac uerberibus. Illo fere modo me in errorum semitis spatiantem, nec finem quo ambitionis me traherent illecebrae considerantem, aut in consideratione illa prorsus conuiuentem, retraxit Deus, non absque tamen dolore & castigatione. Et hoc quidem propter nomen suum. [23.3] hoc est, tam immensum bonum a spontanea illius bonitate, ac qua me ante mundi constitutionem deamauit, charitate, originem habuit, ut ipsius solius nomini, non meo, sit gloria: uique solummodo maximae, ut maximis in beneficiis solet, habendae sint gratiae.

{23.4} Nam si ambulauero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Non hic praetereundum, quomodo anima quoque ipsa, quibus ad Dei contemplationem pertingat, suos habeat gradus: quos quidem in ipso statim psalmi exordio mihi uideor comprehendisse. Simulac enim coeperit sese totam diuino mancipare obsequio, sacrae illico doctrinae undis uberrimis perfunditur, ac coelitus refocillatur. Nam fides quidem ex auditu, auditus autem per uerbum Dei: a quo sane mirabili, atque adeo secretiori quodam modo educatur, pinguescit, atque ad cognoscendum uerum alitur. Porro ex cognitione grandiuscula facta, amore ac desiderio consequendi rem cognitam, inflammatur: quo quidem adepto, a cognitione atque amore cogniti, dispositio quaedam ac habitus ad frequentandas iustitiae semitas oritur: quas plane nusquam esse nouit, nisi in Christo Iesu incarnato, in quo recte beateque uiuendi totam summam consistere arbitratur. Ex quo nimirum instituto fit, quod si aliquando illi peccare contingat, non actutum desperet: quia iam alias, Deum esse, qui de stercore erigat pauperes, experta est. Ad haec, si reassumpto animo, postea se sentit a Deo igniculis quibusdam ardentioribus, a Hiericontinis ueluti campis ad montem Dei Oreb sustolli, non intumescit, non suas iactat uirtutes atque operationes, sed magis fatetur, clamatque se ab alio ad uias iustitiae, non ab sese reductam esse, cum absque diuino praesidio nihil omnino sit hominum ad assequenda coelestia propositum & conatus, quantumuis & rationem, & arbitrium, & bonam, ut uocant, uoluntatem in se esse noscant. Nam si, ait, ambulauero in medio umbrae mortis, non timebo mala. At unde tanta de se fiducia? Quoniam, inquit, tu mecum es. Idem ferme Hieremias: Dominus, ait, mecum est, quasi bellator fortis. Unde non immerito Iob ille in tribulationum igne millies excoctus, quasi belli condiciones Deo proponens, audacter petit: Pone me Domine, inquit, iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Paulo secus hunc uersum ex hebraeo legunt: Etiam cum ambulauero per uallem tenebrosam, non timebo malum. Idem Paraphrastes: Etiam si eundem mihi sit, ait, per uallem tam opacam, ut umbra illius mihi mortem minitetur, nihil metuum. Ut hic clare perspici liceat, nihil aliud per umbram mortis praetendi, quam horrendam mortis speciem & imaginem: quae uti infestissima quaedam Alecto nos usque diuerberans, in maximis periculis ob oculos assidue uersatur: quemadmodum in uinctis ob capitalia scelera uidere est, qui etiam antequam a lictore truncentur, centies in horam moriuntur. Et hunc quidem sensum Eutymio arrisisse uideo. Sic enim ille: Umbra mortis labor ille est, qui in aliquo arduo inuenitur periculo: qui ob doloris ac desperationis acerbiter, quae morti similis est, umbra mortis appellatur. Porro ne solum hanc mentis stragem in male affectis hominibus inesse credas, uide de se quid dicat apostolus: Supra modum, ait, grauati sumus, supra uirtutem, ita ut nos taederet etiam uiuere: sed ipsi in nobis ipsis responsum mortis habuimus. Si fuero igitur in tenebris mortis, in caligine peccati, in tetra inferorum nocte, adhuc bene sperabo, nec eo praesente quicquam mali timebo. Hae sunt profecto dotes illae praecipuae in regno fidei, quibus nostris in actionibus sperare, atque in peccatis animum despondere dediscimus. Caeterum uisum est aliis etiam umbram mortis peccatum esse ad mortem: mortem uero ipsam, aeternam damnationem. Nam quemadmodum umbra corpus, ita peccatum mortem comitari solet. Hi enim qui peccato uiuunt, hoc est, qui eo mortui sunt, uiuentes in corpore,

{pdf 180, p. 82}

nondum, etsi uere mortui sint, ad mortem illam, ubi sempiternus horror inhabitat, descenderunt: sed adhuc in umbra stertunt, nondum umbra corpus attigit, nondum

prorsus occubuere. Quo quidem periculo circumuentus ille atque admonitus, qui licet septies in die cadat, spem tamen, uti sacram anchoram, in naufragii periculo non deserit, sed adhuc in metuculoso pectore scintillulas quasdam fiduciae palpitantes sentiens, ut potest submurmurat, dicens: Si ambulauero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quoniam, inquam,

{23.4} Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Hoc est, cura tua pastoralis mihi summam animi securitatem praestitit: nam pedum legit Felix, pro baculo. Quem secutus Paraphrastes, sic reddidit: Pedum pastorale tuum a metu liberabit me. Unde fatetur Hieremias se imperturbatam egisse uitam, postquam secutus est Deum pastorem. Plurimum enim securitatis ciuium animis afferre solet princeps, qui magis pastorem se exhibet & patrem, quam Dominum & tyrannum. Tum sane ciuitas in utranque (ut aiunt) dormit aurem, fit diues, fit caeteris formidabilis, expers factionum, religioni dedita, unanimis, promissorumque obseruantissima, ac pro tutando suo pastore fit sponte sua adeo munita, ut non admodum exteri desiderandi sint milites, qui pro focus atque aris principis dimicent. Contra uero nihil non tyranno a suis ciuibus est timendum. Nam cum aut rerum facultatibus, aut liberis, aut uxoribus quoque ipsis propriis expoliari se uident, ea interdum moliri animo coguntur, quae ne hostis quidem crudelissimus, cogitare auderet, nedum agere. Verum quia tanta iam inter homines peccandi succreuit licentia, ut non semper paterno baculo aut pedo, sed uirga, & ea quidem ferrea interdum & dura, in coercenda quorundam temeritate opus sit, hoc agendi a principe, quod hic fatetur uates in mortales omnes agi a Deo. Qui quidem cum nos a prauo uitae itinere auocat, cum errantes ad reliquum gregem reducit, cum admonet, cum rogat quoque, ac quando opus est, percutit, uti uirga uidetur. Cum uero imbecilles tolerat, atque illis opem, sufferentiamque in tentationibus, ut possint sustinere impartit, pastoralis eum baculo, seu pedo uti dicimus. Summa igitur: Tu peccantem me corrigis, laborantem uero, ac sub tentationum mole nutantem, toleras & sustentas. Quid uultis, ait Paulus? In uirga ueniam ad uos? [1 Corinthians 4.21] Vides hic Paulum uirgam Corinth. minitantem? Quid illud? Filioli mei, quos iterum parturio, donec reformetur in uobis Christus. Nonne hic tibi uidetur Paulus, non dico baculo amplius pastoralis, sed materna quadam erga filios transformatione uti? Hic finis tandem eorum est, qui idcirco ad gubernandas animas asciscuntur (temeritas enim est sese ingerere, & non uocatos accedere) ut amanter prosint, non ut crudeliter praesint, aut temerarie imperent. In hoc loco notat Eutyminus dictionem illam qua nos legimus, consolata sunt, Graecis esse aduocauerunt. quod quia admodum conuenire, & uirgae & baculo, uisum est, libenter addidi. Nam propterea pastorem uirga uti cernimus, non tantum ut pigritantem gregem urgeat cogatque, quantum ut aberrantem, in rectam auocet uiam. Quae nimirum uirga in rebus animae ab antiquis patribus disciplina appellabatur: & quae, ut ait Paulus, licet in praesenti uideatur non esse gaudii, sed moeroris, pacatissimum tamen fructum postea exercitatis per eam reddet iustitiae. Et haec de uirga ac baculo. Caeterum tu Domine

{23.5} Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.

Solet enim inter huius uitae oblectamenta, illud in primis existimari, quo lautis inter se conuiuiae epulis, ad tripodas alter alterum, quod aiunt, prouocat. Hinc sumptum aliqui

autumant, tum hic, tum alias in scripturis, mense uocabulo praecipuas delectationes in animam coelitus immissas significari: cuiusmodi sunt igniculi illi ardentis, quibus ad mundanarum rerum neglectum accendimur, atque ad appetenda coelestia inanimamur. Interim uero ad alterius mensae, sacrae scilicet legis cognitionem, supramundanaeque communionis participationem admittimur. De iis enim omnibus hic loquitur uates. Quorum quidem lautitia exaturatae animae, hostibus humanae naturae solent esse terrori ac formidini: idcirco a spiritu dictum est: Aduersus eos qui tribulant me. Itaque sensus erit: Adeo (inquit) me lauta dignatus es

{pdf 181, p. 82v}

gratiarum tuarum mensa, utpote in conspectu tuo, ut uidentibus, rumpentibusque sese ac liuore contabescentibus inimicis meis, sperem ad mensam illam tandem ascisci, ad cuius delicias percipiendas, tam amanter tuos prouocas, dicens: Ecce trado uobis regnum ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Adeone intellectu tam hebeti uiuitur, ut putemus esse in hoc mundo delicias, aut uoluptates cum illis comparandas, quibus anima afficitur in rerum diuinarum cognitione & gustu? Quid cum cor desiderii illis infinitis peruestigandae ueritatis exaestuat, atque in iam cognita conquiescit? Quis indicibilem illam potis est exprimere suauitatem eorum qui digne, ut tanta postulat maiestas, uenerandum Christi corpus e sacerdotis manu percipiunt? Eliqueseret, cede mihi, omnino anima, atque amore insaniret, si uel semel quidem serio & diligenter consideraret, ad quantam promoueatur altitudinem, cum ab huiusmodi sacri mensarum edulio, non ut merita est, abigitur, quin potius inuitatur, allicitur, ac, ut digna sit, a coelesti sponso secretioribus quibusdam modis atque afflatibus perpurgatur. Vide (o genus armorum) diuinae bonitatis in suos prouidentiam, atque amorem tenerum. Nam cum necessario cum hostibus confligendum sit, non duras galeas, non triplici ex aere contextum thoracem, non ensem, non peltam, nobis parat, sed delitiosam mensam ac conuiuium, & quod pluris aestimari debet, in conspectu illo suo, quo uel a longe prospecto, fugantur quantumuis fortes hostium cunei. Neque hoc satis quidem, sed insuper, quo nihil lautitiarum mensae tam opimae desit,

{23.5} Impinguasti in oleo caput meum.

Haud hoc quidem omnino ab historia rerum horret. Aiunt enim morem hunc apud Iudaeos, & praesertim in Palaestina, celebrem fuisse, quod in conuiuio maxime diuitum, unguenta, quibus ungerentur conuiuiae, adhibebantur. Quem sane morem non obseruatum a Pharisaeo illo euangelico, uidetur Dominus in suae causae defensionem assumpsisse, cum ait: Oleo caput meum non unxisti, haec autem unguento unxit pedes meos. Quae quidem consuetudo, quemadmodum caeterae illius gentis actiones ac ritus, adumbrabant fore, quod aliquando homines preciosiori, quam sit Cirthacum, aut Megalium, perfunderentur balsamo: quod sane alio in psalmo a Propheta oleum exultationis & laetitiae appellatur. Hic est spiritus Dei, qui cum mentem aliquam implet, mirum si in exteris rebus consolationem sumere appetat: cum nil omnino sit in rebus conditis, quod tam animam exhilarare queat, quam spiritus unctio ea, quae, ut ait Ioannes, docet omnem ueritatem. Sensus igitur: Tu, o Domine, caput meum, mentem scilicet meam, illa tui sanctissimi spiritus unctione saluberrima perfudisti, impinguastique: cuius fragrantia atque suauitate conspersa, caetera iam mortalium

omnium odoramenta fastidit. Quare cum id considero, non possum (fateor) non supremum in modum in calamistratos nostri huius aevi mores excandescere. Adeo enim praepostere uiuitur, ut in ipsis quoque mortuis (scio quos mortuos appello) huiusce generis perfusiones, quae uerius meretriciae dici possunt, quam Christianae, locum habeant. Tinnitumne capitis tam precioso suffitu placare quaeris? Quid cordis tremori e musco atque electro confectum puluisculum opponit mortuus? scilicet tua per se sibi non satis nota est mollities, nisi praetextu languoris eam aliis etiam diuulges. Nullam certe amplius fumigationem, aut pigmentum huiusmodi preciositatis his, qui & habitu, & moribus, prae se ferunt uitae obitum, usui esse uult pater coelestis: sed illa solummodo amat odoramenta, per quae caro impallescat, spiritus uero uegetus factus, de die in diem renouetur, ut ait Pualus [sic, Paulus].

{23.5} Et calix meus inebrians, quam praeclarus est.

Paraphrastes sic: Et poculum meum ad summum usque impleuisti. quo intelligas uatem in translatione mensae lautioris manere: ob idque consideres, ad quantam rerum coelestium affluentiam interdum uocetur anima, cui de manu Dei ad summum usque exundans propinetur poculum. Porro calix iste ebrietas spiritus est, qua mens extra se posita, attonita efficitur, oblitae penitus sui tota in amatum fertur. Ebrius

{pdf 182, p. 83}

enim, eo maxime tempore, quo prima nondum decocta egestionem, ebulliunt uenae, stupidus omnino redditur, gressibus titubat, eaque quae ob oculos uersantur, non audit, mutus plane fit, atque ea demum, quae aut agit, aut cogitat, confusa sunt, ac stupiditatis plena. Ita se habet in corporeis, carnaliumque hominum conuersatione & consuetudine, anima plenissimo spiritus cratere diluta. Cum enim caeteris uix sui compos uideatur, utpote hisce in rebus exteris plane inutilis, atque omnium sensuum officio destituta, quae appareat, deridetur, a petulantiumque multitudine exhibitur, subsannaturque: in honoribus praeteritur, contumeliis afficitur, ac demum toto suae uitae curriculo ac motu, omnibus innotescere efflagitat, nihil in terris aliud fuisse filii Dei uitam & crucem, quam stultitiam, apud huius mundi praesertim sapientiores. Interim uero (quae gratissimarum mentium natura est) sentiens sese illius ebrietatis, de qua etiam per Hieremiam loquitur Deus, dicens, Inebriaui animam lassam: ardore occupatam, prorsusque accensam, miratur quam efficax sit calix istiusmodi, qui sic reddit corpus ad actiones inutile, se uero agilem ad Dei opus operandum. Idcirco admirans ait intra se: Quam praeclarus calix iste est, quam exundans, quam potens, quam efficax, quam diuinus, quam superabundans, cum ex eo quilibet sitis ardorem sedare ualeat. Caeterum calix iste, Euangelium est, sancta communio est. Nonne, ait Paulus, calix, quem communicamus, participatio sanguinis Christi est? Nonne is est, qui animam prorsus ebriam, hoc est, terrenarum rerum omnium immemorem, sitibundam uero diuinarum facit? Haud sane mirum. Nam qui bibit, ait Dominus Iesus, meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quid, oro, praeclarius audiri potest? quid nobilior? quid efficacius?

{23.6} Et misericordia tua subsequatur me omnibus diebus vitae meae.

Non possum non summopere, cum haec lego, tum Dei immensam in electos benignitatem, tum eorundem ipsorum dignitatem, & mirari, & uenerari, simulac ordine ab eo, quem in quotidianis hominum successibus fieri cernimus, diuerso, iustissimo tamen, & plane Dei spiritu digno, inter Deum & hominem iniri foedera uideo. Lex enim quaedam ac pactio, a primis iam rerum conditarum exordiis, hominum cum fortuna, seu terrena felicitate, labili uidelicet & caduca, sancita fuit, ut illa fugeret, hi persequerentur, & frustra saepe. Nam ipsa aura uelocior omnem omnium cursum praeuertit: ipsisque insequentibus, cum se capi simulat, egregie imponere consueuit. At secus sese habet diuina bonitas, & ut ait Vates, misericordia, cum suo figmento. Illud enim quae est hominis conditio) tardi semper incessus ad meliora, non solum non insequitur felicitatem illam aeternam, ad quam tamen insequendam conditum est, sed eam fuga auersatur. Illa contra, suo fugitio sese ultro obiicit, eum rogat, urgetue, ut se, uel rogantem saltem capere non grauetur. Siquidem ea Dei semper erga nos fuit bonitas, ut non tanto studio nos nobis, ut bene sit, quaeramus, quanto ipse, ut nobis benefaciat, & quaerit, & rogat: & illud quidem omnibus diebus uitae nostrae.

{23.6} Et ut inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.

Parum quippe esset aerumnosam hanc uitam nostram in uirtutum exercitationibus attriuisse, nisi dierum longa & aeterna mansione donaremur. Sensum porro huius ultimi uersus sic cum superiori connectit Paraphrastes: Certo certius, ait, benignitas tua, & misericordia, comitabitur me per omnem uitam meam: quare tandem inhabitabo domum Domini diebus nunquam finiendis. Neque hoc quidem inter mediocria Dei dona in electos collata connumerandum, quod hi, qui semel ad ueritatis cognitionem sunt uocati: hoc est, per fidem in ouile dominicum introducti, firmi maneant: nec unquam, manu semel ad stiuam aratri admota, retro aspiciant. Quod si tamen propter supernam electionem illam, qua suos ante mundi constitutionem Deus ad aeternam beatitudinem elegit, post multos a recto lapsus, remeandum erit: multo tamen beatius, atque securius esse iudico, a iustitiae semitis semel ostensis non declinare, quam ad illas diu contemptas aliquando longo quasi postliminio reuerti.

{pdf 183, p. 83v}

PSALMVS DAVID XXIII

{24.1} Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & universi qui habitant in ea.

Cum Deus olim Davidi locum in monte Moriah oraculo Prophetae Gad demonstrasset, in quo templum sibi construi vellet, praesensit vir sanctus, quanti Deus faceret populum Israelis, utpote qui inter illos sede sibi peculiarem delegisset, in qua coleretur. Sed ea quidem futuri quoque umbram esse praenosces quippe quae futurae ecclesiae, quae uiuis e lapidibus aedificanda esset, statum praemonstrabant: miratur quomodo cum Domini sint, eiusque imperio pareant & terra, & terrena omnia, & homines quicumque in terra vivunt, populum tamen, qui sumus nos, tot inter orbis uniuersi populos, in suum peculiariter eligat, in cuius quodam ueluti meditullio colatur, suumque sanctum nomen die noctuque, ut fit, celebretur: sed & (quod magis Vatem attonitum facit) praeuidet non

totum populum istum dignum futurum, qui in montem, non iam amplius Moriah, sed montem aeternum, in quo uere Deus habitat, ascendat. Quis hic cum Propheta non miretur, ac simul sibi non timeat, considerans non omnes Israelitas, ueros Israelitas esse: non omnes Christianos, ueros Christianos esse: non omnes uocatos, utros uocatos esse? Verius enim est, quam quod inficiari possimus, neque locum sanctum, neque progenitores, neque instituta quamlibet iusta, atque a coelo ipso delapsa, reddere hominem dignum aeterni montis sublimitate, nisi aliquid ab ipso requiras, quod non tantum loci, patrum, legum, & rerum similium, quantum eius sit. Non sunt, inquit Hieronymus, sanctorum filii, qui tenent loca sanctorum. Scio, ait Propheta, quod omnis terra, & quaecunque ea continet, Domini sunt: ipse enim omnia illa condidit. Cum igitur omnes homines iure creationis sint eius, miror qui non omnes ad eius sanctum montem, aeternam scilicet patriam pertineant. Num omnes, quaeso? minime quidem omnium.

{24.3-4} [out of sequence] Quis igitur ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde.

Quem dicemus igitur Dei regnum ingressurum esse, atque ibi in aeternum habitaturum? num illum, quia circumcisum? num quia sacris initiatum? num quia hac uel illa ueste indutum? nihil minus certe. Verum is aeternae uitae montem in dubie conscendet, ibique ubi omnis abest quemadmodum peccati, ita & miseriae contaminatio, hoc est, in loco sanctissimo, in quem, ut ait quidam, non intrat pollutus, absque: termino manebit, qui puris est manibus, ac corde candido. Sed pene, quod prius dicendum erat, exciderat, quare paululum illo, qui montem sanctum Domini petere iam coeperat, et cuius faciem deliniabamus, in itinere sic relicto, ad omissa redeamus.

{24.2} Quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina praeparavit eum.

Alia litera: Fluminibus distinxit eum. Aedificia erecturi homines illud in primis curant, ut in loco solido ac firmo fundamenta ponant. Contra autem Deus, quo omnipotentissimam eius uirtutem agnoscas, qui tam immensam orbis machinam, mari ac fluminibus superstruxit. Ait magnus Basilius, solum Dei imperium pro fundamento esse terrae: non aqua, aut aliud quippiam: uerum per praesentem uersum ostendi, quisnam ab initio mundi conditi aquarum situs fuerit, quod scilicet terrae aqua iniaceat, quasque custodiat & contineat, nec ab eius defluat superficie. Diuus etiam Chrysostomus hoc fere idem sentit, asserens id propterea dici, quod aquae terrae subiaceant instar fundamenti. Non miror equidem antiquas philosophorum scholas in explicandis huiuscemodi rerum difficultatibus hallucinatos esse, utpote quibus nondum tam obstrusa rerum conditarum natura innotuerat, remotis longe adhuc hominum ingeniis a luce illa, quae nobis postea per aduentum Christi bonorum omnium erogatoris apparuit. Sed magis doleo, nostros etiamnum e turbidis illis philosophorum riuulis libentius, quam a pellucido fonte epotari. Quicquid enim illi, de situ orbis, de aquarum origine, de uentorum ui & natura, de iride, de tempestatibus, ac caeteris eiusmodi aeris alterationibus disputant, merae fabulae sunt, ac nugamenta. Vide, te oro, quid Iob interroget Dominus: Ubi eras, ait, quando ponebam fundamenta terrae? Indica mihi, si habes intelligentiam.

quasi dicat illud quod in Ecclesiaste legimus: intellexi, inquit, quod omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum, quae fiunt sub sole: & quanto plus laborauerit ad quaerendum, tanto minus inueniet. At quomodo igitur, dicet aliquis, sortita est fundamentum tellus? Audi quid Dauid Deum alloquens sentiat: Tu, inquit, fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi. Vis rursum antiquiorem coelestis academiae philosophum? Is est, ait loquens de Deo, qui extendit aquilonem super uacuum, & appendit terram super nihil. Et nos tamen, diis, ut aiunt, inuitis, terrae aquas eo modo substernimus, quo fundamenta caetera aedificiis subigi solent. Quis cedat unquam terrae immobilis molem tam uastam ab aquis natura fluidis sustentari? Labentiane perpetuo cursu flumina pro fundamento tam stabili machinae terrae esse dicemus? Quam satius enim esset optima ingenia in his pertractandis occupari, quae, ut ait Ecclesiastes, praecepit nobis Deus, nec in pluribus eius operibus curiose nimium distorqueri. Simpliciter igitur fatendum erit, terram miro solique Deo noto artificio super sese fundatam, ac, ut acutissimus asserit Basilius, pro fundamento Dei uoluntatem habere, atque impetum: praeterea nihil. Flumina porro addit Vates ob id, quod cuncta e terra flumina ebullire cernimus. Compertissimum enim dicunt se habere antiqui autores, flumina longo sub terra ferri interuallo, & tandem emergere: ut de Nilo Aegypti fluuio asserunt, qui cum in montibus inferioris Mauritaniae non longe ab oceano, stagnante ibi lacu, quem Nilidem uocant, innascatur, condit se aliquot dierum itinere, rursumque erumpit alio lacu, maiori in Mauritania. [Pliny Nat. hist, 5.51] Iterum uero arenis receptus, per deserta uiginti dierum spatio ad proximos Aethiopes fertur, ac denuo in fontem, qui Niger dicitur, prosilit. Sic complura alia scaturire flumina cernuntur. Quapropter, ut dicere inceperamus, a Vate est dictum, quod super flumina praeparauit eum: orbem scilicet distinxit, atque miro fluuiorum amniumque perornauit decore. Itaque, quem fatebimur in montem istum diuinum ascensurum, ubi tam potens Dominus habitat, qui ex nihilo omnia condidit: modo uero adeo seruat, ut ni seruaret, in pugnacissima statim elementa, quibus compacta sunt, dilaberentur, ac insidens aquis orbis suffocaretur? Certe innocens manibus, et mundo corde. Vide hic breuibis uirum undiquaque perfectum describi. Nam cui manus impollutae sunt, cor castum, ósue irreprehensibile, ac purum, mirum si ei aliquid desit, ad peragendum iter ad excelsum istum montem, quem altam iustitiam diuus appellat Augustinus. Caeterum uirum illum innocentem esse ducimus, qui in actionibus suis omnibus uitam absque prauitatis labe transigit. Mundum uero corde eum, qui nullum in animo sibi insidere patitur affectum, qui mundus non sit, ac Dei aspectu dignus. Cor quidem purum ac mundum, in primis a nobis requirit Deus, quo unusquisque suum uas possidere queat, ut ait Paulus, in sanctificatione, & honore. Considera, ait Eutymius, quomodo utraque pariter coniunxit, opera scilicet, & mentem: alterum enim sine altero non probatur.

{24.4} Qui non accepit in vano animam suam.

Hae quidem sunt dotes illius, cuius operationes purae sunt, corque impollutum, ac mundum. Anima enim cum idcirco condita sit, ut Deum intelligat, amet, ueneretur, ac, diis factitiis abiectis, colat: atque interim sese in uirtutum exercitiis occupet cum corpore, quod illi propterea adiunctum est, quo uti debeat ueluti incude, ac malleo, ad

fabricanda uirtutum simulachra: qui sane finis illius est, quoad uiuit in corpore: ab huiusmodi porro scopo declinans, suo frustratur fine, atque corpori in uanum unita erit. Ea enim satis sibi nota est, seque haud frustra natam credit, quae suam originem non ignorans, in contemplandis coelestibus, non uanis, & caducis, immoratur. Idcirco qui non dicam uirum illum frustra natum, in uanumque accepisse animam, qui cum multa in baptismo, complura forsitan in uotorum emissionem pollicitus sit, nihil tamen secius sese habet in uita (utinam non deterius) quam hi, qui nihil in regeneratione, nihil in uotis, nihil in religionis professione promittunt? Habito enim semel Deo in derisum & contemptum, ea necessario obueniunt, quorum ueneno, & hoc quidem praesentaneo, nonnulli infecti,

{pdf 185, p. 84v}

adeo extra probitatis limen peruagantur, ut merito illos affirmare ualeas, in uanum natos esse, ac frustra uiuere. Et haec secundum literae nostrae sensum. Verum ea quae est Hebraeis, me admonet alium quoque praetendi sensum. Sic illi reddunt: Qui non iurabit in uano animam meam, & non iurabit in fraude. Quo hinc aduertas, quam non mediocri momenti sit illud decalogi praeceptum, quo Deus suum sanctissimum nomen non assumi in uanum iubet. quod idem est cum hoc, quod hic legimus: cum nihil aliud sit iurare in uano animam Dei, uel per animam Dei, quam deierare, ac falsum, per Deum, & per eius nominis inuocationem affirmare. Atque hoc sane modo, mutatio erit personae: ut postquam a propheta fuit quaesitum: Ecquis ualidus foret, qui dominicum montem ascenderet? sibi ipse responderit: Innocens qui esset manibus, ac corde mundus, is nimirum ascenderet Dei spiritus ueluti nondum ad plenum axiomati satisfacit, sic adiecit: Non solum illud, o uates, sed qui animam meam, hoc est, meipsum, meumque nomen in falsi assertionem non interposuerit, is ad tam felice assensum idoneus erit. Verum si magis arridet litera, qua asserunt non est personae mutationem, sed uatem totam rei diffinitionem, ut coeperat, exequi: tunc erit legendum, animam suam, non meam. & erit sensus, eum Domini montem conscensurum, qui non iurauerit fasum [sic, falsum] per animam suam: quo intelligas, non solum nefandum esse ac scelerosum, deierare per Deum, uerumetiam per animam propriam. Qui quidem sensus uisus est uerus etiam Chaldaeo, qui sic legit: Qui non iurat falso ad obstringendam animam suam. Paraphrastes tamen superiorem sequutus, sic reddit: Qui non iurauit sine causa per animam meam. Non desunt quoque quibus magis placet id, quod diuus legit Hieronymus: Qui non extulerit ad uanitatem animam suam: id est qui nunquam in animum induxerit, ut uana cum proximo suo loquatur, & in fraude nunquam iurauerit. Id eo a uate statim adiicitur:

{24.4} Nec iurauit in dolo proximo suo.

Proximo enim suo, rei magis explicandae gratia additum est: non est in hebraeo sed solum hoc modo: Nec iurauit in fraude: seu, ut alius habet interpres: Qui non detraxit lingua sua. Etsi enim uaria, & illa quidem execranda sint oris peccata, hic tamen uates periurii ac falsitatis tantum meminit, eo quod nihil fere caeterorum adesse possit, si hoc uere desit. Illud enim beneuolentiam & charitatem in proximum prae se fert, haec odium. Cuius quidem ueneno infectum cor atque animus, nihil non molitur, quo fratrem & mendacio, & fraude, & periurio, in ruinam aliquam, tum rei, tum famae iniiciat.

Sensus igitur illorum omnium uerborum, quae uarie, prout spiritus sanctus dat suis eiectis eloqui, sunt reddita, is erit: quod ille, qui innocens suis in actionibus est, rursus qui candido uiuit animo, cordeque syncero, atque ore: hoc est, ille qui per omnia ad diuinam legem formatus fuerit, sancteque uixerit, coelestem montem, quae perfecta est iustitia, proculdubio apprehendet hic in Ecclesia: in futurum uero stabit, aeternumque manebit in loco sancto eius, quo neque pollutus manibus, neque animo impurus, neque ore, aut periurus, aut bilinguis, aut obtrectator, licet caeteris exutus impedimentis, peruenire poterit. Ille igitur, ille, inquam, solus, qui irreprehensibilem uiuit uitam,

{24.5} Accipiet benedictionem a Domino, & misericordiam a Deo salutari suo.

Imo potius per acceptam benedictionem ac misericordiam Dei montem hunc excelsum ascendet. Benedictio & misericordia in hoc loco, quemadmodum saepe alias, in Deo idem sunt, atque idem significant: cumulum scilicet donorum, quibus. gratis coelitus ditamur. Vir, ait Eutymius, probus in actionibus suis, in cogitationibus mundus, quique ab ipsis rebus seipsum segregauerit, & non peierauit in fraudem proximi sui, hic accipiet benedictionem a Domino. Sed considerandum quid sibi uelit, accipiet. Id nempe, ne quis suo, ut aiunt, marte, parare sibi iustitiam putet. Omnia enim bona a Deo, quemadmodum accipimus, ita & in Deum illa omnia refundi oportet, utpote qui dat omnibus affluenter, & non improperat, ut diuus inquit Iacobus: nullis tamen nostris prouocatus meritis & actioni-
[actionibus]

{pdf 186, p. 85}

-bus, ne nos nostra de nobis fallat opinio. Quod si quid in bonis nobis diuinitus collatis considerandum est, ac Deo, quicquid illud est, referendum acceptum: erat omnino atque a solidae iustitiae orbita penitus deuiat homo, cum sua, uel tantillum, aut amans, aut in ipsarum rerum spiritualium supputatione connumerans, a Deo complura, a se quoque aliqua accepisse fatetur. Quicquid enim sibi arrogauerit, id totum diuino honori detractum putet. Felix tamen, loco misericordiae, iustitiam legit, hoc modo: Et iustitiam a Deo salutis suae. hoc est, iustitiam accipiet a Deo autore salutis suae. Sed in eundem recidit sensum. Iustitia enim illa fidei, in qua, ut inquit Osaas, iustus uiuit, a Dei misericordia originem habet. Nam nisi Deus suam cum miseria nostra commisceret misericordiam, non iustificaretur in conspectu suo omnis uiuens.

{24.6} Haec est generatio quaerentium Dominum, quaerentium faciem Dei Iacob.

Hoc tandem est, ait Propheta, genus illud hominum, qui omissis caeteris curis, diuini uultus uisionem felicissime quaerunt. Hoc, inquam, illud est, quod bonorum omnium illorum, quae Deus Iacob fidei suo amico promisit, erit particeps. Bona uero Iacob coelitus promissa habentur in libro Genesis. Inter caetera autem illud potissimum est, quo sese illi custodem fore, quocumque perrexisset, pollicitus est Deus. Sensus igitur erit: Illi, qui sic uiuunt, ut dixi, merito Dei generatio appellandi erunt, quae in id tota incumbit, quomodo post tot rerum superatis difficultatibus & laboribus, digna

contemplandi diuinam faciem censeatur: quae est perfectissima animarum beatitudo & felicitas illa, ad quam andem [sic, tandem?] adipiscendam, die noctuque suspiramus. Verum non me latet hic quibusdam placuisse, faciem Dei, eius filium esse. Siquidem per filium, omnis nostra cognitio, quam de patre habemus, exoritur. Qui uidet, inquit, me, uidet & patrem meum. Ablata enim cognitione Christi a mundo, quid est quod intelligere possimus de Deo? Caeterum Iacob saepenumero meminit uates, utpote qui fuit tribuum Iudaeorum pater, ea quibus Christus, a quo nos. Est ne tandem aliquis inter nos, qui ad altissimas illas animi contemplationes, quarum lumine ac face, adeo pene in id perfectionis adducimur, ut in corpore etiam constituti, uultum illum beatissimum Dei, non iam per speculum in aenigmate, sed in propria, ut sic per excessum dicam, forma intuentes, de gloria in gloriam transimus, ac transformamur: ab hisce terrenarum sordium contagionibus euocari cupiat? Iam primum quid hic admoneat uates, perpendat animo: Mundas scilicet ab omni peccati sorde habeat manus, cor purum, synceros affectus, non in Dei contumeliam periuret, talemque se aliis exhibeat, qualem se sibi Deum exhiberi efflagitat. Macula enim, uel minima quidem, in anima illa, quae diuinae luci absque medio aliquo coniungi expetit, minime inesse oportet. Siquidem tam longo interuallo a diuinarum rerum speculatione distamus, quam uiciniori spatio uitae inseruimus. Quare ab omni uanitate, uilique occupatione ac turpi: a malitia, ab odio, ab anxia honorum cura, a foedis cogitationibus, atque impuris animi motibus, & aliis infinitis eius morbis, mentis acies abstergenda erit. Alioqui cor prauis infectum cupiditatibus, praeterquam quod perpetuis laceratur morsibus, haud diuinae uisionis capax est, sed omnium sordium domicilium, & hoc miserrimum, efficitur. Diapsalma hic interseritur non immerito, ut eorum, quae dicta sunt, memoria refricetur: diuini scilicet honoris studiosos, Deumque ipsum, per fidem maxime ac dilectionem castissimis desideriis insignem quaerentes, eos solos uere filios Iacob, hoc est, uere fideles censi. Nec certe gradibus aliis, quam superius a spiritu memoratis, mons fidei conscenditur, qui O Christus est, licet a compluribus corpore iam teneatur, & ut uerius dicam, iniusto domino & possessione occupetur. Nam, ut ait Gregorius, non loca uel ordines, creatori nostro nos proximos faciunt: sed nos, aut merita bona ei coniungunt, aut mala disiungunt. Iam cuius potentiae ille sit ac uirtutis, qui a nobis manuum puritate, atque animi candore, quaerendus est, aperit uates.

{24.7} Attollite portas principes uestras, & eleuamini portae aeternales, & introibit rex gloriae.

{pdf 187, p. 85v}

Quemadmodum enim non improbari solent a doctis, & litera, & sensus, quae sunt hebraeis in hoc loco: ita & nostra non displicent. Sed de illis prius diuus Hieronymus ex hebraeo sic legit: Attollite portae capita uestra. Idem Felix, ac Paraphrastes: Leuate, ait o portae, capita uestra. hoc est, quicquid o potentiae in terris est. o uos principes, o qui regnum uel ultra Aethiopes atque Indos protenditis, huic regi nostro potentissimo uestra reserate claustra id est, submisso capite, curuoque dorso ac genu, illius ante pedes uestra proiicite diademata ac scepra. Hic solus adorandus est, non uos, quia solus potens: caeteri uero bulla, atque umbrae umbra. Pateant, inquam, fores triumphanti regi huic nostro, mortis, inferorumque domitori, qui rex gloriae dicitur, coelestiumque agminum dux & imperator. Haec ferme illi. Caeteris uero omnibus magis placuit

interpretari de Christi descensu ad inferos: ac rursus repetito uersu, ad admirandam eius in coelestem patriam ascensionem sensum referre. Volunt enim adhortationem angelorum esse, illorum praesertim, qui filio Dei in terris obsequium praestiterint: vocemque illorum esse ad daemones, quando ipse ad liberandas antiquorum patrum animas descendit, ut inquit Paulus, ad inferiores partes terrae. Reserate, inquit, inferni claustra, iam ab ipsos aevi exordio, quantum ad animarum liberationem spectat, clausa. Tollite ius istuc uestrum ac potestatem ab his captiuis. Quid est in mora? Vos potius portae a postibus eleuamini, euulsaeque a cardinibus, ad tanti regis ingressum reseramini. Tum uero ardentis indignatione daemones respondere faciunt:

[{24.7}] Quis est iste rex gloriae, qui tam insolite, tam imperiose, tam secure, ad hasce umbrarum sedes descendit? Quis tam audax unquam fuit? Ergone ad unius solummodo regis iussionem nostra aeterna claustra, quae ab aeternis seculis tot tenent inclusos reges, reserabuntur? Quibus angeli: Non est hic, o daemones, ut caeteri reges, infirmi scilicet, ac morti obnoxii: sed fortis est, ualidus, ac mirabili quadam ui & uirtute potens, quia Deus. Hic ille rex, inclutus est, qui moriens, cum morte una principem uestrum alligauit, foras eiecit, uasaque diripuit, & in meliorem sibi usum accommodauit. Ob quam sane uictoriam, maximam assecutus est gloriam, non tantum pro se, qui semper, uel in mediis ipsis cruciatibus, Deus erat: quantum pro his omnibus, quos uos sepultos iniquissimo iure detinetis. His porro dictis, clausae ab aeterno panduntur portae: direptoque inferorum regno, atque ipsorum spirituum immundorum ferociae imposita lege ac fraeno, uictor, praedaque hostili onustus, ad propria remeauit filius Dei.

{24.9} Attollite portas, principes, uestras.

Angeli hi sunt Christum in coelum ascendentem praecedentes, qui ad alios coelestes spiritus clamant, ut uiam Domino uenienti aperiant: qui nouo mysterio obstupefacti, quaerunt quid sit. Tollite, inquit: quo regis ingressuri magnitudinem ostendant. quasi dicant: A postibus, ne quid retardet regis ingressum, portas amouete. Quin potius, o uos portae ab aeterno ob primi Adae peccatum clausae, nunc uero in aeternum, ob secundi gratiam, reserandae, aditum praebete, corruiteque quamprimum. Ecce rex ille, qui nuper abiectissimus omnium, sedens super asinam, ingressus est Hierusalem: nunc autem inimicorum trophaeis ac spoliis potentissimus, eo remigrat, unde nunquam discessit: hoc est, ad beatam gloriam, quam ipse suis propriis manibus formauit, & cuius rex ipse est & Dominus. Vox coelorum aditus custodum admirantium, stupentiumque: Qui fit, ut homo carne indutus tam gloriosus appareat?

{24.10} Quis est iste? (aiunt) rex gloriae? Responso: Dominus uirtutum ipse est rex gloria.

Ipse hic, quem scitis, unigenitus Dei patris, qui & Dominus uirtutum omnium, ac potestatum coelestium, Deus est sabaoth. Atque his ultra citraque a sanctis illis animis habitis, introductus est homo ille in conspectu Dei patris, quem uates is superioribus graphice admodum effigauit, innocentem scilicet manibus ac mundo corde. Quae quidem partes etsi perfectissimi cuiusque uiri esse uideantur, Christo tamen solummodo uere conueniunt: quanquam & nobis quidem, qui una cum illo, unum per fidem atque amorem, iam facti sumus.

PSALMVS DAVID XXV. ./

{25.1} Ad te Domine leuauit animam meam.

Optime quidem precationis formam ab hac oda sumere potest unusquisque, qui se grauissimo peccatorum onere incuruari sentiens, orat a periculo, atque adeo a ui hostium animam suam eximi. Felix profecto res magis spiritus uideretur in terris, si hi, quorum institutum uidetur esse, ut spreto seculi negociis omnibus, quamuis humano usui necessariis, cognito periculo, reque sua optime perspecta, nihil sibi antiquius, caeterisque utilius iudicarent, quam summo cordis silentio, atque animi pace, Deum solummodo lachrymis, ac quibus maxime commouetur diuina maiestas, suspiriis adirent. Felix princeps, felix ciuis, felix item respublica illa, quae unanimes cum suis magistratibus publica negocia pertractans, cor prius Deo, quam animum publicis rebus, impenderet: ipsum orans, ne se, ne principem suum, ne ciues, ne uiduas, ne pauperes ciuitatis desereret, imo potius animum illum omnibus impartiret, qui ueram pietatem magis, uniuersalisque commodi desiderium prae se ferret, quam ingenii acrimoniam in re familiari dilatanda, ac, quod acerbius est, in excogitandis nouis artibus deglubendi ciues, quo uel sua, uel sui principis habendi ardor restinguatur. Sed his parumper non ab re defletis, orationem uideamus: quae quidem ut non multa indiget interpretatione, cum sit per se admodum perspicua: ita non desunt ardentia sancti spiritus iacula, quibus tota interspersa est. Leuauit, more hebraeo, pro leuo est dictum: seu, ut habet Felix, leuabo. Unde Paraphrastes: Ad te, inquit, animam meam erigam. & est sensus: Ad te Domine cor meum ab his corporeis, quibus miserandum in modum opprimitur, erigo, ut te, mea in hac aerumna & tribulatione, orem. Iam in posterum terrena omnia contemno, atque in te solo mentis meae pacem, tranquillitatemue, ac animae affectus omnes repono: caetera enim mihi fastidio sunt. Vides a quo initio auspicanda sit oratio, quae fit Deo? Alioqui deterior saepenumero a Dei conspectu recedit anima, quam cum ad supplicandum ingressa, secum aliud quam nudum ignem, & se, & sua omnia consumentem, tulit. Vis ne iudicem Deum flectere, ac ad tui commiserationem inflammare? Arde tu prius, et sic in ignis naturam transfusus, sublimia facile atque coelestia, quae sedes est ignis apprehendes. Hoc sane modo ad Deum levatur anima, haud secus.

{25.2} Deus meus in te confido, non erubescam.

Deus meus, inquit, te solo nitor: cui semel, & me, & mea omnia, soli commisi. Non desunt quidem alia, & ea sane multa, quae me lactent spe falsa, pollicitationibusque inanibus: at ego meo periculo edoctus, spem meam in rebus nihili collocare dedidici. Quare, non pudefiam, obsecro, spe mea, quae in te solo fixa est, frustratus. Non erubescam, non confundar eo modo, quo solent hi, qui cum fauorem in sua causa, a principe uel a iudice expectant, & non exorant, erubescunt illico, habitaque repulsa, discedunt confusi. Ne igitur mihi id accidat, rogo,

{25.3} Neque irrideant me inimici mei.

Hoc nimirum est omnibus natura ingenitum, ut a petitione, quae fit iudici in suae causae patrocinium, repulsi, erubescit: & id maxime, si coram aduersariis illud accidit, qui interim, quasi uictam habeant litem, inuicem gratulantur, mussant, perstrepunt, ac aduersarium confusum irrident. Petit igitur uir sanctus, a spe illa, quam de Dei ope conceptam se in animo habere asserit, non confundi, frustrarique.

{25.4} Etenim universi, qui sustinent te, o Domine, non confundentur.

Aptius ut primo respondeat uersui esset legendum, & sic uertit Felix, non erubescit. hoc est, hi omnes mecum, qui te, atque adeo omnia abs te expectant, & toti quicquid sunt, aut vivunt, a tuo nutu pendent, non erubescant uicti, neque a face tua longe semoti, ab tuae praesentiae fauore reiiciantur. Haud facile quidem eximi posset, quam parum sui ipsius sit uir bonus, & quam, ut sic dicam, aegre ferat bona sibi coelitus praestita, ni caeteri eadem illa & sciant, & habeant. Etenim dile-

[dilectionis]

{pdf 189, p. 86v}

-ctionis & charitatis uis est, ut nunquam ferme quiescat, donec in quamplurimos effundatur. Daud enim: quid aio Daud? Christus ipse perpetuus huius odae recitator, non contentus pro orasse, addit & eos omnes, qui secum spes omnes suas atque opes in diuino subsidio collocauerunt. Caeterum cum plura sint erubescientiae genera, illud in primis detestandum magis apparet, quo quis peccatis foedioribus obstrictus, morbum, quo miser die noctuque, ueluti ab erinny quadam secretiori discerpitur, medico detegere erubescit. Huic enim monitione ea, qua Iesus ille priscus Iudaeorum imperator in peccante usus est, addendus est animus. Da gloriam, inquit, Deo, atque confitere, & indica quid feceris. Sed & alterum quoque genus erat, quod optimam passionem appellant, sanctissimum illud quidem, atque propterea expetendum, quo homo de turpi actione confunditur & erubescit. Millies enim in diem magis eligeret mori, quam diuinum peccando foedare aspectum: idcirco ad minimam quamuis memoriam turpis alicuius operationis, erubescencia suffunditur. Id uero pessimum, cuius causa in impudentes tam acerbe inuehitur Hieremias, dicens: Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Vnde aptissimum illud est elogium a Catone prolatum de iuvene e ganeo exeunte, sed rubore, uiso Catone, suffuso: Erubuit, ait senex, salua res est. Vide quam breuiter Cato ab erubescencia in adolescente, quid in eo ipso grandiori facto sperandum esset argumentatur: ut uel hinc saltem erubescamus, ab hac optimi adolescentis parte, tam longe nostros abesse iuuenes, quibus nihil iam in mediis ipsis quod urbium triuiis impudentius cernitur, si tamen a bono ciue quicquam turpe in sua ciuitate siccis oculis cerni potest. Non uacat modo, neque admodum ad institutum nostrum facit, recensere quibus lenociniis, quantaue mollitie ac indulgentia, alatur in patriis aedibus filius, quanta gener, quanta nurus. A quibus sane tenera aetas imbuta, seu magis prostituta, affabre eruditur, quomodo extra domum, in alienum honorem impudentissime se habere debeat. Hic, credo, stimulis acti quiddam, & eo potissimum quod uiderant, nedum quidem in honestioribus secularium, ut uocant, aedibus, licenter peruagari impudentiam, sed & in sacratiores quodque templorum sedes, ut est perfricata fronte meretrix, subrepere coepisse: ne prorsus ab orbe tam augustum donum erubescenciae eliminaretur, tentarunt, summoque pontifici persuadere conati sunt, ut

(quae summa est eius sceptri autoritas) radicitus ab ecclesia Dei mendicitas euelleretur, utpote fomes quae sit enutriendi huiusmodi beluam. Quam uero uerum hoc sit, uideant alii. Nos ad odiae interpretationem reuertentes, id solum addere non grauabimur, pauperiem scilicet honestam uiro optime instituto matrem esse: mendicitatem uero, nouercam.

{25.4} Confundantur omnes inique agentes superuacue.

Hoc est quod dicere intendit uates: Qui sustinent te, non erubescant confusi: sed hi potius, qui sine causa (id significat superuacue) me persequuntur. Vnde alia est hebraeis litera: Pudefiant qui iniuria lacesunt immeritos. Quam sequutus Paraphrastes, sic reddit: Quotquot enim expectant auxilium abs te, non destituentur expectatione sua: frustrabuntur autem spe sua scelerati, qui sine causa me insectantur. Alii enim casu quopiam, aut infortunio peccant: alii propria infirmitate fracti: alii ignorantia ac stupiditate obcaecati. Hi autem nullo alio praetextu, nisi sola malitia, atque in rebus turpiter gestis oblectamento, & peccant, & immeritos laedunt. Tales igitur, a tuo conspectu, ueluti uilissimum proiectamentum, longe amoueantur, proiicianturque. Tu uero Domine, qui semper tuis fauere consuescis,

{25.4} Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.

Eandem enim dicit sententiam suo more uates, quo sui animi ardorem palam faciat. Atqui hic ualde est considerandum, quid est, quod tam anxie, repetita sententia, orat uates, sibi uias eius ostendi. In pugna enim spiritus cum carne & mundo, nihil periculosius censendum, quam a ueritatis uia abduci: nam ipsa nobiscum in bellico huiusmodi labore decertante, mirum si a falsis mundi lenociniis, atque a inconstantibus, suiue dissimilibus doctrinis, a recta deducamur, & superemur

{pdf 190, p. 87}

Verum quia in re tam periculosa, nil tam periculo uicinum esse iudico, quam non timere periculum: propterea uir sanctus, quanto potest animi ardore instat, oratque, ut si Deus, quo eundum sit demonstrat, ne uel modicum quidem aberret. Siquidem uel tantillum a ueri itinere remoueri, maximus reputatur error ac scelus. Et quidem non omittendum, energiam hebraeis esse non modicam in illa dictione, quam noster interpres Edoce transtulit. Illi nescio quid amplius habent. Significat enim sic aliquem edoceri, ut rei illi quam didicit, assuescat. Quare is sensus erit: Vias tuas, o Domine, demonstra mihi: sed & in his ostensis fac me assuefieri, quasique callum obducere, atque indurescere.

Vlterius

{25.5} Deduc me in ueritate tua, & doce me: quia tu es Deus saluator meus.

Iam fusius tractat uates, quod dicere coeperam: uias scilicet Domini media illa esse, per quae inueniendae ueritatis mons scanditur. Atque hic non mediocriter increpanda esset illorum inscitia, qui a proprio iudicio persuasi, nonnunquam eo procacitatis adiguntur, ut bonorum consilio contempto, haec secum: Ego ne, quid faciendum mihi sit, quid non, ignorem? Sancti uero contra, & hi quidem perfectissimi uiri, Deum orant, ut se iustitiae

semitas edoceat: hoc est, ipsam ueritatem, quod est spiritus Dei donum. Deduc me, ait, ne humano affectu, naturalibusue cogitationibus seductus, alia pro aliis eligam, dicamque bonum malum, malum bonum. Hoc enim miserabili modo se habet mortalium natura, quod semper deteriora, & quae maxime sibi officiunt, eligat ex sese: a ueritatis uero spiritu edocta, atque in iustitiae semitas per Dei legem reuocata, insuetoque instructa spiritus motu, prudentiae dono adeo abundanter ditatur, ut non, nisi ui maxima & carnis & sensuum, ei a recta aberrare amplius contingat. Summa igitur: Dirige me in ueritate tua: seu, ut legit Paraphrastes, gubernam me bona fide, ne rursus a recto cadam: & ne desistas me tuam iustitiam edocere. A quo enim alio expectanda mihi erit salus, atque ab errorum laqueis liberatio, nisi a te, qui es seruator meus? hoc est, non aliunde salutem liberationemque spero & uolo, quam a te, qui Deus es, & is quidem potentissimus omnium: quique magis appetis nobis misericordiam impartiri, quam nos assequi. Quare huiusmodi adductus rationibus, non despero: quin potius eo animo, quem tu mihi elargitus es,

{25.5} Te sustinui tota die.

Mos est scripturae passim, pro expectare, uti sustinere. unde hebraeis est, Te expecto tota die: quod idem est, quod longo tempore. Ille uero longo tempore expectare Dominum dicitur, qui miserendi tempus Deo non praescribit, sed patienti fert animo, si quid in Deo morae uiderit, certus tamen non longe diuinum abesse auxilium. Idcirco summa animi alacritate, medio quoque in ipso tribulationum feruore, atque igne, clamat: Compertissimum habeo, quod eruis sustinentes te Domine, cum patientiaque te expectantes. Atqui hanc haudquaquam paruipendendam esse arbitror partem in orante: ne scilicet longa, ut sibi uidetur, defatigatus mora, ab instantia rogandi Deum desistat. Delectatur enim summus pater quodammodo cum suis luctari, ut saepe cum nihil minus speres, te superiorem faciat: rursus te, eo potissimum tempore, deiici sinat, quo tute tibi uideris uictoria potiri. Ex quo saepenumero fit, ut te ab oratione glacie frigidiorum nonnunquam surgere contingat. Verum tu caue putes tum prorsus a Deo tuam negligi salutem, cum forsitan te magis intuetur, & curat.

{25.6} Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quae a seculo sunt.

Stimulos enim huiusmodi, a consideratione propriae infirmitatis extortos, hi sentiunt, qui serio ac iugiter, per mentis ecstasim sese coram Deo sistunt, cupientes nimirum, modisque omnibus contententes dissolui & esse cum Christo. Ab una enim parte desiderii illis, quibus creaturas omnes, siue quae in terris, siue quae in coelis sunt, supergressi, extraque humanam sortem euecti, diuinae solummodo inhaerescere contemplationi dant operam. Ab alia uero tarda hac mole corporis aggrauati, uelint nolint, propter uarias phantasmatum incursiones, atque importu-
[importunas]

{pdf 191, p. 87v}

-nas, coguntur saepenumero ab instituto retro cedere, ac subinde tum sua, tum aliena incommoda, quae a carnis contagione enata, altissimas animi contemplationes

interturbare consuescunt, deflere & conqueri. Et quidem unde tanta interdum in oratione frigiditas, ac, ut sic dicam, ieiunitas proueniat, ignorantes, modo unam, modo aliam praetexunt causam: ut modo uates, qui suas res optime reputans, huc tandem deuenit, ut plane affirmaret, ab sese nihil boni expectari posse: a Dei autem bonitate & misericordia, omne bonum. quare clamat: Reminiscere miserationum tuarum Domine: hoc est, tuam reuoca ad memoriam, clementiam, misericordiam, bonitatem, quae a seculo sunt: id est, quae tibi adeo semper natura agnatae sunt, ut idem tecum unum sint, & credantur, atque eis quoque superioribus seculis erga tuos es usus adeo benigne, ut merito ab omnibus nuncuperis misericors, & miserator Dominus. Porro miserationem in Deo appellamus bonitatis eius effectus, iam quidem a principio rerum nobis euidetissimis signis atque argumentis ostensae. Sed cum reminiscencia & obliuio in incommutabilem Deum non cadant, per transsumptionem tamen dicimus eum reminisci, dum uocatus audit, parcat, succurrit: qui alioqui cum non exaudit, obliuisci dicitur. Unde sunt illi innumeri per scripturas questus eorum, qui non statim ab angustiis erepti, clamant, expostulantque se a Deo desertos, ac plane sui coelestem patrem oblitum.

{25.7} Delicta iuuentuti meae, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Non mirum sane esse debet, si primum iuuentutis, seu, ut legit Felix, adolescentiae peccata memorat uates. Huiusmodi enim aetas quemadmodum a carnis cupiditatibus facilius, quam aetas durior superatur: ita raros in ea inuenies, qui recti iudicii gustum habeant: quippe qui omnia ferme sua gerunt absque consilio ac prudentia: sed affectibus raptantur magis, quam sapientia rationeque reguntur. Porro ignorantias in hebraeo sonat peccata illa, quae a nobis iam pleniori aeuo, propterea contemptu Dei ampliori, perspectaque iam ueritate, admittuntur. Quocirca sic reddit Paraphrastes: Peccatorum quae designaui adolescens, & delictorum quae subsecuta sunt, ne memor sis. Alius uero ex hebraeo legit: Scelera mea ne memineris. Quaerit tamen Eutymius, cur oret uates pro eiusmodi peccatis, & non pro cum scientia admissis. quia scilicet, inquit, quae ignoranter committuntur, sola oratione delentur: caetera uero maiori indigent poenitentia. Omnia igitur anteaetate uitae peccata, atque ignorantias abluere Domine, &

{25.7} Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.

Idem ferme orat Neemias, dicens: Memento mei Deus meus in bonum, & ne deleas miserationes tuas a me. Sensus itaque: Secundum mensuram misericordiae tuae, quae quidem infinita est, memor sis mei Parce, inquam, ac subueni: ne dum uocatus non subuenis, miseriae meae oblitus uidearis. Ait alio in psalmo Dauid: Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Nunquam enim, quod sciam, in scripturis sancti Dei uiri, cum aliquid a Deo petunt, sua ostentant uulnera, sudores, & id genus alia, quae rerum spiritualium imperitiores, hora maxime illa, qua ab humanis euocantur, infesto daemone, ueluti Cerbero offam obiiciunt: tanquam Deus nostrarum abstinentiarum, aut numerum, aut laborem, in primis a nobis, & non secundo exigat: fidem uero, ac propensam in bonum uoluntatem, secundo & non primo. Periculosissimum sane genus est audaciae cum Deo pacisci hoc modo, ut suam ipse, uelit nolit, nostrae ex immensitate ieiuniorum pertritaе uitae beatitudinem ex debito

reddat: nos uero interim animo ociosi, & securi, nuda opera solum utcunque porrigamus. Danda est igitur opera, ne qui primus fidei uirtutum omnium principi statuendus est locus, is detur ancillis. Nec quia & crebro, & turpiter peccauimus, despondendus est nobis animus. Nam

{25.8} Dulcis et rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Adeo, inquit, bonus & rectus est Dominus, ut ipsas quoque peccatores, in uiaque iustitiae claudicantes, edocere non dedignetur, quo illos pacto uiuere oporteat. Vide affectum orantis Solet enim postquam in se totus collectus diutius diuinam

{pdf 192, p. 88}

considerauit misericordiam, atque ipsam serio implorans, tacitusque in ea delectatus. iam demum quicquid rogauerat, impetrauit, intra se admirabundus dicere: Quam dulcis Dominus est, quam rectus, quam facilis, quam indulgens. Auersatur ne peccatores? meretricesne? latrones? parricidas? Minime quidem. Imo quoniam sua uis est, ac affatim benignus, huiusmodi hominum genus solet sanctissima sua in lege instruere: contra nimirum nostri temporis iustos, quibus summae est abominationi peccator. Num quia peccauit aliquis, abiiciendus est? num detestandus? num publico ueluti edicto diffamatus, ab omnibus est uitandus? Atqui, ut caeteris maxime horrore sit, scabie aut lepra affectus quisquam, num propterea etiam medico ipsi nauseae esse debet ac stomacho? Quod enim peccans quis, a uulgo natura leui nouarumque rerum studioso, exhibetur, quantumque in se est, uel cruci ipsi affigatur, non mirum sane esse debet. At ipsum principem, antistitemque animarum uidere, absque rationis fraeno in miserum illum, non tantum multa illa, quae grauioribus debetur erratis, quantum lingua, atque amaro animo desaeuire, quis non admodum doleat? Facit hoc saepenumero imprudens animarum superior, ut ille qui peccauit, illius insipientia atque malitia diffamatus, desperet, ac sese a caeterorum conuictu, intolerabili pudore confusus, cedensque tempori, ac quorundam iniquitati, dissociet. Quid de illis dicendum, qui alienas turpitudines undique coementes, passim per regiones ac populos, ut ipsi aut securius regnent, aut sancti uulgo uideantur, disseminant? Ineptissimum sane illud esset, uulneratum aliquem, uel suppuratione, aut putridiori uomica affectum, publice a medico ostentari, & non potius emplastro admoto, atque malagmate, strictum institis, in secretioribus aedium partibus locari Iustum haudquaquam illum animarum praesulem dixero, qui subiectorum culpas aut facile detegit, aut detectas ad uenandum sibi iustitiae nomen accommodat. Iustitia quidem ea non est, sed summae impietatis argumentum. Quos enim amat Deus, execratur homo? Amplectendi igitur hi sunt, atque, ut continuo agit Deus, ad uiam iustitiae reuocandi, dirigendique. Nam

{25.9} Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites uias suas.

Nunc dicit de quibus peccatoribus sermonem fecerit, ne de quibuslibet peccatoribus dictum intelligas. Itaque de illis dictum puta, qui Dei uerbum, sanctasque coelitus immixtas inspirationes in mansuetudine suscipiunt, atque auidius amplectuntur, quam fame confectus cibum. Cum anima enim aspera atque elata: seu, ut eam appellat

Solomon, maleuola, non habitat spiritus suauitas. Hos igitur dirigit Dominus in iudicio, hoc est, ut recto iudicio atque ordine, suam instituunt uitam, admonet ac manuducit. qua quidem directione, nescio an quicquam honoratius homini accidere ualeat. Mites, Felix reddit humiles: & est, ut superius admonui, hic uerbum, assuesco. ut sit sensus: assuefaciet mansuetos uiis suis. Quibus uiis, quaeso?

{25.10} Universae viae Domini misericordia et ueritas.

In omnibus enim Dei operibus mirandum quendam in modum misericordia ac ueritas apparent. Atqui propter misericordiam dulcis dicitur, seu bonus: propter ueritatem, rectus. Misericordiamne exhibet Deus? exhibet quidem idcirco, quia suauis, quia dulcis, quia bonus: hoc est, quia gratis exhibet. Veritatem uero? quid ni, cum rectus sit ac uerax? pollicitus est enim: quare seipsum negare minime potest. At quid dicemus esse misericordiam in Deo? nempe beneficium eius, nullo habito meritorum respectu, gratuito datum. Veritatem uero quam appellabimus? promissorum eorum gratuitam quandam exhibitionem, quae ex debito quodammodo attenduntur: quia Deus est qui promisit, ac se nobis pollicitationibus obstrinxit, non homo natura labilis, atque in promissionibus parum constans. Misericordia igitur gratis promittit ac dat: Veritas uero promissiones bona fide complet. Nescio enim an alia letalior pestis in conuictu hominum, atque urbibus bene institutis, & rebus publicis accidere possit, quam nullam in promissionibus seruari inter ciues constantiam ac fidem. Iucundissima porro res est relatu, cum legimus, quam

{pdf 193, p. 88v}

arcte Deum urgeat Iacob ab his, quae sibi pollicitus fuerat. Is enim cum fratrem timeret, sic spe firma argumentatur? Tu, inquit, locutus es quod benefaceres mihi, & dilatares semen meum. Tu dixisti mihi, reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuae, & benefaciam tibi. Igitur me erue de manu fratris mei, quia ualde eum timeo. quasi diceret, quae pollicitus es, negare non potes. Quocirca non abs re clamat Paulus, Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter ueritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum, gentes uero super misericordia honorare. Vide, te oro, num illud Christi, huic rei quam tractamus, conueniat: Ego, inquit, sum uia, ueritas, & uita. Via nimirum per quam solummodo eundum est, praeterea nulla. Sed quae uia, obsecro? Illa scilicet biceps, ueritatis ac uitae. Vita autem, seu salus, per Dei misericordiam, nobis, nullis nostris inuitantibus meritis, datur. At ueritas Domini manet in aeternum: quia sine poenitentia, ut inquit Paulus, sunt dona Dei. Itaque uniuersae uiae Domini misericordia & ueritas. Verum non omnibus, sed solummodo

{25.10} Requirentibus testamentum eius, & testimonia eius.

Et quidem hi sunt, qui, ut ait Paulus, secundum patientiam boni operis, gloriam, honorem, & incorruptionem quaerunt sed & qui non sunt ex contentione, acquiescunt autem ueritati, & non credunt iniquitati. Hos enim Deus suo beatissimo lumine perfundens, non sinit diu in tetra hac mundi caligine & carcere, seu, ut uerius dica, obscura nocte oberrare: sed illos instruit, dirigit, ac manuducit. Atqui quos modo antea mansuetos atque humiles, seu mites appellauit, nunc eius testamentum ac testimonia,

hoc est, diuinum foedus, sanctamque legem, ac Dei praecepta exquirentes nominat: ut plane perspicuum sit mansuetudinem eam, quae Deo placet, non ociosos hos nostros esse mores, & elingues, sed rem esse negociosissimam, utpote quae nulla difficultate, nulloue labore, atque aerumna deterretur, quin diuinum testamentum & exquirat, & laudibus in coelum usque efferat. Porro testamentum in hoc loco, foedus illud significare arbitror, quo inter Deum & hominem conuenitur, ut sicut ipse Deus nos populum suum esse uoluit, agnouitque, ac semper tutatus est: ita nos ipsum, nostrum esse Deum uelimus, agnoscamusque, & ad ipsum nostris in calamitatibus confugiamus. Sexcenta sunt in scripturis testimonia, foedus istuc sanctum & aeternum testantia: sed illud in primis: Ecce, inquit, dies uenient, & feriam domui Israel foedus nouum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus uestris: sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel: Dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Testimonia uero dicit legem, quae de Dei erga homines uoluntate testatur, quam euangelium sancta appellat ecclesia. quod quidem, propterea quod in eo solo, tanquam in proprio domicilio, sedem sibi Dei filius cum suo foedere, cum testimoniis, uitaeque praeceptis ac decretis, collocauit, toto animo hi amplectuntur, quibus ipse omnium seruator factus est dulcis & rectus, per commiserationem.

{25.11} Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.

Mirum si hic expectas animi excellentiam ac uirtutes, a sancta uatis anima iactari. Propter, inquit, nomen tuum: propter scilicet teipsum, non propter me, bonumque meum, quod nullum est, meo propitius esto peccato: multum est enim. Felix, non propitius esto, legit ex hebraeo: sed tolles, seu portabis delictum meum, quoniam multum est. O uatis spiritum. Senserat uir Deo plenus tam grauem peccatorum sarcinam humanae imparem naturae ac uirtuti fore: neque unquam futurum hominem quamuis iustum & coelestem, qui esset soluendo, ac qui potis esset chirographo peccati, atque adeo mortis, satisfacere, nisi ille solus, qui ut homo efficeretur Deus, ipse homo factus est, portans omnium nostrum [sic] peccata. Vide hic perfectissimorum hominum morem, qui sua semper maxima reputant delicta, caeterorum uero leuia. Proinde inconsolabilibus saepe lamentis ac questibus, coelum ipsum quodammodo adoriuntur, eiulantes, conquerentesque, multum, immensumque suum esse peccatum: contra nimirum hypocritarum morem, quibus

{pdf 194, p. 89}

nulla Dei offensa grauis uideri solet, nisi ea, quam ipsi quoque infideles grauissimam, & iudicant, & puniunt: cum interim illi, qui rem altius cogitant, quibusque magis perspecta est Dei uoluntas, maximam ducunt impietatem, Deum ipsum, ut conuenit, non amare, non orare, non sanctum eius nomen extollere. Quare ali, ut par est, sua deplorent adulteria, homicidia, usuras, rixas, miserorumue oppressiones, ac innumera alia, quae cunctis uti execranda, sic poenis digna apparent. Ego interim mei frigidi pectoris detestabor torporem, malumque ocium & ignauiam. Cur non fleam considerans quantum mihi beneficiorum contulit Dei filii, & uita, & mors: at ego infelix, ne minimam illi quidem amoris saltem, si uulnerum, ac sanguinis nequeo, seu potius nolo, partem

rependo? Atqui impietatem, & illam quidem maximam qui non arbitrer, sic studiis, sic curis, sic affectibus, & actionibus denique meis omnibus, uitam non instituere, quo Dei nomen, sanctum, cunctisque mirabile ac salutare, per me uideatur? Peccatumne illud grauissimum non erit, proximorum curam, & eorum maxime, qui re mea aliqua indigent, non habere? Pro his certe, ut ait uates, impietatibus, orabit ad te omnis sanctus. Vide igitur quam periculose nostra saepenumero sibi adblanditur sanctimonia: & quam rari sunt, qui occultiozem animi immunditiam, prout conuenit, perspectam habeant: cum sola illa aestimare videantur, quae crassiora sunt peccata, et quae manibus, ut aiunt, contrectari solent.

{25.12} Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in uia, quam elegit.

Exclamatio uehementissima illius est, qui bona considerans, quae his ex mera Dei benignitate & misericordia proueniunt, qui exquirunt testamentum eius, & testimonia eius (exquiri enim non, possunt nisi a timentibus eum) exclamat: Quis nam uir ille est? quam felix, quam beatus est, qui timet Dominum, atque eius sectatur uias. Cupis ne, inquit, istius timorati felicitatem agnoscere? Legem ei primum, ne erret, statuit Deus in uia, quam elegit. Solet enim diuina bonitas, illorum uitam, quos ab aeterno, ut sui essent, elegit, adeo informare in hoc mundo, atque in uiam iustitiae dirigere, ut nihil prae se ferre amplius possint, quam quod uere ex Deo nati sint, & quod peccare ad mortem nequeant. Secreti enim semel ab incommutabili illo spiritu, qui omnia quemadmodum creauit, ita & permeat, & fouet, adeo corrumpi nequeunt, quo minus semen illud Dei, quod in se habere sanctos Dei uiros affirmat Ioan, aut retineant conceptum, aut abiectum reuocent. Non quidem, mea sententia, sensus is, ab illis quae superius dicta sunt, abhorret. Docebit, inquit, mites uias suas. Ecce quomodo nulla nostra est opera in delectu boni, nisi Deus nos doceat. Et dabo, inquit Dominus, leges meas in corde eorum, & cognoscent me. Verum neque illos abiiciendos arbitror, qui hunc uersum ita interpretantur, ut illud, In uia quam elegit, haud ad Deum, sed ad animam referatur. Illi enim, quos superius dixi uerba illa referre ad Deum, gratiae diuinae admodum fauent, utpote quae ad bonum nos semper moueat, informetue, ac placidissimo pertrahat nixu, atque afflatu. Hi uero arbitrio, quod uolunt ex sese lumen, hoc est, uias iustitiae ab Deo oblatas, natura posse eligere, ac uitam secundum eas instituere, quibus tamen nunquam desit gratia, quae uias illas ab se ostensas, ab arbitrio delectas, & statuatur, & explanet. Quemadmodum edulia absque sale insipida sunt ac fatua, ita arbitrium humanum prorsus euanidum redditur, si desit gratia: tamen liberum est, atque eo quidem liberius, quo gratiae magis unitum est, & ab ea adiutum. Mirum quam amplae sint in Dei ecclesia de huiusmodi Dei donis disputationes: quae uerior sit opinio, adhuc sub iudice lis est. Quantum uero ad me attinet, qui parum forsan mihi constare uideor, cum in his meis frigidiusculis commentariis, nonnulla tum de gratia, tum de humano arbitrio asserere, seu potius tangere, prout psalmorum series me admonet, inuitor: propositum illud est, ut quemadmodum utriusque partis rationes mihi admodum semper uerae uisae sunt, ita earum alteri me adeo non obstringi, ut diffinire illud audeam, quod a doctioribus ecclesiae uiris indiffinitum adhuc uideo. Cum enim uterque eorum exercitus munitissimus sit, atque ad se defendendum paratissimus, quis me uetat, modo huius, modo illius, tanquam liberum spectatorem mirari uirtutem?

Quod si tamen illorum alteri magis, quae est spectatorum natura, & conditio, interdum fauere uideor, gratiae pars ea est, ni fallor. quod si error est, malo quidem cum fiducia illa, quam mihi gratiae fauor conciliat, errare, quam cum periculo nimiae de me, meoque arbitrio confidentiae, partem alteram superare. Verum ut de arbitrio quae dicere inceperamus, breuiter absoluantur, sic erit dicendum: quod cum uariae sint inter mortales uiuendi rationes illae, quae ad assequendam beatitudinem instruere ualeant, unam sibi unusquisque eligere debet, postquam liberam habet uoluntatem, quae sibi magis commoda uidetur, ad illud quod quaerit, adipiscendum: quanquam, si rem exactius perpendamus, ex pulcherrima illa actionum uarietate, unum omnium consilium, uitaeque una, & uniformis. Alii enim dant operam, ut in communi ciuium conuictu uiuentes, omnibus, per rerum suarum, aut uirtutum etiam in alios effusionem, prae se ferant, hominem hominis causa natum esse. Alii anachoreticam, coenobialem alii deligunt uitam. Aliquibus item actio, aliquibus ocium, & contemplatio magis placet. Aliis rursum rationes aliae uiuendi arrident potius, quae tamen omnes ad Deum adipiscendum conducere possunt: modo quem semel sibi unusquisque elegit uitae statum, non in alium facile commutet. Quae sane admonitio ad illos in primis spectat, qui cum maiorem suae aetatis partem in monasteriis, etiam cum laude non mediocri attriuerint, ad alterius uitae genus transeunt, causas nescio quas praetexentes. In illo igitur perstandum est, quod deliberato animi proposito, atque consilio arripitur. Quod si ad meliorem uitae statum a nonnullis transfugitur, non hoc quidem improbandum, uerum illud uerendum, ne in rerum delectu fallantur. Quare quancunque sibi uiuendi rationem ac uiam elegerit ille qui timet Dominum, eam mordicus teneat: nam Deus illi fautor erit, ac praeceptor: quanquam ne in mille quidem uitae mutationibus commutationibusque, nunquam diuina homini deerit bonitas: modo illius, qui commutat, pura sit mens, Deoque unita. A Deo enim nihil aliud expectari par est, quam bonitas, suauitas, pax, uita. Ab hominibus autem non ita quamplurimis, qui quidem aliquando adeo difficiles sunt, duri, atque implacabiles in admittendis iterum illis in ecclesiae, siue religionis alicuius priuatae sinum ac gratiam, quos antea ab sese iustissimis interdum rationibus, permotos, defecisse norunt: ut nihilo secius agant, quam mulieres illae, quae adulto iam puero mammas quidem admouent, sed adeo amaris infectas succis, ut magis eum a lacte deterreant, quam prouocent. Christianus is haudquaquam mos est, sed Geticus potius: idcirco in ecclesia Dei non sufferendus. Nam quos uult diuina bonitas, etiam mille uitiorum nodis constrictos, sed resipiscentes, saluos esse, homo auersari non debet, & fastidire. Quid? quos euangelium Christi dignos uenia iudicat, atque propterea ad sese allicit, inuitat, admittit: admissosque non secus, ac plerunque diligentius, quam caeteros confouet, nihilque non agit tandem, ut illi se in ueros filios receptos esse sentiant: priuatae uero quorundam leges ab sese tanquam immundos sues, aut canes abigent, atque id in primis curabunt, ut postquam admissi hi fuerint, nihil tam clare uideant, quam se spurios esse, membraque prorsus inutilia? Caeterum statuere, ponere, dareque legem, est in scripturis, legem docere. Unde illud est: Legem pone mihi Domine uiam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper. quasi diceret, te docente exquiram semper: non docente uero, nunquam. Facile enim in deligendo bono caecutit homo, atque hallucinatur: Deus autem, qui lux ea est, qua uel ipsae res inanimae perlustrantur, & in quo tenebrae sunt nullae, ut inquit Ioannes, uerax idem est, simplex, ac eiusdem semper uoluntatis, quae est, ut illuminet omnem

hominem uenientem in hunc mundum: non hunc, aut illum, priuato quodam, ut solent homines, affectu. Nam illi cura aequa est de omnibus, ut inquit ille. Felix tamen ille erit, ac plane beatus, qui uniuersalem eam lucem ultroneo consensu receperit: nam, ut caetera quae illi obuenient bona omittam,

{25.13} Anima eius in bonis demorabitur, et semen eius haereditabit terram.

Vide hic fructum eorum, qui a Deo selecti, viam iustitiae apprehenderunt. Etsi enim Chaldaeus interpres me admonet de bonis futuris in uita immortalis hic a

{pdf 196, p. 90}

propheta dici: sic enim ille: anima eius in bonis mundi uenturi demorabitur: tamen & de praesentis uitae commodis intelligi quoque posse iudico: quae tamen commoda non tantum ab agrorum, aut pecorum numero, & fertilitate metiri soleo, quantum a cordis pace ac tranquillitate. Anima quippe illa, quae die noctuque diuina exquirat testimonia & legem, quomodo, etiam praesenti in hoc seculo, in bonis non demorabitur, atque ei ad uota non succedent omnia, cum quicquid cogitat, quicquid molitur, quicquid consiliorum capit, id omne Dei honorem spectat? Quae tam saeua angustiarum procella ac uis, animam sic optime institutam, in mala unquam coniecere erit potis? Si tormenta, si cruciatus, si exilia, si carcerem, si crucem tandem adhibeat carnifex, in his ea perinde oblectamenta capiet, atque solent alii, ob iucundissimas oblatas uoluptates. Postea uero soluta a corpore, in illis ipsis bonis demorabitur: hoc est, fixa, perseueranterque manebit, quae nec oculus unquam uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt Neque id satis quidem, nam semen eius, hoc est, hi qui illius fidei feruorem imitati fuerint, una cum ipsa, Dei erunt haeredes, cuius terra haec est, & plenitudo eius. Cum enim ius rerum praecipuum in haereditariis bonis consistat, idcirco scriptura, eiusmodi nomen pro plenissimo dominio, praecipuoque utendi iure ponere consuevit. & est sensus, quod posterius illius qui in bonis commorabitur, terrae domini erunt. Quid enim in terris est, quod uere Deum timentibus subditum non sit? Facti iam quippe sunt unum cum Christo, quem pater haeredem constituit uniuersorum, ut inquit Paulus. Ergo in eo, ut ipse concludit, quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.

{25.14} Firmamentum est Dominus timentibus eum, & testimonia ipsius ut manifestetur eis.

Felix ex Hebraeo: Secretum Domini timentibus eum, & foedus eius, ut faciat eos cognoscere. Vtraque enim litera admodum uatis spiritui quadrat, ac mirabili quadam harmonia succinit. Vocat Dominum his, qui eum timent, firmamentum, & robur: quia in ipso totius stabilitatis aeternae sita est possessio: nec quidem aliunde est expectanda, cum caetera, praeter ipsum, nutantia sint, ac plane sui dissimilia. Porro secretum in anima id est, quod neque caro, neque sanguis reuelare potest, sed coelestis tantummodo pater. O stupendum Dei munus. Tantum non dixit, se suos electos a secretis illis, etiam spiritibus angelicis ignotis, fecisse. Me miserum, cui pene decrepito, atque in uirtutum exercitatione, per tot annos, uastis in eremis ac claustris, si non perfecto, ut decuerat, attrito tamen & defatigato, nondum ne scintillulam quidem tam felicissimi secreti

experiri contigit. Quis raptus illos? quis ecstasim ad diuini amoris proficiscentem ardore atque ebrietate, in corpore positus exprimere tentabit? Quis connubium illud coeleste, in quo patris maiestas totum nuptiarum locum, hoc est, humanum cor implens, inaestimabili cognitionis suae luce, tum sponsam, tum sponsae familiam, id est, animam, atque eius potentias, consilia, motus affectus, desideriaque omnia, & speculationes perfundit? filius uero sponsus sit, spiritus pronubus? Quis odoramenta illa? quis suffitus a coelestibus choris per amplum summi regis palatium expectos, terreno corpore uestitus, uel ad plenum olfaciet, uel si olfaciet, aliis enarrabit omnino, postquam mortale os immortalia non nisi aegre eloqui potest? Omitto secreta colloquia, quae inter sponsum & sponsam habita, cor hominis alioqui stupidum, atque ad coelestia pergustanda frigidum & iners, in spiritalem quendam, supra humanam sortem immutant statum, ac plane exangue reddunt, transmutantue in aliam naturam, quae aut ignis est, aut igni similis. Et quidem ex hoc animae secreto cum suo sponso congressu, percutitur foedus inter eos aeternum, quo illa diuinis quibusdam nodis placidissime irretita, hoc prope modo ob stringitur, ut nihil amplius uelit aut cogitare, aut agere, quod non sit totum ad sponsi uoluntatem referendum: cuius bonitati ac misericordiae se totam consecrat, se tradit, se quicquid est, in perpetuum mancipium donat. Et sic foederis summa clauditur, ut Deus, pater sit, homo filius: ille det, hic accipiat. Quam ob rem a propheta est additum & testamentum ipsius, ut manifestetur illis: uel, ut legit Felix: Et foedus eius, ut faciat illos cognoscere: hoc est, ut eorum intellectui det notionem, scientiamque, ac in contemplantis diuinis rebus aptitudinem. Igitur testamentum Dei, seu fo-

[foedus]

{pdf 197, 90v}

-dus, seu lex appellanda sit, propterea coelitus nobis tributum est, ut per illud a carnis depressione eleuati, ad speculanda coelestia erigamur: atque porro caeteris, quaesit Dei uoluntas, sancta, beneplacensque, ut ait Paulus, & perfecta, per nos diuulgetur: sed his potissimum qui in timore Domini uitam probam uiuere nauant operam. Alioqui tam excellentissimum diuinae legis beneficium accepisse, cuius ui, ac stimulo, data est nobis ex filiis Adae, filios Dei effici, facultas: deinceps adeo brutorum more extra rationis limites uitam agere, hoc est, cunctis animi affectibus in uoluptatum sordes omnifarie prostitui, hominis est in rebus suis parum pensi habentis, ac de animorum aeternitate idem cum Epicuro, Aristippoque sentientis. Verum hi ut lubet, ego autem secus res meas computo. Nam

{25.15} Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.

Mos est illis, qui in periculum aliquod immensum coniecti, mortem iam prope esse praesentiscunt, ut eo & manus, & oculos, nedum animum, dirigant, unde salutem expectent. Quare id modo non sine flagrantis animi affectu, & nota, a uate canitur, utpote qui insidiantis mundi artes, atque hominum ad lapsus procliuitatem optime calleret. Non est enim cor tam sublime, atque in rebus diuinis exercitatum, quod non admodum sibi timeret, si occultae mundi tendiculae corporeis oculis uideri possent. Quod quidem, ut arbitror, in causa fuit, quam ob rem moti sancti Dei uiri, hanc nostram

aetatem alio tendicularum genere, a maximis approbato pontificibus (a conciliis non audeo dicere) ut sint etiam in ecclesia laquei, quibus irretiantur uitiorum, ac daemonum artes, & technae, summis scilicet casuum, ut appellant, conscientiae, mirum in modum onerauerunt. Passim enim tendiculae, passim laquei, passim muscipulae, ac hamati funes, per eorum libros, tanquam per dumeta quaedam asperiora tenduntur: sed tamen nostra haec omnia superat malitia. Qui iam laquei tam prudenter ab illis tensi, qui tam uarios in usuris contractus, in matrimoniis, in mercimoniis, in uenditionibus, in locationibus, & uersuris, connectere sint apti? Sciunt hi, quibus aliena audiendi scelera incumbit labor, quanta opus sit animi uirtute, ingenio, ac doctrina, in explicandis peccatorum rationibus, ac discernendis leuioribus delictis, ab his, quae capitalia appellamus. Aufer enim a mortalibus malitiam, & improbitatem, cessabunt & aucupes suis illis laqueis in Ecclesia quodammodo ob scelerum cumulum, atque acumen, necessariis. Verum felicius id esset inuentum, si a doctis solummodo uiris tractaretur, ac laquei hi omnes ad impediendam uitiorum libertatem tensi uiderentur, non ad conscientiarum candorem dehonestandum. Vir tamen iustus, cui lex posita est nulla, ut inquit Paulus, huiusmodi laqueos, atque hamos, illaesus praeterit: quia nulli obnoxius uitio, liber, quod non facit improborum hominum colluuiis, a tendiculis graditur. Quod quidem considerans uates, simulque nobis imbecillioribus inter tot hostium laqueos positus timens, atque humanam prudentiam ad eorum rationem disquirendam, periculumque euitandum, imparem fore aduertens, oculos non tantum corporis, quantum mentis ad Deum attollens, clamat: Oculi mei semper ad Dominum. Cur sic, quaeso? quoniam ipse solus, non homo, non humanum ingenium, euellet de laqueo pedes meos: seu, ut legit Felix, educet ex rete pedes meos, affectus scilicet omnes animae. Laquei porro animae, ac retia, sunt terrena cupiditates, malaque daemonum suggestiones: quae, ne libere per iustitiae semitas iter habeat, eam inturbare satagunt. Ad hoc ferme idem suam gentem adhortabatur Hieremias, dicens: Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum. Atqui praecipuos in anima esse oculos aiunt cognitionem, & fidem: quarum alteram ab amore, alteram ab intellectu proficisci asserunt: utranque tamen caecutire, tetramque contrahere lippitudinem, cum terrena solummodo aut amantes, aut cogitantes, illis ipsis rebus inserviunt, quibus dominari oportuerat. Cum itaque humanae hoc fere modo, quem dixi, sese habeant,

{25.16} Respice in me, & miserere mei: quia unicus & pauper sum ego.

Solet enim aliquando coelestis pater, ut est continua in homines affectus bo-
[bonitate]

{pdf 198, p. 91}

-nitate eo crucis genere suos exercere, ut non solum ab improbis eos acriter affligi sint, uerumetiam ab ipsis quoque intimis amicis tum, cum minus opus est, deseri. quod quidem in hoc loco sibi obuuisse conqueritur uates, ac uatum dominus. Proinde uniuersalem eam esse animi desperationem in nimium atrociter oppressis cernimus, qui sese ab omnium solatio atque ope destitutos, facile expostulant, non tam quidem amicorum solitudinem attendentes, quam perfracte nimis dolori succumbentes. Clamat igitur hic uates, ut uides, ne molestum sit in hac continua cum carne ac mundo pugna, uehementiam periculi considerare. Solitarius, inquit, ego sum, ab omnibusque desertus,

ac prorsus abiectus. Pauper sum insuper factus: hoc est, is factus sum, qui, in quo confidam, habeam nihil. propterea in te solo mihi sperandum erit, a quo uera exire solet, & bonitas, & erga afflictos commiseratio. Caeterum haec omnia ingenio mihi pertractanti, felicissima illa mulier Hester in mentem venit, quae in illis suis multiplicibus innodata angustiis, sic Deum compellat: Adiuua me solitariam, et cuius, praeter te, nullus alius est auxiliator.

{25.17} Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt, de necessitatibus meis erue me.

Reddit causam, atque eam quidem commiseratione dignam, quamobrem tanta cum animi anxietudine auxilium postulet. Non sunt rarae, inquit, quae me lacerant curae: sed multae, multae etiam angustiae, quae late super me sese dilatauerunt. Sic enim Felix: Tribulationes cordis mei dilatatae sunt. Quem secutus Paphrastes [sic, Paraphrastes], ita reddit: Afflictiones cordis mei late sparserunt sese: ex angustiis, quibus undique coarctor, educ, quaeso, me quamuis alia Hebraeis etiam sit litera, hoc modo: Angustiae cordis mei dilatentur: hoc est, cordi meo angustiato fiat spacium respirandi, procul malis omnibus illis, quibus premitur, amotis: & educ me ex coarctationibus meis: quod idem est. Sed neque necessitatum nomen suo uacat affectu, & eo sane ardentissimo. Vocat enim suas necessitates Propheta, tentamenta omnia, atque in hoc mundo oppressiones, quippe quae ad humanam lasciuiam coercendam necessariae quodammodo uideantur. Harum quidem lima & scalpro, suos expolit Deus & castigat, ne cum reliquo mundo, ut inquit Paulus, iudicentur. Vltterius (quo aliud necessitatum genus ponamus) qui non summo studio petendum nobis erit, uitam hanc nostram ab hisce miserrimis procurandi carnis alimenta solitudinibus & necessitatibus erui, quae certe adeo nos a dignioribus rebus contemplandis abstrahunt, ut uix ex multis unus inueniatur, qui non prudentius rem suam familiarem curet seruetque, quam animum ipsum, natum sane ad ea contemnenda, quae caro amat & sectatur? Hincque exortum morem illum detestandum arbitror in promouendis sacrarum aedium custodibus & praelatis: ut crebrius in pertractandis seculi rebus acuti, sagacesque deligi soleant, quam illi, qui semel a mundo secreti, hasce mundi tricas, ueluti ad capessenda coelestia, impedimenta quaedam abiiciunt, eo animum, uiresque ingenii dirigentes, unde regendarum animarum lumen suppeditat Deus. Alia enim res est, homines in optimis uitae institutis enutrire, alia nummos eosdem centies in supputatoriis abacis, & partiri, & colligere. Illa enim ad animarum praesules atque episcopos attinet, haec ad institores. Quare in deligendo animarum pastore, non tanti facienda est carnis prudentia ac cura, quanti feruor spiritus, atque in terrenarum rerum despicientia assuetus. Verum illi, ut lubet: tu uero Domine,

{25.18} Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte uniuersa delicta mea.

Humilitas in scripturis fere semper, quod alias admonui, deiectionem, atque ut sic dicam, imparitatem uirium humanarum ad congregandum cum hostibus, significat: cui labor ille, qui ex debilioribus uiribus enasci solet, cum onere aliquo grauiori premimur, comes est. Idcirco humilitati laborem adiecit, & est sensus: Considera Domine quomodo impar plane sim ad committendum cum meis fortissimis hostibus praelium. Vide carnis

infirmiorem: perpende laboris sudorisque cumulum, quem in diutino hoc, cum mundo & carne, certamine contraxi. Attende, oro, quae patior, miseriamque meam euestigio, non merita, quae nulla sunt: non

{pdf 199, p. 91v}

peccata, quae innumera: non culpas, quae grauissimae sunt, metire: sed omnia mihi, quae tua est facilitas, condona. Nam hi solummodo beati, felicesque sunt, quorum remissae sunt iniquitates, & tecta sunt peccata.

{25.19} Respice, inquam, inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.

Paraphrastes sic: Considera hostes meos, quam sint multi, & quam capitali odio persequuntur me. ut hinc saltem quam implacabilis sit hostium humani generis truculentia perpendamus. Volunt interpretes hebraeorum id, odio iniquo, magis secundum eorum idioma exprimi, si legatur, odio furenti. quare ex illis unus sic reddit: Odio uiolento me oderunt. quasi diceret, nihil a me laesi, aut lacesiti, me persequuntur. Etsi enim (non inficior) mala omnia, quae mihi inferre moliuntur, iuste meruerim: attamen id, bonus ne uidelicet, an malus sim, nihil ad eos. Si enim peccaui, haud illis certe, sed mihi ipsi nocui: tibi que soli mea habenda est uitae ratio, non improbis hominibus, aut immundis spiritibus, qui sola omnes malitia, ac qua miserandum in modum torquentur, inuidia, furibundo me insectantur odio. Atqui hic uides daemonum breuibus depingi nequitiam: naturam non audeo dicere. Solum enim pertinax in malis propositum, uoluntasque inuidiae stimulis exagitata, teterrimos huiusmodi spiritus nobis infensos reddit. Animo quippe iniquo & peruerso, suam miserrimam ruinam, ex natura longe quam sua sit inferiori, resarciri non tolerant, idcirco quia spiritus celerrimi sunt, peruigiles, sagaces, acuti, ac ut sunt mille nocendi artibus instructi, perfidi, & opportuni ad connectendos dolos, quibus aeternum Dei consilium seruandorum hominum intercitant. Quas quidem artes sanctus Dei uates non ignorans, sibique, atque adeo nobis omnibus pertimescens, quo maximo ualet spiritus feruore clamat: Vide Domine, quam multi sunt hostes nostri. Hinc enim daemones ex sese irritabili persuasionem, illinc eorum imitatores prauis homines, qui sola mentis peruersitate insectantur bonos, adeo in immensum creuerunt numerum, ut de nobis actum esse non dubitemus, nisi tu serenissimo uultu tui aspectu nos intuearis ac tueris. In hoc enim toti sunt, ut a uia iustitiae declinantes, te amittamus: quo amisso, quid, quaeso, superest aliud, nisi ut in aeternam mortem devolvamur? Quod sane mihi ne contingat,

{25.20} Custodi animam meam, et eripe me: non confundar, quoniam speravi in te.

Vide quomodo indefesse non cessat uates rem eam in omnibus fere psalmis inculcare, cuius uirtute a Deo preces exaudiuntur nostrae. Spem dico, quam merito sacram, in hoc periculosissimo perturbationum pelago, appellare libet anchoram. Spe enim salui facti sumus. Ait igitur: Meam eo modo custodi animam, o Deus, quo infirmam in grege ouiculam custodire solitus est pastor, ac me eripe, & libera: nec sinas ut spe falsus, quam

in te posui, pudefiam. Nam cum in homine non sit uia eius, a te solo pendere par est, Itaque non confundar, non erubescamque meis a petitionibus repulsus. Siquidem

{25.21} Innocentes & recti adhaeserunt mihi, quoniam sustinui te Domine.

Ut nullo alio in loco, maxime illorum, quorum amicitia a probis expetenda sit, effigies appareat, hic certe apertissima uidetur, ac admodum concinna. Amicus enim hisce duabus partibus a propheta positus ornatus, synceritate scilicet & rectitudine, artibus omnibus quaerendus est, nobisque conciliandus: quemadmodum insyncerus, improbitatisque studiosus, ex animo, nedum a corporali consuetudine expuendus est omnino. Aequum porro, seu rectum amicum illum appellamus, qui nihil, ne tantillum quidem, a iustitiae lege uariat: qui, ut maxime conuenit & decet, omnia sua & agit, & dicit cum amico: sed & qui nihil prorsus, quod sibi commodum sit, aut utile, spectat: uerum quod honestum, quodue in primis amico conducere possit, uersat animo, ac re ipsa, cum datur occasio, efficit Nondum dixi quod uolo. Eum itaque amicum expetendum, ac sub ipso frigidissimo Arctoo inquirendum arbitror, qui suiipsius amore omnino exutus, totus ob Dei gloriam, in caeterorum salutem incumbit: & qui nihil minus, aut cogitat, aut agit, quam quod proprium sit, sed quod Iesu Christi, ac caeterorum postea. Caeterum cum similitudo amo-
[amoris]

{pdf 200, p. 92}

-ris sit causa, hic nimirum, si non aliunde, coniectare possumus, cuius consuetudinis uitae ac morum fuerit Dauid, postquam innocentes & corde rectos, sibi, ueluti suo membro, ac fratri adhaesisse praedicat: quanquam tamen secundum Hebraeorum literam, uidetur suam uoluisse manifestare puritatem atque animi candorem. Sic illi: Simplicitas & rectum custodient me. Chaldaeus etiam fere idem, sic eum reddit: Synceritas & rectitudo seruabunt me. Diuus quoque Hieronymus: Simplicitas & rectitudo seruabunt me & erit sensus: spero me assecuturum quod multis superius precatus sum, simulatque synceritas ac rectitudo, quae mihi abs te datae sunt, me seruabunt: quemadmodum illos sua illorum peruersitas, & fraudulentia, perdent funditus. Volunt uoculam illam, quam noster interpret, adhaeserunt uertit, custodient potius, aut seruabunt, Hebraeis esse Idcirco optandi affectu hanc sic reddit Paraphrastes: Innocentiae & aequitatis studia seruent me. Nam impossibile esse definiunt sancti, eum ipsum qui animum in adipiscenda cordis munditia illa, per quam, ut ait Christus, uidetur Deus, spontaneo ardore addixerit, non seruari ad uitam, licet huic seculo odiosus sit, atque ob id deiectus, ac ueluti proiectamentum uilissimum, a tumidorum impudentia derisus, & male habitus. Porro sicut a fortissimi pectoris sufferentia, circa ea quae pater coelestis nobis propterea differt dare, ut det commodius postea, ac quando nobis magis est utile, reliquae ferme omnes proficisci solent optimae animi dotes: ita uel in primis, ex ea cordis illa, de qua loquimur, aequitas atque mundities, et originem, et vim, et incrementum sumit. Quo circa adiicit vates: Quoniam sustinui te Domine. de qua quidem sufferentia, nonnulla in quinto huius psalmi versu sunt dicta.

{25.22} Libera Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis.

Paraphrastes: Ex omnibus afflictionibus suis: quas sane afflictiones alio in psalmo appellat uates iniquitates, dicens: Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus suis. Non quidem propterea iniquitatum nomine utitur, quod Israel, id est, Dei populus, aut iniquus sit, aut iniqua diligit: sed quia cum bonus sit, ab iniquis tamen iniqua patitur. Praeterea hic uates Israelem memorans, nos antiqui foederis cum uiro illo per Deum initi, admonet: quae omnia futuri huius seculi umbra fuere. & est perinde ac si dicat: Exime Deus populum tuum fidelem ab infinitis eius angustiis, sicut cum Israele, quando illum a metu fratris liberasti, foedus abs te percussum fuit. Caeterum summa animi fortitudine hic opus esse arbitror, ac patientia, cum ut molestiis, quibus plerunque ueluti eruditioribus quibusdam necessariis ad uirtutes ideo ab optimo Deo addicimur, ut meliores simus, haudquaquam frangamur: tum ne, quoad in mortali hoc antro animae uiuitur, a perseuerantia orandi Deum deficiamus: quia nec pugna ipsa quidem nostra cum mundo ac carne, nisi cum morte desinet.

PSALMVS DAVID XXVI.

{26.1} Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.

Ardens in hoc Psalmo de seipsa, anima Deo offert sacrificium: nec ueretur suam apud illum iactare innocentiam. tantum est puritatis robur ac uis. Hoc idem olim non semel egit Dauid in bonorum exemplum, qui interdum ab improbis illis suis persecutoribus falso accusatus, non indignum duxit, diuina in se bona cognoscere, ac in caeterorum bonorum confirmationem, in faciem, ut aiunt, peruersorum hominum proicere. Hoc idem etiam a Christo, psalmorum scilicet omnium argumento & summa, seruatum legimus, cum in sui patris honorem maxime, salutemque omnium nostrum, illud facere conspiceret. Hoc porro idem & nos. Verum eiuscemodi locutionis genere solus Christus uere uti poterat, quippe qui non solum perfectam in se habuit innocentiam, atque animi puritatem, uerumetiam caeteris adeo abunde illam elargitus est, ut plane illi, quibus tam excelsum contigit donum, dii in terris haberi debeant. Hi enim foedere nescio quo admodum inaequali cum Deo pactum iniere, huiusmodi conditione, ut sua ipsorum peccata & scelera, illius essent: eius uero iustitia ac puritas, istorum. Inaestimabilis

{pdf 201, p. 92v}

ualde est unio & copula, qua per gratiam humana coniuncta est diuinae conditio. Postquam enim Dei atque hominis, diuersarum scilicet naturarum, facta est una in Christo Iesu persona: uoluit sane Deus, & sua bona, & hominum mala inter sese communia esse: imo (quod forsani duriusculum uidebitur) nostra uoluit ipse sua propria esse mala solummodo, non nostra: bona autem sua, communia omnino. Et quemadmodum ab immensa eius bonitate profectum est istuc, quod scilicet eius sancta uoluntas adeo omnes suos amplectatur, simusque connectat, ac incomprehensibili ueluti cuiusdam, ut sic dicam, deiformitatis nodo constrictos uelit, ut unum sint cum Christo, uniusque uoluntatis atque innocentiae: ita ex eodem fonte nostra emanauit fides, cuius ardore incensi, nostra omnium audemus peccata & flagitia in ipsum eius filium adeo integre reicere, ut prorsus illius sint, atque ea, ut est ignis edacissimus, consumat funditus. Cum igitur bonum aliquod aut appetimus, aut uolumus, cum nostra

iam facta sit una cum Deo uoluntas, Deus ipse est, qui appetit & uult: hoc est, qui nostram mouet uoluntatem ad bonum illud amandum & quaerendum, cuius ipse autor est ac dator. Qui tamen, cum omnia bona, ut dixi, sua sint, ab ipsoque proficiscantur, uult nostra esse eadem illa non secus, quam si a nobis, non a sua misericordia & bonitate, originem haberent. Quare huiusmodi persuasione ac fide imbutus Dauid, non ueretur suam hoc modo ordiri precationem: Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. hoc est, iudicium pro me profer, quemadmodum in re iusta soles. Defende, inquam, me, atque ab improbis me uendica, Hoc sane modo abs te adiutus, cunctis palam fiet quam simpliciter coram te ambulauerim. Hic uides uirum sanctum trifaria adductum ratione, ut sese audacter diuino iudicio, alioqui se uero ac extimescendo, offerat. Primum enim candorem animi ab omni dolo uacui ac liberi memorat, cum dicit: In innocentia mea ingressus sum: seu, ut legit Felix, ambulauit. Deinde summam in Deo fiduciam, ut in sequentibus uidebitur. In Domino, ait, sperans non infirmabor: uel, ut habet hebraeus, non cadam. Postremo uero sedulam diuinae bonitatis considerationem. Quoniam, inquit, misericordia tua ante oculos meos est. Hisce enim armis instructus Dauid secure dicere poterat: Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. Et licet haec uerba, ut dixi, solus Christus, & uere, & confidenter queat dicere, non excluditur tamen uir ille, qui propter iustitiam persecutiones patitur. Scit enim suam per Deum, iustam esse causam. Et quidem quomodo iusta esse non potest, cum ipsa sit iustitia causa sua?

{26.1} In Domino sperans non infirmabor.

Non cadam, inquit, quandiu sperauero. Non elabar. Non, ne minimum quidem, in uia iustitiae titubabo. Fiducia porro uis ea est, quae iustum in propria celebranda innocentia aliquantisper audacem reddit, si tamen summa in Deo fiducia ac spes, audacia, & non potius uera pietas appellari debet. Eius enim bonitatis est Deus, ut non possit non ferre illis suppetias inuocatus, qui ad se confugiunt, modo ab omni alio amore exuti, in se solo sperent, de se praesumant, atque de certissimo suo auxilio ac fauore minime dubitent. Mirum quanta, ut sic dicam, iucunditate, diuina afficiatur maiestas, ob purum illum animi candorem in suis, qui non tantum fidei ardorem, quantum simplicitatem atque innocentiam, ex qua fiducia oriri solet, prae se ferat. Vide igitur, quid anima de diuina in se beneuolentia praesumat.

{26.2} Proba me (inquit) Domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum.

Vt hic enim, quae superioribus psalmis de probatione illa, qua a Deo per tribulationum ignem examinamur, sunt dicta, non repetamus: id tantum admonere non ab re erit, uestigationem scilicet eiusmodi, quam hic uates memorat, afflictiones esse, quibus nos Deus multifarie, tanquam optimus aurifex, probare solet & experiri. Atqui hic iterum, ut in alio psalmo est dictum, cor & renes pro intimis animae cogitationibus, ac oblectamentis poni uides: ne in superfluis, nescio quibus, interpretandis allegoriis immoreris. In renibus enim rerum earum quae carnem maxime uoluptate afficiunt, cum sedes sit, idcirco pro internis animae uoluptatibus renes

a uate ponuntur. Cor item, quod cogitationum est officina & receptaculum, pro cogitationibus animae occultioribus sumi solet. Ait igitur anima illa, quae propter iam conceptam de Deo fiduciam, se firmam, suique similem in re spiritus pernocit, ut quam propterea suam iactare posse innocentiam confidit absque uitio: Proba me Domine, & tenta me: hoc est, ure me, tenta, experire, examina, ut lubet, calamitatum flamma, atque igne. Non quidem elabar, non infirmabor, non, ne tantillum saltem, nutabo: quoniam, quae est ante oculos meos, in misericordia tua sperabo. Modo enim tua mecum sit misericordia & bonitas, non tuas certe, quia pater es, & is sane pius & misericors, cohorrebo plagas. Quaeri solet a peritioribus, num tentatio absque arrogantiae periculo desiderari, atque a Deo peti queat: affirmantque nullo modo ab infirmioribus, & qui adhuc innumeris animi aegritudinibus obnoxii sunt, id tuto posse appeti: a perfectioribus uero posse. Sed, ut quod sentio fatear, quemadmodum stultum uidetur tentare Deum: ita stultissimum esse arbitror a daemone tentari appetere. Rogabat enim Paulus ut ab sese carnis stimulus longe esset, & ego ut prope sit rogabo? haud secure quidem id expeti a nobis potest, quod uiros sanctissimos semper detrectasse legimus. quod si tamen (quae est audaciae nostrae conditio) appetenda erit tentatio, eo sane modo, quo nunc a Dauide, potest appeti. Ille enim cum dixisset, proba me domine, & tenta me, adiecit illico:

{26.3} Quoniam misericordia tua ante oculos meos est.

Misericordia igitur Dei uis ea est, cuius ope a tentationum fluctibus facile emergunt mortales. Illa, illa, inquam, est, quam semper tot inter carnis ac mundi molestias, ob oculos haberi fas est: non nos ipsos, non nostra quamuis diutina in uirtutibus studia, aue [sic, atque] exercitia. Alioqui & nos, & nostra bona in re spiritus inter texere, & quasi cum Deo meritis uelle contendere, ut hi solent, qui in uehementiori aliqua oppressione aut tentatione positi, ad suas statim operationes, aut Missarum numerum, & eleemosynarum recurrunt: turpius peccamus, quam illi ipsi forsitan, qui cum frigidiores sint, tacent tamen, si quid interdum ardentioris spiritus sentiunt, idque totum suspirantes in Dei bonitatem reiiciunt. Nam certe illud frequentissime a diuino iudicio prouenire experimur, ut facilius nefandissimae uitae homines ad Deum conuersi, suae anteactae uitae scelera detestentur, atque propterea in uiam iustitiae regrediantur, quam illi superius descripti: qui cum nihil unquam, quod iustitiam sapiat, in tota uita sua peragant, se tamen iustos existimantes, nihil ultra sibi quaerendum esse opinantur. Quare neque calidi, neque frigidi cum sint. Deo in primis, hominibus postea, nauseae sunt ac stomacho. Quomodo enim ex his aliquis dicere poterit: Proba me domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum, quoniam misericordia tua ante oculos meos est? Et non potius, proba me, & tenta me, quoniam non sum sicut caeteri homines? quoniam Missas quotidie aut audio, aut celebros? quoniam nullam unquam (quod sciam) perfregi quadragesimam? quoniam peccatum mortale nunquam commisi? O homines prorsus a uitae semitis aberrantes, atque abhorrentes simul. Hi quidem admonendi sunt, sua illa ieiunia, suas uigilias, sua psalteria, bonarum quidem esse actionum gradus: non per se bonas esse simpliciter actiones illas, quas potissimum ab homine requirit Deus. Quae uero illae sint, iam notiores sunt, quam ut a me nunc, qui aliud agere intendo, describantur. Ego enim semper actiones illas parum utiles arbitratus sum, in quibus tum Deo gloria, tum proximo utilitas, non afferatur. Nam quemadmodum illae gradus sunt quidam, ut dixi, ad perfectiores adipiscendas operationes: ita hae optimae adeo

sunt, ut qui eas adeptus sit, is perfectis. simul censi debeat, ac plane beatus. Is, inquam, uere dicere potest: Quoniam misericordia tua ante oculos meos est,

{26.3} Et complacui in ueritate tua.

Ecce quomodo misericordiam & ueritatem simul connectit uates quod per omnes fere scripturas fieri uideo a caeteris. Sensus igitur is erit: In tua confisus misericordia o Domine, atque in his, quae promisisti, quae negare non potes, placui tibi: seu, ut legit Felix, ambulauit: hoc est, tutus in uis tuis, quae sunt misericordia, &

{pdf 203, p. 93v}

ueritas, ambulauit. Sic uno hoc breuissimo, ut sic dicam, apophthegmate, rem totam, de quo nunc loquimur, definire placeat: solo scilicet in Dei misericordia & ueritati fiduciae conceptu seruari electos. Non sane mirandum, si toties a propheta fidei, ac, quae eadem est cum fide, fiducia fit mentio, & quibusdam ueluti gyris in scenam crebro reuocantur. Praeuidit enim uir sanctus, quam prona ad sese iactandum futura esset nostrae aetatis sanctimonia, quamque labilis & parum cauta: & quae libentius publicis inseritura foret aspectibus, quam secretis diuinae maiestatis obtutibus.

{26.4} Non sedi cum consilio uanitatis, & cum impiis non sedebo.

Hi sunt enim fructus illorum, qui diuinae misericordiae ac ueritatis persuasionem freti, nihil adeo in uita quaerunt, quam quomodo coelestibus monitis atque inspirationibus pareant. Felix sic reddit hunc uersum: Non sedi cum uiris uanitatis, & cum uersutis non ingrediar. Chaldaeus autem: Non sedi cum occultantibus se, ut noceant. Quam quidem lectionis uarietatem in unum collegit sensum hoc modo paraphrastes: Non habui familiaritatem cum hominibus uanis, neque cum subdolis consuetudinem habebam. Virtutes igitur hic uates, quod dicere inceperamus, connumerat, quas per Dei misericordiam fuerat assequutus. Et primum quidem sanctissima quadam iactatione, se non sedisse, hoc est, non diutius cum his qui facile ad nugamenta, intempestiuosque sermones, ac fabulas conueniunt, commoratum esse praedicat. Atqui non parui periculi esse cum subdolis ac gerronibus consuetudinem familiarem habere, ex eo liquet, quod non diutius cum ipsis conuersari, inter uirtutes connumerandum esse censeat uates. At quia impossibile ferme uidetur. non aliquando labe huiusmodi saltem afflari, si non corrumpi, cum passim, & iis, & horum similibus circumueniamur periculis, ac subdolis circunquaque sparsissimus obnoxii: uidetur hic uates non tantum dolosorum hominum, aut improborum societatem ab sese prorsus abiecissem fateri, quantum & doli, & improbitatis uitium ipsum: alioqui de hoc mundo exiuisse, ut ait Paulus, oportebat. Quae enim uitae conditio inter mortales cernitur, quae immunis omnino sit ab impurorum hominum contagione ac lepra? Utcunque intelligatur uersus, id sane uoluit uates, eum ipsum scilicet, qui inter puriores animos connumerari cupiat, ueluti de seipso loquens, admonere quam diligenter illi cauendum sit, ne facile cum dolosis hominibus, ac, ut alia habet littera ex hebraeo, cum tectis, hoc est, fucatis simulatoribus, & qui in corde & corde loquuntur, amicitiam ineant. Fugiendus igitur prorsus est bonis malorum hominum conuictus & consuetudo, ne illorum mores ac uitam probare uideantur: nihil tamen interim illis, si quid a nobis iuari possunt, negandum.

{26.5} Odiui ecclesiam malignantium, & cum impius non sedebo.

Odium enim, quo nobis mali stomacho sunt, in turpes eorum mores magis esse debet, quam in eos simpliciter malos. Caeterum, ut dixi, si re atque ope nostra indigent, noster haudquaquam illis subtrahendus est fauor. Tantum cum huiusmodi genere hominum, qui, ut reddit paraphrastes, nulla certa lege vivunt, consuetudinem non habeamus, eorumue conuenticula, ac prauos, ut uocat Esaias, coetus approbemus. In qua enim re alicui usui esse possunt, qui omnibus, quantum in se est, & nocent, & suis dolosis artibus imponunt? Nescio sane an ulla alia inter Christianos perniciosior esse queat labes ac morbus, quam actiones omnes suas mores, sermones, contractus, pollicitationes, innumeris commiscere fallaciis, fuco, simulatione, dissimulationeque ac dolo, & uitium ipsum animi acrimoniam ingenii appellare. Nec est quidem, quo se illo Pauli dicto pallient, profitentes sese omnia omnibus factos esse, cum ne uni quidem utiles sint, cum omnia ad proprium commodum atque ambitionem referant.

{26.6} Lavabo inter innocentes manus meas.

Vide quam in enarrandis divinis beneficiis non defatigetur vir sanctus. Felix: Lauabo in munditia: alius uero, In innocentia. Narrat hic uates, quomodo se bo-
[bonis]

{pdf 204, p. 94}

-nis coniunxerit, simulatque a malorum conuictu sese subtraxisse in superioribus fassus est. Lauabo, inquit, manus meas: hoc est, non inter improbos atque impios immundus ero, sed inter puros puris ero manibus. Non ero, inquam, in ecclesia malignantium, sed in ecclesia sanctorum: hoc est, cum innocentiae sectatoribus mea erit consuetudo, cum illisque manus meas lauabo, contestans me scelerum omnium immunem esse, neque unquam in concilio uanitatis, ac coetu simulatorum, in quorum manibus iniquitates sunt, aut fuisse, aut diutius commoratum esse. Mos enim fuit olim apud antiquos, manuum lotionem suam innocentiam testari coram multitudine: quo quidem actu uulgo perspecto, eandem esse animi puritatem, quam in manibus uidebant, opinabantur. Quam sane consuetudinem in Euangelio legimus a Pilato seruatam in Christi morte. Innocens sum, inquit, a sanguine iusti huius: uos uideritis. Sic Dauid in hac similitudine ab antiquis, ut dixi, de sumpta, ostendi uoluit suam adeo certam esse innocentiam, ut olim certa erat illa, quae religioso eo ritu ostendebatur. Illud uero non omittendum, per innocentiam hic manuum, interiorum munditiam intelligi, quae ex lotionem manuum, ex puris scilicet actionibus facile comprehendi potest. Manus enim, opera, atque omnem externam uitam significant, quam sane puram se praestaturum pollicetur, dum se manus abstersurum praedicat. Nec rursus affectu carere arbitror, quod in innocentia addidit, non contentus dixisse simpliciter lauabo: hoc enim additamento superstitiosos tangi uoluit Iudaeos, qui sibi admodum in crebra corporis lotionem placere soliti erant, quae tamen nihil omnino est, si sola sit. Alioqui uirum illum nunquam dixerim affectus animae interiores puros habere, qui in turpissimis uitae actionibus sibi uiuendum esse satius ducit, quam in purissimis illis actibus, qui semper candidi sunt atque synceri, licet corpus sordidum sit atque illotum.

{26.6} Et circundabo altare tuum Domine.

Vide quam non uerba Daud, licet sublimia, ac spiritu graui, a consueto inter homines more detorqueat. Ad ritum enim Iudaeorum, illorum maxime, qui maiori erga Deum ardore animi affecti erant, alludit. Hi quidem, quo suam integram erga Deum pietatem exprimerent, frequentiori hostiarum corona altare Domini circuire consueuerant. quem morem quoque in aliquibus Italiae locis etiamnum seruari cernimus. quam uero probe, iudicent ecclesiae dii. Vidi saepe equidem in quibusdam, maxime statis diebus, ad Sapim amnem mulieres praesertim genibus humi prouolutas, ter & quater caereis in manibus accensis circum altare ingenti spectantium deuotione perrepere. Aiebant enim eum morem in illa regione a patribus summa religione seruatum, quo cordis pietatem in Deum posteris testarentur. S [sic, Si] ad ara haec altior diuo uisa est Ambrosio, quam Christum esse autumat, in quo, & per quem, omnia nostra sacrificia offerri debent. [Note: Ambrose in Altar of Victory controversy with Symmachus.] Cuius quidem contemplationis is erit sensus: Equidem summo cordis feruore filium tuum. pater, amplectar, teneboque, ac illi, qui factus est nobis & ara, & uictima, idemque sacerdos, perpetuo adhaerebo. Vmbra porro huius illud fuit in Leuitico Mosis altare, super quod perpetuum ignem ardere solitum legimus: ad quod sane, ait uates, non ut olim ueniam, ut carnes, aut sanguinem immolem, sed

{26.7} Ut audiam vocem laudis, & enarrem uniuersa mirabilia tua.

Veniam, inquit, ad altare tuum: ipsum amplectar, ipsum tanquam locum tutissimum tenebo, non quidem ut aliquid tibi offeram, nam bonorum meorum non eges: sed ut auferam, ut accipiam, ut diter, ut tandem audiam edoceanque, quis sit uerus tui laudandi, tuaque mirabilia enarrandi modus. Qui quidem haud amplius in citharis, nablisque, tibiis, aut organis manufactis fieri debet, sed cordis affectu atque ardore. O si uoces aliquando audire contingat te laudantium, tibiique gratias agentium, pro restituta pace mundo, ac reuocata terris iustitia. Ad hoc enim sacrae aedificatae sunt aedes, & structa coenobia, ut Dei laudibus, diuinaeque legis studio liberius a uulgo semoti homines inseruiant: non ut ocium & quaestum,

{pdf 205, p. 94v}

tanta animi inquietudine, ut fit, sectentur. Non, inquam, ut circum altare Domini tenellae audiant adolescentium aures, philosophorum somnia legi, multo minus comoedias, aut fabulas: sed ut audiant, quo modo, quo ritu, quo animi ardore quaerendus sit Deus, idemque amandus, ac spretis mundanarum rerum lenociniis, prorsus, uti ara tutissima, tenendus. Non possum equidem interdum non excandescere, mihiq, ne de aliis dicam, non admodum irasci, cum uideo pueris in Christi scholam introductis, nihil minus quam Christum proponi. Ex quo fit, ut illi cuiusuis magis aut hominis, aut doctrinae efficiantur discipuli, quam Christi Quis unquam illud laudaret institutum, in quo quis picturam addiscens, faber euaderet ferrarius? Vnde, oro, tantum creuisse fastum & ambitionem putamus in Dei ecclesia, nisi ab adolescentium natura ad quaeuis procliuium eruditoribus ac magistris? qui cum superstitiosi sint, aut indocti, ea in primis alios edocent, quae ipsi ab aliis prius hauserunt, inscitiam scilicet,

ignorantiam, in Deique seruitio, & ignauiam, & uitam errorum plenissimam. Unde iam factum est, ut ab omnibus ferme illis, qui sublimiori aliqua dignitate & professione in ecclesia Dei eminent, quis sit uerus laudandi Deum modus, aut ignoretur omnino, aut cognitus uitae fastu obnubiletur. Caeterum de Dei mirabilibus nonnulla in psalmo nono a me sunt dicta. Felix uero hunc uersum aliter legit: Ut faciam, inquit, audire uocem laudis. qui suam hanc literam interpretatus, sic ait: Ut faciam audire in uoce confessionis, quae fecisti: non quae ego, peccata scilicet, quorum foedo odore infectus frater, uice laudis, blasphemias congerit.

{26.8} Domine dilexi decorem domus tuae, & locum habitationis gloriae tuae.

Ardens antitheton. Cum iniqua gerentibus, ait, non introibo, neque cum impiis sedebo: sed potius mundis manibus, cordeque candido ac syncero, circumdabo altare tuum Domine, ubi tu uere inuocaris, tuumque sanctum nomen celebratur, grataeue sunt tibi preces ac uota. Ecclesia sanctorum haec est, ubi tuus est decor ac gloria: talia enim dilexi. Ecclesiam uero malignantium, in qua foeda sunt omnia atque indecora, odiui. Porro decorem huiusmodi ac gloriam, qua sanctum Dei nomen extollitur, non tam in sacris ritibus, alioqui Deo gratis, inesse arbitror, quam in uita illa, quae unde quaque ad iustitiae normam informata, exemplum est caeteris, ac calcar, ueri cognoscendi, cognitumque amandi, ac studio omni peruestigandi. Decor igitur iste spiritualis est, & gloria, in spirituque cernitur, haud secus. Siquidem in terris nullum esse locum tam aptum ad decorandum Dei cultum censeo, quam cor est atque animus, in cuius ueluti meditullio fundata est sedes fidei, cognitionis atque amoris: quae sane omnia decor ille sunt, ac locus habitationis gloriae Dei: seu, ut legit Felix, habitaculum refugii, quod uates se dilexisse fatetur: cum interim non desint qui in templis decorem, nescio quem, pluris faciunt, quam qui a castis mentibus probari queat. Et quemadmodum eiusmodi decor inuisibilis est, ita & altare, in quo & spiritu & ueritate, rebus scilicet inuisibilibus, diuinus perornatur cultus decentius, quam corporeis, idcirco uisibilibus, peristromatis, conchyliatisque tapetis. In cordis enim recessibus, uti in proprio templo inhabitat Deus: quare illic eius decor est, illic maiestas, illic gloria, illic numen & omne bonum. Ille uero qui in templis exornandis impenditur labor, nihil aliud est, quam quoddam testimonium munditiae cordium, illorum maxime qui sacrarum aedium inseruiunt obsequiis. Alioqui a pollutis parietibus aureas pendere laminas, aut cortinas, superfluous cultus est. Templi igitur spiritualis gloriam ac decorem, hoc est, sanctarum animarum puritatem & candorem, diligit uir probus: nec potest non odisse illud, quo uerum Dei templum dedecoratur. A corde enim tanquam ab uniuersali rerum omnium officina, quemadmodum sanctae prodeunt cogitationes, syncerique affectus, atque altae diuinarum rerum contemplationes: ita prauae quoque erumpunt cupiditates, homicidia, adulteria, rapinae, furta, amor proprius, atque odium Dei: ne res illas, quibus aut commaculatur animus, aut emundatur, te ignorare dicas.

{26.9} Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum uiris sanguinum vitam meam.

{pdf 206, p. 95}

Licet enim uates diuino suam subiecerit innocentiam iudicio ac censurae, tamen quia nouerat etiam, quod non iustificatur in conspectu Dei omnis uiuens, clamat ac quanto potest animi affectu uociferatur, & petit se eadem cum impiis ac sanguinariis poena minime conuolui debere. Atqui hercule, quod aiunt, opus est, primum ne eorum uitam imitemur, postquam multi adeo hi sunt, quibus cum, uelimus nolimus, consuetudinem saltem temporariam habere cogimur: deinde, ne turpi eorum uita contaminati, cum ipsis flamma eadem peruramur. Clamandum igitur est, totoque animo uociferandum, ne nos cum reprobis una absumat Deus ac perimat. Caeterum hic sanguinum uiros appellat uates illos, qui caedibus dediti sunt: crudeles nimirum, & qui modis omnibus e medio eos tollere conquirunt, quos turpissimis suis consiliis obsistere suspicantur.

{26.10} In quorum manibus iniquitates sunt.

Ne enim in dictione, manibus, haesites, sic reddit Paraphrastes: Quorum opera sunt studio scelerata. Et sic illos, quos supra impios & sanguinarios appellauit, breuibus exprimit, eorum uidelicet actiones sceleratas ac nefarias taxans: qui sane non casu aut stupiditate animi, mali sunt, sed sponte, data opera, atque ex animo. Horum profecto operationes semper ab aequitate semotae sunt, nec possunt non semper male agere, cum semper mali sint, consultoue peccent. Quod si tamen recti aliquid interdum agere uideantur, ut in sacris ecclesiae ritibus saepe accidit, ad quos sane ab omnibus tam bonis, quam malis indifferenter concurritur, id aut ex more, aut ut appareant, non ut sint boni, faciunt. Caeterum illorum animus interim cum sacra peraguntur, odia, rapinas, adulteria, usuras, caedesque, & quomodo suas turpissimas expleat cupiditates, molitur. Verum ut nihil eorum improbitatis cumulo desit,

{26.10} Dexteram eorum repleta est muneribus.

Muneribus, inquam, ut reddit Chaldeus, sordidis hoc est, iustitia uendita, calcatisque legibus & aequitate. Quoties enim uidi ego, ac quotidie uideo, a rostris, a tribunalibus, a consiliis, a Rotis quoque & iustitiae ministris, iustitiam ipsam una cum innocentia laceram egredi? quid egredi aio? expelli potius ac deturbari ui munerum, quorum importunitate illecti nonnulli, nihil magis in suis illis sententiis & diffinitionibus quaerere uidentur, quam ut is causam uincat, qui plus munerum congerit. Ignorant caeci, quod beatum illum appellat spiritus, qui excutit manus suas ab omni munere. Illi sic,

{26.11} Ego autem in innocentia mea ingressus sum,

Suae innocentiae professionem repetit uates, profectam nimirum a corde puro, atque ab omni uana ostentatione libero, gratoque diuinorum beneficiorum ac munerum. Ait igitur: Illi, ut lubet, suas expleant cupiditates: ego uero, ut hucusque egi, in mea simplicitate a mundo derisa persistam. Tu tantum

{26.11} Redime me, & miserere mei.

Paraphrastes: Libera me a malo, & clementer tracta me. Semel enim, inquit, me per tuam misericordiam ab hostium feritate ereptum, adeo in futurum muni ac tege, ne

rursus in insaturabilem eorum ingluuiem incidam. Tantum enim abest, ut horum mores approbem, ut etiam & detester, & magis quam ipsam pleuresim execrer

{26.12} Pes meus stetit in directo, in ecclesiis benedicam te Domine.

Vide iterum grati animi argumentum. quasi dicat: A tua redemptione, & misericordia prouenit, quod pes meus stetit in directo. hoc est, totius uitae meae curriculum stabile in uia iustitiae, atque inconcussum perseueret, licet passim a scandalis undequaque occursantibus impediatur, idcirco nutet. Miraculo iam simile uidetur si a recto perfectionis cursu non retardentur simpliciores, simulatque ab in sublimiori gradu collocatis, tot foeda exempla libidinum, cupiditatum, odii & ambitionis ebullire conspiciunt. Quare maximi beneficii loco, uates hic pedem suum in recta mansisse enarrat, ne paruam gratiam obtinuisse illum ducas, qui a tot im-

{pdf 207, p. 95v}

-pulsoribus impactus, immobilis manserit. Proinde tam amplo benefico accepto, more suo Propheta psalmum cum gratiarum actione claudit, fateturque se palam frequenti populo Dei beneficia praedicaturum. & est perinde atque dicat: In ecclesia non malignantium, quam odiui: sed in frequenti iustorum corona ac coetu, hanc meam innocentiam abs te mihi datam, in te refundam, tibi que acceptam referam. Iam uideat, inquit, interpretes hebraeus, quisque nostris in coetibus quid agat, quam Dei nomen celebret, ut cum suam, tum aliorum fidem instauret. Verbis enim sine mente effusis, & caeremoniis solius aut stipis, aut publici moris, uel denique sui ipsius commodi promouendi gratia adhibitis, Deus irridetur, non laudatur. haec ille. Diuus uero Augustinus: Qui sic, inquit, laudat eum, magis uituperat, quam laudat.

PSALMUM DAVID XXVII

Licet aliquibus uisum sit psalmi huius titulum esse, Psalmus Dauid antequam liniretur: tamen in translatione Hieronymi, atque adeo in caeteris codicibus hebraeis cum nullo praenotetur titulo, sed absolute sit, psalmus Dauid: operaeprecium erit, opinioniones magis, quam certam quorundam scientiam praeterire, atque illa cum hic, tum alias caeteris in hisce diuinis odis, quae aut parum, aut nihil ad earum intelligentiam faciunt omittere omnino, quam superflua nectendo mihi iacturam temporis, caeteris autem, si quis unquam hunc meum laborem legere uoluerit, fastidium parere. Quicquid opinentur alii, mihi in hoc psalmo uidetur uates nobis qui credidimus canere (modo ne surdis canat) quomodo in discrimine aliquo deprehensi, nostram nos fidem animare, ac spem bonam sumere debeamus. Sed quid aio uatem? aut quid mortalem regem, mortalibus in exemplum proponi credam? Amantissimus enim nostri Deus caro factus, hic est qui loquitur, & qui sese nobis, pro nobis maledictum factus, exemplum certissimum, tum uirtutum omnium, tum fidei maxime in aduersis exhibet, & ait:

{27.1} Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo?

Vides ne in Christo uerum hominem secum periculi magnitudinem in quo uersatur, reputantem, sed spe fultum in Deo, in quem se totum proiicit, contemnentemque quicquid id est, ac securam sibi salutem a patre pollicentem? Ille, ait, qui mihi in praeteritis, & his difficillimis rebus adfuit, & qui me toties in obscurissima aerumnarum nocte prouolutum, in gratissimam consolationis lucem euexit, salutemue attulit, is & modo mihi aderit. Quem igitur timebo? quem expauescam? quas acies? quos gladios? quae uulnera, aut cruciatus uerebor, cum Dominus sit mihi in nocte lum [sic, lumen, 1585]?, in periculis salus, in morte uita? Quando enim recordor quantum mihi iam roboris attulit, sperare rursus audeo fore quod etiam posthac idem mihi erit, lux scilicet, salus ac uita. Non certe ipsas quoque inferorum tenebras, tetramque peccatorum caliginem pertimescam, eius sanctissimo lumine perlustratus, a cuius radiis uniuersus hostium meorum coetus, ueluti a tormento aeneo disiectus, propelli solet. Simile huic ferme a Michaea dictum recolo. Cum sederò, inquit, in tenebris, Dominus lux mea est. Haec lux sane diuina ea uis est, qua homo naturali luce in uitae exordio, gratuitisue intellectus radiis illustratur: cui & postea aliud, ne in erroribus, quos secum uita ipsa afferre solat, uoluetur, additum est, fidei scilicet lumen, per Christum in nobis accensum. Alioqui primogenia illa, in luce rationis atque intellectus uelle, absque Christo, confidere, idem esset, quod extincto caereo sinuosum aliquem labyrinthum ingredi. Non enim sufficit caereum aut lampadem gestare manibus, nisi admoto accendatur igne. Quid igitur huiusmodi lucis beneficio adiutum obnubilare poterit? Cupiditas ne rerum humanarum? ambitio? ira? furor? caro? mundus? mors ipsa? Nihil quidem minus. Quis, ait apostolus, accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat? Quis est qui condemnat? Christus Iesus, qui mortuus est, imo qui resurrexit, & qui est ad dexteram Dei, qui & interpellat pro nobis? Igitur Deo lumen praebente, cedunt errores, atque ab interioribus oculis, ignorantiae cadunt squamae.

{pdf 208, p. 96}

{27.2} Dum appropriant super me nocentes, ut edant carnes meas.

Periculi magnitudinem, per esum carniū enarrans, hostium truculentiam exprimit. & est sensus: Vicinus est hostium exercitus, qui tanquam leones atrocissimi rugientes, saluti meae, carnem ueluti deuoraturi meam, inhiant. Atqui nihil aliud praetendit hic, ut edant carnes meas, quam ut reddat Paraphrastes, quo me funditus tollant. Verum in medio ipso persecutionum conatu desiere, ac mei prorsus inferiores facti corruere. Licet enim, ut alias admonuimus, istuc dicendi genus uati admodum familiare, quo acies ueluti quasdam hominum inter sese concertantium, debilioresque succumbentes faciat, in mortalem hunc usum nostrum conserendi manus cum hostibus transferri queat: uerius tamen, ac spiritui conuenientius erit, si ad animum haec omnia referamus. Quantum enim scelerati homines bonorum tranquillitatem interturbent, atque eorum paci officiant, hi norunt, qui in uita nihil tam cupiunt ac quaerunt, quam ut spretis omnibus humanarum rerum turbis, Deo sese per animi puritatem uniant. Verum atrocior ea uidetur molestia & pugna, qua cum uitiis & cupiditatibus, hostibus scilicet inexorabilibus, conflictatur. Proinde felicissimum illum esse uirum iudico, quem etsi saepe, quae est humana conditio, hostilibus iniuriis cedere uideo & corpore, & membris: animo tamen contra arma nequitiae in coelestibus infracto perseuerans, artus quidem, aut famam, aut nomen, a nefandorum hominum faucibus pene consumpta fert secum:

spiritum uero uictorem ac triumphantem, non iam secum in terris, sed cum Deo in coelis conuersantem, spe ac fiducia enutrit. Quare ex illiusmodi triumphis memoria animatus, ad futurum certamen, quod non nisi cum uita desinit, accingitur, spe ea fultus, quam in illo habet, quem sibi lumen, robur, ac salutem in bello semper extitisse expertus est, & clamat:

{27.3} Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.

Rursus ad castra inuisibilique hostium cor reuoca, ne dum solummodo aut Turcas, aut Indos te uicturum speres, animum in acie periclitantem non aduertas. Nullam enim eam esse uictoriam arbitror, si corporeis debellatis hostibus ab incorporeis uincaris, nempe ambitione, ira, libidine, atque habendi cupiditate. Praeterea quemadmodum castra hic daemonum sunt: ita alias in scripturis, beatorum spirituum esse inueniuntur, ut illud in primis in Genesis libro est uidere: Fuerunt Iacob obuiam angeli Dei, quos cum uidisset, dixit: Castra Dei sunt haec. Quibus quidem Iacob, id est, uitiorum supplantatorem circumuallantibus, quousque illa altera cupiditatum castra pertimescenda sunt? Multa sunt sane illa: sed multa etiam nimis, ut ait uates ille, sunt castra Domini: haec quidem fortia, illa uero debilia, parumque in Deo sperantibus extimescenda. Habet etiam & spiritus sua castra in cordis theatro, habet sua tela, suas acies, suasque testudines atque arietes: quae sane omnia spirituali tantummodo uiro sunt nota.

{27.3} Si exurgat aduersum me praelium, in hoc ego sperabo.

Equidem nescio an tela acutiora in hostes intorqueri possint, quam ea quae hic memorat uates, nempe spem ac fiduciam in Deo. Alioqui in infideles, pauperum ciuium, atque sacrarum aedium, & aere, & sanguine comparatas classes, impietate scilicet instructas, & ecclesiarum contemptu armatas, e portu soluere, summae dementiae est, ac parum considerati periculi. Vide, oro, quam secus sese ad pugnam exacuat uir sanctus. Si committendum, inquit, inter nos erit, atque inuicem confligendum, in ipso ardore pugnae firmissime credam auxilium mihi haudquaquam coelitus defuturum. Idem ferme olim sibi imprecatus est Iob, dicens: Pone me Domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Alii putant, in hoc, id est, in eo quod factus est Dominus illuminatio mea & salus mea, intelligi oportere. Alii uero in eo quod sequitur, uidelicet, unam petii a Domino. quasi dicat, daturus est quod petiui. Quid igitur timendum? Alis etiam uisa est hic esse reticentia illa, quae in corde fidei affectu accenso accidere est solita. Volunt enim hi tunc uatem recordatum esse pollicitationis illius, qua sibi coelitus est dictum: Requiem tibi dabo ab

{pdf 209, p. 96v}

omnibus inimicis tuis, & fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in sempiternum ante faciem meam & thronus tuus erit firmus. Quae quidem omnia de Christo aptius intelligi debent, quam de ipso Dauide: cuius regnum nec firmum, nec aeternum dici debet, nisi quatenus in Christum desiit, qui aeternus est atque aeternorum bonorum erogator. Sperandum igitur semper est in Domino, siue corporea, siue incorporea sint castra ac praelia, quae in nos, ut clamat uates, insurgunt. Utcunque enim saeuiant,

{27.4} Vnam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.

Felix petitio, & quae a sanctissimis tantummodo uiris, quibus cum mundo foedus nullum est initum, fieri debeat. Vnam, ait, petitionem Deum rogavi, quam & indesinenter orare perseuerabo: liberam scilicet in domo Domini ab omni solitudine uitam. Id petam, & non cessabo, donec exorem. Hoc unum enim mihi necessarium esse in domo Domini arbitror, curis scilicet uacuum uiuere uitam, cum interim ali, ut lubet, negociosam & ament, & quaerant. Mirum quam deplorandus in Dei domo ac templis, mos inoleuit: quod sancto omissio ocio, rebusque animi tranquillioribus contemptis, plerique curas superuacuas sibi accumulunt. Inescati enim semel miseri ambitionis hamo, nihil non agunt negotiorum, quo tandem illuc perueniant, ubi perpetua anxietate plenam uitam traducentes, plus in negotio sint, quam cum est negotium, ut aiunt, in negotio. Verum quaesiti huiusmodi studio ac cura honores, non honores quidem, sed merae curae, profanaque negocia appellari debent, ut sunt, parum tamen iustissima Dei ultione a nonnullis animaduersa: cum nihil aliud sit in domo Dei habitare, quam cordis pacem ac tranquillitatem adeo amare & amplecti, quod dignum sit, in quo Dei maiestas inhabitare non horreat. Et quemadmodum ubi uita est curis lacera, sed sponte susceptis, malisque artibus quaesitis, ac undequaque coemptis, ibi coetus inquietos esse non ambigo. Ita cor illud, in quo pacis amor, & tranquillitatis altissimarum contemplationum formatricis sedem habet, diuinum numen habitare, ueluti templum suum proprium & credo, & quod sine lachrymis dicere nequeo, olim expertus sum. Sensi tandem post curas illas infinitas unum id esse necessarium, in Dei scilicet domo perpetuo manere: quod nihil aliud esse intelligo, quam iustitiae ac ueritatis aedes, pacis insuper & quietis conscientiae, quae est uita animae ac beatitudo, frequentare. Alta enim templorum tecta ac parietes sexcentis sacrarum unctionum tectoriis illiti, sanctimoniam illam haudquaquam inducunt, quae diuinam praesentiam facile illectet, si sanctis moribus, quae est uera templorum sanctitas, careant. Sed quo tandem fine aeterna mihi expetenda est in Dei domo mansio?

{27.4} Ut videam voluntatem Domini, & visitem templum eius.

Nullus codex, quod sciam, neque graecus, neque hebraeus, uoluntatem habet: sed aut pulchritudinem, ut diuus reddit Hieronymus, aut delectationem, & uoluptatem, aut iucunditatem, ut alii. Vicinitas enim uoluptatis ad uoluntatem, errorem hunc fecit apud Latinos. Et licet nobis ubique peruestiganda sit, ne in tenebris ambulemus, Dei uoluntas: tamen hic tractandi de Dei uoluntate suus non est locus, sed de eius iucundissima uoluptate, qua anima in conscientiae requie, hoc est, in Dei domo familiariter conuersans afficitur. Illud totum, ait, meum est desiderium, ut per fidei speculum diuinam eius sentiam uoluptatem, quod est gaudium in spiritu sancto, de peccato remisso, ac uita aeterna gratis concessa. Vide, oro, an secus in mulieris peccatricis salute apud Lucam sit actum. Ea enim simulatque suam in Dei domo per lachrymas & unguentum testata est mansionem illam summae laetitiae & iucunditatis uocem audiuit: Mulier, inquit, remittuntur tibi peccata tua. Quae, obsecro, iucundior animae uox esse potest? Quod nuncium tam delectabile, quam ut mihi coelitus dicatur? Tu qui hactenus mulier fuisti, mollis scilicet, sensibusque inseruiens, atque ad ea omnia, quae uiri sunt, inconstans, ac tui dissimilis, iam uir esto: uade in pace: hoc est,

superfluis relictis curis, quibus necessario haeret peccatum, in animi pace & quiete, uitae quod superest transige. Itaque illud

{pdf 210, p. 97}

idem est, quod hic uates sibi promittit, ut uideat scilicet diuinam iucunditatem, ac eius quasi antea derelictum reuisat templum, quanquam non me latet, scrutari uerbum, pro uisitare positum Hebraeis: quod quidem sic uertit paraphrastes: Ut possim, inquit, scrutari quam sint in regia illius uaria & admiratione dignissima. Quare alio in loco clamat propheta: Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est anima mea. Alius rursus interpres sic reddit: Ut perscruter in templo eius. ut uel hinc, si non aliunde, addiscere possimus quam ob rem tot ampla aedificata sint templa ac coenobia, nempe ut Dei opera ac iudicia iugi consideratione contemplantes, fidem solidam in Deum una cum ecclesiarum aedificiis erigamus. Alioqui ubi res profanas, negociaue terrena, atque id genus alia, quae in immensum aggregant curas, tractari uideris, ibi mundum merum esse calculis omnibus affirmato. Idcirco igitur nobis perpetua domus Dei exoptanda est mansio, ut Domini tum uoluntatem, tum uoluptatem uidentes, in rerum diuinarum peruestigatione, non in accumulandis agris agro, ut detestatur Deus in Esaia, aut in aucupandis haereditatibus, nostros conteramus annos. Sed iam quae utilitas ex perenni in Dei aedibus habitatione oriatur, est uidendum.

{27.5} Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum, protexit me in abscondito tabernaculi sui.

Eutymius hic uocat tabernaculum, Dei protectionem, qua usus est uates in suis periculis, tanquam refugii sede, ac tabernaculo, sub cuius fauore frequentissime latuit. Et est, ni fallor, similitudo a more desumpta illo, quo utimur in eo protegendo, qui ab inimicis actus apud nos diuertit: & quem in secretioribus aedium locis occultantes, tutum, &, ut sic dicam, inspectabilem hostibus facimus. Quare sic reddit paraphrastes: Occultaret me in penetralibus domus suae. Felix uero: Occultabit me in secreto tentorii sui. Nec quidem aliud hic sibi uelle uatem iudico, quam eum, cui Deus iam factus est & illuminatio, & salus, locum sibi tutissimum apud coelestem patrem conciliasse, eo maxime tempore, quo magis tentationum procella incrudescit: quod quidem tempus hic Dauid diem malorum appellat. Verum non hoc solum, sed

{27.6} In petra exaltauit me.

Vide quam non ab incepta metaphora actutum declinat uates. Solent enim hi, qui in maximo aliquo periculo constituti, periclitanti uitae latibulo aliquo secretiori consulere quaerunt, rupem undique praeruptam, atque propterea ui omni humanae inaccessam petere, in eiusque scissuris delitescere. Atqui ut maxime illi qui in intimis aedium uisceribus latitant, aut rupium fixuris oculuntur, possint hostium aut ui, aut astu detegi: at is qui in Christo, qui petra dicitur, libenter commoratur, tutior est, quam quod a dolis hostium circumueniri queat, atque a tam grato sinu, ut est ecclesiae, possit extrahi. Hanc enim petram alio in psalmo uocat refugium herinaceis propheta, illis sane qui innumeris peccatorum sentibus obsiti, quoquo se uertunt, omnibus sunt infensi ac

nocui: quos tamen Dominus suo non dedignatur tutari patrocinio, modo uelint, ac trahenti gratiae non reluctantur.

{27.6} Et nunc exaltauit caput meum super inimicos meos.

Exaggerationes hae sunt ardentis animi summopere de Deo praesumentis. Quid, inquit, tentorii secretioris, aut petrae inaccessae similitudine meam enarro securitatem? Non solum enim Deo tutore ab hostium dolis securus uiuam, uerumetiam illis ero superior, & uictor. Nam Deus caput meum extulit super illos, qui modo me undequaque ueluti canes uenatici circumuallantes, inter fauces habere opinabantur. Hebraei enim, quod nos sequentis uersus initio legimus, Circuiui: huic hemistichio subnectunt, hoc modo: Exaltabit caput meum super inimicos meos, qui in circuitu mei. Unde paraphrastes: Scio superatum me eius beneficio inimicos meos uniuersos, quamuis undique oppugner ab illis. Quam uero periculose nostra quaquauersus ab aduersariis expugnetur salus, satis abunde in superioribus est dictum.

{27.6} Circuiui & immolauit hostiam uociferationis: cantabo & psalmum dicam Domino.

{pdf 211, p. 97v}

Suo more uates animi gratitudinem post accepta beneficia pollicetur. Non te terreat, ut saepe admonuimus, mutatio temporis. Hebraei tamen cuncta haec per suturum legunt. Testatur igitur hic uir sanctus, se hostias Deo dignas immolaturum, laudes nimirum, ac cantiones diuino numini idoneas: & id quidem in eius tabernaculo, de quo pauloante, abscondit me, inquit, in abscondito tabernaculi sui: in quo haud amplius, aut hoedi, aut agni, ut olim, immolantur, sed laudum gratiarumque actiones celebrantur. Quas quidem sese oblaturum Osaeas quoque promisit, dicens: Omnem aufer iniquitatem, & reddemus uitulos labiorum nostrorum. Atqui non audiendi sunt illi, uiri quidem, si Deo placet, plusquam spirituales, qui contenti quibusdam suis, nescio quibus, sine mente speculationibus, pro summa perfectione habent, ne semel quidem os ad diuinas laudes aperire: quin potius illos, qui eum in templis morem obseruant, stomachantur, illisque detrahunt. Hi nempe admonendi sunt, ut prius animi tumorem dediscant, quam antiquissimam ecclesiae consuetudinem adlatrent ac lacerent. Quod licet uerum Dei templum & tabernaculum, cor hominis ab omni impietate defaecatatum esse sit dictum, in quo uerae, Deoque dignae canantur laudes: non negandum tamen est, loca sacra ac fana, in terris diuino cultui apta, & quodammodo necessaria, atque propterea a sanctissimis uiris libenter frequentata ac culta. Quae uero sint in templis & choris amputanda, non est praesentis instituti edocere, multo minus hominis obscuri, atque incogniti. Clamat igitur uice nostri spiritus, postquam ad diuina tam stupidi sumus: Te o Domine laudabimus, tibi uictoriam, tibi nostrum de hostibus triumphum ouantes referemus acceptum, tuaeque pietati ac clementiae adscribemus: tuam insuper, uel mordicus, aram tenebimus, circuibimus, amplexabimurque, ac super illam, quae ueram spirant religionem, iugulabimus uictimas, animas scilicet nostras, affectus, uota, desideria, flagrantissimis studiis offeremus, nedum oris laudes concinemus, ac uictoriae praeconia celebrabimus. Non deerunt quidem super altare huiusmodi tuum candelabra aurea, non argentea, non gemmea, non thuribulum, non incensum, non thymiama, non

sexcenta alia huius generis odoramenta, modo tu faueas, nosque cum tuam opem implorabimus, ex audias, ut semper exaudisti. Sed & modo

{27.7} Exaudi Domine vocem meam qua clamaui ad te, miserere mei, & exaudi me.

Illud in primis, quod pene omiseram, non praetereundum, quod nos in superiori uersu legimus hostiam uociferationis, Hebraeis esse sacrificia clangoris: uel ut uertit Felix, iubilationis. Allusit enim uates ad antiquum sacrificandi morem apud Iudaeos: in quo, ut in Numerorum libro legimus, buccinis ac tubis clangere ex lege iuebantur. Cui praeterea a rege addita sunt & nabla, & cymbala, & cytharae, atque huius generis alia. Rursus Daud in hoc uersu ad illud unum quod rogauerat dicens Vnam petii a Domino, redit, ac precatur hoc fere modo: O domine, audi, te obsecro, uocem meam, misericorditerque tracta me, ac meis responde uotis.

{27.8} Tibi dixit cor meum: exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.

Ambiguus admodum is est uersus, idcirco ambigue enarratur. Felix sic: dixit cor meum, requirite faciem meam, faciem tuam Domine requiram. Quorum uerborum is erit sensus: Cor meum cogitat tibi, hoc est, in persona tui, quid nobis iubeas. & respondes, Requirite faciem meam quocirca abs te edoctus faciem tuam requiram. Diuus uero Hieronymus, & Chaldaeus, idem quod noster interpret legunt, omisso, te, quod in hebraeo non habetur, hoc modo: Tibi dixit cor meum: exquisiuit facies mea faciem tuam, & requiram. quasi id sentiat uir sanctus: anima mea, quae est ad imaginem & similitudinem tuam formata, petit ut faciem tuam, quae est eius ueritas, ac bonorum omnium cognitio atque exemplar, exquirat. Id sane uult, id petit, id exquirat, propterea illam continuo requiram. Porro facies Dei, illius est notio, patensque uisio: quae & eius uultus dicitur plane reiectus, ac beatissimis solummodo animis a corpore separatis apertus. Cuius quidem contemplationem, quoad eius copulata est anima corpori, requirere utcunque potest:

{pdf 212, p. 98}

perfecte uero tenere, quemadmodum illi, haudquaquam. Si inueni, inquit Moses, gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te. Sed quia, ut dixi, superbeatissima Dei facies ac uisio, in qua summa totius tranquillitatis animae est posita, corporeis aspectibus negatur, idcirco a Deo dictum est Mosi: Faciem meam uidere non poteris: non enim uidebit me homo, & uiuet. Sed num, quia uideri nequit, nec requiri propterea a nobis debet? Debet sane studio omni ac diligentia inquiri. Alioqui res est, quae non nisi summo sudore & conatu apprehenditur. Animos enim purissimos, atque in exercitio uirtutum plane attritos, purissimus ille uultus, non turpes, non ocio languidos, non cupiditatum flamma exustos, non in libidinum coeno sordidos postulat. Quaesiui igitur faciem tuam, ait: quaeramque in futurum, ut possim de fide in fidem, a gloria in gloriam, quae est facies tua, transire: & haec omnia in facie & illuminatione uultus tui. O miserrimam mortalium conditionem, postquam coelestis

illius uultus tenuem uix per transennam nobis contingit diuinatio magis, quam uisio, absque uelo & umbra.

{27.9} Ne auertas igitur faciem tuam a me.

Ut possim eam iam tandem tot superatis huius mundi aerumnis uidere. Ne tuos, quaeso, felicissimos illos radios a me subtrahas, o sol iustitiae, o fax, o lampas totius bonitatis ac uerae notionis. Ne, oro, uultum illum tuum desiderabilem, in quo natura quoque ipsa uniuersi delectatur, ab eoque formas omnes, atque idaeas, uti ab aeterno exemplari ac rerum omnium exordio sumit, tanquam iratus a me abscondas, auertasque. Quod si (malum) non ualemus in hoc corruptibili corpore reuelata facie transire de claritate in claritatem tanquam a Domini spiritu, saltem non desit amor, continuumque in nobis te videndi desiderium. Quod ut fiat, interim

{27.9} Ne declines in ira a seruo tuo.

Ne, rogo, indignabundus secedas a me, neue iratus a contemptibili hoc seruo tuo, quem hactenus tua sanctissima protectione refocillasti, serenissimum tuum aspectum deflectas. Quod si mihi deinceps peccare contigerit (malo tamen millies, si fieri posset, emori, quam semel te peccando offendere) paterne, misericorditerque castiga me: ac quando res meae potissimum in periculo erunt, consuetam fer opem, & me tuo iucundissimo conspectu recrea. Quid dicam amplius?

{27.9} Adiutor meus esto Deus, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

Et sufficit mihi. Te enim opitulante, uota mea omnia mihi prospere succedent: hostesque mei omnes fugient a facie arcus, ac infirmabuntur, & peribunt a facie tua. Quis porro nos accusare audebit? quis condemnare, si tu seruare decreueris? Non silendum quod Felix legit hunc uersum per praeteritum, hoc modo: Auxilium meum fuisti, ne ergo nunc deseras. Ardent enim in his mirabiliter affectus tum uatis, tum nostri, ut in sequentibus uidere est.

{27.10} Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.

Hic uates uidetur, quod non dixit, augere: ut sit sensus: Hactenus mihi non de fuisti Domine: uel tum cum parentes mei, atque adeo omnes mei domestici, & familiares deseruissent, tu me collegeris, ideo ne nunc, quaeso, negligas. Summa uero: Ab omnibus contemptum ac desertum, tu saltem suscipe, & mei curam habe. Certe, si res exactius indagetur, homo se iam primum a parentibus destitutum fatebitur, cum illi nimium male suasi a daemone, eo imbecillitatis atque ignorantiae posteros adegerunt, ut merito se ui omni ac robore animi denudatos conqueri possent, ni Dei filius in carnem ueniens, factusque & peccatum, & maledictum pro nobis, mihimet meipsum restituisset: hoc est, me languidum sanasset, atque in tenebris prouolutum. Quid tenebras aio? in sepulchro aeternae mortis plane extinctum, ac exanguem, in pristinam integrasset formam, & uita uera animasset. Verum ne tam gratuita assumptionis, tamue promptae benignitatis

ingratus fiam, atque iterum, ut saepe lapsus sum, a recta cupiditatibus impulsus deturber,

{27.11} Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Iam aliis diximus, legem ponere, statuereque, idem esse quod legem docere, qua-
[quare]

{pdf 213, p. 98v}

-re Aquila uertit, legem doce. Idem Felix. Nec quidem superuacuas illas quorundam indagaciones admodum existimandas esse duco, qui ingenii potius impetu acti, quam spiritus sancti ardore accensi, quaerere solent quid sibi hic iterum petit uir sanctus ostendi legem illam, qua ad iustitiae semitam peruenitur? Nonne, inquit, & a natura primum, seu potius a naturae Deo, a Mose postea, a Christo tandem duarum illarum legum instauratori, data est lex? Nonne adeo aperte cunctis iam lex uitae innotuit, ut ne a pueris quidem ipsis semestribus ignorari queat? Verum in ingenuis animi exercitiis ac studiis enutriti non ignorant quam necessaria sit continua diuinae instructionis renouatio in homine natura stupido, inertis, atque in diuinis tardo, & hebetis: neque tantam rubiginem, aut scobem, lima diuinae legis ualet eradere, quantam denuo mortalium intellectui affert uel obliuio, uel ignauia. Quod quidem animi uitium cum non lateat hominem iustum, nihil idcirco tantum in periculoso hoc uitae curriculo metuit, quantum a iustitiae itinere de labi. Quocirca continuis suspiriis ad Dominum clamat, dicens: Legem pone mihi Domine in uia tua, non in mea, quae in praecipitium ducit: ac dirige me in semitam iustitiae propter inimicos meos. Felix: Propter insidiatores meos. Quot enim sunt daemones, quot cupiditates, quot peruersi homines, tot sunt nobis insidiantes, gressusque nostros captantes, quo nos a uia iustitiae semoueant. Prorsus enim plumbei sunt, qui non uident quantum incommodi apportent Dei ecclesiae captatores istiusmodi. Non equidem tantum hic in haereticos inuehor, quantum in turpissimos quorundam mores, qui eo nocentiores sunt, quo ab ipsis tanquam ab excellentissimis formis omnis ad tranquille beateque uiuendum norma sumi conuenit. Quare, ut cum eruditis Campensii uerbis orem, ostende mihi Domine uiam qua itur ad te, & porrecta manu duc me per semitam rectam, ne hostes mei, ne sensus, ne caro, ne mundus, ne immorigeri homines uiam mihi intercipient.

{27.12} Ne (inquam) tradas me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui & mentita est iniquitas sibi.

Haec ultima particula secus est Hebraeis. legunt enim: Et loquens uiolentiam: seu, ut uertit Felix: Loquens iniquitatem. & est singulare pro plurali, res admodum familiaris Hebraeis. Orat hic uates sese ab indignitate hostium consolans, ne se Deus illorum animo & cupiditati permittat. Dictio enim hebraea, quam Latinus interpres reddidit animam, pro desiderio nonnunquam, & cupiditate accipi solet. Male porro res sese nostrae haberent, si aut malorum hominum perfidiae, aut daemonum saeuities continuo pateremus, ut aliquando patuimus. Vtrunque enim periculosum, propterea pertimescendum. Quare non ab re sapientissimus magister suos admonuit, petendum

esse a patre coelesti, ne nos induceret in tentationem: hoc est, ne suos uellet adeo acerbè uexari a tentatione, ut in destinatum finem tentatoris, quod peccatum est, unde mors aeterna prouenit, corruerent. quanquam nec illa quidem, aut tentatio, aut tribulatio, aut contumelia, ex qua laus oriri queat, detrectanda est, aut metuenda, cum laus, & ea summa sit, uituperari a uituperato uiro. Caeterum cum non desint continuo, passimque testes iniqui: seu, ut legunt Hebraei, testes falsitatis, ut hi fuerunt, qui innocentissimum Dei filium tam impudenter coram iudice accusarunt, mirum si ambigas ab innocentissimo illo innocentiam posse deseri in periculis. Nam cum Deus sit summa, perfectaue ueritas, qui mendacio fauere poterit, aut iniquitati? Cumque sit absolutissima iustitia, innocuum ne crudelissimo fraudulentorum hominum animo, atque insaturabili cupiditatum erinny diutius permittet? Permittet sane illum interdum uexari, ac horsum sursum angustiarum forcipe uersari. Quod autem prorsus eum deserat, atque a sua ope propellat, nunquam erit fatendum: modo duret, quoad sibi, quae diu sub malitiae fucò uelari minime poterit, mentiatur iniquitas. Nam mentita, ait uates, est iniquitas sibi: hoc est, seipsos fallunt miseri, non me. sibiipsis mentiando imponunt, non mihi. Quare sic ab innocentia male habita iniquorum peruersitas miserrimum in modum deluditur. Ego uero fide hac tutus,

{pdf 214, p. 99}

{27.13} Credo uidere bona Domini in terra uiuentium.

Alia litera habet: Nisi credidissem uidere bona Domini in terra uiuentium. Aposiopesis est. Subaudiendum est autem hoc fere modo: De salute mea esse actum arbitratus essem, nisi credidissem: hoc est, ni fidem haudquaquam dubiam diuinis pollicitationibus habuissem. Verum quid sit intelligendum per terram uiuentium, perdifficile uidetur. Censet Eutymius in hoc loco, terram uiuentium hunc esse mundum, utpote sedem aptam uiuis, & locum: mortuorum uero terram infernas esse regiones. Negant praeterea alii in scripturis usquam coelum terram appellari, sed tanquam duo maxime distantia poni solita: quemadmodum illud est psalmi centesimi secundi: Quoniam secundum altitudinem coeli, & terrae. Imo uniuersum his duobus in prima rerum origine comprehendi. In principio, inquit, creauit Deus coelum & terram. Terra igitur cum sit in suo significato (nisi aperta sit metaphora) intelligenda, erit in hoc loco terra uiuentium: hoc est, quam uiui colimus, atque habitamus, licet morti obnoxii. Idcirco Ezechias timens mori conqueritur dicens: Non uidebo Dominum Deum in terra uiuentium: neque aspiciam hominem ultra, qui morior. Et secundum aliam literam dictiones illas, Dominum Deum, interpretantur templum Dei, quod est, non uidebo templum Dei, neque intuebor amplius hominem cum uiuentibus in terra. Idemque ipse accepta coelitus responsione clamat: Tu autem eruisti animam meam ex inferno inferiori: hoc est, uitam meam, ne periret, eruisti: quare uiuens uiuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie. Alius uero psalmus: Placebo, ait, Domino in regione uiuorum. id est, etiam in hac uita placebo domino: alioqui si hic non placeo, quomodo in futuro uitae statu placere protero? Hincque illud a nostris male legi asserunt in psalmo cum canunt: Portio mea Domine sit in terra uiuentium [Ps. 140.6]: Sit enim uacat: sed simpliciter est intelligendum: Portio mea Domine in terra uiuentium: & est intelligendum, tu es. quasi diceret: In hac uita nihil aliud haereditatis aueo, ac uolo, praeter te, qui mea es portio, & sors. Quid tanta, aiunt? Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt

in infernum: sed nos qui uiuimus. Quid illud Esaiiae de Christi morte uaticinantis? Abscissus est, ait, de terra uiuentium [Isaiah 53.8; and 38.11]. Quid illud aliud Iudaeorum in eum conspirantium? Eradamus, inquit, eum de terra uiuentium. Sensus igitur erit: Ex multis angustiis, atque aerumnis, quae me circundederunt, eo se res inclinauerat, ut nisi firmissime credidissem me aliquando uisurum, sensurumque Dei opem ac misericordiam in terra etiam ista, in qua uere hi uiuunt, quibus uera nunquam obtingit mors, desperassem penitus: adeo insupportabiles in me erant calumniantium impetus. Quis, oro, absque huiusmodi fide, ac persuasione, firmus inconcussusque ad ferendas tam uarias carnis, mundiue, ac perfidorum hominum insidias manserit? Nemo certe homo est, nec angelus quidem (ut sic dicam) coelestis naturae spiritus. Verum ille qui spe fultus diuina, istiusmodique persuasione firmatus uiuit, quod in hoc quoque mundo, terraque uiuentium, aliquando uisurus sit quam fortis Dominus, quam ualidus, quamue (ut sic loquar) dirus in hostes ultor, praeterea quam bonus futurus sit his qui recto sunt corde: is certe uel in hoc seculo morti obnoxio, uere uiuit: quae quidem uitae conditio futurae pignus est, atque arrha. Nam nulli dubium esse debet, quod nisi quis hic caste, inculpateque uixerit, atque illi terra ista mortalis, terra fuerit uiuentium, eum ipsum frustra uiuere, cui neque coelum ipsum uitam ueram suppeditabit: quandoquidem nihil aliud est hic uere uiuere, quam futuram uitam appetere, ac fide & operationibus, quae a charitate proficiscuntur, quaerere, ac (ut sic dicam) commercari. Qui non miseriam animam illam non arbitrer, cui terra ista elementaris, terra uiuorum non sit? & quae dicere possit cum Paulo: Etsi uiuo, iam non ego, uiuit autem in me Christus. Et, uita mea abscondita est in Deo? anima igitur iustitiam illam, quae ex fide est, adeptam, ea est quae dicit: Credo uidere bona Domini in terra uiuentium. Hoc est, firmiter teneo, neque aliter fore certo scio, me sic ex Dei misericordia uicturam, quod terram istam alioqui morti obnoxiam, uiuorum terram esse intelligam: hoc est, in qua uere ab illis uiuitur, qui ut coelestem uitam habeant, ea ipsa etiam, quae mortua ui-

[uidentur]

{pdf 215, p. 99v}

-dentur, ut sunt peccata, in suum profectum trahunt, & ad uitam sibi cooperari faciunt. At tu qui haec legis, caue te frangat tanta commutandi mortem in uitam difficultas, quin potius

{27.14} Expecta Dominum: viriliter age.

Expecta, inquit, Dominum patienter quisquis sapis. Expecta tot inter mundi angustias, unde ueniat auxilium tibi a Domino. Sis, oro, animo infracto, ne dubita quin ipse confortaturus sit cor tuum, alioqui per se durum, & intractabile. Quidquid acciderit adamantino fer pectore, totusque a Deo fac pendeas, non a fato, aut fortuna. Atqui summum infidelitatis signum esse existimo in Christiano uiro, cum sese, aut spectantes ad animam res, fato, aut constellationibus subiectas esse credit. Quid nobis iam commune esse potest cum aeris mutationibus ac motibus? quid cum aetheris uicissitudinibus, qui cum Christo unum effecti, super omnia condita dominium habemus? Quod uero plenilunium, interluniumque, aut eclipsis, aut cometae ipsi quoque ardentis in rebus istis inferioribus uim habeant, atque illis imperent, id eis a

natura, siue a naturae opifice tributum est, ut in plantis, ac testis apparet. Idcirco error haudquaquam erit id arbitrari posse fieri, quod natura unicuique rei, ut sic fiat, inditum est. At Christianorum libertatem uelle (ut uelle uideo nonnullos etiam in ecclesia Dei primi gradus homines) coelorum alterationibus subiectam esse, summa impietas censenda erit. Quare nostra omnis constellatio, nostrum fatum, fortunaque Christus est, a quo pendere debent quicumque ad eius sanctissimum corpus attinent: non a diebus illis faustis, infaustisque, qui tam impudenter lunaribus in pagellis impressi uulgo uaeneunt. Caeci sunt ne, in re tanta praesertim, ecclesiarum proceres? Quid si ipsi, dicet aliquis, superstitiones fouent huiusmodi? quid a reliquo igitur uulgo expectandum erit? O ingratos homines. Tantum abest, mi lector, ut per quamcunque occasionem te a diuina luce per Christum mundo allata subtrahas, ut etiam eo magis ad conspectam iam tandem ueritatem accendaris, quo conspicui magis sunt illi, qui tantum lumen extinguere moliuntur. Tu, quod in te est, pro uiribus age, & quaecunque sors tulerit praesenti tolera animo, non languido, mulierum more, quae natura instabiles sunt, atque ad uentum omnem flexibiles. Apparebit certe Dominus in finem, & non mentietur: & si moram fecerit, expecta eum, quia ueniens ueniet, & non tardabit: ac, ut diuus refert Iacobus: Vidistis finem Domini, quoniam misericors est, et miserator.

{27.14} Confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Inualescatque illa Domini admonitione Iosue facta experrectum. Confortare, ait, & esto robustus: noli timere, quia tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quaecunque perrexeris. Et sustine Dominum.) [sic] Hoc est quod superius dixit, Expecta Dominum, atque illi cum patientia tuam causam committe.

PSALMVS DAVID XXVIII

{28.1} Ad te Domine clamabo, Deus meus ne sileas a me.

Flagrantissima haec est oratio, et quae a mansuetissimo Vatis pectore processit, tum quidem, cum ab immanissimo eius filio Absalone vi pene opprimeretur. Orauit enim ab illis ipsis peruersis consultoribus, qui cum filio contra se, suumque regnum conspirauerant, seruari. Quam uero necessariae sint etiamnum istiusmodi supplicationes, quibus electi praesentia tum hominum peruersorum, tum daemonum pericula, atque insidias, & artes fallendi perpendentes, Deum singultibus ac lachrymis sedulo interpellant, iam res notior est, quam quae multis argumentis probari debeat. Id enim continuae testantur oppressiones, rixae, homicidia, furta, rapinae, & caetera illa quae Paulus fructus carnis appellat. Ecquis igitur corruptionem hanc mundi considerans ex animo, non clamabit, Deus meus ne sileas a me? Suo more uates rem tropis inuolutam narrat, ponitque silere pro permittere, negligere, quiescere. & erit sensus: Ad te solum o Domine, caeteris spretis auxiliis clamabo: ne, oro, me negligas ne me

{pdf 216, p. 100}

in atrocissimis improborum hominum persecutionibus constitutum deseras. Alio in psalmo hoc eodem tropi genere est usus, dicens: Deus quis similis tibi, ne taceas. Rursum illud in secundo Regnorum libro. Nam cum iudices occiso Absalone Dauidem in

regnum restituere differrent, a populo audierunt: Usquequo siletis, & non reducitis regem? hoc est, quid cessatis? cur negligitis regem reducere?

{28.1} Ne quando taceas a me, & assimilabor descendentibus in lacum.

Alii reddunt, in foueam: alii, in sepulchrum, quasi uates dicat: Fer opem Domine actutum, alioqui par ero mortuis, qui iam tumulo conditi non apparent. Solent rursum illi qui in foueam aliquam profundam cadunt, frustra conari per sese ut e periculo exeant, nisi sit qui manum porrigat, atque extrahat. Sic homo in altissimum desperationis barathrum propter aduersitatum tentationumque acerbitatem facile proruit, atque ibi perpetuo manet, si ex sese absque diuino subsidio liberari cogitat. Quare qui quantum humana ualeat uirtus, hoc est, quam labilis, quamue infirma sit, ac sui dissimilis, optime perpendit, se totum in benignissima Dei protectionem reicit, clamatque: Persimilis ero certe uita defunctis, atque illis quidem qui in altissimum aliquem lacum e uia deturbantur: actum de me scilicet prorsus esse uideo, nisi tu Deus praesto sis, atque opem feras.

{28.2} Exaudi (igitur) Domine uocem orationis meae, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Hic uates ardorem simul & morem flagranti cum affectu orantium se e periculi magnitudine eximi, artificiosissime expressit. Solent enim hi & manus & oculos, & quicquid sunt eo dirigere ac leuare, unde auxilium sperant. Nos etiam qui toties uel in ipsis desperatis rebus, atque omnino perditis, Dei praesentiam ac fauorem experti sumus, ad quod aliud confugium concurrere debemus? Quem alium patro num implorabimus? Cui alii manus nostrae supplices erunt extollendae, nisi illi, qui tum potissime opitulatur, cum minus nobis, nostrisque uiribus fidimus? Eiusmodi enim excellentiae natura gratiae diuinae est, ut nihil in nobis in re salutis nostrum esse uelit, praeter tenuissimam quandam in uoluntate portionem, qua sponte nos nostra ad illud eligendum mouemur, quod absque ipsius gratiae auxilio ac dono perfici haudquaquam potest: quanquam & illud totum quod in delectu, electioneque consistit, propterea liberum est, quia a Deo est. Porro uocem orationis hic esse duco, mirum in modum exaestuans amoris desiderium in orante, quod ugens ad impetranda rogata a Deo, calcar esse solet ac stimulus. Nam ardens affectus in orante uix modum seruat, sed in calescit absque ordine, dum flamma flammam excutit, ignisque amoris intensae orationis ignem & nutrit, & auget. Ad templum sanctum tuum.) Felix reddit, ad abditum sanctitatis tuae. hoc est, ad locum illum coelorum secretissimum, caliginemue incomprehensibilem tui sanctissimi numinis quod sic expressit paraphrastes: Sustollam in altum manus meas uersus coelum, in quo ueluti in templo sanctissimo maiestas tua peculiari quodam modo habitat. Alludit enim propheta ad sancta sanctorum tabernaculi, seu templi illius antiqui Iudaeorum. Et uere in abdito, seu, ut illud appellat Dionysius, in caligine habitare dicitur Deus, cum eius uiae, iudiciaeque, ac occultissimae lateant prouidentiae. Mirari quidem eius magnitudinem possumus, scire uero omnino nequimus. Lucem enim humanae cognitioni penitus inaccessam, ut clamat Paul. habitat deus: idcirco non est quod hebes nostri intellectus acies in tam profundae lucis stuporem sese immergere speret, nisi solutis his prius corporeis nodis, depositoque carnis onere ac impedimento

{28.3} Ne simul tradas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Ne perdas me, non est in hebr. Sed sic habetur is uersus cum sequenti: Non trahas me cum improbis, & cum operariis prauitatis loquentibus pacem cum sociis suis, & malum in corde eorum. Vide, oro, quomodo prudentissimus uates ab improbitate & uersutia hostium suorum, spem sibi uenturi auxilii promittit, oratque sese turpi uitae consuetudine illorum non foedari. Inuitus, inquit, cum improbis & fraudulentis conuersor, atque eorum mores detestor: tamen in eadem cum ipsis na-
[navigo]

{pdf 217, p. 100v}

-uigo nauis, uiuoque & conuersor. Tantum enim abest, ut illorum uita atque amicitia mihi probetur, ut etiam illam supremum in modum auerser ac fugiam. Quandiu quidem sinit Deus triticum simul & zizania in ecclesia crescere, orandus est ne & bonae & malae simul fruges extirpentur. Tradi a Deo, seu trahi, ut legunt Hebraei, cum peccatoribus, id est, cum illis qui & uoluntate, & actione sordidi sunt, nihil aliud est, quam proprio nostro uitio ac proposito, a Deo nos deseriri: quo quidem absente humanus ita peruertitur intellectus, & mens & ratio, ut nihil, etiam si uelit, queat homo aut cogitare, aut agere, quod idem turpe non sit, sibi que capitale, ac noxium. Et quidem huius generis homines illi sunt,

{28.3} Qui (ut nihil ad cumulum eorum nequitiae addi possit facile) loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

Verbis, inquit, amicitiam simulant, uirus tamen in corde circumueniendi fratrem praesentaneum sopiunt. In hoc enim genere malitiae atque imposturae uersantur haeretici, qui loqui pacem dicuntur, cum falsis uerborum lenociniis rudes maxime inescantes. Conscientiarum motus sedare pollicentur, cum nihil minus illos agere iam olim maximo suo incommodo experta est ecclesia, & nunc maiori forsan experitur. Summa igitur: Tantus est, inquit, malignorum astus, tanti sunt doli, tanta quorundam, uel in primis eorum a quibus perfecta expectari oportuerat & fictio, & simulatio, ut me a turpi illorum consuetudine purum seruari miraculo sit simile, nisi tu, o Domine, me meum periculum agnoscentem, atque ob id tuum auxilium efflagitantem, audias. Audi igitur, ne, dum siles, dum non respondes, dum exaudire dissimulas, aut contemnis, illis fiam similis, qui in lacum aliquem profundum, de quibus nulla prorsus extet euadendi spes, proruunt.

{28.4} Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Mens, ut iam alias dixi, perfectissimi uiri, quae per amorem & cognitionem Deo prorsus est unita, non potest diuinae non concors esse uoluntati, eademque petere. quae in eius gloriam, bonorumque salutem cessura sciunt. Proinde Daud in eorum numerum, & excellentiori forsan praerogatiua, ab Deo ascitus, orat ea impiis diuinae maiestatis

hostibus obuenire, quibus urgentibus Dei nomen celebre fore pernoscit. Redde, ait, illis debitas poenas, secundumque illorum demerita ultor esto. Sordidi enim sunt, sordescant adhuc magis, atque illis, prout illorum expostulat malita, tribue. Adinuentium, Felix reddit, studiorum: ne diutius in explicanda uoce adinuentium torqueamur. quare is erit sensus: Quemadmodum enim illorum studia scelerata, turpesque cogitationes, ac uanae curae & sollicitudines commeruere, illos castiga

{28.4} Secundum (inquam) opera manuum eorum tribue illis, retributionem eorum ipsis.

Notat Eutymius hic, uatem suum dolorem zelo quodam sanctissimo citra ullum indignationis motum accensum caeteris patefacere, dum eandem repetit uariis uerbis sententiam. Persolue, ait, illis, quod suis sceleribus merentur. atque haec erit digna improbis retributio, quam quidem olim per Esaiam comminatus est Dominus dicens: Dies ultionis in corde meo, annus retributionis meae uenit. Verum quoniam praecipua impietatis eorum radix est, quod ad considerata Dei opera non applicant animum, idcirco a uate additur,

{28.5} Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eius destrues illos, & non aedificabis eos.

Alia litera ex hebr. uidetur rem clarius exprimere hoc modo: Quia non aduertunt mentem ad opus Domini, & ad facta manuum eius, destruet eos, & non aedificabit eos. Nescio enim an humano intellectui quicquam nequius accidere possit, quam non conari, ut ait paraphrastes, cognoscere Dominum per ea, quae facta sunt ab illo: nec per mirabile hoc creationis opus, in quo tam manifeste relucet omnipotentia manuum illius. Ecquis igitur mos alius in homine tam beluis similis esse potest? Quis magis euidentis Dei contemptus? Ad tantum ne sui conditoris neglectum deuenire potest homo, ut, cum Dei opus sit, caeterisque fruatur Dei operibus, atque in illis continuo uersetur ac uiuat, utaturque illorum beneficio & dono, ne horulam quidem ad considerandam tam benefici patris largitatem expendat, animumque admoueat?

{pdf 218, p. 101}

Coeli quidem inanimes enarrant opera Domini, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Celebrant bruta tam nobile opificium: extollunt plantae, atque ipsa saxa rudia & inertia. Solus homo diuini numinis capax rationeque insignis & nobilis, in hac parte plerumque uel ab ipsis minutissimis uermibus & insectis superatur, dum libidinibus solummodo, atque auaritiae & ambitioni inhians, animum, portionem utique diuinam ac coelestem terris pressum retinet, nec aliquando ad quae bona percipienda conditus sit cogitat. Hinc enim malorum omnium emersit caput atque origo. At tu, qui legis, uide quid calamitatis illos, qui eiusmodi generis sunt homines, maneat. Destruet illos, ait, Deus scilicet, ad cuius opera ne oculum quidem corporeum dignant uertere. Et non aedificabit eos.) His uerbis affectu copiosissimis eos penitus destruendos exprimit. quod sane elegantissime reddidit paraphrastes: Ipse, inquit, destruet illos funditus a nullo unquam restituendos. Hoc porro idem ferme est, quod alme in psalmo dixit propheta: Tanquam uas figuli confringes eos. Sunt qui censent,

haud illos, sed illa, legi debere: ut illud, destruet, & aedificabit, ad Dei hostem referatur, qui cum nunquam animum ad rerum conditarum considerationem moueat, neque ad diuina expendenda opera cor applicet, ea quantum in se est, euertat, & non aedificet: hoc est, cupit illa non esse, ne sint in rebus conditis, quae Dei nomen ac famam celebrent: adeo terrenis rebus immersus, coelestia atque immortalia infelicissimum in modum fastidit. Rursum in hoc loco taxantur hypocritae, quibus raro ueri cognitio, hoc est, quae bonarum actionum uis sit, perspecta est. Quare opera illa, quae propterea bona sunt, quia a Deo sunt,

{28.6} Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meae.

Amens profecto ille aestimari debet, qui non satius ducit uerberibus & afflictionibus a Deo probari ac perfecti, quam in croceis enutrir: indeque laudandi sanctum Dei nomen occasionem magis uenari, quam ex amplissima rerum copia atque ubertate. Modis enim omnibus laudandus est Deus: sed illo ardentius, quo conformes Dei filio per crucis ignominiam efficitur: Est ne parui momenti negocium, ad tam sublimem gradum euehi, ut similes altissimi regis nato per uitae imitationem dicamur? Dauid igitur futurorum iustorum typus, cum crebro diuinae abundantiam bonitatis expertus esset, spe rursus confirmata, roborataque fide, ac futuri auxilii certitudine accepta, canit hoc modo: Laudatus Dominus, & dignus sane cui perpetuae habeantur gratiae. Audiuit enim uocem deprecationis meae. quasi id dicat: immensum diuinae largitatis pelagum. Deus audit hominem. Conditor omnium auscultat puluerem. Quid est homo, o immense Deus, quod sic magnificas eum? Quid amplius optem?

{28.7} Dominus adiutor meus et protector meus, in ipso speravit cor meum, et adiutus sum.

Mirabilis hic diuinae dispensationis a uate celebratur ordo erga suos: quo primum aperit, ex afflictione patientiam oriri, a patientiam probationem, a probatione uero spem illam firmam, quae, ut ait Paulus, non confundit, per spiritum sanctum, qui datus est nobis. In ipso, ait, sperauit cor meum, idcirco adiutus sum, nam spe seruamur. Quare de illa sic scribit Paulus: Fortissimum solatium habemus qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora uelaminis. Ea est enim beatarum animarum patria, in quam spe firma in Deum, ac fiducia introducimur, haud secus. Quare Paulus quanta potest uoce clamat: Nolite amittere confidentiam uestram, quae magnam habet remunerationem. Quam sane nihil aliud esse certo scio, quam ipsum Deum, in quem nostri omnes spei conatus desinunt. Hebraei porro sic legunt hunc versum: Dominus robur meum, et clypeus meus, eo nititur cor meum, et adiutus sum.

{28.7} Et refluuit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei.

Vide effectum gaudii ex donato de hostibus triumpho exorti. Quemadmodum

{pdf 219, p. 101v}

enim cor moerens, atque animus languens in carnem quoque ipsam moeroris notas emittit, unde pallor, asperitasque in cute, ac rugosa macies interspergitur: ita contra, ex corde hilari & iucundo, exhilaratur etiam corpus. Ait igitur: Caro mea, quae olim uariis sordibus obnoxia, & quae infinitis contaminationibus polluta, hyemalique ueluti glacie ac bruma constricta obriguerat, modo flante consolationis diuinae zephyro resoluitur, ac quodam modo repullulat. Quare ex uoluntate mea confitebor ei: hoc est, prompto animo, libereque laudabo Deum. Felix tamen uersum sic integrum reddit: Et exultabit cor meum, & in cantico meo celebrabo eum. Nihil enim in terris tam cupit animus Deo gratus, quam ob donatam coelitus uictoriam exultare in spiritu sancto. Hincque cogitur in laudes tanto donatore dignas, hymnosque, atque odas spirituales erumpere: in quo quidem tripudii genere beatissimorum animorum statum potissime imitatur. Ego, inquit, id olim non poteram, quando caro haec rebellis spiritui, animo imperabat: modo uero subiecta Dei dono effecta, sponte sua paret, fraenoque minime obluctans, Deum una cum spiritu laudat, confitetur, atque illi hostias voluntarias gratiarum actionum litat. Quando quidem

{28.8} Dominus fortitudo plebis suae, et protector saluationum Christi sui est.

Ecquid igitur aliud euenire potuit, quam quod dixi? Dominus enim mea fuit uirtus, ut semper illorum est, qui in dominicam sortem censentur. Et est ceu epiphonema eorum, quae in superiori uersu sunt dicta. Glorientur itaque alii ut lubet, in propriis uiribus, in secundis euentibus, adeptisque magistratibus, ac fauore principum, gratia, & rebus tandem illis, in quibus gloriari solet mundus: ego uero in Deo solummodo & glorior, & exulto, quippe qui nunquam suis deest: quemadmodum e contrario res mundi in medio ipso felici successu & fauore, plerunque deficiunt, atque in auram quodammodo tenuem ac fumum resoluuntur. Porro affectu non uacat id, quo hunc uersum sic reddunt Hebraei: Dominus fortitudo ipsis: nec quibus dictionem ipsis, referant, exprimunt. Eclipsis enim est admodum familiaris scripturae, & est ac si dicat: Dominus uirtus fuit illis ipsis tam paucis: illis, inquam, qui ob uirium imparitatem succumbere debuerant, tamen uictoriam reportarunt. Quis hoc credat? Vide igitur quomodo ex admiratione insperatae uictoriae adeo totus uir sanctus in ipsis contemplandis uictoribus teneatur, ut de ipsis perinde loqui uideatur, quasi noti sint omnibus. Caeterum saluationum dicit plurium numero: quo dicendi genere aduertat animum, non unum genus salutis esse solummodo, quo electi a Deo adiuti e malis eximi solent: crebro enim id fit ac multifarie. Sensus igitur is esto: Dominus uires suggerit suis, & praecipua semper pars fuit uictoriarum, seu saluatione Christi sui, electi scilicet sui sacro spiritus chrismate peruncti. Omnis enim Christianus unctus dicitur per Christum, cuius salutem cum legimus aut memoramus, nostram legimus & memoramus, qui iam in ipso sumus per ipsum. Tantum abest ut mirabiles illius saluationes, uirtutem, potentiam, fortitudinemue, quibus coelitus iuuamur, nostra arbitremur, ut etiam diuinas eas esse operationes solummodo existimemus quanquam & ea quidem nostra sint, postquam Paulus asserit omnia nostra esse, nos Dei.

{28.9} Saluum fac populum tuum Domine, & benedic haereditati tuae, & rege illos, & extolle illos usque in aeternum.

Orat hic uates in calce psalmi, ut Deus populum suum, quem ceu haereditatem, hoc est, unice charum habere uoluit, seruet, tutetur, beneficiis accumulet, ut pastor regat, ac tandem in regno suo aeterno exaltet. Ait enim: O Domine, populum tuum, quem ueluti haereditario iure bonorum tuorum participem esse iussisti, tutare, ac serua, ne erroribus implicitus, ne falsis adulatorum persuasionibus deceptus, nec carnis illecebris irretitus, ne mundi lenociniis illectus, ne a corporearum rerum oblectamentis remoratus, ne perturbationum fluctibus, submersus, ne secundarum rerum successibus insolens factus, ne excandescencia irrationabili, ne ira, ne odio, ne fastu, ne ambitione infectus, a te desciscat & pereat. Quin potius rege eum, pasceque tui sanctissimi uerbi pabulo, atque extolle & exalta, non de rhetore ad consulatum, aut (ut solent suos nostri temporis primarii, iuste uero uel ne, ipsi uiderint) de decurionatum ad

{pdf 220, p. 102}

centurionatum, sed de uirtute in uirtutem sublimando, donec crescat, non rursus dico in praepositum, aut episcopum, uerum, ut ait Paulus, in uirum perfectum in Christo Iesu, in aeternum: hoc est, quo tecum sine fine uicturus in aeterna maneat felicitate.

PSALMVS DAVID in consummatione tabernaculi, XXIX.

{29.1} Afferte Domino filii Dei, asserite Domino filios arietum.

Nescio equidem an alius sit psalmus tam uarie a nostris enarratus, quemadmodum hic est: quem simpliciter interpretari, id est, secundum spiritus sancti mentem (absit arrogantia) propositum est: adeo ferme omnibus allegoariarum placet luxus, & uarietas in exponendis his sacris odis. Quorum quidem piam sicut non reprehendo sententiam, ita non possum non maximopere approbare, & sequi illorum institutum, qui magis student scripturae caeteris rudioribus, etiam aliquando cum iniuria eloquentiae, proprium, germanumque sensum reddere, quam proprio commodo, & ut uocant, deuotioni inseruire ac satisfacere. Et quemadmodum illud uerum sit in hoc psalmo, ut nonnulli arbitrati sunt, coelorum asta, quae interdum in scripturis, raro tamen, dii, seu filii deorum appellantur, ut illud in primis uidere licet in Iob lib. ad celebrandam Dei uirtutem prouocari. Rursum sicut absurdum haudquaquam erit supernos angelos pro filiis Dei intelligi. Nam quaecunque hae res sint, quae expressius referant diuinitatem, Deumque ipsum excellentiori quodam modo repraesentent, ut sunt ipsi angeli copiosiori felicitate donati, quam caeterae res conditae: homines deinde, ac tertio loco coeli ipsi, eorumque signa, & ornatus, dii a scriptura appellari solent: ita in hoc loco principes & magistratus potentia aliqua sublimi Deum utcunque referentes, a uate sanctissimo inuitari arbitror ad laudandum Deum magis, quam coelestes spiritus, aut sydera illa, alioqui pulcherrimo naturae artificio fabrefacta, & distincta. Quid, oro, tam in rebus conditis sublime est, atque adeo tanta diuinae illuminationis abundantia perfusum, quod non in Deo, cuius uirtus ac potentia tam immenso interuallo cuncta praecellit, supplex laudes canere debeat? Idcirco in sequentibus Dei filii admonentur, ut Deum adorent in atrio sancto eius. Iam primum quidem illud quod reddit Felix, caeterique Hebraei, me hortatur, ut de hominibus egregia aliqua potentia insignibus, psalmum hunc interpreter. Loco enim filii Dei, hi reddunt, filii principum, seu filii fortium: quod idem est secundum idioma hebraei, quod principes fortes, & potentia aliqua praediti: quemadmodum, ut alias admonuimus, filii hominum idem prae se fert, quod homines.

Quos quidem secutus paraphrastes, hosce filios principum, seu fortium, robustissimos appellat. Tribuite, ait, Domino robustissimi quique: tribuite, inquam, Domino gloriam & omnipotentiam. Atqui hic uides lectionem, qua nos legimus filios arietum, peritis in lingua hebraea non probari, sed hanc tantummodo, aut huic similem: Afferte Domino filii principum, afferte Domino: seu cedite Domino: aut, ut legit paraphrastes Tribuite Domino decus, & uirtutem. quod si tamen dictio, arietes, interserenda est, ut diuus uisus est approbasse Hieronymus, filii arietes potius, quam filios arietum legendum arbitror. ex qua quidem inuitatione filii prouocantur principi, qui arietes a prophetis non semel nuncupari solent, ut in primis illud Hieremiae, omissis caeteris, in medium proferam, quo queritur principes Iuda factos ut arietes non inuenientes pascua, qui abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. Ait igitur uates: O uos reges, o principes, o uos qui in rebuspublicis aut in ecclesia Dei dignitate & potentia sublimes estis, Deo, non uobis uestram potentiam, uestram dignitatem, uestros honores adscribite. Et quemadmodum supra caeteros autoritas, a Deo, non a uobis, aut pecuniarum ui & ambitu est expectanda, ita & eidem ipsi Deo referenda. Ipse enim potentissimus cum sit, potentiam caeteris impartit. Illi igitur cedite, atque illius bonitati ac uirtuti, quicquid bonitatis aut uirtutis nacti estis, acceptum ferte. Non sceptrum quidem regum, non diadema, non infula, non mitra, non si quid aliud est quod prae se ferat potentiam aut dignitatem, ex se est, aut ab homine, sed a Deo ipso, a quo, ut ait Paulus, omnis derivatur potestas. Quanquam insignia illa omnia, quibus in Dei ecclesia

{pdf 221, p. 102v}

inter caeteros conspicui sumus, seruitutem magis, quam imperium, aut dominium portendunt. Ad illos enim gradus atque honores asciscuntur homines a Deo (utinam a Deo, & non a priuatis affectibus) ut tanquam patres filiis inseruiant, non ut domini imperent. Quid igitur moramini?

{29.2} Afferte Domino gloriam nomini eius: adorete Dominum in aula sancta eius.

Vide attonitum animum, ac mirandum in modum obstupescentem, in repetita toties inuitationis uoce. Non semel enim contentus dixisse, afferte, nec bis, tertio quoque illud idem inculcat: quo aduertant mundi dynastae, quanti momenti res sit a Deo, propter potentiam ac qua maxime insolescere solent mortales, auctoritatem, deficere. Iam uero illud, adorete Dominum in aula sancta eius, etsi allusio uideatur ad morem illum ueterem, quo in tabernaculo foederis coli debebat Deus, aliter tamen ab Hebraeis legitur. Felix sic: Adorate domino in magnificentia sanctitatis: seu, Genua flectite Domino in splendore sancto. quod quidem sic interpretatur paraphrastes: Supplices efficiamini Domino, quemadmodum meretur sacrosancta maiestas eius. Et sic uides, quid sibi uelit, adorari Deum in magnificentia sanctitatis: hoc est, ut tanta meretur maiestas: quem sane cultum castissimas mentes appetere arbitror, atque actiones undequaque purgatas, ut eius generis apparatu ornati erant antiqui illi Iudaeorum sanctiores: quibus nisi optime emundatis templi aditus negabatur. Id uero nostri ab illis differunt, quod illi in cinere, & cruore, caeterisque carnis iustificationibus, ac crebris lotionibus suam ponebant munditiam: nos autem cordis affectu, lachrymis, & qua potissimum nobis diuinus conciliatur fauor, humilitate, in primisque Dei gratia, & dono,

nostram omnem metimur innocentiam. Quid didignum [sic, dignum] offeram Deo, dicebat Michaeas? Nunquid offeram illi holocaustomata? num uitulos anniculos? Nunquid placari potest Deus in millibus arietum? Incabo [sic, indicabo], ait, tibi o homo quid sit bonum & quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium, & misericordiam diligere, & sollicite ambulare cum Deo tuo. [Micah 6.6-8] Quod si rursus dictio, aula, non tibi displicet, haec eadem illa erit, quam alio in psalmo uates appellat ecclesiam magnam: hoc est, sanctorum conventum ac coetum, qui una atque illo quidem uiuit instituto, quo certatim alter alterum Christo lucrifacere satagit: non ut turpi uita, ac moribus plusquam ethnicis perdat, & mactet. Putat Eutymius uirum illum Deo gloriam offerre, qui ne horulam quidem ab hymnis, & canticis spiritalibus ociatur: honorem uero, qui continuum in mandatorum diuinorum obseruatione timorem offert. quem quidem honorandi Dei modum a Paulo didicisse Eutymium arbitror, qui ait: Si per transgressionem legis Deus inhonoratur, manifestum est quod per eius obseruationem honoratur.

{29.3} Vox Domini super aquas: Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas.

Ne uates uideretur Deum aliquem imbecillum, atque inutilem, cui regna omnia mundi assurgere debeant, proposuisse: potentiae eius mirabiles quasdam operationes, atque argumenta enarrare incipit quae quidem adeo uera sunt, corporeoque uisui patentia, ut aliud quoque interim per illa secretius innuere uelle prophetam censeam, ac portendere. Nulli dubium quod uox Domini, seu uerbum, seu uirtus appelletur, commouet aquas, excitatque tonitrua, iaculatur fulmina, & id genus alia uidere facit, quae partim in psalmo decimoseptimo, partim in hoc eodem, quem modo interpretamur, sunt scripta. Hisce enim terrificis indiciis olim eum cum iram, tum beneuolentiam, populo illi antiquo Iudaeorum demonstrasse passim in ueteri instrumento legimus. & est perinde ac si dicat: Vox Domini super aquas, hoc est, in nubibus tonat: quae sane nubes in hoc loco per metonymiam aquae dicuntur, cum nihil aliud sint nubes quam crassus quidam globus exhalationum, uim habens gignendorum imbrium. Dominus, inquam, tantus, maiestateque uerendus, & qui solo nutu cunctam uniuersi machinam perterrefacit, is est, qui potestatem habet effundendi in terram aquas multas. Neque est porro mediocri consideratione dignum, quod uirtus illa diuina, qua formidabi-

[formidabiles]

{pdf 222, p. 103}

-les istiusmodi coelorum commotiones, ac caetera alia ditionis Dei argumenta sese manifestandi uim habent, uox a propheta dicatur: nam propterea desides mortalium animi in admirationem rerum earum, quae diuinam potentiam ac maiestatem prae se ferunt, excitari facile possunt, cum audiunt primam illam causam perualido tonitru, ac terrifico terraemotu pro uoce uti: quam sane uates asserit in uir tute erumpere, & magnificentia, hoc est, praeualidam esse & magnificam: quippe quae tam admirandis indiciis uerendam suam omnibus patefacit potentiam. Sed & illud operaeprecium est uidere, breuiterque exponere, qualiter uox ista diuina, etsi non secundum rei meritum ac dignitatem at saltem prout praesens expostulat interpretatio, sit extollenda. Quid? inquit uates: Verbumne Dei parui putandum ducitis? num fidem eius dictis non

adhibendam? Adhibenda est quidem tam magnificis eius gestis, orbique uniuerso cognitis. Vox certe Domini ea fuit, quando illius iussu spiritus Domini ferebatur super aquas. Voxne illa Domini fuit, uel ne, cum ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt? Vox sane Domini super aquas, quando locutus est super Aegyptiorum flumina illa omnia, quae ui uerbi in sanguinem uersa, immundos ranarum greges produxerunt. Quid porro illud, quod in Exodi libro legimus, Dominum scilicet e coelo grandinem igni commixtam iaculatum, horrendumque in modum intonuisse? Fuit ne imbecillis Dei uox ea, quando Domini iussit mare rubrum peruium factum humanis gressibus, populo quidem Dei uiam tutam praebuit, Aegyptios uero stupendo miraculo suffocauit? Quid aquas Marath Dei uerbo ac uoce dulcoratas memorem? quid illas tam celebri portento e petra excussas? Ad futura, inquit uates, descendamus. Iam praesentisco, inquit, effectum alium excellentiorem huius beatissimae uocis, quam illi fuere, quos in superioribus commemorauit. Video (dilatis interim effectibus caeteris, qui mihi in spiritu reuelantur) non solum quidem Iordanis aquas e sanctissimi corporis filii Dei attactu sanctificandas, uerumetiam omnes, quotquot in orbe terrarum sunt, ui uocis huius afflatas, renascentiam spiritualem, ac plane diuinam hominibus apportaturas. Cuius alius Dei, nisi nostri, alter illa erit uox, quae, facta multorum corona, strepituque horrisono & formidabili, ita praesentium animos, ut sic dicam, dementabit, quod ex illis quidam dicent tonitruum factum esse, alii uero angelum ab aethere locutum, alii item aliud? Haec uates. Fateor equidem me manum a calamo temperare non posse in celebrandis huius efficacissimae, atque adeo omnipotentissimae uocis laudibus, cuius quidem uirtute scio condita omnia in lucem producta esse, seruari continuo, ac ad mortalium beneficium discretis quibusdam suis, occultissimis tamen, & donis, & gratiis, unicuique nostrum impartiri. Vox enim haec, seu uerbum, seu sermonem, seu euangelium appellare mauis, Christus est, Dei filius, sapientia patris, atque eiusdem infinita uirtus. Siquidem uirtus est, ut inquit Paulus, in salutem omni cedenti. Quocirca a uate est dictum,

{29.4} Vox Domini in uirtute, vox Domini in magnificentia.

Virtutis nonne illud fuit, & id quidem mirabile, atque unice stupendum argumentum, & potestatis, perditum hominem recuperasse, atque per contumeliosum, irrisumque uulgo modum, per crucem scilicet, eundem ipsum Adae filium, hoc est, irae alumnum, ac perditionis, inter nobiliores coeli spiritus collocasse? Quid porro unquam in terris magnificentius uisum est, quam cum facto repente de coelo sonitu, diuinaque pertonante uoce, repleti sunt omnes spiritu, & eo quidem sancto ac superbeato, non fanatico, aut furenti: quo sane magistro, orbis totius linguis ab Apostolis coeptum est Dei uerbum praedicari? Vox certe fuit illa Domini in uirtute, & magnificentia, quae confirmata est in nos, ut inquit Paulus, contestante Deo signis, & portentis, & miraculis. Illa, illa inquam est

{29.5} Vox confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani.

En quomodo paulatim uates potentium hominum fastum deiiciet, ac tumorem: quos sane a uoce illa diuina sub cedrorum typo confringendos uaticinatur. Felix

legit: Confringens cedros. quae quidem litera uidetur uerior, ut confringens ad uocem referatur, non ad illum, cuius uox ea sit. Caeterum frequens in scripturis usus est, ut pro mundi huius potentioribus, cedri arbores, quae in Libano Syriae monte concresecunt, usurpentur: quanquam & in bonam quoque partem assumi legimus, ut illud in primis in Ecclesia in quo uox ista beatissima ita de se loquitur: Quasi cedrus exaltata sum in Libano. Illud rursum in psalmo, de eodem Dei uerbo, ac uoce: Sicut cedrus Libani, inquit, multiplicabitur. Cedri, inquit Ezechiel loquens de supercoelestibus animis, non fuerunt altiores illo (Lucifero scilicet) in paradiso Dei. Verum in hoc loco cedri nomen ad illos spectat, qui in hoc mundo aut potentia, aut doctrina, aut etiam dignitate aliqua sublimiori, in Dei ecclesia eminentiores facti, plus nimio inturgescunt, ac condita omnia delicti, si Deo placet, homines nauseae habent. Hi nempe cedris crescentibus in Libano a prophetis comparari solent. Unde illud est Esaiae comminationis plenum: Dies, ait, Domini super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Bassan. Hae enim ex felici solo, pinguique regione, quae est trans Iordanem, altiores quam in caeteris regionibus assurgunt: illae ex benignitate aeris, quam in Phoenicia esse coniectamus: quanquam Libanus mons inter Arabes & Phoenices magis situs sit, quam in Phoenicia solum. Sunt enim natura steriles & inflexibiles: quocirca merito potentioribus illis comparantur, qui ab sese, aut ab antiquo auorum stemmate, & successione, rerum dominium, non a Deo, cuius sunt, ut inquit Solomon omnia iura regnorum, accepisse se iactitant, sprete interim omni religione, & pietate. Citrus uero alia est arbor a cedro, de qua nunc loquimur. Haec enim cum semper sterilis sit, illa ferax in primis est, & fructuum ubertate, coloreque, ac odore suauissima. Haec Citra appellamus, quae ad radices Atlantis montis aiunt immensae magnitudinis, & non insuauis odoris ac saporis, crescere. His ferme similia sunt ea, quae apud Ligures passim per apricum Ligustici maris littus pernascentur. Verum nulla in his alendis sagacior gens est, quam quae Benaci ripas illas incolunt, quae ad Orientem spectant: poma nimirum digna, quae ab amoenissimis Tusculanorum hortis, Margutianensibusue plantariis & claustris, per orbem uniuersum spargantur: quae cum magnitudine caeteris cedant, odore tamen & sapore praestant. Sed quid ago? pene imprudens tam suauis pomi memoria allectus, ab instituto excideram. Unde igitur discesserat oratio reuertatur, & dicat, superbos omnes, atque potentia aliqua insigni praeditos, ui uerbi Dei confringendos. Quod si tamen dilata paululum abs Deo poena, uidentur impii, ut alio in psalmo canit uates, superexaltari sicut cedrus Libani, ferendi sunt aequo animo, neque Deus in iudiciis est praeuertendus. Transiui, ait, & ecce non erant. Confringet, crede mihi, ait uates, Dominus cedros hasce Libani. quod cum uideris, poteris ne aliud dicere, quam id quod tam crebro inculcant uates, uidelicet: Os Domini locutum est? Nec hoc quidem satis quod dixi: insuper

{29.6} Et comminuet eos tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius unicornium.

Felix sic: Et exilire fecit eos ueluti uitulum, Libanum & Syrion ueluti filium unicornium. Eos, uel Eas potius dictio ad cedros est referenda, ut sic ad superborum euulsionem ac fugam alludi intelligas: quorum figura atque umbra fuit consternatio illorum regum, quos a Iudaeis duce Iosue profligatos legimus. Porro Syrion mons Hermon est, quem

Sidonii Syrion, Amorrhaei Senir appellant: Ptolemaeus uero Hippum, quem Antilibano iunctum asserit: in quo quidem, ut in Libano, cedros altissimas, atque alias proceras arbores alii scribunt autores. Sensus igitur: Vox Domini comminuet eas cedros, elatos scilicet, in rebusque huius seculi turgidos ac uultuosos, extirpabitque illos ea facilitate ac celeritate, qua uitululus in morbidis Libani pascuis enutritus fugari solet minimo rerum strepitu. Sed quid dico cedros stirpitibus euellendas, comminuendasque, cum & ipsum Libanum quoque tam robustarum arborum altorem, atque Hermon, citius a fundamentis euertet uox ista potentissima, quam fugatur unicornis pullus, animal nimirum timidissimum,

{pdf 224, p. 104}

ac in fugam uel ad tantillum frondis motum concitatissimum? Quod autem legunt Hebraei, Exilire facit illos: eum sensum habere uidetur, quod prae timore e sedibus propriis euulsi, quodammodo uidentur saltare, ut uel hinc discas quam celer futura sit superbiorum deiectio, quando uisum fuerit diuinae prouidentiae deponere potentes de sede tanquam cedros e Libano reuulsas, & exaltare humiles tanquam myricas in deserto. Vidimus enim aliquando totas integras regum potentissimorum familias extinctas, principesque alios adeo a mortalium memoria elapsos, ut nunquam eos fuisse iurare posses. Quot regna excisa? Quot urbes dirutae? Quot (ne interim de minutioribus magistratibus, superbissimis tamen, ac Dei & hominum contemptoribus, dicam, quos citius desiisse cernimus, quam fumus in aerem resolutus desinit, ac euanescit) floridissima oppida, atque arces in cinerem relabi nouimus? Vocis enim fuerunt hae diuinae, ne dubita, operationes, ne fato, aut fortunae humanos euentus adscribas. Porro, dilectus, dictio in hebraeo non habetur. quae tamen ut possit ad ea, quae dicta sunt, accommodari, sic erit interpretanda, ut dilectus idem sit, qui & potens, atque a suis charus habitus, licet caeteris inuisus, qui nihilominus erit tanquam monocerotis filius fugiens: quandoquidem in primariis ecclesiae, uel rerumpublicarum hominibus, non dignitas, aut imperium probari solet, sed pietas ac religio. Quod sane a mei quoque ordinis superioribus illis, qui in causa sunt, intelligi cupio: ne dum nimium suae illi auctoritati (melius dicerem seruituti) tribuunt, parumque interdum memores, quam periculosum sit aliis praeponi in his praesertim quae ad animarum tutelam spectant, nostram hanc nauem spiritus sancti manu fabrefactam, superbiae fluctibus, atque ambitionis aestu submergant. Scio equidem haec, atque horum similia, quae interdum per meos hosce commentarios a me tanquam admonitiones quaedam ab amanti corde profectae interseruntur, illos maxime, qui eorum, quae dixi, tanquam repetundarum rei sunt, non probaturos. Secus uero alii, quibus semper, a quocumque proferatur, ueritas placuit, & quibus hunc totum meum laborem probari efflagito. Hos enim admonitos, illos reprehensos esse uult spiritus. Tantum porro abest, ut ingenua ingenia ob paucorum iram & indignationem, ea quae ad Christi honorem pertinent, sileant, ut etiam & dicant, & inculcent, & si fas est, malleis ipsis ferreis quoque illorum auribus infigant. qui plerumque idcirco errant, quia, qui illos syncere admoneat, non inuenitur. Veritas enim huiusce generis merces est, ut uulgo exposita sui omnibus copiam faciat. Candido qui sunt pecore, ac puro iudicio praediti, ea inspecta summa afficiuntur oblectatione: qui uero tetro & impuro, illius radios tanquam noctuae solis lumen, indignabundi auersantur. Sed ad uocem nostram, ad Dei uerbum, ad solem, ad Christum, qui sol est iustitiae, uox patris & sermo, reuertatur stylus, ab eoque regatur.

{29.7} Vox Domini intercidentis flammam ignis.

Hic rursus intercedens erit legendum. Per flammam uero, quo in superborum serie maneat, eorundem, quos superius Cedros appellauit, saeuitiam atque irarum ardorem intelligit: quem sane a fortissima Dei uoce intercipiendam, ne quantum uolunt noceant, esse praedicat. Huiuscemodi enim diuini facinoris praeludium illud fuit, quando ex murmuratotibus [sic, murmuratoribus], ut in Numerorum libro legimus, quatuordecim millia hominum & septuaginta combusta sunt. Tunc, dico, quando Aaron iussu fratris stans (uide hic uocem Domini intercidentem flammam ignis) inter mortuos & uiuos pro populo deprecatus est, & plaga cessauit. Quid porro illud cum ignis babylonicus, ne innocentissimis officeret pueris intercisus, contra sui natu tam humanis corporibus cessit? Quid innumerorum martyrum flammis algidas factas ui uerbi Dei, atque interruptas memorem? Quae tandem uis alia nisi istius superbeatissimae uocis innatum hominibus concupiscentiarum ardorem in suis electis intersecat & sopit? Quae alia, carnis incendia, irae, ambitionis, inuidiae, auaritiae, libidinis, tam exacte diuidit, atque eis finem imponit? Atqui si honestioris flammae ratio habenda est, ignisque coelestis, eundem sane ipsum fatebimur donum esse coelitus a corde patris, e quo uox ista ac sermo emanat, in electorum pectora im-

{pdf 225, p. 104v}

-missum, atque sanctis coetibus diuisum. Qui cum unus sit natura & impartibilis, singulis tamen, natura cedente amori, per partes secundum uniuscuiusque captum dissecatur: ita ut alii datus sit spiritus sapientiae, alii doctrinae, alii uero altissimi raptus ac ecstasis. Vide quid agat sanctissima Dei uox. Vide, inquam quomodo bonorum, malorum quoque interdum permeet corda, dispari tamen modo & effectui.

{29.8} Vox Domini concutientis desertum, & commouebit Dominus desertum Caddes.

Felix sic: Vox Domini contremiscere fecit desertum, contremiscere fecit Dominus desertum Caddes. Deserti Caddes meminit propheta ob duo, meo quidem iudicio. Primum, ut horrendi terrae hiatus in morte Chore, & eorum qui cum illo offerebant in censum, posteros admoneret: quem sane casum in deserto Caddes, per quod Israelis populus annis quadraginta post Aegypti discessum circumductus fuit, accidisse legimus. Postea uero huius deserti potissimum mentionem facit propterea, quod uastissimum sit, atque inter alia horrendum magis, inhospitaeque solitudinis. Eremum Arabiae hunc esse dicunt Idumaeae conterminum. Volunt enim Caddes dictum ab euentu, cum antea Sinai, Zin, seu Cadmoth appellaretur, eo quod Iudaeorum populus fuit in eo paratus ac idoneus factus, qui terram illam Canaan ingrederetur. Caddes enim praeparare Hebraeis est. Neque sane a uero dissimile erit opinari hic uatem solitudinem tam uastam, pro immanioribus animis ac ferinis quorundam principum, caeterorumque similium, per metonymiam posuisse, quos tamen asserit uirtute diuinae uocis timore concutiendos. Solet enim felicissima uox ista quae uidet corda inhospita, arenosa, inertia, primum quidem terrore, deinde placidissimo illapsu (quae est eius natura) concutere, perturbare, trahere demum, ac plane immutare. Vidisti ne unquam impium aliquem

exaltatum instar Cedri in Libano atque Hermon, breuissimi morbi ictu e medio excisum, aut furcae impositum, aut in medio ipso rerum successu uertisse solum, fortunisque expoliatum, ac populis, quibus olim pauori fuit & formidini, postea contumeliae esse ac despectui? Vox nempe diuina illa fuit, atque aeterna ordinatio magis quam sicarius aut carnifex, quae confringere solet Cedros, flammamque intercidere, ac immane desertum Caddes e loco mouere. Quanquam sint etiam Cedri, quercusque altissimae, flammae item ac deserta, quae Dei sermone incensa ac commota, usum ad humaniorem, ad poenitentiam, ad lachrymas, ad contemptum mundi citius resiliunt, quam resilire solet ab incepto itinere tener uitululus, aut paruus monoceros strepitu aliquo perterrefactus. Siue igitur haec omnia ad immanem superbiorum potentiam Dei uoce infringendam, siue ad flagrantia spiritus dona electis dividenda referas, id totum vatis spiritui convenit, qui, ut inquit Felix, pro Christi atque eius ecclesiae gloriae, decore et magnificentia, hunc psalmum composuit.

{29.9} Vox Domini praeparantis cervos, et revelabit condensa, et in templo eius omnes dicent gloriam.

Felix: Contremiscere fecit ceruas, uel obstetricauit, seu dolere fecit uti parturientem ceruas, uel fortes. Hinc uides ceruas melius legi quam ceruos. Ad ceruas enim spectat parturitio & partus, non ad ceruum. Porro dictio, praeparantis, ut uulgaris legit aeditio, cum Hebraeis tum Graecis est praeparans: hoc est, uox Domini ea est, quae praeparat ceruos, superbos scilicet atque elatos ad fugam: non solum enim praeparat, sed impellit quoque, ac, ut sunt meriti, concitatissime perurget, adeo quod ex metu & dolore similes fient parturienti: qui quidem dolor molestissimus omnium est. Unde apostolus de illius generis hominibus loquens. sic ait: Sicut dolor in utero habentis, & non effugient. Quod uero alii legunt obstetricauit, ad ceruas referendum est, ut hinc maxime diuinae uocis uirtus deprehendatur, quae uel ceruis natura in aedendo foetu difficillimis, obstetricis quodammodo fungatur officio. Hae enim timore magis persequentium, quam quod plerunque tempus ad deponendum uterum, quod sane octonis mensibus constare asserunt, maturum sit, in ipsis tritis, ut aiunt, humanis uestigiis semitis emittunt foetum. Quanquam Iob, cui magis credendum esse arbitror, quam uel Plinio, uel eius deo Aristoteli, qui scribit ceruas metu ferarum iuxta uias parere solitas,

{pdf 226, p. 105}

cervarum partum asserat adeo occultum esse, ut nequeat ab homine sciri. Nunquid, ait, parturientem ceruam obseruasti? nunquid numerasti menses conceptus eius? & nosti tempus partus eius? Vide quam male conueniant philosophi cum theologo illo antiquo tam grato uoci isti, cuius potentia in hoc psalmo celebratur, cuiusque afflatu ac numine attactus tantus uir, rerum humanarum, diuinarumque scientiam optime calluit. Huic igitur animanti comparat uates potentiam huius mundi, quae nisi Dei uerbi admotis flagris & uerberibus, foetus illos difficiliore nixu parit, quos Christus in euangelio fructus poenitentiae nuncupauit. Quare sua quae sponte agere recusat, ui uerberum, ac tum legis, tum extremi iudicii metu, ac terrore simul & dolore mota, faciliore deinceps in aedendo iustitiae partu utetur utero. Ceruus enim, si cornua inspicias, pugnacissimum uidetur esse animal: uerum si uel leuissimo impetitur ictu, contremiscens illico fugit. Ita, atque eodem in statu sunt in rebus mundi ferocientes, uti olim etiam fuere

Hiericontini illi a Iudaeis deleti, quorum pauorem Raab illa celebris mulier graphice admodum depingit, hoc modo: Irruit, ait, in nos terror uester, & elanguerunt omnes habitatores terrae, nec remansit in nobis spiritus ad introitum uestrum. Quid hunc terrorem Hiericontinis, alioqui tunc temporis bellacissimis, ac longe Iudaeis & uiribus, & caeteris urbis praesidiis superioribus, incussit, nisi uox Dei fortissima, cuius robore atque efficacia inflatae Iudaeorum tubae, clangore horrisono, absque tormentis ac uineis, alta urbis moenia solo, dicto citius, aequauerunt? Nonne haec eidem est, quae, ut ait uates, reuelat condensa? uel, ut legunt alii, denudat syluas? hoc est, Nonne quicquid in cordium latebris, ueluti in obscurissimis saltibus & nemoribus latitat, uox ista beatissima, omnisque gladio penetrantior, detegit, reuelatque, ac palam facit? Quid porro aliud esse affirmabimus mundi huius potentiores absque diuini uerbi luce, praeter syluam densissimis ramis, absque baccis aut pomus opacam? Quanta interdum errorum confusio uitiorumque colluies, & aegritudo in illius generis hominibus delitescit, qui autoritate aliqua sublimi, tanquam nemore frondoso tecti, in densissimis vivunt tenebris? Quae tamen omnia reuelabuntur aliquando, atque omnium oculis patefient, quamlibet humanis aspectibus abdita uideantur. Tum quidem & nemora, & nemorum uenatores una cum ipsis plantarum stirpibus penitus euellentur, cum moniti a Iosue in aliud genus syluarum ascendent, & succident sibi spatia in terra Pherezei, & Raphain. Verum adhuc quidem ferreis curribus utuntur Cananaei, nec in templo Dei omnes dicunt gloriam. Dicent tamen aliquando, modo diuinae uocis afflatibus non reluctantur. Quae tum omnia & supera & infera perterrefaciat, suos tamen occultissimum in modum recreat, atque eos ad suas laudes & gloriam celebrandam inuitat: & hoc in templo sancto suo, quae est ecclesia fidelium eorum, quibus cor unum est, atque animus ad ueram pietatem instructus. In quo quidem templo unusquisque, ut ait Augustinus, pro dono sibi coelitus dato laudare debet Deum. Alioqui cor illud unum, quod inter Christi fideles esse debet, ab sese diuulsum, ac in partes dissectum, quomodo bonum illud unum, quod bonum quidem est propterea, quia unum, unquam assequetur? Pereat necesse est tandem respublica illa, ac plebs, quamlibet ornata uirtutibus, ac castis moribus, quae ab unitate illa longe abest, a qua uel tantillum quidem discedere non parua impietas est. Amor is ille est, qui e corde patris emanans, filium prius, per quem, unum cum patre ipso nos qui credidimus efficimur, electos postea, incomprehensibili bonitate ad sese trahit, agglutinat, atque ita in se transmutat, ut una prorsus res sit facta Deus & homo per Christum. O unitatem tuis solummodo cognitam. Scio, scio equidem quod nemo ascendit in coelum, nisi qui, descendit de coelo filius hominis qui est in coelo Christus Iesus. Nonne hic uides quomodo necesse est hominem alterum quodammodo effici Christum si illo ascendere conatur, quo nemo ascendit nisi ipse Christus? Id omne (ne deiiciaris animo) perficit fides atque amor, etsi non noster in Christum, qui per se algidus est: at ille, quo nos, ipse aeterna charitate adeo dilexit, ac sibi uniuit, ut unum omnino cum ipso facti simus. Is tandem Dominus ille est, qui

{pdf 227, p. 105}

{29.10} Diluuium inhabitare facit.

Hebraei legunt: Dominus praesidet diluuiio. Parum tamen aliter Felix: Dominus, inquit, diluuium inhabitauit. Cautum sit omnibus, clamat propheta, dum incrudescit tempestas, furitque uis imbrium, ac coelos pene ipsos cernimus in pluuias resolui, nos

admonere diluuii, non illius Deucalionis & Pyrrhae, fabulosi sane ac commentitii, si ad saxa illa spectas, quibus aiunt humanum genus recuperatum esse: sed eius, quo uniuersus prorsus interiit orbis: ne & nos quoque eisdem illis uitis, cum illius aetatis hominibus coinquinati, aliquando absumamur. Quod quidem periculum ex animo perpendentes, uel sic saltem terrore metuque a flagitiis coerciti, peccare nos pudeat, diuinamque ultionem nostris sceleribus irritatam in nos saeuire pertimescamus. Haud nobis quidem tutior quam illis promittitur uitae exitus, si eundem uitae fastum cum illis sectantes, curam carnis, ut nos dehortatur Apostolus, in desideriis fecerimus. Caro, inquit Deus, sunt, idcirco perdendi. Verum coelestis pater, qui nunquam suis deest, tum diluuium inhabitauit: hoc est, in diluuio etiam aquarum multarum, in diluuio illo tam celebri Noah, in transitu maris Rubri, in traiectione Iordanis, atque innumeris aliis uitae periculis, semper suis adfuit. Quam porro omnem undarum exundantiam baptismi aquas portendisse scimus: quibus quidem, ut interpres reddit hebraeus, praesidet Dominus, dans illis regenerandi uim atque efficaciam. Notant hic ueriores esse literam si legatur, inhabitat, aut inhabitauit, quam si legas cum nostro interprete, inhabitare facit: quo intelligas, ipsum Dei uerbum, Deum ipsum, per se, suaque sponte mentes purificatas, atque sacrarum aquarum ablutione sanctificatas inhabitare. quanquam neque illud quod nos legimus, a uero sensu alienum sit, qui sic reddi potest. Dominus diluuium, hoc est, animos illos, qui in cupiditatum pelago, atque inundatione uersantur maximoque suo periculo natant, ut uerbi sui extractos inhabitare facit in templo sancto suo, in quo, ut superius dixit, omnes dicent gloriam: hoc est, ad ecclesiae sinum recurrent, in qua

{29.10} Sedebit Dominus rex in aeternum.

Quasi dicat, regnum filii Dei, quem uocem hactenus appellauit, non erit temporum uarietati obnoxium, sed aeternum: propterea & aeterna quoque eius erit protectio. Quis, nisi aeternus, aeterna lege regere erit potis? Et regni eius, inquit, non erit finis. Quare cum talis sit ac tantus

{29.11} Dominus, uirtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace.

Si etiamnum ignoras, inquit, unde gratiae, unde uirtutes, unde pax, unde uita, unde caetera bona proficiscantur, hinc sumenda est doctrina. Nam quemadmodum cum non essemus, a Deo & exordium, & incrementum accepimus, ita & ornamenta uitae omnia, roburque in aduersis, pax item animi, conscientiae tranquillitas, & salus tandem ab ipso expectari debent. Sunt enim quaedam in hoc mundo, quae animi tranquillitatem polliceri uidentur, ut sunt dignitates, diuitiae, ubertas liberorum, & agrorum quoque, uxor prudens, fauor ciuium, & alia id genus multa: quae tamen quam fallacia sint, ac parum sibi constantia, superuacaneum est recensere, simulac cernimus nullum adeo infimae sortis hominem esse, cui non aliquando praedictarum rerum aliqua imponat, eumque fallat. Solus igitur Deus est, qui uere mortalium animos recreat, ac perfecte beat. Ipse enim cum aequam de omnibus uniuersaliter curam habeat, aequae omnibus suae bonitatis radios exerit, aequam omnes tangit, mouet, excitat, quo arbitrium nostrum, alioqui debile, atque ad appetenda coelestia languidum atque iners, habeat quo sese, uti solet uitis suis illis clauiculis, aut ulmo, aut orno se adiungens sustentare, &

fulciat, & robur sumat. Quod quidem id est, quod modo uates uirtutem ac pacem appellat: ut interim, ne nimius sim, non dicam in hoc loco uatem praesagisse filium Dei in carnem uenturum, qui infirmis robur, debilibusque in iustitiae semitis, & uirtus, & fortitudo, quietiam & pax, & iustitia futurus esset. Ipse enim, ait Paulus, est pax nostra. Alioqui corda irrequieta, diuisa, & turbida, sanctissimae huiusce pacis & uirtu-
[uirtutis]

{pdf 228, p. 106}

-tis, hoc est, diuinae uocis & uerbi minime capacia erunt.

PSALMVS cantici dedicationis domus Daud, XXX.

{30.2} Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

Miratur Felix quorundam expositorum ignauiam in exponendo psalmo hoc trigesimo. Et merito quidem reprehendendi sunt, quippe qui in tantae rei enucleatione Iudaicas nescio quas fabulas introducere potius conari uidentur, quam ut solidos sensus, ueramque pietatem, & prophetae spiritum reddant. Somniant enim hi, utpote qui nihil altum & coeleste cogitare norunt, dedicationem eam, quam in titulo psalmi legimus, aut de templo illo antiquo, cuius nulla in psalmo fit mentio, aut de ipsis domus Daud parietibus, de quibus nusquam in scripturis legimus, intelligi debere. Nos uero peritissimis, & illis quidem sanctissimis uiris adhaerentes, audacter dicimus, odam hanc cantici exultantis, gratiasque agentis, pro ecclesiae dedicatione, hoc est, fidelium innouatione, a uate compositam esse. Mens enim humana tunc dedicatur Deo, canitque suae innouationis canticum, cum incipit Deus ipse in ea per fidem primum habitare: deinde per intimam illam, quae solet a coelesti patre post afflictiones immitti consolationem, ac a miseriis solamen. Quare alio in psalmo exoptat uates, petitque spiritum rectum innouari in uisceribus suis, Non negauerim tamen, imo res mihi similis uero uidetur, Daudem domum illam suam regis munificentia aedificatam, priuatim absque caeremoniis & solennitate aliqua sacra dedicasse, Deoque gratias egisse antequam illam frequentare coepisset. qui quidem mos sicuti fuit futurarum rerum umbra ac uaticinii, ita doctrinae plenus, & quem in fidelium coetibus peragi uidemus, qui antequam res quamlibet minimae in usum publicum ueniant, Deo gratias agere soliti sunt, atque illi quicquid ad communis uitae necessitatem & usum habent, acceptum referunt, ac illo propterea ueluti re sacra utuntur. Est'ne animus tam impius, qui rem illam ad fastum ac libidinem habere uelit, pro qua iam Deo gratias egit, atque eam Dei esse donum sibi persuasit? Omissa igitur uarietate illa, quam ab ignauia proficisci scribit Felix, affirmandum ducimus Christum esse, atque cum eo illius ecclesiam fide ac fonte innouatam, quae hic orat, ac gratias agit Deo: Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Quando enim Christus Dei filius, caput ecclesiae, a patre eductus est ab inferis, & nos cum eo educti sumus. Quando resurrexit, & nos quoque resurreximus: ne tibi effingas monstrosum caput aliquod, quod mutilum sit, ac plane informe. Vnum enim, ne dubita, factum est corpus Christi & fidelium. Quod sane considerans iusti anima, totaque prae amore eliquescens, gestit gaudio, exultatque non in rebus quidem pessimis, non in diuitiis, non

in emptis magistratibus, non in ciuium occisione, aut cumulo agrorum & uinearum, sed in fide ac spe Iesu Christi, quae est uera domus Dei, cordis scilicet humani dedicatio. Neque tamen (o rerum diuinarum exundantiam) in hoc tantummodo persistens, in seseque manens, effunditur statim in alios, quos ardentissimo affectu ad secum Deum laudandum, eiusque sanctum nomen celebrandum inuitat, dicens, Exaltabo te Domine: hoc est, omnibus dicam, & praedicabo, quoniam suscepisti me: seu ut legit Felix, quoniam exaltasti me. Iacet enim homo, ac ueluti sordidissimo coeno prouolutus humi cubat, qui in peccatis uiuit: suscipitur uero a Deo, atque exaltatur, quando e tam periculoso morbo & capitali, qualis est mala uoluntas, & erigitur, & liberatur. Et quidem eos ipsos prorsus reprehendendos esse iudico, qui cum se sentiunt ab huiusmodi letali peste Dei dono atque ope liberatos, rem nefariam arbitrantur si eius dona promulgent, seque diuino beneficio & misericordia e peccatorum stercore erectos. Periculosissima sane res est, & quae facile ingratitude notam inurere queat. Impossibile enim esse censeo animam Dei gloriae, non suae studiosam, errare posse, si Dei beneficia huiusmodi uulgo praedicet, atque omnes suo exemplo ad celebrandum eius nomen adhortetur. Tantum ab anima illa omnis absit fastus & fucus, in portu nauigat. Neque hic tamen leuem quorundam facilitatem laudare intendo

{pdf 229, p. 106v}

qui adeo benigni sunt, atque ad suas omnes exponendas merces liberales, ut gratiosiores sint in enarrandis suis, ut uocant, conpunctionibus, lachrymis, & nescio quibus in somno uisis ac spectris, quam quomodo deflenda sit humana conditio quae tam facile in huiusmodi labatur errores, ut Deum, etiam cum non putat, atque in his quidem quae saepenumero uidentur & honesta & bona, occulto, miserabili tamen modo, offendat. Exercitia enim ac studia spiritualia non parum prudentiae exigunt. Quare non nisi summa cum sapientia nos admonet Paulus, spiritus probandos esse, an Dei sint, ab eiusque voluntate proficiscantur.

{30.2} Nec delectasti inimicos meos super me.

Hebraei sic: Nec laetificasti inimicos meos de me. hoc est, noluisti diutius hostes meos gaudere, ac more triumphantium de reportata uictoria ouare: quin potius angelos ipsos humanae naturae amantissimos delectasti de me, utpote maximum qui prae se ferant gaudium super uno peccatore poenitentiam agente. Solent enim illi, qui inter se mutuis odiis ac persecutionibus desaeuiunt, magnopere iucundari, si contingat illorum hostes ui aliqua opprimi, uenenoque aut ferro e medio tolli. Quod quidem meus, meique ordinis autor, Benedictus, non egit qui cum Florentii infestissimi eius hostis repentinam intellexisset mortem, non solum sese, ut diuus refert Gregorius, in grauibus dedit lamentis, tum quia inimicus occubuerat, tum quia de inimici morte is qui annunciauerat exultasse uideretur, sed & ipsi nuncio mulctam indixit, quod de inimici interitu gaudere praesumpsisset. Contra uero daemones, qui in animarum lapsibus & morte, supraquam dici potest, gestiunt & ouant: e contrario uero moerore contabescunt, ac desperati fugiunt, cum animam diuino auxilio a peccatorum turpitudine ereptam cernunt, mutata uitae consuetudine & statu, per fidem innouari, Deoque liberatori suae dedicationis canticum nuncupare, atque illud ex animo polliceri: Exaltabo te Domine: uel, ut reddit

paraphrastes: Laudibus te effer Domine, quod seruaueris me, nec ansam praebueris hostibus meis insultandi cum gaudio mihi.

{30.3} Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me.

Dicto citius pientissimus Dominus curat peccati uulnera, modo serio, atque ex animo oretur. Nescit enim sanitatem differre coelestis medicus, si ab aegroto supplicetur eo modo, quo tanta maiestas a suis postulat orari, absque fuco scilicet atque hypocrisi. Nec porro est quod uereatur anima sibi a Deo concisa, ac per partes peccata remitti: cum summae impietatis genus sit, ut diuus inquit Augustinus, dimidiam solummodo peccatorum a Deo sperare ueniam. Abluit enim totum hominem Deus, quemadmodum eum totum sibi adeo per fidem ac amorem adstrinxit & copulauit, ut unum iam factum sit prorsus caput cum suis membris. Simul igitur ac citissime uulneribus omnibus animae medetur Deus, illamque totam sanat, atque omnino in primam reformat integritatem. Cum primum enim Dauid sese peccasse ex animo nouit & confessus est, statim a uate alio illud consolationis plenissimum audiuit: Transtulit Dominus peccatum tuum a te. Ezechias quoque sacco indutus. Dominum ne se in angustiis illis obsidionis desereret, orauit. qui mox liberatori Deo ob solutam obsidionem gratias retulit. Ita porro ecclesia a sacro undae labro egressa, continuoque egrediens, suum candorem, suamque innocentiam & puritatem Deo refert acceptam. Cor enim morbum suum ignorans, aut dissimulans, aut, quod infelicius est, palpans, curari non potest.

{30.4} Domine eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me a descendentibus in lacum.

Vide an illud uerum sit, quod supra diximus, nos uidelicet ab inferis eductos cum Christus ipse eductus fuit. Explicatius enim narrat a qua re susceptus sit, ac seruatus. Filius quidem Dei est, qui pro sua hic ab inferis liberatione patri gratias agit eo modo, quo alio in loco est usus, dicens: Tu autem eruisti animam meam ex inferno inferiori. Est porro & eius ecclesia, quae unum iam facta cum ipso corpus per fidem, pro sua a peccatis ac morte liberatione eo gratias refert. So-
[Solet]

{pdf 230, p. 107}

-let enim Scriptura, lacum, foueam, infernum etiam, & sepulchrum, pro rebus huius mundi terrificis atque horrendis ponere. Unde arbitror hic uatem eiusmodi transnominibus, horrorem illum ac metum, qui in conscientia pessime de se conscia uoluntatur, innuere uelle, quo intelligas tandem quanti aestimandum sit illud, quod tam horrendis appellatur nominibus. Id sane me opinari cogit paraphrastes, qui hunc uersum sic legit: Domine salua esse uoluisti animam meam ab inferis: seruasti me ne fierem unus e numero eorum, qui praecipite eunt in puteum. An uero spes ulla possit esse salutis de eo, qui praiceps in caput uoluitur in puteum aliquem profundissimum, aut de illo qui in sepulchrum e feretro proiicitur, mirum si interrogas. Hos tamen & a lacu, & a sepulchro, seu ab inferis, quod idem est, maiori Deus excitat facilitate, quam si uertas manum. Et quidem ne tanta res aliquando in dubium uerti posset, ipse prius e monumento, atque adeo ab inferis, tetrisque spirituum immundorum sedibus, & uiuus, & illaesus prodiit. Caeterum equidem mihi semper persuasi, nullum lacum aut puteum

tam profundum esse atque obscurum, quam est profunda & obscura res ambitio, auaritia, simultas, libido, hypocrisis. Quot enim sunt uitia, tot sunt profunda. Quare alio in psalmo se uates huiuscemodi pene ineuitabilibus profundis circumuentum sentiens, ueh usque ad raucedinem clamabat: De profundis clamaui ad te Domine. Tantum uero abest ut propter carnis illecebras in profundum aliquod lapsi, turpique consuetudine, atque habitu deuincti, in illo diutius maneamus, ut etiam uix tacto fundo ualidissime emergamus: nam periculosissimum illud in primis est, in peccatis habitum, unde impenitentia oritur, contrahere, quasique callum obducere, atque propterea obbrutescere.

{30.5} Psallite Domino sancti eius, et confitemini memoriae sanctitatis eius.

Vide beatæ animæ in proximos candorem. Non contenta enim proprii caloris atque aestus, caeteros quoque uiros iustos, ad uitamque ascitos, ad extollendum Dei nomen secum excitat. At quo pacto, inquit Eutymius, humilis homo poterit Deum exaltare, qui excelsus est? Confitando nimirum, ac praedicando quod altus is sit, & sublimis. O uos igitur iusti, boni, sancti, electique a Deo uiri, psallite Deo mecum, ipsumque colite, ueneramini, atque ore simul & spiritu laudate. Nam qui hoc modo Deum non laudat, tametsi ore psallat, Deo non psallit, sed parietibus, aut tectis. Mens enim uaria, atque inconstans, non ualet uerba uitæ citra sui damnum proferre. Quis unquam a felle aut absinthio mel ebullire uidit? Psallite igitur eo modo quo tanta maiestas extolli potest, spiritu scilicet ac mente, ut nos hortatur Paulus: Et confitemini memoriae sanctitatis eius. hoc est, celebrate sacrosanctam memoriam maiestatis eius semper, sed tum maxime, quando recordamini quod uos sanctos, uos bonos, uos iustos effecit. Confitemini, inquam, illi, quoniam recordatus est misericordiae suae Dominus, qui nos, quos antea ob delicta a memoria prorsus eiecerat, ad memoriam reuocat. Porro is ab Deo ignorari dicitur, quando in peccatis obduratus iusto Dei iudicio in reprobam traditur mentem, unde prauae exeunt actiones, ociaque a uero prorsus aliena, Subtracta enim diuinitus luce, tenebrae statim ignorationis emergunt, quas quidem a Dei obliuione, uerbis sane humanis, sed recondito sensu atque intellectu, enasci dicimus, eo modo quo asserimus improbos homines tradi in reprobam mentem, cum suo uitio ac proposito in peccati turpitudinem, & ut uocat Paulus, passionem ignominiae cadere permittuntur.

{30.6} Quoniam ira in indignatione eius, et uita in uoluntate eius.

Non paruum quidem periculum existimari debet, in celebranda Dei erga electos memoria non sedulo uersari. Sed nescio qua nostra ignauia id accidat, ut raro diuinorum beneficiorum nobis continuo, uel cum non aduertimus animum, collatorum, in mentem ueniat, nisi cum ipsa sentimus, ac manu tangimus: cum tamen illud in primis munus interdum eo dignius, nobisque magis praestare est censendum, quo acerbius quod coelitus datur, & nobis quamplurimum officere uidetur.

Quocirca diuitiarum copia, rerumque affluentia caeterarum, ut sunt corporis pulchritudo, sanitas, biberi, fauor principum, atque huius generis alia, magis aliquando nocuere homini, quam paupertas, rerumque omnium humano usui necessariorum indigentia, corporis foeditas, & aegritudo. Quid liberalia studia memorem? quid literas? quid humanarum rerum, addo & diuinarum scientiam, legumque omnium doctrinam enarrem? Longe enim interdum haec omnia uisa sunt cedere simplicitati, sanctaeque quorundam ignorantiae, cum ab illis saepius tam magnificis donis, quam ab istorum fatuitate ac nescientia, beluae illae tam infestae cum orbi uniuerso, tum potissimum ecclesiae Dei, ambitio, fastus, superbia, atque haeresis tandem deriuauerunt. Quam satius enim aliquando esset, ac sanctis coetibus magis utile, in iis potius, quae stulta uulgo uidentur & infirma, nostros proceres, e quorum uita caeterae multitudinis salutem pendere cernimus, uersari, atque ab ipsis animi oblectamenta capere: quam ea sectari, studioque omni persequi, quae sibi apud uulgum gratiam atque honorem conciliare somniant. Hoc certe modo & respub. suos Numas, suos Catones, suos Lycurgos, suos Aristides haberent, & ecclesia sanctitate magis uigeret, claustraque ac coenobia tum uirorum, tum mulierum, altissimis contemplationibus, ad quas e uulgo reliquo euocati sunt, ardentius operam nauarent, omissis interim rebus illis omnibus, quarum specie illecti quidam nihil tam auide quaerere uidentur, quam ut regnent solummodo, ac praesentis uitae commodis perfruantur. Errant plane. At ego non minus, qui ab instituto praesenti tam longe digressus sum. Ad psalmum igitur, a quo tam imprudenter discessit, redeat stylus. Felix hunc uersum aliter ex hebraeo legit: Quoniam instans in ira eius quasi dicat: Ira eius est uelut instans. Nam eius generis ira cito in uiro probo sedari solet. Apertius paraphrastes: Momentanea, inquit, est ira illius: amor uero quo pro sequitur suos, in omnem durat uitam. Notat hic Eutymius, iram castigationem intelligi: idcirco is erit sensus: Licet castigatio diuina, qua interdum uisitantur mortales, e maxima Dei excandescencia, & indignatione exire uideatur: uita tamen ac salus in eius sunt uoluntate. hoc est, etsi uelut iustus punit, ut misericors tamen, & cupit, & uult misereri, parcereque, & in finem seruare. Atqui notanda est familiaris admodum in propheta, ut saepe admonui, de Deo anthropopathia. Humano enim more nostrae consulens imbecillitati, de diuinis personis loqui nobis instituit. Homo enim ira feruidus, cum aliquem tum punire contingit, id facere dicitur inconsulto, neque ex animo, sed casu potius, & subito percitus irae motu. Eodem itaque modo ad ostendendam uindictae breuitatem in Deo, & quam grauate puniat, dicit castigationem eius in ira, indignationeue, atque excandescencia uersari, quippe qui non ex electione, aut proposito puniat, cum magis in uoluntate habeat (quae est eius naturae incomprehensibilis bonitas) seruare, uitamque, non mortem inferre. Quid, inquit, aliud uolo, nisi ut conuertatur homo, & uiuat? Caeterum quomodo mors potius quam uita ab illo, qui fons est uitae, ac ipsamet uiuificans omnia uita, expectanda erit? Nonne id illud omne, quod factum est, in ipso uita erat? Mortem igitur execratur Dominus, uitam uero in nobis & amat, & impartiri appetit, modo nos uitam magis eligamus, quam mortem. quod si tamen aliquando occidere uidetur, hoc non agit, nisi ut uita statim danda charior sit: neque interim aliud cogitat, quam uitam nostram, quam bonum, quam pacem. Verum cupis ne, ait uates, experiri quae dico, iram scilicet Dei breuem esse, consolationem uero & diuturnam, & celerem?

{30.6} Ad uesperum demorabitur fletus, & ad matutinum laetitia.

Si, inquit, uesperis mali quippiam occurrerit, illico tamen euanescet. Quem quidem sensum ita reddit paraphrastes: Si forte, inquit, sub uesperam accidat flebile quicquam, illud in ipsa aurora commutabitur in gaudium. Adeo Dei uoluntas est, ne sui diutius in miseria maneant. Est quidem fletus, est moeror, est tristitia, atque animi cruciatus, dum durat tentatio illa in qua a Deo quasi deserui uidemur. Quis oro, in tentationibus ac mundi molestiis positus, laetam uiuere potis est uitam, cum sese a coelesti patre derelictum suspicatur? Quam sapienter igitur illud ab apostolo

{pdf 232, p. 108}

ad praesentem rem faciens est dictum. Omnis, ait, disciplina in praesenti quidem non uidetur esse gaudii, sed moeroris: postea uero fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae. Caeterum quis etiamnum est qui ignoret calamitatem occasionem esse uirtutis? Prospera certe ac secunda semper fere in uilia, ut inquit Seneca, deueniunt ingenia. Surgite, clamat alio in psalmo Dauid, postquam sederitis o uos qui manducatis panem doloris. Non sane semper (haud desperemus) in miseriarum tenebris erit sedendum. Habet enim male antea uitae recordatio suas lachrymas, suos fletus, suam miseriam, ac quandam animi desperationem: sed & spes suos excitare solet aculeos, gaudium, consolationem in spiritu sancto. Sepulto quidem Domino uesperis flebant omnes, mane uero gauisi sunt discipuli uiso Domino. Uesperis etiam omnis flebat populus cum rege Ezechia cum audisset minas Sennacherib: mane tamen laetati sunt in Domino, intelligentes, ut sacra refert historia, tot millia hominum ab angelo interempta. Ezra doctor hebraeus putat hunc uersum ita legi debere: Qui ad uesperam se cum fletu domum recipiunt, mane laetitia exultant. Verum utramuis sequaris literam, is unus erit sensus: Cito finiendas esse bonorum calamitates, neque propter illorum acerbiteriam desperandum, utpote quae, etiam si per totam perdurent uitam, momentaneae sint, ventoque ipso uelociores, si aeternae illas felicitati compares.

{30.7} Ego dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum.

Solent enim hi, quibus fax aliqua coelestis consolationis illuxit, sic intra se: Quis me separabit a charitate Christi? non equidem amplius mouebo a generatione in generationem, sine malo. Iam me sentio hostilibus armis impenetrabilem factum. Dedit iam tandem coelestis pater calamitatum mearum cumulo finem, carnis illecebris pacem, cupiditatibus terminum, ac a malis omnibus me prorsus exemit. In hac igitur, tantaque mea quiete & tranquillitate positus, non labascam posthac, recedamque, ut prius, a iustitiae semitis. Incauta sane haec est confidentia, ac parum exercitati in rebus spiritualibus animi argumentum. Quandiu enim grauissimum carnis onus nobiscum commoratur, non est qui queat dicere se non posse amplius, uel in ipsa capitalia peccata corruere. Atqui nonne Dauidem olim, eo maxime tempore, quo se a Deo confirmatum in regno praedicabat, in morbum statim, ac non nullorum iniurias incidisse legimus? Forsan ille uicissitudinis humanae parum memor, ob fauorem illum Israelis ad Hebron, unctionemque illam regia tam celebrem, populiue frequentiam, ac reportatam de Iebusaeis uictoriam, sibi ab aerumnis uitam prorsus immunem polliceri fuit ausus. Quid Petri confidentiam memorem? qui (ut sibi uidebatur) promptus cum Domino suo commori, ad unius mox foeminae interrogationem perterritus fidem fregit, iurauitque se Dominum suum non agnoscere. Nos imprudentes, si constantiores in proposito, atque

in fide solidiores, quam ipsi perfectissimi uiri fuerint, nos fore speramus. Proinde uerissimum illud esse non dubito, neminem adeo felicem esse, tamque in coelestibus rebus & altus, & excellens, quin illico miser fiat, si suos subtrahat radios iustitiae solita neminem in tantas proiectum esse calamitates, quin actutum emergat ac beatus fiat, si fauerit Deus. Vicissitudine enim huiusmodi tum miseriarum, tum consolationum, experiri solet suos Deus, ut de se, suisque rebus diffidentes, penitus in ipso solo spem omnem suam collocare perdiscant. Et quidem (ni fallor) eius generis exercitatio & lucta in sequentibus exprimuntur.

{30.8} Domine in voluntate tua praestitisti decori meo uirtutem.

Successum rei enarrare incipit, ac, ut suus est mos, illa omnia, quibus sese contra ictus aduersitatum immobilem senserat, Dei esse praedicat. Interim, ait, tu, non ego, praestitisti decori meo uirtutem: non id, inquam, meis actum est consiliis, non meis studiis, non mea uoluntate, sed tua. Tu Deus, non ego homo, ille fuisti, qui robur, uirtutemque praestitisti meo decori: hoc est, meae, ut mihi uidebatur, stabilitati ac perfectioni constantiam suppeditasti Non sicut ego de me praesumo, sed ut tuae placitum est uoluntati, me in tuis donis quemadmodum collocas, ita & firmas, &

{pdf 233, p. 108v}

undequaque, ne nutem, fulcis & roboras. Ex hebraeo illud, decori meo, monti meo habetur. quem quidem montem, intellectum interpretantur, ueluti qui, uti mons in campis syluae, in homine admodum emineat, & cui illius generis a Dei uoluntate contingat & robur, & firmitas, quorum praesidio neque in secundis rebus sese efferat, neque in aduersis nimium perlanguescat, frangaturque, aut mulierum more perfracte nimium doleat. Quare sic reddit paraphrastes: Tu Domine munuisti quod praecipuum est, uim scilicet intellectus instar montis aequam, inconcussamque fecisti. Verum tu stultitiam meam repressurus,

{30.8} Auertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus.

Sic o Domine praesumptionem meam eo periculosiorem, quo se sibi ueluti ideam quandam sanctitatis effugit, castigare solitus es. Tua igitur, uel tantillum quidem, auersa a nobis facie, nostra subito conturbantur consilia, languida fit mens, ac prorsus consternata contabescit. Deus enim tunc nos respicere dicitur, cum nostris fauet optatis: ex quo quidem fauore uim sumens animus exhilarescit, gaudioque afficitur, & in conscientiae tranquillitate dilatatur. Ubi uero se longius ire simulat, nostrisque precibus ac uotis surdum quodammodo sese exhibet, iacet anima, conturbaturque, & in ipsis tentationibus atque angustiis clamat, suspirat, ingemit, precaturque id illud, quod sequitur:

{30.9-10} Quae utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem? (Verum interim) Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.

Vide quo se anima in tanta sui consternatione dirigat, undeque opem sibi promittat. Eo certe, si sapit, clamorem omnem suum ac lachrymas, unde certissimum speratur

auxilium, uertet, experta nimirum toties pacem ueram, tranquillitatemue in orationibus, quae castis desideriis, cordeque de diuina protectione minime dubiae fiunt, sitam esse. Sed nescio qua miserrima sorte id accidat, ut perpauca sint, uel in ipsis profitentium sublimia conventibus, qui norint, quo modo, quoue studio, atque animi exercitio rogandus sit Deus. Putant enim aliqui Deum perpetuo sibi foedere deuinxisse, si aut non declinent (utcunque id fiat non multum referre existimant) a praescripto orandi tempore: aut suis in quibusdam, ut uocant, deuotionibus pertinacissime, uel usque ad nauseam spiritus perseuerent. Quemadmodum enim flagrans animae intentio, ac perseuerans in orando institutum, semper habitum est celebre & diuinum a sanctissimis uiris: ita stolidi quorundam ars, ac prorsus athea, in oratione quae fit Deo, periculosissima uisa est, planeque immunda atque ignorationis plena, & quae ipsis quoque beatissimis spiritibus, nedum quidem Deo, indignationi ac stomacho soleat esse. Hincque fatuae illae prodeunt interdum quorundam iactationes de manso breui hora psalterio, de lachrymis, dum alii stertunt, antelucanis, de ecstasi, de perfectissimaque irrationabilium affectuum mortificatione. O homines certe reprehendendos, dignosque, quibus probior coelitus impartiat mens atque animus: qui cum natura igneus sit atque diuinus, in his solummodo uersari debet, quae uere ardentia sunt, prorsusque coelestia, atque a mundi crassitie aliena omnino. Censet Eutymius in hoc loco naturam humanam a uate taxari uilipendique quasi mortalem, ut ipsemet inquit, ac breui extinguendam, & quam alio in psalmo uanitati persimilem esse asserit. Utcunque sit, animam pro uita, quae in sanguine sita est, poni in scripturis cum saepe alias, tum in Leuitici lib. maxime legimus. Anima, inquit, omnis carnis in sanguine est. Quis unquam, nisi Empedoclis prorsus discipulus fuerit, illam animae partem, quae & ratio appellatur, & cui aeterna promittitur felicitas, in sanguine iacere uoluit? Ad quid igitur, inquit, utilis erit uita mea, si descendero in corruptionem? uel, ut reddit Felix, in foueam, seu lacum aeternae mortis? Atqui hic rursus quasi impatiens consideranda erit cupiditas manendi in uita illorum, qui idcirco maxime uiuere cupiunt, ut magis ac magis Dei gloriam, ac nomen praedicare possint. Melius est, inquit, ut uiuamus, etsi ob nullam certe nostri rationem, at saltem ob illam, ut tua gloria per nos, ac ueritas illustretur, spargaturque fama tui nominis per uniuersum orbem, non ut carni

{pdf 234, p. 109}

& mundo a tuis inseruiatur. Arbitror hinc scire posse homines ad quid conditi sit, cur uitam cupere, quibusque rebus obtemperare debeant. Nulla certe res alia, aut desiderium manendi in uita tam honestum est ac laude dignum, quam illud, quo quis idcirco diu in care uiuere exoptat, ut diu in celebrandis Dei laudibus ad caeterorum exemplum occupari queat. Quare sic cum Deo rationes suas computat:

{30.10} Nunquid confitebitur tibi puluis annunciabit ueritatem tuam?

Minime quidem omnium: quin potius uiuens uiuens ipse confitebitur tibi. Si uixerit, ait, te laudibus efferam: si in cinerem resoluar, quae tibi aut tuis utilitas? nunquid inanima laudare te poterunt? poterunt forsitan, ut sunt plantae, saxa, arbores, sol, luna, sydera, quibus maximus inest decor atque elegantia: at a corruptione, a putre gleba, a puluere & cinere, quid decoris? quid laudis sperari potest? A pallida enim in emortuis faucibus &

lingua, & uoce, num laus illa, quam tanta exoptat maiestas, expectari conuenit? Ne igitur hoc, quod timeo, accadat,

{30.11} Exaudi Domine & miserere mei, Domine esto adiutor meus.

Sic enim hunc uersum legit Felix. Verum si nostra magis arridet litera dicendum erit, uatem rei, atque opis futurae certum, de iis quae uentura erant, perinde uaticinatum esse, ac si iam praesentia essent. Eo enim modo diuina se habet natura, ut illi aequae futura ac praesentia indifferentia sint: quae & indifferenter suis, cum opus fuerit, impartit ac reuelat. Vides itaque quo modo, aut qua arte uir sanctus suam sibi praeparat dedicationem, nempe animae purgationem & lumen: quod sane sibi a Dei misericordia atque auxilio profectum asserit. Quocirca sanctissima, ut sic dicam, iactantia, quod sentit aperit.

{30.11-12} Audiuisti (inquit) Dominus, & misertus est mei, Dominus factus est adiutor meus. Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circundedisti me laetitia.

Dictio enim, planctum, in hoc uersu eius efficaciae Hebraeis est, ut lamentationem potius & fletum cum eiulatu permixtum prae se ferat, quam planctum simpliciter: quanquam apud Latinos quoque planctus, seu plangor, idem ferme sit, quod fletus cum pectoris percussione, ac queribunda uoce & ululatu. Vide grati animi indicium. Nam simulatque suam in re praesertim tam periculosa expressit luctam, de dato coelitus auxilio laetatur, fateturque sese gratias diuinae bonitati acturum. Post dolorem, ait, male transactae uitae, post tentationum rabiem, post hominum perfidiam ac persecutiones, post fletum, post lachrymas, uertisti tandem moerorem omnem meum in gaudium, seu, ut legit Felix, in chorum: aut, ut alius reddit interpretes, in tripudium. Et sic sane cum iratus fueris misericordiae recordaberis. Caeterum quod ait saccum suum conscissum, antiquae nos admonet consuetudinis, qua illi, qui in inconsolabilem aliquem dolorem inciderant, lugubri ueste, quam saccum uocabant, induebantur: ex quo quidem more illud est in Iona libro de rege Niniuaeo scriptum: Surrexit, inquit, rex de solio suo, & abiecit uestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Qua quidem periphraasi intelligi oportet, regem illum e regali fastu & laetitia in extremum moerorem ac luctum deuenisse, quemadmodum hic uates hac uerborum congerie exprimere uoluit, quod placato Domino, atque ad se per diuinos afflatus conuerso, discessit moeror, luctusque abiit, & ululatus. Circundedisti me, inquit, laetitia. hoc est, me totum penitus a dextris, & a sinistris, a planta pedis usque ad uerticem cooperuit, ac cinxit me spiritus non huius mundi, sed coelestis ac plane beatus. Caeterum si aduersa sunt quae accidunt, omnia sustineo per eum, qui me confortat. Si felicia, non efferor, non intumescio, sed ex his potius qualia sint aeterna bona coniecto. Tantum enim abest, ut in munitissimis rerum fragmentis considerandis (fragmenta appello ea omnia, quae uiro probo accidere possunt in hoc mundo, siue amara sint, siue dulcia) multum immoremur, ut etiam pertinaci proposito contemnamus. Sola enim coelestia & aeterna, nos occupare & debent, & possunt, modo animorum originem non ignoremus.

{30.13} Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar, Domine Deus meus in aeternam confitebor tibi.

{pdf 235, p. 109v}

Hic gloriam uocat propheta diuinorum beneficiorum memoriam, qua in primis animus gratus Dei gloriam extollere consuevit: hoc est, ut diuus ait Augustinus, nihil boni ex sese, ab Deo autem omnia proficisci putare. Num parua illa censebitur gloriatio, qua uirum sanctum gloriari condecet ac potest, se Deo charum, illique curae esse, atque propterea tutam in omnibus uitam agere? num illa, per quam iactare se solet peccata sibi omnia gratis remissa, seque cuncta legis praecepta, alioqui humanis uiribus imparia, per Dei filium exequi potuisse? Vide igitur, o homo, quo tua destinanda sit gloriatio ac laetitia, postquam absterso manu Dei luctu & moerore, pax animi conceditur. Insiapiens enim admodum es, si te a Deo ad effoeminatos plausus, iocosque ac luxus enutriri censes. Scilicet tam sublimi naturae ac numini tua est cordi lasciuia, neque aliud in primis curat diuina maiestas, quam ut tuam foueat mollitiem & teneritudinem, Felix & caeteri quoque Hebraei, Et non compungat, uertunt, & non sileat: ut perpetuum tenorem atque institutum laudandi Deum in uiro sancto esse pernoscas. Compunctum praeterea cor in homine uelit nolit silere cogitur: unde recte asserere possumus, taciturnitatem necessario compunctionem comitari quod quidem ab Eutymio notatum esse uideo, cum scribit hic, quod consequitur significatum esse ex eo quod praecedit. Verumenimvero nec dictio, compungat, uidetur absque ratione poni ac legi. quare is erit sensus: De te cantabit anima mea, non de adeptis diuitiis & magistratibus: de te, inquam, omnis mea erit gloriatio, non de numero agrorum, aut aedium: neque unquam me tuae eiusmodi laudis, aut de te gloriationis poenitebit: scilicet, quod reddit paraphrastes, incessanter te laudabo, bonumque mihi abs te datum, tibi acceptum referam, non mihi meaeque uoluntati, aut arbitrio: & tandem in aeternum, id est, toto tempore uitae meae, me totum, tuum ad honorem & gloriam incendam: adeo ut nihil os, nihil lingua, nihil mens, atque ipse animus tandem aut cogitare, aut loqui iam uelit aut possit, quod tuum nomen quod tuam gloriam, quod tua benefica & dona non referat, orbique uniuerso praedicet ac diuulget. Ne uiuam, si aliud cogito.

PSALMVS DAVID in finem XXXI. ./

{31.2} In te Domine speraui non confundar in aeternum, in iustitia tua libera me.

Neminem unquam ex antiquis autoribus, siue is uates fuerit, siue patriarcha, quos ecclesia fundamentum appellat Paulus, me legisse memini, qui tam honorifice spem & fiduciam de Dei bonitate suis scriptis celebrauerit, quam Dauid, qui tam crebro illam extollit, ut ferme nullus sit psalmus, in quo spei mentio non inseratur. Nouerat enim uir sanctus id praecipuum esse telum, quo audacia hostium tam uisibilibus quam inuisibilibus retundi potest. Quid putas aliud in causa esse quod tam assiduis discordiis orbis fere uniuersus impraesentiarum exagitat? Quid porro aliud arbitremur secundos Turcis in Christianos praebere successus, quam a Christianorum pectoribus spei absentia, atque exilium? Quid, oro, ad tantam proiecit sui obliuionem ecclesiam? Quid respublicas* euertit funditus, atque a iustitia, a pace, ab aequitate deturbauit ciuium animos? Unde ambitio? unde cupiditas? unde dominandi libido, etiam in his, qui in

intimis ecclesiae penetralibus & claustris latitant? unde luxus? unde fastus, simulasque, simulatio, dissimulatio, atque omnis generis uitia emanant? nisi quod in re alia quam in Deo suam collocant fiduciam ac spem, mortalium plerique? Nuper enim a senatu Veneto, ob atrocem admodum nuncium, quo ferebatur Corcyram a Turcis obsideri, consternato, interrogatus CAMILLUS Ursinus an uellet cum exercitu Dalmatiam traicere, respondit se nihil tam auide cupere, quam pro Christo in acie occumbere. quem sibi semper tamen cum in tam iusto bello, tum ubique locorum affuturum speraret. O uocem certe Christiano imperatore dignam. Non rursus silentio praeteribo Genuensium rempublicam quae eodem nuncio, quo Veneti, perterrita, nihil in primis curauit, quam ut coenobiorum uiros ac mulieres, largissimis eleemosynis inuitaret ad diuinam exorandam opem in re maxime tam necessaria & periculosa: spe quidem ac fiducia, quam de Deo conceperant, eam prae se ferentes normam pietatis cae-
[caeteris]

{pdf 236, p. 110}

-teris respub. qua nimirum a tam nobili populo instructae non ignorarent inde magis, faciliusque diuinum impetrari posse fauorem in reprimenda tam potentissimorum hostium ferocia, quam ui belli, classeque, facinorosorum hominum colluie, atque re populorum, simul & ecclesiarum instructa. Daudid enim cum rex esset fortissimus, atque adeo sui exercitus strenuissimus & dux & imperator, uictoriarum tamen summam ab Deo magis, quam a munitissimis arcibus, aut uallo, aut ossa, sperandam esse censebat. Quare ubi cum hostibus confligendum erat, a munere quidem ducis optimi, militisque fortissimi, sibi minime cessandum arbitratur, quippe qui non minus ignauiam uel sibi, uel suis militibus nocituram aiebat, quam Philistaeorum, Iebuseorumque, ac caeterorum hostium & arma, & ingenia: spem tamen suam omnem uictoriae in Dei magis auxilio & uoluntate se posuisse cum alias saepenumero altis in psalmis, tum in hoc maxime, quem modo exponere intendimus, testatus est, quam in falcatis curribus, cataphractorumue numero, aut uelutum. An uero spiritualibus in praeliis alia possit esse formidabilior hostibus armatura, quam sit fides, fiduciaque ac spes in Deo, hi certe norunt, qui a tenerioribus annis ad decrepitam usque aetatem in acie illa fortiter uersati sunt, in qua non corpus, sed anima uulnerari solet. Caeterum animalis homo, carnique prorsus addictus, cum ne semel quidem ab arena uictor discesserit, ea quae in abditissimis animae recessibus peraguntur, non facile perscrutari poterit. Clamat igitur hic Daudid. Clamat anima, suum non ignorans periculum. Clamat tandem Dei filius pro nobis, postquam nos in re nostra tam somniculosi sumus, & tardi: In te Domine speraui, non confundar in aeternum. Nego equidem quenquam esse, qui, cum orat, etiam si spiritus ardore sese inter Seraphicos immisceat choros, non confundatur, repulsumque se a Deo non sentiat, si absque spe orare praesumat. Vult enim coelestis pater a uacillante minime animo rogari: alioqui omnia animae illi daturus, quae a terrenarum rerum uisco libera, quemadmodum amorem, ita & fiduciam omnem suam ac spem, in diuinam bonitatem transfundit. Tantum id unum expetendum erit, ne in re petenda aberretur. Non omnia enim quae suspiriis, ac gemitibus orari solent, impetrantur. Scit ille, qui res nostras etiam nobis ignorantibus moderatur, quid nos deceat, aut nobis utile sit, aut quae magis, quaeue minus officere aut prodesse queant. Idcirco semotis semper a sapientissimo artifice his, quae aut nihil nobis conducere, aut multum obesse possunt, ea tantummodo elargitur, quae magis utilia sunt, & quae ad salutem nostram facere

certissime nouit. Hac enim persuasione quis orans, nunquam suis in supplicationibus pudefiet confusus, reiectusque ab actu illo diuino orandi nunquam discedet inauditus. Res uero illae, quae adiaphorae sunt, si absque certa fide impetrandi postularentur, quippe quae tam nobis aduersa esse possunt, quam utilia, non sane multi admirandum esset. At peccatis ueniam, salutemque aeternam, quam idem ipse Deus etiam interposito iuramento dare est pollicitus, titubanti fide petere, idem impietatis genus est cum illo, quo quis asserere audet Deum inconstantem esse, ac facile a promissis cadere. Vides quo nostra interdum nos popularis protrudat sanctitas? quae tum sibimet ipsa magis applaudere solet, cum minus solide, minorique fide ac spe se uidet orasse. Vocamus enim necessariam illam in orante fiduciam, praesumptionem, & id maxima cum spiritus sancti iniuria & contumelia. Tantum porro abest, quod alias admonuimus, ut in delectu rerum earum, quae petendae sunt, fallamur, ut etiam in dies magis in doctrina illa spiritus, quae omnem docet ueritatem, erudiamur. In aeternum, inquit, hoc est, non semper confundar, licet ad tempus confusus uidear, atque a te derelictus. Num semper abs te eiectus uidebor? Minime quidem. Sed in iustitia tua, non in mea, quae imbecillis est, tua uero potentissima, libera me, tuaeque consolationis pabulo enutri, & pasce. Iustitia Dei in hoc loco, ut alias diximus, perfecta, est eius natura, qua undequaque beatus est, ac summe integer, & per quam solam seruamur, atque in adoptionem filiorum Dei asciscimur. Cogitanti enim mihi saepenumero, ac stupent, quam uarii sint nostri spiritus & motus & affectus, uaria item consilia ac studia, illud in primis occurrit magnopere reconditum, cogitatuque difficile, atque ar-

[arduum]

{pdf 237, p. 110v}

-duum, an vir ille in tuto esse dicatur, qui in extremo, quod aiunt, anhelitu constitutus, agensque animam, Deo posthac, si uixerit, pollicetur sanctius suae se uitae nationes instituturum, legesque alias arctiores illi unicae, quam in anteacta uita non seruauit, additurum: quibusque seruatis sperat opportuniori tempore, quam illud sit, quo tum sibi demigrandum esse timet, confidentius emori posse. Is sane, ut quod sentiam eloquar, uidetur mihi in iustitia sua, non Dei, uelle mori, cum in Dei iustitia obire mortem nihil aliud sit, quam nullo habito respectu meritorum, demeritorumue, morientem sese totum in coelestis patris sinum proicere, atque ab illius iustitiae & bonitatis fonte, ne pilum quidem discedere. Alioqui in ratiocinatione meritorum nimium, quae miserrima est hominis consuetudo, inturgescet, aut in considerandis improuide de meritis desperabit. Quid uetat igitur animum in Dei fide eruditum, spontaneo motu, atque hilari desiderio e corpore, cum iubetur, exire, simul ac nouit peccata omnia nostra, e quibus ortum habent demerita, filii Dei esse facta, illius uero merita, nostra?

{31.3} Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.

Aures in Deo uolunt esse sapientiam & misericordiam. Illa enim nostram intelligit miseriam atque indigentiam, hac exaudit & miseretur. Vates quidem diuinas operationes ab humanis edocere consuevit, quo nostrae naturae (ut sic dicam) crassamento succurrat, quae humi pressa, raro ad ea speculanda quae Dei sunt, nisi per corporea, & quae usui hominibus sunt, sese erigere est ualida. Verum considerandum,

quomodo indignum haudquaquam sit Deo, si illum dixerit uates aurem ad suorum preces inclinare: qui sane mos his esse solet, qui cum procerioris staturae sint, aurem ad os tardiuscula prolatione, uoceque exili hominis loquentis, quo facilius audiant, inclinant. quare is erit sensus: Tu Domine cum excelsus sis, ac super omnem sublimitatem sublimis, ad humilem tamen animam, tremulaque uoce suum dolorem proferentem, aurem inclina. Tu medicus, ego infirmus: tu Deus, ego homo, uas scilicet fragile ac uitreum. Accelera ut eripias me. Vidisti ne unquam aliquem in annem rapidum e lembo elapsam, aut in lutum ab equo excussum, seu e praerupto saxo pendentem, ac uix uix se, ne praeceps cadat, summis digitis continentem? Is enim hoc fortius praetereuntium opem implorat, quo cernit sese in maiori periculo constitutum. Nedum quidem clamat, sed ut celerius accurratur, clamorem ingeminat, instat, urget. Eodem sane modo res se nostrae habent. Vndique enim sexcentis circumuenti periculis, in dubio nauigamus. A dextris quidem in rebus prosperis, elatio & fastus: sinistris autem in aduersis, desperatio. Hinc gula, somnus, ocium, desidia: illinc inordinatae animi appetentiae, uariique mentis affectus ac studia, ueluti tauri pingues obsident nos, & nostram non considerabimus miseriam? Ecquis animum habens non prorsus rationis expertem, suumque aduertens periculum, non uociferabitur ad Dominum, atque eum, clamore & ter & quater repetito, ad celerandam opem non prouocabit? Nunquam certe ab huiusmodi solitudine relaxandus est animus. Alioqui tum maxime in alto iactamur, cum nos tuto in portu nauigare credimus. De Dauide quidem legimus, quod cum requiem neque in montibus, neque in uastis eremis a persecutionibus immanissimi regis Saul inueniret, desperabat se posse euadere: nam Saul & uiri eius in modum coronae cingebant Dauidem. Vides, ni fallor, sub typo Dauidis, quomodo uiro iusto nullus locus ab insidiis tutus sit, siue in solitudine secum, siue in frequentia cum caeteris vitam agere instituat. Quare

{31.3} Esto mihi, o Domine, in Deum protectorem, et in domum refugii ut saluum me facias.

Idioma id Hebraeorum est. quasi dicat: Esto mihi protector & refugium. Caeterum illius generis appellationum, refugii, arcis, rupis, petrae, & similium congeries, auxilii rursus, opis, patrocinii, magnitudinem periculi indicat. & est sensus: Ad te solum Domine confugio: tu arx, tu robur, tu uallum, tu rupes hostibus meis inaccessa. hoc est, te opitulante cadunt illico conatus quamuis acerrimi hostium. Olim enim Iudaeorum populo per regiones a Mose constitutae fuerunt ciuitates refugii, ad quas confugere illos fas erat, qui in delicto aliquo capitali deprehensi,

{pdf 238, p. 111}

eo in loco, in quo crimen illud incurrerant, tuto habitare non permittebantur. Umbra sane diuini praesidii illa fuit, ad quam quidem uates, ut suus est mos, secretissimo artificio allusit, Deum ipsum refugii domum appellans. Unde sequitur:

{31.4} Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu.

Alia litera: Quia pro petra, loco uidelicet inaccesso, atque undique praerupto, ac pro turri (haec est fides) mihi esse soles.

{31.4} Et propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Cum nomen Dei (ut alias admonuimus) sit ipse Deus, deduci propter nomen Dei, erit ab ipso Deo propter semetipsum, non propter merita nostra, aut operationes Deo dignas, quae a nobis exire possint, duci ac regi. Quare is erit sensus: Dux mihi eris Domine, atque a confragosis montium locis me in opima camporum pascua tanquam tenellam ouem deorsum minabis, ibique me enutries, ac uberrimis tuarum gratiarum herbis ales & sustentabis. Omnis certe alius cibus mortalis est ac terminabilis, & qui mihi facile nauseam ciere potest: tuus uero immortalis, aeternus, consolidansque & cor, & animam. Idcirco stolidi esset animi, planeque uecordis, ab illo satietatem sperare, & uitam, cum mortalis sit, ac corruptioni obnoxius: tuus autem uiuus, & caetera omnia uiuificans, uitamue dans mundo.

{31.5} Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus.

Passim Daud in psalmis fraudulentorum hominum astutias, atque adeo spirituum immundorum insidias, laqueos, aut retia appellat. Res sane commiseratione digna uidetur, cum aucupum insidiis, aut uisco, aut rete capta auicula, in tricis illis dolosis implicatur: sed magis illa, cum uir probus, improborum hominum laqueis, calumniis, falsisque delationibus & iniuriis irretitus, miserrimum in modum pertractatur. At longe atrocius esset spectaculum, si aspectui humano patere posset, quomodo anima in turpissimis illis suis appetentis, ac concupiscentiatum sordibus faeaeque libidinum & curarum inuoluta, miris sese distorqueat modis, & se excruciet. Incauta enim dum forsitan nimium ob propriam excellentiam aut turget, aut praesumit, in laqueos illos, qui per deliciarum uepres ac sentes delitescunt, incidit, irrisa nimirum ab ipsis aucupibus, atque ostentui habita. Hoc igitur tropo uerborum uoluit uates dolosorum simulationes exprimere, qui dubiis semper uerbis responsa dantes, hamatum animum ac plane laqueis ornatum prae se ferunt. Itaque me Domine, inquit, ab illis ipsis, qui in corde & corde loquuntur, ut me decipiant, explica, atque ab illorum manibus (ut es natura simplicitatis tutor) uendica. Siquidem tu solus id potes, solusque item es, quem meum scutum, meum thoracem, meamque galeam, contra duplices istos homines ac bilingues esse decreui. Nonne etiam daemones bilingues appellari fas erit, cum uitam polliceantur, mortem uero propinent? Utcunque saeuant,

{31.6} In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Cum enim in omni loco, in omni tempore, in omni uitae genere antiquus hostis circumeat quaerens quem deuoret: idcirco ubique gentium, in omni aetate, in omni gradu & uitae conditione clamandum erit, ut spiritum nostrum, siue in corpore existat, siue ab ipso demigret, paterne foueat Deus, ac tutetur. Certe equidem cum considero nullum locum quamlibet abditum ac remotum, nullam aetatem, nullamue horam tutam esse a daemonum, atque hominum improborum tendiculis & laqueis, totus cohorresco, prorsusque de meipso desperans uereor aliquando, an possibile sit factu, spiritum aliquem humanum seruari posse. Rursus uero cum recolo qua potentia & bonitate is praeditus sit, qui pro me eiusmodi hemistichio, quem nunc tractamus, in cruce moriens

est usus, memetipsum reuoco, atque in memetipso diffinio, eundem ipsum spiritum, quem patri moriens filius commendauit, unum cum meo esse, utpote in uno atque eodem corpore commorantem. Nam quemadmodum totum corpus humanum ab uno tantummodo spiritu, licet in membris uariis diuisum, & agitur, & uitam habet: ira ecclesiam, electorum scilicet conuentum, alter alterius qui sunt membra in Christo, ut ait Paulus, unum at-

[atque]

{pdf 239, p. 111v}

-que eundem spiritum cum suo capite, qui Christus est, habere necesse erit. Quocirca asserere audeo, Christum animam in cruce agentem spiritum meum patri commendasse, quando uoce magna exclamauit, dicens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Quam uereor ne tam arctam unitatem, qua maior in terris nulla esse potest, impudentissime scindamus. Odiis enim, simultatibus mutisque discordiis, ac beluis illis Hyrcanis ipsis tigribus immanioribus, ambitione atque auaritia, rescindi solet. Cuius quidem rei typus fuit Iudas Ischariotis, qui propter nimiam pertractandi res pauperum rabiem & cupiditatem, ab unico illo uirtutum omnium praeceptore Christo Domino sponte sua seiunctus, ne in semetipso quidem unitus mansit, sed desperatis omnino rebus, omnique abiecta spe ueniae, laqueo se suspendit, ac crepuit medius.

{31.6} Redemisti me Domine Deus ueritatis.

Nonnulli legunt hunc uersum: Redime me Domine Deus ueritatis. Vtraque lectio sensum eundem habet, qui is erit: Certus sum de tuo auxilio ac redemptione, o Domine, quia Deus uerax es. Tua enim promissio, cui indubie credo, mentiri non potest, quia ipsamet es ueritas. Quis unquam credidit se a ueritate falli posse? Constantissimus igitur in pollicitationibus Deus est: pollicitus est enim suos a malis eximere. Eximet certe, ac redimet Israel ex omnibus iniquitatibus suis, tantum non animum in infortuniis despondeamus. Saepe, inquit paraphrastes, liberasti me, & liberabis, in promissis tuis constantissime uerax.

{31.7} Odisti obseruantes uanitates superuacue.

Felix: Odi obseruantes, seu expectantes uanitates uanitatis. Alia uero ex hebraeo litera sic reddit: Odi omnes qui magicis artibus intenti sunt: ut plane idem sit odio habere intentos magiae, & expectantes, ut uertit Felix, uanitates: hoc est, ut ipsemet interpretatur, expectantes responsa Pythonum, & similibus. Solent enim hi, qui rebus corporeis relicto Deo intenti sunt, mirum in modum in disquirendis futuris euentibus esse curiosi: ut illi, exempli causa, qui gloriae humanae per cupidum, de nondum habito honore, quaesito tamen, ac palam empto, uoluptatem aliquam capere efflagitant. Sed mirum quam saepe naeniis plusquam anilibus credunt miseri, ridiculaeque portenta & timent, & uenerantur. Cur non magis impia, quam ridicula dixerim? Cur non infidelia prorsus illa appellauerim, postquam audio inter primarios mundi uiros, quosdam adeo in fide Iesu Christi parum stabiles & constantes, ut in ornando, seu onerando potius capite regia corona, aut prima infula ac mitra, constellationes, quas uocant, obseruare,

chiromantas accersere, passimque per orbem uniuersum astrologos, magosque accire & consulere: qui & ipsi quoque, praemii loco, pedo tandem episcopali donati abeunt. Scilicet honor ille, aut onus potius, omni cuiuscunque conditionis, aut artis, hominum generi conferendum est: & non magis illis, qui cum doctrinae synceritate, morumque candore, tum uitae sanctitate inter alios emineant. Et quidem aut honesta ea sunt, Deique religione digna, quae fieri quotidie in ecclesia Dei cernimus, aut ridicula omnino comminatus est Deus Mosi: anima, inquit, quae declinauerit ad magos & ariolos, interficiam eam. Non inueniatur, clamat Dominus, qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, atque auguria. Ne sit maleficus, nec incantator, neque phytones consulat, neque diuinos, & quaerat a mortuis ueritatem. Haec quidem Iudaeis. Emoriar equidem, atque ab aeterno uitae fonte secludar omnino, si ea ipsa a Christianis uiris peragi fas esse credo, quae uel in ipsis incredulis ac infidelibus abominatur Dominus. Summam enim, atque eandem praecipuam Dei iniuriam semper esse existimaui, futurorum scientiam rei alii potius, quam Deo tribui: quo moderante, disponenteque omnia perfectissimo consilio atque ordine, non possunt non optime euenire, quae ipse euenire decreuit. Recte igitur Daudid uolens suae fidei constantiam exprimere, se odisse uanas sortes, ac magiae studiosos, omnibus testatum esse uoluit. Exemplum sane mirabile, & quod sopitum in nobis fidei ignem exuscitare idoneum sit. Pudeat, pudeat Christianum hominem, sed in primis eum, qui uel dignitate aliqua sublimiori in mundo conspicuus est, uel qui sub arctioris alicuius professionis lege solitariam degit uitam

{pdf 240, p. 112}

eas ipsas, quas Deus etiam in hostibus suis execratur, artes sectari, illisque credere. Ab utroque enim huiusmodi hominum genere caeteri e uulgo homines suas sibi uiuendi normas assumere soliti sunt: quare illorum uita ab omni parte perfectissima esse debet, ac plane munda. Tu igitur, o Domine, merito odisti omnes obseruantes uanitates istas superuacue: hoc est, frustra, inutiliterque, ac plusquam dici potest, & turpiter, & impie. Caeterum is uanitates obseruat, seu, ut interpretatur paraphrastes, uana amplectitur, qui omisso Deo rebus solummodo terrenis inseruit, a quibus quidem nil nisi inanitas quaedam expectari par est. Cum enim speciosae magis apparent ac stabiles, tum illis minus est fidendum: siquidem figura huius mundi, ut diuus inquit Paulus, aura fugacior praeterit. Illi sic:

{31.7-8} Ego autem in Domino speraui, exultabo & laetabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam.

Pulchra sane antithesis. Illi uana sectantur: ego Dominum, qui suorum arx est munitissima, ac refugii domus, & amo, & sequor. Illi uanitates obseruant, & amplexantur: ego uero in te spem omnem meam colloco. hoc est, & firma, & stabilia amplector. Illi suas omnes actiones ab astrorum motibus pendere uolunt: ego abs te non solum & astra, & coelos quoque ipsos uirtutem illam suam, qualis ea tandem sit, agnoscere affirmo, uerumetiam quicquid uspiam siue in coelis, siue in terris conditum est, hoc idem agit, te confitetur, te amat, a teque esse, ac pendere, ut potest, praedicat. Porro hunc uersum integrum sic legunt Hebraei: Exultabo, & laetabor in misericordia

tua, quoniam respexisti humilitatem meam: seu, ut legit Felix, afflictionem meam, agnouisti in angustiis animam meam. Vide hic uatis subitam ecstasim ac stuporem, ex consideratione tam admirandi patrocini: Christo a coelesti patre contra spem omnium exhibiti. Cum enim unicum illud uirtutum omnium exemplar Christus Iesus, mortalium omnium languores, cruciatusue mortis, atque, ut aliquibus uisum est, inferni, secum ferens, in manus patris suum atque adeo nostrum commendasset spiritum, terrificum quendam prae se tulit metum, ita quod ne leuissima quidem suspicio in circumstantium metem uenire poterat, eum ipsum tam crudeliter habitum a Iudaeis seruari posse. Seruatus tamen est, atque a patre solo, a morte, & inferorum tenebris redemptus, quemadmodum in hoc se psalmo redemptum asserit. Spem quippe omnem suam illum de coelesti patre concepisce arbitror, cum ob plura, tum ex illo quoque Esaiae uaticinio, quo uates ille sic patrem animantem in cruciatibus filium facit: Noli, ait, timere, quia redemi te, & uocaui te nomine tuo, meus es tu. Hanc igitur tam insperatam spem, atque opem considerans Dauid, uice Domini exclamat: Exultabo, & laetabor in misericordia tua, propterea quod me in angustiis anxiantem non deseruisti: sed magis, quae tua est bonitas, extraxisti, uitamque meam paterno uultu & aspectu, non indignabundo ac truci, pene periclitantem respexisti. Caue putes filium Dei aut fecte passum, aut simulate patrem orasse. Quod si certe tu ex animo perpenderis, quantae fuerit grauitatis pondus illud tuorum scelerum diuinis humeris filii Dei impositum, quanta perditionis tuae certitudo, quanta desperatio: diffinies tandem immensas illas difficultates non potuisse ab homine uno absque grauissimo dolore & cruciatu dissolui & enodari. Verum ne inutile prorsus quidem, ait uates, tam sancti corporis uidear membrum, exultabo & ego quoque cum Domino meo, & laetabor in eius misericordia, non in mea iustitia, ac bona uoluntate. Ipsa ipsa quippe est, qua quemadmodum ipse Dei filius solutis, ut ait Petrus, inferni doloribus seruatus est [Acts 2.24], ita & nos cum ipso spem firmam salutis concipimus, atque eandem ipsam per ipsum obtinemus, ab ipsoque expectamus. Caeterum quod in uulgata aeditione legimus: Saluasti de necessitatibus animam meam: puto uatem tentationes, ac aduersitates tanquam petulantiae humanae necessarias, necessitates appellare. Continuum enim hic bellum cum geratur inter carnem & spiritum, adeo iam nobis familiare factum est, ut connaturale pene ac necessarium esse uideatur. Alioqui qui non tentatur, quid scit? A hisce igitur necessitatibus se Dei auxilio ereptum sibi gratulatur uates, & nos cum illo.

{pdf 241, p. 112v}

{31.9} Nec conclusisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos.

Perseuerat Psaltes in diuinorum beneficiorum commemoratione, quasi hoc uersu superiorem explanans. Translatio frequens ea est in scripturis, ut cum aduersis premimur, tum nos in arctum cogi queramur: liberati uero, perinde atque in latiore campum, in quo pro nostro arbitrio uersandi spatium detur, emissi, miro afficiamur gaudio. Qui enim quo libuerit se confert, is proculdubio sui est iuris: ut hi plane sunt, qui rebus diuinis assueti, iam carnis huiusce infelicissimae intersertos laqueos acutissimasue mundanarum rerum spinas fortissime calcarunt. Ita Dauid ceu in arctum cogebatur cum a filio impiissimo & ui & armis impeteretur: postea uero a metu tum filii, tum caeterorum hostium Dei dono liberatus, in regnoque restitutus, ueluti ex angusto

loco in latissimum deduci campum uidebatur. Dominus enim fecerat illi spatium. Non minoribus certe angustiis arctatur ille, qui ob male ante actae uitae memoriam a daemone diuexatus, omnia quasi per Scyllaeam rabiem, aut euripum aliquem rapidissimum ferri existimat, cuncta arcta uidentur, atque anxietudinis plena. Quid si porro spe firma erectus (vide quid agat spes) sentite se Dei munere ac beneficio paulatim recipere anhelitum, ac respirare? Spatium tum quidem fit, curritque expedite, ac solutis pedibus, animae scilicet affectibus a bonis illis terrenarum cupiditatum, canit Deo: Statuisti in loco spatioso pedes meos, sedastique omnes animae motus atque appetentias, ita ut nihil amplius uelit, aut appetat, quam super excelsa statui.

{31.10} Miserere mei Domine quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

Complectitur hic uates angustiarum animam dilacerantium effectus: atque iterum aliis verbis supramemoratas suas tribulationes explicat, quantoque potest nixu diuinam implorat misericordiam. Felix tamen hunc aliter reddit versum: Caligauit in dolore: seu, corrosus est prae amaritudine oculus meus. Norunt plane id illi, qui quanti aestimanda sit ultio diuina, quam peccando sibi ascuerunt, serio ac sedulo uersant animo. Ab his certe longe absunt risus, iocique, curae superuacaneae, studia inutilia, ac umbrae rerum. Cogitantibus enim annos suos in amaritudine animae, hoc est, medullitus & serio, horror quidam futuri iudicii, aeternaeque damnationis ob oculos uersari solet: quam aegritudinem hic appellari posse arbitror, cuius ea est uis atque impetus, ut cruciatum, afflictionem, tabem, foeditatemue, & id genus alia inducat. Exest animum, planeque conficit moeror huiusmodi. Neque sane id absque fit ratione. Nam si uehemens est, animum totum in id quod premit conuertens, naturalem simul calorem ad sese interne colligit: qui & ipse uehemens & molestus, uitalem succum consumit uoratque, uti ferrum candens aquarum guttas. Hincque animi intentio in illo uno tota occupata, concoctionem remoratur, intercipitque commodam corporis instaurationem. Quare hisce incommodis affecta ualetudine, atque habitu corporis suo uitali ordine fraudato, suboritur macies, contrahuntur intestina, arescit cutis, aegre trahitur spiritus, sanguis refrigescit, calorque cordis, unde emanat uita, imminuitur: unde impallescit facies, oculique refugiunt, ac ater nigror deturpat genas. Neque id sane multum, nisi lachrymas dira haec animi aegritudo ab oculis longo fletu pertritis excutiat. Hinc gemitus, hinc suspiria, hinc ab imis ipsis cordis radicibus euulsi audiuntur eiulatus. Turbatur insuper anima, uita, uenter, corpusque demum totum moerore tabidum fit. An uero eius generis moeror, qui tam atrociter totum ualeat corpus afficere, in filium Dei cum in mundo esset cadere potuerit, psalmus alius indicat: in quo inter caetera ueluti aquam sua effusa fuisse ossa conqueritur, corque, uti caera ab igne solet, eliquatum. Praeterea uolunt quidam hic oculum turbatum in poenitente prae amaritudine, intellectum esse & cognitionem, quae facile in perturbationibus animi uehementibus caligat, atque hebes fit, animam uero pro spe poni: nec immerito quidem. Nam quemadmodum anima haec, qua uiuitur, membra omnia uiua reddit ac refrigerat, quippe cui in sanguine sedes sit, et uis omnis: unde effuso pe-

[penitus]

-nitus a corpore humano sanguine, homo uiuere desinit: ita spes, quae totum interiorem nostrum hominem animat, extingui solet, si propter aduersa, in quibus uiuere spes debet, nimium frangamur, ac desperemus. Ventrem rursus aiunt uim esse tam, quam memoratiuam uocant: siquidem inter alia, quae uehementissimus animi dolor secum ferre consuevit, id in primis commiseratione est dignum, quod hominem attonitum reddit, ac plane corrupto memoriae domicilio stupidum. Ventrem hunc sponsus in sponsa eburneum appellat, ob earum rerum candorem & puritatem, quas uersat animo uir Deo charus. Quare tetras illas omnes esse cogitationes iudico, quae a sorde aliqua uitiorum, aut oblectamento proficiscuntur, ut est libidinum, uindictae, mundanarumque rerum, aut honorum impatiens cupido, atque aestus, amor sui, & caetera eius generis animi uitia, quibus memoriae uirtus corrumpi solet.

{31.11} Quoniam defecit in dolore uita mea, et anni mei in gemitibus.

Seipsum interpretatur hic uersus, ut nihil aliud esse intelligamus uitam in dolore deficere, quam ipsos annos longo moerore consumi. Clarius Felix: Quoniam, inquit, defecit in anxietate uita mea, & anni mei in suspirio. Vide quomodo uir sanctus, ac totius sanctitatis dator Christus, non dicat uitam se suam in terris per lasciuias, uoluptatesque corporeas, ac commoda illa, quae ad corpus solummodo spectant, traduxisse. Etenim eius generis uitam, parasitorum, ac in ganeis conuersantium magis esse arbitror, quam Christianorum habitantiumque in templis, ac eorum maxime, qui cum Paulo se iactitant (quam serio ipsi uiderint) uitam suam positam esse in Deo. Scio, aiebat Paulus, quod qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Sententia enim generalis haec est, ad omnes pertinet, omnes tangit, omnes admonet, omnium uellit aures: QUI IN CARNE SUNT DEO PLACERE NON POSSUNT. Neque ego quidem a Paulo dissentire possum, quem unice post Christum in terris ueneror. Vtinam aut ego interdum mentirer, cum uerum dico: aut illi, qui conspicui magis sunt in mundo, suae uitae rationes adeo exacte instituerent, atque ad aequitatis normam formarent, ut nomen sanctum Dei per ipsos ab omnibus laudari posset, non blasphemari. Felix orbis, felixque ecclesia atque eius templa & aedes, si caducis rebus omissis, uanisque tum carnis, tum earum rerum, quae in animo insunt, eliminatis a procerum cordibus appetentiis, solida, atque ea quidem, quae ueras uoluptates secum afferunt & sectarentur, & caeteros eadem ipsa sectari edocerent. Quanta porro putas animi aegritudine affici uiros sanctos, ac perrodi, cum uident impios non iam ueluti cedros Libani, sed super id quod dicitur, aut colitur Deus, ut inquit Paulus, efferri? perindeque uiuere, ac si Deus non esset? Et quidem doloris huiusmodi uis eo saeuus in castissimis illis pectoribus incrudescit, quo malum, quod uident, depellere nequeunt. Magnum sane illum esse dolorem, & credo, & interdum experior, cum tam benignus pater, atque idem nostrorum omnium amantissimus, adeo male a suis haberi, & tractari cernitur: sed alterum illum quammaximum, cum animus tam iniustas iniurias ulciscendi penes eos sit, qui parum uiribus, multo minus autoritate & potentia praediti sunt. Hi certe de se cum Psalte canere possunt, quod defecit in dolore uita nostra: hoc est, ut ipse semet interpretatur, anni nostri prae indignatione & moerore, inter gemitus & suspiria attriti sunt. Mirum profecto esset, si seruus, confecto in moerore Domino, uiuere in deliciis uellet.

{31.11} Infirmata est (inquit) in paupertate virtus mea, et ossa mea conturbata sunt.

Ex hebraeo: Infirmata est in iniquitate fortitudo mea. vel ut legit Felix: in delicto meo corrui virtus mea. Vtrunque enim filio Dei conuenit, qui in hoc loco innocentissimi sui corporis defectionem, ac lassitudinem, paupertatem uocat, ob cuius languorem omne animi robur infirmatum dicit. Corruit, inquit, in delicto meo uirtus mea. Vide amantissimi nostri bonitatem, qui mortalium delicta, propter quae ab innocentia illa, qua pares angelis conditi fuerant, in abominabiles uitiorum sordes, turpitudinemque corruerant, sua asserat, atque in ipsis ferendis, delendisque, uim

{pdf 243, p. 113v}

omnem spiritus elanguisse expostulet. Ego, inquit, qui peccatum non feci, sub alienorum peccatorum onere coactus sum cadere: quae tamen mea esse uolui, cum pro ipsis reus factus emori decreui. Peccata nostra alio quoque in psalmo sua uocat, dicens: Longe a salute mea uerba delictorum meorum. Ossa porro sua turbata memorat, quo uel ipsis rebus inanimis occasionem praebeat considerandi, cuius ponderis sarcina illa extiterit, quae non solum intestina omnia perturbationibus eiusmodi obnoxia commouerit, ac plane concusserit, sed & ipsa quoque ossa, alioqui dura, atque inertia, conturbauerit. Non raro enim istuc obuenit, ut ex uehementi perturbatione permoto spiritu, ossa quoque ipsa tremant, nulliusque uirtutis sint. Quare in nonnullis morientibus id moris esse conspicimus, quod lachrymabilem quendam in modum contremiscunt, horribiliterque distenduntur prae angustia & agonia. Deficiente enim uitali succo atque humore, tum ossa, tum caeterae corporis partes, utpote suo pastu destitutae, uim suam amittunt: idcirco contabescunt ac dissoluuntur, ex qua quidem re tremor ac debilitas oriri solet. Caeterum ossa in scripturis pro dignioribus animi uirtutibus interdum accipi sciunt studiosi. Quas sane uates asserit in sese confusas, ac imbecilles factas, ob metum forsitan illum, qui ex consideratione propriae imbecillitatis atque ignorantiae, in corde pauido facile innasci solet. Hisce tandem uerborum tropis uult uates omnibus innotescere, quam graue fuerit uulnus illud, pro quo sanando tam dira passus est Dominus uitae: rursumque quid nobis uulneratis faciendum sit, simulatque medicus non suorum uulnerum dolorem tam acerbum, qui mortem intulerit, perferre uoluit.

{31.12} Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis.

Exaggerat sui Domini calamitatem uates his uerbis. An uero Christus populo illi suo despectui fuerit, ac abominationi, sacra testatur historia: atque antea non semel ab Esaia uaticinatum fuit, homines scilicet illum quasi leprosum, & absque specie & decore reputaturos. Solent enim hi, qui in maxima aliqua angustia positi sunt, plurimum leuari, si quos nacti fuerint, qui si non opem saltem animum compatiens & amicum praestent. At in medio ipso calamitatum feruore ab omnibus destitui, & ab iis quidem, qui nihil minus quam se deserere debuerant, non tantum deseri, sed contemni, atque illis horrore esse, malorum omnium maximum est. Conqueritur igitur Christus Iesus, sese omnibus tum familiaribus, tum uicinis execrabilem esse. Quod enim nos legimus,

super, Hebraeis est, propter, seu apud: uel etiam, ut uertit Felix, ab. Unde erit sensus: Ab omnibus tribulantibus me factus sum opprobrium uicinis meis ualde, & timor notis meis. Ipsis notis & familiaribus, ait Augustinus, timorem incussi exemplo horribilis tribulationis. Id olim prae se tulit Petrus: hoc Ioannes, qui relicta sindone aufugit nudus: hoc caeteri discipuli: hoc Iudas ipse, modo tamen execrabiliori quam hi, qui metu potius illo, qui in constantissimum quoque uirum cadere potest, deterriti, Dominum suum negauerunt, ille uero malitia & iniquitate.

{31.12-3} Qui uidebant me fugerunt a me, obliuioni datus sum tanquam mortuus a corde.

Mos est quidam turpissimus inter homines, ut illum qui in aerumnam grauem aliquam, aut culpam inciderit, deuitent omnino. Quinetiam, ne in periculum cum illo deueniant, aut in suspicionem saltem, si forte eandem intrare domum contigerit, eo in specto, se foras illico proripiant. Ex quo parum laudato more plerunque miser in miseria illa sua marcescens ac moriens, hoc uno omnium infelicissimo infortunii genere moritur, quod uiuens ab amicis fuit derelictus. Quare ne afflictionum cumulum omnem Dei filio defuisse putes, facit eum uates probrosum omnibus factum, a uicinis quoque, atque ab ipsis charioribus amicis desertum, & obliuioni traditum. Obliuioni, inquit, datus sum non secus, quam mortuus aliquis. qui ab hominum memoria facile elabitur. Cum enim nulla amplius sit spes mortuum amicum in hoc mundo reuicturum, ea primum suis est cura ut humetur nam finem cum uita tunc habent quaecumque ab eo tractabantur negocia. Sic porro de uasis confractis adhuc minor est nobis cura, quam de amico mortuo.

{pdf 244, p. 114}

Quocirca rem magis exaggerat, dicens:

{31.13-14} Factus sum tanquam uas perditum, quoniam audiui uituperationem multorum commorantium in circuitu.

Non ignorare quidem possumus, quantum Christus male habitus fuerit a suis, quantumque reiectus, adeo ut nulla prorsus de illo ratio haberetur, iudicareturque nulli usui idoneus. Caeterum mortuum hominem, aut uas fractum quis amplius amat, aut de eo curam habet? Vas perditum uocat uas fractum, quod ab omnibus uituperatur, abiicitur, a nulloque emitur. Vas istuc in terris fuit Christus, atque hi cum eo, qui sunt eius. Hi dico, qui, ut inquit Paulus, pie uolunt uiuere in Christo, propterea abiiciuntur, deridentur, a nemine emuntur: hoc est, nulli usui mundano aptari possunt, Haud mirum sane: in mundo quippe sunt, ut ait Christus, & tamen de mundo non sunt. Idcirco uituperationem audiunt commorantium in circuitu. Alio in psalmo conqueritur Dominus se circumdatum a canibus multis, a taurisque pinguibus obsessum. Quam uero male audierit in terris, quamue saepissime a Iudaeorum turbis, tanquam uenatoriis canibus circumuentus fuerit, uituperatus, irrisionique habitus, nihil fere tam copiose enarrant euangelici scribae: sed tum maxime, cum eum occidere decreuerunt. Tum, dico, quando uniuersus pene orbis uisus est in suum conditorem conspirasse. Unde sequitur:

{31.14} In eo dum conuenient simul aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt.

Quod quidem Hebraei clarius exprimunt. Audiui, inquit Felix, infamiam multorum: Timor circumquaque, dum ineunt consilium simul aduersum me, ut perdant animam meam cogitauerunt. Censet Eutymius repetendum hic esse superiorem uersum illum: Miserere mei Domine, quoniam audiui uituperationem multorum commorantium in circuitu: sed tum praecipue, cum mihi animam adimere, ut reddit paraphrastes, constituerunt. Mane autem facto, scribit Matthaeus, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti traderent. Ecce quomodo tota simul Iudaea conuenit simul aduersus Iesum, ut innocentissimam illi adimerent animam. Caeterum non parum existimanda est tentatio illa, cum anima circumquaque se septam sentiens a truculentis hostibus illis, qui nihil tam auide quaerere uidentur, quam ut illam perimant, hoc est, a sua uita, quae fides est, abalienent, ingemiscit, quasque inter sacrum & saxum, ut est adagium, posita suspirat, uereturque an a Deo derelicta sit. Cum enim considerat a quam sublimi diuina contemplandi consuetudine, & gustu, quem toties in pace constituta plenis, ut aiunt, crateribus hauserat, ob tentationum molestiam atque atrocitatem eiecta sit, supra modum dolet, & queritur, qui fit quod hinc a consueta dulcedine ac suauitate diuini gustus repulsam habeat, illinc amicitiam suam pollicentem mundum, uitaeque commoda praemonstrantem uideat, attamen execrandum, modisque omnibus contemnendum ducat. Haec secum: In re arctissima, periculique plena uersor. Num ego abiectis omnino corporeis oblectamentis, coelestibus etiam priuabor? num fractum ueluti uas coram Deo semper existimabor? num obliuioni illi tanquam res penitus nihili in perpetuum ero? Vides animam in tantis angustiarum procellis periclitantem, ac desperantem, & non clamabis, Miserere mei Domine, quoniam tribulor? quoniam audio uituperationem commorantium in circuitu? quoniam mei una hostes conueniunt ut me interimant? Nonne die noctuque, ut meam mihi adimant animam, consilium capiunt? Heu quam frequentia consilia, aiebat sanctus ille solitarius, ineunt daemones, ut hominem perimant. Iam certe res in comperto est, nunquam cessare hostem humani generis, quin artes assuat, nectatque dolos & fraudes, quo incautas irretiat animas, uagantesue, atque a grege caetero aberrantes depraedetur. Passim enim laquei, passim retia, passim decipulae, passim mentita felicitate inescati hami tenduntur. Adeo in hoc unum semper conuenire uidentur aucupes istiusmodi astutissimi, ut hominem a coelestis patriae ingressu auertant. Ecquis tam deliberatum illorum consilium, ac pene homini ineuitabile, euitare poterit, nisi tu, o domine, opituleris?

{pdf 245, p. 114v}

Nostra ne uires? nostra sanctitas? Ne uiuam tecum si meam putem pulchritudinem me posse seruare, & non potius tuam misericordiam, & pietatem. Hi certe astutissime conspirauerunt aduersum me.

{31.15} Ego autem in te speraui Domine.

Quicquid enim machinarum intorserint in me hostes, spei umbone refringam. Tu spes, tu robur, tu ars, tu denique bonum omne meum. Idcirco

{31.15} Dixi, Domine Deus meus es tu.

Dixi, hoc est, in hac sententia semper perseueraui, ut quicquid accidisset, Deus mihi futurus esses, bonus, placabilis, ac multus ad ignoscendum. Considerandum illud est, quomodo anima illa, cui nihil iam placet, nisi uirtus, & honestum, in extremas interdum coniecta calamitates atque aerumnas, spem non deserat. Et licet uis doloris ipsum prorsus depascat corpus, cruoremque e uenis emungat, ac cor inanimatum pene reddat & exanguem, spiritus tamen diuini testimonio, qui testimonium reddit spiritui nostro, ut inquit Paulus, quod filii Dei sumus, roborata, intra sese cogitat, & dicit: Scio quod Deus meus es tu. Num igitur me in tua misericordia confidentem deserere poteris?

{31.16} In manibus tuis sortes meae.

Hoc est, ut interpretatur Augustinus. causa & ordo electionis meae tibi soli cognitus est: non enim uideo, quam ob rem ab impiis ac reprobis me delegeris. Hebraei legunt In manu tua tempora mea. Sortes dicit, hoc est, quicquid mihi acciderit siue secundum, siue aduersum id fuerit, quid hostes timeo? In tua enim potestate illud omne esse scio, non in hostium meorum libidine & uoluntate. Mala quippe mihi inferre possunt, bonaque auertere, & inturbare, si tu, in cuius manu itum est utrumque tempus, tribulationis scilicet, ac consolationis, annueris. Non mihi quidem illud uerendum, ne reliquum uitae spatium, quod tu incommutabili proposito praescripsisti, a quorundam feritate intercipiatur, cum abs te, non ab hostium potestate, meum omne aeuum dependeat. Itaque utcunque a frequenti improborum hominum corona concludar, adeo ut nulla sit euadendi uia, adhuc me seruare poteris. Quare

{31.16} Eripe me de manu inimicorum meorum.

Libera me, ait paraphrastes, a tyrannide impiorum. Videtur mihi uates uelle dicere, me exime a mundo. Alioqui non certe uideo quomodo prudentis sit animi in mundo uelle uiuere, atque a tyrannide mundi regina nolle opprimi. Nescio enim quo nostro merito id accadat, ut cum primum alicui, uel duorum hominum cura committitur, in primis dat is operam, ut tyrannus sit, non pastor, aut pater. nisi forte uoluerit uates tyrannidem peccati a nobis intelligi: cuius quidem imperium eo magis pertimescendum est, quo latius in omni genere uitae pro libidine euagatur. Huius profecto uis olim ea fuit & dira & pertinax, quando ille qui pectus non fecit, peccatum pro nobis, qui non eramus soluendo, ac maledictum factus, mortem, & eam quidem acerbissimam obiit. Et quidem is ipse est, qui nunc pro a tam saeua tyrannide liberatione patrem precatur hoc modo: Eripe me de potestate, seu tyrannide inimicorum meorum,

{31.16} Et a persequentibus me.

Persequuntur, ait Augustinus, Christum atque eius ecclesiam, qui cum Christiani sint, secundum Christi uitam uiuere renuunt. Persequitur igitur Christum latro, adulter, homicida, tyrannus, ganeo, & caeteri huius farinae homines: qui cum in perpetuis

tenebris miserrimam uiuant uitam, quomodo diuino lumini, qui Christus est, non aduersabuntur? Itaque caeci semper sint, posteaquam sic uolunt. Tu Domine.

{31.17} Illustra faciem tuam super seruum tuum.

De Dei aspectu erga nos hilari & iucundo, quo suum testatur fauorem, iam alias diximus. Solent enim hi, a quibus iudicium in causa nostra expectamus, prae se ferre, qualis eorum sit erga nos animus, uultu & aspectu. Quare a truci uultus

{pdf 246, p. 115}

iudicis & ingrato, quid tuae causae futurum sit praenoscere poteris. Itidem porro a patenti & claro. Sensus igitur is erit, ut elegantissime reddit Campensis: Hilarem o Domine exhibe uultum tuum seruo tuo, ex quo scilicet spem firmam uictoriae sumere ualeam.

{31.17} Saluum me fac propter misericordiam tuam.

Vide quid sibi uoluit uates in nomine uultus exhilarati, & quid prae se tulit quando orauit, dicens: Illustra faciem tuam super seruum tuum: hoc est, saluum me fac propter misericordiam tuam, non propter bonitatem meam, quam nullam esse fateor. Illa igitur motus me adiua.

{31.18} Non confundar quoniam inuocaui te.

Confunditur is facile, ac pudefit, qui in petendo aliquid a principe, aut iudice, repulsam patitur. Alio in psalmo sic orat: Non confundar quoniam in te speraui. Quod sane idem est quod, non confundar quoniam clamaui, seu inuocaui te: cum nihil aliud sit animae clamor atque invocatio, cum orat, quam spe certa impetrandi quae postulat, uel sine uoce uociferari. Tu, cum oras, uide ut spes tua firma respondeat orationi, speique oratio. Nam oratio spei auxilio denudata, impia est, & quae proculdubio repulsam, e qua confusio, atque animi desperatio emanat, refert. Ita spem ignauam reddi arbitror, nisi feruida oratione incalescat, ac inflammetur. Siquidem spes orationis calcar est, oratio uero spei stimulus. Putat Eutymius in hoc loco faciem Dei, eius uisitationem ac beneuolentiam esse: seu, ut alii, cognitionem, quae licet insculpta sit animae a primo rerum exordio (ad imaginem enim Dei factus est homo) tamen is splendor ac notio ob assiduas, quasque ingenitas nobis peccati tenebras facile obnubilatur, tetraque fit & obscura: unde tum Dei, tum nostri ea, quam mors aeterna sequitur, exoriri solet ignoratio atque obliuio. Quod sane periculum aduertens Psaltes, orat, faciem, hoc est, ueram Dei cognitionem in se innouari, claramque fieri. E contrario uero

{31.18-19} Confundantur impii, & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa.

Non ego, inquit, sed impii confundantur a tua repulsi praesentia, deducanturque, ut meriti sunt, in infernum, ubi mors est aeterna, ubi horror, ubi metus, ubi omne malum inuenitur. Alias admonuimus non ualde admirandum esse, si interdum sanctissimi Dei

uiri dira malis imprecari uidentur hominibus. Nam cum unius iam spiritus, atque propterea uoluntatis cum Deo facti sint, quam horrenda illos maneant iudicia cognoscunt: quocirca rogant, ut ad bonorum leuamen, improborumque metum ac terrorem, eorum interitus acceleretur. Scelestus enim, ut ait Eutymius, cum uidet sui similem caedi, eruditur. Deducantur in infernum.) Felix legit: Sileant in inferno. hoc est, in morte aeterna sileant, qui nunc tam impudenter Dei electos carpunt & adlatrant. Apud poetas etiam inferorum manes silentes uocabantur: unde silicernium, quod conuiuium erat funebre seni defuncto celebratum, originem habet: sic sane dictum ex eo, quod a silentibus, secumque cogitantibus, sese mox mortuum sequuturos, edebatur. Quapropter abeuntes a conuiuio, quali non amplius alter alterum uisurus esset, se mutuo salutabant, dicentes: Vale. Sileant igitur, habitentque in perpetuo silentio cum silentibus animis in inferno. Interim uero eorum muta fiant labia dolosa. hoc est, obmutescant omnino duplices isti, mendaces ac uafri, qui in corde & corde loqui soliti sunt, filii nimirum diaboli (ut ait Christus) qui natura mendax est, & mendacii pater. Videat ciuis, uideat iudex, uideat mercator, uideat ecclesia, atque ex animo mortales omnes simul perpendant, quanti aestimandi sint huiusmodi linguae lapsus, & uitia, postquam tam diro omine, atque imprecatione a sanctissimo impetuntur uate. Deducantur, inquit, impii in inferno, muta fiant labia dolosa,

{31.19} Quae loquuntur aduersus iustum iniquitatem in superbia & abusione.

Hic graphice admodum petulantia simul & insolentia quorundam depingitur. Sancto enim spiritui mirum in modum infensa est cum omnium, tum illorum praecipue, qui dignitate aliqua in republica & magistratu praediti sunt, superbia

{pdf 247, p. 115v}

ac fastus: sed illam maiori quodam stomacho coelestis illa mens detestari solet, quae iustos ciues, atque optime de sua republica meritos contemnit. Ex qua quidem saeuitia illud plerunque accidit, quod aut ciuitates & regiones a bonis ciuibus deseruntur: aut ipsis utcunque in antiquis sedibus perdurantibus uis omnis, uel pecuniarum, uel honorum penes illos sit, qui idcirco interdum a principibus tolerantur, ac, quod turpius est, in dies magis nouis perornantur magistratibus, quia mali sunt. Hos igitur in hoc loco tangi, ac iuxta admoneri arbitror. Cum enim omnes tam uultuose contemnant, cum neminem uereantur cum probis omnibus se. se superbe nimium, uel inuito principe, uel saltem conuiuente, praeferant, sibi effutire quicquid in buccam uenerit licitum arbitrantur, aut potius praesumunt. Et quidem alio in psalmo eiusmodi rerum monstra effigiat uates hoc modo: Linguam nostram magnificabimus, quis noster Dominus est? Vides in illorum uerbis superbiam, & contemptum, quem abusionem reddit noster interpretes? Alia uero litera sic habet: Qui loquuntur dura in superbia, & contemptu: hoc est, alta & arrogantia: similes nimirum Solomonis filio illi, qui cum iuueniliter olim nimium exultaret, ea ciuibus suis locutus est, quae illi postea, atque eius regno non paruas calamitates attulerunt. Tantum uero abest, ut hac eadem labe uel simili infecti sint uiri sacrae religionis militiae adscripti: quae quidem nihil aliud ab exercitu suo exigit, quam ueritatem, contemptum mundi, humilitatem, spiritum, fideique ardorem, atque ignem, ut etiam omnia sectentur, quae omnimodam mentis deiectionem prae se

ferant. Nonne monstro simile ducetur uirum aliquem uidere sub funebri pallio mitraque, aut pileo, religionis insignibus, quae in humilitate posita est, mundi fastum et pompam profiteri?

{31.20} Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te.

Vates diutius in recensenda tum Dei patientia, tum ultione peruagatus, statim quasi a spiritu interceptus exclamauit, magnam esse diuini gustus suauitatem: quam tamen uult Deus a suis interdum subtrahi, & abscondi, ut eorum uirtutem excitet. Non enim suos semper internis spiritus consolationibus alere consueuit, sed ariditate nonnunquam, siti, inedia, ac, qua maxime affligi solet anima, corpore eorum phantasmatum incursione & tumultu, sinit eos perturbari: quanquam diuinus ille gustus, quo nullus inuenitur maior, & qui potissimum in conscientiae tranquillitate positus est, nunquam purgatissimis animis desit: & quem certe a uate absconsum dici legimus, ac plane internum. Impossibile quippe esse censeo uirum illum, cui omnino corporearum rerum uoluptates nauseae sunt ac contemptui, suo interno fraudari gaudio, & gustu. Quod si porro uidetur aliquando, quemadmodum illo sua sponte, ita hoc absque animi proposito priuari, id tamen loco summae consolationis habet, quod scit coelestem patrem non posse diutius pati, quo minus illos, quos amat, uisitet, pascatque diuino suo edulio, atque interna consolatione. Atqui istius generis uiros singulari praerogatiua timentes Deum appellat, timore tamen eo, quo ueneratione quadam grauissima, ac Deo digna, eum uerentur, atque amant Felix hunc uersum sic reddit: Quam magna bonitas tua. quasi dicat, ab ampla tuae bonitatis consideratione, nostra omnis interna exoritur spiritus suauitas & dulcedo. Haec sane prorsus mundi huius sapientes refugit, sed paruulis solummodo, hoc est, Deum timentibus impartitur. Nam

{31.20} Perfecisti eis qui sperauit in te, in conspectu filiorum hominum.

Felix: Operatus es, bonitatem scilicet. Unde erit sensus, quasi per correctionem haec superioribus uerbis addita sint, hoc fere modo. Quam ampla sunt bona, quem timentibus te, benignissime, occulta tamen ratione, elargiris. Imo, ut amplius aliquid dicam, quam ampla sunt ea, quae fecisti pro in te confidentibus: idque tam in propatulo, ut illud cuncti mortales, & uidere, & admirari possint. Vides rursus quomodo spem, tanquam uirtutum omnium necessarium condimentum, timori associat? Magna igitur sunt bona illa, quibus timentes se donat diuina bonitas: imo uere magna sunt ea, quae perficit, ac palam adeo operatur coelestis pater erga in se

{pdf 248, p. 116}

sperantes, ut nemo homo sit usquam gentium qui haec ignorare queat. Quid tam magnum unquam inter homines uisum est, quam cum pueri, innuptaeque puellae, nedum robustioris aetatis uiri, diuino percitae furore, ac fidei calice ebriae, carnificum gladios derisere, impauidaque iugulum securi caedendum praebuere? Huiusmodi enim sunt ea, quae pater coelestis in suorum gratiam operari solet.

{31.21} Abscondes eos in abscondito faciei tuae a conturbatione hominum.

Hoc est: Interim quod plenissimam undequaue illis praeparas mansionem, eos abscondes, tutaberisque ab exitio, si non prorsus a conturbatione, cum ea omnino huic agnata sit mundo. Et id quidem in abscondito faciei tuae: hoc est, in occulto: ubi tu tamen semper in eos respicis, licet non uidearis, negentque improbi te tuos curare, eisque adesse. Abscondes, inquam, eos, atque e regione tui uultus, qui improbis omnino occultus est, collocabis. Num corporeis uoluptatibus addicti te uidere poterunt, cum solummodo illorum, qui mundo sunt corde, id potissimum munus sit? Caeterum pro summa tutela, abscondi in abscondito faciei Domini, hoc est, coram eo, positum esse arbitror. Nam nullum in ciuitatibus tutiorem esse locum, quam is est, in quo ipse princeps moratur, nemo ex ciuibus est qui ignoret. Unde clamabat Iob: Pone me Domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.

{31.21} Protegens eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.

Felix: A contentione linguarum. In loco, ait, secretiori, magisque tuto, eum delitescere facies, ut hi solent, qui illos qui ad se confugiunt, in abditioribus aedium suarum locis abscondunt. Ex se enim homo uarios suos hostes, carnem scilicet, iram innumerasque mentis appetentias, libidines, atque illum maxime omnium teterrimum, amorem sui, uitare haudquaquam praeualet, nisi Deus opituletur ac praesto sit, collocans eum, ut sic dicam, meticulousum, deque se desperantem omnino in reconditoribus, atque adeo tutioribus tentoriis fidei. Iam tandem uides tutissimum locum, inaccessumque hostibus IESU CHRSTI tabernaculum, fidem esse. Nihil enim tam arduum, tamue aduersum esse potest, quod animae in fidei tentorio, hoc est, in sinu Christi commoranti, metum incutere ualeat. Porro nulla atrocior pestis, his praesertim, qui quaerunt, ut hic idem Psaltes uocat, faciem Dei Iacob, accidere potest, illa, quam mutuis sese homines dilacerant contentionibus. Argumentum sane ingens illud est, eos qui ad illiusmodi proni sunt rixas ac dissidia, mundi amantiore esse quam Dei, qui pax summa est. Nonne, aiebat Paulus, cum sint inter uos zelus & contentio, carnales estis? Nescio quidem an aliud quicquam tantum queat officere animo tranquillitatem amanti, quantum contentiones, seu, ut eas apellat [sic] uates, contradictiones audire, de his praesertim, quae ad spiritus eruditionem attinent. quanquam illas honestiori uocabulo nostri temporis disputatores, disputationes uocant. Quod uero inter ciues illos, qui negocia, aut uectigalia, in rebuspublicis exercent & exigunt, interdum contentiones interueniant, non admodum sane mirum esse debet. At a mortuis, a sepultis, ab ipsoque ecclesiae centro artem contradicendi sumere, quis bonus non horreat? Hos enim cum intueor de honoratioribus tum locis & gradibus, tum literis ac disciplinis tam atrociter disceptare, uideor uidere mortuorum cadauera mutuis dissidiis inter sese de eligendis sibi commodioribus sepulchris concertantia. pacata enim omnia in Dei ecclesia esse debent. Impossibile quippe est reflectionem illam solarem, quae e uase aliquo patulo aquae ad parietem emissa hinc atque hinc axagitur [sic, exagitur*?], aquae motae indicium non esse: ita acerbitas illa uocis in disputando, animum parum tranquillum ac pacatum prae se fert. Clamor, aiebat Paulus, tollatur a uobis cum omni malitia.

{31.22} Benedictus Dominus, quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita.

Inter caetera belli propugnacula, illud uidetur maximi, magisque tutum, si quis ab hostibus circumseptus, cernit se in ciuitate ea positum, quae sit optime munita, atque obsidentium uineis, pluteis, tormentisue caeteris impenetrabilis. Sic enim instructus miles, hostium ferociam ac minas ridere solet. Ita sane uir collocatus in ci-
[ciuitate]

{pdf 249, p. 116v}

-uitate ea munita, quam alio loco ecclesiam magnam appellat uates, externos expugnatores, mundum oblectamentaue, sensum ac cupiditatum motus & rabiem, facile spernit. Canit igitur: O quam ex intimis animae medullis laudandus est Deus, quam toto animo sanctissimum eius nomen celebrandum, qui miris ac magnis admodum rationibus & modis, suam mihi ostendit misericordiam, in subueniendo tam insperato rebus meis plane deiectis & perditis. Is enim, quid multa memorem? tutatus est me, tanquam fuissem in munitissima ciuitate. Unde hoc metui? quid prior dedi illi, ut tam magnifice mihi retribuatur? Interim uero aliam mihi praeparari certo scio ciuitatem adhuc fortius munitam, futuram Hierusalem, quae est, ut ait Paulus, mater nostra: & quae uiuis ex lapidibus, ut canit ecclesia, hoc est, uegetis animis, construitur: ueruntamen is quidem solum qui in terris prius tusionibus expoliuntur, ac pressuris.

{31.23} Ego dixi in excessu mentis meae, proiectus sum a facie oculorum tuorum.

Ex Hebraeo: Ego dixi in praecipitatione mea. utraque enim lectio optime doctrinae spiritus inseruit. Antequam (ait fortissimum robur nostrum Dominus Iesus uice nostri) sentirem me in urbe tam forti & munita positum, intra me quasi animi desperatione stupidus factus, sic aiebam: Proiecit me Dominus a conspectu suo: me non amat, meam quaerit perditione, Vides quo aliquando animi desperatio ac diffidentia, adigat uiros etiam perfectissimos, & qui nihil iam in hoc mundo aut mirantur, aut diligunt praeter Deum? Nonne tibi uidentur praecipiti, ac nimium ad interitum festinanti iudicio atque consilio ferri, cum sub tentationum, aduersitatumque malleo positi, se a conspectu oculorum Dei proiectos suspicantur? Putasne a pectore in fide firmo & constanti, prodire posse uocem illam, uidelicet: Deus Deus meus ut quid dereliquisti me? ut quid recessisti longe? despicias ne in opportunitatibus? Quod si a Christo prolata fuisse in cruce legimus, ab illo quidem prolata fuere, qui miseriam omnem nostram, praeterquam peccatum, in sese transtulit.

{31.23} Ideo exaudisti uocem orationis meae, dum clamarem ad te.

Campensis, uir in intelligendis psalmis & acutus, & meus quoque dux & praeceptor, hunc uersum cum superiori sic nectit: Ego quidem olim in anxietate summa constitutus, abiectum me esse putabam abs te. Verum tu etiam tum diligentissime auscultabas quotiescunque clamabam, & omnes meas preces audiebas. Nos imprudentes, ingratosque, si in angustiis illis maxime, in quibus de tota salutis animae summa agitur, ad Dominum clamamus: & nostrum clamorem ab illo, qui bonitatis oceanus est uastissimus, & qui cupidior est miseriam nostram abstergere, quam nosmetipsi ut abstergatur, putamus reiici. Tum enim plerumque cum non creditur, adest suis: sed quo

nostrum magis in se excitet amorem & desiderium, dormire se simulat. Quia igitur, inquit, ego raptu quodam mentis atque ecstasi stupidus factus, putabam me a uultu tuo reiectum: idcirco tu sapientissimus omnium, non amplius dissimulasti, sed statim, qui tuus est natura mos, exaudisti uocem orationis meae. Quare cum nostris rebus semper sit praesens dominus,

{31.24} Diligite Dominum omnes sancti eius.

Commodum enim beata anima, Dei bonitate erga se celebrata, ad animi gratitudinem, diuinumque amorem, ac plenam in Deo fiduciam alios inuitat. O uos, inquit, qui sanctitatem uestram illi, qui solus sanctus uere est ac sanctitatis dator, acceptam refertis, meo exemplo dominum tam benignum amate. Haud certe a uobis amplius uictimarum carnificinam, quae laniis potius, quam uiris iustis conuenit, efflagitat: sed amorem uerum, totum scilicet incensum in Deo, suiue penitus oblitum, ac caeterarum omnium rerum corporearum pulchritudini minime affixum, Non displiceat uobis, quicquid coelitus dari uidetis, siue dulce, siue amarum illud sit: certis quidem, quod omnia in uestri salutem operatur coelestis pater. Quod si improborum gregem admodum numerosum in uos desaeuire cernitis, ne desperetis, ne terreamini: tempore enim suo unicuique reddet Deus, sic exigente iustitia, quod suum erit. Etenim

{pdf 250, p. 117}

{31.24} Veritatem inquired Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbum.

Non enim sinet diutius ueritatem, hoc est, illorum uitam, qui uere Deum colunt atque amant, a petulantia malorum opprimi, uerum eam ut rem charam inquired, defendet, tutabitur. persecutoribus uero suis reddet ne dubitetis) abundanter: illis dico, qui loquuntur in superbia & abusione, secundum abundantiam improbitatis eorum abundantissime retribuet. Dixi ueritatem in hoc loco esse uitam proborum, & uere Deum colentium: motus sane ob id, quod legit Fel. nam quod nos legimus, ueritatem inquired Dominus: ille, fideles custodit Dominus, & retribuit superabundanter facienti superbiam. quanquam certe non uideo quomodo ueritas ipsa in homine iusto, & Deo charo, & fideli, manere non queat. Videtur quoque dictio, abundanter, aliquibus Hebraeis esse, cum fune: quod idem est, quod cum mensura illorum superbiae debita. Eadem enim mensura, aiebat Dominus, qua mensi fueritis, remetietur uobis. Res quippe plurimas antiqui funibus metiri consueuerant: ne interim dicam de crudelissimo funium genere, quo torti quamplurimi, ea etiam interdum, quae ne leui quidem cogitatione commiserunt, se manu fecisse confitentur: unde non raro uidemus etiamnum Barabbam latronem e carnificis manibus elapsum: Iesum uero iustissimum ac innocentissimum crucis ligno affixum.

{31.25} Viriliter agite & confortetur cor uestrum, omnes qui speratis in Domino.

Pulcherrimus quidem nexus, qui psalmi huius super diuini exordium termino concinnat spei elogio. Tunc enim sic orsus est: In te Domine speraui non confundar in aeternum.

Modo uero cum iam ad calcem peruentum sit, claudit orationem huiusmodi fiduciae pleno hemistichio: Confortetur cor uestrum, o uos omnes qui speratis in Domino. Hoc plane idem est, quod superius in uigesimoseptimo psalmo canit propheta, cum ait: Expecta Dominum, uiriliter age, confortetur cor tuum, et sustine Dominum: cum nihil aliud sit sustinere Dominum, aut expectare, quam spem nostram omnem in Deo, hisce in dubiis mundi euentibus ponere. & nos ibi cum nonnulla dixerimus, superuacaneum esse ducimus eadem saepius repetere. Tantum unum hoc admonuisse uelim, quod hic a Psalte cor nostrum pungitur, quippe quod olim in aduersitatum fluctibus uacillasse, penitusque a firmitate ea, quae uirum Christianum decet, sese deiecisse uisum est, iam demum sumat uires, atque Christi Iesu calore animatum inualescat: alioqui certe nostrae nos animi aegritudines, nostraeue, ut appellamus, imperfectiones, pessimo omnium hominum exemplo adusque tumulum humandos comitabuntur: animo uero dilacerato, et non prorsus Deo ipse sectilium mentium osori unito, uelle e vita discedere, ingenii duri indicium est, atque eius quidem, cui animorum aeternitas parum cognita est.

PSALMVS XXXII. Eruditio Dauid.

{32.1} Beati quorum remissae sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Perspiciacioribus ingeniis, quid sibi uelit praesens psalmus, ex titulo facile patere poterit. Erudit sane nos Dei spiritus in Psalmo hoc, de re admodum & utili, & necessaria, & quae quamplurimos uel ex sanctoribus nostrae aetatis hominibus prorsus lateat. Fingimus enim aliquando nobis ideas quasdam meritorum, quibus ex debito debeatur aeterna requies: at unde, aut ex qua causa & ratione Deo nostrae actiones futurae sint gratiae, turpiter ignoramus, cum id in primis nesciri non oportuerat. Hic igitur unusquisque, cui maxime sua salus est curae, a Dei spiritu eruditur, unde peccatorum suorum remissio expectari debeat, a Dei dono scilicet, non a nostris quantumuis perfectis operibus: alioqui, ut diuus sentit Augustinus, si bona coeperimus facere, & nostris uiribus id quicquid erit attribuerimus, & non gratiae Dei, idolum nobis in corde nos uerbis iustificantes fabricamus. Sunt enim, ait, homines ingrati gratiae, multum tribuentes inopi, sauciaequae naturae: Domini quippe est salus. Discute, inquit, bona merita tua, et uidebis quia dona sunt Dei. Nam uerissimum illud esse Aposto-
[Apostoli]

{pdf 251, p. 117v}

-li, ac plane diuinum minime dubito, quod ait: Deum credenti in eum, qui iustificat impium, per fidem, secundum propositum gratiae suae, non imputare peccatum. Fidei porro iustitiam, haud humanae industriae, sed diuinae uirtutis munus esse asserunt, & optime quidem: in quam sane illius qui credit, tota ex Deo gloriatio est, & gaudium internum, inque Deum ipsum rursus conuertitur: ut neque exordium, neque terminum huiusce gloriae, aliud quippiam esse uelit, quam ipsum Deum. Operum uero iustitiam eam appellant, qua quis factis atque actionibus suis fidens, per eas iustum fieri quasi ex debito, & sperat, & credit. Ex qua quidem persuasione illud potissimum oriri cernimus, quo siue ab hominibus, siue a Deo sperandum sit praemium, paratum id sibi in primis

suo merito opinatur, non alicuius dono, aut beneficio. Quae res profecto periculosissima est, in re praesertim tam seria, quippe quae ea sit, in qua tota salutis summa consistat. Is certe alio iustitiae genere praestantiori, quam sit operum, mihi uidetur ornatus, qui cum totum uitae suae cursum in exercendis operibus bonis attriuerit, in suorum tamen meritorum ponderatione nihil moratus, se ad Dei bonitatem considerandam illico transfert, quod solus uere sit, qui uelit, ualeatque uirum quamuis impium, per fidem, ad se confugientem, iustum facere. A quo enim alio spirituum supernorum res tanta tantaeue uirtutis potentia, atque imperium sperari potuit, sia nobismetipsis nil nisi infirmitas, debilitasque nostris in actionibus expectari par sit? Atqui si liceat haec duo genera hominum inter sese conferre, nonne uidemus operum amantiore, quomodo in gerendis suscipiendisque rebus, se habeant? iustitiam scilicet eatenus adhibent, quatenus tum legi, tum hominum opinioni satisfaciant. Illi uero se Dei dono iustificatos arbitrantes, prae illo, aut certe citra illum, ipsas operum, legisue iustitias, tricas quasdam mentis esse existimant, & fugiunt: nec possunt quidem non abhorre ab actionibus illorum, qui se admirantur, se amant, sibique in primis tribuunt, quod solius gratiae & fidei sit. Iustus igitur, ut inquit Abacuc, ex fide uiuet: qui sane per iustitiam, quae ex Deo est, diuiniore quodam modo uitam degens, sublimiorisque iustitiae gradum ascendens, normam gerendae sibi uitae, non ex praescripto, aut lege operum, uerum ex imitatione Dei constituit. Siquidem inter homines id usu saepe accidit, ut in illo, quod ab aliis didicerimus, similes illis esse qui nos id docuerunt, operam demus: unde doctoris nostri gloria per nos illustrior redditur ac magis celebris. Sic itaque (ne nimii simus in his pertractandis, quae passim iam per orbem uniuersum, etiam in tonstrinis, edocentur: sat sit solummodo ea breuibus perstrinxisse, quae praesenti instituto inseruiunt, uix enim aliter fieri potuit.) Sic, inquam, uir se, suaque exacte considerans, hoc est, quod nihil boni in conspectu Dei egit, quo ueniam suis peccatis meruerit: quodque omnes suae iustitiae nihil aliud sunt quam sordes & maculae: & quod, quamuis adamussim se legem Dei seruasse sibi conscius sit, se tamen inutile mancipium fateri opus est: quod rursus si ei contigerit cum Domino in iudicio intrare, non iustificabitur, quin potius damnabitur: item considerans, quam felix sit ille, cui Dominus omne peccatum condonauerit, atque perinde ac nunquam extitisset, texerit, gemitu quanto potest profundo, desiderans nimirum ex illorum numero esse quibus non imputat Deus peccata, exclamat: O quam bene habet, quam beatus is ille est, cui peccata iam condonata sunt, cuique ad poenam ea Dominus non imputat. [32.2] Obseruandum enim est, quod non dixit uates, beatos illos esse qui peccata admiserint nulla: nemini enim hominum id datum esse asserunt: sed quibus peccata prorsus donata sunt, ac eo modo tecta, tanquam omnino non essent, Deique oculos penitus fugerent: neque plane imputanda a Deo censeantur, cum poenas merito de illis sumendas a debiti syngrapha expungit. Caeterum a Deo peccata tegi dicimus, cum nos non tegimus: non rursus imputari, cum a nobis imputantur: non damnari, cum se homo damnat, ac iudicat: alioqui in illud facile impietatis proruit, quid in sequentibus detestatur uates cum ait:

{32.2} Nec est in spiritu eius dolus.

{pdf 252, p. 118}

Potest enim fieri, ut homo suorum operum suauitate illectus, dum exteriora duntaxat intuetur, & amat, facile interim actionum specie sanctitatisque opinione decipiatur.

Nimum enim turpiter is labitur, qui uirum illum iustum putat, cui adhuc peccata imputantur, neque adhuc sunt tecta atque uindice Deo abscondita. Nam cum homo spiritus radiis illustratus, suos interiores coeperit absque fuco & simulatione librare affectus, atque ex animo considerare: iudicat statim sese totum in corpore & anima, non dico peccatorem, sed & ipsummet peccatum, nedum quidem illa crassiora, quae etiam mundus ipse peccata existimat, execratur, ac uitanda omnino iudicat. Unde inscrutabile sui cordis pelagum ingrediens ex clamare cogitur, Delicta quis intelligit? cui tam reconditi motus sunt noti? quis tam abstrusa, ac plane incognita cognoscere unquam poterit? Proinde hic primum ad Deum uere absque dolo clamatur, dum uere absque dolo peccatum cognoscitur. Hic, inquam primum Dei misericordia peccatum dimittit gratis & abstergit, si tu tibi non remittis, non ignoscis, non tegis, sed ex corde atque ex animo, nedum ore quidem, aut ex more, confiteris te nihil aliud esse, quam peccatum maximum, & iniquitatem. Atque hoc sane modo dolus qui in spiritu latere uidebatur, detegitur. Non enim mediocris doctrinae indicium est, proprii cordis malitiam non ignorare, quae alios facilius, quam seipsam damnare solet. Is igitur beatus, in cuius spiritu nihil fictum, nihilue simulatum deprehensum fuerit: sed ex animo seipsum discutit, peccataque propria, non aliena, cognoscit, detegit, damnat, ac lachrymarum riuo abluit. Actum enim de illo prorsus asserere audeo, qui cognoscendi se peccatorem finem fecit. Putasne illum quanti periculi sit, diuinam bonitatem peccando offendisse, non ignorare, qui licet ore se peccatorem fateatur (mos iam omnium is esse coepit, ut sese peccatores dicant: quam uero serio, atque ex corde, parum perspicuum est) peccata tamen, neque corrigit, neque ex animo confessionem illam pronunciasse, reliquo uitae cursu prae se fert? non enim illi qui ex a corde se iniquos & cognoscunt, & fatentur, mundi plausibus delectantur, sed illius potius perfidiam atque iram in suum profectum pertrahunt. Norunt quidem quam periculi plena res sit illis iisdem rebus inseruire, quas hi solummodo sectantur, qui sese penitus ignorant. Quam multi sane sunt, qui cum, Dei spiritu ac dono aliquo perlustrati, seipsos medullitus agnoscant, conantur tamen, & quanta possunt animi intentione sibi persuadere nituntur, se bonos esse, & iustos, dum interim miserrime latentem dolum in spiritu aut non sentiant, aut non sentire, cum tamen sentiant, arbitrantur. Vides mentitae sanctitatis fucum atque imposturam. Vides, inquam, ni fallor, quid sit dolum in spiritu uersari.

{32.3} Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.

Felix sic: In rugitu meo tota die. Cum cogitarem, inquit, in silentio delicta ea, prae multitudine anxietatis inueterauerunt, uel, ut alia est litera, contabuerunt ossa mea. Obmutire enim solent hi, qui in maximis occupati sunt cogitationibus, ut iis plane accidit, qui cum nimio dolore, aut metu detinentur, spiritum diutius quam par est continent: quo tamen postea erumpente, ac collectis in unum uiribus sese foras promente, aeduntur mugitus quidam, ac eiulatus insoliti a pectore iam ex caloris ad intima collecti abundantia pene torrido ac constricto: hincque succo uitali in homine absumpto, ossa, reliquaeue interioris texturae partes necessario fiunt tabidae, ac uetustarum rerum more, mucidae. Ait igitur uere atque ex animo poenitens: Hei mihi quia tacui, quia peccata non detexi, non agnoui, non confessus sum, remisi mihi, non imputaui, dolum in spiritu non attendi. Idcirco prae doloris aestu & anxietudine, contabuerunt ipsa ossa mea, nedum deliciores uiscerum partes atque exta, in rugitu meo. Siue, inquit, tacitus mecum cogito, siue rugitibus dolorem meum intimum indico,

contabescunt ossa mea: seu, ut reddit paraphrastes, conteruntur uires meae. Vidisti ne aliquando hominem sua secum peccatae serio reputantem, ac quanta se maneant inferorum tormenta considerantem, perpendentemque ex corde diuinum iudicium, meritam damnationem, ac tandem peccati]

{pdf 253, p. 118v}

-cati foeditatem? Mirum si in eo colorem uiuidum, aut corpoream habitudinem admodum uegetam & robustam uidere dicas. Quid si suum internum cruciatum miris atque insolitis eiulatibus ostendere cogitur? Te stupidum, qui in tanta amici dissolutione, atque miseria, pulchritudinem aliquam corpoream inspicere opinaris. Luctus, crede mihi, aut internus moeror & dolor, maciem potius neruorum, ossium ue debilitatem, & laxamentum gignunt, quam robur, aut pulchritudinem. Quanto uero exitio obnoxia sint ossa, hoc est, & decor, & uirtus animae illius, quae stupida quadam tum imprudentia, tum uerecundia attonita facta, sua tacet delicta, eaque tegit, & non sibi imputat: quin potius se ea ignorare sibi persuadet, putatque fucum rei tam certae posse obducere, ac Deo ipsi imposturam facere, multorum nec quidem minutioris gregis hominum uita probe ostendit. Vnde, oro, imperia illa quorundam tyrannica magis quam Christiana? unde uacillantia consilia? unde doli? unde mentis inconstantia? infirmitas? aegritudo? ab ignorantia sane nostri, nostrarumque iniquitatum, ac scelerum interiorum obliuione. Secus autem illi, quibus omnia sua interna optime perspecta sunt: se utique continuo damnant, sibique ipsis, non aliis, indignantur atque irascuntur. Caetera uero, quibus ex officio portionem aliquam uitae debent, stabili, firmoque proposito ac mente, infractoque consilio, prudentissime, absque animi scilicet perturbatione & dolo iudicant, & moderantur.

{32.4} Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Sentio, inquit, iudicii tui manum, & seueritatem die noctuque mihi grauiter minitantem. Quid dicam? perinde coniectus sum in aerumnam & miseriam, ac solent hi, qui inter spinas uoluntantur. Hic spinam, terrificam diuini iudicii memoriam appellat uates. Qui sane sapiunt, cum in mentem sua primum errata ueniunt, ac mox poenae illis debitae, ueluti spina aliqua acutiori, iudicii stimulo compungi solent. Felix, atque adeo caeteri pene omnes Hebraeae linguae periti, secus legunt hunc uersum. Immutatus est, ait Felix, humor meus in siccitates aestatis. qui semet exponens, sic inquit: Euersa est pinguedo mea, & humidum meum in siccitates, id est, factus macilentus, & exiccatus, ac si positus fuisset ad radium solis in aestate. Quare sic reddit paraphrastes: Sic mutatus sum, ut ex succulento factus sim aridior quam sunt aristae in media messe. Nescio enim an apertioribus demonstrationibus ostendi posset hominis sua peccata, quae maxime in reconditoribus animae recessibus insunt, considerantis & dolor, & moeror. Clamat Dominus in Oseae uaticiniis: Ego sepiam uiam tuam spinis, id est, minis & terroribus quo uel hoc modo saltem, tuum ualeas non ignorare peccatum. Alioqui cum omnia infelici animae tranquilla sunt & delitiosa, fit stupida atque iners prorsus in periculis considerandis, in quibus assiduo, dum se ignorat, miserrimum in modum uersatur. Nunquam enim se tutum arbitratur uir sapiens, hoc est, ille qui probe se norit: sed

quemadmodum continuo se peccatorem non ignorat, ita continuo peccatum suum coram supremo iudice detegit clamans,

{32.5} Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi.

Vides prudentiam animae suae salutis mire anxiae. Aliud, aliud, inquit, inii consilium. Cur tacui misera? cur delictum meum non detexi? cur medicum infelix hoc rui? Erraui igitur hactenus, modo uero aliud mihi capiendum est iter. Me enim peccatum, meam iniquitatem, meam iniustitiam, meum denique morbum non amplius celare statui, sed aperire potius, ac cognitum medico facere.

{32.5} Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.

Dicto citius solet diuinus medicus aegrotantem animam sanare, modo ex intimis medullis se morbo infectam fateri non erubescat. Non sane ualde admirandum est, licet ex se laudabile sit, ac tutum omnino, hominem in crassioribus illis peccat quae etiam tecta ab aliis facile cognosci damnarique possunt, prouolutum, aliquando

{pdf 254, p. 119}

fateri illa, ac detestari, ut sunt homicidia, furta, rapinae, publicus alieni tori concubitus, ciuium oppressiones, usurae, & caeterae huiusmodi rerumpublicarum pestes: at illud quod unum maxime a nobis requirit Dominus, nos scilicet totos a plana pedis usque ad uerticem, aliud nihil esse nisi strumam peccati ac luem confiteri, summae perfectionis indicium erit. Referenda est igitur ac retorquenda omnino in nos nostra iniquitas & iniustitia, non in alios. Nos, nos, inquam, sumus qui peccamus: nos mali, nos reprobi: caeteri uero & iusti, & Deo chari. Vis, obsecro te, uidere quid a penitissima eiusmodi nostri cognitione boni proueniat? Cum primum, ait, me meam aduersum me statui confiteri iniustitiam, statim tu, o Domine, remisisti impietatem peccati mei. Selah his interpositum admonet, quantum tormentum sit peccatorum sarcinam iam demum sensisse. Illum ne dicam peccatorum pondus recte sentire, confiterique, ac ex animo cognitum facere, qui semper idem est, ac eadem ipsa, quae crebro ex ecclesiae instituto & more sacerdoti detegit, & sectatur & amat? Hoc certe modo sua peccata confitentem, nunquam dixerim uere suum morbum detexisse. Quod si fallor, unde quaeso in iisdem ipsis peccatis perseuerantia? unde iidem ipsi lapsus? unde eadem, quam modo coram sacerdote execratus es, tam anxia mundanarum rerum, honorumque cupiditas & ambitio? Vide quomodo facile dolus, etiam cum non suspicamur, in spiritum clam repat, ac nos deludat. Iam illud quidem non erit silendum, quomodo ex huius uersus principio, de Dei bonitate, celeritateque ad praestandam ueniam peccatoribus, maxima concipienda sit fides. Non differt enim usqueadeo coelestis pater suam salutem miseris impartire, quod homo sese omnino in poenitentiae doloribus excruciet: sed simulac dixit, ac statuit in corde suum non amplius dissimulare peccatum, sed illud prorsus detegere & detestari, adest diuinus medicus quamprimum, ac animam in medio ipso noui consilii proposito perfectissime (ut est perfectissimae semper operationis Deus) a peccatorum omnium sordibus abluit, ac usque ad scoriam, ut ait Esaias, repurgat. Vide

rursum quomodo anima propriae sanitatis cupida, non contenta peccatum suum, peccatum dicere, uerum iniquitatem, seu, ut alia est litera, prauitatem peccati appellat: non potest enim suum non aggrauare peccatum homo ille, cui ob oculos sedulo, quam periculosum sit proprium morbum ignorare, tamquam excelsam naturam, ut Deus est, peccando offendere, seque sua sponte in aeternam mortem protrusisse, versatur.

{32.6} Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.

Postquam, inquit, tam facilis es atque exorabilis, neque aliud a nobis requirere uideris, quam ut nostrum agnoscamus peccatum, illudque fateamur, omni abiecta oscitantia, atque animi stupore amoto, orabunt te quotquot sanctitatis adipiscendae studiosi sunt. Agit enim mirabilem in modum ac plane erudit bonorum animas diuinus ardor, ut eo minus se iustos arbitrentur, quo magis iustitia a Deo donantur. Iusti enim ob illud primum facti, quod illis Deus peccatum non imputauit, suam tamen impietatem, peccatique prauitatem haudquaquam cessant accusare, eo potissimum tempore, quo seipsos uere norunt, hoc est, peccatores, & scelestos: & quod quidem tempus, opportunum appellat uates: Paulus uero, ex Esaia, acceptum: tempore, inquit, accepto exaudiui te. Tunc enim, id est, cum homo suum cognoscit peccatum, tempus est miserendi, tempus est gratiae, atque ad subueniendum animae sub peccatorum onere laboranti, opportunum. Felix tamen legit, in tempore inueniendi. Idem Felinus. quod est, in tempore inquirendi Dominum. Quaerite, ait Esaias, Dominum, dum inueniri potest, dum est occasio, dum nos inuitat, dum nondum ex arena discessum est. Quandiu enim in hac uita uiuitur, puto tempus inueniendi Deum esse, poenitentiamque agendi, ac promerendi per Christum bona illa aeterna: quibus adeptis, spes nulla, metusque nullus, aut pauor, nos coget, aut amittendi adepta, aut acquirendi maiora, cum Deus summa, atque idem unica ac perfecta nostra felicitas, tum nobis aderit, ultra quem nihil.

{32.6} Veruntamen in diluuium aquarum multarum ad eum non approximabunt.

Ex Hebraeo aliqui legunt hos uersus hoc modo: Propterea orabit ad te omnis

{pdf 255, p. 119v}

bonus in tempore inueniendi, etiam si multae aquae inundent. Utcunque sit litera, is erit sensus: quod aquae impetuosis tentationum & tribulationum, ad eum ipsum uirum iustum, qui sic orat pro impietate peccati sui, non appropinquabunt: hoc est, desaeuient quidem, tantum uero aberit, ut eos a loco moueant, atque a firmo proposito in Deum deturbent, ut etiam in illo magis confirmet, ac uires praestent. Hinc porro illos non audiendos esse arbitror, qui legunt, ad Deum non approximabunt aquae multae, hoc est, ut interpretantur, in luxuria fluidi ad Deum non appropinquabunt. Somnia sunt haec, ad spiritus iniuriam excogitata. Paraphrastes sic reddit: Nullae quantumuis multae fiant malorum inundationes, ad illum poterunt pertingere. Poterunt sane uirum bonum (ut aliquid interim demus conditioni humanae) quassare, urgere, perterrefacere etiam: at perfringere omnino, prorsusque conuellere, atque ab instituto deiicere qui credam, cum Deo ipsi potentissimo curae sit maximae? Quare clamat,

{32.7} Tu es refugium meum a tribulatione quae circundedit me, exultatio mea, erue me a circumstantibus me.

Tandem hic uates rei summam aperit. Mirum enim si conceperas animo, uatem testaturum sese ab aquarum multarum diluuiio ereptum, quia bonus erat, quia fortis, quia de rebus coelestibus bene meritus. Longe quippe aliter sese habent res seriae in negotio spiritus, quam commenta quorundam dolosa, non est enim cur propriam iustitiam, roburque arbitrii plusquam par est iactitemus: Tu, inquit, refugium meum es, tu robur, tu arbitrium, tu uoluntas. Felix legit: Tu secretum mihi. Cui & alia conuenit litera ex Hebraeo: Tu, inquit, absconsio mihi. Paulum uero alitet paraphrastes: Prouidentia, ait, tua occulta a malo proteges me. Quod uero Deus si suis absconsio, atque refugii domus, satis in praecedenti psalmo est dictum. Hoc unum uero sciendum, quod reconditori prouidentia, quam quae ab humano intellectu perspicere queat, suos tutatur Deus. hoc est, quando res admodum perditae ac desperatae uidentur, tum suis adest benignissimus Dominus: & cum non speratur, apparet, dicens: Ego sum, nolite timere. Caeterum dicuntur tribulationes nos cingere & obsidere, cum ita nos in angustum coniciunt, ut euadendi spes nulla appareat. Ita sane solet ab hostibus cingi ciuitas: ita aper in sylua a uenatoribus: ita a daemonum technis & dolis pauidae animae. Porro illud, exultatio mea, sic reddit Felix: Canticis liberati circumdabis me. quasi dicat, facies me undequaque tibi laudum cantica atque odas celebrare, uti solet a periculo aliquo eximio liberatus: ita ut nihil circum me futurum sit, unde non erumpant summa cum laetitia gratiarum actiones. Praeterea quemadmodum a tentationum mole quodammodo opprimimur, nisi Deus praesto sit, cui iacentem sub fasce animam subleuet: ita cum ab angustiaram acerbitate liberamur, exultatio quaedam ab imis ad altiora oriri solet, ex qua rursus exultatio in spiritu, canticis permixta gratiarum actionum ac laudum, emanat quam quidem uates, Deum ipsum esse ingenue fatetur. Alioqui exultationes caeterae, ac cantica absque Deo quae fiunt, impia sunt & scelestae, etiam si sacra appareant

{32.8} Intellectum tibi dabo & instruam te, in uia hac qua gradieris firmabo super te oculos meos.

Fit mutatio personae. Deus enim est qui unumquemque nostrum coelestium rerum studiosum indagatorem alloquitur. Proinde maximopere cauendum erit, ne cum diuinarum rerum contemplationi incumbimus, alium ductorem, eruditoremque efflagitemus, quam Deum. Quid rem tam arduam memoro, cum ne ea quidem, quae in nobis insunt, perfecte, nisi Deus erudiat, cognoscere possimus? Is est enim qui docet hominem scientiam, non tantum quidem reconditarum rerum, quantum illarum quae proxime nos sunt, ac manu tanguntur. Ait igitur benignissimus pater & doctor: Faciam te intelligere, o homo, qui hucusque sine intellectu fuisti, cum tu tua ex te cognoscere opinaberis. Age, in me solo confide: ego te instruam, te ducam tibi oculos aperiam, ne te iterum instruas, te ducas, te uidere arbitreris, ex te, non ex me. Si enim in uia ista uirtutum ac iustitiae progredi est animus, ne dubita: ego qui te in uiam rectam conduxim, firmabo rursus super te oculos meos, hoc est, oculi]

{pdf 256, p. 120}

-li mei in te erunt intenti, ne quid tibi, qui oculis tuis oberrare, at in praecipitia corruiere consueueras, desit. Esto in oculis tuis caecus, & insipiens, & ego intellectum tibi dabo. hoc est, ut ait paraphrastes, prudentem faciam te, & docebo quo te pacto uiuere oporteat, & studiosissime obseruabo te oculo proprio: seu, ut interpretatur Rabbi Shlomoh, Innuam tibi oculo meo, id est, uiam quam te capere par est, nutu oculorum monstrabo. Sensus igitur: Oculo meo, hoc est, meo fauore & cura tibi consulam. Ego ipse, non tu, considerabo quid tibi utile sit, quid secus: quoque uiam tuam dirigas, quo uitam, quo studium, uidebo: sine te meum esse, non tuum: alioqui tu tuus factus, absque intellectu ac mente uitam uiues miserrimam. Ponam super te, ait Chaldaeus, in bonum oculus meum, id est, tui curam geram. Tantum

{32.9} Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Tantum, inquit, uos amor trahat, non terror, aut minae, quibus solent a malis compesci complures, quemadmodum equos aut mulos lupatis & fraeno ad obtemperandum dominis suis compelli cernimus. Animus enim humanus natura ad legum obseruantiam amore magis ducitur, quam ui, aut, ut ait Satyricus, formidine poenae trahitur. Quanquam tamen neque huius salus, qui metu potius, quam suauitate ad bonum cogitur, sit desperanda, cum illi prorsus a spe salutis alieni sint, quos Deus penitus in malis obbrutescere sinit, neque illos aliquando, uel saltem asperitate, aut terrore, a uia sua mala reuocat. Infelices omnino hi sunt, postquam ita a Deo permittuntur, sua ipsorum culpa, naturae impetu, uti solent muta pecora, & ferri, & uiuere. Nec ab re quidem meminit equi & muli, animantium nimirum quae ad humanos usus, atque ad ferenda onera prae aliis facile mansuescunt. Sunt porro qui in hoc loco arbitrantur uocem atque adhortationem esse hominis iam a uitae foeditate relabentis, ac proximos admonentis, hoc fere modo: Cautum sit uobis o amici, ne prorsus in malorum perseuerantia perduretis. Ab iis enim quae propriis oculis uidi, expertusque sum in memetipso, consilium uobis do. Peccaueram certe, atque a uia iustitiae aberrans, uiam non bonam ingressus eram: uerum aduersitatum cumulo admonitus, intellexi iam tandem, atque ad Dominum reuersus, iustitiae uiam non fecte, aut ignaue, sed ex animo totis conatibus perterere ocepi. Quare uos hortor, ne uti ego olim, diuinam bonitatem intelligere negligatis, neue ceu bruta rationis ac intellectus expertia, lupato ac capistro in uiam salutis reduci cogamini. Caeterum qui non approximant ad te, interpretantur, ne repugnent tibi: aut, ut reddit paraphrastes, ne mordeant te. Non praeteribo etiam piam quorundam interpretationem, qui asserunt hic ad Deum precem esse illius, qui se sentiens a coelesti patre duris monitis eruditum, atque a uitiorum turpitudine terroribus coercitum, ita orat: Compertissimum habeo, o Domine, per uarias tentationes edoctus atque eruditus, uiam hominis non esse in manu eius: idcirco spiritus tui suauitate allectos, trahe nos post te. Et si quos uides suo impetu, ueluti equos & mulos ferri, illorum ferociam reprime, a praecipitio reuoca, atque illos, sicut me compulisti, intrare compelle, ut uel hoc modo duriori admoniti, intellectum capiant, ac tandem in spiritu dolum sentiant: hoc est, seipsos ignorare dediscant, uerbumque illud tuum, quod illuminat, & intellectum dat paruulis, omissis superuacaneis curis, toto studio atque animo amplexentur.

{32.10} Multa flagella peccatoris, sperantes autem in Domino misericordia circundabit.

Omnes enim quotquot mortales nascimur, & turpiter & crebro in peccata labimur, atque ob id non mediocri castigatione egemus. quare asserit uates, quod multa flagella debentur homini (cum peccatorem nominat, hominem intelligit.) Verum si quis sub ima, ut ait quidam, non contrahit rubiginem, sed candorem: hoc est, si sub poenarum acerbitate uere, atque ex corde respiscit, ad Deumque conuertitur, is proculdubio misericordiam consequitur, ac in uiam iustitiae per manum Domini secure reducit. Iam enim firmavit super eum oculos suos Dominus. Contra uero hi qui sub flagellis sua sponte indurantur, atque, ut sic di-

[dicam]

{pdf 257, p. 120v}

-cam, miserrime lapidescunt, in brutorumque naturam transformantur, a Deo relictis, neque uiam, neque modum suae uitae inueniunt, sed consiliis propriis, cupiditatibusque uariis, & appetentiis impulsis, irrationabilium prorsus animantium more & impetu, res suas instituunt. Quis hic non uideat, quam satius sit, nobisque magis utile, rationis munere, atque intellectu, quo potissimum a feris distamus, uti in bonum, secundumque eorum instigationem, & uiuere, & ab aliis sic agi edocere, quam rapi affectibus ut bestiae? Quod si quando aut morbis, aut malis aliis affligimur, ut sunt tyrannicae oppressiones, ambitiosorum iniuriae, calumniae, dilapidationes, infamiae, persecutiones, usurae, & caetera huius generis, quae in rebus publicis optime institutis perraro uidentur peragi ac probari, haud desperandum est, sed caute ponderandum, agnoscendumque istuc potissimum fieri, quo in nos considerandos facilius descendamus, confiteamurque nusquam perfectum bonum esse, nisi in Deo. Et quemadmodum, ut iam diximus, illum tribulationibus circumdatum appellamus, cui nulla euadendi, aut sese a cumulo aduersitatum extricandi spes sufficit: ita uirum eum Domini misericordiam circumdare affirmamus, cuius uita adeo curae est Deo, ut undequaque spiritus donis munita, telis hostium prorsus impenetrabilis, inaccessaque facta sit. Soli igitur obstinati in malis, sub flagello pereunt.

{32.11} Laetamini in Domino, & exaltate iusti, & gloriamini omnes recti corde.

Vide sanctissimum nostri prophetae morem, qui non contentus ex se solo laetitiam spiritus coram Deo testari, caeteros Dei dono effectos iustos hortatur ad idem faciendum. Iustos hic uocat, quos in psalmi exordio beatos appellauit: rectos uero corde, illos a quorum spiritu dolum abesse optauit. Hos igitur felices, hos calculis omnibus beatos inuitat ad laetandum, gloriandumque in Domino, atque ad ipsum, qui remisit iniquitates, qui texit, qui non imputauit peccati, qui refugium est nostrum, qui dat intellectum, quique instruit, & suis, ne errent, annuit oculo, laudem omnem suam, gloriam, laetitiam, honorem ue referendum. Unde Eutymius: Laetamini, exultate, & gloriamini non de uestris meritis & uirtutibus, quae infirmae sunt, sed in ipso solummodo Domino: nam & ego aliquando in uirtute propria confisus, lapsus sum. Vide

hic, te oro, quomodo iusti solummodo, & recti corde, ad celebrandum diuinum nomen in domo Domini a spiritu inuitantur. Quare duo hic mihi proponi iudico, aut quod bonus sim, rectoque animo ac proposito inter caeteros Dei sanctos uiuam, quo in numero illorum, quos hic a spiritu ad exaltandam Dei gloriam & nomen uocari audio, censear: aut omnino a caeterorum bonorum collegio secludar: ne cum non inuitatus, hoc est, ne, uti sus immunda, impurus, ac undequaque maculis & coeno infectus, laudes ad Dei aras, aut hymnos canere praesumo, actutum audiam, laudem in ore peccatoris speciosam minime a Deo reputari. Emundandus est igitur animus, atque a malarum cogitationum spinis repurgandus auocanda rursus mens est, ac a phantasmatum rerum corporearum incursione auertenda prius, quam os in Dei laude & gloria celebranda aperiatur.

IN FINEM PSALMVS DAVID XXXIII. /Psalm 33 of David, in parts.

{33.1} Exultate iusti in Domino.

Iam alias diximus, atque iterum repetere non graue erit, mortalium animos, forsan & angelicos alioqui a nostris affectibus liberos, facie in Deum rapi per psalmos, qui quidem Deus conditarum rerum omnium finis est ac quies. Etsi enim uarii in psalmis leguntur tituli, unus tamen omnium est scopus & finis, qui Deus est: ad quem quidem colendum laudandumque cum saepe alias in cunctis psalmis nos admonet, hortaturque Dauid, tum potissimum in hoc quem nunc tractare intendimus, & quem certe tanto spiritus ardore, ac flamma convolutum cernimus, ut mirum uideri possit, unde tantum ignis una ex oda emanaverit. Videtur hic uates sub duorum aut trium instrumentorum, quae harmonia constant, nomine, totam molem concentuum in unum congerere uoluisse, quo sciant mortales quam diuina sit Musica, atque ad laudandum Deum, eiusque cultum celebrandum efficax, ac propemodum necessaria. Quo, quaeso, impulsu ullo alio ex-

[externo]

{pdf 258, p. 121}

-terno & motu, tam afficitur animus ac mouetur, quam uoce, aut sono alioqui apposite concinneque moderato? Et quemadmodum enim a tristi sono & lugubri facile moerorem haurimus animo, aut graui & seuro grauitatem uiro dignam: ita effoeminatos affectus, uimque mentis eneruem induimus a lasciui ac turpi. Quocirca danda est opera, ne qui diuinae in templis praefecti sunt sinaxi, uel qui respublicas atque urbes moderantur, sinant ciuium liberos a fidibus aut organis quicquid aliud haurire, quam aequam animi temperaturam, ignemque illum, quo adolescentium ingenia alioqui per se concita & dissoluta, ad diuinum amorem, ad grauitatem morum, communemque concordiam prouocentur, non ad lasciuiam, uitaeque corruptionem ac turpitudinem. Et ut quidem hi errant magnopere, qui haec non curant in rebuspublicis & templis: ita illorum detestanda consuetudo, qui adeo morosi sunt in auscultanda harmonia quae aut uoce fit aut sono, ut malint sibi subditos in rebus nihili, in fabulis ludisue scurrilibus occupari, quam in honesta, uereque ingenua & liberali concentuum exercitatione. Iam illud profecto dignum consideratione, quam nihil omiserit rex prudentissimus in psalmis, quod ad informandum propagandumque Dei cultum faceret. Et ut multa fuerint ad id

muneris idonea & apposita, non mediocrem tamen locum sibi uendicauit Musica. Quare non mirum esse debet, si nos modo tubis, modo citharis, modo organis ac psalteriis diuinum celebrare cultum adhortatur tam pius rex. Superuacua minime haec sunt: quae tamen, ne in superfluis philosophemur, sic dicta esse a propheta intelligo, ut malim ex his uim quandam diuinam in Musica sitam esse cognoscere, quam in disquirendis allegoriis plerunque frigidis ac ieiunis me inepte torquere. Quanquam non me latet, ab expositoribus, praeclarissimis illis quidem uiris, pro cithara corpus, pro psalterio intellectum, cui sane decalogi praecepta sunt posita, sumi: qua quidem periphrasi uult uates a nobis intelligi, quam necessarius sit in celebrando diuino honore ac nomine, mutuus inter corpus & animam concentus, & consensio: secus uero, diuulsa mente a corporeis ritibus, atque inuicem rixantibus, quae uera in diuino cultu coitio esset poterit? Et quemadmodum in Christo, quem unice imitari oportet, res una fuit, corpus, anima & diuinitas, unus scilicet Christus: ita quicquid in homine conditum est, uel in animo, uel extra etiam in membris, id totum simul unum esse necesse est, neque ab unione illa concordi, quam in eius cultu requirimus, seiungi debet. Somnia haec quidem non sunt, sed firmissima lege tum diuina, tum humana sancita, atque adeo in diuino obsequio tam necessaria, quam quod aliud maxime. Qui enim huiusmodi ornati sunt bono, hi in psalmi statim exordio iusti idcirco a uate appellantur, quod omnem iam uirtutum cumulum, quam iustitiam appellamus, adepti sint: his itaque dicitur, Exultate iusti in domino. O uos, inquit, quos Dei bonitas iustitiae nomine est dignata: o qui in terris uitam uiuatis coelestem, quique aliud nihil iam optatis, quam quomodo Dei nomen illustretur, passimque cunctis innotescat, in domino, non in uobis, multo minus in rebus mundi caducis, uestra omnis sita sit exultatio ac laus omni enim cordis tripudio ipsum laudate.

{33.1} Nam rectos decet laudatio. /{33.1} For praise if fitting for the upright./

Felix: Rectis formosa est laus. Quid aequius oro? quid rectius? quid decentius, quam purissimum dominum a candidis purisque animis laudari? Rectam porto lineam dicimus, quae nulla sui parte obliqua sit: ita uniuscuiusque animum uere rectum appellari par est, cui undecunque suae recte coeunt partes, ac in obtemperando diuinis iussionibus consentiunt. Aequissimum, inquit Paraphrastes, ac decentissimum est, ut a candidis animis laudetur dominus. Caeterum iusti rectique nomen in hoc loco idem est, eosque signat homines, qui a iustitiae rectitudine nusquam deflectunt, sed in iam semel arrepto proposito perstant fixi & immobiles, contra eorum morem qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: hi haudquaquam recti sunt, atque proinde quicquid aut ore proferunt, aut corde cogitant, foedum est, ac turpe: hosce enim ad laudandum Deum non inuitat uates, nisi quatenus homines sunt, idcirco dociles, & ad capessendas rectitudinis semitas flexi-

[flexibiles]

{pdf 259, p. 121v}

-biles. Quandiu enim in uita uiuitur, nemo a salute se exclusum esse queri potest.

{33.2} Confitemini domino in cithara, in psalterio decachordo psallite illi.

Felix: Laudate dominum in cithara, in nablo & decachordo psallite illi. Videtur hic Felix uelle Nablum, quod Nebal Hebraei uocant, instrumentum aliud esse a Psalterio, cum alias tamen asserat idem esse: quod quidem decem chordarum ordine distinctum fuisse scribit: uultque id esse, quod nunc uulgo Viola appellatur. Ego autem ex hac Felicis sententia suspicor Nablum, seu Psalterium, instrumentum illud esse, quod Leutum dicunt, ex eo, quod in quibusdam Italiae locis id genus instrumenti, quod nos a leuore nomen sumpsisse credimus, Viola appellant: & cui pro aetatum uarietate, ut uaria sunt ferme omnia in hoc mundo, uariae sunt additae fides, aut demptae. Olim enim decem erant, postea pauciores, modo uero undecim: plures etiam additura posteritas, si ex usu erit. Quicquid igitur fuerit Nebal, aut cithara, compertum est hic uatem eo instrumenti genere caeteris elegantiori innuere uoluisse, mortalium animos alioqui per se hebetes, atque ad complendam suam originem tardos, per concentus atque harmoniam posse excitari, rapique suauitate uocis ac soni, in amore sui conditoris. Quod uero Psalterium seu Nablum nobilius fuerit, quam caetera id genus instrumenta apud Iudaeos, illud est argumento, quod cum quatuor olim cantores in prisca illa Iudaeorum aetate constituti essent, qui quatuor praeessent choris, ob totidem praecipua mundi climata, atque eorum quilibet ex duobus & septuaginta uiris extaret, ex quibus alii tuba, alii tympano, partim organis, partim cymbalis, lyrae, ac cithara canerent, Rex solus psalterio regio canebat, quod quidem decem chordarum numero distinctum fuisse scribunt, non absque mysterio. Nam certe postquam homo sacra unda tinctus, per Christum factus est rex gratiarum oleo illitus ac perunctus, supremum in modum ingratis erit in Deum, si uel tantillum quidem temporis arcanum illud decalogi decachordum, plectro fidei percutere desierit, aut sanctarum actionum digitis non assiduo pulsu tetigerit. Est praeterea res auditu iucundissima, cum quis docte ad lyram canens, aut psalterium pulsans, auditorum aures oblectat. Sed quid si mirabiles illos concentus audiremus, non quos Hypate, aut Mese cum Nete, grauissimae atque adeo suauissimae omnium chordae, quam harmoniam dicimus, formant, sed illos quibus conglutinati simul & mens, & spiritus, coelestes choros huiusmodi suauitate allectos, quae non iam a mortuorum animalium neruis oriri solet, sed ea, quae a corde uiuo, ac in amore coelestium uegeto atque ardenti, e coelo ad terras pertrahunt? Legimus enim ad tam nobile psalterium prophetasse Elisaeum: Dauidem quoque ab impio rege fugasse daemones. Verum cur non ita impraesentiarum aut uaticinamur, aut daemones fugamus, cum his nostris nablis & organis? quia non idem nunc fidei ardor in nobis inest, qui in illis sanctissimis uatibus inerat per quem quidem omnia facile daemonum irritamenta sedari solent, cordaque purificari, ac lumen illud amabile, qui Christus est, pene in nobis extinctum reuiuiscere. Vult uates igitur hisce instrumentis musicis ad subleuandos a moerore animos inuentis, mortales omnes admoneri, diuinum cultum cum cordis laetitia, iubiloque, ac mutuis concentibus & choris celebrandum esse, qui sane gaudiorum cumulus in fide reconciliataque conscientia maxime consistit. Quid uero canendum sit, aperit dicens:

{33.3} Cantate domino canticum nouum.

Solent enim hi, qui re aliqua insigni afficiuntur, cuiusque memoriam cupiunt ad posteros transire, nouas componere cantiones, atque odas. Quem quidem morem antiquos seruasse legimus: sed in primis Mosem traiecto mari rubro, ac Debborah,

fugato rege illo impio Iabin, atque eius duce Sisara extincto. Sed quam uereor ne adhuc in carnis uetustate uiuentes, ueteres etiamnum catilenas [sic, cantilenas], e ueteri corporis cithara, non iam decem chordarum ordine distincta, sed mille uitiorum confusione distenta, resonemus, nobisque dicatur per uatem illum, uice domini: Auferte a me tumultum carminum uestrorum, & cantica lyrae uestrae non audiam. Atqui innouatis iam omnibus per Christum, noua quoque in Christiano uiro de-
[debent]

{pdf 260, p. 122}

-bent esse cantica, noua organa, nouae citharae. Noua igitur o mortales in nouitate uitae, in iustitia scilicet & sanctitate, canite cantica. Quid? num uos quidem Deus ad iustitiam, qua iusti facti estis per gratiam, idcirco asciuit, ut illi denuo in uetustate literae ac sensuum seruiatis? Renouamini spiritu mentis uestrae: hoc cor agat, hoc mens, hoc animus, hoc demum quicquid in uobis est, nouo laetitiae cantico peragat. Vetusta iam omnia fastidit dominus. Caeterum canticum hic nouum, quod frequentare nos admonet uates, Euangelium est, de quo dominus, Mandatum, inquit, nouum do uobis: quodque a senioribus illis antiquis inter phialas aureas ac citharas decantatum legimus. Quo uero tum animi, tum oris aut linguae motu, id canticum celebrari debeat, ostendit uates:

{33.3} Bene psallite illi in uociferatione.

Nollem profecto hinc argumentum sumere psallentium choris praefectos, perinde ac si tota psallendi uis ac summa, in uoce forti & ualida potissimum consisteret: alioqui tenuissimae uocis homines, ut sunt plerique mei instituti homines, ob rationem uictus, ac parsimoniam, a tam laudabili munere laudandi Deum excluderentur. Satis enim magna in choris celebrandis uox est, si a magno corde, hoc est, in Deo, qui super omnia magnus est & excelsus, fixo, proficiscatur. Quare ne erroribus atque ineptiis tam pura actio foedaretur, huiusmodi artificio patres quorundam ignorantiae succurrere decreuerunt. In primis, aiunt, adsit cor ac mens: de inde uox grauis, quae una cum animo atque affectu, graui, integro, rotundoque concentu ac metro, non conciso aut intemperato boatu, sacram legem proferat. Uociferationem enim hic uocat uates decentem illam (ut sic dicam) oris gesticulationem, quae ex eo fit atque oritur, cum mens adeo plene afficitur gaudio, ut se continere uix possit, quin in uocem aliquam intestini sui gaudii testem erumpat. Proinde alio in psalmo sic canit uates: Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione. quanquam tamen Fel. non uociferationem, sed iubilationem simpliciter transtulit: alius uero clangorem. quod quidem tutum sic reddit. Paraphrastes: Operam date ut quamoptime cantetis, et cum animi alacritate.

{33.4} Quia rectum est uerbum domini, & omnia opera eius in fide.

Causam reddit Propheta, quamobrem Dei nomen tam attente laudari conueniat, ut hi faciunt, qui toti in musicis sunt instrumentis, cum ea pulsant, nihil aliud interim uel agentes, uel cogitantes. quia, inquit, rectum est uerbum domini, et opera eius in fide. quem uersum sic interpretatur Paraphr. Aequa enim sunt quae loquitur & mandat

dominus, & quicquid facit, optima illud fide facit, contra nimirum morem hominum, quorum plerique aut perfricata fronte non stant promissis, aut quaecunque polliciti sunt, mille inturbant technis, ac interuertunt. Et quemadmodum istiusmodi mores inter homines turpissimi sunt, & propterea a communi ciuium consensu uituperandi, radicatusque extirpandi, ita Deus in omnibus suis tum factis tum dictis firmissimus ac rectus, ab omnibus laudandus est colendusque, ac super omnia in hymnis & canticis spiritualibus (ut inquit Paulus) in coelum efferendus. Et est ac si breuiter diceret, Quaecunque agit Deus, recta sunt, nam dictio quam noster interpret, uerbum, uertit, Hebraeis est Dauar, id est, res, negocium, factum, mandatum. Quaecunque igitur instituit, aut agit Deus, summa cum aequitate ac fide instituit & agit: ne interim huic loco fidem illam, quam definiunt esse sperandarum rerum, argumentum non apparentium, inepte obtrudamus. Res hic alia agitur, nimirum de fide illa, qua Deus uerax est, & quae pollicitus est, constantissime seruat. quem quidem sensum magis exprimit uates, cum infert,

{33.5} Diligit misericordiam et iudicium.

Vel, ut vertunt quidam, iustitiam et iudicium diligit. Nulli dubium, quod ubicunque hae duae partes in tractanda re aliqua uel diuina uel humana concurrunt, ibi omnia recte, atque ordine tractantur. Quare quo intelligas omnia, & quae in coelis, & quae in terris geruntur, ordinatissima Dei prouidentia, rectoque ordine ac dispositione geri, dixit quod Deus diligit iudicium & iustitiam seu misericordiam:

{pdf 261, p. 122v}

& est perinde quasi dicat, Quicquid a primis rerum exordiis actum est, agiturque in praesentia, ac deinceps agetur, id omne diuinae bonitatis capax est & particeps.

{33.5} Nam misericordia Domini plena est terra.

Quid terram aio? nonne & coeli ipsi eodem cum terra fruuntur diuinae bonitatis dono? fruuntur sane,

{33.6} Siquidem verbo Domini coeli firmati sunt.

Cum tamen Augustinus dicat, quod coeli non indigent misericordia, ubi nulla est miseria Hebraei reddunt, Coeli facti sunt. Volunt quidam uerbum domini in hoc loco idem esse, quod

{33.6} Spiritus oris eius omnis uirtus eorum.

Quo tropo haud raro scriptura uti solet. Percutiet (inquit Esaia) terram uirga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. quare hic uirgam oris Dei, ac spiritu labiorum suorum, Dei uerba esse asserunt: ut sit sensus, quod solo Dei iussu & praecepto, coeli conditi sunt, atque eorum ornatus & decor perfecte fabrefactus. Sed ut haec uera sint, sensum tamen profundiore requirendum esse uoluerunt sanctiores. Quare uerbum Hic, aeterni patris filium esse interpretantur: spiritum uero oris eius,

spiritum sanctum: quo hic duo perspicere liceat, nempe Trinitatem totam rerum omnium, quae in uniuersali opificio conditae sunt, formatricem extitisse: filium uero ipsum a patre esse, spiritum autem ab utroque. Datur igitur patri in rerum constitutio ne autoritas, filio sapientia, spiritui uero uirtus ac bonitas, cum tamen hi tres unus sint Deus, propterea eiusdem autoritatis, eiusdem sapientiae, eiusdemque uirtutis, ac bonitatis. Proinde Trinitas tota rerum omnium creatrix est, ut inquit Augustinus, atque eius opera in generali conditione indiuisa. Non te moueat quod cum hic tum alias uideatur uates Deo attribuere, quod proprium hominis est, nempe uerbum, os, faciem, caput, & id genus permulta: uix enim aliter, quod alias admonuimus, de Deo loqui possumus. Necessarium tamen est, corporeas huiusce generis formas transferri ad animum, nec aliud de Deo cogitare, quam quod tanta maiestate dignum sit, eum nihil aequae absurdum esse possit in negotio spiritus, quam in contemplationibus simplicissimae naturae Dei corporea immiscere. Assuefaciendus est igitur animus ad illa cogitanda, quae purgatissimis mentibus conveniunt: aliter intercepto corporeis imaginationibus ac phantasmatis animorum cursu, facile in id impietatis prouunt, ut in rimandis diuinae naturae recessibus, terrena turpiaque interdum aduocent & commisceant. Habitus enim felicissimi pure casteque peruestigandi coelestia, ex his formantur cogitationibus, quae absterso prorsus terrenarum rerum amore, in Deum qui purissimus spiritus est, feruntur: secus uero uel minimum quidem, conatum illum animi in Deum relaxare, non parum detrimenti ad perfectiora illa, ad quae contendere debet uir Christianus, afferre solet. Hincque illud interminabile curarum mare ortum habet, dum coelestia absque delectu ac fide contemplantes, Deum uolumus contentum esse nostris ineptiis: & quod natura, legumque praescripto totum debemus Deo, mundanis illecebris deliniti, partim Deo, partim mundo ipsi impartimus: ex quo mediam quandam miseriarum plenissimam nanciscimur uitam, qua continuis curarum motibus ac gyris infelicissime iactamur, ut tolerabilius foret, mundo penitus, quam neque mundo, neque Deo obtemperare. Sed ad psalmum reuertamur, illudque in primis consideremus, nullam posse in terris diu constare rempublicam, aut regnum, nisi in tractandis rebus primas sibi uendicent partes duae illae res nobilissimae, quae in Deo insunt, iudicium & iustitia: haec quidem, ut iuste decoreque unusquisque cum altero queat uiuere: illa uero, ut omnia recte matureque, & cum delectu geri possint in populo: quemadmodum in administrando regno his usus est Dauid, quem legimus iudicium fecisse & iustitiam omni populo. Cupiditate enim atque auaritia occaecati quidam, in administrandis rebus publicis, diiudicandisque causis forensibus ac litibus, nihil non agunt, quo suam expleant libidinem ac sitim, non ut legibus satisfaciant, utque ea uiuatur inter ciues aequitate, ut nemo tam infimae plebis

{pdf 262, p. 123}

homo sit, qui recte queri possit se a potentioribus oppressum, aut ob nummorum carentiam inauditum exclusumque a iudicio: ex ditioribus uero nullus inueniatur, cuius opes magis a iudice spectentur, quam ius, fas, ratio, probitas.

{33.7} Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.

Elegantissima catachresi stupendum maris miraculum enarrat uates, quomodo scilicet ui diuinae potentiae adeo arcte intra littora continetur, ut quasi in utrem collectum

uideatur. Quod quidem ad efferendam Dei uirtutem magnopere facit, dum ei in tam uasta undarum mole id damus imperium, quod homine in tantillo aquae, quam utre gerit, habere cernimus quanquam Fel. non utrem, sed cumulum uertit. Non desunt etiam, quibus ea uisa est litera lucidior, qua legitur. Congregantis sicut utre aquas maris: hoc est, qui Dominus congreget maris aquas suo sanctissimo uerbo, sicut in utrem: idemque Dominus ponit abyssos, aquarum uidelicet profunditates tanquam thesauros, in occultis terrae locis. Quam quidem profunditatem quis dimensus est? aiebat Salomon. Manent haec atque id genus alia infinita, captumque humanum excedentia, in obscurissima diuinorum iudiciorum caligine reposita: ut uel hinc discamus, quam sapientissime diuersorum populorum multitudo in Ecclesiae sinu, ueluti in utre aquae, ui uerbi Dei sit congregata: quamque facile e sacramentorum ripis efflueretur, nisi Dei spiritus humanos affectus colluctantes ueluti uentos in nobis frenaret. Caeterum nonne tibi uidetur hic spiritum dicere, quod olim in primo rerum exordio dixisse legimus, Congregentur, inquit, aquae quae sub coelo sunt, in locum unum, ut appareat arida? Quis, oro, uerbi illius aeterni potentiam satis mirari unquam poterit? per illud enim non solum facta sunt omnia, sed etiam instaurata postea per eius aduentum in carnem. Is Christus est, cuius quidem beneficio ac dono adeo in sublime euecta est humana conditio, ut cunctos beatos spiritus supergressa, locum supremum in aeternis sedibus ac mansionibus teneat. Nos ingratos, qui tantum munus aut ignoramus, aut cognitum mille uitiorum maculis obnubilamus. Cum talis igitur ac tantus sit Dominus,

{33.8} Timeat eum omnis terra.

Paueat coelum, contremiscantque condita omnia, ut ad tam uenerandum nomen assurgat quicquid creaturarum inueniri potest: utque in Iesu nomine omne genuflectatur, coelestium nimirum, terrestrium ac infernorum. Quod sane quidem in coelis fieri certo scio, cum nulla inibi dissensio animorum sit, sed una omnium sub uno capite aeterna sentiatur harmonia, ac uoluntatum consensio. In Stygiis quoque regionibus suum erga Deum esse timorem haud dubito, cum lego daemones credere ac contremiscere: solus homo insignitus Dei imagine, capax beatitudinis, haeres Dei, animantiumque omnium ac caeterarum rerum conditarum Dominus & rex, tam benefico Domino reluctans, inque eius legem obnixus, nihil tam quaerere uidetur, quam quomodo exlex uiuat, hoc est, & Deo infensus, & sui similibus odiosus. Quod si quis haec non sic se habere contendat, in medium afferens purissimos ecclesiae mores ac ritus, non contradico: uerum id quaero, unde tanta uitiorum colluies emanauerit? unde adulteria, incestus, rapinae, bonorum uirorum oppressiones, furta, usurae, suspicionesque letales, simoniae, ac horrendae illae in Deum blasphemiae, hoc frequentiores, quo nemo est qui eas uel leui mulctet reprehensione? Unde rursus cupiditates inextinguibiles, in uiris maxime illis qui familiarius in ecclesia conuersantur, quam caeteri e uulgo? num hi, quaeso, ex his censendi sunt, qui in hoc uersu a uate admonentur, ut Dominum timeant? Timeat, inquit, eum omnis terra.

{33.8} Ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Felix: Paueant ab eo omnes habitatores orbis terrarum, ut sic intelligas, quae sit terra illa, quae Deum timere debeat, nempe homines, quandiu in terris degunt: ne forte

montem aliquem petricosum, aut saxa inanima tibi effingas Deum timere posse, Solicite colant Dominum quotquot in terra degunt, inquit Paraphrastes,

{pdf 263, p. 123v}

et offendere illum metuant, quotquot sunt habitatores orbis. quanquam et illud non nego, terram scilicet, atque adeo caetera omnia condita Deum timere ac reuereri, cum a praescripta sibi lege naturae non aberrant, sed quicquid illud est, aeterno foedere atque instituto seruant: unde mirabilis uniuersi quidam exoritur concentus & pulchritudo, ex qua quidem continuis ueluti rerum successione ac uicissitudinibus, ab unaquaque re Deus laudatur timeturque, ac ut cuilibet rei brutae datur, colitur. Non mirum quidem,

{33.9} Quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.

Quid igitur admiratione dignum, si plasma, suum adoret platen? Felix sic: Quoniam ipse dixit, & fuit: ipse praecepit, & stetit. Alius uero: Ille enim cum iubet, sunt: cum praecipit, constant res. Naturae enim humanae inditum est, ut plus homini illi uel honoris uel reuerentiae deferamus, quem maiori tum dignitate tum potentia praeditum esse arbitramur. Cum igitur Deus in immensum omnem aliam potentiam excedat praecellatque & dignitate & uirtute, quippe qui dicto solo cuncta effecerit, seruetque continue, propterea ab omnibus coli, summeque prae caeteris cum diligi tum metui ac uenerari consentaneum erit. Fide, inquit Paulus, aptata sunt secula. quo uero adminiculo, aut quo instrumento? Verbo, inquit, Dei. En habes, per Dei uerbum secula, hoc est, omnia illa quae, ut inquit Theophylactus, secula haec complectuntur, ex nihilo esse effecta. Sensus igitur: illi soli, uel in primis saltem & ante omnia, nostrum omnem debemus amorem, cultum, timorem, atque ex animo reuerentiam, cum tam potens sit ac bonus, ut eius uerbo, sapientia, consilio & prouidentia, condita omnia subsistant, perstentque, ac perpetuis ueluti gyris ad ipsum tanquam rerum omnium exordium referunt sese. Quis igitur deus sicut Deus noster? Ipse ipse, inquam, est,

{33.10} Qui dissipat consilia gentium, reprobatur autem cogitationes populorum, et reprobatur consilia principum.

Hebraeis totum illud uacat, Et reprobatur consilia principum. Quare sic uertit Fel. Dominus dissipauit consilia gentium, amouit cogitationes populorum. Paraphr. quoque, Dominus turbauit consilia gentium, irritas fecit machinationes populorum. Celebrato enim miro illo creationis ordine & miraculo, transit uates ad explicandum gubernationis modum. Nam quemadmodum ualidissima sua uirtute, quaecumque condita sunt ipse condidit, ita aeterno suo consilio ac prouidentia & seruat & moderatur. Et quia mortalium consilia ex sese natura ad malum prona, diuinae legi continue repugnant propterea quaecumque statuunt, aut moliuntur, ex sese uana sunt omnino, ac nullius momenti. Quare ne optata peruersis improborum hominum consiliis ac machinationibus respondeant, illa Deus sapientissime confundit, neue suum sortiantur exitum, alio protrudit, ut quondam per aeternum suum uerbum (hic Christus est) daemonum legionem a misero illo qui, ut refert Lucas, in antris ac terrae hiatibus habitabat, in porcorum gregem protrusit apud Gadarenos. Vana sunt igitur humana

consilia, de moreque nutantia, ac sui dissimilia: contra uero Dei consilium & propositum, stabile perstat, duratque aeternum. Unde sequitur,

{33.11} Consilium autem Domini in aeternum permanet, cogitationes cordis eius in generatione & generationem.

Euthymii interpres hunc uersum breuissima quidem elegantia sic reddit: Non solum, inquit, quod uult Deus id semper permanet, sed illud etiam, quod cogitat: nam cogitatio diuina perfectum opus habet. Addit insuper, nihil aliud esse, in generatione & generationem, quam simpliciter, semper: quo sane intelligas decreta diuina nulli temporum uarietati obnoxia esse, aut posse unquam dissipari. Porro in scripturis quod pene exciderat gentium nomine idololatrias significari, populorum uero uocabulo Iudaeos, iam alias admonuimus: quorum omnium consilia quam foeda fuerint atque iniqua, res clarior est quam ut eam multis persequar. Fuit ne unquam secundum rationem, aut naturae quoque instinctum ac legem excogitatum

{pdf 264, p. 124}

consilium, mutas pro Deo uero statuas, saxaque inertia ac cautes uelle colere? Quid illud (haud certe scio stultum ne magis an impium appellari debeat) cum primi illi homines post uniuersale orbis terrarum diluuium ab oriente profecti, conati sunt turrim ad coelum usque pertingentem struere? Vides ne consiliorum illorum quae absque Deo sunt, exitum? Descendamus, inquit Dominus, & confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisque uocem proximi sui. Cogitauerunt quidem consilia, ut ait spiritus, sed quae non potuerunt stabilire. Istiusmodi igitur hominum consilia per aetatum successiones uti foeda atque a natura ipsa abhorrentia, confundit Deus, ac continue nostra quoque aetate perturbat, mirabilique suae prouidentiae consilio ac nutu intercipit, uanaque reddit. Male enim res nostrae se haberent, si peruersorum hominum conatus & consilia sineret Deus eo uesaniae progredi, quo ab effreni sua audacia atque impudentia impelluntur. Nulla profecto in terris esset regio ac religio, in qua proborum hominum dolores, cruciatus, persecutiones, exilia, direptiones ac crudeles mortis species non audirentur. Iam uero quam amentia fuerint, ut nunc sunt, Iudaeorum consilia, quam turpes motas animi, quam scelerati conatus quibus purissimae Christi doctrinae (ut nihil interim de antiquis illorum in Dei honorem ac cultum iniuriis dicam) semper aduersati sunt, sciunt non solum doctiores, uerumetiam imperiti, & ipsi quoque textores ac lanarii. Caeterum etsi non me clam est, ut dixi, Et reprobat consilia principum, in Hebraeorum litera non inueniri: aiunt enim in superiori illo hemistichio id totum conclusum esse, quo legimus, Dominus dissipat consilia gentium: tamen ne frustra interiectum ab interprete putemus, sic dici potest: Principum nomine non tantum urbium aut regionum dominos denotari in scripturis, quantum in caeteris rebus ac disciplinis magnos & sapientes: de quibus quidem sic philosophatur Paulus, quod sapientiam Dei nemo principum huius seculi cognouit. Sed prius quidem non multo antea dixerat: Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam uero non huius mundi, neque principum huius seculi, qui destruuntur. Vide, oro, quam breuiter Paulus rem, de qua loquimur, colligit: Qui destruuntur, inquit: quod sane non tam de illorum uita intelligi oportet cito desitura, quam de illorum consiliis & conatibus. Qui, quaeso, illorum consilia aequa esse poterunt ac sancta, cum ab animo impuro, tetro & iniquo

proficiscantur? Pereat quidem necesse est quicquid moliuntur homines, quod aut Deo aduersetur, aut praeter Deum fit. Putant nonnulli inter consilium Dei atque sententiam illud distare, quod consilium aeternum sit atque undique sibi constans & sui simile: sententiam autem uariabilem, ac prout hominum merita postulant, aut rumpi aut firmari: quod quidem in Niniuitis resipiscentibus locum habuit, quibus cum horrendum illud euersionis exitium comminatus esset Dominus, uisa postea illorum poenitentia, placatus est, sententiamque mutauit. Et uidit Deus, inquit Propheta, opera eorum, quia conuersi sunt de uia sua mala, & misertus est Deus super malitiam, hoc est, poenam quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit. Verum

{33.12} Beata gens, cuius est Dominus Deus eius, populus quem elegit in haereditatem sibi.

Beata gens, inquit Paraphr. quae dominum habet protectorem suum: & populus ille felix est quem Dominus sibi elegit, ut illum peculiari modo possideat. Exclamat hic uates, beatum illum fore hominum coetum, qui superuacaneis omissis inquisitionibus, curiosis ue disputationibus, fatetur simpliciter, mundum aequissimo ordine a Deo, quemadmodum olim factum, ita nunc regi, & prudentissime, ut res cunquae cadant gubernari. Ultra haec quidem transire non debet fidei simplicitas: alio qui curiose nimium imperscutabilia Dei iudicia rimari attentans, atque alte reposita, omninoque occulta denudare uelle praesumens, in uastiores, quam sit Caucasus aut Atlas, impinget lapidem. Quod mundus a Deo sit factus solo dicto, certum est: quod uero aut quamobrem id uel illud in mundo uel agat uel agi permittat, incertum. Tantarum enim rerum nodos haud Oedipus quidem Sphingis interpres dissoluere posset, sed ille solus qui idcirco res suas obstrusiores

{pdf 265, p. 124v}

mortalium arrogantiam latere uoluit, quo fides, quae sperandarum rerum, non apparentium argumento fulcitur, deuicta mundi huius sapientia, melius dicerem temeritate, gaudeat ac triumphet. Missis itaque rebus hisce inquirendis quae nihil pro sunt, ut inquit Paulus, beatos illos asseueramus homines, quibus se Deus tutorem exhibet seruatoremque, summum denique ac omne bonum: & quos perinde charos habet, atque solent inter mortales haereditaria bona chara haberi: quod sane non fortuito aut casu fit, sed aeterna in Dei mente electione. Elegit enim nos Deus, inquit Paulus, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati. quasi dicat, nos idcirco sancti sumus, atque a peccati sorde immunes, quoniam ad sanctitatem, mentisque candorem & munditiam asciiuit nos Deus: alioqui in peccatis concepti, nati altique, ac usque ad decrepitam aetatem prouecti, quid boni e nobis exire posse arbitramur? Obiiciatur hic quidem quamlibet liberum in rebus agendis arbitrium, id humanae pene collapsae non admittunt uires, etsi illud in uoluntate humana habere nescio quid imperii, & credo & fateor. Verum ut rebus caeteris maxime ditatus sis, haudquaquam te felicem dixerō, nisi tibi persuaderi patiaris, diuinos oculos mortalium actiones e coelesti suae sanctitatis solio contemplari, diiudicareque ac discernere. Unde magnopere se peccare arbitrentur, qui aut in perpetrands sceleribus latibula, quo diuinum fallant conspectum, perquirunt: aut falsa persuasionem decepti putant mundum fortuito regi, nec quenquam esse qui haec curet inferiora. Idcirco palam delicta illa quae

quotidie non absque maximo animo dolore, uel in mediis ipsis urbium plateis fieri cernimus, a nonnullis effrontibus perpetrantur. Secus uero hi agunt qui propter fidei synceritatem filii Dei effecti sunt. Siquidem ut primis iam antea ab ipsis spiritus rudimentis edocti fuerunt, ita persuasum habent mundi rectionem non casu esse & temere, sed ex certa diuinae mentis scientia ac iudicio: quare ne in antris quidem terrae abditissimis peccate audent, imo uulgo peccantes arguunt, aut saltem amanter admonent, atque a proposita illorum animis turpi illa, ut dixi, persuasione, quantum possunt retrahunt. Quod si tamen ob id, uel ob similem aliam rationem publice illos peccantes in se prouocauerint, non crucem sibi imminuentem persecutionum detrectant, non queruntur, non maledicunt, non par pari in iniuriis licet immeritissime acceptis referunt. Illi enim qui cuncta etiam occultissima rimatur ac intuetur, suam commendat causam. Sciunt quidem quoniam

{33.13} De coelo respexit Dominus, uidit omnes filios hominum.

Sciunt, inquam, quoniam,

{33.14} De praeparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.

Videtur hic uates eandem sententiam repetere: aiunt enim haud inconsulto id a spiritu factum, quo non ignoret lector, mala illa quae mortalium oculos fugiunt, Deum non latere. Caeterum praeparatum habitaculum uocat Dauid sedem tanto numini commodam, ac ad contemplanda omnia quae fiunt, habilem & idoneam. Paraphrastes autem sic reddit hunc uersum: E tabernaculo quod ab omni inquietudine liberum ipse inhabitat, considerauit uniuersos habitatores terrae. Porro uerbum, respexit, maiorem habet emphasim in Felicis litera, qui sic transtulit: Et prospexit omnibus habitatoribus terrae: hoc est, prouidit omnibus, atque illis consultum uoluit. Nonne, obsecro, de coelo suis ab aeterno prospexit Deus? hoc est, ut inquit Augustinus, cum in filio suo proprio decreuit salutem omnium comparati iri? Et ut quidem illorum minime peccata respexit aut considerauit, sed seipsum tantummodo, humanae se imbecillitati attemperans, factus homo: ita haud sibi quidem ipse prospexit & consultum uoluit, sed suis solummodo quos in profundissima errorum nocte stertentes deprehendit. O immensum diuinae charitatis argumentum. Ille enim qui omni aeternitate superior est, ille qui sibi undequaque perfectissimus, seque ipso contentus, immortalis, nulli infortunio aut uarietati obnoxius, sui semper similis, ac non solum beatus, uerumetiam ipsa est beatitudo, cuius intuitu ac nutu condita omnia contremiscunt, atque in nihilum feruntur, respexit tandem super omnes habitatores terrae: hoc est, terram hanc miseram, imo mise-
[miseriarum]

{pdf 266, p. 125}

-riarum altricem, non minus animo atque affectu in colentes, quam corpore ac membris hisce moribundis ac brutis, respexit: respexit, inquam, eo sane oculo atque prospectu, quo solent parentes filios in aliqua extrema calamitate constitutos, aut inter lictorum manus ad supplicium pertractos intueri. Certe si pater est, non nisi immenso cum dolore

atque animi cruciatu & lachrymis, tam crudele filii spectaculum ac tragoediam intueri poterit. Hos itaque in Deo cum inesse dicimus affectus, non illius quidem naturam exprimere conamur, sed nostrae illum potius indigentiae succurrere & calamitati denotamus: alioqui in Deo cuncta solida sunt, nullique animi aegritudini subiecta atque imbecillitati. Non poterunt igitur omnium hominum secreta Deum latere,

{33.15} Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.

Haud singillatim quidem, sed simul, uertit Fel. Alius uero, pariter. Sed Paraphrast. diffusius suo more: Qui finxit, inquit, sine ulla exceptione corda omnium. Quid enim non solum actionum, quae propalam fiunt, uerumetiam reconditarum cogitationum ignorare potest Deus, qui humani cordis fitor est? Scilicet qui plantauit aurem, ut ait uates in alio psalmo, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Sensus igitur: Deus enim, qui non secus hominem format, ac solet figulus uas fictile, num quidem ignorare poterit, quicquid in homine conditum est? Cognoscit igitur supremus ille oculus, atque perfectissime intelligit, quae *cique aut cogitant aut operantur homines, quamlibet penitissima & occulta. Eant modo qui falsa sanctitatis specie delectati nihil non agunt, quo rumorem de se sanctum excitent, ac sibi uendicent. Potest ne homo ad tantum diuinae ultionis contemptum deuenire, ut magis uulgi, rei adeo infirmae & imbecillis, fauorem expetat, ametque, ac impudentissime uenetur, quam acutissimum Dei oculum reuereatur? illumque timeat, cui nostra aequae occulta nota sunt, atque illa quidem quae media ipsa luce peraguntur? Proinde quot homines uita integerrimos & innocuos, occulte in occultissimas improborum hominum casses prolapsos uidi? quot aedes dirui? quot familias excidi? ne interim de ecclesiae bonis per ipsos ecclesiae ministros tacite distractis, uenditis, atque (o mores perditos) in luporum fauces, quo suum nonnulli sarcirent commodum, ac nominis labem perpurgarent, proiecitis, dicam. Haecne Deum latere arbitramur, lateant licet homines? Nonne ipse est qui finxit, formauitque omnium hominum corda, & propterea intelligit omnia opera eorum? Satis ne tibi uisum est, tot mala in Dei aedes cum inuexeris, tot bona decoxeris, tot sanctos uiros traduxeris, uenumque exposueris, illud pro tectorio uti, NIHIL DICAS? Scilicet Deo simul impositum est cum homine: quanquam ne homini quidem, adeo in nonnullis facinorosis coniuncta est cum peruersitate stoliditas, ut neque uulgo imponere sciant, quod potissimum fallere arbitrantur. Diffusius haec quidem, quam putaram: dolor enim eorum quae cum haec scribo, fieri uideo, calamum pene ab instituto deflexit.

{33.16} Non saluatur rex permultam uirtutem, & gigas non saluabitur in multitudine uirtutis suae.

{33.17} Fallax equus ad salutem, in abundantia autem uirtutis suae non saluabitur.

Ut ostendat uates, nihil quod homini salutem afferre potest, a rebus conditis posse expeti, sed a Deo, res illas in medium adducit quibus maxime in praelio homines confidere soliti sunt. Et notandum illud, quod noster interpret uertit, Per multam uirtutem, Hebraeis esse, In multitudine exercitus. quare is erit sensus, quod neque rex ui multa copiarum, neque alias uir fortis (uirum enim fortem ac strenuum, gigantem appellat) quamlibet robore, aut equorum numero & fortitudine polleant, parare sibi

salutem poterunt ex sese, sed inualida haec omnia esse absque Dei ope & fauore. Nemo quicquam habet, inquit Hieronymus, nisi a Deo: unde non potens ut rex, non fortis ut gigas, non diues, qui in equo notatur, consequetur praemium ex sua uirtute. Quam uellem ex animo perpenderent illi qui in domini uinea non parum nauant operae, ut sancti tandem euadant, quod sicut nec rex per militum multitudinem, nec gigas seu athleta aut pugil per corporis fortitudi-
[fortitudinem]

{pdf 267, p. 125v}

-nem, nec equus quidem per uelocitatem seu robur aut ferociam, in praelio tuti sunt absque diuina uirtute & auxilio: ita nemo suis uiribus, suo studio, suis actionibus, suoque arbitrio ac conatu, suam sibi parare salutem poterit, absque Deo. Fallax equus. Felix uertit, falsitas equus est: uel, mendacium equi ad salutem quod perinde est ac si dicat, fallit spem sessoris seruari per illum sperantis. Equus, inquit Salomon, instruitur ad praelium, sed dominus seruat. Illud enim, saluabitur, Hebraeis est, saluabit, sessorum scilicet. Ne uero quis diu se torqueat in inquirendo confugio, unde pendere debeat, quandoquidem id neque rex, neque alias princeps, aut miles strenuus & potens, neque equus ipse etiam bellicosissimus praestare possunt, adiicit vates:

{33.18} Ecce oculi domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia eius.

{33.19} Ut eruat a morte animas eorum, & alat eos in fame.

Mirum quam occulta prouidentiae ratione coelestis pater suos a periculis quamuis immensis eximat, siue sit bellum, siue late grassetur pestis, siue fame laboretur denique quicquid uitae periculum intentat aut metum incutit, id omne quicquid illud sit, ab amicis suis auertit. Sed haec ad uitam solummodo temperariam: quid uero cum mille mortis generibus circumsepta tenetur anima? quid cum aeterni uerbi fame atque inedia laborat? quid cum labe aliqua letali ac mortifera peccati se afflatam sentit? num aliud tam certum illi quaerendum erit leuamen, quam Dei? aliquid quidem afferre potest ad medelam animae uel sacerdos, uel praesul, uel ipsa quoque bona in homine uoluntas: at morbum penitus euelli consanescereque aegrotum, diuinae opus est benignitatis, non humanae industriae & solertiae. Vide, te oro, an alius in toto psalmorum uolumine sit, qui tam continue abundeque diuinam extollat gratiam, quam is quidem est quem nunc prae manibus habemus, & cui quicquid ingenii in nobis est, modo sit aliquid, perlibenter impendimus. Si enim quaeras, quod rerum conditarum fuerit exordium, quae origo, quis fabricator, nonne id fuit uerbum domini? nonne diuina gratia? nonne ultro Deus nullis nostris, cum nondum essemus, meritis prouocatus, Verbo, inquit, coeli firmati sunt? Quis porro tam diligit misericordiam & iudicium, ut dominus? Misericordia certe domini plena est terra, atque adeo quidem plena, ut nihil sit siue in coelis siue in terris, siue in ipsis quoque infernis sedibus, quod misericordiam domini ac iudicium non resonet. Dominus inquam est, qui elegit nos in haereditatem sibi, qui nos curat, nos respicit, nos seruat, nos eruit, nos alit. Nusquam, quod sciam, in scripturis legitur, istiusmodi bona mortalibus contigisse ui operum ac studiorum, uerum ex mera Dei gratia & uoluntate, quae nos ad omne bonum prouocat, atque occultissimis quibusdam excitat inspirationibus: cuius sane gemini oculi, pietatis scilicet & prouidentiae, seu

mauis misericordiae ac iudicii, in suos semper intenti sunt, ille quidem ne labantur, hic uero ut lapsos erigat, & quos tum hic tum alias, timentes Deum, atque in eius misericordia sperantes appellat uates: quosque etsi interdum membris affligi corporeis sinit, aut iubet, potioris tamen illorum partis, quae spiritu ac ratione constat, & quae diuini numinis capax est, patrocinium sumit. Vnde commode illud est dictum, ut eruat a morte animas eorum. Ad hoc, inquit quidam, sunt oculi domini super metuentes cum, ut eruat a morte animas eorum, si non corpora, & alat eos in fame iustitiae. Quare

{33.20} Anima nostra sustinet dominum.

A domino, inquit, anima nostra, quanta demum est, dependet, qua ratione, quaeso?

{33.20} Quoniam adiutor & protector noster est.

Id enim inter caetera, quae nostra in Deum fiducia gignit, praecipuum est, quod & nos, & nostra omnia a Deo pendere uolumus: atque propterea quaecumque nobis sunt necessaria, a benignissima illius manu expectamus. Ideo canit uates, anima nostra sustinet dominum. quod clarius uertit Fel. Anima nostra expectauit dominum. Idem Paraphr. Ergo quoniam adiutor noster est Deus & protector, anima nostra sustinet eum quidem in spe: spes uero, ut inquit Paulus, non confundit. Impossibile nanque est animam suiipsius prorsus oblitam, hoc

{pdf 268, p. 126}

est proprio amore exutam, in Deumque penitus per amorem euectam, suis in supplicationibus reici, atque proinde confundi: angitur enim potius quam frangitur, sustinet, tolerat, Deique moram ac tarditatem quodammodo portat humeris, donec tandem exoret quaecumque antea rogauerat. Ex qua quidem sufferentia illud in primis nasci solet, quod adiicit uates:

{33.21} Quoniam in eo laetabitur cor nostrum, & in nomine sancto eius sperauimus.

Videtur haec summa esse totius felicitatis, quae in hoc mundo, alioqui per se in felici & aerumnoso, haberi potest, gaudium scilicet internum, quod in spiritu sancto situm esse scribit Paulus, ob pacatam nimirum cum Deo conscientiam: quod quidem ex eo fit, cum non solum se sentit anima ab antiqua uitiorum sorde purificatam, uerumetiam eo perfectionis ascendisse, ut nihil iam in terris amare aut expetere possit, quod aut Deus non sit, aut ad Deum dirigat. Exuberantiam autem illam diuitiarum & uoluptatum, qua se homo felicem arbitratur, felicitatem appellare non audeo, cum fieri nequaquam possit cor huiusmodi affectuum lenociniis non continenter perturbari, sexcentisque curarum morsibus non discerpi, propterea beatum non esse, cum beatitudo seu felicitas, ut dixi, in eo maxime consistat, ut conscientia prorsus tranquilla sit, atque cum caeteris animae partibus consentiat. Sufferendus est igitur dominus, quoniam auxilium nostrum, ut uertit Fel. & scutum nostrum ipse: quoniam in eo, non in nobis, ubi summa est inopia & miseria, laetabitur cor nostrum: quoniam in nomine sancto eius, hoc est, in ipso nam ipse est nomen suum) sperauimus, non in rebus hisce uitreis & caducis. An uero laetitia

illa, quam e sedatis animi motibus atque affectibus oriri dicimus, in anima mundanarum rerum curis distenta queat inueniri, illorum sit iudicium, qui mundi illecebris deliniti, in adipiscendo scorto aut agro, aut gradu etiam & magistratu, toti die noctuque immoriuntur. Ambitionis enim ea uis est ac libidinis, ut illum qui huiusmodi laborat morbo, pallidum, planeque deformatum, ac, ut sic melius illius depingam effigiem, cadauerosum reddat. Sic caeteri quoque animi affectus, quibus mens hominis ardentius inordinateque agitur atque impellitur, prae se ferunt faciem ac formam. Hi ut lubet, nos uero interim in nomine sancto eius sperauimus.

{33.22} Fiat misericordia tua domine super nos, quemadmodum sperauimus in te.

Sic fiat, inquit, ut nos sperauimus: sperauimus autem quammaxime, maxima sit itaque & tua misericordia. Sit, inquam, quemadmodum expectauimus, praeterea nihil. Atqui illorum placet admodum coniectura, qui a spiritu admoniti putant hic uatem aduentum filii Dei in carnem praeuidisse, in quem nimirum tanquam ultimum nodum atque annulum, tota uirtutum catena, gratiarumque cumulus ac moles erat desitura. A circumferentia enim sphaerae ad punctum seu centrum passim reducuntur lineae, ab eoque exeunt ad circumferentiam. Sic Christus omnium caput, uniuersalis rerum machinae ueluti in meditullio positus est: ab eo enim tanquam e perenni fonte gratiarum omnium riui demanant. Nec aliunde quidem unaquaeque res, siue rationis expers sit siue capax, atque intellectu praedita, forma subsistendi, aut bene sancteque uiuendi sumere potest, nisi a Christo, in quem sane res omnes deriuantur, quemadmodum ab ipsius bonitate & misericordia, ueluti ab aeternis, ut aiunt, idaeis, olim extractae fuere, continueque extrahuntur. Misericordia igitur is nodus est, ad quem uirtutum omnium ac gratiarum capita referuntur, & id quidem in Christo, qui ad nos a patre delegatus, nos, dico, in infinitis reatibus deprehensos, atque propterea capite mulctandos, purissimam sui corporis tabellam secum tulit, aut potius in castissimis uirginei uteri penetralibus formauit, in qua id solum scriptum erat, GRATIA ET MISERICORDIA. Quid dulcius, oro, audiri unquam potuit? Quod magis mortalium aegritudini conueniens antidotum admoueri debuit? Verum nos miseros, qui sub tam salubri medela grauius aegrotamus, illud in primis curantes, quoniam modo nostram leuemus nostra opera aegritudinem: uolumusque laboriosissimo, nescio quo, actionum nostrarum sudori referre id acceptum, aut arbitrio quoque humano, quod simplici debetur gratiae & misericordiae. Bonae enim operationes ideo

{pdf 269, p. 126v}

bonae sunt, quia a gratia habent quod bonae sunt. alioqui temeritas illa qua quis operosus partim quidem gratiae, partim sibiipso tribuit illarum actionum, quae bonae uidentur, id sane efficit, ut illa actio quae in se bona est, permistione proprii amoris, ac corruptae uoluntatis, mala euadat. Num censes a corde humano prodire iam posse aliquid, quod prauum non sit & turpe? adiutum tamen a gratia, seu potius formatum, rectum efficitur ac sanctum. Cum enim uideo nonnullos interdum adeo saeue atque immoderate de gratia & arbitrio disputare, ut uere illos absque gratia esse, quae modestissima est, atque arbitrio, quod donum Dei est, asseuerare possim, illud mihi statim occurrit spectaculum Ioannis, ut hinc sit ille qui arbitrii partes tueatur, illinc qui

gratiae. Diues sum (ait arbitrii fautor & possessor) & locupletatus, & nullius egeo. Cui gratia: Nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & caecus, & nudus? Vis ne affatim locupletari? Eme a me aurum ignitum, probatumque, ut locuples fias, & uestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuae: & collyrio inunge oculos tuos, ut uideas. Satis quidem compendiose inter gratiam & arbitrium contentionem hic a spiritu expressam arbitror. Iam uero illud non praetereundum, quomodo hic uates uideri uult sibi persuasum esse ex nostra in Deum fiducia ac spe, tantundem misericordiae nobis diuinae prouenire. quod si illa quidem tenuis est, haec simul & tenuis, & parui momenti. Si uero fortis illa fuerit ac magna, haec eodem modo ab undans & copiosa, ut uere illud Cypriani uiri sane doctissimi, & in spiritus doctrina tam musice enutriti, quam quis alius: Deum scilicet eum nobis esse, qualem credimus: si seuerum illum nobis effingimus & immitem, seuerum se nobis & immitem praestabit: si pium, pium: si mitem, mitem. Pro diuinam erga homines facilitatem. Quare tum animo, tum ipso quoque corpore nobis contendendum erit, ut quanto maximo possumus conatu, in Dei bonitate speremus, illique quicquid accidat, fidamus, quo tandem illius fiat super nos, ut ait uates, misericordia, quemadmodum spe ea nitimur, quam ex illius dono ac clementia nacti sumus. Cui laus sit aeterna in secula seculorum, Amen.

**PSALMVS DAVID CVM IMMVTAVIT VULTVM
Suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.
XXXIII.**

{34.1} Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

Refert magnus Basilius, atque subinde caeteri diuinae legis interpretes, Abimelech commune fuisse nomen regibus omnibus Palaestinatorum, quemadmodum apud Aegyptios. Pharaones. Nomen autem proprium regis istius, quo coram uultum immutauit Dauid, Achish fuit cuius regia Geth, olim Gerata nuncupata. Ad hunc igitur regem, Dauid a facie Saul expulsus confugit, putans se tutum fore. Verum a seruis regis cognitus furiosum se simulauit ne ob inuidiam interficeretur. Audierat enim ab aulicis insusurrari, nunquid non iste est Dauid rex terrae? Quocirca extimuit ualde, ut sacra refert historia, & immutauit os suum coram Achish, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portae, defluebantque saluae eius in barbam. Quo quidem spectacula uiso, iussit rex illum sic simulantem eiici, neque amplius introduci. Quare eiectus, & a periculo tutus, hanc uere diuinam composuit odam, in qua Dei erga se bonitatem maximo animi feruore praedicat, aliosque ad idem faciendum hortatur. Iam illud quod noster interpres in titulo transtulit, uultum, seu os, Hebraeis est, sententiam, intellectum, iudicium, gustum quoque: nam qui se amentem fingit, tum uultum ipsum, tum intellectum immutare uidetur. Et quod gustum uertit Fel. illud forte considerauit, quod ratio id sit menti, quod gustus corpori: & est perinde ac si uertisset, dum mutaret rationem. Et haec quanti ad tituli interpretationem attinet, sint dicta: nisi forte quis altius rem contemplan, mysterium aliud occultus quam sit nuda ipsa historia, inquirendum esse cogitet. Christus igitur is est, qui

in titulo psalmi, simul & in psalmo ipso quoque secrete latet. Nonne is tibi uisus et uultum illum maiestatis plenissimum, in quo contemplando totius nostrae beatitudinis summa posita est, mutare uoluisse, cum formam serui accipiens factus est homo omnium hominum despectissimus? Quid cruentos illos sanguinis riuulos ab ipsis cerebri penetralibus uis spinarum crudelissima erutos, perque os illud uenerandum ac pectus decurrentes memorem? Quid sputa illa foedissima tanto opprobrio, tantaque derisione in coelestem illam faciem coniecta dicam? Vides ne uultum Daudis immutatum? Vis ne etiam audire quomodo illum spreuit Abimelech, & dimisit a se? Spreuit Iesum (inquit Lucas) Herodes cum exercitu suo, & dimisit ad Pilatum. Saxa, credo, parietum uiso tunc tetro illo spectaculo & tragoedia, in lachrymas resoluta sunt. Heu corda plusquam aerea Iudaeorum: uideor enim uidere pallidam illam Iesu faciem, ac moribundam, ab ipsis rupibus siccisque cautibus & silicibus lachrymas excussisse: solus ille, qui semper dilectus est nuncupatus filius, neque aliter a Deo & fatus & nutritus, quam solent teneri infantes a tenera matre & foueri & enutrir: solus, inquam, ille fera omni crudelior, ac saxo durior, tam miserandum spectaculum sui conditoris, absque lachrymis, nedum cernere, sed propriis manibus conficere est ausus, Nonne rursum dissimulauit uultum, aliam'ue prae se tulit faciem, mutauit consilium, ut sic dicamus, & rationem, quando diuinam suam naturam corporea hac mole ac forma contexit? Etenim cum immortalis esset, incorruptibilis, inuisibilis, rebusque omnibus locupletissimus, factus est ultro mortalis, uisibilis, omnium pauperrimus, ac tandem, ueluti corruptum cadauer, tumulo mandatus, quanquam corruptioni ob noxius fuit nulli. Superatis itaque tot rerum monstris, atque in pristinam redacta de integro formam facie illa diuina, in quam tanquam in totius beatitudinis obiectum, coelestes cupiunt prospicere animi, composuit hanc amoris odam filius Dei Christus Iesus, eamque suos edocuit, & sic cecinit: Benedictus dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Nullum tam euidens nostrae fidei in Deum potest esse argumentum, quam cum ipsum uultu eodem, atque eadem mentis tranquillitate laudamus, illique gratias habemus, siue prospera sunt quae accidunt, siue aduersa. Nimium enim is tener est, ac delicatus, qui in secundo rerum suarum euentu laudat Deum, in contrario uero blasphematur, aut saltem ingemiscit, & lamentatur. Et sicut quidem carnis mollitudinem suas in nobis partes exequi permittimus, ita infractum animum, inconcussumque ac sui semper similem, in uiro coelestibus disciplinis mancipato requirimus. Alioqui illud in primis contingere est necessarium, quod mens humana continuis exagitetur curis & permotionibus, hisque diuersis & uariis, cum diuersa, planeque inconstantia ac uaria, etiam sub unius horulae momentum accidere pene omnia conspiciamus. Quare danda erit opera, ut in uno perstet immobilis tenaxque propositi iam in Deo concepti tenore: qui Deus ut ea maxime omnia, quae corruptioni debita sunt, auersatur, ita prae caeteris inconstantem nutantemque animum fastidit & execratur. Laudandus est igitur semper Deus, quoquoersum se sors uertat humana, & fortuna. Benedictus dominus, aiebant pastores illi in uate quodam, quod diuites facti sumus. Censes ne tam molles pastores in segetum populatione, aut gregum inedia & morte, easdem laudis diuinae notas potuisse occinere? Quotus enim quisque est, etiam ex his qui mundo abiecto, coelum iam manibus attigisse uideri uolunt, qui non summopere doleat, excrucieturque animi, si aut Padus ruptis aggeribus sata inundauerit, aut Syrio ardentiori afflatae uites exustae fuerint, uel imbre e nimio luxuriante uim omnem uuarum in pampinos, frequentesue clauiculos deriuauerint? Quam uereor ne commodis incommodisque rerum harum inferiorum, diuinam erga nos metiamur beneuolentiam: cum ignorare tamen non

debeamus, coelestem patrem suos sub flagris ac uerberibus erudire solitum, non delitiis fouere. Quomodo igitur cunque res contingant, uir spiritualibus assuetus delitiis, cum Christo, quem in omnibus sequi debet, ex animo dicat, Benedictus dominus in omni tempore, siue nubilum id sit, siue serenum. Semper laus eius in ore meo. Sint mihi ubertim diuitiae, sit peculium, sint numerosi greges, sint liberi, sint honores, semper laus eius in ore meo.

{pdf 271, p. 127v}

Sint contra inedia, fames, aerumna, paupertas, languor, morbus, ac tandem illorum orbitas, semper laus eius in ore meo. Itaque absurdissimum illud quidem, minimeque ferendum in Christiano uiro, quod a Cicerone prolatum legimus: Bonum, inquit, liberi, misera orbitas: bonum patria, miserum exilium: bonum ualetudo, miserum morbus: cum apud nos nihil malum, aut miserum existimari debeat, praeter peccatum: hoc excluso, nescio sane quid mali nomine uocari debeat, ac possit. Igitur

{34.3} In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & laetentur.

Deuictis, inquit, tentationibus, non mihi quidem laudem, meisque uiribus ac studiis arrogabo, sed Dei misericordiae illud totum feram acceptum. Fas enim est, ut illi qui uim ad superandos hostes suppeditauit, laudum magnitudo debeat. In domino gloriabitur anima mea, legunt Hebraei, uel de domino: ut sit sensus, Totis animae affectibus de domino, deque eius bonitate gloriabor. & est fere idem, quod nonnulli vertunt, Laudat anima mea dominum: nam de domino gloriari nihil aliud esse arbitror, quam laudes eius, maximo quantum possis affectu, praedicare. Audiant haec itaque omnia mansueti, & laetentur. Vide grati animi argumentum. Non possunt quidem non supremum in modum laetitia affici mites ac mansueti, simulac audiunt suae sortis homines a Deo in afflictionibus non deseri, atque propterea diuinum nomen ad coelum usque efferre. Porro mansuetos uocat illos, qui cruci libentius sese submitunt, quam cuius eminentissimo principi aut regi: et si non me clam est, a nonnullis mansuetudinem, uirtutem eam dici qua quis facile, natura duce, irae ardorem temperat & extinguit: uerum mansuetudo etiam lenitas est, ac quaedam cum aptitudine morum iuncta facilitas. Fel. tamen uertit, humiles: alius uero, oppressos. Quare sic reddit Paraphr. In laudando domino occupata erit anima mea, ut audiant qui aduersa patiuntur, & recreentur. Unde a quodam psalmorum interprete admonetur lector his ferme uerbis: Nunquam psalmum hunc intelliges, nisi graui tribulatione per Deum liberatus: tunc laudabis Dei benignitatem & dulcedinem misericordiae eius. An uero nostra quoque aetate oblata nobis sit propter aduersitatum frequentiam, occasio laudandi Deum, equidem non ignorare possum: licet interdum adeo extra me in dignioribus curis occupatus fiam, ut uix me esse hominem sentiam: sentio tamen tunc demum, cum proborum in rebus gerendis modestiam, lenitatemque animi a nonnullis uideo suspectam haberi. Illi, ut suus est mos, agant: ego uero interim uel usque ad raucedinem clamabo, Audite, audite mansueti & laetamini:

{34.4} Magnificate dominum mecum, et exaltemus nomen eius in idipsum.

Non mirum enim si quis divino numine afflatus, non solum ipse propter incredibile, quod* in se sentit, coelestis perfusionis lucem, laetitia gestiat, uerumetiam alios ad idem mentis tripudium prouocat, cum causam mox, quamobrem laetari debeant, infert:

{34.5} Exquisiui dominum & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Ne quid sibi uelit illud, Magnificate dominum mecum, diutius quaeras, breuibus id exprimit Paraphr. Laudibus, inquit, quantum potestis maximis, efferte dominum, extollamus nomen illius una omnes. Ex qua quidem interpretatione ad moniti, censemus nihil aliud esse dominum a nobis magnificari, quam eo nostro illum laudari proposito, quo apud omnes, quemadmodum in seipso maximus est, supraque omnem magnitudinem infinite excelsus, ita magnus existimetur, colaturque passim ab omnibus. Caeterum, in idipsum, Hebraeis est, una, simul, pariter: & est sensus: Non uos pudeat pigeatque, o mites, o a mundo despecti & oppressi, tam bona principem una mecum, qui toties uim illius bonitatis expertus sum, laudare magnificareque, atque eius nomen, quanto ualeatis conatu, extollere: nam & ego quidem in tribulationem grauissimam saepenumero prolapsus, illum mihi semper quaerendum esse duxi. Nec sane id quidem frustra: nam me actutum ab oppressionum mole leuauit, non secusque extraxit, ac solent matres tenellos filios a periculo aliquo imminente exterrefactos. Sic Fel. Ex omnibus trepidationibus meis eripuit me.

{34.6} Accedite igitur ad eum, & illuminamini, & facies vestrae non confundentur.

{pdf 272, p. 128}

Cum haec & similia nimirum lego, uideor mihi uidere mortalium animos in caligine errorum densissima aequae uersari, atque hi consuescunt, qui labyrinthum aliquem ingressi, hoc magis in sinuosis illis gyris horsum sursum implicantur, quo ex sese absque lumine aut filo, tam confusas uiarum ambages egredi nituntur. Labyrinthus enim uita haec est: Christus uero solus, ne lumen aliud imagineris, fax ac lampas: filii autem glomus, fides: qua quidem nostrarum operationum dexterae unita ac colligata, praeuio semper Christo, non labyrinthum iam quendam, sed profundissimam errorum noctem illaesi superamus. Accesserunt enim antiqui illi patres olim ad Mosen, ad iudices, ad Prophetas: uerum ex his quis unquam se lucem esse testatus est, quemadmodum Dei filius, qui in Ioannis Euangelio clamat, Ego sum lux mundi? Nonne de uiro illo sanctissimo, quo nemo unquam e natis mulierum surrexit maior, sacer refert scriba, quod non erat ille lux? Lux itaque Christus solus est, cuius beneficio non tantum corpora haec inferiora & uiuunt, & incrementum sumunt, quantum mortalium animi, quorum lumen proprium ac uita, ipse est: quo absente, non solum tenebroso cuidam mortis generi sunt obnoxii, uerumetiam nihil omnino sunt. Omissis itaque rebus caeteris, quae aut carent lumine, aut falsum illud quidem pollicentur, ut sunt cogitationes illae, aut opera quoque, quae ab humana solummodo proficiscuntur ratione ac uoluntate, accedite ad eum, & illuminamini. Ipsum, ipsum adite: ipse enim est, non alius quispiam, qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. In ipso uita est, lux, pax, & omne bonum: in caeteris uero tenebrae, nox, mors, atque omne

malum. Haud sane uerendum, ut in tam sancta de obtinendo Christi lumine fiducia repulsam patiamur (sic enim interpretantur, Et facies uestrae non confundentur) quin potius illud timendum, ne nostra timiditate, pusillitateue animi offensus, radios illos suos bonitatis, alioquin omnibus ex aequo patulos, subtrahat: quos illis tantummodo perpetuo quodam influxu exerere solitus est, qui idcirco tam beatissima luce perfunduntur, quod illam absque haesitatione & rogant, & iam se, propter spem certam, exorasse certo sciunt. Quare illa non paruipendenda est Pauli adhortatio, qua nos admonet, ut cum fiducia accedamus ad thronum gloriae eius. Fel. tamen hunc uersum sic legit: Respexerunt ad eum, & cucurrerant, siue illustrati sunt. quod quidem duplici sensu niti uidetur: altero quo, Ad eum, ad ipsum referatur Deum: altero uero ad sese. Prima quidem interpretatio concinna admodum uidetur, atque apta ad ea quae dicta sunt: ut sic uates, qui, simul ut dixit diuinos oculos ad suas respexisse calamitates, breui ueluti conclusione rem nectat hoc fere modo. Postquam me in miseris adiutum, atque adeo ab infinitis periculis tum animae, tum corporis ereptum a Deo audierunt, respexerunt illico ad eum, ac facto uelut agmine certatim cucurrerunt: uel respicient, ut uertit Fel. & accurrent, simili modo se, suaque omnia Dei fidei committentes. Si uero ad ipsum uatem illud referas, ut nonnullos referre uideo, ob illa quae sequuntur, is erit sensus, tanquam uates de se dicens, alium introducat: quod genus locutionis nonnunquam, etsi non frequenter, in scriptura legis diuinae positum cernimus. Aspicient, inquit, homines illum, hoc est, me, atque admirabundi considerabunt, accurrentque tanquam magnum quoddam uisuri: nec quidem pudefient, uti hi solent, qui uisa re illa, ad quam tanto studio contenderant, illusi reuertuntur, quippe quod non ea uis rei illi inerat, quam prius animo conceperant. Cernebant enim uatem afflictum, despectum, irrisum, oppressum, a propriis laribus, e patria, a sinu denique ciuium eiectum, tam subito fauore erectum. Unde stupentes haec inter se,

{34.7} Iste pauper clamaui, & Dominus exaudiui ei, ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum.

O immensam, aiunt, diuinae beneficentiae largitatem. Iste profugus, miser, proscriptus, ab omnibus contemptus & eiectus, tam Deo charus est, ut cum primum eius opem implorauerit, statim adiutus sit, atque a tribulationibus illis tam saeuis, tam immanibus, tam humanae uirtuti imparibus, ereptus. Quis haec grandia non fateatur, ac stuporis plenissima? Audi & miraculo propiora:

{pdf 273, p. 128v}

{34.8} Immittit angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Solet enim diuina bonitas suos ita in aerumnis ac laboribus illis, quibus tota haec uita referta est, & tutari, & illaesos reddere: ut pene nihil aliud cogitare uideatur, quam ut illos in eo rerum culmine statuatur, quo conspicui mundo, dii magis quam homines reputentur: quae quidem felicitas non ociosis, aut in rebus huius mundi occupatis contingere unquam potuit, uerum desudantibus, atque a iustitiae semita ne passum quidem deflectentibus. Sunt & qui etiam (exemplo, ut aiunt, Dei, cui sui maximae, ut dixi, sunt curae) nihil omittunt, quo suos consanguineos, licet ineptos, aut affines, aut saltem eiusdem patriae homines summopere extollant, atque inter primos ciuitatis

collocent, ut fere insanire uideantur, si quod quaerunt non assequuntur. Atqui forsā id superbiae atque ambitionis in rebus publicis atque urbium magistratibus tolerari posset, utpote in huius mundi gloria ac fastu uersantibus, atque ad eum certatim omnibus accurrentibus, passimque conspirantibus: at in templis id uirus, templorumque prouentibus & honoribus inueniri, quorum honor ac gloria ea tandem esse debet, ut unusquisque paruo minimoque contentus, nihil in terris magnum, nihilue gloriosum arbitretur, nisi mundo inglorium esse, ac omnium abiectissimum, quis bonus aequo ferat animo, & potissimum cum nulla uitae aut doctrinae habeatur ratio, sed illa tantummodo, quod consanguinei sunt, eiusdemque regionis incolae? Nemo unquam, inquit, carnem suam odio habuit. Infelicissimum profecto carnis genus, atque ab animo prosus amputandum, illorum praesertim qui idcirco in templis ac claustris uitam degunt a uulgo remotam, ut tranquillius res suas cum Deo, qui in purissimis solummodo, ac penitus a turbis semotis animis habitat, pertractent, non ut carnem illam suam, turpissimo omnium exemplo, & foueant, & reclamante quoque natura, in altum euehant. Sed ad Psalmum. Diuus Hieronymus ex Hebraeo sic reddit hunc uersum: Circundat angelus domini in gyro timentes eum. Fel. uero sic: Moratur, siue castrametatur angelus domini in circuitu timentium eum. Sumpta enim occasione uates a sua liberatione, ut in psalmi titulo est dictum, fidissimam angelorum circa homines custodiam celebrat, & ait, quod dominus adeo erga suos uigilans custos est ac insomnis, ut uelit etiam uniuscuiusque angelum ad sui, ut sic dicam, clientis tutelam castra circumponi, ne uidelicet ab inimicorum castris hinc inde circumfusus laedatur. Quod uero noster interpretes transtulit e graeco, Immittit, Septuaginta transtulerunt, Irruet, quod eadem dictio Graecis sit, immittere, irruere, inuadere, iniicere: utraque tamen uersio obscurior. quanquam non me praeterit, immittit, a nonnullis ita interpretari, quod angelus tanquam minister, diuini fauoris influxum, in electorum custodiam immittit. Quod si porro, qui sint electi, a tardioribus ingeniis ignorari dicuntur, addit uates, quod hi sunt, qui timent dominum. Si rursus, unde istiusmodi timore affecti queant cognosci, interrogor: respondeo, a praeceptorum Dei obedientia, Ubi (inquit lex sacra) est timor, ibi etiam mandatorum obseruatio. Ergo in obtemperando diuinis iussionibus, is facile dignosci potest, qui in electorum numerum ascitus sit: alioqui in uia stertentes fidei, ac in media ipsa luce hallucinantes, prae se absque dubio ferunt, ab electione Dei aeterna exclusos esse, atque propterea tutissimis angelorum castris haudquaquam muniendos. Verum ut non sit alia coelestium spirituum custodia ac defensio, aut aliae quoque pro tutandis electis excubiae, num ille quidem qui magni consilii angelus appellatur, cum suis castris, suaque tutela deesse poterit? Non deerit certe, quandoquidem se nobiscum fore usque ad consummationem seculi pollicitus est. O fidam supra humanum atque angelicum praesidium, custodiam. Vult tamen dux noster ipse omnipotentissimus, & imperator, suos secum ad nostri tu telam & defensionem habere exercitus, ne ullo praetextu, ulloue pallio nostram possimus obtegere ignauiam, querentes nos esse indefensos & derelictos, Olim enim obsessa ciuitate Dothan per regem Syriae, in qua erat Elisaeus, uisus est mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisaei. quae quidem uisio nihil aliud prae se tulit, quam administratorios illos spiritus (sic eos uocat Aposto-
[Apostolus]

-lus) continuis nobis affuturos subsidiis. Quid item illud, quod in Exodi libro legimus? Praecedet te, inquit dominus ad populum Iudaeorum, angelus meus, & introducet te ad Amorraeum, & Ethaeum, & Pherezaeum, Cananaeumque, & Euaeum, & Iebusaeum, quos ego conteram [Exodus 33]. Hi sunt enim populi terrae, populo illi a Deo promissae. Verum priusquam angeli custodiam populo spondisset, praeceptorum illi aceruum condiderat, addideratque, se illi semper affuturum, tantum omnia, quae ei locutus fuerat, non contemneret, sed diligentissime seruaret. Ecce mittam angelum meum, inquit, qui praecedat te, & custodiat semper in uia, & introducat in locum quem praeparauit tibi. In obsequendo igitur mandatis diuinis, huiusmodi coelestium animorum tutelam atque opem merentur electi, ne nobis naturalem quandam purissimis illis ministris consuetudinem, qua nobis uelint nolint deuincti sint, somnietur. Vos interim

{34.9} Gustate et videte, quoniam suavis est dominus.

Quam uerissimum illud quidem est, diuina scilicet beneficia non solum esse considerata meditandaque, & ob oculos sedulo retinenda, uerumetiam spiritus palato degustanda, atque in cor traicienda. Idcirco uates commemorata angelorum uigilantia erga homines, ac custodia, dono utique sublimi & diuino, datoris bonitatem, suauiusque illius naturam ac facilitatem in suos nobis offert, non solum quidem animo pertractandam, uerumetiam degustandam. Nam Dei munera, quae nunquam desunt mortalibus, nemo tam scelestus est & impius, qui non interdum uoluit animo, ac cogitet a Deo esse: uerum illorum gustus & suauitas ad illos tantum pertinet, qui nihil aliud in terris iam expetunt & amant, praeter Deum: hi electi sanctique uocantur & sunt, caeteri uero etiamnum dubii, ut sunt ferme omnes quos nostra hac aetate, foedo omnium exemplo, cernimus pede altero inter religiosos coetus manere, altero uero terrenis negociis ac quaestibus fixos esse & occupatos: raro enim hi gustant, quam suavis sit dominus, quam bonus (ut uertit Fel.) quam benignus, quam super mel & fauum dulcis. Duos quidem pedes, hoc est, omnes animae affectus, non illos aut illos, a nobis exigit purissimum atque adeo simplicissimum illud nomen. Quare id summopere cauendum, ne dum hinc a mundi amore pellecti, ab infinitis terrenarum rerum curis impetitur, illinc a memoria pollicitationum Deo per nos factarum urgemur, ancipiti progrediamur passu, atque illi faueamus parti, quae modis omnibus a nobis est extirpanda. Vis uno uerbo rem totam concludi? Vult totum hominem Deus, uult animum, uult cor, uult spiritum, uult omnes animae affectus, uult corpus denique ipsum brutum. Caeterum gustus ad uoluntatem seu amorem attinet, uisio autem ad intellectum: in quibus sane rebus tota animae beatitudo posita est. Vtra uero potior sit, in hac uita maxime, fateor me nescire. quanquam scio statim quosdam mihi responsuros, satis illud tritum, quod non possumus amare incognita. Sed nostrum id non erat institutum. Illud tamen unum me ignorare haud dicam, totam uim Euangeli, in qua tanquam in speculo nostram contemplamur beatitudinem, a carcere, ut aiunt, ad metam, illam in primis auream resonare dictionem, AMOR. Porro si primam rerum originem respecto, si coelum, si terram atque eius ornatum ac cultum intueor, si diuinum de recuperandis hominibus in Deo consilium, si eius filii ad id negotium delegati aduentum, natiuitatem, miracula, ac demum aerumnas crucemque considero, uidentur haec mihi omnia sub una hac tantummodo dictione concludi, AMOR. Ad haec, quid aliud totius Legis, prophetarumque omnium summam, qua beati efficitur, in

unum colligit nodum, nisi AMOR? qui quidem non tantam ab anxia diuinae naturae peruestigatione, & quae in terris fere est nulla, cognitione, oriri solet, quantum a simplici in Deo spe ac fiducia, quinimo duae hae optimae in anima partes adeo simul cohaerent, & indissolubili connectuntur uinculo, ut una sine altera esse omnino nequeat. non parum enim (meum iudicium simpliciter profero) religioni nostrae decederet, si e cognitionis magnitudine, quae tenuissima est, nostrum in Deum amorem metiremur, qui immensus esse debet, cum diuinarum rerum notioni quidam sit in terris praescriptus finis & modus, ultra quem

{pdf 275, p. 129v}

uelle progredi nefas esset: amori uero nullus praefixus sit terminus ac modus. Vnde quidam ex sanctioribus nostrae professionis uiris olim interrogatus, quis modus in diligendo Deo deberet esse, Modus, inquit, sine modo. Nec sane aliud spectasse Euangelium iudico, cum iussit Deum toto corde, tota mente, atque anima & uiribus a nobis diligi, quam in Deum amore illo nos ferri debere, qui modum nesciat ac mensuram. Haec igitur cuncta longe antequam euenirent prospectans uates, ac praeuidens coelestis huiusce amoris gustum ante Christi aduentum fere nullum, per simplicem magis in Deum fidem ac spem sensuros homines, quam per rerum earum notionem, quae nullatenus humano ab intellectu percipi possunt, exclamauit,

{34.9} Beatus uir qui sperat in eo.

Verum quidem illud etiam est, atque a sacra lege non semel celebratum, maledictum scilicet esse hominem, planeque execrandum, qui in homine sperat & confidit. Verissimum & illud, benedictum eum sane esse, ac beatum omnino, qui in domino spem suam collocat & fiduciam alioqui certe tanta interdum rerum confusio inter homines commiscetur, cum alter alteri plus quam par est fedit, ac uicissim sese mutuis quibusdam uicissitudinibus fiduciae ac spei confouent, ut non maiori commisceatur fretum aliquod ui uentorum ingenti concitatum, funditusque euersum. Quam falsus is quidem est, qui in homine quamuis amico & probo, adeo ex animo confidit ac sperat, ut nullo unquam tempore aut occasione, eum mutari posse cogitet. Ea enim animi inconstantia mortalium plerique affecti sunt, ut amicum quamlibet charum facile fallant, modo id uel sibimet, uel rei illi, quam magis amant quam fidem, inseruire posse uideant. Et ut quidem huiusmodi fallendi studium in uulgo natura leuissimo ferendum sit, in magistratibus tamen ac rerumpublicarum & Ecclesiae primatibus neque ferendi, neque nominandum. Sed illud unum hac in re potest esse remedium, ne quis quotidie ab amicis se deceptum expostulet, dicatque imprudens, non putaram, si titubantem spem in homine, qui fallere consueuit, posuerit: in Deo autem firmam ac constantem, qui ita a deceptione remotus est, quemadmodum a caeteris animi uitiiis quibus implicati sunt homines, natura semotus est ac alienus omnino. Quare non absque ratione uates exclamauit, Beatus uir qui sperat in eo: hoc est, felix ille, qui fidei illius sese committit penitus. Quocirca

{34.10-11} Timete dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum. Contra uero, Diuites egerunt & esurierunt.

Elegantissima hic quidem antithesi usus propheta, scribit, nihil non, quod ad uitae usum faciat, abunde in Deo sperantibus, eumque timentibus suppetere, inopia interim laborantibus huius seculi diuitibus & potentibus, quos secundum Hebraeorum literam leones appellare libuit. Sic Fel. Catuli leonum inopes facti sunt, & esurierunt. Dictio enim, quam noster interpres diuites uertit, magis prophetae sensum exprimit, quam uim uocis. alioqui dicendum erat, leones iuniores, qui ob recentiore aetate, magisque uiuidam, ferociores sunt, atque ad praedam ualentiores, inedia facilius ac fame deficient, quam hi qui timent dominum: nam nihil de esse potest tam charis Dei amicis. Verum (ut dixi) diuites hic a uate describuntur, ferocis insuper, rapaces, usuris rem suam accumulantes, iniusta lucra sectantes, de aliorum fundis atque agris posteris suis diuitias comparantes, & demum de miserorum cuium sudore & aerumna feliciter uiuentes: hi nempe omnes a pastione illa aeterna, qua pauperes solummodo spiritu recreantur, & uitam habent, tum hic, tum in futuro uitae statu ieiuni erunt. Esurientes (canit Deipara uirgo) impleuit bonis, & diuites dimisit inanes: uacuos scilicet superno illo cibo, quo uel summis labiis degustato, in eum conualescit anima uigorem, qui ab interitu tam longe abest, quam longe inuicem absunt lux & tenebrae, mors & uita, felicitas & miseria, esse & non esse. Ne putes, ait glossa, hic dici de terrenis rebus, quae nullius precii sunt, sed de spiritualibus. quanquam non raro quidem eos ipsos etiam diuitiis multis turgidos atque elatos, uidimus ad tantam rerum omnium inopiam deuenisse, ut aut fame interierint, aut ad posterorum exemplum a diuina prouidentia seruati, uitam miserrimam utcunque tradu-
[traduxerint]

{pdf 276, p. 130}

-xerint, nihilo tamen secius meliores effecti, quam prius fuerant, cum fortunam capillo (quod aiunt) tenere uisi sunt. Hi enim in limo limosam, ut sunt meriti, degunt uitam,

{34.11} Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Fel. non indigebunt, uertit. Alius uero, non deficient ullo bono. Quare uerborum horum omnium sensum Paraphr. quemadmodum uenuste & uere, sic breuiter colligit hoc modo: Qui potentia leonibus similes uidebantur, ad inopiam redacti sunt, & famem passi, cum interim quaerentibus dominum nihil defuerit unquam. Atqui considerandum, quomodo nunc uates eosdem ipsos inquirentes dominum uocat, quos superius sperantes in domino, eumque timentes appellauit: quo animum aduertamus, nulla fero alia ratione aut uia posse Deum inquiri quam illa, quae spe fideque, ac erga Deum ipsum timore ac reuerentia sternitur, atteriturque pedibus euangelizantium pacem, uel, ut inquit Esaias, euangelizantium bona. Ac ne illorum spes interim & timor nequicquam esse uideatur, continuis sese macerant abstinentiis, inediis, cruciatibusque corporis sponte susceptis, uigilis, & iis quidem diuturnis & constantibus: quibus sane rebus & indiciis, quantum sit illorum studium & conatus res eas superandi, quibus prorsus deuictis, uirtutes omnes animi stabiliuntur, firmanturque in Deo, sed in primis pertinax illud propositum inquirendi Deum, quod una esse cum spei, timorisque diuini habitu diximus, omnibus testatum esse cupiunt. hi certe non minuentur omni bono: quod quidem bonum, ne diutius in diffiniendo summo bono scholas omnes philosophorum inuicem concertantium peruestigemus, Christus est: quo adepto,

summa illico praesto est felicitas illa animorum, quam beatitudinem appellamus: uerum his tantummodo, qui non tam cognitionis regula, amoris ac fiducia illum inquirunt. Quare ne longius aberretur,

{34.12} Venite filii, audite me, timorem Domini docebo uos.

Timorem hic uocat uates cultum Deo sincere impensum, quem sane suos edocturum spiritus pollicetur, illosque filios uocat. Quid ni filios appellet, cum illorum teneritudinem atque infantiam assiduis alat coelestium donorum alimentis, quo tandem in uiros coalescant undequaque perfectos? Filioli mei, inquit Paulus, quos iterum parturio, ut reformet in uobis Christus. ad hoc enim supernis gratiarum archiuis ac thesauris tam copiose quam Dei spiritu ditamur, ut Christus tandem in nobis reformet, in ipsoque per amorem, cultumque illum transformemur, quem hic timorem domini appellat Propheta, quem secutus Paraphr. sic reddit: Venite quotquot discere cupitis, & auscultate mihi, quo pacto uere coli uelit dominus, docebo uos. Et quid sit illud, uenite, interpretatur Fel. praeparamini. Venite igitur, accedite, quid ueremini? pater est qui uos inuitat, rogatque, ac quibusdam ueluti crepundiis & crepitaculis ad sese allicit. Caeterum timorem huiusmodi, qui in Dei religione positus est e libris utcunque discere possumus: sed parum illud quidem, nisi is cuius id donum est, illius cognitionem suppeditet, nosque in filios illos quos hic ad condiscendam timoris huiusce doctrinam prouocat, misericorditer accersat, moueatque ad ea appetenda, quae alioqui neque per nudum nostrum arbitrium, neque per nostram duntaxat uoluntatem nancisci idonei sumus. Negocium id spiritus Dei est in primis, non hominis nimium per sese ad diuinas contemplationes lusciosi & tardi. Ergo

{34.13} Quis est homo qui uult uitam? qui diligit dies uidere bonos?

Fel sic: Quis est uir qui uult uitam? qui diligit dies, ut uideat bonum? Paraphrastes uero clarius: Quisquis cupis fieri longaeuus, & multis annis uiuere feliciter, cohibe linguam a maledicentia. Idcirco enim annorum prorogatio desiderari debet, atque a Deo peti, quo diuinus per nos cultus latius propagetur, inseruiaturque uirtutibus ac numinis immissionibus, non curis seculi aut uitiiis, inter quae ea quibus lingua infici solet & maculari: indeque animus ac mens non inferiorem sibi uendicant locum, Susurratio enim murmurationeque, ac qua maxime inquinat anima, obtrectatione, periurio insuper & blasphemia, foedari cernimus non solum linguam, uerumetiam & cor & animum. Imo, ut rem clarius exprimam, a contaminato corde huiusmodi turpes erumpunt fructus. Quocirca inter prima diuini cultus

{pdf 277, p. 130v}

rudimenta id potissimum a uate ponitur, linguae scilicet candori ac munditiae assuescere: nec facile quo nos uocat animi petulantia atque ira, claustra alioqui summo naturae artificio oclusa, laxemus linguae.

{34.14} Prohibe (inquit) linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum.

Priuanda est igitur his duobus potissimum telis lingua, ne quem scilicet aperta laedat iniuria, ne quem dolosa & occulta. Natura enim hominibus cum data sita Deo lingua, ut alter alteri suos aperire ualeat conceptus, tum ut ipsum suum fabricatorem laudibus efferat, atque eius nomen diuulget, insigne erit flagitium tam nobili abuti instrumento ad concinnandas fallacias, iniuriasque illas, quae & homini incommodum, & Deo contumelias inferant. In lubrico quidem cum sita sit, facile in eam saepenumero prolabitur intemperantiam, ut ea quoque, quae non uis, impudentissime effutiat. Iam illud scire a Salomone dictum, quod os lubricum operatur ruinas. Sed illud horrendum, quod inquit Christus: Ex uerbis ei tuis iustificaberis, & ex uerbis tuis condemnaberis. Iactis itaque coelestis doctrinae fundamentis, quae in linguae sanctitate posita esse affirmat uates, ad reliquum erigendum aedificium transit, & ait:

{34.15} Diuerte a malo, & fac bonum, inquire pacem & perseguere eam.

Audisti ne unquam breuius ad totius sacrae legis uim exprimendam compendium? Fuge, inquit Paraphr. malum, & fac bene. Sic sane res habet, ut in malo euitando solertia nihil propemodum sit, nisi & ad operationes illas, quae a fide proficiscuntur & amore, adicias animum. Cui unquam profuit, aut fuit decori, conscissas abiecisse uestes, nisi nouas, aut saltem honestas & decentes induerit? aedes enim uetustate collabentes diruere, nec alias denuo erigere, quis non rideat? Porro declinare a malo, est illud totum, quod a sanctissimo Christi Euangelio dissentit, longe propulsare, nec quicquam in moribus, in uita, in cogitationibus denique nostris & affectibus admittere, quod Christi uitam non referat. Ille uero facere bene dicitur, qui natura ipsa prima praeuia, sed imbecilli & tarda, ad ipsius instaurationem amplexandam quae per Christum facta est, totis animi uiribus contendit Hinc Deum super omnia & colit & amat, illinc uero proximum perinde ac seipsum diligit. Quod quidem ante Christi aduentum ad nos prorsus exoleuerat, re clamantibus tamen naturae ipsius antiquae institutis ac lege. Instaurata sunt igitur omnia per Christum, & quae in coelis, ut inquit Paulus, & quae in terris sunt. Quare si adhuc ad ea, quae agi oportet, caecutis & dormis, pigetque a doctioribus haurire quae magno absque labore non perdiscuntur, pigebit ne etiam compendiosam Christi uitam, in qua totius inest iustitiae summa ac uirtus, uel semel in die recensere? Si legem bene uiuendi certam assequi peroptas, Christum intuere: si modestiam, si patientiam, si in aduersis tolerantiam, si fortitudinem, si mundanarum rerum contemptum ac neglectum appetis, a Christi uita haec omnia perfectissime discere poteris: nusquam enim nisi in Christo, ad bene sancteque uiuendum lex ac forma statui debet. Is certe cum tantus sit, ac tam uastus, ut rerum omnium molem & impleat & contineat, obuius est tamen omnibus, atque adeo patens, ut nemo tam abiectae sortis homo sit, qui tam excelsae rei consuetudinem non assequatur & obtineat, modo sui prorsus ipsius immemor, in illum, quantum in se est, per amorem & desiderium ardentissime feratur. Hic certe non exacta admodum legis cognitio, non linguae, non artes, non humanarum rerum doctrina, addo, & diuinarum anxia illa sollicitudo & inquisitio in primis requiruntur, sed amor, sed puritas, sanctaque fidei simplicitas, ac quaedam in moribus (ut sic dicam) Christiformitas. Induite dominum Iesum Christum, aiebat Paulus, & sat est. Quid breuius dici potuit? quid rursum utilius? posito enim circa nos, supra nos, infra nos, & in nobis tandem Christo tanquam uestimento, nihil iam deerit, quo minus supra supremos spirituum coelestium choros statuamur. Eo quidem obtento, illud potissimum euenire necesse erit, quod

quemadmodum caetera illa, quae ad assequendum tot laborum nostrorum praemium conducunt, facile obtinemus: ita pacem maxime tam, qua tum omnibus, quibus cum uiuimus, commodi sumus & gratiosi, tum no-
[nobis]

{pdf 278, p. 131}

-bis quoque qui adeo pacata conscientia, tranquilloque animo, cum Deo primum, postea cum hominibus omnia pertractamus, ut coelestes quodammodo in terris dii uideamur, non solum inquirimus, uerumetiam studio omni & conatu, ut perfecte illam habeamus, contendimus. Idcirco addit uates: Inquire pacem, & persequere eam. Res est enim, quae nisi maxima ui animi ac nisu apprehendi potest: adeo multae uariaeque inter homines interdum rixarum incidunt, atque odiorum occasiones. Non furit quidem aestus in mari tam saeue, orta tempestate, quam respublica illa, aut hominum alias congregatorum multitudo, rupta pace, & furit & insanit, dum in sectis diuisa, alter alterum & lingua & ferro, & quod est scelestius, ueneno persequitur, & atrocissime insectatur. Fugato enim semel a nobis Christo, qui pacem tam diligenter nobis, cum iam iam e terris discessurus esset, tanquam bonorum omnium nexum ac summam commendauit, cuiusque aeternum in sinu patris domicilium pax est & quies, quid in mundo aliud uidere cogitamus, quod non sit bellorum discordiarumque plenissimum? Quot urbes (malum) excisas? quot respublicas? quot familias? quot uel integras regiones, religionesque e fundo erutas, tum legimus, tum nostris quoque oculis uidimus, propter dissidiorum rabiem atque impetum? Atqui in infidelium conuentibus ac populis bella esse & discordias quis iam miretur, cum absque Christo sint, ac uiuant, qui pax ea est, quae exuperat omnem sensum? at in Christianis coetibus, in oppidis atque urbibus Christi fonte intinctis, in templis ipsis quoque in Christi nomine erectis pacem non esse, sed rixas & contentiones, magis mirandum est, quam si in medio ipso Galliarum centro Hispanienses quis profiteatur partes, aut in Britannia Gallicas: quanquam id in Italia nulli iam detur opprobrio, cum a multis iam retro annis omni nationum omnium sceptro, ne dicam libidini, gens haec prostituta sit. Unde aut hic in Pyrenaeo monte educatus res Italas moderetur, aut ille in ripis Rhodani seu Rheni altus, aut alius quoque e Maeotide, si lubet, emergat palude, ac nobis imperet, non eousque mirabimur, uti res solemus insolitas & nouas. Quod si etiamnum a quamplurimis, unde tanta rerum confusio ortum habeat, ignoratur: his una hac tantum uocula satisfactum iri uelim, DISCORDIA. Quod si rursus interrogor, unde nata sit huiusmodi bellua, quae crudelissimam quanque feram immanitate superat: fatebor equidem, malum id omne a Christi absentia exortum, quemadmodum ab illius praesentia non secus bella omnia ac rixae sese subtrahunt & fugantur, ac uulgus solet seditiosum, in discordiasque procliue sedari, uiso principe aut rege. Quoquo se modo res habeant, id nobis unum maximopere curandum erit, ut tanto nos studio & conatu, pacem saltem animi, si corporis inter uiperas coniecti non possumus, inquiramus, quo tandem illam assequamur, apprehensam utro mordicus teneamus. Id enim significat, & persequere eam. Nam

{34.16} Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum.

Mirum in modum [sic, modum] nostra perfectione delectatur Deus, atque propterea iucundo uultu, atque oculis undequaque laetissimis, suorum uirtutem intuetur, uti solet

pater iberos intuens bene moratos, atque ad ingenuas, ciueque optimo dignas operationes ita aptos & instructos, ut a praeclarissimis quoque ciuibus laudentur, uulgoque celebrentur. Est & alia ratio, quamobrem asserat uates Dei oculos iustorum uitam contemplari, atque ad eorum preces aures facile accommodare. Nam postquam mortales omnes generaliter admonuit, neminem seu clam seu aperte laedendum esse, quin potius eo pacem studio ac diligentia inquirendam, ut queat aliquando apprehendi & teneri, infert, subinde diuinos oculos in probos esse intentos, quo nimirum illis, ne qua re egeant, aut a quopiam supra uites laedantur, prospicit, consultumque uult. Proinde si quid acerbum calamitosumue (ut sunt pleraque huius mundi) inciderit, eos cumprimus ad ipsum confugerint, audit, atque a periculis uel animae uel corporis asserit. Quod sane dictum a Propheta idcirco arbitror, cum ut superbam quorundam petulantiam a miserorum oppressione arcat, cum clare cernunt iustorum uitam curae esse Deo, tum

{pdf 279, p. 131v}

ut iusti ipsi non tam prae fracte potentior iniurias perferant, cogitantes nullum esse in mundo tam fortem persecutionum acerbitate, quin statim a Dei manu, sub cuius tutela atque protectione tuti sunt, confringatur. Nam

{34.17} Vultus domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.

Ne uereamini, inquit, iusti: neque quomodo improborum ulciscamini iniurias, cogitatis: sinite hanc curam Deo: facies enim domini super illos. hoc est ut reddat Paraphr. toruo uultu aspiciet sceleratos, ut aboleat a terra memoriam eorum. Felix item, loco Vultus domini, ira domini posuit, quo intelligas nihil aliud hic esse uultum domini, quam illius iram, atque in improborum scelera excandescantiam: non quod sane huiusmodi affectus & aegritudines in purissima Dei natura sint, sed a signis irati hominis uoluit uates in Deo comprehendi iustissimi illius esse consilium, suos a peruersorum hominum contumeliis uindicandi. Et ut quidem in hoc mundo ad innumera illorum scelera, ut est natura patientissimus, ob quaedam quae nobis prorsus occuluntur iudicia, Deus conuiueat, num conuiuebit etiam in supremo illo die, cum exactissimo examine aurum e scoria, triticumque a palea ac bulla seligens, illud horrendum in impios iudicium proferet, Ite maledicti in ignem aeternum? Putasne tum infelices illos Dei uultum conspecturos iucundum & laetum, an toruum & acerbum? Intuebitur quidem omnes Deus & bonos & malos, hos nimirum ut damnet, illos ut seruet: hos ut ad aeternos detrudat ignes, illos uero ut in felicissimis aeternorum bonorum sedibus colloquet O iudicium ab omnibus, dum hic uiuitur, ex animo perpendendum extimescendumque. Caeterum quod hic asserit iniquorum omnium memoriam e terra abolendam, si non placet uiuentium terram, quam beatitudinem aeternam quidam esse interpretantur, intelligi, ad quam quidem interpretationem tanquam ad certissimum sensorum confugium recurrunt: hunc uitae esse statum dicas, quo quidem peracto, nulla extat improborum actio quae digna sit memoria, sed aeterno dedecore & infamia. Et certe suis in aerumnis

{34.18} Clamauerunt iusti, & Dominus audiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Iusti dictio in Hebraicis codicibus non inuenitur, sed additum puto explicandi causa prophetae sensum. Diuina quippe bonitas non potest non praesto adesse suorum gemitibus, & orationibus illis praesertim, quae e purissimis cordis radicibus egressae, ipsum Deum quodammodo ad se leuandam miserorum sortem, quae continuis afflictionum procellis exagitur, cogere uidentur. Conglomerentur sane hinc inde angustiae & miseriae, tantillo orationum igne adeo exeduntur, ut penitus in auram resoluantur, aut in sese collectae tanquam putridum coenum commarcescant. Non est quidem res ita efficax & fortis ad dissipandos hostium humani generis cuneos atque exercitus, ut est feruida ad Deum precatio. Vnde hic uatem illud in primis asserere uoluisse arbitror, multam atque atram tentationum nubem ab aere isto caliginoso pendere, tonitrua persecutionum audiri, fulmina, ignitaque linguarum tela in nos spargi, ac demum uastissimam calamitatum procellam, abyssumque profundissimam aerumnarum, per hoc mare magnum & spaciosum mundi debacchari: ea tamen omnia, tanquam pueris quae fiunt terriculamenta, solo orationum flatu dissipari. Clamauerunt, inquit, ad dominum: nec frustra quidem, nam dominus exaudiuit eos. Quos eos quaeso? Iustos sane, mansuetos, humiles, cuncta huius mundi pro Christo deridentes, ad iniurias ferreos, ad beneficia molles, rerum prorsus suarum commodorumque immemores, aliorum uero memores, castos, sobrios, & demum in Christum per amorem transfusos: horum enim oratio diuinis gratissima est auribus, caeterorum autem non item. Nam mens, in qua huiusmodi insunt gratiarum dona, deiformis quodammodo fit: atque propterea quicquid a Deo petierit, hoc certius exorabit, quo illud gratum esse Deo, & scit, & aliis persuadet. Ita profecto res se habent proborum, aliorum uero secus. Nam clamauerunt, inquit uates in alio psalmo, ad dominum, nec exaudiuit eos. fiat, inquit, illorum oratio in peccatum.

{pdf 280, p. 132}

O horrendam imprecationem: ab his enim longe abest dominus, contra uero,

{34.19} Iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde, & humile spiritu saluabit.

Cum multa sint quae conferri queant aegrotanti refrigeria, id potissimum uidetur, si lecto cubanti continuis assideat medicus obsequiis, soletur, excitet, ac demum sanitatem polliceatur. Haud secus quidem se habet diuinus medicus erga animas suorum afflictas, tentationumque ui consternatas, sauciasque aliquando & ualde afflictas: assidet enim, pientissimus uti pater, consolatur, admonet, blanditiisque ad reassumendum uigorem allicit, animat, & sanat tandem. huiusmodi enim sunt hi, quos hic uates contribulato uocat corde, spirituque humiles & abiectos, seu ut illos appellat Dominus, pauperes spiritu, ut sunt plane omnes qui pie in Christo uiuere cupiunt. Heu quam dirae hos manent cruces: pectore enim his opus est adamantino. Quod quidem aduertens Propheta, e sublimi tanquam specula clamans, istiusmodi quassatos hortatur homines ad hunc modum: Quid extimescitis? hostium ne feritatem & multitudine? uestram ne

imbecillitatem? Eia adest dominus, ut his qui fracto sunt animo, opituletur, atque eos qui afflicto sunt spiritu, seruet.

{34.20} Multae (fateor) tribulationes iustorum, & de omnibus his liberauit eos dominus.

Paraphr. sic: Multa incommoda accidunt iusto, sed ex omnibus illis eripiet eum Dominus. Equidem quam multa sint aduersa, quae uiro iustitiae studioso accidant, & uideo & experior: uerum illam quam promittit uates liberationem, non sic frequenter uidere contingit. Quis liberationem illam ab incommodis appellare unquam poterit in uiro inedia, morbo, persecutione, exilio, & caeteris huius generis cruciatibus quoad uixerit afflicto? Mortem ne aerumnarum huiuscemodi finem, liberationem, quam hic uates celebrat, dicemus esse? Magna profecto diuinae bonitatis ista esset laus, hominum coelestium rerum studiosorum miserias per mortem solui tantummodo, nec aliud interim liberationis genus extare etiam in hoc mundo, quo tanquam excelsae abietes inter fruteta, humilesque myricas, electorum animi conspicui apparerent. Quare diuinam hanc a malis liberationem, puto esse in aduersis patientiam: qua qui abunde ornatus est, ruat aether, ac quicquid usquam gentium est, in unum conspiret, in illumque desaeuiat, liber is erit, ridebitque impaudus: non illius quidem pectus afflictionibus assuetum induratumue, uulnus quantumuis acerbum ac letale attingere unquam poterit. Incrudescat mundus, perterrefaciat daemon, atque eius minister homo, ne parum quidem remollescet, laxabitque sese, in illa perstans fide, quod prope est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu seruabit. Scit quidem, quod

{34.21} Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.

Ossa hic uocat animi uires, solidioresque animae cogitationes, quibus non secus, atque ossibus corpus, sustentat, ac uires sumit. Custodit igitur dominus haec, quae diximus, iustorum ossa, nullumque eorum conteretur, uiolentia scilicet peccati. Alioqui & ossa, & nerui quoque ipsi proborum, eosdem cum domino suo cruci affixo subeunt cruciatus. Porro cum diuinae sit munificentiae proprium, iuuare, quos, rogo, in primis iuuabit? illos ne qui satellitio immenso sicariorum septi nihil uerentur, an illos potius, qui cum ab omnibus destituti sint & abiecti, uitam uiuunt miserrimam? His ne, inquam, potissimum, quibus diuitiae opulentissimae sunt, quibusque maxima in horreis uis inest frumenti, nihil non interim procurantibus, quo annona in dies carior fiat, tantique ueneat, quanti uita hominis aestimari solet, opitulabitur? an illis magis qui propter commeatus penuriam in uicis ipsis ac triuiis ciuitatum, uitam eiulatibus suspiriisque plenissimam effundunt? Hos igitur potius quam illos tutari solet diuina bonitas. Cuius uices in terris cum gerat Princeps, atque urbium magistratus, danda illis erit opera, ne minimum quidem a praescripto diuinae legis aberrant, qua cauetur, ut omnium suae ditioni parentium ex aequo curam habeant, maxime pauperum, pupillorum, uiduarum, orphanorum. haec sunt enim, quae Principum auribus inculcari debent, ut si quid perniciosum hesterno clauo

infixum fuit, hodierno eiiciatur. Caeterum hic ossa prae caeteris membris uates memorat, quia in ipsis texturae humani corporis maxime inest robur. Ossa eius, uertit Felix ob id, puto, quod obstrusioris nos mysterii per uatem admoneri censuit. Et est sensus: Ne, uos oro, persecutionum crucem, uariarumque angustiarum molestiam exhorrescatis, o qui in Christo uitam uiuere synceram instituitis. Ipse enim dux noster & imperator Christus maiori aerumnarum cumulo circumuentus, usqueadeo malis non cedit, ut ne os eius quidem paruum ac tenue succumbat, ne de uegetioribus interim illius membris, rationique obtemperantibus, aliquid dicam. Unde seruato Principe, quis populus non tutus? Obserua scripturarum conuenientiam. Os, inquit, illius non confringetis. Quid illud, quod in Ioanne legimus? Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo: ad Iesum autem cum uenissent, ut uiderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius cura: ut scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Sic nimirum Christo obire mortem peropus fuit, sic eius amicis ac filiis est necessarium. E contrario,

{34.22} Mors peccatorum pessima, & qui oderunt iustum delinquent.

Mors peccatorum, ait quidam, infamis & obscura. Quare sumptus illi regales in funeralibus, sepulchraque Pario lapide ac statuis perornata, non magis quorundam mortem praeclaram, minusque obscuram reddunt, quam cadauera ipsa, uel feretrum multa auri ui onustum, uel numerosa praeficarum multitudo suum illud lessum eiulantium celebriora faciunt, ac minus putida. Verum probum anteactae uitae testimonium res ea est, quae sanctorum obitum cum Deo, tum mundo preciosum reddunt Hebraeis tamen is uersus aliter legitur: Malitia, inquiunt, seu noxa interficiet impium, & odientes iustum uastabuntur, seu destruentur. Quare Paraphr. sic reddit Occidet impium ipsa impietas, & quotquot odio persequuntur iustum, peribunt. Illud sane Euangelicum hic mihi a uate dici uidetur, In peccatis uestris moriemini. Atque hos quidem Paulus suo admodum graphice pingit colore ad Philippenses scribens: Multi, inquit, ambulant, quos saepe dicebam uobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus uenter, quorum gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt: nostra autem conuersatio in coelis est. Vis ne clarius, tum horum qui terrena sectantur atque ambiunt, interitum, tum illorum uitam qui coelestia, ob oculos poni? Nefandorum certe hominum uitam non dubia sequitur mors infamiaque, & aeterna illorum obliuio. Proborum uero uitam, uita alia comitatur, & ea quidem aeterna, interim autem honor, dignitas, splendor nominis. Quod si etiam piorum quorundam hominum nomen ac famam secretissimo Dei iudicio cernimus ita ab improbis perrodi ac foedari, ut perpetuo quodammodo opprobrio e uita decedere uideantur: nomen tamen illud in coelis dei digito conscriptum manet indelebile incontaminatumque. Ecce, inquit Christus, nomina uestra scripta sunt in coelis, hoc est, aeterna sunt ac splendida. Semper igitur iustorum animae in manu Dei sunt. Verumenimvero propter assiduam obiectarum aduersitatum crucem, ac cumulum, uisi sunt oculis insipientium mori: in pace tamen decedunt, vivuntque illius uitae genere, quae ab irrationabili prorsus perturbatione atque interitu in hac quoque uita immunis est. Septies enim, ait Salomon, in die cadet iustus, & surget tamen: improbus uero in malo corruet: hoc est, is multa, & ea quidem immensa pericula saepe incidet iustus, emerget tamen ui ereptus diuina: uerum improbus ac scelestus ipsa malorum mole opprimetur, interibitque omnino, siue in fortuna illa quae ei obuient, corporea

fuerint, siue ad animam spectauerint, ut sunt peccata, noxaeque illae quibus quotidie diuinos offendunt oculos. Sed contra,

{34.23} Redimet dominus animas servorum suorum, et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Illi enim, inquit, ut dixi, prorsus occumbent, propriisque in peccatis morientur. iusti uero in refrigerio erunt. Obsecro, cur sanctas non dicam animas perenni beatitudinis statione in refrigerio esse, cum ad mortem, ut inquit Ioannes, peccare nequeant? Causam uero quamobrem id fiat, ponit uates, cum ait, quod redimet illos

{pdf 282, p. 133}

Deus: hoc est, ita se Deus misericorditer cum illis geret, ut quicquid deliquerint, on illis imputabit, sed teget potius, remittet, purgabit, ad uitamque cooperari faciet. Et ne forte in peruestigando, qui sint serui illi a domino redimendi, diutius immoreris, eos ipsos dicit, qui spem omnem suam in Deo collocant: hi nempe, quod dicere inceperam, delinquere haudquaquam possunt ad mortem, quia ex Deo nati sunt, semenque Dei in se insitum habent. Nihil ergo damnationis, clamat Paulus, est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Et hi sunt quidem qui sperant in eo, ut e spe tandem fiduciaque in Deum, sanctificationem omnem nostram auguremur. Omnis, inquit Ioannes, qui spem habet hanc in eum, sanctificat se. Ex qua quidem sanctificatione, quae est sanctissimi illius seminis, qui Christus est, ubertas & foecunditas, una prorsus cum ipso efficitur & insitio spiritus, in nouamque anima transit, ut sic dicam, substantiam, ut ex humana fiat diuina, rapiaturque per continuos excessus in eius pene naturam, cui concorporales facti sumus, ut inquit Paulus, & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium: ubi non est gentilis & Iudaeus, circumcisio & praeputium, barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus. Nexus igitur sanctorum omnium Christus est, idcirco & pax & beatitudo: cui gloria sit in secula. Amen.

PSALMVS DAVID XXXV.

{35.1} Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.

Haud dicere quidem possem, quantum me dirae illae pauperum deterreant ac miserorum, in iustitiae oppressores: quantum ue ad tolerantius ferendas improborum iniurias me hortentur, excitentque, simulac quotidianis intueor exemplis, afflictorum causam magis Deo curae esse, quam affligentium. Et cum passim fere per sacrum uatis huius uolumen istiusmodi imprecationes contineantur, id maxime hoc in psalmo & diffusius, & ut mihi uidetur, ardentius quam in caeteris, pertractatur. Caueant sibi, oro, qui bonorum uitam maledictis incessunt, factoque ueluti agmine iniuriarum, in ipsos eorumque fortunas & nomen ea feruntur rabie, qua solent ferae in mansuetiores pecudi greges. Sancto enim aliquando instigati furore uiri Dei, illas in osos iustitiae eiaculantur diras, ut satius illis esset fulmine e coelo tangi, aut Parthico traiici spiculo, quam ab huiusmodi proborum ardore ui spiritus excitato uel semel impeti. Putas ne comminationem illam in Deuteronomii libro scriptam, suo uacasse mysterio? ad

eumque solum qui legem illam ueterem, imperfectam, atque idcirco umbrarum plenissima transgressus esset, pertinuisse? & non potius fidei Iesu Christi, illiusque professionis hominum oblocutores spectasse? Percutiet te, inquit Moses, dominus amentia, caecitate & stupore cordis, erisque palpitans in meridie, ut caecus palpitat in tenebris: nihil habebis in his quae institueris, prosperum: calumniam & rerum direptionem quotidie patieris, nec erit qui seruet. O infelicem rerum statum. Nihil habebis, inquit, tranquillum: nulla erit pedibus tuis quies: dabitque tibi dominus cor trepidans, oculos deficientes, & animam languidam. Ut certe haec omnia interdum secus quam hic dicuntur, improbis euenire corporeis intueamur oculis: in interiori tamen conscientiae theatro ex illis quilibet suum experitur certamen. Sentit, inquam, quam calamitosius plane sit rerum earum quae non uidentur, quam quae uidentur, quibusque quantumuis fortunatis suis inest labor & dolor, iacturam perpeti. Bona enim mentis hoc dignitate praestantiora sunt, ac quam illa quae ad corpus attinent, nobiliora, quo nulli fortunae subiecta uarietati, ab aeternis, ut sic dicam, bonorum ideis dependent. Quare illorum etiam magis timendum est damnum, quam caeterarum rerum quae suis crebro possessoribus exitio solent esse, raro saluti: illa uero suos semper cultores in tuto collocant. Atqui huiusce rei discriminisque inter bonos & malos olim numerosae praeterierunt concertationes, sed quae in Christum, praeteritarum omnium aetatum ac scripturarum perfectionem et terminum, tandem desierunt: a quo quidem uti ab Ecclesiae capite in membra quemadmodum gratiae, ita rerum earum quibus ad ipsum gratiarum cumulum peruenitur,

{pdf 283, p. 133v}

doctrina proficiscitur electorum. Inter quas sane primum sibi uendicat locum crux ipsa, quae est continua in uita hac infelici pro Christo acerbitas. Nullas enim corporeas admittit delitias Christianae disciplinae professio, si tamen unde eiuscemodi professionis haurienda sit cognitio non ignoremus. A Christi, puto, doctrina ac uita, Christianos suam uiuendi normam sumere oportet. Quis, oro, unquam illum dixerit Platonis discipulum, qui cum doctrina tum uita Epicurum profiteatur? Ita sane nunquam equidem Christianum uirum appellauero, qui Christum & uita & moribus non prorsus referat. Sit quispiam quidem quantumuis in literis, in uirtutibusque, ac in mediis ipsis templorum aris enutritus, nisi illius uita cum Christi uita consentiat, doctum forsitan illum, aut bene moratum esse affirmauero, Christianum uero minime. Qui facit iustitiam, inquit Ioannes, iustus est, sicut & ille iustus est: qui facit peccatum, ex diabolo est. Vides breuibus, quo se omnium sectae atque haereses dirigant. Est ne aliquis demum qui suum cupiat Christo non fecte aut fucate, sed serio nomen dedere? Debet sicut ipse ambulauit, & is quoque ambulare ac uiuere: alioquin semoto a nobis Christo per prauitatem uitae, exitio nobis erunt, non saluti, quaecumque illa sunt quibus uulgo Christiani uideri uolumus, & religiosi. Haec quidem copiosius forsitan quam par fuit, quamque meum posceret institutum, disserui: eo enim in primis me crassa quorundam adegit ignoratio, qui nimium sibi quidem ob baptismum, sacrosque ordines ac uestes & ritus adblandientes, nihil ultra in Christi schola quaerendum esse arbitrantur. Quare in diuinorum gustu torpidi ac ieiuni, raro, quo sua dirigenda sint consilia, multo minus supplicationes & uota, compertum habent. Ex qua quidem inscitia illud potissimum oriri necesse est, ut oratio eorum fiat in peccatum: illisque tumore, nescio quo, inflati miseri calamitatem minitentur, imprecenturque, quos se interdum

aequiores sanctioresue esse, ni talpae prorsus essent, iudicarent. Excelso quippe iudicio rebus in diuinis secernendis opus est. Nunquam enim uatem aliquem ex antiquis legi mala cuiquam imprecatum, nisi ui superna aut ecstasi concitum, quemadmodum prophetas extitisse omnes a sacris annalibus accepimus, sed in primis Daudem, qui e coelo ad regnum ascitus unctusque, & in quo administrando nihil aliud unquam quaesiisse uisus est, quam populorum commodum, ac Dei honorem, hanc iusti doloris inuectiuam in Saulum ipsum, eiusque adultores consultoresque nequissimos, ui actus diuina composuit. Quare in exponenda ardentissima hac oda, Christum ante omnia, fidelem postea quemlibet, qui in angustias nonnullas insignes coniectus contra Ecclesiae inimicos precatur, ob oculos statuamus, dicamusque: Iudica domine nocentes me, expugna impugnantes me.

Clarius Hebraei: Contende cum contenditibus mecum, praeliare cum praeliantibus mecum. Expressius adhuc Paraphrastes: Supplicium sume o domine de aduersariis meis, pugna aduersus oppugnantes me. Quid putas per se homines in bello tum ad corpus, tum ad animam spectante, absque Dei ope posse? Nihil propemodum, etsi suas omnes arbitrii uires in unum colligat, atque animi uirtutem ac robur promat. In hoc certe psalmo uideo animam praeliandi quidem percupidam, sed omni prorsus armorum genere denudatam, idcirco imbellem: unde suae conscia imbecillitatis, quanto maximo potest clamore Dei auxilium implorat, dicens:

{35.2} Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.

Videor enim hic mihi genus humanum audire, seu potius Christum uice hominum suam exponentem infirmitatem. Quid certe ualeat pugil in harena absque armis illis, quibus sese a ui hostium queat defendere, aut eos quoque offendere, clare uideo: occumbat enim necesse est, nisi alius utriusque generis arma suppeditet. Clamat hic igitur homo, clamat uoluntas, clamat arbitrium, arma illa omnia quae in tam periculoso cum mundo certamine necessaria sunt, sibi deesse. Deest quidem, quo sese tutari possit, clypeus, deest ensis, deest ipse quoque thorax aeneos ac galea, quo se uertat, oro? Pugnis sane nudis res tanta cum tam crudeli hosti minime tractanda est. Sane uero animam intueor conquerentem se penitus dearmatam, proptereaue alienum implorantem auxilium, & illam fortem, hostilique

{pdf 284, p. 134}

telo impenetrabilem atque inaccessam dicam? Est (fateor) quaedam in anima uis & potestas, qua nescio quid potest, & uere nescio quid. De me autem (ut ingenue quod sentiam loquar) illud fateri possum, me scilicet ex me, meoque ingenio nihil omnino posse: in illo uero qui me confortat, omnia. Felix uertit: Apprehende scutum & spiculum, seu hastam. Quare sic reddit Paraph. Arripe clypeum & lanceam: clypeum nimirum, ne uulnerer: lanceam uero, ut uulnerem. Vides, ni fallor, quomodo utrunque armorum genus a Deo petendum sit. Sua porro familiari de Deo anthropopathia utitur uates, quo quantae sit curae Deo sanctorum uita non nesciamus, simul ut eum tanquam hominem obarmat. Quid uero clypeus, quid telum, quid gladius, quid caetera armorum nomina in bello spiritus prae se ferant, alii dicant: nobis sat est, huiusce generis armorum appellatione cum nostram nuditatem indigentiamque, & periculum in bello

tam saeuo contemplari, tum promptam Dei bonitatem ac uirtutem in suis defendendis pernoscere.

{35.3} Effunde frameam, et conclude aduersos eos qui persequuntur me: dic animae meae, salus tua, ego sum.

Euagina, inquit, denuda ensem: seu, ut reddit Paraphr. Arma te gladio & lancea, ut occurras persecutoribus meis. Conclude, inquam, illos, ne queant euadere, seu claude galeam, quandoquidem resurget, agendumque est cominus neque id solum quidem, sed uerbis quoque meam solare pusillanimitatem & deiectionem. Dic animae meae salus tua ego sum. Solent enim hi, qui, ut amico in periculo aliquo immenso constituto suppetias eant, sese ingerunt atque armant, non solum quidem re ac manu amico subsidium afferre, uerumetiam uerbis in spem bonam timidum illius animum erigere. Promitte, inquit Campensis, allaturum te animae meae salutem: hoc sane impetrato, cuiusuis manus pugnet contra me, ne pedem quidem uel tantillum mouebo. Homini plerunque illi qui haud ficte dissimulanterque sua secum reputat errata, quam foede scilicet ac saepe lapsus sit, quam frigide, quam ue oscitanter in diuinum concalescere soleat amorem, quam durum item in se ad lachrymas habeat sensum, quam tardum ad capessendas iustitiae semitas affectum, quam celerem uero ad easdem ipsas deserendas, quam (inquam) imbecillis ob iam obductum in peccatis callum factus sit, contra autem hostes fortissimi, nullum aliud salubrius potest esse remedium ad sedandam animi desperationem, quam si in spiritu audiat a Deo, Salus tua ego sum. Quid cum paternam illam, mundanam omnem exuperantem laetitiam, aure haurit cordis increpationem? Modicae fidei quare dubitasti? Non est sensus quidem in homine, non mens, non intellectus adeo in diuinis contemplationibus immersus, cui ea gaudii copia plene uti est, ualeat significari, cum secretissimo quodam diuini motus susurro atque afflatu se sentit anima excitari, pungique telis illis igneis, Salus tua ego sum, Remittuntur tibi peccata tua, Vade in pace. O iacula, quorum uulnere sanantur animae. Corde profecto molli, atque (ut inquit ille) carneo hic opus est, non ferreo, quo e tam suauissimo uerborum sono, e fonte nimirum diuini amoris emanante emollitum colliquescat in eundem ipsum ignem, qui Deus est. Sed illud cauendum, ne anima tam ardenti nota semel insignita, planeque purgata, in glaciem denuo recidat, atque in easdem ipsas rursus remigret peccatorum sordes, relabaturque praeceptis in id impietatis genus, ut infinitis suis erroribus addat etiam ingratitude culpam. Perstandum est igitur in fide Iesu Christi, qui mihi meisque alioquin ad bona omnia oclusis, non cessat insusurrare quotidie auribus, Salus tua ego sum. Sic itaque tuis eueniat, o Deus: contra uero

{35.4} Confundantur, & reuereantur quaerentes animam meam. Auertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala.

Iam mala illa uates, quibus scelesti occultissimo alias modo, alias quoque aperto, atque omnibus exposito affliguntur, enumerat. Haud semper quidem diuina animaduertere solet ultio in res istas improborum externas aut corpora, sed in animam potius, quae poenarum omnium maxima est ac magis atrox: e contrario uero

secus se habet in bonorum poenis, quas sane in uitam hanc potius, quam in bona animae uim habere quotidie cernimus. Eam ob rem uitam hominis in libidinum coeno sese perpetuo oblectantem, neque ulla affici molestia aut mulcta, profligatam omnino eam esse, atque a Deo derelictam affirmabo: quandoquidem eum ipsum hominem charissimum Dei esse filium ducimus, quem ipse flagris, molestiisque huius uitae uariis & assiduis expolit, aptatque tanquam lapidem uiuum, coelesti aedificio ac structurae. Caeterum hos duos sic legunt uersus Hebraei: Pudefiant, & ignominia afficiantur, qui quaerunt animam meam: reuereantur uero & pateant probro, qui cogitant malum mihi. Is enim confundi, pudeferi'ue dicitur, qui suis frustratus consiliis, alio se cardine rem uertere, quam putarat, conspicit: quique dum alium perdere nititur, ipse infeliciter perit. Aiunt porro sancti Dei uiri, mirabili suffundi pudore daemones (si tamen pudor in tam impudenti collegio inueniri potest) si quem ex perfectioribus nostrae religionis hominibus adorti, omnique insidiarum machina adhibita, nihil secius agunt, quam si mutam statuam aut truncum aliquem inertem adorantur. Ea enim spiritibus illis tetris inest uis ac uirtus, ut uel modicum quidem reiecti, pedem actutum referant, cessentque ab impugnatione confusi. Et certe quod daemones tam crebro ex hominum conflictu uictoriam reportent, non id quidem contingere ob fortem illorum uirtutem aut potentiam est censendum, sed ob nostram potius ignauiam ac socordiam, ne dicam promptam ad uincula & manicas uoluntatem: uincimur enim, quia uolumus. Proinde nostram optime perpendentes tum imbecillitatem, tum ad porrigendas hostibus manus procliuitatem, nostra arma, quae debiliora sunt quam aranearum sint telae, exuentes, diuina cum uate, uatumque Domino impetremus, dicamusque cum Paraphraste: Suffundantur pudore, & afficiantur ignominia, quotquot student subuertere me: conuertantur in fugam, & infames fiant, quotquot machinantur malum mihi:

{35.5} Fiant tanquam puluis ante faciem venti, & angelus Domini coartans eos.

Mira enim atque horrenda exaggeratione diras in aeternam improborum perniciem accumulat uates. Non contentus quidem sempiternam illis confusionem, probrumque aeternum exoptasse, denuo imprecatur ut pulueri & cineri, seu, ut uertunt Hebraei, festucae seu paleae uento expositae similes efficiantur: hoc est, nusquam stabiles consistant, nullisque certis regantur consiliis. Vidisti ne unquam pulueris aut palearum globum, uentorum uis ac turbine per aerem circumferri, sursumque ac deorsum exagitari? Ita sane sunt hi, qui semel a diuina sua sponte euulsi protectione, nulla certa nituntur uitae ratione: sed quo a mundo, mundanarumque rerum cupiditate impelluntur, eo confusissima consiliorum textura, motuque animi intemperato & effreni, sese uertunt. Et quemadmodum sanctissimi Dei uiri certo suis in tractandis negociis consilio, firmoque proposito eunt, ut inquit uates, de uirtute in uirtutem: ita nefarii homines de malo in malum, de scelere in scelus, inconstantissimo semper ausu, temerarioque conatu praecipitantur. Caeterum auget uates, quod dicere inceperat. Angelus, inquit, domini sit coartans eos: seu, ut uult Felix euertens & elidens eos. Da mihi hominem, ubi sese firmet, tanquam quisquillas uentorum impetu exuscitatas, non habentem, quid certi unquam aget? quam rem unquam stabilem inceptabit? Sed quid si angeli uento omni potentioris adhibeas impulsus? Deus bone, quae rerum confusio? quae consiliorum actionumque, & ipsarum quoque cogitationum uolubilitas? De his quidem illud a Salomone dictum fuisse arbitror: Stultus, inquit, ut luna mutatur. Verum

ut strenuis copiarum ductoribus id inconstantiae paululum, quo sagacius hosti queant imponere, concedendum sit, in Christi certe militia nuda omnia esse debent, uera, syncera, constantia, firma: alioqui hodie ordiri quod cras emoliaris, animi iudicium est parum sui compotis, atque propterea nulla bonorum societate digni. Horum quoque effigiem in sequenti versu demonstrat imagine Propheta, inquires:

{35.6} Fiat via illorum tenebrae et lubricum, et angelus Domini persequens eos.

{pdf 286, p. 135}

Lubricum, uertit Felix lubricitates. Nonne illud in hoc loco tibi uenit in mentem, quod suos in ciues iratus Esaias olim imprecatus est? Excaeca, inquit, cor populi huius, & auribus aggraua, ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant: ne conuertantur, & sanem eos. Vides ne quo miseriarum tendant tenebrae huiusmodi ac lubricitates a propheta commemoratae? eo nimirum, ut qui sic uiuunt aut gradiuntur, nullo unquam uiae lumine, aut firmo regantur solo, semperque in periculo sint, & illo quidem irremeabili & deplorato. Cadant enim crebro oportet, uel eo maxime quidem si a tergo impulsorem habeant, quem hic uates Angegelum [sic, Angelum] Domini appellat. Sensus igitur erit: Quaecumque attentauerint, molitique fuerint improbi, nutantia sint, obsecro, praeterque cadant opinionem: nihil eis succedat, in omnibus suo frustrentur conatu, nutent, lapsentque continue, ac tandem quid sequi, quoue ire debeant, ignorent prorsus. Sic sunt sane omnes qui propria ducuntur prouidentia & arbitrio. Atqui extincta in anima luce illa, qui Christus est, per quem quidem non solum homines, sed & supremi coelestium spirituum chori illustrantur, perficiunturque, ut inquit Dionysius, ac uitam sumunt, quo tendat, oro? Plena sunt certe omnia lapsibus, atque aeterna errorum nocte & caligine, absque Christo. Ad haec, quod putamus aliud fuisse malum illud, quod Cain uago comminatus est Deus, cum dixit: Incertus rerum tuarum semper eris, & uagabundus super terram: quam inconstantiam istam animi, confusionemque tum ditorum tum factorum, qua iugiter infelicissima illorum uita rotatur, qui abiecto Deo, hoc est, omni bene uiuendi norma ac lege pessundata, more pecudum in omnem feruntur libidinem ac turpitudinem? Horum igitur ait spiritus sint uiae obscurae & lubricae. Angelus postea ille domini, qui in circuitu obambulat timentium eum, & qui nocte una percussit in castris Assyriorum centum octogintaquinque millia hominum, a tergo illos insequatur & impellat.

{35.7} Quoniam absque causa absconderunt mihi interitum laquei sui, superuacue exprobrauerunt animam meam.

Causam reddit uir iustus, quamobrem tam dira contra Dei hostes imprecatus sit: Quoniam, inquit, sine ulla causa (sic enim legit Campensis) clam laqueis suis mortiferis conati sunt inuoluere me. Certe cum haec lego & considero, nullus mihi e cuncto iustorum grege occurrere potest, qui tam iuste de improborum iniuriis expostulare queat, atque usque eo moueri & irasci, ut mala illa quae hic connumerantur, suis imprecetur hostibus, quemadmodum filius Dei, qui (si illius in terris uitam nouimus) nec pati debuit, nec mori. Quid unquam tam syncera natura, tam pura mens, tam defaecatus animus delinquere potuit, ut ea tormentorum genera experiretur, quae ne a

carnifice quidem crudelissimo non sine misericordia nefandissimis piratis admouerentur? pertulit tamen innocentia, quod nobis nocentissimis debebatur, suumque fecit quod erat nostrum, nempe peccatum, iniurias, crucem, mortem. quare de illatis sibi immerito contumeliis non raro queritur. Interitum porro laquei uocat dolos illos ac fraudes, quibus innocentissimum Dei filium Scribae illi astutissimi irretire conati sunt. uerum quando ipse uoluit, captus est. Ex qua quidem bona eius erga nos uoluntate, nostra adeo uim sumpsit ac robur, ut nemo iam ab hostibus quamlibet fortibus & truculentis uinci possit, nisi uelit. Data est igitur uis ea animi atque uoluntas a Deo nobis per Christum, ut neque cupiditatibus, neque hominum iniuriis persecutionibusque succumbamus, nisi uelimus. Quid uero id sit quod nostram ita informet uoluntatem, ut bonum uelit, malumque aueretur, gratiam diuinam puto esse, quae debili nostro unita arbitrio per se algido & pigro, ipsam ad expetendum bonum excitat, pungit, irradiat, tantum abest ut illam cogat. Superuacue exprobrauerunt animam meam. Licet is sensus uideatur perinde esse, ac si diceretur, Sine causa irridentes dixerunt omne malum aduersum me: Hebraeis tamen alia est litera, proindeque sensus alius. Vnde sic uertit Fel. Frustra fecerunt foueam animae meae. Paraphr. uero, Sine causa foueam foderunt animae meae, siue in perniciem meam. Verum,

{pdf 287, p. 135v}

{35.8} Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abscondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat ipsum.

In ipsum, inquit, cadat laqueum quem alis parauerat. Subitam hic ruinam insperatamque calamitatem suis deprecatur hostibus, sed metaphora a uenatoribus mutuata, qui scrobe aliqua oblecta, laqueum circumnectentes, lupis, aut aliis id genus feris insidias parant, ut dum eae inconsulto expositam ad escam adcurrunt, in dolosam incidant foueam, cuius altitudine saltem, si non laqueo, aut rete, capi queant. huiuscemodi enim infortunii euentus per se homini ualde calamitosus est, si contingat: sed longe miserior atque infeliciores si subito, cum tumultuque ac praeter opinionem & spem, de quo ne cogitarat quidem, incidat. Quid si porro in eandem ipsam, quam aliis parauerat, illabatur miseriam? auget id quidem infortunium. Sic Felix: Veniat illi strepitus, seu, ut alius transtulit ex Hebraeo, tumultus quem non cognoscet: hoc est, de improviso, antequam rei euentum agnoscat, cadat. Nam fere id semper accidit, ut qui e sublimi in profundum aliquod labitur, repenti non exanimatus casu, deorsum in caput maximo cum clamore ac strepitu uoluatur. Vnde sic reddere hunc uersum aliquibus libuit: Laqueus seu rete quod abscondit, capiat ipsum, cadatque cum tumultu in illud. quo subitam intelligas fore Iudaeis Christi hostibus ruinam & calamitatem. Certe si obstruiores humani cordis recessus corporeis oculis uideri possent, non solum quidem haec, alioquin saeua & horrenda, in sceleratorum animis inesse cerneremus, uerumetiam terrificam magis, magisque dira & monstrosa. Cum enim Deus adeo natura in largitiones effusus sit, & ut sic dicam, prodigus, ut illius quoque hostes indeficientis eius benignitatis participes efficiantur, uidentur hi interdum felicissimi in mundo esse. Sed quid si morsus illos atroces in conscientia cerneret? quid si confusionem illam animi, mentisque inconstantiam uasto perturbationum pelago atque libidinum exagitatae conspiceret? iurares quidem illos tum maxime miseros esse, atque infelices, cum uulgo

maxime felicissimi uidentur ac beati. Extracta autem crusta illa beatitatis in superficie (pro Dei fidem) quid turpitudinis non uideretur? Deme, te oro, ab illis diuitias, deme magistratum, deme Principium favorem, quid nisi nudos graculos intueberis? Rotentur itaque (ait spiritus) in aeternum suo illo, postquam sic volunt, confusionum strepitu et tumultu: contra vero,

{35.9} Anima mea exaltabit in Domino, & delectabitur super salutari suo.

Anima, inquit, mea, quae in laqueis tanquam incauta auicula, perire sperabatur, non peribit, non cadet, non ob id in moerore contabescet: sed exultabit in Domino, gestietque laetitia indicibili in spiritu, ob salutem sibi praestitam. Paraphrastes tamen optandi affectu sic uersum reddidit: anima mea gaudeat, & exultet serio, propterea quod salutem afferre dignatus est mihi. Semper fere noster interpret salutem transtulit pro salute: quanquam nec salutem quidem uocat mysterio. Cum enim salutem hanc dictionem per psalmos tanquam margaritam interspersam uideo, occurrit mihi statim Dei filius Christus Iesus, qui adeo salutaris nostra factus est salus, ut nulla alia unquam fuerit, eritque in posterum. Quare siue salutem eum appellet uates, siue salutem, idem Christus est, idem Iesus, idem seruator. Et quidem (ut quod sentiam loquar) uidetur hic mihi uates dicere uoluisse: anima mea multas ob rationes exultandi in Deo, eique gratias agendi, materiam haudquaquam tenuem atque inefficacem habet: uerum omnis oblectamentorum meorum laetitiarumque uis ac neruus, in fide uenturi Messiae posita est. Cum sane recolo quid is mortalibus allaturus sit in terris, uideo nusquam bonum, nusquam pacem, nusquam uitam, nusquam salutem posse esse, nisi in illo. Idcirco mea in me anima gestis gaudio, in ipsoque prorsus delectatur, illum uult, illum cupit, illum amat, illum uotis omnibus exposcit. Sed non solum id quidem, uerumetiam ipsa

{35.10} Ossa mea, res alioqui stupida ac vitae expers, exultabunt, gaudebuntque & dicent: Domine quis similis tibi? eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem a diripientibus eum.

{pdf 288, p. 136}

Latinus interpret duobus sensum uersibus expressit, qui uno tantummodo debuerat. Unde Paraphrastes: Omnia ossa mea dicant non esse similem tibi domine in eripiendo pauperem a uiolentia eorum, qui uiribus illo superiores sunt: in eripiendo, inquam, afflicto & egeno ab opprimentibus illum quare ea est Hebraeis litera: Omnia ossa mea dicent, Domine quis sicut tu, qui liberas afflicto ab eo qui illo robustior est, & afflicto & inopem a depraedante illum? Vides hic certe genus humanum afflicto, ad eamque olim redactum bonorum inopiam, ut in omnibus a fortissimo mundi tyranno depraedatoreque, tanquam uilissimum mancipium opprimeretur: id tamen Christus in eam quam nunc cernimus libertatem, mortis suae munere, a quo uita omnis dimanauit, transtulit. Sunt porro qui intima seu uires, pro ossibus uertunt, ut sit sensus: Omnia intima mea uiresque meae omnes & affectus tantorum beneficiorum memoria exterrefacti clamabunt, Domine quis similis tibi? quis tam fortis? quis tam bonus? quis tam ad ueniam facilis? Tu afflicto, tu inopem, tu miseriarum acerbitate sese torquentem, a praedo num saeuitia solus uindicas, praeterea nemo.

{35.11} Surgentes testes iniqui, quae ignorabam interrogabant me.

Quod non cognoui, interrogabant me, uertit Fel. Paraphrastes uero: Quae ignorabam, ipsi interrogantes obiecerunt mihi. Vehementem hic hostium suorum crudelitatem exaggerat uir iustus, sed in primis ipsae iustitiae dator Christus. Inter caeteras enim uitae miseras quibus obnoxii sunt improbi, illa potissimum deterior uidetur, cum nefandarum cumulo actionum falsitatem quoque testium in alicuius infamiam & perniciem addunt. Quod sane Christo agno candidissimo, cohortes inter praetorianas constituto contingit. Summi sacerdotes, inquit Marcus, & omne concilium, quaerebant aduersus Iesum testimonium, ut eum morti traderent. Cuiusmodi autem generis illud fuerit testimonium tam importune quaesitum a Iudaeis, explicat dicens: Multi autem falsum testimonium dicebant aduersus eum. Sed uide, uel inter sexcentos iniquitatis testes, quam ualide emergerit innocentia. Testimonia, inquit, convenientia non erant. Solent porro iudices, qui ui metuque, poenis aut interrogationibus quoque in inuolucro confusis, ab reo, quod uolunt, extorquere nituntur, ambages nescio quas uerborum contexere, quo miser ille incaute nonnunquam annuens sese egisse, quod ne per somnium quidem unquam optauit, falsorum tandem testium iudicio & accusationi subiaceat. Hincque est (opinor) quod dicit uates, se de his quae nunquam nouit interrogatum. Heu quantum olim attulit exitii bonorum uirorum integritati & candori, istiusmodi pestis lues.

{35.12} Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animae mea.

Ecce aliud miseriae genus in improbis. Respondebat, inquit interpres Hebraeus, malum mihi pro bono, orbitatem animae meae. Commodius tamen sterilitatem uertit Fel. quam orbitatem: ut sit sensus: Ea quidem quae in me moliuntur uiri athei, mors quodammodo sunt animae meae: siquidem diutius ab illis afflicta non secus se habuit, quam se habet mulier effoeta, cubansque in puerperio. Auxi, inquit, in illis beneficia, ueluti in agro semen: illi autem, negato foenore, spinas, gramenque inutile, signum nimirum sterilitatis, retulerunt. Quid? in eam me coniecerunt miseriam ac solitudinem, in qua orbi orbitatis nomen explanandum est hi scilicet qui nullo amicorum subsidio fulciuntur, soli esse solent. Est nimirum aliquid dignum laude, pro beneficiis benefica compensare, par parique in donis referre: sed illud laudem omnem superat, cum quis bonum alicui pro malo reddit. Is calculis omnibus inter diues referri debet, simulac aeternum patrem in tam liberali actu beneficentiae imitatur, qui continuis & his quidem nefandissimis a nobis lacessitus iniuriis, contumeliisque affectus, haud cessat tamen quin e benignissimo suo gratiarum fonte hauriat, quod perpetua tanquam irrigatione in nos ingrattissimos deriuat. Verum non tantum id quidem diuinae imitationis argumentum est, quantum illud diabolicae, cum quis ab alio beneficiis prouocatus,

{pdf 289, p. 136v}

ornatusque dignitate ac gloria, probrum refert & iniurias. Vidi ego aliquando praeclarissimos uiros atque ad fortunae uulnera plane immotos, neque propter morbum aliquem, neque propter uim quamuis saeuam hostium, aut exilium, aut liberorum mortem rerumque depopulationem & exterminium, a recto animi statu potuisse deiici, unico tamen ingrattitudinis actu adeo insaniisse, ut in moerore prorsus contabuerint.

Hinc sunt credo innumera illa in scripturis exempla, in quibus Deus Iudaeorum carpens proteruitatem, illis obiicit, quanta semper uel ab ipsa prima rerum origine pro illorum salute gesserit: illi uero pro immensis beneficiis, immensas (o ingratum populum) contumelias, maledicta, blasphemias, obtrectationes, ac mortem tandem eius rependerunt filio. Quare non iniuria hic queritur Christus, sibi suisque amicis pro bono malum repensam esse Vide quid dicat:

**{35.13} Ego cum mihi molesti essent induebar cilicio,
Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo
conuertetur.**

**{35.14} Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam, quasi
lugens & contristatus sic humiliabar.**

Summae charitatis indicium exprimitur. Caeterum ex Felicis litera, qui transtulit, ego autem, cum ipsi infirmarentur, indumentum meum saccus: non tu illud Apostoli audire fateris? Quis infimatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? Non potest quidem non dolore affici membrum, pro membri illius dolore aut damno, quod eidem secum corpori annexum est. Potest id manus pro oculo, pro manu oculus, pes, caput ipsum tandem in corporibus hisce brutis & moribundis, et non poterunt membra illa quorum corpus Ecclesia est, caput uero Christus? qui aeterna nos compage tam recte sibi inseuit, uniuertque, at impossibile omnino sit tam diuini corporis membrum non idem, eiusdemque substantiae ac naturae, cum reliquis esse membris. Idcirco eisdem ipsis affectibus alterum pro altero afficitur, idem dolent, idem amant, idem appetunt, modo alter alterius membra sint in Christo, ut inquit Apostolus. Mos porro antiquis fuit, & nunc quidem manet, ut dolorem animi pro se aut pro suis intimis susceptum, externis quibusdam signis prae se ferrent: inter quae erat luctus, ieiunium, tristisque incessus, & habitus ut plurimum cinere ac puluere conspersus, moeror insuper in facie, lachrymae, singultus ac moesta (quod plures faciebant) sedulaque supplicatio. Etenim uerus dolor, hoc est, pro seriis rebus assumptus, eum facile cui quid dolet, ita attonitum reddit, atque in his considerandis, quae premunt magis, occupat, ut sui prorsus immemorem faciat, nedum cibi, aut honestioris uitae cultus: nihil enim hi tam cupere uidentur, quam ut quamprimum inuisa hac ab luce soluantur, quocirca nulla illis propriae uitae inest cura. Haec sane moerorem intimum attestantia ideo hic uates accumulatur, ne non sciremus qualis in Christo futura esset erga genus humanum clementia: subindeque in suis quae esse debeat, quos nimirum sui haud dissimiles, cum in omnibus, tum in his maxime, quibus miserorum calamitatibus subuenitur, esse uoluit. Estote, inquit, misericordes, sicut pater uester misericors est. Quam uero ardentem homo hominem in aerumnis positum diligere debeat amplectique, ac aequae illius salutis uti propriae curam habere, id est argumento, quod illum sic se in miseriis torquentem, proximum fratremque appellat uates. Quasi, inquit, proximum & quasi fratrem nostrum sic complacebam, quasi lugens & contristatus sic humiliabar. Clarius Hebraei: Habebam me, inquiunt, ac si eorum proximus, ac si frater fuissem: uti qui lugent matrem pullatus incuruabat. ut hic primum uideas matrem latinis in codicibus deesse. quare sic uoluit Fel. Sicut lugens matrem nigerrimus humiliatus sum. Solent enim filii teneriori affectu matrem, quam patrem diligere, idcirco istius quam illius mortem tolerantius ferre. Porro uerbum, complacebam, sic interpretantur: Ego homini sic afflicto studui tanquam amico, tanquam fratri, & illi quidem charissimo, complacere & gratificari. Unde cumuli huiusce

uerborum sensum elegantissime, ut caetera, expressit Paraphr. hoc modo: Ego interim cum ipsi infirmarentur, pro uestimento usus sum sacco, & ieiunio maceraui me, & precibus impetraui a domino quae uolui

{pdf 290, p. 137}

pro eis. Tanquam si summus amicus, imo frater quiuis eorum mihi fuisset, omnia humanitatis officia eis exhibui in aduersis: non aliter quam qui matrem luget, pullatus & capite demisso incessi. Atqui scribenti mihi, atque ex animo, quid sibi uelit hic spiritus consideranti, moeror ille Daudis in mentem uenit, qui audita morte filii, cooperto capite incedens lugebat filium dicens, Absalon fili mi, fili mi Absalon: quis mihi det, ut ego moriar pro te fili mi Absalon? Quid illud mirabile charitatis exemplum in Christo? qui praeuidens ciuitatem illam scelestam, sui suorumque interfetricem, haud multo post iri exterminatum, fleuit super eam dicens: Quia si cognouisses & tu, quoties ego, inquit, uolui congregare te quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur domus uestra deserta. Vide quam pio affectu, quam non libenter futura suorum hostium exitia uaticinatur Christus. O normam certe beatitudinis compendiosam, sed parum a plerisque cognitam. Eo enim noster a multis iam retro annis ascenderat fastus & tumor, ut non solum hostium nostrorum aerumnas, infortuniaque cum gaudio ac risu recenseremus, sed etiam amicorum si non miserias laeto animo audiremus (id fuisset nimium insolens) at saltem secundas eorum res ac fortunas perturbato pectore uel audiremus ab aliis, uel nos aliis commemoraremus. An uero in praesentia meliores nostra haec aetas pariat liberos quam antea, non dico: sunt qui deteriores arbitrantur. Iam illud postremo uidendum, quid sibi uelit, Et oratio mea in sinu meo conuertetur. Conuertatur uertit Fel. alius uero uersabatur. Alius item ex Hebraeo: Et totus eram in precationibus ut nihil aliud ferme sit orationem in sinu nostro conuerti aut uersari, quam nos frequenter orare: nec quicquam tam aduersum posse contingere, quin ab orandi officio absterreamur. quanquam non me clam est alium ab aliis reddi sensum, hoc fere modo: Semper quidem meis pro persecutoribus Deum orauit, quibus sane cum nihil mea profuerit oratio, quippe qui indigni erant, pro quibus ego exaudirer, ea tamen in sinu meo conuertetur, hoc est, mihi utilis erit. Quod si mauis optandi affectu cum Felice uersum legere, is erit sensus: Adeo mihi non sum conscius mala pro meis hostibus orasse, ut hoc ipsum quod orauit, ad me reuerti cupiam. Si male precatus sum, id totum in me conuertatur, recidatque. & est ac si dicat: Bona illis semper precatus sum, illi uero contra. O perfidiam hominum.

{35.15} Aduersum me laetati sunt & conuenerunt congregata sunt super me flagella, & ignorauit.

Felix sic: Cum ego attritus essem, laetati sunt, congregati sunt: congregati sunt aduersum me claudi, & non cognoui: aperuerunt, & non siluerunt. Hic mihi (fateor([sic, open parenthesis for closed] crudele spectaculum mortis Iesu in memoriam uenit, cui adeo multa paulo ante crucem flagella accumulata fuere, ut impossibile plane uisum tum fuerit, hominem unum tam diros perferre potuisse cruciatus. Tulit tamen amantissimus nostri dominus ea illa, quae iure omni mortalium generi debebantur, & quae spiritus in superioribus una tantum dictione Cilicium appellauit, non quidem illud hirsutis contextum uillis, aut acutissimis intersertum paliuris, sed uerberibus,

irrisationibus, contumeliis, ictibusque tam saeuis & inhumanis, ut cruor e membris illius purissimis partim immenso emanaret profluuiio, partim sub cute interceptus carnem illam sanctissimam ita atris oppleuerit uibicibus, ut non iam caro hominis in Iudaea enutriti, sed nigerrimi Aethiopsis appareret. O certe cilicium nostris sceleribus debitum, non illius innocentiae: qui idcirco omnes omnium turpitudines & peccata integere diluereque potuit, quia unus omnium inuentus est ex omnibus Adae posteris, qui sine peccato esset. Vis ne huius candorem ac puritatem a sponsa secretorum illius conscia diffusius audire? Dilectus meus, inquit, candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum, comae eius sicut alatae palmarum nigrae quasi coruus. Oculi eius sicut columbae super riuos aquarum, quae lacte sunt lotae, & resident iuxta fluentia plenissima. Genae illius sicut areolae aromatum consitae a pigmentariis. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis. Venter eius eburneus distinctus sapphiris. Crura illius columnae marmoreae, quae fundatae sunt super bases aureas.

{pdf 291, p. 137v}

Species eius ut libani, electus eius ut cedri. Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiae Hierusalem. Hic habes Christi nostri in spiritu effigiem, hic animi illius formam, hic candorem, hic puram ab omni lue peccati animam: alioqui certe debitor pro debitore debitum qui soluere potuisset? Sed ad psalmum. Illi, inquit, qui ob innumera mea in illos beneficia pro me stare, aut saltem in meis mecum dolere afflictionibus debuerant, aduersum me steterunt, ob meumque laetati malum, una cum aliis meam in morti conspirauerunt: hi, inquam, quos me salutem illis afferentem audire amareque oportuerat, ut mortem mihi inferrent, congregati sunt. Ego ut illis uitam darem, morti me dari passus sum, illi uero contra pro uita mortem mihi asciuere: ex qua quidem immani illorum saeuitia & ingratitude, ipsi quoque sibi mortem pro uita nacti sunt. Caeterum putas ne, o lector, conventus omnes, congregationesque Christianorum, in Christo fieri? nonne interdum contra Christum? Astiterunt, inquit spiritus, reges terrae, & principes conuenerunt in unum, ad quid, obsecro? aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Hi solummodo igitur Christiani sunt coetus, sanctique conuentus ac Concilia, in quibus aut de informandis secundum Christi legem moribus, aut de illius dilatando cultu & religione iustitiaque, quae iam diu e terris excessit, reuocanda decernitur. De dilatando uero temporali ecclesiae dominio, reque familiari tutanda & augenda quoque conuentus qui habentur, hoc magis uulgo probari solent, quo ob Christi honorem & gloriam hos cernunt fieri. Illos uero quos passim a nonnullis quotannis acciri audimus, e quibus nihil aliud prodire cernimus, quam Christi iniurias, proscriptiones, exilia, oppressiones, furta, rapinas, & caetera huius generis, in mutuas persecutiones interneccionisque excogitata mala, quis probus laudet? Et ignorauit, inquit: hoc est, causa, cur me tantopere odio conuiciisque incessere, me prorsus latuit. Quod uero noster interpretes uertit flagella, Chaldaeus, quo magis translationem aperiret, transtulit, impios insidiatores. Et quod nos legimus,

{35.16} Dissipati sunt, nec compuncti,

Hebraeis est, discissi sunt, & non sunt compuncti: hoc est, a seipsis quoque diuulsi, discordique animo uicissim dissipati, ad cor per resipiscentiam neutiquam redierunt quanquam Felix, Aperuerunt, siue ut alius, Sciderunt, & non Siluerunt, uertit. Quorum uerborum sensum sic reddit Paraphr. Proscindebant me conuiciis sine intermissione: ut Non siluerunt, in hoc loco, ut in plerisque aliis scripturae, idem sit, quod non cessauerunt, quod alias admonuimus. quare reddit Paraphrastes, sine intermissione. Chaldaeus uero sic: Si excoriarent me pelle mea, non haurirent a me sanguinem. Ut hinc certe intelligas, Christi corpus adeo immensis affectum fuisse cruciatibus, ut exangue prorsus remaneret. Unde alio in psalmo ad hunc queritur modum: Aruit tanquam testa uirtus mea. An uero sanguis aut humor alius e testa igne cocta exire queat, tute iudica. Sic igitur, hisceque delitiis a suis acceptus fuit Christus pro te, o homo.

{35.16} Tentauerunt me (inquit) subsannauerunt me subsannatione, fremderunt super me dentibus suis.

Hisce enim derisionum irarumque indiciis, non solum Dauidem quidem, alioqui foediora quoque promeritum, obnoxium fuisse legimus, uerumetiam, & in primis ipsum omnium hominum, quotquot unquam uixerunt, uicturique sunt, innocentissimum Christum. Vah, inquit, qui destruis templum Dei. Eat modo, si filius Dei est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Quid strepitus illi frequentes, tu multusque tum Iudaeorum tum gentium per triennium contra ipsum excitati? Quid porro saeua illa succlamatio, stridorque uel usque ad sidera. Tolle, tolle, crucifige eum prae se tulit aliud, quam iratos illorum animos, planeque ferinos in mansuetissimum agnum? Tota denique Christi uita, eo maxime tempore quo mundo conspicuus esse coepit, quid aliud fuit quam uulgi irrisio, subsannatio, crux tandem, ac continua usque ad tumulum persecutio & mors? Ea propter non molestum admodum esse debet, si membum eisdem ipsis aerumnis, quibus obnoxium fuit caput.

{pdf 292, p. 138}

expositum esse cernimus. Nimum quidem nostram foueremus teneritudinem, si spinoso sub capite, ut inquit Bernardus, delitias quaereremus. quaerant hoc alii: sacra uero unda intincti hoc propius suam ad professionem accedunt, quo duriores sibi eligunt uitae rationem. Tentauerunt me (clamat Christus) improbi homines, claudique, ut uertit Felix hoc est, uiles, ut ipsemet interpretatur, & abiecti subsannauerunt me, fremderuntque super me dentibus suis. Sic, sic (inquam) meos a mundo tractari oportet. In mundo quippe sunt, sed de mundo non sunt. Erat ne de mundo amicus Dei ille qui inter hostiles Iudaeorum turbas positus irrisusque, percussus, ac saxis pene obrutus non suam, sed persequentium indoluit miseriam? Vnde, ut refert Lucas, exclamauit, Domine ne statuas illis hoc peccatum: cum interim illi audientes dissecarentur cordibus suis, & striderent dentibus in eum. Nonne is cum Christo, cui martyrii primitias consecrauit, dicere poterat, Tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione, fremderunt super me dentibus suis? Caeterum litera quae est Hebraeis, non alium quidem sensum, sed paulo diuersum habere uidetur. Assentatores, inquit, cum parasitis omnia subsannantibus, infremderunt contra me dentibus suis. Felix uero paulo secus: Cum simulatoribus derisionum esculentorum fremdere aduersum me dentibus suis, & est sensus: Cum simulatoribus claudi illi, uani scilicet homines & nihili, congregati sunt

derisionum esculentorum: hoc est, quorum mos est, ut derideant alios, quo inde cibum habeant. Quare sic reddit Paraphrastes: Vna cum scurris & irrisoribus frusto panis conductis non destiterunt frendere contra me dentibus suis. quanquam forsitan melius pro frendere, denudare uertendum erat, ut effusum intelligas risum quo dentes denudantur. Verum quoquo se modo res habeat, id liquet, uirum hic iustum conqueri, uanos homines, futiles, & qui scurrilibus oblectantur dicteriis, una cum suis hostibus de suis malis laetatos esse, sibique quo magis dolorem augerent, illuisse. Idcirco sic transtulit Chaldaeus: Verbis delusoriis & superbis & derisoriis strinxerunt contra me dentes suos. Non est quidem in ciuium a conuictu genus hominum tam turpe ac infame, quam illud est quo quis gulae causa, non solum Principum (id forsitan tolerandum, quanquam nec id quidem) sed omnes omnium uulgo hominum mensas ac cupedias insectantes Gnathonicam profitetur artem: hi quidem foedissimis assueti moribus, nihil non turpitudinis in illorum gratiam, a quibus uictum sperant, effutire solent: hincque o animas frustra corporibus unitas quiduis facile derident, profusissimoque subsannant cachinno, modo suis Thrasonibus risum moueant, illorumque gratiam nanciscantur, nulli quamuis circumspecto ac graui uiro solent parcere: & id quidem praesentibus matronis puellisque innuptis, ac pueris, & quod acerbius auditur, in uiduarum aedibus & nuptiis. Eo ne uilitatis res ea deuenit, pro qua emenda Dei filius tam dira in terris passus est? Heu,

{35.17} Domine quando respicies? Restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicum meum.

Certe cum tam crebras uatis huius querelas ob imminentium periculorum metum lego, alterius mihi generis hostium, quam illud est quod in corpora desaeuere solet, in mentem uenit. Est multum profecto homini, praesertim in spiritus doctrina nondum erudito, ab improbis hominibus tum lingua tum ferro quaquauersum impeti, ac probro haberi: sed longe atrocius illud est, periculoque propius, atque magis extimescendum, cum est cum hostibus incorporeis confligendum. Sauciari quidem ab hominibus, ac uulnere alte infixio irrisionem addi, ferendum utcunque est: at a telo, nescio quo, inuisibili transfodi, insuperque derideri, eo grauius esse solet, quo uulnus a plerisque non sentitur, dissimulaturque interdum. Quocirca non tantum hic uates a corporeis orat eximi hostibus, quantum ab incorporeis. Caeterum maioris efficaciae ea est litera, quae est Hebraeis: Domine, inquit Felix usquequo respicies? Reticentiae plenus est uersus: solent enim hi, qui cumulo aduersitatum oppressi suum detegere conantur dolorem, haud raro singultibus intercipi, atque idcirco alias mutire, alias uero prorsus, quod sciri cupiunt, retinere, Domine, inquit, quousque aspicias? Vide sermonis incisionem: inferen-
[inferendum]

{pdf 293, p. 138v}

-dum enim fuerat, Nec fers opem, nec hostium meorum superbam retundis arrogantiam, cum tamen omnia uideas, aequissimoque ponderes iudicio. Tunc enim Deum quodammodo nostra non uidere arbitramur, cum iustissima sua prouidentia & consilio non aequo cito atque optamus, nobis opitulatur: uidere uero, cum uocatus praesto adest, uenitque actutum suppetias. Hebraei fere omnes pro malignitate

tumultum uertunt, & uere tumultum. Nam quid agunt scelesti, aut moliuntur animo, quod tumultibus plenissimum non sit? ordinatissimae quippe Dei legi non auscultantes, quid in se habent, quod strepitum non referat & tumultum? Porro unicam uocat animam, hoc est, solitariam, desolatam, ab omnibusque derelictam ac destitutam: quam orat ab improbis, quos propter truculentiam, morumue fastum & superbiam, leones appellat, muniri. Felix uertit, A catulis leonum: quo quorundam ex primatibus (credo) consuetudinem exprimat, qui interdum in oppugnanda ex sese miserorum innocentia fessi, surrogant catellos, nescio quos, ipsi succenturiati, qui ex illorum autoritate lasciuientes, palam uel optimis quibusque insultare non uerentur. Quod quidem impudentiae genus, ob sordidam eorundem hominum qui in eo uersantur conditionem, probis solet esse molestius, quam illud quidem, quod licet per se, uti caetera uitia, detestandum sit, e domo tamen nobili demanat: quanquam nulla potest esse domus nobilis, in qua inest scelus. Qua quidem admonitione mortalium aures uellendas esse duco, ne dum in diuitiis solummodo, aut principum fauore suam statuunt nobilitatem ac familiae splendorem, posteris aut nullam illam omnino, aut tenuem relinquunt. Siquidem (si me interrogas) nihil unquam in rebus conditis tam fallax uidi & fragile, sunt diuitiae, aut fauor principum. Nobilitas uero illis innititur reus quae aeternae sunt, etiam in exilio, extremaque rerum inopia, ac (quod ait Esaias) in camino paupertatis.

{35.18} Confitebor tibi Domine in ecclesia magna, in populo graui laudabo te.

Voto se astringit hic uates, uatumque dominus, se patris nomen celebraturum. & id quidem non in angulis, aut angusta tantummodo Iudaeorum regione plebeque, pro maiori parte uana atque inutili, sed in multa gentium frequentia & multitudine: id enim significat Ecclesia magna. Alias admonuimus, confessionis nomen, laudes interdum, interdum gratiarum actiones prae se ferre, ut in hoc loco. Unde sic reddit Paraphr. Accepta tibi referam omnia mea, idque palam in hominum frequentia. Dona enim Dei (modo omnis ab animo absit uanitas) obtegere, impietatis indicium est atque ingratitude. Duobus quippe affectibus hi maxime mouentur, qui Deum diligunt: altero quidem amoris, altero autem studii ac curae diuina promulgandi beneficia. Venite, inquit alio in psalmo, & uidete quanta fecit Deus animae meae. Quare non frustra admonitum nos iri curauit scriba illa spiritus, cum ait: Quisquis confessus fuerit quod Iesus sit filius Dei, Deus in eo manet & ipse in Deo. En amoris summa. Nec quicquam aliud sane hic esse ducas confessionem, praeterquam laudem gratiarum ue actionem, celebritatem, & sanctificationem Dei nominis coram mundo. Quod quidem in primis, quoad in terris uixit, executus est Christus: subinde hi omnes qui sunt eius. Confessiones uero illae gratiarumque actiones quae in templis quotidie fiunt in psalmis ac cantici spiritualibus, ut inquit Paulus, quemadmodum sanctissimae quidem sunt, ac Deo dignae, si ab animis proficiscantur tranquillibus, & a terrenarum rerum contagione puris omnino: ita immundae, prorsusque inutiles iudicantur, si ab impuris elatisque pectoribus erumpunt. Quare eae quidem nugae, illae laudes existimari debent. Proinde, si sapimus, summo cauendum erit studio, ne interuerso rerum ordine, sub sanctissimo coelestium uerborum uelo ac praetextu, pro laudibus gratiarum ue actionibus, naenias strepitu nescio quo inani proferamus, atque propterea ab eo qui habitat in coelis, irrideamur, excludamurque a gustu illo diuinarum rerum, quem hi solum hauriunt, qui ab omni carnis inquinamento atque ambitione semoti, in terris quidem corpore, in

coelis uero spiritu atque animo uersantur. Caeterum, In populo graui, in populo forti transtulit Felix utrunque enim Dei uerbum audienti necessarium. Siquidem pectus diuini seminis capax, ab omni prorsus leuitate animi, at-
[atque]

{pdf 294, p. 139}

-que imbecillitate uacare debet, alioqui nullum ex eo fructum expectari consentaneum erit. Nulla certe coitio atque amicitia inter aeternum & caducum, inter firmum passimque cohaerens, & dissolutum, sui que dissimile, esse potest.

{35.19} Non supergaudeant mihi qui aduersantur mihi inique, qui oderunt me sine causa, et annuunt oculis.

Ne gaudeant super me, uertit Hebraeus. Illud uero, inique, falso seu immerito, & absque ratione, transtulit. quare sic reddit Paraphrastes. Non habeant ansam insultandi qui hostiliter insequuntur me absque ratione. Caeterum, annuunt oculis, nihil aliud esse interpretantur, quam subsannant. unde subdidit: Nec illi qui odio me habent sine causa, & subsannant me. Verum ardentior mihi uidetur esse affectus in uerbo, annuunt: solent enim hi, qui alicui lapsum parant & ruinam, alter alterius nutum, quo suum quisque obeat munus gnauiter, obseruare: nam id uerbis exprimere haud tutum putant. Alter igitur in alterius uultum iactantes oculos, tum rem struunt, tum animi conceptum mutuo detegunt nutu. quod quidem eo periculosius esse scimus, quo ab inimico animo proficisci non ignoramus. Est porro quoddam odii genus inter caetera abominandum magis, cum quis nulla accepta iniuria, sed sola libidine uoluptateque, aut uirtutis odio, quempiam maleuolentia persequitur: quod sane a liuore atque inuidia pullulare non raro experti sumus. Ab his itaque sic male affectis hominibus petit uir probus liberari: hoc est, non propterea deiici animo atque a uia iustitiae deturbari, quod iniusto scilicet odio & immerito impetitur: istiusmodi enim pestis contagione in primis infecti sunt daemones, homines postea illi qui, ut dixi, tanto quempiam maiori persequuntur odio, quanto eum magis gloria & honore conspicuum cernunt. Hinc pallor, hinc macies, hinc in moribus acerbitas, ac trux quidam aspectus, & sermo in eum cui male uolunt, mordax, perpetua demanant miseria: hinc rursus persecutiones, exilia, fictae delationes expostulationesque, & homicidia plerunque originem habent. hinc tandem delatoribus adulatoribusque, simulatoribus, parasitis, sicariis, & quibusuis aliis huius monetae hominibus aperiuntur portae. Vides ne quo satellitio munitum sit istud, de quo nunc loquimur, odium? Te stupidum, si tot mala considerans, quamobrem ab odiosis illis hominibus defendi petendum sit, mirari perrexeris.

{35.20} Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, & in iracundia terrae loquentes, dolos cogitabant.

Diuersum plane ab hoc sensum litera quae est Hebraeis demonstrat: Quoniam, inquit Felix non pacem loquentur. Nihil enim pacatum cogitant, uertit alius ex Hebraeo. Unde sic reddit Paraphrast. Non enim quibus tuto fidi possunt, loquuntur. Queritur itaque uir sanctus, se immerito ab improbis odio maledicentiaque discerpi: ab his, dico, qui in inferendis iniuriis innocuis, pacisque studiosis, in terra hac, alioqui mille bellorum

tumultibus obnoxia, callent artem. Parum ne est, in ipso tumultu dissidiorum sectari pacem? Quod si ideo quis a Dei spiritu admonitus ab omni bellorum genere abstinet, non caret tamen suspicione apud illos, qui cum alienum ex suo metiantur animum, putant omnes haud diu in terris absque rixis ac iurgiis posse uiuere: semoti enim semel a Deo per uitae fastum, in quo quidem Deo summa semper inest pax, aeternusque rerum nexus atque unio, & supera & infera continuis commiscent praeliis. Caeterum dictio illa quam noster interpret uertit, terrae, Hebraeis est, in tranquillos seu pacificos qui in terra sunt: quod una dictione (opinor) reddit interpret, in iracundia. Vocat iniracundiam mansuetos, qui irasci fere nesciunt, eo modo quo appellamus interdum modestos, ipsam modestia. Unde sic illum transtulisse suspicor: In iniracundiam [sic] terrae loquentes. quare Paraphrast. Aduersus insontes, qui in terra degunt, dolos concinnant. Felix uero: Et super mansuetos terrae uerba fraudum cogitabant. Hic satis lucidem (arbitror) quorundam improbitatem depingit uates, qui adeo interdum irrequietis extimulantur discordiarum oestris, perpetratorumue facinorum irritamentis die noctuque perurgentur, ut quo certius triumphent, eo omnes peruersitatis machinas in modestissimos ac mites, hoc est, contra inermes atque imbelles diri-
[dirigunt]

{pdf 295, p. 139v}

-gunt. Quid si porro molossus molossum, aut lupus lupum, cum nihil minus cogitet, inuenit? quam cito quidem tumor ille giganteus in uolumen desinet? Quod uero quidam interpretantur, in iracundia terrae, id est, in iracundia terrena, quemadmodum equidem non improbo, ita non intelligo. Sed illud non omittendum, quod noster interpret uersus initium legit absque negatione. Quoniam mihi, inquit, pacifice loquebantur: illud hominum genus spectare arbitror, qui in corde & corde, ut ait spiritus, loqui consuescunt. Linguis (ait) suis dolose agebant. Hi sunt quidem qui secus atque in corde habent, loquuntur: detestandum profecto uitium, modisque omnibus a bonorum societate extirpandum. Nescio sane qua sorte id accadat, ut non solum collusores, ganeonesque, & id genus colluuiem reliquam infecerit lues haec execrabilis, sed etiam probiores qui uidentur, quique in abditissimis delitescunt templorum adytis: adeo letalis morbus tam impauide a nonnullis suo in sinu enutritur.

{35.21} Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt, euge, euge, viderunt oculi nostri.

Perspicuum id est interitus animae indicium, cum in spiritu sentit daemones laetitia gestire, sibique inuicem illatam ob mortem gratulari. Quod enim infelix anima a tetrus illis manibus impugnetur, saucieturque interdum, non multum adeo mirum esse debet, licet lachrymabile. quod uero prorsus intereat, subque ictibus illis hostilibus expiret, non est dolor, non luctus, non moeror, qui tam immensum damnum aequare ualeat. Anima enim, res scilicet tam Deo chara, tam nobilis, tam diuina, a tam uili hoste occiditur? Et dilatauerunt, inquit, super me os suum, laetantes nimirum, ouantes, deque adepta uictoria cachinnos efferentes, clamantesque non absque irrisione, Vah, uah, uiderunt iam tandem oculi nostri quod diu optauimus: uictus est, attritus est, occubuit. o iucundum spectaculum, homo tam nobis infensus eiectus est. Non defuerunt quidem

impulsores, non rabulae, non quadruplatores, non plagiarii. Puto enim de Christo humato Iudaeos olim huiuscemodi iactitasse inter sese dicteria: Eat modo faber iste qui contra Mosen uerba facere non est ueritus. Censes ne hunc sabbatum tanta cum religione a patribus seruatum, custodiisse? quid? filium se Dei faciebat. O inauditam blasphemiam, iamiam tandem exaturati sumus. Vah, is modo qui tanto strepitu se ducebat turbas, frigido nunc in tumulto iacet exanguis. Haec quidem, atque horum similia de unigenito Dei filio Iudaei olim. De piis uero, hoc est, de oppressa innocentia ac pene extincta, non iam amplius Iudaei, sed ipsi Christiani acerbiora quoque blaterant. Verum

{35.22} Vidisti Domine, ne sileas, ne discedas a me.

Nihil profecto delectabilius puro conscientiae testimonio, impuro uero nihil miserius. Male nanque sibi conscia mens, tum legibus tum iudiciis semper rebellis est humanis ac contumax. Bene autem, non solum ab humano diuinoque non abhorret iudicio, uerumetiam illud expetit & quaerit. Unde non immerito sapientissimus ille asseruit Rex, quod fugit impius nemine persequente: iustus autem, ut leo erit confidens. Sua igitur fretus conscientia uir bonus, diuinum non ueretur appellare iudicium, inquires:

{35.23} Exurge, & intende iudicio meo, Deus meus & Dominus meus in causam meam.

Iam illud considerandum, quanta sit in uerbo illo, uidisti, consolationis uis & magnitudo. Esto, inquit, quod hactenus ea, quae in me sceleratorum hominum astutia machinata est, uidere nequaquam uisus sis, uidisti nihilominus: hincque meam te causam tandem defensurum, iusque asserturum certo scio. Fac igitur, oro, quod te facturum non dubito: ergo ne sileas, ne dissimules, ne longius absis: alioquin te causam meam non defendente, aut te meis peccatis offenso alio diuertente, quem alium patronum, quem aduocatum, quem procuratorem interpellabo? hi enim interdum non tantum iustitiae, quantum auri desiderio, suis illis in litibus nonnunquam iniustis, uel usque ad emissionem animae desudant. Tu quietissimus tuo in throno sedens, aequissimo iura omnia & condis & moderaris iu-
[iudicio]

{pdf 296, p. 140}

-dicio, & id quidem gratis: quare tu, non homo natura fallax, atque ad bonum torpidus, euigila, exurge, atque animum ad hanc meam cum hostibus controuersiam applica. Caeterum, in causam meam, Fel. uertit, ad contentionem meam: sed idem fere est cum nostro. Nam uitae haec assiduis in contentionibus, partim cum mundo atque eius amatoribus, partim cum incorporeis, & his quidem astutissimis & crudelius uersatur hostibus. Quid sit porro in Deo euigilare, exurgere, silere, procul abire, & caetera huiusmodi, iam alias fusius annotauimus. Anthropopathia quippe est uati huic nostro admodum familiaris: cuius quidem frequentia, ac feruido, ut sic dicam, motu, concita omnia redduntur in hoc poemate, atque ignita.

{35.24} Iudica me secundum iustitiam tuam domine Deus meus, & non supergaudeant mihi.

Hebraei sic: Iudica me secundum iustitiam tuam o domine, o Deus mi: & ne gaudeant. ut ex repetitis uerbis illis, o Domine, o Deus mi, anxium liberandi studium, immensumque periculum, quo urgemur continue, aduertat. Nemo enim, nisi magnis in periculis constitutus, uerba illa quae commiserationem mouere possunt, inculcare solet: quemadmodum hi sane agunt, qui aut amnem aliquem rapidissimum illapsi, per ripam sparsim circumfusos homines, dum in praecipitium feruntur, intuentur: aut qui ab hostibus telis igneque circumsepti, ab alto tecto, & tegulas & cantherios, & quicquid aliud eis metus suppeditauerit, deorsum proiicientes, ingeminatis clamoribus, uicinarum, concursantisque ad spectaculum multitudinis auxilium implorant. Non minori certe periculo, imo maiori multo mortalium animae, dum tetro hoc corporis inclusae sunt antro, circumuallatae sunt, uel cum a rapido cupiditatum libidinumque fluuio late per oblectamentorum ripas deuagante, raptae pene suffocantur: uel immundorum daemonum hinc atque hinc, tum inordinatis irae motibus, tum superbiae, ambitionisque, auaritiae, ac caeterarum eiusmodi rerum machinis obsessae, nihil fore opis a quoquam circumspectant. Quo se uertant, quaeso? quo suum dirigent clamorem? quo oculos? quo manus a supplicibus? Ad patrem nimirum aeternum. Quod si ob peccatorum sordes, quas in te esse uides, o homo, tam excelsi numinis iudicium exhorrescis, nonne cogitas quia pater est? adhuc ne trepidas? En uiam aliam quamquam certe non aliam quam qui refugit, licet ab uniuersis supernorum spirituum choris supplicibus illi ferantur, nihil agit, quo minus in aeternam mortis noctem protrudatur. Clamat igitur scriba ille diuinus: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Ipse, ipse (inquam) est propitiatio pro peccatis nostris, tantum nostra non obtegamus scelera. Nam certe si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Vis uno uerbo rei summam (inquit) tibi aperiam? SANGVIS Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. In hunc enim, tanquam in salutis omnium finem, sacramenta omnia ecclesiae, castique ritus & mores tendunt, deriuanturque hac sane meta a sacramentorum, bonarum ue actionum & caeremoniarum cursu semota, frustra curritur: uanaque sunt studia illa omnia & labores, quibus nos tandem diuinam promereri gratiam speramus. Est aliquid quidem, pro adipiscenda animi puritate inedia affligi, & crebro coram sacerdote in recensendis reatibus confundi & erubescere: non est rursus parui momenti res, multorum inopiae subuenire, uiduas, orphanos, reliquamque turbam miserorum ab usuris, a carceribus, a uinculis, a triremibus quoque uindicare, & mori tandem ob salutem proximi: uerum nihil adhuc te egisse putes, nisi bonarum rerum huiusmodi Christum & nexum & finem statueris. Id per excessum ferme dicere uolui, non tantum quidem ut alios monerem, quantum ut me mesque similes in uia iustitiae pigritantes pungerem & excitarem. Sed ad uatem reuertamur, qui secundum iustitiam Dei, non suam, iudicari postulat: quam quidem iustitiam nihil aliud in psalmis fere omnibus, atque adeo in caeteris diuinae legis libris esse iam diximus, quam perfectissimam illius bonitatem, bonorum omnium cumulo exuberantem. Quia igitur uir bonus hoc minus in se esse bonitatis perspicit, quo exactius sese examinat, ad patris bonitatem, ad quam omnes, si sapiant, confugere

{pdf 297, p. 140v}

debent, statim recurrit, clamatque: Iudica me o Domine, non sane quidem secundum iustitiam meam, quae nulla omnino est, sed secundum tuam, qua perfectissime bonus es, atque immense misericors. Quod si tamen iustitia illa quae immutabili tui iudicii seueritate posita est, utendum erit, non recuso: scio equidem meam ex te iustam esse causam, hostium uero meorum iniustam. Quare in illos potius, qui sponte sua mali sunt, quam in me, quem tuum esse uoluisti, saeuendum erit Non itaque ob partum de me triumphum gaudeant, non laetitia efferantur, non glorientur,

{35.25} Non dicant in cordibus suis, euge, euge animae nostrae: nec dicant, deuorabimus eum.

Depressimus eum, uertit Fel. Non te moueat tempus pro tempore interdum poni. Hebraismus quidem est creber admodum in prophetis fere omnibus Nec animae nostrae, sed animae meae, transtulit. Et est ac si dicat, ut interpretatur Paraphr. Non habeant cur dicant in corde suo, ex animi nostri sententia haec res successit nobis. quanquam ab aliis ex Hebraeo, anima nostra, seu anime mi, uerti uideo. ut sit sensus: Vah anima nostra, simulac iste expulsus est & occubuit, laetare. O quam nobis ex animo ouandum est. quid putas? quaecunq; optamus assecuti sumus. Et est summae uoluptatis exclamatio, perinde ac si quis exclamet: Vah, tandem quod diu noster expectauit animus euenit. Dixerunt, inquit Hieremias, deuorauimus. En ista est dies, quam expectabamus: inuenimus, uidimus. Dictio, quam noster interpret nonnunquam uertit animam, Hebraeis est interdum uoluptatem, desiderium, libidinem. unde illud: Non tradas me in animas tribulantium me: hoc est, ne me improborum libidini ac desiderio dilaniandum tradas. Chaldaeus uero sic reddit: Non dicant, laetabitur anima nostra: de ruina scilicet illata ac morte. Caeterum ne id amplius dicant, effutireque audeant,

{35.26} Erubescant et uerecundia afficiantur simul, qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione et uerecundia, qui maligna loquuntur super me.

Induantur pudore & ignominia, uertit Hebraeus: ne uerecundiam illam, quae uirtuti debetur, imagineris. Sic illud, Reuereantur, uertunt, confundantur, seu. ut reddit Paraphr. infames fiant, quotquot erigunt sese, ut noceant mihi: seu, ut transfert Fel. qui magnificent super me: hoc est, qui os suum super me, uictorum more super uictos, dilatant, impudentissimisque insultationibus dilaxant. Maximi id quidem odii est argumentum, cum prostratum hostem animamque inter uulnera efflantem, aut calamitatem in aliam coniectum quis procaciter insultat, dicterisque incessit ac mordet. quod sane genus conuicii miserrimo illi sic afficto solet esse tristius, quam ipsa miseria & mors. Quod enim id impietatis signum in sicariis & gladiatoribus cernatur, non multum quidem mirandum. In grauissimis uero uiris, & his quoque qui speciali quodam cultu ac religione, sacris templorum aris inseruiunt, id cerni non solum admirandum est, uerumetiam monstro omni deformius ac magis turpe. Caeterum tota haec uerborum congeries nihil aliud prae se ferre uidetur, quam quod maligni homines, atque illorum

impulsores daemones, pudore afficiantur, hoc est, spe sua delusi pedem cum ignominia a persequendis Dei seruis retrahant: contra uero,

{35.27} Exultent & laetentur qui volunt iustitiam meam, & dicant semper, magnificetur Dominus, qui volunt pacem serui eius.

Pulchra sane antithesis. Illi, inquit, qui suam uolentes constituere iustitiam. Dei iustitiae non sunt subiecti, erubescant, probroque afficiantur. E contrario autem, exultent, laetentur, non erubescant, aut modo aliquo confundantur, qui uolunt iustitiam meam: hoc est, qui ex me, meaque bonitate boni esse uolunt, non ex se suaque iustitia ac uirtute, hi dicant semper, hi praedicent, hi uotis omnibus expetant, hi die noctuque uel in mediis ipsis triuuiis clamitent, magnificetur Dominus, passimque ab omnibus celebretur: non homo quispiam, aut quicquid illud est quod non solum supra se, sed super omne illud quod dicitur Deus, aut colitur, sese extollit. Cum enim considero, mi lector, tumorem quodammodo totius orbis, sese uel usque ad regionem Lunae (nihil dico) ad regionem illam igneam in qua coele-
[coelestes]

{pdf 298, p. 141}

stes uisuntur animi, efferentem, uideor mihi uidere uanam quandam ampullarum per undas colludentium imaginem & spectaculum: quae ut cernentibus grandiores modo, modo minores uidentur, nunc apparent, nunc fallaci quodam praestigio latitant & se abdunt, ita una facta omnium conuersione euanescunt, in nihilumque resoluuntur. O uanam mortalium arrogantiam. Verum haec animi leuitas uulgo ut plurimum sui dissimili, ac tenuissimi iudicii, concedatur: quandoquidem eo peruentum est amentiae, ut etiam inhonesta concedamus: quis id ferat in sapientibus, in schola Christi enutritis? in his tandem, qui, ut inquit Paulus, semel illuminati, gustauerunt etiam donum coeleste, & participes facti sunt spiritus sancti: gustauerunt nihilominus bonum Dei uerbum, uirtutesque seculi futuri? Quid hoc monstri est, ut eo quis maiori afficiatur fastu & tumore, quo maioribus se donatum a Deo donis, uelit nolit, fateri cogitur? Quid illud? (stupore obruor) hunc uidere ob sanctitatem, quae in humilitate, animisque ingloriis, & ignominia esse debet, intumescere? illum ob literas, & has quidem sacras, non solum intumescere, sed insanire omnino: & nisi uulgo celebretur, doneturue mitra aut pileo, emori? hi certe non dicunt semper, Magnificetur Dominus: utinam saltem raro. Iam illud non praetereundum, quod Hebraei, Qui uult pacem serui sui, legunt, ut ad Dominum, uult, referas: non, uolunt, ad homines. ut sit sensus: Dominus qui in suis pacem omnino uult esse, atque animi tranquillitatem, magnus ab omnibus existimetur. Pacem uero cum hic, tum alias rerum omnium successum uolunt esse: sed quia in humanarum rerum successibus uix, ob continuam uicissitudinum inconstantiam, id appeti potest, idcirco in diuinis tantummodo quaeri oportet. Imo si daretur optio, qui Christi uitam profitentur, pacem illam quam in terrenarum rerum copia sitam esse cernimus, nollent omnino: hanc uero & uellent, & uotis omnibus a Deo peterent, ut ab illis peti quotidie, uita saltem, si non ore, cernimus: quanquam & ore quidem, qui abiectis omnibus quae huiusce generis pacem, quae ad mundum attinet, pollicentur, sese in antris, paruo minimoque contenti, occludunt, nihil aliud interim aut cogitantes aut agentis, quam quomodo tam arduum uitae genus temere & casu, minime se

apprehendisse testentur. Alioqui membris ipsis corporeis, ac cito desituris, diuino se cultui dedere, animo uero atque affectu, mundo & ambitioni, crux quidem est, sed non illa quam a suis exigit Christus. Qui sane suum illud mirabile cum conderet testamentum, amplissimamque suis relinqueret ditionem & imperium, inter caetera illud in primis nobis cordi esse uoluit, Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis, non quomodo mundus dat, ego do uobis. Putasne Dei filium de alia pace, quam de illa, qua spiritus & caro in unum perpetuo ad obtemperandum Deo coeunt foedere, intellexisse? De altera uero illa qua anima quoque cum corpore lasciuires solet ac pergraecari, censeo illum disseruisse, cum dixit: Non ueni pacem mittere in terris, sed gladium & bellum, hoc est, scissuras ac dissidia. Haec quidem aeternae apud inferos conflictationis ac pugnae arrha est & pignus: illa autem aeternae pacis, quae in Deo tota sita est, qui pax est nostra, ut inquit Paulus, & redempto. Hanc itaque pacem uult Deus in suis esse, hanc format, hanc praecipit, hanc donat tandem, ne quae Dei sunt, absque Deo posse nos assequi somniemus. Pax porro illa qua homo homini Deus est, non lupus, ut est adagium, ab hac originem habet. Fieri non potest hominem in se pacatum, Deoque per mentis puritatem unitum, in alios bellum ciere posse. Illud etiam quod in hoc uersu a nostro interprete legitur, ita aptari potest, ut homo iustitiae illius quae a Deo est, studiosus, postquam suis imprecatus est hostibus confusionem, infamiamque & probrum, mox de eiusdem secum professionis uiris pulcherrima usus antithesi, addat: Exultent & laetentur, qui uolunt iustitiam meam. hoc est, ut interpretatur Paraphrast. Quibus placet innocentia mea, uel ut alius ex Hebraeo, qui fauet innocentiae meae, hi quidem in spiritu gaudeant, orentque te, o Deus, ut ego in ueritate tua ac fide, quae est innocentia mea, perseuerem: hi inquam, qui meam uolunt pacem, atque a malis liberationem, mecum sane, non interrupte quidem, sed semper

{pdf 299, p. 141v}

dicant, Magnificetur Dominus. Nam quod ad me attinet,

{35.28} Lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.

Nihil in hoc loco aliud uult uerbum, meditari iustitiam, quam iustitiam ex animo, seduloque ac promptissimo linguae motu praedicare. quare sic uertit Paraphr. Et lingua mea sedulo praedicabit iustitiam tuam, hoc est, perfectissimam bonitatem tuam, qua sola duce, ad te asciscimur, in te perstamus, tibi unimur, de te cantamus, per te uiuimus, ac in te tandem per amorem transimus, renouamurque in horas: cum interim scelestos quosdam a te tanquam a Solis luce auersos intueamur confundi affligique, ac continuis anxietatum gyris rotari. O diuinam iustitiam. State, inquit spiritus, & uidebitis gloriam eius, cui laus sit in secula seculorum, Amen.

PSALMVS XXXVI. Vincenti, serui domini Dauid.

{36.2} Dixit iniustus ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius.

Cum multis alias argumentis diuina erga mortales innotescere possit bonitas, tum ob id quidem maxime celebris uidetur, cum non solum suis, sibi nimirum per fidem copulatis,

benefacit continue, sed etiam improbis, a fideque alienis sua communicare dona non cessat: hos & illos aequo intuetur aspectu sol ille iustitiae, nec est qui se abscondat a calore eius. Quod uero a felicissimo illo prospectu alii perurantur, raptenturque tanquam ab igne ad supernas, ut uocat Dionysius, illuminationes, alii uero indurentur, obtenebrescantque, obstrusior ratio est, quam quae ab humano intellectu disquiri queat, multo minus a lingua edisseri. Quis unquam nouit sensum domini, aut quis illi a consiliis fuit? Quare in his peruestigandis, quae occulta omnino Deus nobis uoluit esse, uel totam ponere aetatem, nihil aliud agitur, quam quod contingere diuaganti in Labyrintho aliquo cernimus, qui cum diu sinuosas illas permeauerit, remeaueritque uiarum ambages, in easdem semper recidit angustias: ita nimirum curiose nimium altissimas diuinarum rerum contemplationes humano sensu, hoc est, hebeti ac tardo quis aggrediens, caliginosis quibusdam inuoluitur maeandris, perditque semitas, ac tandem a gloria, ut inquit Esaias, obruitur. Illud pro comperto habendum, neminem nisi sua culpa indurari. Vtrunque igitur hoc in psalmo a spiritu tractatur, bonitatem scilicet Dei adeo copiosam esse in omnes ut etiam ipsos nefarios homines, terraeque animantia complectatur, moueatque, continuis afficiat donis & beneficis. Quae quoniam in Dei filium rerum omnium nodum ac summam referuntur, hac de causa a spiritu psalmus dicatur Vincenti, Christo nimirum, mortis atque adeo peccati in cruce uictori: rursus, horum omnium rationem mortalium captum prorsus superare: quorum duorum membrorum occultis quibusdam ueluti lineis uidetur totus fere is psalmus adumbrari. Verum non uacat mysterio, quod in titulo uates se seruum Dei appellat: quare huiusmodi appellatione id quidem innuere uelle arbitror, quod cum plerunque nefandissimi quique, licet Dei hostes sint, diuinaeque legi & uita & doctrina interdum, in ficta quadam religionis imagine reluctantur, rerum tamen omnium copia adeo pleno ueluti cornu abundant, ut nati plane ea uideantur lege, ut nihil eis deesse possit aut aduersari. Probi uero quamuis pressi, nihilominus a fide non desciscunt, sed fixi in illa perstant professione, e qua supremum illum adepti sunt titulum, SERVI DEI. quem quidem tanti faciunt, quanti alii uel regna uel imperia. Verum turpissime a quibusdam in eo erratur, quod tam sublimi non contenti titulo aut nuncupatione, stomachantur plane si quis in missis ad eos epistolis, & literarum superscriptionibus, illos simpliciter appellet Dei seruos, nisi & addat ampullosum reuerentiae nomen: nihil enim excelsum in terris amat Dei seruus. Sed ad psalmi interpretationem, cuius initium obscurum admodum est, uertamus animum.

{36.2} Dixit iniustus, ut delinquat in semet ipso, non est timor Dei ante oculis eius.

Video reproborum effigiem hic breuius deliniari. Dixit, inquit, iniustus, hoc

{pdf 300, p. 142}

est, impius, milleque uitiorum maculis notatus, intra semetipsum, statuit decreuitque in peccatis uiuere & mori. Esto lex retrahat, admoneat rursus pungatque conscientia, ac ingentes excitet stimulos, sic definiuit, sic solidis ueluti pessulis propositum obfirmauit. Causam mox reddit uates, cur in id rebellionis quis incidat: Non est timor Dei, inquit, ante oculos eius. Semel enim diuino abiecto timore, quid non audet sceleratus? Et quemadmodum quidem a felicissimo timoris domini exordio (quid de tota sperandum

possessione?) uera proficiscitur sapientia: ita stultitia, hoc est, cordis caecitas ac temerarius quidam ausus, ab illius emanat deliquio atque odio. Verum litera quae est Hebraeis, difficilior uidetur. Sic Fel. Dictum transgressionis impio, Intra cor meum non est timor Dei in conspectu oculorum eius. Istud est, inquit, perenne dictum in improborum animis de sua transgressione. quid alios audio? Intra cor meum, hoc est, in medio cordis mei: serioque mihi placent quaecumque ago. Non tam cito, ait, a proposito dimoueor. Magis adhuc obscure sic reddunt alii: Dixit scelus, seu ipsa innata peruersitas (sic legit Kimhi de improbo, in medio cordis mei non est timor Dei coram oculis eius. Sed quid dicit de improbo scelus, quid iniquitas? Deum nequaquam timendum esse, & id quidem in corde sancti: hoc est, ita uir sanctus de sceleratis in corde suo cognoscit: sic sentio, inquit, quod iniquitas iniquo dicit, fac quaecumque libuerit. Sed quamobrem id dicit? quia non est timor Dei coram illo. sic ferme reddit Kimhi Hebraeus. Vnde alius horum omnium sensum colligens, ita uertit: Sic sentit cor meum de audacia improbi, quod non habeat Deum ante oculos suos. Fusius uero Paraphr. Persuasit, quantum animo concipere possum, ipsa nequitia impio exlegi, non esse metuendum illi, ne Deus supplicium sumat de sceleribus illius. Dictio porro scelus, seu iniquitas, rem magis exprimit, augetque, quam ut noster uertit interpres: quae dictio insignem prae se fert peccatorem, quoque pleniori de Deo cognitione, addito quoque diuinae legis contemptu, delinquit. Quare ut in peccatis quis obstinate uiuat, in ipsisque moriatur, summo illum Dei, atque eius timoris neglectu conuicti necesse est: ut hi ferme sunt, qui cum nunquam uel boni uel mali omnino uulgo appareant, attamen pessimi omnium sunt: quorumque uulnus eo periculosius aestimari solet, quo incognitum magis magisque cum illis tum caeteris, & tectum, & impudenti quodam inscitiae uelo dissimulatum. Hi certe ad uitae resipiscentiam difficiliter reuocantur, quam qui publico ueluti dedecore & turpitudine, peccata illa quae uel audita solum probis omnibus stomacho solent esse, committunt. Calcata enim clam Dei religione, prostrato cultu, timoreque illius abiecto, quo non prorumpit impietatis genus illud hominum? Hincque in profligata quorundam uita, illa necessario insunt peccata, furta scilicet, rapinae, usurae, depopulationes, homicidia, adulteria, incestus, scortationes, blasphemiae, ludi illiberales, & id genus alia publice a nonnullis patrata scelera, corrigenda tamen uel unico interdum spiritus admonitu. In secretiori uero uitae genere haec fere, mala mens, malus animus, odium, simulatio, tumor, ambitio, fastus, superbia, liuor, ac quo maxime Dei irritatur patientia, amor sui. quae quidem uitia cum animae tenacius haeserint, quae aeterna est, quasi cum ipsa aeterna efficiuntur: unde raro hi, quibus huiusmodi insunt delicta, in ueram sui cognitionem deueniunt, quae summa ferme totius salutis existit.

{36.3} Quoniam dolose egit in conspectu eius, ut inueniatur iniquitas eius ad odium.

Affectus hi sunt illorum qui putant Deum haudquaquam timendum esse. In primis enim non solum peccatis peccata coaceruant, uerumetiam ob turpitudinem illam, quae peccatis grauioribus natura inest, sibi adblandiuntur, placentque non secus, atque solent ob res bene gestas alii. Quod quidem est, quod in hoc uersu asserit uates, quem sic uertit Fel. Quoniam adulatus est sibi in oculis suis. quanquam paulo secus Paraphrastes: blandis, inquit, persuasionibus egit apud illum (iniquitas scilicet) ut placere incipiat ipse sibi flagitiis suis. Obsecro, quid unquam uel uisum est turpius, uel auditum scelestius,

quam cum quis sua laudans scelera, inde sibi laetitiam parat, unde aeternum ultro moererem assumere

{pdf 301, p. 142v}

debuerat? Quare sic offenditur Deus ita reddit Paraphr. ut ipsum cum sceleribus suis deprehensum odio persecuturus sit perpetuo: id quod noster interpret uertit, ut inueniatur iniquitas eius ad odium: uel, ut Fel. ut odio habeatur, a Deo scilicet & hominibus. Dici quidem facile non potest, quantum ad iracundiam aeternum prouocent patrem, quantumque probis displiceant, sua, ueluti sodoma, praedicantes flagitia. Idcirco is erit sensus: homines suis sese flagitiis palpantes laudantesque, illud efficere necessario, ut et Deo et hominibus sancte institutis, illorum iniquitas inueniat, deprehendaturque esse odio ac abominationi. Quam uero metuenda ea sit actio quae Deo nauseam moueat, tute ni prorsus aeneus es, iudica. Caeterum nonne dementiae genus est, dolose fucateque cum illo loqui uelle aut age te, cui ab aeterno cuncta, quamuis a cognitione humana remotissima, antequam sint, in lucemque producantur, notissima sunt? Quid illud, cum apud nos depositam ab amico pecuniam mala fide uel distrahimus, uel negamus? Nescio enim quid inter ciuium pacta conuentaque, doli mali titulo censeatur, si id non censetur. Depositi quippe nomine apud unumquenque nostrum a Deo collocata est anima, ut intacta seruetur, aut foenore augeatur. Quid si distrahitur, aut e capite quippiam minuitur? id dolo malo factum iudicabitur. Actio itaque illa quae diuinae non respondet uoluntati, dolose quidem fit, maloque animo & ingrato: quocirca ab illa cui maxime inniti debuerat, euulsa, ab eius quoque amore qui idem est cum uoluntate, euellitur. Unde ab Dei amore semota anima, in eius odium cadere necesse est: & sic inuenietur iniquitas prauis hominis ad odium, nempe Dei Nam

{36.4} Verba oris eius iniquitas & dolus: noluit intelligere, ut bene ageret.

Hic mihi uidetur totam improbitatis summam describi. Adeo ne homo tam inconsulto insanire decreuit, ut ne bene agat, hoc est, ne uitam uiuat feris dissimilem, mente atque intellectu, quo similis Deo efficitur, se exui patiatur? & id quidem ab sese, ac propria uoluntate & arbitrio? Noluit, inquit: hoc est, diuinae luci sanctisque immissionibus, ac Dei uerbo & legi cor ultro ferreum & obcaecatum opposuit. O infortunium. Is enim, inquit, non solum nihil aut cogitat, aut loquitur, aut agit, quod prauum non sit ac dolosum: uerumetiam se ad illa agenda quae optima sunt, non sustinet erudiri & admoneri. Cessauit intelligere, uertit Felix ut benefaceret. qua sane lectione quorundam inconstantiam in rebus agendis taxari iudico, quibus si tandem post tot infusas diuinitus inspirationes, post crebras a patribus, a libris, a lege, a proprio, si lubet, sensu admonitiones, rem bonam inceptare libuerit, cessant continuo, atque in ipso relabentes exordio, ante ostium illico, ut ait Comicus, errant. Ex quo quidem turpissimo imbecillitatis genere illud necessario nascitur, quod nulla in diuinis progressio fit a multis, qui tamen ob longam rerum experientiam, atque in his quae ueram referunt religionem & cultum, exercitationem, non iam homines, sed dii in terris esse deberent. Iter enim, quo ad coelestem pergimus patriam, huiusmodi est naturae, quod si non procedis, retrocedis. Vis quippe illi ignea est, nec deorsum quidem flectitur, aut uirtute sua aliqua naturali perstat in sese: sed sursum ducitur, atque adeo ardue, ut nisi leuioribus animis, atque a terrenarum rerum contagione liberis peruium sit. Volatu

quodammodo opus est, non gressu passuue inerti ac tardo, in uia iustitiae. Porro quid sibi uelit, Noluit intelligere ut bene ageret, elegantissime expressit Paraphr. Noluit resipiscere inquit, neque uitam in melius commutare. Hinc disci potest, quam ferreus sit quorundam animus, quamue in Deum ingrata mens illorum qui obstinatissimo in malis proposito, nihil ultro admittunt, quod idem exitiale non sit, ac sibi contemptis proborum admonitionibus letale. Vide quid inferat:

{36.5} Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viae non bonae, malitiam autem non odiuit.

Videtur hic mihi uates uelle dicere, Is prorsus deploratus est, Solent tamen hi. qui cuiuspiam scelera enarraturi, totam simul uitiorum congeriem uniuersali quadam appellatione proferunt, diuisim postea, ac per partes totam illam turpitudinum molem, chaos ue informe distinguere quem quidem morem in rhetoricis quoque ser-
[servari]

{pdf 302, p. 143}

-uari legimus. Nam simulac Daud in psalmi exordio dixisset, Dixit iniustus ut delinquat in semetipso: posito ueluti eorum, quae dicturus erat, fundamento, mox membra aedificii singillatim deliniare uoluit. Iam scelestum illum, quem describere instituerat (siue hominem aliquem intelligas, siue impium Iudaeorum coetum, quem in Christum fore praeuidit crudelissimum, designari mauis, non adeo multum refert) cum alienum a Dei esse timore affirmasset, dolosumque illum, atque ea sane prauitate insignem, quae tum Deo, tum homini stomachum ciere posset, appellasset, subindeque oris illius malitiam ac sacrae legis, qua duce ad optima uitae instituta formamur, contemptum detexisset, cordis tandem simul & operationum foeditatem aperuit: Iniquitatem, inquit, meditatus est in cubili suo. quod clarius ex Hebraeo alius reddit, Scelus parauit in cubili suo. Unde sic uertit Paraphr. Cogitabit noctu iacens in lecto, quibus artibus opprimat plurimos. Quemadmodum enim sanctissimis assueti disciplinis, nihil temporis horarumque praetermittunt, quin obstrusissima diuinae legis sensa rimentur, peruestigentque, ac quomodo quoque in mores ea inuenta transferant: ita hi, qui pressi humi nihil coeleste cogitare norunt, omne tempus, sed nocturnum praecipue, in quo silent omnia, atque ab hominum conspectu semota sunt, in concinnandis flagitiis & sceleribus consumunt: itaque luce exorta, breuiori ueluti compendio meditata noctu facinora perficiunt. Et sic animus, portio utique Dei, ad illa solummodo expetenda, inquirendaque a Deo conditus, quae procul a terris sunt posita, humi figitur, atque propterea humana solum ac terrena diligens, in illorum prorsus naturam transit, quae insensibilia sunt, ac bruta omnino. Quare sic male assuetus, planeque sua culpa a Deo derelictus, astitit omni uiae non bonae. Astat, uertit Fel. iuxta uiam non bonam. Clarius Paraphrast. Sectabitur uitae genus pessimum: nullum genus malitiae praetermittet. Non te moueat quod iam millies admonuimus tempus pro tempore positum. Id locutionis genus familiare admodum Hebraeis est. Caeterum, malitiam non odiuit, uidetur nimium tenue redditum, nec plene spiritus mentem referre. Expressius itaque Paraphrast. ut dixi. Quocirca alius sic uertit ex Hebraeo: Nihil mali auersatur. pollet perinde ac si dicat, Ne multis, nihil mali quamuis detestandi non amplexatur: ideo quicquid cogitat, dicitque & operatur, noxium sit oportet, ac mortiferum. quanquam Fel.

idem fere cum nostro, Malum, inquit, non abominabitur, Nisi sorte & illud haud minimi aestimari debeat flagitium, malum prorsus non execrari, atque odio persequi. quod sane dixisse uoluine quis se satis diuinae legi fecisse opinetur, si a malo tantummodo absque illius odio abstineat. Perfecta enim esse debent omnia in Christiano uiro: alioqui non uideo, quo perfectionis gradu statuendus is sit, qui id penitus non excretur, per quod iter ad perfectionem obstrui potest. Iam illud quoque addendum, quod pene exciderat, Cubile saepenumero in scripturis secretiores cordis latebras significate: ut illud, exempli gratia: In cubilibus uestris compungimini. hincque interdum solitudinem, locumque a turbis secretum. unde illud: Intra in cubiculum tuum, & clauso super te ostio ora patrem tuum in abscondito: quem sensum is quoque locus, quem nunc tractamus, habere uidetur.

{36.6} Domine in coelo misericordia tua, & ueritas tua usque ad nubes.

Vates enim considerans quam deplorata sit quorundam uita, quamque immensam Dei bonitatis exemplum, qui adeo bonus est ac liberalis, ut solem suum oriri faciat ex aequo super bonos & malos, pluatque indifferenter super iustos & iniustos, exclamat: Domine in coelo misericordia tua, & ueritas tua usque ad nubes. hoc est, ut reddit Paraphr. quicquid ambitu coelorum continetur, benignitatis nae particeps est, & constantiam propositi tui sentiunt quaecumque inter terram & nubes media sunt. Posset ne compendiosiori dictione integrum huius uersus sensum quis reddere? Et licet idem plane sit misericordia in Deo, & bonitas seu benignitas, ueritas quoque ac, ut uertit quidam ex Hebraeo, fides: idemque prorsus sit, in coelo, & usque ad nubes: quo tamen ampliori uerborum copia rem altius pertractaret quoque inclusum detegeretur mysterium, uberius eam descripsit. O domine,

{pdf 303, p. 143v}

inquit, quod tua in huius mundi effectione, aeternaque in moderandis rebus prouidentia, appareat bonitas & misericordia, magnum profecto existimatur, dignumque stupore. Verum in ipso coelorum medio, in quo purissimi habitant spiritus, in ipsorum bonorum omnium meditullio, in ipsis secretioribus totius felicitatis adytis, in ipso (ut sic per excessum dicam) supernae Trinitatis sinu misericordiam tuam sensisse, quis satis unquam mirari potuit? O immensum tantae tuae bonitatis mare. Nonne in coelestibus illis animorum choris prauitatem olim inuentam fuisse legimus? Quis reliquias illas in te, aeterno incommutabilique stabiliuit foedere? Nonne tua bonitas? nonne misericordia? nonne ueritas? hoc est, firmum, constansque in subleuandis miseris propositum? Igitur & quae in coelis, & quae in terris degunt, per te tuamque bonitatem & sapientiam, quae Christus est, instaurata sunt. Volunt (quod dicere inceperamus) Hebraei interpretes, totum hunc uersum id ferme attestari uoluisse, orbem scilicet terrarum omnem adeo Dei tum bonitate, tum prouidentia plenum esse, ut uel ad coelos usque istiusmodi beneficentiae cumulus pertingat quanquam quod ex Paraphrastae litera coniectari potest, prima pars sublimiorem quandam rationem, quippe quae in coelorum pulchritudine, motu ue, atque ordine consistit, spectare uidetur: altera uero in his inferioribus ac magis densis, utpote a lunae globo per nubes ad terram usque concretis. Quod porro ueritas, seu fides, seu firmum gubernandarum rerum consilium, non solum in nobiliore coeli regione eluceat, uerumetiam in his quae

sub coeli conuexo, ut sic dicam, in aere, in terris, in imis quoque inferorum antris appareat, ordinatissima rerum conditarum series, ordo, decor, ac lex quaedam aeterna, commixtaque iustitiae diuinae libra ac decreto, perpetuis ueluti uocibus clamitat. Quare in sequentibus eandem ipsam iustitiam, & iudicium, quae idem plane sunt cum Dei bonitate ac fide, seu ueritate, monti ob eius eminentiam comparat: abyssonem uero, ob illius amplitudinem ac profunditatem. [36.7] Nam in scripturis haud raro abyssus pro uastitate aliqua immensa sumi solet. Neque aliud quidem hisce nominibus uult spiritus, quam excellentissimam regendarum rerum rationem ostendere in Deo. Iustitia enim infinita, aeternoque iudicio, fide insuper constantissima, atque ampla in creaturas omnes effusa bonitate ac misericordia, cuncta Deus moderatur, implet, permeat, fouet: itaque sua secretissima sustentat uirtute, ut una cum hominibus animantia quoque terrae suo in esse conseruet, deque illis quemadmodum de caeteris curam habeat. Ideo sequitur:

{36.7} Homines & iumenta seruabis domine.

Salus hic quae iumentis, caeterisque rebus rationis aut uitae expertibus, a Deo tribuitur, eius bonitas est, qua omnia suo in statu, prout unicuique rei naturaliter conuenit, seruantur: ne salutem illam, quae animis solummodo rationis capacibus debetur in coelis, dari belluis imageris, aut daemonibus quoque, ut quondam nonnullos, e nimia de Deo fiducia deceptos uoluisse, memoria est traditum. In sua igitur ingenita ui ac natura, quicquid conditum est diuina seruat misericordia, sit quantumuis imbecille ac tenue.

{36.8} Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.

O quam (uertunt Hebraei praeclara est misericordia tua seu bonitas tua. Fel. uero: Quam preciosa est misericordia tua Deus: quo maiorem ex Hebraeo energiam notes, quam ex illo, quod noster transtulit interpret. Celebrata enim Dei bonitate illa, qua uniuersali quadam amplitudine condita omnia complectitur, ad eam describendam, qua pios tantummodo speciali communit praerogatiua transit: & id quidem solita metaphora alarum. & est sensus: O quam excelsa tua est bonitas, Deus, quam in omnia diffusa, quam efficax: simulac creaturas omnes quemadmodum condidit, ita nunc fouet, ac placidissimo quodam naturae illapsu & seruat, & moderatur. Filii uero hominum, hi dico, qui tuae se fidei, tanquam tutissimo alarum patrocinio, dedunt, aliter eam agnoscunt ac sentiunt. Alarum hic

{pdf 304, p. 144}

meminit uates, ne uulgarem in Deo suos protegendam curam suspicemur, sed fidam potius, tutam, ab amoreque proficiscentem, & efficacem. Caeterum quis motum illum amoris natura inditum aibus, quo suos pullos tanto cum studio, curaue, ac alarum tutela & fouet, & enutriunt, exprimere unquam posset? Difficilia haec quidem dictu sunt, sed difficiliora multo illa, quae diuinum erga homines testantur amorem, & charitatem. Expansas enim suae dilectionis continue ad se mortalium animos inuitans Deus, extollit alas, clamat, admonet, hortatur, ad alarumque confugium, sub quarum

umbra hinc & hinc obdormiscunt fides & amor, omnes quotquot rationis ui praediti sunt, ex aequo prouocat & inuitat. Sed quid ibi agitur? quid hisce ab alis commodi sperari potest?

{36.9} Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, & torrente voluptatis tuae potabis eos.

Vides ne felicitatis copiam in alis domini? Inebriabuntur, inquit. A quo, oro? Ab ubertate quidem. Crateris forsitan, aut paterae auro, gemmisque ac precioso caelatae emblematae? Minime quidem omnium, uerum amplissimae domus Dei. Riuus ne is est beatitudinis, a felicissima istiusmodi domo Dei silenti praeterlabens susurro? haudquaquam sane: sed torrens potius est rapidissimus, ab austroque diuinarum gratarum impulsus, qui ad nos usque uoluptatum immensarum, indicibilium, aeternarumque profluuium decurrit. O felices alas. Putas ne tantum ab oceano scaturire posse aquarum, quantum bonorum omnium a beatissimis Dei alis, a brachiis illis tam crudeliter in cruce extensis deriuatur? In alis tuis inuentus est sanguis animarum, clamat Hieremias. Quid porro sint alae huiusmodi, quibus & dii & homines beantur, ut ait Kimih [sic, Kimhi] Hebraeus, litera, quae est Claldaeo [sic, Chaldaeo, 1585], abunde demonstrat. Sic ille: Quam preciosa misericordia tua Deus, homines autem in umbra diuinitatis tuae sperabunt: quo nimirum aeterna illa bona esse, quibus nituntur sancti Dei uiri, intelligamus, cum interim in bonis nescio quibus infimis suam tot tam collocant spem nonnulli uel ex nobilioribus, ut sibi uidentur, ingeniis. Ab umbra igitur alarum Dei seiungi atque amoueri, certissimum damnationis signum est. Et quia fieri non potest, mortalium animas aliquo non pasci edulio, ac potu: eo id quidem praestantius erit ac diuinius, quo propius ad alas istiusmodi, a quibus omnis spirat diuinitas, accesserit: hoc uero infelicius letalius'ue, quo longius recesserit. Illa enim satietas spiritus est, haec carnis. Illa ad morum munditiam attinet, haec ad carnis lasciuiam & turpitudinem. Illa aeternis concluditur annis, haec cum carne finitur, atque interit. Vis rursum scire alarum Dei nomen? Altera quidem a misericordia nomen habet, altera a iustitia. qua quidem sola cum iusti efficiamur, & id sane per Dei misericordiam, concluditur indubie, misericordiam & iustitiam idem esse in Deo, atque unum: quemadmodum & reliqua, quae de ipso dicuntur, unus Deus est, uniusque naturae & bonitatis. Tota itaque nostra in Dei misericordia & iustitia debet esse & spes & fiducia: quod est quidem in alarum illius umbra sedere: hinc spiritus ebrietas, hinc ubertas, hinc profluuia emanant gratiarum: nam de plenitudine eius nos omnes accipimus: nos, dico, qui in Dei familiam per gratiam censemur, per gratiam potamur, per gratiam ad bona animae aeterna adsciscimur, Verum haec tanta, tamque diuina ac salutaria abs te prodire, o Deus, haud ualde quidem mirum est:

{36.10} Quoniam apud te est fons vitae, & in lumine tuo videbimus lumen.

Quid mirum enim si a fonte uitae, aut luminis, & uita & lumen demanant? Atqui uita haec, quam ab inexhausto, non iam riuo, aut anne, sed oceano, & eo quidem uastissimo diuinitatis prodire sentimus, misericordia est: Lumen uero, fides a qua iustitia, paxque animi, ac salus ortum habent. Quae sane omnia cum in Deo per nos sunt, ab eoque proficiscuntur, uiua sint oportet, ac uegeta: cum a nobis, statim perlanguescunt, & moriuntur. Quamobrem iustitia, quae e Deo est, per quam iustificamur, uiua est, atque

aeterna. Illa uero quam ex sese habere homo existimat, per eamque iustificari arbitratur, mortua est, & quae una cum mundi uanitate occidit. Et quidem cum spiritus hic electorum animas suum a Dei lumine

{pdf 305, p. 144v}

lumen haurire asserat, id sane mihi dicere uidetur, quod olim Paulus Romanis persuadere conatus est, fidem uidelicet Dei donum esse: alioqui certe diuina absque luce, nulla nostra est fidei uis ac lumen. Domine, inquit, in lumine uultus tui ambulabunt. Quid illud Esaiae? Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Vides accessum ad eum per eius lumen, quae fides et fieri? hanc porro splendorem ortus Dei appellat, propterea quod per solam fidem iustitia Dei oriatur in cordibus nostris, ut idem ait uates: & haec quidem omnia per Christum, per quem aditum habemus ad Deum, ut inquit Paulus. Surge (clamat spiritus) illuminare Hierusalem. hoc est, o tu qui e tenebris ad lucem ex re flagitas, lumen accipe: nam uenit lumen tuum. En, inquit, Dei filius, qui fons est uitae, luxque illa uera, quae illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, lumen omnibus attulit. Lumen igitur istuc a Christo duntaxat petendum erit non ab humana ratione aut arbitrio: aliter superuacaneum quidem fuisset, Dei filium rei illi lumen apportasse, quae per se lucida esset. Venit igitur lumen, cum tenebrae essent super faciem abyssi, sederentque omnes in regione umbrae mors Mirum sane, si cum umbram audis, aut abyssum aut mortem, lucem aliquam imagineris. Iam ante Christi aduentum ad nos, mundus plane omnis in pristinum illud chaos, molemque indigestam reciderat: emergente uero e diuina caligine Christo, actutum uisus est sol, luminariaque illa duo aeterna fidei & amoris, mundo inuecta sunt. Tunc uita, tunc pax, tunc bona hominibus oblata est uoluntas, quae antea mala fuerat, ac a Deo aliena. Cum itaque sic se res habeant, cum inquam is tua omnino misericordia & iustitia, o domine, nostrae omnis salutis summa posita sit, non in humanis uiribus atque arbitrio,

{36.11} Praetende misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his, qui recto sunt corde.

Extende, uertit Fel. misericordiam tuam cognoscentibus te. Ecce quomodo simpliciter absque periphraasi rogat anima se sub tutissimis Dei alis foueri. En iterum quomodo misericordiam & iustitiam, quae fidei summa est, imo uero etiam ipsa fides, in medium reuocat. Extende, inquit, felicissimas gratiarum tuarum alas, e quarum umbra fons aquae uiuae salientis in uitam aeternam beatissima erumpit scaturigine, luxque illa emicat, emanat ue, quae nulla unquam tenebrarum obscuritate intercipitur: sed uiuax semper est, omnia perlustrans, omnia transcurrens, omnia permeans, omnia uiuificans, omnia instaurans, omnia aeternis enutriens alimentis. Caeterum Praetende, quod noster uertit interpres, id prae se fere opinor misericordiam scilicet Dei, seu bonitatem appellare mauis, & iustitiam, nostris concupiscentiarum flammis, tanquam refrigerii uelum praetendi, expandique, quo sane obiecta iustorum peccata, non iam peccata, sed illius generis actiones efficiantur, quae in salutem tandem ac bonum, ut ait Paulus, cooperari queant, his solummodo qui Deum per fidem agnoscunt: cum interim merita illa, iam non merita, quibus nonnulli miserandum in modum intumescunt, nullo spiritus sancti umbraculo operta, in aeternum illis cooperentur exitum ac mortem.

Porro quid aliud putas diuina Christi brachia in cruce expansa, traiectaque durissimis clauis, admonuisse, quam misericordiae aeterni patris alas omnibus apertas, patefactasque, ac nunquam suis amplius dilectis claudendas? Quid uulnus illud crudele lateri infixit? quid caput spinis obduxit? quid mortem tam diram, tam cruentam, tam immeritam, tam lachrymabilem innocentissimo Dei unigenito attulit? nonne misericordia? nonne bonitas? nonne dilectio? En tandem alae, sub cuius umbra pauidae requiescunt animae, temerariae, aut suis in extollendis meritis nimiam procaces. Notat hic quidam cognoscentes Deum, rectosque corde, eosdem esse. Quicumque, ait, uere Deum agnouerit, is & amabit, eoque recto & aequo corde erit, nihil sibi, omnia autem proximis in gloriam Dei quaerente. Fiat igitur misericordia tua, o domine, super nos, quemadmodum sperauimus in te. Ad haec,

{36.12} Non veniat mihi pes superbiae, et manus peccatoris non moveat me.

Affectus in anima pedes sunt: his enim celeribus ueluti pedibus sua habent itinera animae. Sed ea felix, quae recta incedens, neque ad dexteram, neque ad sinistram,

{pdf 306, p. 145}

ut ait spiritus, deflectit. Ad dexteram quidem deflectit, quae fastu superbiae insolescens, primum imitatur angelum: ad sinistram uero, qui Iudam domini proditorem, ob animi desperationem haec enim facile in aduersis frangitur, succumbitque peccatorum oneri, ignorans misera cuius bonitatis is sit quem toties peccando offenderit: illa autem secundis inflata rebus, sibi ob merita, non Christi, sed sua adblandiens, molitur nescio quas excellentiae formas, etiam non aduertens: quibus facile persuasa, in id sane impietatis genus delabitur, ut uita saltem, si non ore, de se illud iactitet, Similis ero altissimo. Arrogans enim sibi quispiam aliqua in republica aut regno dominium, legumque antiquarum abrogationem & contemptum, ius item alias sibi condendi nouas, necesse quidem est quod is aut rex sit, aut regnum affectet, contempto rege. Ita sane anima in superbiae semel fauces coniecta, sacram in primis contemnit legem, legisque autorem, atque propterea eos omnes qui eiusdem legis studiosi sunt. Unde a uero cordis alimento, quod est uerbum Dei, sua se sponte subtrahens, aliud actutum quaerit ex sese, quod propriae excellentiae affectum & amorem appellari consentaneum erit: quo quidem uel summis labiis degustato, mirum quam insolenter sese efferat, se amet, se palpet, sibi tandem & caeca & stupida miserabiliter imponat. Caeterum ab anima sic affecta, sic caeco praepedita iudicio, quid aliud sperandum censes, quam fastum, quam arrogantiam, quam superbiam, quam ambitionem, quam Dei contemptum, atque ob id magnitudinis propriae & excellentiae desiderium? Talem igitur affectum ac pedem in se uenire deprecatur uir sanctus: & ne id quidem solum, sed eos omnes qui tali gradiuntur passu, ad sese accedere non permittat ille qui superborum colla, ut ait quidam, propria calcauit uirtute, instantissime rogitat. Quare sic reddit Paraphrastes: Non perueniat usque ad me pedibus suis superbus. Periculosissima sane res est, cum istiusmodi hominum genere necessitudinem habere, qui se admodum mirantur, se praedicant, ac sese ob animi intemperantiam caeteris anteponunt. Nullus quippe error est, in quem non proruat uir superbus ac se amans. Et manus peccatoris non moueat me. Fel. uertit: Et manus impiorum ne amoueat me. Volunt hic quidam spiritum de his innuere, qui cum mali sint, fingunt se honos, ac per mentitam quandam sanctimoniae apparentiam

uulgi iudicium aucupantur. Alii de obtrectatoribus sermonem esse existimant, quorum impudentia ac ueneno, adeo frequenter atteruntur boni, ut pene interdum ab incepto uitae instituto relabantur, uicti nimirum a tam diro morsu ac dente: uerum innocentia suo contenta testimonio, Deoque nixa, huiusmodi rerum faecem ac luem animosissime tolerat, ualidoque graditur incessu in uia iustitiae. Alii rursus de adulatoribus dici opinantur, quibus & ego assentior. Non me, inquit, a uia Dei, a uita, ab animi rectitudine, mellitum istud adulatorum genus amoueat. Nulla enim maior potest esse pestis in optimatum aedibus, atque aulis principum, quam cum ex illorum familiaribus quis inducit animum, ut ait Comicus, omnia assentari. Quid agat tunc princeps, cum in istius generis inciderit familiares, qui nihil aequae in obsequiis, in sermonibus, in actionibus, familiarique cum principe conuictu curant, quam quomodo, quicquid ille agit, approbent, extollantque, ac crudelissime tam bono domino imponant? impossibile nempe est, talem principem a uia Dei non deflectere: qua quidem amissa, quo infelix sua diriget in moderandis populis consilia? quid boni, quid quod sapientiam referat, expetere unquam poterit? Cadat igitur oportet in uastum errorum barathrum princeps, cui qui uerum dicat, non inuenitur. Verumenimvero ut detur principem aliquando aut Regem, propter adulatorum frequentiam posse falli (quanquam certe non uideo, cur improbis, nuperrimisque magis ciuibus, quam probis, atque ex antiqua patrum nobilitate grauissimis, fidem habere debeat Princeps) in Ecclesiae uero praelatis quis tam foedum non excretur lapsus? Caeterum utcunq; is uersus accipiat, illud pro comperto est, uatem hic improborum uim ac proteruitatem, per pedem superbiae, manumque peccatoris significasse, quorum quidem casum ac ruinam praeuidens, mox addidit:

{pdf 307, p. 145v}

{36.13} Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare.

O horrendum iudicium. Sed o nostram quoque detestabilem in tolerandis aduersis teneritudinem. Clamat quippe lex, clamant prophetae, clamat ipse a summo empyreo Deus, non diu sua in illa mentita felicitate consistere posse improbos: nihilominus tamen, cum infelices eorum quotidie intueamur exitus, ob secundas illorum fortunas angimur, querimurque, ac Deum uolumus omnino suis in aequissimis iudiciis caecutire ac labi. Ibi, ibi, inquit (ne dubitetis) hoc est, tempore illo maxime, quo uulgo dii in terris existimabuntur, suorum scelerum dignas persoluent poenas. Transiui, ait uates alio in psalmo, & ecce non erat: quaesiui eum, & non est inuentus locus eius. Vides ne superbi exitum? uis ne etiam mansueti atque humilis? Permanet, inquit, in aeternum in conspectu eius, Dei scilicet. Ceciderunt igitur olim impii homines a uita, a bono, a Deo, caduntque in dies, ut crebris, ni prorsus plumbei simus, intuemur exemplis. Cadent rursus in posterum, expellunturque tum hic, tum in futurum a facie Dei, in qua summa inest rerum omnium cognitio, iucunditas insuper ac aeterna quies. Non potuerunt, inquit, stare. Vidisti ne unquam fastuosum hominem atque arrogantem elegantior depingi penicillo? omnes enim illius actiones, nedum consilia quidem, atque affectus animi, in incerto semper uersantur motu: adeo ut quid plerunq; sibi uelit, aut cupiat, aut agat quoque, ne Delius quidem ipse diuinaret. non mirum sane: nam secundum spiritus uaticinium, Non potuerunt stare. Surgere, uertit Fel. Idem Paraphr. quae

quidem uox superbis tam apte conuenit, quam quae alia maxime. Non possunt, inquit spiritus, surgere, non possunt respiscere, non possunt per poenitentiam ad uitam regredi: sua quippe sponte obdurati in malis, obcaecati, attritique in rerum humanarum cupiditate & ambitione, non possunt quidem, quia nolunt, quia suus illis placet tumor, quia diuinis ultro reluctantur afflatibus, qui tenebras magis quam lucem, ut inquit Christus, diligunt, quia ad Dei alas, in quibus omne inest bonum, confugere renuunt, sed ad se potius, aut ad magos & ariolos, in tractandarum rerum prouidentia recurrunt. Tu uero fili, clamat spiritus, noli aemulari in malignantibus. Sed alius is est psalmus.

PSALMVS IPSI DAVID XXXVII.

{37.1} Noli aemulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitate.

Inter caetera enim, quibus maxime angi solent ac turbari imbecillis fidei homines, illud potissimum est, cum cernunt improbos quosdam nullum unquam finem suis sceleribus ponere, & tamen sic rebus omnibus quae felicitatem polliceri uidentur, abundare, ut hi soli Deo curae esse uulgo appareant, caeteri uero neglectui quare eousque interdum, ut sunt in fide debiles & queruntur & excandescunt, ut quasi a Deo rationem eorum quae fiunt in mundo, exacturi, cum uate illo clament: Quare respicis contemptores, & taces? quare uia impiorum prosperatur? Bene est omnibus qui praeuaricantur & inique agunt. Plantasti eos (o iudicium inscrutabile) & radicem miserunt. Vide animam ob ea quae fieri in mundo absurda arbitratur, conquerentem, nutantemque in fide: quam sane spiritus in hoc psalmo consolari, atque earum rerum, quarum ordinem ignorat illa prorsus, rationem edocere instituit. Cuius ea est summa, ut quicquid accidat, id totum diuino committatur iudicio: idcirco nihil ultra aut querendum aut expostulandum, cum illa maxime, quae a caecis iudicatur felicitas, fallax sit omnino, fluxa, ac crusta potius felicitatis, quam uera felicitas. Id enim semper uel ab ipsa prima rerum constitutione in terris uisum est, ut impii scelestique homines fortunae bonis, perpetuo ueluti riuo, affluerent: pii uero, utpote, ad meliorem uitam seruati, inedia, atque aeterna ueluti malorum serie, aerumnis tererentur. Quamobrem autem id accidat, seu potius cur id Deo in disponendis rebus humanis moris sit, quis tam audax est, qui hoc interroget? Abstrusa enim plane haec sunt: propter ueneranda magis, castoque silentio, ut inquit Dionysius, praetereunda, quam dis-

[disquirenda]

{pdf 308, p. 146}

-quirenda. Illud uero interim cum uate nostro fatendum erit, Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Maxima proinde fidei pars ea est, uulpes hasce nostras, quae demoliuntur uineam, ut canit sponsa, actutum capere, ac paruulos, dum paruuli sunt, ne in giganteam crescant formam, ad petram, quae Christus est, allidere. Memini equidem, cum nondum prima professionis meae perdidicissem rudimenta, in fideque adhuc tener essem, de huiusmodi, ut mihi tum uidebatur, inaequalitate rerum conquestum me esse. Videbam enim inertes quasdam moles (homines uix eos esse coniectabam, a forma scilicet tantummodo) indoctas, rudes, planeque ab omni probitate, ingenuitateque animi abhorrentes, a sarculis, a rastris, a ganeis interdum extractas, ad honores ac dignitates promoueri, illisque anteponi atque imperate, qui cum literis tum moribus,

tum uitae quoque sanctitate insignes admodum essent. Monstrum illud quidem tunc esse iudicabam: mox uero meum, per Dei gratiam, aduertens errorem, non solum ab admiratione illa mea indocta destiti, uerumetiam sic fieri oportere duxi. Unde illis ipsis, quibus olim inuidendum ferme esse opinatus sum, nunc ex animo compatiar, quororque praeclarissima quorundam ingenia in his occupari, quae aut paruam, aut nullam referunt religionem. Quod si ad communem omnium utilitatem, Deique honorem, illud in primis optandum uidetur, ut bonorum prorsus in partiendis honoribus ac dignitatibus, ratio omnis habeatur, nulla uero improborum: fatendum tamen est, id optime, summaque ratione factum, quod diuino fieri consilio non ignoramus. Tantum illud cupit spiritus, ne secundis nefandorum hominum rebus inuideamus. Alioqui quid aliud est ob fortunatos illorum successus dolere, quam ad ea ipsa, quae illis misere inuidemus inclinari? Noli igitur, clamat spiritus, aemulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Fel. Noli contendere cum malignantibus, seu commisceri: quod est, cum quis certatim cum alio contendit ut superior ea in re, de qua contendunt, euadat. quanquam alius ex Hebraeo simpliciter transtulit, Noli imitari malos. Paraphrastes uero, Nihil te moueat, si sceleratos uideris opulentos, nec illis inuideas prosperitatis tantillum, & uere tantillum,

{37.2} Quoniam tanquam foenum velociter arescent.

Non est scelus quod non audeat uulgus, si suum uiderit principem, atque eos qui rerum potiuntur, sceleste uiuere. Quare id semper natura comparatum fuit, ut filii parentes, serui dominos, plebs principem, oues, ut sic dicam, pastores, in uitae filo ac ratione referant. Via ne Princeps tua aequitatis praecepta a populis seruari? tute prius aequus esto. alioqui parum aut nihil prorsus, ipsius etiam summi Pontificis leges de fraenanda hominum libidine luxuque, & peccandi licentia, mortalium animos mouere posse arbitror, nisi ipse Pontifex, caeterique ecclesiae primates & pastores ea praediti sint uitae excellentia, ut merito absque rubore sancire queant leges atque ordinationes. Haec igitur totius orbis summa pacis uidetur, atque uniuersalis reipublicae Christianae instaurandae, etiam absque Conciliis, ratio, si sic suam instituunt uitam pastores, ut in illis subditi, tanquam in mundissimis speculis, quo sibi eundum sit, contemplentur. Tenacius, crede mihi, uel unicum sanctimoniae exemplum in pastore, subditorum haeret ingeniis, quam mille leges aut ordinationes absque uitae integritate. Haec enim ad pietatem atque obedientiam instituit, illae uero sic sancitae, ad risum & contemptum. Verum tu, si sapis, ob aliorum probitatem ne digitum quidem a recta uiuendi ratione deflectas: neque liuore tete maceres, propterea quod sceleratos uideas fortunae bonis florere, imperitare'ue caeteris. Diuturna enim esse non potest huius generis felicitas, quae in momentaneis fundata est rebus: tanquam sane foenum inarescit. Quid prato uiridi gramine ac floribus perornato pulchrius amoeniusque? uerum a foenisecis caeso, quid nudius, quid inamoenius? Flos enim, aut herba quamlibet uiridis ac uiua, cum primum succiditur, perlanguescit decoremque amittit, atque emoriens in aliam transfertur formam. Sic nimirum ampullosae fortunatorum hominum uitae contingere omnino necesse est, si morbo hi aliquo grauiori aut morte inter-
[intercepti]

-cepti, seu principum fauore denudati, casuque alio repentino perculsi, in aerumnas deciderint. Non perinde quidem cito flos a tenero demessus culmo intermoritur, ac cito fortunae (ut uocant) filius in miserrimam proruit calamitatem, si uel parum ab ipsa deseritur matre. Facti sunt, inquit Dominus, uelut foenum agri, & uirens herba tectorum, quae arefacta est antequam ueniret ad maturitatem. Quare sic reddit Paraphr. Similes enim deprehenduntur foeno, quod exortum minimo durat tempore: & herbae similes erunt uirenti, quae marcescit subito. Quis igitur tam fragilem exoptat amicam, aut amet, aut aliis inuideat, quae excisae in pratis herbae, aut foeno in stiriam collecto aequiparatur?

{37.2} Sicut olera herbarum, inquit, cito decident.

Olera hic herbarum pro ipsis herbis uiuis poni asserunt. Vide quam flaccidae rei comparetur mundi huius prosperitas: idcirco abiecto tam caducarum rerum amore,

{37.3} Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in diuitiis eius.

Fel. Spera in Domino, & fac bonum, & inhabita terram, & pasce ueritatem: seu pasce fide, ut alius ex Hebraeo. Unde sic reddit Paraphr. Fiduciam tuam colloca in domino, & sectare quod bonum est, ut terram inhabites longo tempore, & pascas & augeas assidue de domino conceptam fidem. Tota hic perfectionis summa a spiritu nectitur, quae est, cum fidei, quam in Deum esse oportet, adduntur opera, hoc est, arbori per se eleganti suus etiam fructuum decor additur. Et quemadmodum fidei seu fiduciae proprium est, nudis affectibus nudum sequi Christum, ita operationum illam conuenit diuitem esse copia atque ubertate: imo si desunt opera, fides ea non est, sed mortua quaedam uox & nomen. Vide igitur quid hic spiritus admonet. Curam, inquit, omnem tuam, reiecta procul diffidentia, committe Deo: atque eadem nixus in operando qua credis fiducia, tuas dispone actiones, sic cogitans: Poterit ne Deus me in se sperantem, etiam in rebus huic uitae necessariis, in angustiis, in aerumnis, in tribulationibus deserere, qui suos sic ditat contemptores in hoc mundo, sic ornat honoribus, sic beat, sic in altum euehit ut pene nihil aliud cogitare uideatur, quam ut suis beneficiat hostibus? haud sane quidem credo. Certo equidem scio, quod non illi quidem beati, sed beatus uir qui sperat in eo. Nisi forte instabilem hanc diuitiarum honorumue copiam, & cui summa annexa est miseria, beatitudinem appellandam esse arbitremur. Quare mens uatis haec est, ut nos a falsae felicitatis admiratione, qua improbi ex more sese efferunt, retrahat: idcirco clamat, ueram eam tandem, solidamque, atque ab omnibus expetendam felicitatem, in Deo, non in hoc mundo sitam esse. Caeterum, inhabita terram, id prae se ferre uidetur, quod qui concepta in Deum fiducia nihil non agit, quo tum Deum, tum proximum optimis promereatur actionibus, iam uel in terris beatus sit, ac quicquid contingat, quietus: cum interim aliis, qui fortunati uulgo appellantur, nihil desit quo se iugiter affligant, quod offendat quod molestias die noctuque afferat. Hi certe suis libero nunquam utuntur animo, ille autem semper felix & beatus, etiam in exilio, ac summa rerum inopis tranquillam agit uitam: hi quidem mundo seruiunt, ille imperat: hi uel in mini mio fortunae uulnere anguntur, dolent, insaniunt, ille nec in maximo quidem uultum mutat, sed sapientior eo quotidie fit, quo atrocior fuerit calamitas & crux. Hic profecto diuitiis, ut canit uates, etiam in extrema paupertate constitutus abundat,

recentioribus continue fomentis fidem, quam in Deum habet, enutriens. Pascuntur igitur improbi inani quadam rerum uanitate, illique fidunt: probi uero, & fide, & ut uertit Fel. ueritate, qua certo credunt suis Deum, qui uerax est: deesse non posse, iucundissime aluntur. Sunt porro qui uolunt, maximo cum mysterio illud, quod noster uertit interpres, in diuitiis eius, Dei scilicet, a nonnullis uerti in fide: quo nimirum tandem a mortalibus non ignoretur, diuitias omnes animi in fide Iesu Christi sitas esse. Quare delectare in Christo, mi lector, delectare in eius fide.

{pdf 310, p. 147}

{37.4} Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Id insitum ferme omnibus natura est, ut ea in re, cui fidunt maxime, delectentur. Eam ob rem si quem uidero in diuitiis, in honoribus, in dignitatibus, caeteris huiuscemodi rebus fluxis & caducis, in literis quoque, ac quod nouum forsitan aliquibus uidebitur, sanctis in operationibus tanquam in fine sese oblectare, conquiescereque, hunc sane suis in fortunis ac literis sanctisque actionibus, non in Deo beatitudinem collocasse asseuerabo. Nulla enim in re quamlibet excelsa ac diuina, requiescere mens debet humana, praeterquam in Deo. Proinde quanto potest pectore, e sublimi ueluti turre, hic clamat uates: tu quisquis es qui aliam ab hac, quam in mundo tanquam ludibrium fortunae horsum sursum uersari cernis, felicitatem assequi efflagitas, sine hos hisce in rebus nihili oblectari, suumque bonum statuere: tu in domino, qui bonorum omnium fons est atque autor, delectationes omnes tuas colloca. Ipse, ipse, inquam, non princeps, non mundus, non quicquid usquam conditum est, etiam in secretioribus coeli recessibus ac sedibus, dabit tibi petitiones cordis tui. Cupis ne honores, dignitates, diuitias? A Deo haec quidem petenda sunt, qui aeterna donat: non a mundo, qui mortalia & caduca. Nolite filii, aiebat senex ille sanctissimus, diligere mundum, neque illa quae in mundo sunt. O nos beatos, si iam tandem quam fallax sit mundana haec felicitas uel sero cognosceremus: quamque ea uera sit, quam Christus ab alto crucis ligno suis ostendit familiaribus. Iam illud maximum omnium uidetur, qui fit quod Deus nihil non de illis, quae a suis rogatur, praestare dicitur? Praestat nimirum omnia: nam nihil plane hi rogare possunt, quod totum ad illustrandum Dei nomen ac gloriam, non faciat. Cum enim, inquit quidam, diligas eum, nihil indignum postulabis. hincque illud esse opinor, quod dominus Iesus suos admonuit discipulos, ad hunc modum: Si manseritis in me (en animae in Christo per amorem, quo solo in re amata conquiescimus, oblectamentum) & uerba mea in uobis manserint (en amoris effectum) quodcunque uolueritis, petetis, & fiet uobis. Quis princeps, quis rex aut imperator, quae fortuna id polliceri audeat? Insuperabile enim cor est humanum, nec unquam suos sedare potest motus aut appetentias, nisi illis in rebus quae aeternae sunt quid igitur in multis te torques?

{37.5} Revela domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.

Diuus Hieronymus ex Hebraeo uertit, Volue super dominum curam tuam. Felix uero, Circumuolue secus dominum uiam tuam. Utcunque sit litera, is erit sensus: Tuam illi committe uitam, uitaeque institutum: quicquid agis acturusue es, in illum reiice, speraque te assecuturum quod quaeris: ipse certe, non tu, aut humanum ingenium faciet: hoc est, perficiet omnia, optatumque dabit finem. Ipse nanque est, ne dubita, qui

in te & uelle & perficere operatur. Atqui mens denique ea spiritus est nostram ut excitet ignauiam, non ut alat. Etenim quemlibet suas animose ordiri actiones prout suggesserit spiritus, oportet, caeterum absque cura rei euentum diuinae commendare bonitati. Admonet nos Petrus solitudinem omnem nostram proiciendam esse in Deum, quoniam illi cura est de nobis. Vide igitur quanta debeat esse in Christiano uiro fidei uis, ac robur. Quod quidem elegantissime, ut caetera, expressit Campensis: Committe, inquit, domino statum rerum tuarum: fide illi, optima enim fide curabit & te & tua.

{37.6} Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem.

Difficillima quippe res est, urbem in sublimi monte positam diu latere posse. Iustitiam in hoc loco, ac iudicium, nihil aliud esse interpretamur, quam uniuscuiusque uitam iuste rectoque iudicio institutam: quam quidem asserit spiritus in lucem productum iri, atque eundem adeptura splendorem, quem in meridie esse cernimus: hoc est, uitae huiusmodi ordinatae Deum tandem dignum, etiam in hoc mundo, concessurum praemium. Quandiu enim improbis res omnes ad uota succedunt, probis uero nullae, ut fit, uidetur rerum ordine quo-
[quoddammodo]

{pdf 311, p. 147v}

-dammodo uerso, horum uita sancte aequoque iudicio instituta, in obscuro posita esse: illorum uero qui in flagitiis uiuunt, maiorem in dies nancisci lucem. Verum hisce fortunae bonis tandem expoliatis, in aerumnosumque uitae genus coniectis, expulsis, poenaeque suis sceleribus digna mulctatis, bonorum uita splendescere incipit, laudatur, honoratu, ac tandem meridiano illo lumine, in quo Deus ipse ineffabilibus bonis diues, in sese manens habitat, donatur. Vtram, oro, uitam censes aequae probeque institutam? illorum ne qui mundi huius mancipia cum sint, quoquouersum se uertit fortuna, eo temerario feruntur impetu, agunturque non secus, ac solet turbo ludicrus in gyro ui actus: an horum qui cum in mundo sint, ut ait Christus, de mundo non sunt? hoc est, quibus nihil iam in terris placere potest, quod iustitiam, quod rectitudinem, quod diuinitatem demum quandam non referat. Id ne an illud uitae genus putas dignum esse, cuius Deus rationem habeat, cuique suum impartiat lumen? Diuino certe lumine in his qui republicas, regiones, religiosasque familias moderantur, extincto, quo se uertant miser? unde in tractandarum rerum labore uigorem sument? unde iustitiam addiscent unde aequitatem? Tu fili, inquit spiritus, non propterea quod res uideas humanas eo se habere modo quem dixi, frangaris animo: tantum tu

{37.7} Subditus esto Domino, & ora eum.

In omnibus, inquit, diuinis obtempera consiliis, haud quaerens quidem, cur id magis quam illud fiat in terris: oraue eum, ut abs te, alioquin ingenio temerario & curioso, queat perfici. Verum alia Hebraeis est litera, idem tamen fere sensus. Diuus enim Hieronymus sic: Tace domino, & expecta eum. Alius uero: Sile domino, & formare ei: hoc est, tacitus absque murmuratione omnia Deo permitte, teque adeo diuinae attempera uoluntati, ut ab ea, ueluti in utero foetus, formeris, ad illaque sine querelis

amplexanda instituaris, quae sic fieri decreuit Deus. In silentio enim ac spe tota fere Christianorum sita est perfectio. Dominus, inquit Moses, pugnabit pro uobis, & uos tacebitis. Expecta dominum, uertit Fel. & expecta ipsum. Idcirco sic Paraphr. Patienter expecta dominum, & fer aequo animo, si quid ab illo tibi immittatur aduersi: neque contristeris, si uideris alium quempiam felicius augere sua, quod saepenumero sceleratissimo cuique euenire solet: quod est, quod noster interpret transtulit,

{37.7} Noli aemulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias.

Felix sic: Ne contendas, seu commiscearis cum producente ad prosperitatem uitam suam, cum faciente scelera. Eandem plane sententiam hic repetit uates, quam in superioribus dixit, nempe bonos haudquaquam fortunatis improborum successibus moueri debere, sed tacitos diuina praestolari iudicia. Tempus uero, quo res in melius uerti debeant, is solus nouit, cui & praeterita & futura aequae ut praesentia nota sunt: quae quidem res propria Dei est, non hominis: cuius sane tantummodo interest, quicquid emergit noui, diuina uenerari consilia, illisque gratias agere, quorum absque nutu ne minimum quidem arboris folium tremat & mouetur, gemmae uero uite intumescit. Quocirca

{37.8} Desine ab ira, & derelinque furorem: noli aemulari ut maligneris.

Vide quam prudenter uir sanctus nos ab aemulatione inuidientiaque illa qua infirmioribus natura inest animis, auocet. usqueadeo enim interdum hi ob improborum felicitatem stupidi efficiuntur, ut ne ab excandescencia quidem atque in, & coelum & terram querelis commiscentes, se temperent. Cum uides, inquit Euthymius, iniustos homines in secunda esse fortuna, noli irasci aut indignari contra eos, quasi praeter id quod par est, prosperentur: neque tecum ipse illud doleas, quod ob summum tuum erga uirtutes amorem potius infeliciores sis. Non desunt etiam, qui hunc uersum de non referendo par pari in iniuriis interpretentur, ut sit sensus: Non reddas malum pro malo, non maledicta regeras, non quaeras uindictam, ut & tu, dum te ulcisci quaeris, fias illi similis qui malum intulit. Maleficiosus est fa-
[fateor]

{pdf 312, p. 148}

-teor, caue ne tu quoque idem sis, dum eadem quae in aliis reprehendis, efficis. Verum prior sensus ad superiora aptius quadrare mihi uidetur: unde sic reddit Paraphr. Cohibe animum tuum ab ira, & pelle furorem, ne sic incendaris, ut illorum sceleratorum exemplo, ad perpetranda similia animum inducas. Caeterum illud notandum, a Felice fere semper Contendere aut commiscere, pro aemulari reddi: cuius uerbi interpretationem in superioribus persecuti sumus. Nunc ad reliqua.

{37.9} Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum ipsi haereditabunt terram.

Noxii enim malignique homines non regnabunt semper super terram, ut ait Salomon: tantum hi quibus coelitus missa est crux, animum in persecutionibus non despondeant superandis nanque aduersis nisi tandem longo indurescat usu cor, in amoremque rei illius quae in adipiscenda animi pace necessaria est, licet gustu acerba atque amara, trahatur, nunquam in Deo firmari poterit, in quo solo uera est pax & quies. Quid enim habent improbi in hoc mundo, aut ferunt, quod idem anxietatum bellorumque plenissimum non sit? Nam Christo, qui pacis illius, quam omnem superare sensum affirmat Paulus, autor est, ab expetendarum rerum aut agendarum quoque fine excluso, quid aut iam expeti aut agi potest, quod continuis curarum gyris non implicetur? Contra uero his euenit, qui in omnibus suum sibi semper Christum, uirtutum omnium archiuum atque exemplar, proponunt: quibus ipsa quoque totius orbis confusio & fluctuatio in tranquillitatem cedit. Tantum illud auet spiritus, ut non solum id animose fortiterque, quicquid illud est quod sors affert humana, feramus: sed & considerate ac sapienter, ne quid in uiro probo, casu fortuitoque fieri cernatur, longe antequam accidat, praeuideamus. Etenim eo ex usu quidam formatur in nobis habitus, quam patientiam appellamus: qua nimirum obtenta, Christum in nobis innouari, seu, ut inquit Paulus, reformari in dies magis sentimus: cuius porro tanquam benignissimi hospitis, tum ope tum donis in eam euehimur magnitudinem, ut mundo facile imperemus, rerumque omnium conditarum possessionem, haereditario ueluti iure adeamus. Atque id sane est quod hic uates asserit, sustinentes scilicet, seu, ut uertit Fel. expectantes dominum haereditare terram. Beati, inquit dominus Iesus, mites, quoniam ipsi haereditabunt terram. A patientia quidem mitescere incipimus. Verum ne diutius divina nos mora torqueat, admonet uates, breui id quidem futurum, cum ait:

{37.10} Et adhuc pusillum, et non erit peccator: quaeres locum eius & non inuenies.

Breuisse, inquit Paraphr. sic interibit impius, ut ueteris pompae, qua admirationi fuit multis, nihil reliquum uisurus sis. Paululum sustine, uertit Hebraeus interpres, & impius non supererit: cumque aduerteris ad locum eis, nullus aderit. Intelliges uero in loco eius, uertit Fel. hoc est, considerabis locum eius. Haec quidem uel sola, maxima omnium deberet esse timidus consolatio, cum legunt nefarios homines breui excidendos, adeoque penitus suis illis a tumidis deiiciendos sedibus, ut nunquam fere extitisse uideantur. O diuinum iudicium, o deploratas animas. Quot uidi ego aliquando ex humili fortuna, tanquam e trito sepulchro, ad urbium magistratus, regionum, religiosarumque aedium dominium, seu a principe, seu a sorte nescio qua ascitos, ad tantam animi impotentiam, tumoremque deuenisse, ut prioris penitus, seu humanae potius conditionis obliti, tanti iustitiam, aequitatem, religionemque fecerint, quanti sues gemmas spurcissimi. Hi tamen repentina consternati fortunae indignatione, ita in nihilum resoluti sunt, ut cum illorum fastu, & uita, & res, & locus, & quicquid illorum mortale uspiam fuit, una interiisse uisum sit. Quo uero animae sic male de religione Christiana merita abierint, humani haud quidem est ingenii id uelle inquirere, uel diffinire: haec ei omnino sunt. Quod autem ad nos attinet illud certum est, mortalium omnium animas Deo curae esse: quae uero sint eius, quae ue sint in aeterno praedestinationis diuinae libro conscriptae, ipse solus nouit. Ego ut de me aliquid dicam, maximo cum timore quid de me futurum sit operior: meamque cum tremore & me-

[metu]

{pdf 313, p. 148v}

-tu, ut me admonet Paulus, salutem operor: de aliis uero nulla mihi cur, nisi e quidem, qua omnes cupio, oroque in Christo Iesu saluos esse. Caeterum illud considerandum, quam continua rem narret uates antithesi: Quaeres, inquit, locum eius, nefarii scilicet hominis, & non inuenies.

{37.11} Mansueti autem haereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

Idem ferme superioribus cecinit dicens: Sustinentes dominum ipsi haereditabunt terram. Porro pax, tranquillitas illa animorum est, qua quis adeo fortiter suos omnes mentis affectus, ad mutabiles rerum euentus componit, ut quicquid contingat, id totum in suum pertrahat colorem, omnibus in rebus eam seruans animi aequabilitatem, quae uiro non tantum Stoico, quantum Christiano conuenit. Sedebit, inquit dominus in Esaia, populus meus in multitudine pacis. Is enim sic Deo per fidem unitus, hoc utitur mundo tanquam mancipio, illi uero tanquam domino ac Deo. Is imperat, illi obsequuntur. Is continuo quodam pacis tenore, etiam inter tela & neces, tranquillam agit uitam: illi etiam in medio ipsa fortunae sinu obdormiscentes, miserrimam. O rem pene dictu incredibilem. Vide, ore, ad quem felicitatis gradum adsciscitur anima, sic ad rerum instabilitatem composita silensque domino, atque illius se totam committens prudentiae, ut illi scelestissimus quisque quamlibet primarius inuideat.

{37.12} Obseruabit, inquit, peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis.

Obserua liuoris naturam atque effectum Est sane usus uerbo admodum peruersae uoluntatis hominibus apto: obseruat enim quis aliquem (de obseruantia illa, in qua summa inest admiratio & reuerentia, non loquor modo cum eum & oculis & animo, in modum speculatoris ita custodit, ut nihil aut loqui, aut agere is queat, quod illum latere possit: & id propterea quidem, ut ampliorem calumniandi occasionem habeat. Qui porro non contentus uidisse, diligenterque omnia, quae ab eo, quem odio insectatur, sanctissime interdum peraguntur, obseruasse, alia confingit, surrogat, defert tandem, ne quid totius malitiae cumulo de fuisse uideatur: qui quidem cumulus tum ad summum usque exuberat, cum illi qui tam nefandum ignem restinguere deberent, non solum illum fouent, sed etiam emunt, ac tanquam peregrinas merces in bonorum omnium perniciem deuehant. At uide quam uehementer inuidiam indignationemque improborum contra innocuos, puritatisque cultores exprimit, cum illos canum more infrendere dentibus asserit. Malitiose cogitat de iusto improbus, uertit Hebraeus: & nudat, seu frendit, ut Fel. super eum dentibus suis. Atqui ex tam periculosa inuidorum rabie permotum quondam fuisse Apostolum arbitror, cum Philippenses admonuit dicens. Videte canes, uidete operarios malos, uidete concisionem. Quam quidem prudentissimam Pauli admonitionem non tantum ad illos pertinere iudico, in quos diri isti canes facile ob uitae innocentiam desaeuire soliti sunt, quantum ad Principes, rerumque publicarum ministros: quorum omnium illud praecipuum munus est, ut

diligenter perpendant, ut ait Epictetus, quis est qui loquitur, aut de quo. Verum utcumque conuieat in rerum delectu summatum ignauia, illud in primis summa debet esse piis consolatio, quod

{37.13} Dominus irridebit eum, quoniam prospicit quod veniet dies eius.

Huius uersus sensum sic cum superiori nectit Paraphr. Conabitur impius iustum subuertere, & frendet aduersus illum dentibus suis: dominus autem ridebit minas illius: nouit enim, quam sit in propinquo tempus, quo ipse peribit. Non parum quidem, quod alias admonuimus, nostrae officit saluti, cum nostris in metiendis aduersitatibus, considerandaque diuturna solummodo, ut nobis uidetur, improborum in innocuos petulantia, malumque struendi licentia, Deum pene in iudiciis anteuertimus. Vis ne, o amice, plenissimam undequaque mentis adipisci tranquillitatem, arrham nimirum coelestis patriae ac uitae? Quaecumque in terris contingant, tu tantum reuela domino uitam tuam, & spera in eo: quod uero superest ipse faciet, dabitque rebus exitum non quidem secundum desideria

{pdf 314, p. 149}

cordis tui, praepropera sane interdum nimis & praecipitantia, sed secundum beneplacitum purissimae suae uoluntatis in Christo: qui cum sit ante omnes ut inquit Paulus & omnia in ipsum constent, sitque caput corporis ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, per ipsum pacificans, per sanguinem crucis eius, siue quae in terris, siue quae in coelis sunt, poterit ne suos tam forti sibi nodo, ut est eius sanguis, adglutinatos, adeo sub aduersitatum mole sinere laborare, ut desperent omnino? spera, spera, inquit, in domino, & ipse faciet. Faciet, dico, cum tentatione prouentum, ut possis sustinere. Nam certe illius est bonitatis Deus, ut non det in aeternum fluctuationem iusto. Caeterum dies cum uarias habeat in scripturis significationes, interdum, ut hic, pro uniuscuiusque exitu atque euentu intelligi oportet. Unde illud quoque est, quod in Iob libro legimus: Super die illius obstupescunt. Dei risu porro Dei, atque subsannatione, cum alias tum maxime in secundo psalmo est dictum. Sed iam irae uehementia in noxiis quanta sit, satis admodum compendiose in sequentibus explicat, cum illos facit, educto e uagina gladio tensoque arcu, iustissimos quosque adoriri.

{37.14} Gladium, inquit, euaginouerunt peccatores, intenderunt arcum suum.

Hunc nimirum, ut clam: illum, ut aperte offendant. Qui enim gladio, aut ense coram quempiam adoritur, ui id agit aperta, atque ut sic dicam, ingenue: qui uero arcu, is prius uulnus infigit, quam saucius se insidiis circumuentum sentiat. quoniam, inquit in alio psalmo, intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra. Quamobrem, obsecro, tantus sagittarum apparatus? ut sagittent, ait, in obscuro, hoc est, ex insidiis, rectos corde. Quid illud? Intenderunt arcum (rem amaram) ut sagittent in occultis immaculatum. Vtroque igitur armorum genere noxium, maleuolorum hominum in eos,

qui tum de Deo, tum omnibus de rebus recte sancteque sentiunt, quosque hic uates pauperes, inopes, & rectos corde appellat, & animum & apparatus exprimens, ait:

{37.14} Ut decipiant pauperem & inopem, ut trucident rectos corde. Sed

{37.15} Gladius eorum intret in corda ipsorum.

Vulnere scilicet. Nam cordi aut telo aut pugione traiecto, nulla tam efficax, praesentaneaue adhiberi potest medela, quin statim intereat saucius.

{37.15} Et arcus eorum confringatur.

Ex Hebraeo potius per futurum legi par est, quam ut noster uertit interpret. Sic enim reddi posset: Gladius eorum penetrabit in cor eorum, & arcus eorum frangentur. Quis hic iam non uelit eam assequi iustitiam, qua habita, tam chari Deo efficimur, ut pene illum oculis intueamur corporeis, ex hostium nostrorum manibus tela excutere, arcusque in nostrum exitum tensos perfringere, ac eundem ipsum gladium, quo nos interimere posse existimant, in illos ui ea retrorquere [sic, retorquere, 1549], ut medio prorsus corde transfodi uideantur? Ne dubites, inquit: pugna haec, quae in Christi pauperes excitatur, haud iam in Christi pauperes solum, sed in Deum ipsum excitatur. Is enim, non tu, o homo, pro te in acie stat: sibi que factum putat, quod suis fieri membris, siue beneficium illud sit, siue damnum, aut iniuria, uiderit. Quare illud apte admodum ab Apostolo est dictum, cum fatebatur se adimplere ea, quae deerant passionum Christi in carne sua pro corpore eius, quae est Ecclesia: quasi Christus (uah charitatem immensam) non satis habuit suo in corpore tot diros per tulisse cruciatus & iniurias, nisi & eadem ipsa in suorum corporibus perferret. Siue igitur aperto, ut uocant, marte, manifestaue ui & contumelia te inuadat homo, aut daemon: siue clam & dolose, ut solent maledici & obtrectatores, ne in fide Iesu Christi titubes & desperes, a spiritu admoneris, simulac asserit iniurias istas omnes diuina manu infringendas: alioquin ea est in nos amoris magnitudine Deus, ut tum demum nos totos penitus suos esse uelit, cum nos uelimus, totique interim nihil in fide haesitantes ab eo pendeamus. Bonum quidem est: quid bonum aio?

{37.16} Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.

{pdf 315, p. 149v}

Vide quam amanter in fide tenues enutriat spiritus. Si, inquit, optio daret, o tu, quisquis es, cui cum inedia ignominiaue apud homines maxima est conflictatio, amplas ne sceleratorum hominum diuitias, honores, pecunias ue partim ui, partim nefandissimis usuris, exactionibusque e uita pauperum, miserorumque cuium ac uiduarum exactas eligeres, an simplicem & puram uiuendi rationem pauperiemque illam, quae paucis minimisque contenta, nihil aliud uult, aut expetit, nisi quod naturae usui honeste suppetit, eo sane suas omnes dirigens appetentias, ubi uerae sunt diuitiae, ubi ueri honores, ubi ampla bonorum omnium possessio, quae Deus est, inuenitur? Quam satius (mihi crede) quam tutius, quam honoratius esset paululum habere, ut reddit Paraphr. & partum iuste, quam diuitias plurimas, quomodo habent eas improbi, quomodo, inquit,

hoc est, tanta anxietate, tanto strepitu, tanta turpitudine & infamia, non dico partas, sed inuita iustitia proiectoque pudore ac religione, e sinu ipso calamitosae multitudinis congestas? Non hic quidem diuitias iuste acquisitas a spiritu damnari arbitror, modo io eum transferantur usum, qui pius sit ac Christianus. Qualis uero is esse deberet, non est praesentis instituti definire: quod si definirem, insolens forsitan, & nouum uideretur, non quod nouum quidem sit, sed quod a mortalium memoria una cum suo autore Christo iam plane exciderit. Reuocato enim Christo, innouatoque in nobis spiritu, reuocabitur & prisca illa uiuendi ratio ab ipso coepta, a nobis uero penitus oblitterata. Tantum id dico quod hic me docet spiritus.

{37.17} Brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iustos Dominus.

Hoc est, quaecumque illa sunt, in quibus confidunt improbi, illisque nituntur, a domino breui confringentur, siue diuitiae illae sint, siue honores, siue dignitates, aut quicquid illud sit, in equo sperant diuites. Idem ferme uaticinatur Hieremias: Cornu, inquit, confringetur, & brachium conteretur auari. O curam Dei in miseros. Illis, inquit, infelicitate cadentibus, iusti a Deo iustitiae ipsius autore, perpetuo stabilientur robore. Huiusce quidem mirabilis iudicii tum uisum est praeludium, cum in aeternam proruentibus miseriam primis illis angelicarum mentium choris, caeteri diuina suffulti manu stabiles in Deo permanserunt: a quo tamen (uide quid boni potuerit tunc quoque liberum arbitrium) nisi Dei suffragata esset bonitas, irreuocabiliter desuissent. Descendit pluuia, clamat Christus, uenerunt flumina, flauerunt venti, et irruerunt in domum iusti, et non cecidit: fundata enim erat supra petram. Unde id quaeso? Quia

{37.18} Novit dominus dies immaculorum, et haereditas eorum in aeternum erit.

Nouit, ait alio in psalmo, uiam iustorum, & iter impiorum peribit. Pulchre enim admodum dies immaculorum illi opponit, quod supra dictum est: Dominus irridebit eum, quoniam prospicit quod ueniet dies eius. Non mirum, inquit, si confirmat iustos dominus: nam ipse, quod est eius naturae praecipuum, agnoscit eorum dies: hoc est, eorum uitam approbat, dirigit, suoque fauore fulcit, curat, fouet, protegit, tutatur, perindeque enutrit, ac solet tenellos infantes nutrix. Quare eorum haereditatem aeternam esse oportet, non momentaneam, et illam quidem, quae infinitis litibus obnoxia sit. Nonne, ut inquit Paulus, haeredes sumus Dei, cohaeredes autem Christi? Quibus uero bonis Christus usus sit in hoc mundo, nulla certe inuenio praeter persecutiones, famem, sitim, moerorem, inedia, angustias, aerumnas, tentationes, ac crucem tandem: hae sunt quidem delitiae, diuitiaeque, quas suis dominus cum pacis codicillo & charitatis, ab humanis discedens reliquit: haec bona, inquam, sunt, quorum participatione iure ueluti haereditario in Christi familiam traducimur. quanquam ne id quidem unquam filiis Dei ueram esse haereditatem existimo, quod aeternum idem non sit: quocirca ea omnia quae in Christi uita nobis imitanda proponuntur, non haereditas, sed gradus ad haereditatem illam, qua Christo cohaeredes efficimur, appellanda erunt. Caeterum quomodo terrenis in facultatibus nostram nos ueram, qui imagini filii Dei conformes fieri speramus, expectamusque, ut inquit Paulus, corpus humilitatis

{pdf 316, p. 150}

nostrae configurari corpori claritatis eius, statuimus haereditatem? Regnum meum, clamat Christus, non est hinc: hoc est, hisce rebus caducis ac transitoriis minime constat: & nos qui tam felicitatis membra uideri uolumus, nihil tam ardentem uel cupimus, uel amamus, quam quae mundus falsa plerumque fide pollicetur. Vanissima haec igitur bona, quae in fortunae arbitrio posita esse cernimus, nostra sint haereditas, si post mortem nihil in homine superest reliquum, ut ferme sibi persuasisse nonnullos etiam sublimis uitae ac professionis uiros in Dei ecclesia suspicor, cum eos cerno nulli rei tam tenaciter affixos esse, quam mundo & carni: & tamen id non nesciunt, quod qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vera igitur proborum haereditas aeterna est: quare peregrinos sese fatentur in hoc mundo, non ciues. Hoc sane illis persuaso,

{37.19} Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt. T

Haereditas, inquit uates, iustorum aeterna erit: peccatores uero, atque illa omnia, quae sibi effingunt bona, simul cum ipsis interibunt. Summa enim haec est omnibus in scripturis conclusio, probis quidem uiris aeternam deberi uitam, improbis autem aeternam mortem. Vtri uero sectae magis adhaerendum sit, tu mi lector iudica. Num te praeterit, epulonem illum diuitem sua in terris recepisse bona? Lazarum autem, hoc est, pauperem spiritu, atque in Christo nudum, mala? Caeterum sensum huius uersus sic reddit Paraph. Non frustrabuntur spe sua, quando alios inuoluet temporis infelicitas: & aliis fame laborantibus, ipsi saturabuntur. Tempore igitur illo, quod malum appellat uates, in quo mundus uniuersali quadam labe, inedia, ut nunc fit, bellis, aut aquarum diluuiis, deuastatur & laborat, tuti hi soli sunt, qui spem suam omnem in Deo statuunt, idcirco quod nihil tam acerbum ac triste in hoc mundo accidere potest, quod illis dulce non sit ac tolerabile, quippe quibus iam pectus ad id genus iniuriarum, per Christum, induruit: quibusque illud in primis compertum est, omnia quae hic fiunt, a sapientissimo Dei consilio proficisci: nec esse in rebus conditis quidpiam tam ab hominum usu abhorrens, quod a Christiano uiro non queat uinci. Contra uero improbis omnia dura sunt, inaequalia, aspera, mortifera, licet rerum illarum copia abundant, quae cum animi tranquillitatem polliceantur, nihil minus tamen praestant, Verum secreta ab humano prorsus sunt intellectu huiusmodi Dei iudicia, quae cum quotidie a supremo illo arcanorum coelestium thesauro ad nos usque descendere conspiciamus, ob fidei tamen tenuitatem, atque in rebus nihili occupatum animum, non solum ignoramus, uerumetiam cum sic fieri aut audimus, aut cernimus, uti noua horremus, & pertimescimus. Amantibus certe Deum omnia abunde suppeditantur: non amantibus autem, quid excogitari potest, quod satis sit? Est & aliud famis genus eo periculosius, quo ad animarum magis quam corporum interitum attinet. Euangelii quidem, atque adeo Christi Iesu famis haec est: qua qui affecti sunt, aut moriantur necesse est, aut in continua uiuant miseria: & maxime cum qui frangat panem, ut queritur dominus, non inuenitur. Impurissimis igitur omnibus a tam sancto edulio, ut Christus est, amotis, puro hi qui sunt animo plenissimis quod aiunt crateribus exaturantur:

{37.20} Inimici uero domini mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.

Quantam hic mihi consolationis uim sentire uideor, simulac suos sibi Deus reputat inimicos, qui probis infesti sunt. Verendum itaque minime nobis est, ne fortior iustorum pars sit, & causa melior, quam illorum, qui cum dii fere in terris habeantur, ut fumus tamen in auras resolutus, euanescunt. Naturam porro fumi eam esse conspiciamus, ut dum durat, non solum laedat oculos, uisumque impediatur, ac nitentia obnubilet, uerumetiam & solem & diem, & coelum quoque ipsum obscurare uelle uideatur: is tamen uel breui mora, dictum, factum, in nihilum relabitur. Haud diuturniori quidem felicitate illi beati sunt, qui cum uanissimis rerum ineptiis inseruiant, fumososque etiam cum iustitiae [sic, iustitiae, 1585] ac probitatis iniuria se-
[sectentur]

{pdf 317, p. 150v}

-ctentur honores ac magistratus, & obtineant quoque, nihil antiquius habent, quam ut Deum contempnant, bonos opprimant, ac quicquid luminis in terris est, fastu atque arrogantia extinguit. Verum haec diu non tolerat Deus: nam simul ut praescripto honorati fuerint termino, suumque in exitium exaltati, uelut fumus ex templo occumbent, ac desinent: seu, ut reddit Paraphr. non alter quam adeps agnorum, qui adoletur super altare, finem capient, una cum fumo deficient. Sic enim is uersus Hebraeis est: Quoniam impii peribunt, & inimici domini uelut adeps agnorum defecerunt, in fumo defecerunt. quod dictum quidam putant, ut quam facile id, quod spiritus comminatus est, futurum sit, lucidius exprimeretur. Ait igitur, Dei hostes ea consumendos celeritate, qua agnorum adeps & pinguedo igni imposita consumi solet, atque (alludit enim ad ueterem sacrificandi morem) in aerem cito cum fumo ipso desitura sustolli. Non desunt etiam qui loco adipis, lucem, seu preciosum camporum, aut planitierum, poni debere arbitrantur: quae quidem omnia quemadmodum solo ictu oculi circumspectantur, ita et unico prospectu praeterlabuntur. Horret sane animus cum terribilis illius mihi uocis e coelo audita in mentem uenit: Quantum glorificauit se, inquit, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Sedeo regina, & uidua non sum, & luctum non uidebo. O fastum, o arrogantiam: en quid te maneat inspice. In una, inquit, die uenient plagae eius, mors & luctus & fames, & igne comburetur: quia fortis est Deus, qui iudicabit illa. Ecce uides quomodo Dei hostes in una die, hoc est breui temporis interuallo, suorum scelerum luant poenas. Vis ne iterum breuissimo, ut sic dicam, compendio diuitis huiusmodi, qui diuitis paret, non imperat morem omnium turpissimum agnoscere?

{37.21} Mutuabitur peccator, & non soluet: iustus uero miseretur & commodat.

Illud ante omnia considerandum est, quomodo noster interpret a spiritu (opinor) admonitus, peccatorem absolute diuitem illum nuncupet: Hebraeus uero impium, cui diuitiae oneri sunt atque iacturae, non dignitati & commodo. Is enim cum ualde rebus omnibus, quae ad mundum attinent, & honorifice abundet, si cui tamen quid debet, aut non reddit omnino, aut aegre quidem, quantulumcumque illud sit, reddit. Adeo miseram hanc caducarum rerum cupiditatem tanti quidem faciunt. E contrario uero iustus, hoc est, qui se continue ad probitatis regulam, qua est in Christo, componit, ultro

etiam illos quibus nihil debet beneficiis afficit, is iuuat omnes, illisque nulla habita ratione amicus ne sit, an inimicus, sua impartitur bona: & id quidem nullo alio punctus stimulo nisi misericordiae. quem sane affectum cum duri illi diuites ignorent, omnibus suis in rebus & actionibus difficiles sint oportet, inexorabiles, dirique, truces, & propterea impii. Ex qua quidem misera illorum conditione illud proculdubio concludi potest, pauperrimos omnium illos esse, cum tamen opulentissimi uideantur, quippe qui nec in debitores quidem rerum earum quas illis debent, uel mediocriter benigni est audeant. Iusti uero, quamlibet fortunae tenuis sint ac facultatis, ita in egenos atque alios saepenumero liberales sunt, ut merito ditissimi uocari queant, duo interim assecuti laudum genera, unum quidem liberalitatis, alterum misericordiae. Caeterum quemadmodum illorum interpretationem non improbo, qui uersum hunc de ingratis illorum more interpretantur, qui cum & corpus & animam, & caetera a Deo dona, tanquam talenta mutuo acceperint, non soluunt tamen, non gratias agunt, multiplicatumque non reddunt fructum. Iusti autem bona illa sua omnia, quibus merito iusti appellari debent, caeteris largiter impartientes, seseque omnibus secundum gratiam quae data est eis, ut inquit Paulus, attemperantes, domino suo, multo auctum foenore reddunt pecuniam. Quemadmodum, inquam, hanc tam piam non improbo interpretationem, imo etiam uero & laudo & exosculor, ita paululum a sensu, quem in hoc versu requiri uult spiritus, deflectere suspicor. Verum prudentiam hic mihi tandem iusti considera, qui idcirco miseretur, et commodat,

{37.22} Quia benedicentes ei haereditabunt terram, maledicentes autem ei disperibunt.

Nouit enim uir iustus, quod quicumque ei, Deo nimirum benedixerint gra-
[gratiasue]

{pdf 318, p. 151}

-tiasue egerint, atque aliis sibi concessa diuinitus beneficia communicauerint, nihil interim quaerentes quod suum sit, sed quod aliorum ac Iesu Christi, ut inquit Paulus, hi demum summa animi pace terram hanc quoque, alioquin impuris magis, quam candidis mentibus fauentem, feliciter possidebunt. Qui uero maledixerint, blasphemisque pro gratia tam benefico domino retulerint, peribunt omnino, hic quidem inopinato miserrimoque euentu ac morte, ut frequentibus quotidie intuemur exemplis, illic postea futuro in seculo ac resurrectione, a uera uita, quae Deus est, eiecti in perpetuum protrudentur ignem, in quo animas infelicissimo mortis genere uiuere cedimus, sed ea uitae conditione, ut mallent quidem non esse omnino, quam sic esse miseras. quanquam aliter sentiunt nonnulli, qui uolunt animas illas miseras malle esse miseras, quam non esse omnino: uerum meam simpliciter protuli sententiam, nec adhuc compertum habeo, quid aut honoris aut commodi mihi afferre queat ens illud suum tam nobile, cum perpetuo miserum sit. Fel. hunc uersum aliter ex Hebraeo legit.: Quia (inquit) benedicti ab eo haereditate accipient terram, & maledicti ab eo exterminabuntur. quae quidem sententia adeo uera est, ut mirum sit, si cui in dubium uertatur. A diuina enim benedictione nostrum omne bonum originem habere, a maledictione uero malum, non est qui non fateatur. Et quod sane malum, unde oritur maledictio, nostra a uoluntate, atque obstinato in peccatis proposito, emanare certo scimus, bonum uero a mera

diuinae benedictionis gratia & largitione. Sunt & qui illud, ei, ad iustum referant, non ad Deum: quo minime ignoretur tam charum Deo iustum esse, ut his quoque bene esse uelit, qui ei benefecerint: perire autem illos, qui male. Tanta erga suos Deus afficitur cura, ut quicquid uni ex suis quamlibet minimis quis fecerit, sibi factum dicat. Huiusce porro ueritatis umbra tunc fuit, cum Iacob ille simplex a patre subrepta pene de manu fratris benedictione audiuit: Qui maledixerit ubi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Illud quoque ad Abraham: Benedicam benedicientibus tibi & maledicam maledicentibus tibi. Verum litera quae a Felice legitur, sequentibus magis quadrare uidetur.

{37.23} Apud dominum gressus hominis dirigitur, & uiam eius uolet.

A domino, clamat Salomon, diriguntur gressus uiri, & quis hominum intelligere potest uiam suam? Non est quidem consolatio suauior, non afflatus diuini, non testimonium intus in mente iucundius, quam cum in spiritu certi reddimur quod filii Dei sumus. Iacto proinde hoc fundamento, confirmatoque huiusmodi fidei testimonio intra nos, non possumus non fateri nos summae curae esse Deo, atque id circo ab ipso, ut solent filii charissimi a parentibus, foueri alique, ac, ne in tortuosis uitae huius semitis deerremus, dirigi. Itaque cum rem aliquam aut cogitatione aut actu quoque, uel molimur, uel incoepamus, cursus quidam est atque iter, quod, ut rectum sit ac dignum in quo laboretur, a Deo formari necesse est: alioqui quaecumque in homine, tanquam ab homine concipiuntur, aut extra per operationes exeunt, infirma sint oportet, & momentanea. Sunt ne fortioris naturae aut roboris homines quamuis grandaeui in uia iustitiae, quam sunt pueri in firmandis suis illis passibus & gressibus? Si hi quidem adeo infirme titubant, ut aut cadere uideantur, aut cadant omnino, num sese, ex se, ne cadant, continebunt, prostratiue se erigent ex se, an a nutrice? Delapsi certe & eiulatibus & uagitibus opem quidem implorare poterunt, se uero e terra erigere neutiquam. Non maiorisque, ut dixi, sunt roboris homines in peccata prolapsi, ausique quicquam, quod suam ad salutem spectet, aggredi proprio sensu & consilio: proinde uana illa esse omnia quae ab homine facta sunt, quaeque fiunt in praesentia, & quae in posterum facturi hi sunt absque Deo, asseuerare fas sit. Qui quidem Deus non idcirco liberum homini concessit arbitrium, ut ipse excluderetur: sed ut, quemadmodum donorum omnium quibus copiose ditati sunt homines, autor est & erogator, ita eorundem ipsorum adiutor sit ac conseruator, imo excitator: alioqui perpetuo oblanguescerent ocio ac somno. Manifeste hic docemur, inquit Euthymius, quod absque

{pdf 319, p. 151v}

diuino auxilio, homo per se nullum operari potest bonum: promptitudini autem nostrae cooperari solet Deus. Caeterum quid sibi uelit, Et uiam eius uolet, interpretes Hebraeus aperit: Et uiae, inquit, eius fauet: seu prosperabit, ut uertit Symmachus. Non mirum quidem: nam rei illi, quam quis charam habet, qui non faueat? Amat enim Deus suos, suaque in illis conseruat munera, atque in dies magis accumulatur. Quare quicquid in hoc uasto peregrinationis uitae itinere uir probus agere instituit, id Deus uult, id approbat, id dirigit, illique perpetuo fauet. Quocirca

{37.24 } Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

Si, inquit, in infortunium inciderit (ut incidere necessarium illis est, qui Deum quaerunt) non succumbet tamen, etiam si illud peccatum sit: sed diuina protinus subleuatus dextera erigitur, in pristinumque restituitur statum. Hinc, opinor, illud est, quod a Ioanne asseritur, hominem per gratiam in filium a Deo adoptatum, ne quaquam peccare posse ad mortem, quia charitas Dei manet in illo. Quare equidem cum uideo probum quempiam uirum a mundo uexari, affligi in fortunae quoque bonis, in uita, in nomine detrimenta subire, addo & in peccata prouere, haud multum quidem moueor: scio enim id genus aliquando exercitationum, uel perfectissimis ipsis uiris, coelitus proinde dari, ut sese diligentius examinantes, quid a se, quid a gratia sint ac possint, iam demum agnoscant. Quod quidem iudicium & consilium in Dei mente aeternum, in angelis olim locum habuit. Siquidem hi cadentes, illi per gratiam a casu reparati, quantum suum nudum potuerit arbitrium, quantum gratia, experti sunt. Periculosissima ea res est, uirum quamlibet iustum se sibi uel tantillum committere: alioqui certe hunc uersum aliter a uate proferri oportuerat. Cur, oro, non potius ad hunc modum? Cum ceciderit non collidetur, quia suam sibi supposuit manum. Verum ut quae dixi, adeo uera sint, ut nullo modo in dubium uerti debeant, Dei scilicet filios in hoc mundo iniuriarum lima, ac quo iam demum cuius temperaturae sint appareat, igne purgandos & expoliendos: ita hi admodum detestandi sunt, qui iniurias inferunt. Ne insidieris, clamat Salomon, & quaeras impietatem in domo iusti, neque uastes requiem eius. Sed tu uide quid parenti fidei quondam pollicitus sit Deus. Inimicus, inquit, ero inimicis tuis. Fel. tamen hunc uersum aliter ex Hebraeo: Quoniam dominus sustentat manum eius: ut in lapsantibus fit, aut arduum aliquem ascendentibus clivum, quibus manum manui, aut brachio supponimus, (de more illo mollissimo non loquor modo, quo mulieres in nonnullis Italiae locis manu sustentantur clericorum maxime cum obambulant, uanissimo illo quidem & periculoso, idcirco in regionibus christiane institutis abrogando omnino) qua ueluti basi nixi fulciantur. Quare is erit sensus, ac summa: Cum coeperit cadere, non penitus prouet, quoniam dominus sustentat illum. haec fere Felix.

{37.25} Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius querens panem.

Quod enim iusti a benignissimo domino non deserantur, id iam compertius est, quam ut argumentis probetur. Planum in quidem est. Quod uero illorum semen, filii uidelicet & nepotes, aut ipsi quoque, nunquam visi sint panem quaerere. non sic compertum, cum per orbem passim uniuersum non desint qui mendicitatem colant, qui tamen probi existimantur. Id igitur uult hic spiritus, neminem unquam ex illorum numero, qui divinae iustitiae studiosi sunt, ad tantam deuenire posse rerum inopiam, ut necessario, licet tenuissimo interdum, uictus a careat, nisi quem ad tolerantiae posteris exemplum aeternus deligit pater: a quem uoluntario quodam mentis ardore aerumnosam sibi eligere paupertatem iubet, ut sunt hi, qui in harenosis degentes eremis, aut incultis montibus, baccis solummodo & glandibus naturam sustentant. Unde cum inter diuites quoque non pauci quidem sint, qui coelestem pene uivant vitam, ita in egestate constitutos inuenies complures mundo adeo addictos, ut neminem plerumque e vulgi

colluue facile deprehendes, qui tam nefarie uiuat, quam pauperes quidam, uis ut plurimum, qui in urbium triuiis atque templorum adytis stipem quaerunt. De

{pdf 320, p. 152}

his enim non loquitur spiritus, sed de filiis Dei ingenuis, et apertis, qui domi, aut nemore aliquo & secessu occultiori oclusi, arctam quidem degunt uitam, ac tenuem, sed puram, nitidam, totamque diuinae conformem uoluntati. Nihil enim foedius paupertate sordida, ac desiderii illis infinitis habendi infecta. Iuuenis, inquit, fui, & diu uiuendo senex factus sum, nec tamen uidi iustum desertum, nec semen illius laborare uictus inopia. Quod si porro laborat, aut ut diuinum in terris patientiae exemplum sit, a deo selectus est, ut dixi, aut iustus non est: ne in omnibus mendicis, quos uicatim, ostiatimque panem petere uidemus, sanctimoniam uitae nobis effingamus. Vera enim in Christo, atque illius ob amorem suscepta paupertas, ab omni prorsus impudentia, ac procacitate tam longe abest, quam a caeteris animi uitiiis & peccatis. Caeterum illud (ne minima quoque intacta praetereamus) non omittendum, dictionem Etenim, in hoc uersu superesse. Quare uertendum erat simpliciter, &: seu ut Felix, etiam. Puer, inquit, fui, etiam senui, & non uidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem. Imo

{37.26} Tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit.

Horum uerborum sensum ornate aperit Paraphr. ad hunc modum: Assidue in omnes misericors est iustus, & mutuo dat, ideo posteri illius abundabunt. Dictio enim quam noster interpret, In benedictione, uertit, Hebraeis est, in delitiis, seu in beneficio: quo nobis compertum sit, omnia Christi pauperibus suppeditari, si non ad luxum, ad uitae tamen commodum, & quantum sat est: non solumque ipsos, uerumetiam illorum posteros perpetua fruituros Dei benignitate. Tantum uero abest ut aliquid Deum timenti, quod ad honestum uitae usum facit, de esse possit, ut successuris etiam liberis, unde honestam uiuant uitam, relinquat. Fili mi (sic filium alloquitur pater) pauperem quidem uitam gerimus, sed habebis multa bona, si timueris Deum. Ait igitur uates, Tota die, hoc est, iugiter, continue, quandiu in carne uiuit uir iustus, egenorum curam habet, misereturque, ac suo minime parcens genio, cum non opus est ut donet, commodat, datque mutuo, & sua libenter impartitur cum omnibus, tum his potissimum, qui miserabiliores sunt. Atqui haec ingeniis terrenarum rerum uisco remoratis difficilia uidentur. Qui fit aiunt, ut hi pauperes cum sint, dent sua, & abundant? Quibus Salomon respondet, non ego: Alii diuidunt propria, & ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. A coelestium enim rerum diuitiis exclusi auari, quid in terris, quod satis illis uideatur, adipisci unquam poterunt? Contra uero ad illas probi omnes inuitati, quid est in mundo, quod magnum reputent? uerum ex illo eam sumi deligunt portionem, quae ad necessarium uitae obsequium, non imperium, quasi indignabundi utantur. Caeterum diuino sic assueti edulio, quicquid in terris delitiosum uidetur, amarum ducunt, ac mortiferum.

{37.27} Declina a male et fac bonum, et inhabita in seculum seculi.

Nemo tam sanctus est, qui non cupiat saepius admoneri: non eum sane fugit, quam facile uel ipsi perfectissimi uiri, in uia iustitiae, ni crebro admoneantur, lassescant. Quare is denuo a spiritu, prompto audit animo, quod in superioribus etiam audiuit, nempe, Declina a malo, & fac bonum. At id uerendum, ne, ut monet Esaias, dicamus bonum malum, malum bonum, Summa igitur opus est prudentia in delectu rerum tum omnium, tum maxime earum quae uarie interdum edocentur. Verbum Christi habitet in uobis, clamabat Paulus, in omni scientia docentes. Et ut quidem purus simplexque animus ac candidus, necessarius omnino est in huiusmodi doctrina & schola in qua purgantur animae: ita stupiditas omnis mentis, & inscitia detestanda. Sensus itaque & summa haec erit, ut a malo prorsus abhorrentes, quodcunque bonum nobis a spiritu commonstratur, pro uirili aggrediamur. Et sic abiecta ueteris hominis, in quo omne in est malum, uetustate, nouum, a quo omne proficiscitur bonum, quique secundum Deum creatus est, ut inquit Paulus, induamus: quo sane per diuinam gratiam adepti, habitabimus, ut asserit uates, in seculum seculi, hoc est, aeternorum bonorum stabiles cum

{pdf 321, p. 152v}

Dei filio, nos quoque eius facti per fidem filii, haeredes erimus. Nam certe secundum Christi doctrinam, seruus non manet in domo in aeternum, sed filius.

{37.28} Quia dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos: in aeternum conseruabuntur. Iniusti punientur, & semen impiorum peribit.
{37.29} Iusti autem haereditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam.

Id quidem ad iudicem in primis attinet, ut exacte utriusque partis ratione cognita, bonis, exclusa improborum causa, faueat. Itaque dominus, utpote aequorum omnium iudicium aequissimus, amat iudicium, amat aequitatem: idcirco iustam sanctorum causam ita approbat, tutaturque, ut iusti perpetuo appareant, atque innocentes: eam uero, quam se habere improbi arbitrantur, aut certe sibi impudentissime fingunt, damnat, a defensioneque, mulcta eorum sceleribus adhibita, excludit, tantum abest ut eos aut defendat, aut honoribus augeat: illos uero non solum a metu omni, perturbationeque liberat, uerumetiam protegit, fouetque, ac caeteris tanquam sublime quoddam uirtutum exemplar proponit, honoribusque, quo magis illorum pateat probitas, adeo in altum euehit, ut merito is censeatur iudex, qui optimi iudicis partes non ignoret: cuius sane id potissimum munus est, ut contemptis improbis, probis faueat. Nego igitur bonum eum esse iudicem, qui in diffiniendis causis, dirimendisque litibus & controuersis, aliter agit, quam quod hic agi a Deo opt. max. indicat uates. De illis porro iudicibus, qui causas iniustas data opera protrahunt, quo debilior proborum pars iam tandem fessa lite cedat, transitionesue nescio quas uelit nolit admittat, quique pecuniarum ui necessitudinisque, uel patriae affectu corrupti & obcaecati, causas ipsas iniquas defendunt & obtinent, nihil aliud dicendum esse arbitror, nisi quod ut hi, qui iustum iudicem in tractandis causis referunt, dii in terris quodammodo coelo digni censi debent: ita illi daemones ne terra quidem digni, a foro omni atque magistratu abdicandi sunt. Nulla enim letalior potest esse pestis in rebuspublicis et regnis, quam cum iudicibus, primariisque causarum forensium ac templorum hominibus corruptis, minima proborum habetur ratio, maxima

uero improborum. Felix nimirum mundus si illi, in quorum uita, tanquam in uirtutum omnium forma & facie, ab omnibus prospectatur, ea essent praediti doctrina, & morum probitate, ut illis merito iustitiae gladius uibratus, nimirum ad uindictam malorum, ut inquit Paulus, laudem uero bonorum, committi posset. Verumenimvero ne longius quam par est a psalmo digrediamur, sensum horum trium uersuum a Paraphraste acceptum aperiamus. Sic ille: Amat enim dominus quod aequum est, nec unquam deserit sanctos suos (custodia enim adhibita est illis perpetua) impiorum uero posteritas exterminabitur. Iusti tanquam suam possidebunt terram, & inhabitabunt tam diutissime. Caeterum ea ornati sunt animi aequabilitate, atque in toleranda quaecunque utcunque accidant, in terris patientia Dei filii, ut ne digitum quidem latum a iam concepta in deo fiducia ac spe dimoueri queant. Quare paruus, minimisque mundi huius contenti cum sint rebus, semper diuites sunt, alacres, iucundi, tantique uel Croesi ipsius diuitias aestimant, quanti caetera, quibus a cursu retrahuntur animae, & onera & impedimenta. Abiiciendae sunt sane res omnes huius mundi, atque in profundo demergendae salo, ne ab illis, ut ait Crates, demergamur: nisi quatenus honesto uitae usui conducunt, aut ad assequendas aeternas illas in Christo diuitias adiuuant. quod si uel parum quidem efficiunt, quid, obsecro, amantur? quid tam anxio studio & cura quaerentur?

{37.30} Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium.

{37.31} Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius.

Nimirum a Deo directi. Vide filiorum Dei felicitatem. Hi enim quacunque in regione sint & degant, quocunque in studio uersentur aut arte, quacunque sub lege uiuant humana, semper quae recta sunt atque utilia loquuntur: & id quidem serio, magnoque animi affectu, & deliberatione. Verbum enim quod noster interpret uertit, Meditari, Hebraeis est perinde ac Latinis, quod summam mentis attentionem]

{pdf 322, p. 153}

-tionem in se habet, reique omni conuenit, quam cogitatione ac studio complectimur. Porro sapientia hic Christus est, qui a nobis totus, quantus est, animo, cogitatione atque intellectu concipiendus est, nedum quidem ore celebrandus. Ignis insuper est, qui nos, nisi refugiamus, ad se penitus rapit, transformatque in sese: quos deinde sic raptos, transmutatosque, ac felicissima tanquam metamorphosi in diuinam pene conuersos naturam, adeo in altum tollit, ut supremos illos beatorum spirituum choros transcendentem, ea in parte coelorum collocet, ubi ipse ad dexteram Dei patris sedens, cum sit caput corporis ecclesiae, ut inquit Paulus, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei, absque suis membris manere haudquaquam contentus est. Volo, inquit, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut uideant claritatem meam. O felicem conditionem humanam. Caeterum iudicium in hoc loco, ut in superioribus quoque ostensum est, interpretantur esse quicquid recte ordinateque fit, estque rationi consentaneum. Unde quidam ex Hebraeo sic uertit, Et lingua eius loquitur aequitatem. Immisso enim semel Christo per assiduas cordis meditationes in animam, non potest quidem aliter aut cogitare, aut eloqui, aut agere etiam, quam quod tam sanctus conceptus suggerit. Putas ne hominem sic

affectum, hoc est, cuius cor cum Christi corde iam unum factum est per amorem, posse quicquam loqui, quod Christum non referat, & propterea & iusticiam, & aequitatem, & sapientiam, & omne bonum? Non mirum tamen: nam lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gessus eius. Vide quomodo fides, et qua salus, ex auditu sit, per uerbumque Dei ac legem addiscatur. Causam igitur reddit uates, quamobrem os meditabitur sapientiam: Lex Dei, inquit, in corde ipsius: hoc est, cum salutarem iam animo conceperit legem, nihil potius aut aget, aut cogitabit, quam ut diuinam ex ea eliciat uoluntatem, uitamque ea instituat ratione, ut nihil ab illo, quod iam per gratiam nouit, discrepet: alioqui labor omnis ac sudor, qui in disquirenda diuina lege impenditur, suo careat fructu necesse est, si huiusmodi haud nititur fine ac scopo, qui proprius legis finis sit ac terminus. Finis itaque legis, Christus, inquit Paulus, ad salutem omni credenti: quo sane cognito, cognoscitur & patris uoluntas, quam uelle quaerere aut exequi sine Christo, amentia summa est. Sine me, inquit, nihil potestis facere. Caeterum de assidua, quae debet esse in lege Domini meditatione, satis copiose in primo psalmo est dictum. In quam certe, qui eo quo conuenit studio incumbit, impossibile est suis in meditationibus, siue illae ad animam, siue extra ad mores spectent, posse falli. Idcirco additur, Et non supplantabuntur: seu, ut uertit Fel. Non commouebuntur: uel ut alius ex Hebraeo, Non nutabunt gressus eius. Stabilis, ait Campensis, erit, & a lapsu securus pes eius. Ecquae igitur alia quaerenda sunt diuerticula, remediaque alia ad firmandos pedes nostros in uiam pacis? Lex enim Dei, negocium id totum operatur. Unde illud mirum, praeclara quaedam ingenia, inter nos etiam, maiorem suae aetatis partem in literis, nescio quibus, atque occupationibus succo spiritus prorsus uacuis adeo, priusquam necessarium hoc delibent poculum, terere, ut fessum plane intellectum, ac, ut sic dicam, effoetum, tum demum sanctissimis diuinae legis studiis uix ui admoueant, cum gustu omni interiori carent. Ingenia enim dum tenera sunt ac uiua, illis prius assuefacienda sunt studiis, quae uera sunt studia, atque animae quodammodo naturalia: aliis postea, si libuerit. quanquam non uideo cur adepto regno aliquo immenso, arctissimus quaerendus sit uicus. Quod si porro aditum necessario ad sacram legem a prophanis literis, aut tumidis loquacibusque philosophorum scholis captandum esse iudicas, toto proculdubio erras coelo: nam uerum ille solummodo praebet aditum, conatumque adiuuat, ac rem tandem perficit, qui legem condidit. Is Christus est, qui se non temere, falsoue, & uiam & ueritatem & uitam appellauit, appellatque continue: ut hi probe norunt, qui contemptis caeteris studiis, in lege Domini meditantur die ac nocte, nihilque aliud se scire prae se ferunt, quam Iesum Christum, & hunc crucifixum, ut de se olim testatus est Paulus. Interim uero, heu mores corruptos,

{pdf 323, p. 153v}

{37.32} Considerat peccator iustum, & quaerit mortificare eum.

Latinus Felix et quaerit occidere eum. En uirum illum, quem superius misereri, et commodare asseruit uates: cuiusque lingua sapientiam iudiciumque meditatur, ac loquitur: & cuius uisceribus ac cordi, ut inquit Hieremias, scripta est lex Dei. En, inquam, uirum illum sic per gratiam a terris elatum, quomodo peccator considerat, speculatur, attenteque obseruat, si qua forsitan aut lingua, quae natura in lubrico est posita, aut moribus non omnino ab humanis lapsibus intactis, uel leuiter errauerit. Tum quidem oblato ueluti triumpho, quid non molitur miser? Ferro enim (si ferro res peragi

posse uidetur) inermem illum, imbellemque adoritur, opprimit, occidit tandem: uerum ferro uti illum si uel metus, uel religio prohibet, tunc eo liberius maledicentiae, falsisque delationibus ac commentis, fraena laxat, quo impune haec omnia. utinam impune solummodo, nec praemiis id genus sordium ad lacerandam proborum vitam pelliceretur.

{37.33} Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius, nec damnabit eum, cum iudicabitur illi.

Conniueant utcunque principes, & pastores, dissimulentque, ac si lubet pestem hanc foueant, Dominus non derelinquet eum, iustum scilicet. Vide, te oro, doctrinam spiritus. Ut maxime, inquit, sit iustus in improborum manibus, diutiusque sursum deorsum inter crudeles illorum fauces ac dentes exagitetur, ne sic quidem deseritur a Domino: nam si tempus est ut pro Christo, ac eius fide & iustitia tutanda pati debeat, occumbet sane fortiter, nec tantillum quidem aut sicariis, aut obtrectatoribus cedit: tantum abest ut succumbat, ignauiterque ferat si quid ferendum est, aut mors quoque obeunda. Sin autem immaturum illud fuerit tempus, quo pati quis debeat, non est quod dubites improbos quidem a simultate, & persecutione non desituros, illum uero feliciter euasurum. Nam & dominus Iesus transiens per medium illorum ibat. Neque illud porro consentaneum est, eum quem scelerati quidam oblocutores, delatoresque infamant & condemnant, a Deo quoque, qui aequissimus arbiter est, sic iudicari, & condemnari. Nec damnabit, inquit, eum Dominus scilicet iustum, cum iudicabitur, nempe ab improbis: nam dictio, illi, Hebraeis fere omnibus superest. Paraphrastes uero paululum diuersum reddit sensum sic ille: Dominus non sinet eum opprimi tyrannide illius, nec permittet eum impietatis conuinci, quando causa eius in iudicio tractabitur. Magna profecto fidei ea uis est, cum quis non cernit solum se a maledicis, salsisque delatoribus accusari, uerumetiam iudices ipsos corruptos esse, sperat nihilominus Deum suae non defuturum innocentiae. Qui si tamen deesse interdum uidetur, atque ad suorum iniurias caecutire, illosque, quo excelsum mundo patientiae exemplum praebetur, destituere, seruatur tamen sic male habita in terris innocentia, ad futurum illud ab illo tutanda iudicium, in reuelatione domini Iesu, ut inquit Paulus, de coelo cum angelis uirtutis eius, in flamma ignis, dantis uindictam his, qui non nouerunt Deum. qui quidem Deus utpote iustissimus omnium, suis in diffiniendis causis, neque pecunia neque turpissimis illis animi affectibus, quibus pars maior hominum obnoxia est, corrumpi potest, quin cuique quod suum est, reddat. Tu interim, o quisquis es, qui truci etiamnum sub malleo aduersitatum ingemiscis,

{37.34} Expecta dominum, & custodi viam eius, & exaltabit te, ut haereditate capias terram: cum perierint peccatores, videbis.

Solent enim hi qui aerumna aliqua in signi ac persecutione oppressi, suis uident aduersariis, quaecunque optant, feliciter euenire, praeberi honores, atque illis per magistratus in miseros desaeuendi materiam quodammodo subministrat, conqueri, ac Deum quasi ignauiae, qui tam absurda non corrigat, insimulat. Hos itaque monet spiritus, hortaturque, ne sua, proborumque caeterorum deterriti oppressione, diuinam uelint iudiciorum moram reprehendere. Cur, inquiunt hi tandiu nostrae urbi, nostrae

reipublicae nostrae patriae, quam iam totam prorsus e fundo rapinis ac furtis exhaustere, praepositi sunt? Ignorat ne haec Deus? cl[amant]

{pdf 324, p. 154}

-mant ciues, eiulant uiduae, plebsque ipsa, ac uulgus, non iam pane, quo omnino carent, sed suspiriis & lachrymis infelicem enutriunt uitam, & tacet Deus? Vide mi lector, quo nos aliquando nostra impellit arrogantia, ut sapientissimum audeamus dominum in rerum moderatione carpere. Expecta, clamat spiritus, Dominum: noli, oro, nimium festinanter accelerare, spera, confide, sustine. Verum interim custodi uiam eius: hoc est, fidem, qua uel sola ad Deum iter est, serua. Ab illa enim, si sapis, ne minimum quidem diuertas: alioqui regio omissa itinere, quo tandem perueniendum tibi esse cogitas? Expecta igitur patienter (sic reddit Paraphrastes) aduentum domini, & uiue secundum praescripta illius: quod si feceris, extollet te, & terrae praeficiet. Porro illud, Et exaltabit te, interpretantur, & superiorem te faciet. Magna nimirum haec est spiritus promissio, qua totius mundi suis pollicetur uictoriam. quanquam haud multum quidem id potest uideri, uictum scilicet hostem iterum posse uinci. Mundus enim, si nescis, tunc prorsus uictus, profligatusque fuit, quando Christus in suorum gratiam alto confixus est ligno. Ego, inquit, uici mundum. Ecquid igitur prostratum extimescimus inimicum? Iam ille quidem uictus est, iam captus est, iam uires nostri ui Imperatoris perdidit. Quomodo uero terram lege tanquam haereditaria obtineamus, in superioribus dictum est: haeredes enim cum Christo facti sumus uniuersorum. Proinde quid in rebus conditis tam excelsum, tam ue etiam a terrena hac mundi machina secretum est, cui uir iustus non imperet? hunc coelum, hunc tellus, hunc inferi, uti dominum & colunt & uenerantur: excelsior enim ob unionem cum Christo omnibus factus est creaturis. Quare non mirum ualde esse debet, cum legis hominem iustitia illa quae in Christo est, iustificatum, terrae quoque huius dominium habere. Caeterum cum perierint peccatores, uidebis. Voluptas quidem illa, qua uulgo homines solent affici, cum cernunt crudeles suae reipublicae ministros e medio tolli, non una certe nititur ratione: nam ignobiliori qui sunt animo ac fide, solo odio illius, quem e summa uident felicitate in extremam coniectum miseriam & inopiam, aut fato absumptum, oblectantur: caeteri uero quibus altior inest mens & animus, utpote cum Deo perpetuo fidei ardore uniti, non propter miseri illius infortunium aut odium, uoluptatem capiunt, sed Dei potius considerata in ferendo suis auxilio sedulitate, uehementissime gaudent, nihil aliud interim optantes, quam ut illi demum regionibus religionibusque praeponantur, qui sanctiores caeteris sint, in quibusque Dei timor cum morum concinnitate, atque in tractandis rebus prudentia & mansuetudine coniunctus sit. Literaturam autem in Antistite & magistratu absque diuino timore & charitate odit dominus. Sed ad psalmum. Noli, inquit uates, uelle ante tempus ab aeterno patre constitutum uidere, uidebis postea, & si certe non citius, at saltem in extremo terrificoque iudicio, tum dico, quando & ipsi quoque impii uidebunt in quem transfixerunt. Interim uero ego, ut de me dicam,

{37.35-36} Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat: quaesiui eum, & non est inuentus locus eius.

Locus eius, Hebraei non habent: quare sic uertit Fel. Quaesiui eum, & non est inuentus. quanquam Paraphrastes uidetur locum legisse. sic ille: Vidi impium potentem, & uirentem, & similem lauro quae uiret perpetuo: sed paulo post obiter praeteriui locum, in quo ante floruisset ille, uerum inueniri non potuit: euanuerat enim. Porro ex Hebraeo partim laurum uiridem, partim arborem simpliciter, sed annosam indigenamque interpretantur, quod noster interpres uertit, cedros Libani: in quo quidem monte proceriores illas crescere, quam in caeteris montibus affirmatur. Utcunque sit litera, idem est sensus, qui is erit: Iam sane uideram impium florentem, uiridem, atque adeo in huius mundi felicitate stabilem, ut annosam, indigenamque altissimis in montibus arborem alte radicatam dixisses: & dum respicio, iam euanuit, iam in auras resolutus est, iam perinde ac nunquam fuisset, nusquam apparuit, contentus interim cubitalis fossae domicilio. heu ca-
[caducam]

{pdf 325, p. 154v}

-ducam fortunam. Illud uero mirum, quod omnibus fere idem fatentibus, atque perpetua ueluti exemplorum serie spectantibus, non desint tamen qui libenter uanissimo illi fortunae ludibrio succedant. Haud magistratus hic quidem, & dignitates in rebuspublicis ac templis, damno: imo uero etiam illas quemadmodum necessarias esse iudico, ita & colo, & obseruo: id tantum cupio, ne ambitionis fumo ac superbiae obcaecati quidam, illud degant uitae genus, quod merito queat a probis reprehendi, ab improbis laudari. Notant hic quidam, superexaltatum, ab aliis, a stulto nimirum populo, ignauoque principe aut senatu, intelligi: eleuatum uero a sese, proprioque fastu & ambitione, & quem quidem uates cedro comparat Libani, utpote mirae magnitudinis arbori, in monteque sublimi enutritae, uerum sterili & infructuosae, quod alias annotauimus. Et transiui, inquit. hoc et, paululum deinde uixi, posteaquam tumidum illum sic se efferentem uidi, & ecce non apparebat: adeo omnia superborum umbra sunt, ac fumus. Tu fili, quantumcunque illi tumeant,

{37.37} Custodi innocentiam, & uide aequitatem, quoniam sunt reliquiae homini pacifico.

Tu tantum, inquit, aequitatem in omnibus custodiens, quae ad te attinent, ora, caetera Deo committe. Et sic quidem proborum reliquiae, hoc est, quicquid post mortem hominis relinquitur, piis aeternum est, reliquiae uero impiorum interibunt non quod omnium tam proborum, quam improborum animae immortales non sint, sed quia eae ita miserae erunt & infelices, ut merito non esse quis eas dicturus sit: illae uero sic uitae illi aeternae, quae Deus est, unitae, ut solum res illas uere esse iudicet quae tanto bono coniunctae sint, atque adglutinatae. Pacificum hic uocat uirum illum, qui neminem contemnens, omnibus benefacit, dat, commodat, dissidia componit, pacemque cum omnibus, ut eum admonet Paulus, seruat. Felix tamen, atque adeo caeteri ferme Hebraeorum interpretes, non innocentiam & aequitatem legunt, sed innocentem, simplicem, & rectum. Obserua, inquit Fel. simplicem, & respice rectum, quoniam nouissimum uiro pax. Alius tamen ex Hebraeo, Custodi synceritatem & uide rectum: nam postrema uiro pax. Id enim in primis a nobis uult spiritus, ut omisso anxio illo studio, ac cura aliena considerandi scelera, nos tantum illos, qui puro sunt animo &

recto, nobis in exemplum proponamus. quod si, quos tibi deligas in uitae duces, non habes, deerit ne tibi unquam Christus, quem hic spiritus innocentem, rectumque ac pacificum appellat? Caeteros enim ut a rectitudinis linea facile deflectere, quae est humana conditio, deprehendas, Christus tamen idem semper est, qui uirtutum omnium autor idcirco in miseram hanc aerumnarum uallem e patris sinu descendit, ut uel solus ad perfectissimae uitae institutionem sufficeret. Non nos igitur tantum deterrere debent nefariae improborum actiones, quantum proborum rectae ac sanctae, animare. Paraphr. Cum modo innocentiam & aequitatem adamasse uisus est. Sit tibi curae, ait, integritas, & specta semper id quod rectum est: eum enim, qui talis est, pax manet perpetua. Vide quomodo proborum reliquiae, seu, ut uult Felix nouissimum: seu ut alii, postrema, pax sit aeterna, ac quies.

{37.38} Iniusti autem disperibunt simul, reliquiae impiorum interibunt.

Id enim, quod in superioribus eisdem propemodum uerbis dixit, replicat. Iniusti, inquit, punientur, & semen impiorum peribit.

{37.39-40} Salus autem iustorum a Domino, & protector eorum in tempore tribulationis.

Et adiuuabit eos Dominus, & liberavit eos, & eruet eos a peccatoribus, & saluabit eos, quia sperauerunt in eo.

O spem, quo tuas stylo laudes celebrabo? Vide, mi lector, quot bona ab unica illa uirtute, quam salutis anchoram Paulus appellat, proficiscuntur: salus nimirum a Deo. Vis ne aliud? protectio rursus, dum hic a domino peregrinamur, patrocinium, liberatio, & id genus aliae auxiliares, ut ita loquar, copiae. Haec, inquam, omnia uni contingunt animae, si in Domino spem omnem suam collocauerit. Et ego hic quidem (fateor) non possum non meum aperire animum. Cum

{pdf 326, p. 155}

enim totus interdum in me collectus, a quam bono pendeam domino & patrono, recolo, prae laetitia insanio, reprehendoque meipsum si aliquando secus egerim, aut opinatus fuerim. Vacillantia quippe omnia esse, iam demum intellexi. Sol, luna, stellaeque, & quicquid in coelis est quod per se, aut mutuato lucet lumine, sed & angeli ipsi quoque, cum mihi seruiant, quid in eis spem ponam? Miror equidem si inueniatur dominus, qui in seruo speret. Venio autem ad inferiora. Diuitiae ne huiusmodi sunt aut bono aut perennitate praeditae, ut merito quis in eis sperare debeat? quid his fragilius, aut fortunae indignationi magis expositum? Quid porro illud unum omnium (ut dicunt) maximum, principum scilicet fauorem memorem, cum nihil unquam sub sole tam praeceps uisum sit, & uarium, & periculo sum? Si cymbae uitreae, semieue gelu constricto amni lapsantibus pueris fidendum est, & ego quoque tam titubantis rei fidam uestigio. Amicorum uero frequentiam non habeo cur demirer, aut qua admodum niti debeam. Siquidem inter homines nihil adhuc homine fallacius inueni. Omnes enim quae sua sunt, non quae Iesu Christi, aut amicorum, quaesiuisse expertus sum. Ergo in his iterum sperare audebo? Insaniam omnino, si ulla alia in re deinceps sperauero, praeterquam in illo, qui solus suis in pollicitationibus constans est, utpote natura

aeternus & incommutabilis. Verum ut haec omnia, quae dixi, infirma sint, planeque indigna, quibus res tam nobilis, uti homo est, fidere debeat, illud autem infirmissimum, atque absque dubio periculosissimum, illis in rebus quae in nobis insunt, sperare uelle: huius enim generis sunt, scientia, literatura, artesque, quas uocant, liberales, ac disciplinae: hisque addo uoluntatem, arbitrium, atque actiones illas, quae a fide charitateque, tum in Deum, tum in proximum, proficisci uulgo existimantur. Etenim absque calore diuino haec omnia penitus ieiuna sunt & gelida. Deo itaque gratiae habendae sunt, in illoque sperandum, non in hac aut illa re, & operatione quamuis excelsa, & coelesti. A spe quidem, quam in Deo habemus, bona omnia ortum habent: ab ea autem quae alia in re est, quae Deus non sit, mala. Itaque ut suavissima spei adoratione psalmum finiam, speret Israel in domino ex hoc nunc et usque in seculum: cui laus sit in seculorum secula, Amen.

PSALMVS DAVID AD MEMORANDVM, XXXVIII

{38.2} Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Titulus odae huius licet secundum Hieronymi translationem sit ad rememorandum diem sabbati, in Hebraeis tamen omnibus, quos sciam, codicibus, dies sabbati non inuenitur: sed tantummodo, ad memorandum, siue, in rememoratione. Putant quidam diem sabbati a D. Hieronymo additum propterea, quod a uetustissimis forsitan annalibus, ut uir erat infiniti propemodum studii, acceperat odam hanc, in die sabbati decantari solitam. Chaldaeus uero habet, ad incensandum, seu suffumigandum. Nam cum psalmus hic totus poenitentiae lachrymis respersus sit, uidetur odorem quendam, ac suffitum suauissimum ad Dei nares attollere. Verum haec omnia occulta omnino. Sunt etiam qui censent dictionem le hazchir, quam noster interpretes ad memorandum, seu reminiscendum uertit, Hebraeis esse instrumentum musicum, quo Dauid, cum psalmum hunc caneret, uteretur. Omissis igitur superfluis, illud in primis fateri necesse est, hoc in psalmo Christum esse, qui nostra ob uulnera, quae sua, ut immensa est in homines dilectione, esse uoluit, mortalium miseriam e peccatorum turpitudine contractam memorat, fateturque, ac miris ob id sese torquet modis. Hic, fateor, dum haec commentari meditor, a lachrymis impediior. Tanta quidem mihi diuini amoris copia in mentem uenit, ut cum intellectus meus prorsus in me, in illo considerando, contabescat ac torpeat, nihil aliud agere possim, quam amarissimis suspiriis ac lachrymis meam tacitus solari stupiditatem. Quid primum igitur defleam? Mene tam sordidum, atque in peccatis a primis iam meis annis educatum, ut nulla omnino in me pars sit, quae tota sordibus non scateat? an tam mei amantissimi Christi aerumnas? qui adeo me charum habuit, ut me in tuto collocato, tantis se rerum pe-

[periculis]

{pdf 327, p. 155v}

-riculis & tormentis pro me obiecerit, eaque omnia, quae meis sceleribus debebantur, tam gnauiter subierit, ut mirum uisum sit, quomodo purissima Dei natura tanti me omnium impurissimum fecerit, ut non solum sordes in me omnes peccati abluerit, sed & ipsas suas quoque omnino esse uoluerit? Et ut ego quidem pro me tantum, quantum debeo, flere nequeo: ita in immensa illa consideranda Dei charitate, nullum statuere

possum lachrymis terminum, ac modum. Non si quidem Oceanus, quantus quantus est, meis ex oculis exiret: non si quicquid seu in coelis, seu in terris conditum est, in lachrymas conuerteretur, ex meque passim per artus ebulliret, nec sic mihi quidem satisfacerem. Verum ne est deum, peccatum, maledictumque pro me factum? O vastum contemplanando divini amoris pelagus. Verum ne est, inquam, illum, cui condita omnia subiecta sunt, ab eoque persistendi tanquam a naturarum omnium principio uim sumunt, in ipsoque vivunt ab aeterno, pro tam uili mancipio mortuum esse? Est ne intellectus ita uiuax, in peruestigandisque rebus animi obstrusioribus ac secretis adeo acutus & solers, ut haec perfecte, aut saltem mediocriter intelligat? Caecutit nimirum mens, hebescit animus, cor adeo stupore afficitur, ut pene a uita destituatur. I nunc o anima mea, ac tandem tuo maximo admonita morbo, perpende quantus ille sit, quem toties peccando offendisti, quem in te prouocasti, cuique pro beneficiis iniurias ingrattissima rependisti. Dic, dic, mecumque quanto potes eiulatu clama: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Cum alias, tum sexto in psalmo praecipue dixi, iram & furorem in Deo plerisque in scripturis horrendum eius significare iudicium, iudiciiue pauorem, qua afficitur anima, cum praeterita sua rememorans peccata, mirum in modum expauescit. Quem sane affectum atque animi moerorem ego infelix in me non esse, tanto afficior dolore, quod ni certo scirem amantissimum mei Christum omnia illa, quae in me desunt, quibusque maxime aeterni patris sedatur ira & furor, pro me supplere, desperarem prorsus, non aliterque me a tam pii patris conspectu subtraherem, atque olim Cain ille sceleratus sese, seipsum tanquam feram indomitam exhorrescens, subtraxit. Verum cum cogito cuius bonitatis is sit, qui idcirco in terris iam omni uitiorum labe contaminatis ac corruptis, natus est, ut cum omnium, tum potissime miserorum curam patrociniue sumeret, non solum animo non deficio, sed & ipsum summa colligo fide, ac uti infirmum membrum sub fortissimo capite, aut tanquam miles sexcentis transfossus uulneribus sub robustissimo atque incolumi duce, audeo adhuc nescio quid supra me, non tamen ex me, uerum ex eo qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, clamoque. Quid clamorem meum tenuem & exilem iactito? clamat pro me Christus clamore ualido (ut inquit Paulus) & lachrymis: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Cum meae, inquit, transactae uitae memoro errata ac lapsus, uideor mihi te ad illud irae genus adegisse, o Domine, ut nullo modo ultionem, quam peccando merui, effugere ualeam. Quo me igitur conferam? Nullibi adhuc salubrius meo morbo inueni remedium, quam in te: imo alia omnia, cum diu quaesissem, uana esse, ulcusque magis exasperantia, quam medelam adhibentia comperi. In me enim primum nihil esse uideo, quod non detestari quidem potius debeam, quam amare. A planta sane pedis usque ad uerticem nulla in me est sanitas. Quem porro inter homines, qui mea, quam egomet, studiosius contrectet uulnera, requiram? Si equidem tam dirus mihi fui hostis, erunt ne alii mitiores? Vidi enim aliquando tenuissimas pustulas ob medicorum inscitiam aut potius improbitatem, in ulcus foedissimum erupisse, dum hi quidem non tantum quo aegrotum sanarent, quantum ut proderent, infamarentque, ac omnibus infensum redderent, suis illis informibus uterentur epispaticis. Ego itaque cum uehementissima laborem aegritudine, medicosque uideam plerosque aut crudeles, aut iniquos, ad te, mi deus, confugere decreui, petoque ne me, prout merui, abs te abdicis, eoque desperationis mea impellas culpa, ut nulla post hac spe ueniae admissa, in reprobam protrudar mentem. Te (fateor) ad iram ad furorem, ad uindictam, meis infinitis prouocaui sceleribus. Num id nego? Ego enim homo, quod in me erat, egi, agoque continue: tu Deus,

{pdf 328, p. 156}

quod tuum est, age. Ego, inquam (quod meis a primis perdidici annis) peccaui: tu (quae tua est ab aeterno bonitas) parce & miserere. Mea quidem est miseria, tua uero misericordia. Quare tua utens misericordia, me a mea emunda miseria:

{38.3} Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.

Habet Deus suas sagittas, quibus uulnerat, ut ait Iob, & medetur. Unde anxio in moerore positus uir ille, posteaquam sua appendi peccata & calamitates in statera a domino petierat, clamauit: Sagittae domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores domini militant contra me. Haec sunt omnia uulnera conscientiae, terrorque futuri iudicii ac mortis. Sed ea in primis ualidior, cum anima suos in amaritudine reputans annos, sentit quam poena omni dignum fuit, tam bonum dominum, tamque amabilem offendisse patrem, odiumque atque iniurias pro amore ac beneficiis retulisse. Atque non est dolor huic similis, non uulnus, non spiculum cum hoc comparandum. Solet enim anima uariis interdum a daemone transuerberata concupiscentiarum telis ac sagittis, quae ignitae admodum sunt (ut inquit Paulus) ita in malis obstupescere, ut nec letales quidem ictus persentiat. Longo sane usu in peccatis attrita, plane stupida fit, & absque sensu: uerum a salutifero Dei telo, qui Christus est, traiecta, sentit iam tandem uulnera illa praeterita letalia fuisse, hoc uero salutem secum afferens ac uitam. Incipit inde res suas exactius considerare: perpendit periculum, cogitatque in quam foedum uitae statum sese praecipitauerit: quare confunditur, erubescit, & mirum ni in lachrymas tota colliquescat. Mortis igitur memoria ac iudicii, una cum conscientiae testimonio, atque bonorum amissorum reminiscencia, sagittae illae sunt, quas in se hic fixas esse queritur anima: quae ut continuum suum aperiat uulnus, adiicit: Et confirmata est super me manus tua. Alio in psalmo sic suum detegit dolorem: Quoniam, inquit, die ac nocte grauata est, seu depressa est, ut uertit Felix super me manus tua: hoc est, non extentam illam quidem uideo ad percutiendum, sed depressam. Iam, iam, inquam, percutit. Iam crebros ictus sentio. Confirmasti, inquit, super me manum tuam: hoc est, me tuo tremendo iudicio, mortisque memoria, in qua totius uitae summa concluditur, perterrefacere non cessas. Hinc porro a mundo, a daemone, a me ipsa quoque uulnerata tam dire conturbor, ut pene tui firmissimi auxilii oblita, in id impietatis cadam, ut me prorsus abs te neglectam putem. O meum praeteritum fastum. Fateor, fateor quod

{38.4} Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Vir enim in diuinis occupatus, facilius quam ille qui in libidinibus, aut sordidis curis, die noctuque emoritur, seipsum cognoscit. quae quidem cognitio adeo in spiritus academia est necessaria, ut ea propemodum res prima sit, quam in coelesti doctrina oporteat addisci. Sole igitur ipso clarius cernit experiturque, quam infirmum sit ac fragile humani corporis uasculum. Totum enim, quantumcumque est, aut esse potest, sexcentis non solum morbis atque aegritudinibus est obnoxium, uerumetiam uitiiis illis turpissimis,

quibus una cum anima, percusso ueluti foedere, ac iunctis, ut ait Cyprianus, complexibus, ambo in mortiferas suauitates lapsi obdormiunt. Cumque euigilauerint, inquit, sero poenitentiam adducit confusio, & inquinamentorum horror foedatae menti occurrit. Hanc igitur corporis huius miseri, foedissima hinc inde euomentis inquinamenta, imbecillitatem, nihil aliud animae quam onus conciliantem atque impedimenta, sibi uir iustus a diuina prouenire indignatione propter peccata arbitratur, exclamatque, Heu non est sanitas in carne, mea a praesentia irae tuae, o Domine. Nihil integrum in toto meo est corpore, prae metu, quem de te concepi irato: nihil est in ossibus meis quietum, propterea quod peccatorum mihi conscius sum. Non est quidem in rebus conditis immanior atrocitas ac confusio cum illa aequiparanda, quam homo suae male anteactae uitae conscius, hoc est, ex animo, quanti periculi fuerit Deum peccando irritasse, cogitans, in se experitur, quid meruerit, quid calamitarum sua sibi sponte ascuerit, quid bonorum amiserit, quid miseriarum non tantum sibi, uerumetiam probis omni-
[omnibus]

{pdf 329, p. 156v}

-bus accumulauerit. Quod si, mi lector, quae dico non intelligis, uim nondum illam nosti, qua filius Dei impulsus, in hoc psalmo pro te, alioquin ad ea quae ad te attinent considerata stupido & inertis, angitur, eoque lamentatur affectu, quo illum conuenit, qui totius orbis peccata, sua fecit. Est ne dictu facile, numen illud immortale aeternumque, pro re mortali & caduca, illo sub onere, quo omnes premebantur, perinde gemere, ac si omnium hominum debitorum reum perageret, solusque caeteris in uitae innocentia permanentibus, peccasset? Hinc igitur nostrum perpendamus periculum, salutisque desperationem, simulac metu terroreque futuri iudicii, tanquam sagittis e Dei manu contortis, se Dei filium transfixum queritur. Magna profecto nostra erat indigentia, magna aegritudo, magnum uulnus, pro quo sanando Dei filium nostras omnes infirmitates subire peropus fuit. Non est, inquit, sanitas in carne mea, non pax, non quies in ossibus, non in ipsa anima. Caro enim infinitis subiecta aerumnis, tota lacera est, anima uero taedio ac pauore afflicta, prorsus contabescit. Quid igitur ego infelix hic dicam, mi lector? Ego, ego sum, qui peccaui: ego debitor, ego poenis obnoxius, ego scelerum horum, pro quibus Christus moritur, reus sum: ego, non ille, fateri possum, quod non habitat in carne mea bonum. O perditam mortalium uitam: o diuinam clementiam ac bonitatem: humana enim caro tota languida est, tota putet, tota immundissimis scatet obscoenitatibus, conspurcaturque in dies tanquam sus in uolutabro, infinitis libidinum monstris: & tamen secunda omnium, ac si nullum esset periculum, in utranque obdormit aurem. At e sublimi ueluti monte in Iericocontinam hanc miseriarum uallem descendens Samaritanus, tam infelicis desperataeque naturae morbos in se assumens, dixit: Veniam & curabo eum. Et sanatus est puer, inquit, in hora illa. In qua hora, quaeso? Tum puto, quando incubuit super defunctum puerum, posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri. Moritur igitur autor uitae, & non est qui, cur id fiat, cogitet. Vide, te oro, quid hic de se, pro te, dicat innocentissimus omnium:

{38.5} Quoniam iniquitates supergressae sunt caput meum, & sicut onus graue gravata sunt super me.

Nulla fuit unquam tam grauis sarcina, quam ea est, qua suo unaquaeque anima peccatorum premitur onere. Quid si peccata des omnium hominum, qui fuerunt, suntque in praesentia, ac erunt in posterum, unius solummodo imponi humeris? Excederet, credo, uim omnem humanam: quocirca diuina sit oportet, quae id ferat, quod humanas prorsus superat uires. Is igitur Christus fuit, qui humanam diuinae coniungens naturam, utranque in se uerissime habuit: hanc quidem, ut tanquam Deus illud ferre, proque illo mori uellet: illam uero, ut posset. alioqui nec Deus unquam absque homine mori potuisset, nec homo absque Deo uoluisset. Iniquitates, inquit supergressae sunt caput meum: hoc est, immaniores sunt, quam ut humana queat ferre imbecillitas. Vide in quam rerum desperationem sese immergat interdum anima, ut ea, sua se sponte oneret sarcina, quam ferre nequeat. Iniquitates superauerunt caput meum, uertit Campensis, & factae sunt grauiore, quam quibus ferendis sufficiam. quid?

{38.6} Putruerunt & corruptae sunt cicatrices meae, a facie insipientiae meae.

Cicatrices in anima, eadem sunt peccata saepius repetita, concupiscentiaque, quae interdum cum non aduertimus, ob insipientiam nostram recrudescunt: uel cum eas sanatas esse per poenitentiam ducimus, emergunt denuo. Ex qua quidem ignauia id plerunque contingere experimur, ut foedius e recrudescente cicatrice dimanet pus & sanies, quam prius e uiuo ulcere & aperto emanauit. A primo enim peccati actu & uulnere, facilis quidam oriri solet pudor & confusio, ex qua resipiscentia: a frequentatis uero repetitisque iisdem in peccatis ictibus, formatur consuetudo quaedam turpis, atque ut sic loquar, indolentia, in qua necessario inest contemptus ac desperatio. Quod sane cicatricum corruptionem appellat uates, eo periculosiorem quo ab insipientia stupiditateue animi proficisci magis, quam ab ullo alio leuior- [leuiori]

{pdf 330, p. 157}

-ri mentis affectu asserit. A stupidis enim animis quid sapientiae sperare poteris? A facie, ait: hoc est, a praesentia, ut alias annotauimus. Quae uero sit huiusmodi insipientiae facies, seu praesentia, sic aperit Paraphr. Putruerunt, & recruduerunt male obductae cicatrices meae, propter insignem stultitiam meam. Vnde

{38.7} Miser factus sum, & incuruatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.

Vide normam poenitentis. Habe, inquit Origenes, tristitiam cum conuerteris, & esto quasi desperatus. Vir enim ille qui, cum propter transactae uitae memoriam, tum ob instantis futuraeque periculum, in moerorem delabitur, quomodo, si sapit, quod restat uitae, in iocis ac risibus sibi traducendum esse iudicabit? Nonne istud quidem esset, uelle iterum cicatrices refricatis uulneribus aperiri? Est diuina quaedam ac plane necessaria in Dei ecclesia lex & consuetudo, ut semel saltem anno quolibet (sic

consulendum fuit mortalium tarditati, ac ut sic dicam incogitantiae) sua quilibet denudet scelera sacerdoti. Quo sane medio uulnera animae a spiritu sanantur, obducunturque cicatrices, hoc quidem solidiores, quo acutiori poenitentiae cultro fuerint purgatae. Sed illud uerendum, ne post pudorem, consternationemque illam animae, quam nobiliorem partem poenitentiae esse uolunt, post lachrymas, post singultus, hoc est, post consolidata ulcera, teneras iterum rescindamus plagas, fiantque nostra ultima deteriora prioribus, ut praedixit Dominus. Non contenti tamen nonnulli sancta hac Ecclesiae constitutione, eam frequentius repetunt, laudabiliter id quidem, modo eos non lateat uulnera illa in homine letalia quodammodo effici cum placent, & quae crebro sanata, crebro recrudescunt. Raro enim anima uere a Dei spiritu diluta, hoc est, quae priusquam sacerdoti sese purgandam offert, purgata a spiritu fuit, egesta reuomet. Quae quidem purgatio ab intimo dolore propter admissa peccata, firmoque abstinendi sese a reliquis proposito, id omne agente Dei spiritu, in animam prouenit. Quare in re tam seria, ut est peccatorum confessio, illud maxime requiritur, ne nos aut usus, aut metus, aut alius huiusmodi affectus ad illi obsequendum instituto ac legi adigat uerum peccati odium, sanitatisque recuperandae desiderium, ac quaedam in nos propter peccati turpitudinem excandescantia atque ultio, non ui trahant, aut ex more, sed uoluntario mentis consilio atque deliberatione, sponte nos nostra ducamur. Haec plane paululum a proposito diuertens dixi, quo facilius animum aduertant in religione rudiores, quot modis non bene obductae repullulent cicatrices: & quam periculosum sit, uelle ulcera antea consolidari, quam opportunis abstergantur remediis. Sed ad meipsum redeo, qui meae foeditatis conscius, meque tanquam implacabilem mihi exhorrescens hostem, miser factus sum, & incuruatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.

{38.8} Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.

Miserias miseriis mihi coaceruans, quomodo miserum me esse non fatebor? Atqui fieri minime potest, me tam graui miseriarum onere pressum, non curuum incedere. En remedium uere diuinum meae arrogantiae datum ac superbiae. Nisi enim esset, qui elatum in me animum frangeret, quis eum ferret? quid cor superbissimo meo in pectore non auderet? Verum cum me ipse serio contempler, hoc est, quam intolerandum, quamue aerumnosum sit pondus istud, quod mihi ultro asciuerim, non queo non ex intimis animi praecordiis dolere, ac continua quoad uiuam tristitia affici. Contristatus igitur uitae huius iter utcunque expediam, me macerans, suppliciumque de me sumens: quoniam lumbi mei adeo repleti sunt illusionibus, ut nulla in carne mea sit sanitas, nulla integritas, nullaque eius extet pars, quae libidinum incendiis non ardeat, illudaturque ab obscenis quibusdam formis ac motibus, tanquam captiua meretrix omnibus omnium uulgo iniuriis prostituta: siue uigilem, siue dormiam, siue legam, siue orem, siue aliquid aliud sacratius peragam, is molestissimus sese ingerit carnifex. Quid dicam? in eremis, in solitudinibus, in harenosisque locis, ac solitariis, ubi nulla cernitur amoenitas & suauitas, ubi nihil est quod non horrorem ac metum afferat, praesto est, & sese etiam frigidissimis

anachoritarum sensibus insinuat, illisque petulantissime illudit, dum irritabiles quasdam obiicit species ac formas: ad quas considerandas uel perfectissimi interdum uiri, a coelestium rerum contemplatione sensim, cum non aduertunt, delabuntur. Itaque iam satis superque praeteritis meis annis uacatum est mundo, nunc tandem referendus est pes, atque animus a mundi uanitate reuocandus. Instat iam mors, urget, admonet, minaturque: & ego, ut fera quae naturae impetu magis, quam rationis fraeno in sordidas uoluptates fertur, in lasciuiis degam? Meum sane periculum animaduertens,

{38.9} Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

In superiori versu illud quod noster interpret vertit, In finem, Hebraeis est vehementer, nimium: seu, ut reddit Paraphrastes, supra modum. Vnde quidam ex Hebraeo sic transtulit: Afflictus & humiliatus sum eoque, ut omne tempus mihi fastidiosum sit. Etiam illud in superioribus, Tota die contristatus ingrediebar, sic uertunt Hebraei: Tota die, hoc est, iugiter, pullatus seu atratus, ac moerens ambulauit. Tota die, inquit Campensis, habitu lugubri obambulauit tristis. argumentum nimirum ingens moesti animi & afflicti. Illud quoque notandum, Paraphrastem secus reddidisse superioris illius hemistichii sensum, Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus. Intestina, inquit, mea feruenti plaga plena sunt, quae sic erumpit, ut nihil in corpore integrum reliquerit. Quod quidam de morbo aliquo uiscerum grauiori intelligi existimant: ego mallem de interno dolore, ob praeteritorum peccatorum memoriam & terrorem. Illa mea repleta sunt combustione, uertit Felix quae litera primo sensui magis conuenire uidetur. quanquam Paraphrastes quoque eundem reddere uoluisse uideri potest. Nam cum uehementioribus quis rerum uenerearum flammis incenditur, ardet totus, neque in eo pars ulla est, quamuis abdita & intima, quae tunc non ebulliat. Nescio enim an nostri isti frigidiusculi eunuchi, quibus titillatio quamlibet parua in aliis obscoena (suas plerunque turpissimas & uehementes, nec in confessione quidem nude detegunt, sed quantum possunt, mille obtegunt circumlocutionibus) atque a natura excitata, horrore solet esse, quae hic dico, imo quae dicit spiritus, intelligant. Ego quidem perfectorum mentem exprimere aueo, qui sane suis in enarrandis miseriis eo diligentiores sunt ac nudiores, quo exactius cognoscunt sese. Ardentem nunquam uidi demanasse confessionem a corde, nisi quod spiritu arderet diuino. Caeterum tepida omnia abominatur Dominus. Ego enim meam, inquit, cum mecum reputo miseriam afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei. Collisus sum, uertit Fel. & contritus sum uehementer, rugii prae palpitatione cordis mei. alius uero: Fractus & comminutus sum, seu dissolutus sum, relaxatus, mutatusue nimis. Quocirca sic Paraphrastes: Debilitatus sum, & modis tam miris uulneratus, ut prae intolerabili animi cruciatu uocem ediderim non humanam, sed rugitum potius leoninum. Haec sane omnia ex Hebraeis interpretibus libenter addidi, quo a plerisque qui se Poenitentes nominant, haud ignoretur, cuius habitus is esse debeat, quem uere atque ex animo suorum poenitet delictorum. Vera enim poenitentia non tantum (crede mihi) in rebus constat externis, quantum in amaritudine animae & cruciatu. Tunc uero bene ingemiscis, ut inquit Augustinus, quando sic te poenitet errati, ut tibi amari sapiat in animo, quod ante dulce fuit in uita: & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente. Dissoluitur tunc quidem anima, ac quodammodo in sese frangitur: itaque in lachrymas tota resoluitur, ut nullam amplius admittere uelit consolationem, nullam capiat requiem

donec ex Dei ore audiat: Remittuntur tibi peccata tua, uade in pace. Caeterum de rugitu ac fremitu illo, quem a dolore ui interdum presso retentoque proficisci cernimus, in psalmo uigesimo secundo, in quo Christi narratur passio, abunde est dictum.

{38.10} Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus.

Persuasum quippe sancti Dei uiri habent, se a Deo amari, atque propterea de-
[debere]

{pdf 332, p. 158}

-bere ab illo suis in aerumnis & tentationibus euestigio adiuuari. Sic sentit caro, utpote cui res uel mediocriter graues, onerosae sunt, peneque intolerabiles. Verum a consuetis spiritus immissionibus admoniti, breui animum colligunt, certoque sciunt, usqueadeo aduersitates ab aeterno patre sibi inferri, quatenus absque salutis dispendio ferre eas possint. Interim tamen eo, quem iam a spiritu didicerunt, commoti affectu, iniurias quodammodo quibus undequaque obiecti sunt, cum Deo expostulare uidentur. Quousque, inquit, haec in nos desaeuiet procella? Patieris ne diutius animas has nostras, iam ab ipsis primis nostrae infantiae tibi dedicatas annis, a diris huiusmodi calamitatum atque aerumnarum uiperis discerpi, cum maxima coram te sint nostra desideria & affectiones, amorque noster quibus in rebus positus sit, te minime lateat? Quis melius, quam tu, qui nos sic esse uoluisti & formasti, ac denuo in pulchriorem refudisti formam, nouit, quo nostra dirigantur suspiria? quo gemitus? quo lachrymae? Tu bonorum omnium autor atque erogator, per quem sic, ut uides & iubes, die noctuque suspiramus, ingemiscimus, coelumque ipsum eiulatibus oneramus, tuos inspice afflatus, nosque iam tandem in eo rerum colloca statu, ut nulla posthac aduersitatum nos a nostra, quae est in te, pace, deturbet moles ac tempestas. Nam

{38.11} Cor meum conturbatum est, dereliquit me uirtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.

Vide summi doloris effectum. Cor enim animae sedes ac domicilium, non potest non anxium esse ac crebris ictibus palpitare, circuireque, ut uertit Felix hoc est, miris circumagi pulsibus ac motibus, cum maximo aliquo afficitur dolore anima & metu. Corde igitur sic affecto, tota pene corporis textura dissoluitur, aegrotatque: unde membrorum miseranda quaedam ac sensuum oritur debilitas, ut uere sui domini tota (ut sic dicam) uideatur misereri familia. Et ut quidem artus omnes ac sensus, una cum corde simili afficiantur damno, acerbius tamen id oculis, utpote delicatioribus, & nobiliori seruientibus sensui, contingere cernimus: & si quidem non aliam ob rem, ob lachrymas tamen frequentiores a dolore erumpentes adeo plerunque atteruntur, ut corrupta plane pupula aut scintilla luminis, ut eam uocat Lactantius, suo destituantur uidendi munere. Hic igitur uates, seu potius uatum princeps, sui uolens uehementiam doloris, hic ob aliena peccata, ille ob sua exprimere, clamat, cor suum crebris palpitationibus agitari, uires deficere, atque oculos lumine prorsus orbari. quanquam nihil me uetat, qui haec omnia meo maximo experior moerore, de internis animae uiribus atque oculis hunc uersum interpretari. Sentio enim (o utinam meo commodo)

nonnunquam e saeviori aliqua infortuniorum procella, quid meae possint uires, quid uoluntas, quid arbitrium. Sentio, inquam, quam caliginosum mihi factum sit coelum, quam tenebrosa mei ipsius cognitio: hebet tum quidem magis uisus ille interior, quem libere in altissimarum rerum indagatione figi posse cogito, cum tranquilla omnia illa quae mentis aciem obtundere obfuscareque solita sunt, esse uidentur. Verum ab igne, cuius perfectionis aurum sit ac naturae, facile dignoscitur. Fateor igitur, neque cor in me, neque animum, neque si quid aliud sum, diu sub aduersitatum tentationumque malleo, suum seruare posse uigorem ex sese, seruare tamen in meliusque refundi posse ex Deo, qui cor ipsum ac mentem, continuis non cessat munire suarum gratiarum praesidiis & donis, ita quod, nisi uelim, a firmo contemplandi diuina, terrenaque despiciendi proposito & uoluntate nequaquam possim diuelli. Merito quidem, & uere ego inter caeteros peccatores queri possum, quod cor meum conturbatum est in me, quod dereliquit me uirtus mea, quod lumen oculorum meorum non est mecum, quod

{38.12-13} Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt:

Et qui iuxta me erant de longe steterunt, & vim faciebant qui quaerebant animam meam:

Et qui inquirebant mala mihi loquuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.

Inter multa uitae huius infortunia, illud acerbius uidetur, cum quis in aerum-
[aerumnam]

{pdf 333, p.158v}

-nam aliquam insignem proiectus, ab amicis ac propinquis deseritur. Quare non immerito quidem alio in psalmo Christus multis prius suis enumeratis calamitatibus, quas ultro sibi pro omnium asciuerat redemptione, postremo tanquam infortuniorum omnium maximum addidit: Tribulatio proxima est, & non est qui adiuuet. Cuique scriba ille diuinus succinuit dicens: Omnes relicto eo fugerunt. Parum ne id fuit? O instabilem amicorum fidem, posteaquam non solum columnae ipsae Ecclesiae tum prorsus uacillasse uisae sunt, uerumetiam dilectus ille discipulus, qui e sapientissimo Christi sinu quicquid diuinitatis in terris humano ab intellectu hauriri potest, abundantissime hausit, relicta sindone aufugit nudus. Fratres mei, clamabat Iob, praeterierunt me ut fluuius, qui alueo suo decurrit. Unde illud est de Christo uaticinium: Amici procul recesserunt ab eo. Felix hunc uersum sic legit: Diligentes me, & socii mei ex aduerso plagae meae stabunt, & proximi mei longe steterunt. Non hic te immoretur temporum mutatio: familiaris haec est Hebraeis phrasis, ut saepe alias admonuimus. Vident enim interdum nostras amici miserias & plagas, uerum contra hiscere neutiquam audent, tantum abest ut succurrant, partim animi ingratitude infecti, partim metu eorum qui innocentiam affligere soliti sunt, deterriti. Unde hi rebus suis propriis & commodis in primis consulentes, iter amicos fortunae connumerandi sunt, illi uero expungendi omnino ab hominum conuictu & conuersatione. Caeterum huiusmodi fidelium, si Deo placet, amicorum sodalities fultus uir probus, totus quantus est insidiantium libidini ac crudelitati dilaniandus traditur. Semoto igitur amicorum solatio, impune uim faciunt, qui quaerunt animam meam: hoc est, qui nomini meo dignitatique ac uitae insidiantur,

dolos mihi connectunt. Nam quod noster interpretis uertit, uim faciebant, Hebraeis est, laqueos seu insidias parauerunt. Quid hunc (aiunt) adeo in altum euehi permittimus? Quid tenerum dum est uirgultum, non amputamus omnino, aut saltem deorsum, ne in proceram coalescat arborem, deflectimus? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Hic est haeres, clamabant illi malae fidei agricolae, occidamus eum. Sic nimirum semper in terris male habita fuit innocentia. Porro uanitates Felix uertit prauitates: alii uero ex Hebraeo, partim perniciose, partim scelerata. Unde Paraphrastes: Loquebantur scelerata, & fraudes assidue machinabantur:

{38.14-15} Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Quid faciat anima mille intus perturbationibus exagitata, foris uero innumeris iniquorum hominum iniuriis exposita, ab amicisque derelicta? Tacet nimirum, perinde ac solent natura elingues, atque ad calumnias obsurdens: tota in Deum fertur, qui cum res suas liberius quam cum hominibus pertractans, de illatis innocentiae iniuriis confidenter expostulat. Corruptis enim mundi tribunalibus, quibus coram mutire solent innocui, noxii uero libenter audiri, nostras hic omnium, qui in aerumnis uitam agimus calamitosam, discutiendas in coelis causas relinquimus. Quae quidem spes adeo nos tutos reddit, ut ne in praesentia quidem multum perturbemur, si inauditi damnamur. Atqui subitus quidam (exempli causa) exoritur rumor, probum aliquem ciuem fregisse reipublicae aerarium, corrasisse uel e templo calices, ac perditissimum omnium iudicatum, peculatus reum factum, quid hic agat uir optimo conscientiae fretus testimonio? uel eo maxime quidem, si illos quorum interest innocentiae causam tutari, non solum corruptos esse, sed & pariter cum maledicis illis conspirasse uidet? Aequae enim illa omnia de se sic uulgo iactitata praeteribit, atque solent surdi, aut modo alio attoniti & amentes. nam quid cui quis respondeat de quo non auditur? Erit igitur tanquam natura surdus, cui reticentia necessario comes est: hoc est, non respondebit, non contumelias pro contumeliis referet, non remordebit, sed Deo tantum causam suam uentilandam committet. Quod si tamen interdum in maledicos, arcta quadam atque honesta cogente necessitate, audendum erit, non insolens id quidem omnino, modo [modo]

{pdf 334, p. 159}

-do ausis huiusmodi in temeritatem exiens, aequitatis limen non excedat. Vide quod Christus saeua illa accepta coram iudice alapa, sacrilego responderit percussori. Si male, inquit, locutus sum, testimonium perhibe de malo: si uero bene, quid me caedis? Quam uerum illud tunc fuit, quod sicut ouis coram tondente, sic non aperuit os suum. Et factus sum, inquit, sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. quasi dicat, adeo tacui, ac si non haberem quid iuste responderem, aut redarguerem. Similis eram, inquit Paraphrastes, uiro qui nihil audit, nec diluit quae illi obiiciuntur crimina. Enimuero nostrum dum nimium amamus nomen ac famam, dumque omnibus, & maxime improbis, anxie nimium satisfacere efflagitamus, illud contingere necesse est, quod & nostras mollius, quam par est, feramus iniurias, & illos quibus tanta cum

solicitudine placere nitimur, magis inflammemus, atque idcirco perpetua in anxietate uiuamus. Huiusce enim generis hominibus id moris est, ut eos repercussione magis frangas, quam obsequio places & humilitate. Quanquam uir Christiane institutus, mauult millies improborum persecutionibus esse obnoxius, quam uel tantillo iniuriarum posse uincere. Scit enim uitam hanc militiam esse ac pugnam, in qua qui uincitur (de controuersiis cum hominibus loquor uictoria potitur. Vis ne, inquit sanctissimus meae professionis senex, tuum uincere aduersarium? sinas te uinci. Verum ut ad me redeam,

{38.16} Quoniam in te Domine speraui, tu exaudies me, domine Deus meus.

Fastidio iam demum, inquit, & homines, & quicquid polliceri possunt filii Adae. Vidi tandem, ac meo iam periculo expertus sum, condita omnia titubantibus incedere uestigiis: quare summa haec esset amentia, rei illi fidere, quae perpetuo nutet motu. Itaque in domino mea erit deinceps collocanda fiducia, non in homine quamuis potente, aut amico: multo minus in rebus inanimis, rationisque expertibus, ut sunt diuitiae, dignitates, regnaque & magistratus. Solus enim Deus est cui idcirco fidendum est, quia uerax, quia omnium ditissimus, quia inuocatus actutum subuenit. O spei robur. Exaudiet (inquit spiritus) quoniam in ipso speratur. Respondebis, uertit Fel. hoc est, annues, uotisque meis auscultabis. Sed de spe iam centies diximus. Tu exaudies,

{38.17} Quoniam dixi, ne quando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Tu exaudies,

{38.18} Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.

Tu exaudies

{38.19} Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.

Rationes hic quasdam adducere uidetur homo Dei, quamobrem in angustiis & persecutionibus, inquam qui loqui nesciret, obmutuerit, cum nihilominus supra uires affligeretur, ab amicis quoque desertus, & propinquis omnibus plane stomacho fuerit. Ex qua quidem animi lenitate ac mansuetudine sibi a coelesti patre data, se exauditum iri sperat. Prima igitur ea est, ut cum ab atrocioribus quis impetitur iniuriis, non tantum cogitet, quam mali illi sint qui iniurias inferunt, quantum quod propria ob delicta, longe immaniora meritis sit: quocirca se, suasque (ut aiunt) opes diligenter expendens, eo se totum proiicit, unde tantis suis malis opem medelamque expectari par est. Cognito enim quod nulla res sit in mundo cui uel horulam quidem inniti aut possit, aut debeat, in Deum totus fertur, speratque a coelesti medico se suis erratis, unde saeuae illae persecutiones ortum habent, ueniam impetraturum. Nec fallitur quidem: nam cum primum amantissimus nostri Deus, qui hac de causa in mundum uenit, ut animae languoribus mederetur, ad nos curandos, qui infinitis propemodum aegrotamus morbis, inuitatur, praesto adest, modo spe firma exorandi quod oratur, supplicationes fiant. Hinc est, ni fallor, quod hic dicit: Quoniam in te speraui, tu exaudies me domine Deus

meus. Alia item ratio est ab ista demanans, cum non solum sub iniuriarum onere, tanquam mutus sileat, nec queratur, sed etiam dicat, hoc est, ex

{pdf 335, p. 159v}

animo optet preceturque tantummodo, ne uera illa unquam sint, quae sibi hostes obiciunt, pro quibusque non tantum se hominem alioqui miserum ac foedum, uerumetiam iustitiam ipsam atque innocentiam impudentissime impugnant, sibi que cum gaudio insultant: nanque eos huiuscemodi affectos impudentia nouit, quod ineptissime in quamlibet parua aliorum non dico ruina, sed lapsus suspicione, quam pedum commotionem appellat uates, laetitia gestiant, ac magna gloriosaque uerba de iam adepto triumpho blaterent. Hinc illud est, quod alio in psalmo optauit uates dicens: Ne quando dicat inimicus meus, praeualui aduersus eum: & qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero. Huius porro uersus sensum sic reddit Paraphrastes: Valde metuebam ne nanciscerentur ipsi ansam gloriandi aduersum me: qui quoties vel tantillum accepissem incommodi, erigere solent cristas suas. Putas ne animam sic male ab aduersariis habitam, posse de se alte quicquam sentire? Deiicitur mirum in modum, ualdeque atteritur animae fastus, per iniuriarum limam ac scalprum. Verum maledictum ferrum, ut ait uates quidam, quod contrahit e lima rubiginem non candorem. Quoniam igitur in persequutionibus surdus mutusque extiti, non maledicta maledictis regerens, cum tamen possem: quoniam in illis meis angustiis atque aerumnis, spem nunquam, quam in te semper habui, remisi: quoniam, inquam, pro mea tutanda innocentia ac fide, qua omnibus in rebus meis quamlibet aduersis, tuo fultus praesidio nisus sum, rogauique non tam pro me, quam pro meis hostibus & persecutoribus, quae omnia dona tua sunt, exaudisti me semper, exaudiesque in posterum: nam impossibile plane est, te tua non amare munera. Et cum quidem nostram tutaris innocentiam ac iustitiam, tu tua tunc defendis dona. Exaudies rursum, quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Nihil enim tam gratum esse potest Deo, quam si indicia sui erga homines amoris, ea suscipiantur animi mansuetudine & modestia, prout convenit caetera diuinitus mundo collata beneficia suscipi. Quae porro praecipua illa sint indicia, puto molestias uitae huius esse, et flagella: nam quem diligit dominus, corripit, ut inquit Salomon, & quasi pater in filio complacet sibi. Quare id non ignorans uir sanctus, diuina, non sua, fretus uirtute, clamat: En ego in flagella paratus sum, en cor, en animus, en quicquid in me est, tua ad amabilia admittenda uulnera praeparatum. Quid mihi iucundius accidere potest, quam tuis erudiri flagellis? quid utilius? quid maiori desiderio amplectendum, quam illis ipsis transfodi iaculis, quorum uulnere meliores efficimur, eaque insignimur nota, quae nos propalam omnibus ueros Dei esse filios ostendit? Utcunque enim in me desaeuiant daemones, utcunque mundus, ego posthac tanquam surdus non audiam, ac tanquam mutus non habens in ore suo redargutionis ero: tantum res meas mecum reputans illud in primis curabo, quomodo dolor meus in conspectu meo sit semper: haec mihi cura die noctuque erit, hoc studium, hoc perseuerans animi propositum. Ceterum dolor is, animae est cruciatus, quo continuis tanquam uiperis, ob peccata iam olim admissa proditur. Nemo enim tam sanctus est tamque per poenitentiae lauacrum emundatus, cui peccata uitae antiqua, dolori esse non debeant, & id assidue: cum quidem in memoriam illi uenit, quantus ille sit, quem delinquendo innumeris laccessiuerit modis, ni prorsus saxeus sit, totus in lachrymas resoluitur, doloreque eo

afficitur uehementiori, quo iam nitidior factus, seipsum clarius intuetur, quam antea peccati turpitudine obnubilatus intueri poterat. Et dolor meus, inquit, in conspectu meo semper. Quocumque me, inquit, uerto, aut humana fugio consortia, is me semper angit cruciatus, mecumque commoratur: quoniam iniquitatem meam ego, ego inquam qui peccaui, annuntiabo, a cogitabo pro peccato meo. Istuc igitur graue illud uulnus est animae meae, is dolor, haec afflictio, quod iniquitatem meam non possum non agnoscere, dum memet mihi ostendo, nec dolorem remittere sinit recordatio peccati mei. Ergo meas fatebor maculas, neque unquam a consideranda peccati mei foeditate auertam animum. Felix sic: Quoniam iniquitatem meam indicabo, anxius ero prae peccato meo. Vide, mi lector, an ad tuas diluendas culpas, temporaria illa, quae in extremo uix quadragesimae calce, peccatorum tuorum fit memoria, satis sit. Non hic certe diu-
[divinae]

{pdf 336, p. 160}

-nae bonitati terminum praescribere animus est, qui dicto citius hominem a morbo quamuis letali curare potest, ac curat continue, ut olim etiam ante Christi aduentum, per quem ueram nacti sumus medelam, Naaman illum Syrium, in Iordane septies lotum, iussu Elisaei, a lepra emundauit. Verum id timeo, ne contenti subita illa, non dico uitae mutatione, sed peccatorum memoria, ac confusa plerunque confessione, nos nostris debitis satisfacisse arbitremur. Peccati enim labes huiusmodi res est, quae nisi nouis semper coerceatur studiis, doloreque mactetur, aut repullulat, aut ne semel quidem unquam radicitus exciditur. Dolore quidem, & illo immenso ac diutino opus est ad reconciliandam nobis diuinam gratiam, quae tamen adeo abundans est, & sui, ut ita loquar, prodiga, ut nec reluctantes deserat, nec ipsos prorsus in sordibus delictorum deuolutos auersetur. Audi igitur, quid clamet anima peccati telo transfixa. Dolor, inquit, meus in conspectu meo semper. Alio item in psalmo: iniquitatem meam, inquit, ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper:

{38.20} Inimici autem mei uiuunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Interea, inquit, loci, dum ego sileo, saxeusque quodammodo ad iniurias efficior, perferoque omnia, ea fultus persuasione, quod non diutius tuos absque ope sub mole aduersitatum laborare sinas, mei hostes uiuunt, ualent, exultant, robustioresque quotidie & numero & uiribus aucti efficiuntur, & quod saeuitiam omnem superat, me immanissime nihil unquam uel re uel uerbo a me laesi persequuntur. id est, quod ait, inique. O genus hominum uere execrabile & odiosum. Illi

{38.21} Quia retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

Hoc est, illi quibus inhumanus quidam mos est, malum pro bono, iniuriasque pro beneficiis compensare, detrahebant mihi aduersabanturque, me lacerabant, mordebant, allatrabant, non alia quidem magis causa, quam quoniam sequebar bonitatem. Persequerentur bonum, transferunt ex Hebraeo quidam, uoluntque de bono seu beneficio

intelligi, quod pii homines in suos hostes pro calumniis refundere ex animo quaerunt. Unde sic quidam interpretantur: Quacunque re illos iuuare possem, eam persecutus & consecratus sum praecipuo studio. Persequi enim rem aliquam nos dicimus, cum eam diligenter, curaque ac studio consecramur. Unde illud est: Inquire pacem, & persequere eam. hanc enim in primis immanitatem, a Iudaeis Christus expertus est: Occidamus, inquiunt, eum, contrarius quippe est opibus nostris. Quare cum te, o Christe, uideam ex his quae passus es, misericordiam didicisse: cumque te audiam continuis ueluti clamoribus me meique similes, hoc est, miseros, multaque uitiorum turpitudine inquinatos, pressosque pondere cupiditatum, e coelo inuitantem, clamantemque, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos: audebo & ego una cum illis ad te, fide ea munitus, qua meam niti imbecillitatem uoluisti, confugere, quasique reclamare,

{38.22-23} Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris a me. Intende in adiutorium meum Domine Deus salutis meae.

Vides Domine quo in loco sint res meae, quam truces adversarii, quam impar mea cum tam crudelibus inimicis uirtus: quam non sint, etiam inter religiosiores, qui innocuos a noxiis, purosque ab inquinatis, eximere aut possint, aut uelint: quare auxilio tu sis mihi domine mi Deus, & ne relicto me in his periculis, tu procul hinc abscesseris. Cito igitur accurre, ut auxilio sis mihi domine autor salutis meae. Cui laus sit & benedictio, Amen.

{pdf 337, p. 160v}

IPSI IDITHUN. PSALMVS DAVID XXXIX.

{39.2} Dixi custodiam uias meas, ut non delinquam in lingua me.

Idithun, de quo sic legitur: Idithun in cithara prophetabat super confitentes & laudantes dominum: ex primariis cantoribus, qui sacrae praeerant melodiae, psalmisque Daudis in diuino canendis obsequio, unus erat, cuique inter caeteros is fuerat demandatus. Nec immerito quidem: nam Idithun transiliens interpretaentur [sic, interpretantur, 1585]: psalmusque uirum illum graphice describit, qui e mundi uanitate ad Deum transire & cupit & nititur. Diuinae certe contemplationes haud facile ab ignauis apprehenduntur animis: res enim est, quae continuum efflagitat motum & transitum, alioquin omissa, uel parum, coelestem illum gustum obtinendi studio ac nixu, in rebus facile corporeis considerandis, fruendisque firmamur, manemusque in Aegypto, durissimis luti ac lateris conficiendi operis addicti. Summa proinde ui emigrandum est ab impiissimis moenibus Pharaonis, ad montem Dei Oreb (hic Sinai est) in quo lex uitae a purgatissimis tantummodo percipitur animis. Verum nescio qua mea miserrima id contingat forte, ut cum me iam uepres hasce curarum superuacaneorum, noxiasque affectiones transiliisse somniam, in easdem me iterum reuolutum sentiam: & cum me penitus e luto emersisse arbitrer, rursus in lutum deuoluatur, rursus in terra me esse uideam, rursus idem, utinam non peior, sim. Unde id quaeso? Ob id, opinor, quod nondum Aegyptum derelinqui adhuc Ramesses magis, aut Phiton placet, quam desertae solitudinis labor, atque iter. Sed illud in me ualde admirandum, quod cum etiamnum super ollas carniuum Aegypti sedeam, me in Aegypto esse non cogitem, eaque uiuam

animi securitate, ac si in culmine ipso montis, Deum facie ad faciem cum Mose alloquerer. O meam stupiditatem. Proinde, si sapio, alia mihi ineunda est uitae ratio. Iam igitur decreui, iam (ut inde mei transitus exordium sumam, unde mala prope modum omnia originem habent) deliberaui, & dixi: Custodiam uias meas, ut non delinquam in lingua mea. Ea enim meae mihi in primis habenda est uitae ratio, ut quicquid agam, aut loquar, adeo exacte ad diuinae legis regulam perpendiculumque informem, ut ne uerbo quidem quamlibet minimo quenquam offendam. Vides quo exordio felicitis huiusce transitus auspicanda sit uia? Nam certe quemadmodum suam non refraenanti linguam, ut diuus ait Iacobus, uana est religio: ita primus ad religionem aditus in linguae moderatione est positus. Quare ne in re iam toties a multis decantata diutius immoremur, illud asserere possumus, nullum unquam malum in terris exitisse, quod lingua effraenis non inuexerit. Non est, inquam, tam algida regio, etiam ipso sub frigidissimo Bootis sydere collocata, omnis scilicet caloris atque ignis expers, quam non incendere queat turpissima obtrectatorum lingua. Quantum uero incendii afferat mortalibus adulator, quantum palpo, quantum simulator, quantum mendax, quantum dolosus falsusque delator, quantum periurus, iam non est ulla orbis plaga quae id ignoret. Quod ego quia damnum non ignauiter expendens, quanto possum conatu nauo operam, quo non solum tam lubricum diligenti custodia membrum muniam, uerumetiam capistro alligem, aut fiscella reprimam. Quod noster interpretes uertit, posui ori meo custodiam: Hebraeis est, custodiam os meum fiscella, boum scilicet more, quos fiscellis, ut ait quidam, capistrari oportet, ne germinum tenera decerpant. Hoc sane uerbo usus est Moses in Deuteronomio: ubi nos legimus, Non alligabis os bovi trituranti: Hebraei habent, Ne capistres fiscella bovem dum triturat. Observa igitur animae diligentiam.

{39.2} Posui, inquit, custodiam ori meo, cum consisteret peccator aduersum me.

Hoc est, ut reddit Paraphrastes, fraenum adhibebo ori meo, quandiu negotium mihi fuerit cum impio. Putas ne undecunque, uel cum non aduertis, sparsos esse corycaeos, qui nostram, ut inquit Paulus, explorantes quae est in Christo libertatem, miro obseruant artificio, si quid non recte dictum excidat? [Paul, Galatians, 2.4] olim enim coricaei per Asiae portus interspersi, quid mercatores rerum ferrent, quo ue nauiga- [navigarent]

{pdf 338, p. 161}

-rent subauscultantes, insidiasque interim saxa inter latentia, insulasque occultiores molientes, egressos illos e portu adoriebantur, diripiebantque. Sic nimirum a nonnullis etiam in intimis ciuitatum, templorumque interdum uisceribus fieri cernimus. Hi enim amicitiarum necessitudinumque praetextu, aut aliquo alio honestiori habitu, tanquam secretiori secessu tecti piratae, quicquid loquimur subauscultare soliti sunt: unde ansa uix unius uerbi prolatione aut reperta aut ficta calumniandi, in nostram grassantur innocentiam, famamque depraedantur, ac ne cogitata quidem, ad Principes & magistratus pro factis deferunt. Qui interdum malae fidei pastores cum sint, non solum probos sic male habitos, ab improbis non asserunt, sed etiam (malum) opprimunt, illosque praemiis qui insontes, tanquam oues belluis cruento in theatro obiecere, &

ornant & exaltant. Caeterum peccatorem aduersum nos consistere dicimus, cum uel aliis, nobis praesentibus, obloquitur, uel nobis adulatur. Verum illud diuinum, posse adeo obfirmari animum, ut non pecces lingua, cum semper, tum potissimum cum te aut tuos calumniantem audis. Non est quidem multum te tuam ostentare mansuetudinem, cum nemo laedit, obsistitque & prouocat: at illud non solum magnum, uerumetiam maximum omnium uidetur, cum consistit peccator aduersum te, silere. quanquam aliquibus persuasum est suum periclitari honorem, nisi in suos, quanto possunt nixu, ferociant calumniatores. Talem: quidem morem Christiana non admittit constitutio. Imo, si ingenue quod uerum est fateri uolumus, non coniiicio cur hominem illum, qui par pari suis referre calumniatoribus paratus est, refertque si potest, Christianum appellare debeam, cum Christi legem longe aliter praecipere uideam. Quibusne igitur suam perscripsit uoluntatem ac legem Christus? O mores corruptos. Vide, mi lector, quantum nonnunquam a uero ab erramus scopo, parumque consideramus quae sit Dei uoluntas bona, ut inquit Paulus. Quam uereor, ne illa Christi ad nos magis, quam ad Iudaeos olim, pertineat comminatio: nos dico, qui omissis solidioribus, leuissima nescio quae interdum amplexamur, quibus plane seruatis, segura omnia nobis fore pollicemur. Vae uobis, inquit, hypocritae, quia decimatis mentham, & anethum, & cuminum, & reliquistis quae grauiora sunt legis, nempe iudicium, & misericordiam, & fidem. Haec quidem oportuit facere, & illa non omittere. Haec igitur atque his similia cum cerno (ut inquit) illis praesertim in locis fieri, illisque ab hominibus, a quibus ob uitae sublimitatem nulla fere speratur correctio, sic mecum. Ubi auditus non est, non effundas sermonem: quare

{39.3} Obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis, & dolor meus renouatus est.

Obmutui silentio, uertit Felix hoc est, ut reddit Paraphrastes, obmutui penitus: abstinui etiam bonis, metuens ne & illa in calumniam raperent. Solet enim aliquando uir probus, si quid acerbius contra se, aut sui similes, uel quod magis eum angit, contra diuinum honorem aut dici aut fieri uidet, in querelas quasdam parum se dignas erumpere, reclamareque, ac commotiore, quam par est, animo in illos inuehi, qui cum turbas conciuerint & rixas, lautissime triumphant. Quam sane intemperantiam quo facilius superent, malunt perpetuo silentio etiam de his quae bona sunt, obmutescere, intusque sua, ut aiunt in sartagine consumi, quam quid inepte intemperanterque effutire. Verum dolor ille sic ex diutina exortus reticentia, sicque in interioribus animae partibus compressus, suam secum enutrit poenam: nam spiritus a moerore quodammodo repercussus, sese ad intimas cordis sedes reuocat: unde contracto introrsus per spiritum calore, doloris incitabula, (sic illa uocant philosophi) mirum in modum incenduntur. Ex quo quidem calore uis eo acrior fit doloris, quo calor ipse uehementius incruduerit. Quare simulac suum in se dolorem innouatum, seu exagitatum, ut uertunt Hebraei, esse fassus est, subiunxit illico,

{39.4} Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.

Quorum uerborum, sensum sic reddit Campensis: Cum animo reuoluerem quibus in malis essem, non aliter aestuabam, quam si ignis intra me arderet, qui

{pdf 339, p. 161v}

erumpere cogeret me in uocem hanc. Unde uehementes cogitationes, hae praesertim, quae in querelas, ob multa absurde quae fiunt in mundo, sese effundere gestiunt, intus in animo retentae, irrequieto tanquam igne exagitantur motu, inardescunt, exaestuant, uixque ui se, ne erumpant, continent. Sic ea nobis peccati a Deo relicta est infirmitas, quo quales tandem simus, non ignoremus. Caeterum non est dolor cum illo comparandus, cum uir diuini honoris studiosus, sancta uidet sanctorum a suis conculcari conspurcarique, & nihilominus ne mutire quidem illi integrum est. Tacet igitur, suumque in semetipso macerans dolorem, cum Deo saltem, postquam cum hominibus non licet, diuinam expostulat iniuriam.

{39.5} Locutus sum, inquit, in lingua mea.

Quid, oro, post dissimulatum tandiu dolorem, locutus est?

{39.5} Notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum, qui est, ut sciam quid desit mihi.

Taedio, inquit, incolatus huius vitae affectus, in qua sane nihil quod uerum gaudium afferat, inuenitur, sed omnia turbida, molesta, aspera, confusa: tantum id cupio, ut mihi infelicis huius exilii finis, quantoque tempore in miseriis mihi uiuendum sit, innotescat. Putas ne diutius cum his qui oderunt pacem, commorabor? Quantum nam mihi aevi superest? spes certe finis, uitaeque melioris expectatio, dolorem hunc meum si non leuare omnino, at saltem lenire posset. Iam quaecumque gustu amara sunt, ut sunt pleraque huius mundi, expertus sum, tuaque ope a diutus utcunque superauit. Restat finis, quo sane cognito, non tanta cum molesta quod uitae reliquum est transigam.

{39.6} Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te. Verum tamen uniuersa vanitas omnis homo uiuens.

Illud in primis asseuerandum, finem unicuique sui incolatus, facile posse innotescere, si se breui cogitat moriturum. Nam longa haudquaquam serie, non dico annorum, sed horarum, recensendum est, quicquid totum hic uiuitur, Ecce ad mensuram pugillorum posuisti dies meos, uertit Fel. & tempus meum ac si non esset coram te. Minimam omnium quae manu fiunt, hic ponit mensuram, quo tenuissimae uitae nostrae tempus adeo breue esse, ac citra omnem, ut sic dicam, numerum cogites, quod tam parua mensura, ut est pugillus, metiri possis: aiunt enim quartam partem esse palmi. Unde nonnullis placuit sic uerti posse: Ecce palmares posuisti dies meos, hoc est, breues, modicos, citoque desituros, utpote tam modica re inclusos. Utcunque igitur sit litera, illud non ambigendum, breuitatem hic uitae humanae describi. Siue enim cubito, siue ulna, siue spithama, aut semisse & pugillo tuam hic uitam metiaris, scito te quam primum moriturum: atque propterea inanitatem quandam rerum esse, mortalium aetatem. Reuera enim, inquit Campensis, modis omnibus uanissimus est, quisquis est homo, quantumuis uideatur esse aliquid. Substantia mea, partim tempus meum uertunt, partim aeuum, quod uates uice hominum asserit, si Deum spectes, qui super

omnem aeternitatem positus est, nihil penitus esse. atque hic non absque ratione interponitur Selah. Caeterum uniuersa uanitas omnis homo, sic interpretantur: per omnia, per uniuersosque suos affectus, & appetentias, illas praesertim quae ad mundum attinent, uanitas est omnis homo uiuens. Nihil est, inquit, humana uita, praeterquam uanitas. Certe (uertit Fel.) omnis uanitas, omnis homo permanens. Alius uero, Certe tota uanitas est uniuersus hominis status: ut hinc ex Hebraeorum interpretum consensione, non ignoremus illud repetitum in nostra aeditione Veruntamen, certe esse, aut ut aliis uisum est, tantum: ut sit sensus: Nullam fere in terris uitae hominis esse ueritatem, sed quandam potius umbram, uestigiumque, ac tenuem rerum imaginem, si aeternum illum uitae statum cogitemus, quem, transacta miserrimi huius incolatus peregrinatione, in Deo per Christum adepturi sumus: unde stultitiae proximum esse, quicquid hic accidat, conturbari hominem & affligi: quod a spiritu statim additur,

{pdf 340, p. 162}

{39.7} Veruntamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur.

Et uere frustra superuacueque perturbationibus acceptis concutimur, deque rerum humanarum damno ac iactura querimur, quas citissime tanquam, non dico imaginem, sed imaginis somnium praeterire conspicimus Si uita hominis adeo fugax est ac uelox, ut eam spiritus umbrae & imagini comparet, cui putas rei diuitias, honores, regna item atque imperia posse comparari? quantum certe fallimur. Scit quidem omnia haec infelix homo, cognoscit, intuetur, experitur quoque, ac manibus quodammodo contrectat: & tamen ad leuem tam caducarum rerum motum angitur, & nequicquam conturbatur, easque quamprimum in nihilum resoluendas amat, quantoque potest studio & colligit, &

{39.7} Thesaurizat, & (quod infelicissimum omnium videtur) ignorat cui congregabit ea.

Heu falsam mortalium expectationem. Cui tanto labore, ac tum animae tum corporis intertrimento acquisita, post tuum relinquere paras obitum? Extraneus interdum haeres, atque hostis saepenumero, licet filius sit, & consanguineus, tuis succedit fortunis. Suspicius ne unquam fuisses decoctorem aliquem breui hora consumpturum, quod tu tanto tempore, tantoque salutis tuae dispendio congesisti? Quid uero senserint hi, qui tot bonis beneficiisque ecclesiam ditarunt, multi se ignorare dicunt. Illud tamen fatentur, non propterea quidem aut suos ciues, aut consanguineos & affines, aut filios quoque et amicos pauperes suis bonis fraudasse morientes, ut in nefariis absumerentur usibus. Horret animus illa commemorare, quae ob beneficiorum, ut uocant, lautitiam interdum peraguntur: quare illa, quorum interest, curent pontifices, ac corrigant. Meis ne partibus me omnino defuisse censebor, si uerecunde, ac cum pontificum reuerentia admonuero? Nec ipsi quidem orbis moderatores, si ex Deo sunt, uiros illos, qui ingenue doctrinam spiritus edocent, auersantur, tantum abest ut odio habeant. Caeterum

{39.8} Ecquae nunc est expectatio mea? nonne Dominus? & substantia mea apud te est.

Rursus substantia hic Hebraeis est, praestolatio, seu spes. Unde sic Fel. Et nunc. quasi dicat, rebus mundi sic se habentibus, quid expecto domine? spes mea in te est. Iam, inquit, confessus sum mortalium uitam, ac quaecunque moliuntur homines, uanitatem quandam esse, atque umbram. Quid igitur in tam caducis confido rebus? Tu certe unus es, in quo spes mea omnis, ac quicquid sum, & uiuo, recumbit. Appetant alii, ut lubet, & diuitias, & delicias, quibus nihilomnino [sic, nihilominus] in terris nullus statuitur finis, & modus: ego autem haec omnia fastidens in te solum me, quantus sum, reiicio. Ergo

{39.9} Ab omnibus iniquitatibus meis erui me: opprobrium insipienti dedisti me.

Omnes, quod sciam, Hebraeorum codices habent, opprobrium insipientibus, seu ludibrium stolidis, seu nequam, ne ponas me: hoc est, ne sinas me perditis hominibus, ac nullius frugis, opprobrium fieri: solent enim hi, si quando probos uident diutius in miseriis uiuere, cum malaque conflictare fortuna, illorum deridere patientiam ac spem, quam ignauia appellant. Ne proinde id fiat, rogat uir sanctus: sed prius illud, ut scilicet suis ab iniquitatibus, ac transgressionibus, ut uertit Fel. utpote origine atque exordio, unde mala caetera proficiscuntur, emundet. Nulli dubium, quod a nostris sceleribus illud nascitur, quod in opprobrium insipientium traditi sumus. Illusio, inquit alio in psalmo, his qui in circuitu nostro sunt, facti sumus. Vide quid hic asserat: Dedisti me, ait, opprobrium insipienti. Causam mox addit cur id contingat: quia in te peccaui. Ego enim meis a meipso diluendis maculis non sum idoneus: quate tu, qui omnipotentissimus es, ab omnibus iniquitatibus meis erue me. Et sic abs te adiutus, haud amplius quidem irrisioni meis ero aduersariis. Interea autem ubi me illorum uanitati ac sannis obiectum esse uoluisti,

{39.10} Obmutui, & non aperui os meum.

Illorum enim arroganti non respondi temeritati,

Quoniam tu fecisti. Tu, inquam, sic fieri iussisti. Tu, tu, non homo, es qui percussisti, Tu etiam solus

{pdf 341, p. 162v}

es, qui uulneri meo medelam adhibuisti. Te igitur solum inuoco, te rogo, te imploro, tantum abest ut cum caeteris uel uerbo quidem uno expostulem. Tu tantum

{39.11} Amove a me plagas tuas.

Alii forsitan aeternam abs te summa animi fiducia petent beatitudinem, ac uitam: ego id quidem non nisi pauide ac reuerenter: istud uero & opportune & importune, & procaciter quoque tandiu orabo, donec me exorasse sensero. Non te, inquam, dimittam, nisi prius benedixeris mihi, a teque audiero, Aurora est. Vulnere igitur illa, quae tu met inflixisti, tu ipse etiam remoue. Verum non id quidem oro, quasi non me grauiora meruisse arbiter, querarumque me iam satis poenarum dedisse: hoc sane stultissimum esset: sed dico, me iam prorsus plagarum tuarum ui attritum esse. Acerbiores quippe

sunt, quam ut his meae ferendis uires sufficiant. Hebraei simul & Graeci alio hanc legunt ordine literam. Quod enim noster uertit interpretes, Amoue a me plagas tuas: deinde ueluti finito & uersu & sensu, alium orditur uersum, ad hunc modum:

{39.12} A fortitudine manus tuae ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem.

Felix sic transfert: Aufer a me plagam tuam, a uulnere manus tuae ego defeci. Postea uero sic: Cum redargutionibus super delictum castigasti uirum. Alius item: Remoue a me plagam tuam, ab exagitatione manus tuae consumptus sum: in obiurgatione ob iniquitatem corripis uirum. Euthymius quoque graecus: Amoue a me plagas tuas, a fortitudine manus tuae ego defeci: in increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem. Idem ferme Chaldaeus: Amoue a me, inquit uulnus tuum, a percussione ualidae manus tuae consumptus sum. Quorum omnium sensus ac summa est, quod anima sui suorumque facinorum, simul & inferendis poenis uirium bene conscia, clamat, petitque iam demum a tam dira plagarum immissione reparari: non quod quidem & has, & acerbiores quoque non merita sit, uerum ob id, quod se iam plane sub grauitate manus Dei consumi sentiat. Unde sit reddit Paraphrast. Aufer a me paulisper flagellum tuum: prae metu enim manus tuae propemodum exanimatus sum. Nam in increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem: hoc est, ut idem interpretatur, castigationibus ob iniquitatem immissis, erudire soles hominem. Cur hic igitur felicissimas non appellauerim aduersitates, simulatque per eas, quasi per eruditiones quasdam & instructiones, ad diuinam intelligendam uoluntatem informamur? Verum has caro quantum potest refugit: spiritus uero, modo ex Deo sit, non solum illas non refugit, sed immissas libentissime admittit, ac si ardentior est, & amat, & quaerit. Clamat ubique lex sancta, filiorum Dei pectora ad mundi iniurias ac persecutiones erudiri solita, planeque per tribulationes & angustias occalescere. Ad haec si bene aduerteris, ut inquit Theophylactus, inuenies non aliter regnare in nobis Iesum, nisi per afflictionem: atque ita qui in delitiis vivunt, inimici sunt Christi. haec Theophyl. Caeterum cui iam compertum non est, duas ob res coelitus immitti aduersa? ob unam quidem, quia turpissime peccauimus: ob alteram uero, quo nos Deus, qui nostri amantissimus est, cuius simus temperaturae agnoscat. Hoc igitur non ignorantes, quid tam molliter sub aerumnarum mola perstrepimus, ingemiscimusque? Verum, ut dixi, carnis hae partes sunt, non spiritus, qui non secus a tentatione & angustia, expoliri solitus est, ac solet ferum mordaci a lima splendorem nancisci. Vide quid dicat caro:

{39.12} Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius: veruntamen vane conturbatur omnis homo.

Atrocitatem castigationis exaggerat. Eo enim modo, inquit, tuos in correpto num acerbitate contabescere uoluisti, quo solet aranea, quae dum in texendis suis illis telis, opere scilicet inutili, intenta est, seipsam exhaurit & consumit. Hebraei tamen non araneam, sed tineam uertunt. Unde Felix uertit: Tabescere fecisti uelut tineam preciosum eius. Quid porro sit preciosum eius, hominis uidelicet, nostra expressit aeditio, animam inquiens eius, cuius quidem uigorem propter flagella contabuisse asserit, perinde atque solent uestimenta etiam summa diligentia repo-
[reposita]

{pdf 342, p. 163}

-sita, a tineis rodi & absumi. Notat hic quidam, subaudiendum esse, uestimentum, ut non raro aliquid, quod ex reliquis uerbis satis intelligitur, omittere scriptura soleat. haec ille. Quare sic uertit: Dum tu hominem ob iniquitatem tantum quasi obiurgans castigas, illico tabescere eum facis, ut pereat quicquid in eo desiderabile est, sicut uestem depascit tineas, Et cum homo tam infirmum animal sit, ut minutissimis istiusmodi comparetur uermiculis, ueruntamen uane conturbatur, adhuc intumescit, adhuc suae nullum statuit terminum ambitioni. Mera enim uanitas homo est, Illud rursum non omittendum, quod ex annotationibus Felicis conici potest, cui & quadrat litera, quam modo posui, Preciosum eius, desiderabile uel desideratum eius posse uerti: ut sit sensus: Idcirco enim hominem corrigere decreuisti, & id quidem acriter, ut ita in eo pereat, quicquid desiderare est solitus, dum mundo addictus est, quemadmodum [sic, quemadmodum] perit consumiturque a blattis, pannum aut uestis. Desiderabiles certe erumnas [sic, aerumnas]: non secus enim affectiones nostrae effraenes, concupiscentiaeque ac desideria ab ipsarum dente perroduntur & euanescunt, ac solent quidem tabulae e ligno, aut uestes, & caetera id genus alia, a tineis perforari, exedi ue, & in minutissimam, ut sic dicam, scobem redigi. I nunc, qui perinde aduersitates, rem tibi adeo necessariam exhorrescis, atque horrere solet inuentam in itinere uiperam uiator. Crebris, inquit Euthymius, tentationibus & flagellis extenuat animam nostram Deus, crassitudinem illam nimirum, quae ob peccata concreuerat, ei circuncidens. Solet, inquit, anima a peccatatis [sic] quodammodo cassior reddi, & contra afflictione & flagellis attenuari. Quare, mi lector, appetendae sunt aduersitates non detrectandae. Verum quoniam Dei donum id est, robur ab ipso quidem non ignauis peti debet desideris ac uotis. Certe qui suum aduertit periculum, quamque longe adhuc a patria exulet, non potest non immenso affici dolore, ac queri se tandiu peregrinari a domino, atque illius felicissimo priuari aspectu: ad quem assequendum maiori sane ui opus est ac nixu, quam quem humanae admittant uires. Si quidem corpus spectes, atque illius commoda, nostra hic firmantes tentoria, immortalem hanc fore uitam, quamuis difficilem & aerumnosam, cupimus: & tamen scimus, ut inquit Paulus, quod si terrestri domus nostra huius habitationis dissoluatur, aedificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, aeternam in coelis. O deplorandum errore. Dispeream, si suis homo uiribus, quantusquantus est, uel usque ad lunae globum saltem pertingere potis est intellectu: multo uero minus ad illa quae purgatissimis tantummodo animis a Deo contemplanda obiciunt. Alii igitur suam iactitent excellentiam, ne dicam uentosam persuasionem, suasque optimas a natura dotes & praedicunt: & si lubet, etiam ad posterorum memoriam parietibus, duraeque silici imprimant, ac statuas erigant: ego autem meam non celans indigentiam ac paupertatem, clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi, dicamque cum propheta:

**{39.13} Exaudi orationem meam domine, et deprecationem meam:
auribus percipe lacrimas meas: ne sileas.**

Inculcatae enim dictiones, oratio, deprecatio, lachrymae, commiserationis plenae sunt, eoque tendunt, ut quod forsitan aut ius, aut ratio nequeunt, ipsae importune impetrent. Haec dixisse uolui, ne in distinguendis in hoc poemate saepenumero oratione a

deprecatione, rursumque deprecatione, ab obsecratione, tempus melioribus impendendum studiis, conteratur. Ne putes, inquit quidam, hic animam ore solummodo ac uerbis orare, addit & lachrymas, quae uiolentissimae sunt in praecibus ad mouendum iudicem. Quae quidem anima licet, ut inquit Augustinus, tot transilierit, habet tamen adhuc quod fleat: quia abest quod desiderat, quia crebrescunt scandala, abundat iniquitas, refrigescit charitas. haec Augustinus. Possem & ego illud addere, quoniam defecit sanctus, atque ideo Christus iam fere ab omnibus ignorat, idcirco contemnitur, ostentusque habetur, ut ait Paulus. Caeterum alio modo legitur Hebraeis haec litera. Sic Fel: Exaudi orationem meam domine, & clamorem meum auribus percipe: ad lachrymam meam ne sileas uel, ut alius, ad lachrymam meam ne obsurdescas. Clamorem meum auribus hauri, uertit Campensis: ad fletum meum ne obsurdescas. Atqui hic duo mihi, quae ad clariorem uulgatae aeditionis intelli-
[intelligentiam]

{pdf 343, p. 163v}

-gentiam faciant, uidere uideor: alterum quidem, nihil aliud in hoc loco deprecationis uocem esse, quam clamorem illum internum, e corde anxio erumpentem ad aures usque Dei: alterum uero, ne sileas, ad lachrymas referri: quae sane adeo necessaria sunt in oratione, ut fere ea indigna sit, quae audiatur, si desint lachrymae. Vbi lachrymae, ibi spiritus. Lachrymae, inquit Ambrosius, tacitae quodammodo preces sunt: ueniam non postulant, & merentur: causam non dicunt, & misericordiam consequuntur: nisi quod utiliores lachrymarum preces sunt, quam sermonum: quia sermo in precando saepe fallit, lachryma omnino non fallit. Sed illud arbitrandum, ueras nunquam lachrymas, eas dico quibus orationem munitam esse oportere diximus, a corde duro atque occupato, prodire posse. Liquor enim est, qui animae libenter illi adhaeret, quae spiritus suauitate affecta, nullo amplius alio satiari expetit edulio quam suspiriis ac singultibus illis, qui a desiderio coelestis patriae, atque a miserrimo uitae huius ergastulo dissoluendi proficiscuntur. Alioqui lachrymarum facilitatem in his, qui nunquam suam reformant uitam, sed semper mali sunt, quo nomine appellem, prorsus me fugit. Ea enim uirtute praeditae sunt sanctae lachrymae, ut animam totam abluant, mutantque in aliam, quam antea omnino ignorauerat, formam & imaginem. Sed de lachrymis satis: quanquam perpetuo mihi lachrymandum esse scio, o Deus:

{39.13} Quoniam aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei.

Quandiu enim in corpore sumus, clamabat Paulus, peregrinamur a domino. Vis ne peregrinationis humanae statum audire? Per fidem, inquit, ambulamus, & non per speciem. Audemus autem (en sanctorum fiduciam) & bonam uoluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & praesentes esse ad dominum. Nam & in hoc, inquit, ingemiscimus, habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes. En taedium animae, quo mirum in modum afflicta, ab istis iam tandem mundanarum rerum tricis cupit dissolui, & esse cum Deo: qua certe cum sit uera hominis quies ac beatitudo, in hac carne tamen uix in aenigmate conspicitur: quare a diuino illius aspectu semoti, ac per id tetrum uelum corporis disiuncti, querimur quod tam diu ab illo, quem supra omnia, imo quem solum & amamus & colimus, extorres simus, clamamusque cum

propheta: Aduenae sumus, apud te tamen, per fidem, sicut omnes progenitores nostri, qui in nube fuerunt: hoc est, in caliginoso uitae huius incolatu atque exilio abs te peregre degentes, spe tamen in coelis ac desiderio tecum in patria felicissime diuersabantur. Sic nos quidem. Sed quid alios memoro? Ita ego, inquam, inaequali licet passu atque affectu, meam mecum deploro miseriam ingemisco, quantoque possum nixu contendo, si forte eo per te ueniam ubi tu mea es merces, mea quies, mea felicitas, & patria, o benignissime. At prius tu quidem (mitigata paululum poenarum atrocitate, sub qua, nisi manum porrigas, mihi omnino periclitandum esse uideo)

{39.14} Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero.

Suspende, obsecro, tuum de me iudicium, manumque a percussione reprime ut antea quam e uita hac mortali demigrem, respirare ualeam: hoc est, ut spiritu consolatione accepta, te tandem pientissimum agnoscam patronum, quem hactenus seuerum, propter peccata mea, expertus sum iudicem: & sic abs te refocillatus, secure deponam spiritum meum. Cui laus sit & benedictio in secula seculorum, Amen.

IN FINEM PSALMVS DAVID XL

{40.2} Expectans expectavi dominum, et intendit mihi.

Aut certe in ueritatis indagatione prorsus hallucinor, aut nos fere omnes amentes appellari necesse est, qui cum psalmorem librum, scriptum nimirum Dei digito, ad mores hominum informandos, refundendosque denuo in nouam imaginem in Christo Iesu, qui summa psalmorem est, clamore, eiulatu, lachrymis, suspiriis, metuque ac terrore simul cum flagrantissimo orationum studio, respersum cernimus, uix oculos aperimus ad ea sane consideranda,

{pdf 344, p. 164}

quae in psalmis nobis imitanda proponunt. Clamat in his Christus, ingemiscitque, moeret, affligitur, ac quasi sub tuo onere, o homo, exanimatur: & nihilominus, perinde ac tua minime res agatur, & rides, & profundissimo stertis somno. Nonne, te obsecro, hominis parum pensi habentis indicium illud est, sese penitus suo a ferendo onere subducere, alium interim sub eo emorientem contemnere & irridere? O nostram ignauiam. Putamus ne nostra ad diluenda scelera, unam uix ui excussam ab oculis lachrymulam suppetere posse, qui Deum legimus pro non suis, tantis affectum fuisse doloribus & cruciatibus? Censemus ne nostra in re, tanta praesertim, debere nos obdormiscere? Atqui ut illud omnium uerissimum sit, Christum nostra omnia suis aerumnis adeo extenuasse delicta, ut plane nulla effecta sint: num te propterea prorsus tuo in negotio indiligentem, incogitantemque esse decreuit? Vult igitur Deus, ut secum in his, quae ad te spectant, collabores, teque saltem, ut grati animi homines solent, in tuis curandis rebus, & promptum, & non ignauum omnino praebeas. Si Christus itaque pro te doluit, ualdeque afflictus est: tu & pro te ualde doleas, affligarisque, ac nulla praetereat dies, quin tu pro te cum illo, qui pro te ubertim lachrymauit, abunde illachrymes. Alioqui certe cum sacram serio intueor legem, contraque nostram cum e regione expendo uitam, mihi nescio quid, nulla sui parte sibi cohaerens, ac, ut in somnis

fit, totum disiunctum & luxatum uidere uideor: haec enim imperat continentiam, modestiam, charitatem, pacem, concordiam, mansuetudinem, humilitatem, iustitiam, ueram religionem, nostri odium: nos contra libidinem rependimus, arrogantiam, simultatem, discordiam, fastum, superbiam, iniurias, superstitiones, ac nostri amorem. Stricto ne haec simul coeunt modo? Erro ne, an ista prout reuera sunt deliniaui? Non ne, te oro, luxui adeo intente auaritiaequae, ac caeteris huiusce generis orbis monstris addictus es, ac si in terris nihil aliud Christus aut egisset, aut alios edocuisset? Ille unam uiuendi rationem prae se tulit, nos aliam longeque diuersam & amamus, & mordicus tenemus. Atque haec quidem, cum eo se habeant modo nos tamen christianae disciplinae sectatores esse, non solum credimus, uerumetiam pro nostra huiuscemodi tutanda persuasione, cum contradicentibus rixamur contendimusque, ac usque ad audientium nauseam digladiamur. Sed de his satis. Nunc ad psalmum mentem applicemus, interim his non ab re defletis. Narrat hic anima ea, quae per fidem ita annexa est Christo, ut is caput sit, illa membrum, quomodo per gratiam a multis erepta sit malis. Verum unde ipsa in tam mirabili & diuino exponendo consilio deficit, ille, ut est anxius, ut sic dicam, animarum zelotypus, quasi succenturiatus supplet. Quare non mirum admodum esse debet, si tum hoc in psalmo, tum in plerisque aliis, membrum modo uideas unum e Christi corpore, tanquam in scena, loqui, modo ipsum caput pro se interdum, interdum uero uice omnium, & nonnunquam ignobilium, ut illa uocat Paulus, membrorum introduci. Quae sane norma ad intelligendas scripturas uniuersalis est, atque eousque necessaria, ut plane a psalmore studiosis absque ea non secus erretur, atque erant hi, qui nandi prorsus imperiti, nare absque utre aut subere praesumunt. Cum diutius, inquit, aduersariorum telis impeterer, diris ue persecutionum stimulis exagitarer, quid putas egerim? num quidem mihi ob moram dilationemque diuinam tunc fuit desperandum? Minime certe omnium, sed, ut sanctus mihi suggessit spiritus, Expectans expectaui dominum, & intendit mihi. In me, inquit, suos iniecit oculos dominus, beneuoloque intuitus est aspectu. Quid porro sibi uelit repetita dictio, expectans expectaui, Hebraeus aperit. Cum diu, inquit, expectauissem dominum, tandem attendit mihi. Paraphrastes uero: Solicite expectans expectaui, donec praeberet se mihi. Iam illud periculosum, in continua hac cum carne & mundo lucta, morae diuinae, qua non propterea coelestis pater in suis defendendis utitur, quod illos negligat, uerum ut aptiores eos ad suum cultum pietatemque, quae in rebus arduis posita est, efficiat, impatientem fieri. Et cum quidem nostrum omnino excedat intellectum, quamobrem id potius quam illud in terris fiat: ita nos plane fugit, cur non actutum praesto adsit Deus nostris in suble-
[sublevandis]

{pdf 345, p. 164v}

-uandis miseris, & uocatus, & lachrymis, ut nobis uidetur, coactus. Hebraei totum hunc uersum sic integre transtulerunt, ut principium sequentis secundum nostram aeditionem, praecedentis illis finis sit, hoc modo: Expectans expectaui dominum, & inclinauit (aurem scilicet ad me, & exaudiuit clamorem meum. Postea alium sic incoeptant: Et exaltauit me de puteo perstreperante, uel strepitus. Quod noster interpret sic uertit:

{40.3} Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriae, & de lufo faecis.

Siue miseriam, siue strepitum legas, statum illum calamitosum denotat, in quo arma propter tentationum rerumque aduersarum uehementiam posita, ipsa in se aliud nihil sentit atque experitur, praeterquam tumultum, strepitum, pauorem, miseriam. De luto faecis. de luto coeni, seu limi, reddunt Hebraei. Videtur metaphora ab his sumpta, qui amnem aliquem turbidum pedibus, aut equo uadare tentantes, in occultum fundi limum incidunt, a quo, nisi aliena extrahantur ope, emergere nequeunt unde in foedo illo mortis genere interire eos necesse est. Ita igitur omnis huiusmodi calamitas est, ita erumna [sic, aerumna, 1585], ita persecutio, ita tentatio, ita peccatum. In peccatis, inquit Christus, uestris moriemini. Ecce limosi uadi periculum. Ecce in coeno mors, dum nostris nimium pedibus, animae scilicet affectionibus & cupiditatibus aut equo, hoc est, irrationali, effraenique humanae prudentiae consilio, nostram committentes salutem, in illas rerum angustias incidimus, a quibus sane eximi quammaxima ui opus est, diuina scilicet: nam uirtus omnis humana tenuis est ac debili.

{40.3} Et statuit supra petram pedes meos, & direxi gressus meos.

Non contentus quidem unquam est Deus suos a periculis extraxisse, nisi illos etiam tuto in loco collocet, Id est enim quod hic asserit spiritus in hoc uersu, qui sic a Paraph. redditur cum superiori: Solicite, inquit, expectaui dominum, ut extraheret me e puteo illo calamitoso, & luto sordidissimo, & constitueret me in rupe erectum in pedes meos, uiam mihi praeparans per quam ambularem inoffense. Purgatos igitur per fidem, quae est in Christo Iesu, animae affectus, qui sunt eius pedo euulsosque a peccati limo ac sorde, adeo firmo in solo & petra, hoc est, in seipso roborat aeternus pater, ut nequaquam amplius nutare possint, sed recta gradientes, eo sese expedite dirigant, ubi naturalis suus est finis, quam beatitudinem appellamus. Idcirco enim mortalium animas creauit Deus, ut beatitudinem habeant. Quare eam non adipisci, contra plane suae naturae conditionem esse arbitrandum est. Vide igitur quam foede erret anima quae peccat, cum non solum ab Deo, qui eius est finis, se impudentissime subducat, uerumetiam ipsa suam corrumpat naturam. Unde hic transacti iam periculi memoriam retinens, illudque procul tanquam scopulum in mari e littore prospectans, sibi se in tuto esse applaudit, Deoque, qui suos statuit supra petram pedes, ac suos ne amplius a uia iustitiae aberret, direxit gressus, quanto potest tripudio gratias agit, additque ad sui gaudii cumulum:

{40.4} Et immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro.

Nouum hic uocat canticum, nouam oblatam laudandi Deum materiam, ob nouam innouati spiritus gratiam: quod in sequentibus magis exprimit. nam quod nos legimus, carmen Deo nostro, Hebraeis est, laudem Deo nostro, ut sequens hemistichion prioris sit explanatio. Unde ex Hebraeo quidam Carmen, inquit, ori meo inseruit, gratiarum uidelicet actionem Deo nostro, quod a Paraph. sic redditur: Ut immitteret, inquit, hoc est, expectans expectaui dominum, ut immitteret in os meum carmen, quo noua & inaudita beneficia Dei nostri decantentur, Caeterum de cantico nouo, in Psalmo trigesimotertio abunde est dictum. Iam enim per nouum Adam, noua mundo oblata

sunt munera: neque uetustum illud Vae amplius tam frequens in prophetis, a primisque exortum parentibus: quorum delicto nostrae adeo afflictæ sunt res, ut sanctus ille uir clamare non sit ueritus. Vae seculo, & qui habitant in eo. non amplius, inquam, Vae illud antiquum simul & horrendum auditur: sed uox turturis, uox dilecti pulsantis, ut inquit sponsa: uox qua dictum est, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite, nam is solus est, qui canticum illud nouum composuit, quod nemo cantare poterat, nisi centum quadraginta quatuor millia, qui

{pdf 346, p. 165}

exempti sunt de terra. Vetusta enim omnia fastidit dominus. Quare non ab re clamat Paulus: Renouamini spiritu mentis uestræ. Quo uero modo id fieri debeat, alius breui aperit compendio: Quiescite, inquit, agere peruerse, discite benefacere. Haec est sane noua in Christo creatura, ad cuius exemplum

{40.4} Videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Domino,

Vide quid boni a grata anima ob percepta diuinitus beneficia proficiscatur: nam (ut multa alia omittam) illud in primis nobilissimum est, quod a sanctissimis eius consiliis, actionibusque & uerbis, ad sanctitatem complures amplexandam, quæ in spe potissimum, ac Dei timore consistit, incenduntur: quemadmodum a prauis moribus, illorum praesertim qui magis conspicui sunt, deterrentur, ac desperati maledicta blasphemiasque deo pro laudibus regerunt. Quot interdum animæ, multorum qui aut aetate, aut sexu, aut iudicio & ingenio infirmiori sunt, audito uisoque turpi aliquo exemplo in natu grandioribus, atque in his qui religiosiores censentur, non solum ab incepto fidei proposito resiliunt, uerumetiam ad quæuis facinora sese impudentissime ingerunt? Danda proinde est opera, ne quem nostro exemplo ad turpes incitemus operationes. Nam unicuique, ut sacra sanciuit lex, mandauit Deus de proximo suo. Verum tu, cui lux iam per Christum oblata est, eorum tantummodo uitam imitare, qui boni sunt: caeteros uero, quamlibet primarios, tanquam angues aut scorpios deuita. Quod si quem tamen illorum, qui ideo in sublimi aliquo gradu & dignitate sunt constituti, ut norma omnibus bene sancteque uiuendi existant, turpiter uiuere contigerit, ne dubites, si a tam periculoso monstro te fuga auerteris, a melioribus ingeniis reprehendi. Tantum illud cura omni obserua ac fac, quod tibi simili in periculo faciendum esse praecepit Christus: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Hic mihi itaque considera, quid de se dicat uir sanctus, seu pro eo filius Dei. Videbunt multi. Quid, oro, uidebunt? Meam nimirum in aduersis & spem, & tolerantiam: meum erga Deum tum amorem, tum reuerentiam, candoremque animi, ac fidem. Quare his moti quamplurimi, meoque incensi exemplo, totam salutis summam ex me discent, quam in spe maxime, ac Dei timore positam esse, haud semel dixi. Itaque

{40.5} Beatus uir cuius est nomen domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.

Beatus, inquit, uir, qui tentatus, alicuiusque rei honestæ percupidus, non ariolos, aut magos, meras nimirum uanitates atque insanias sibi accersiuit, sed spem omnem suam in Dei nomine uoluit esse. Vult Euthymius dictiones, insanias falsas, Graecis esse

uaticinia daemonum: quae idcirco falsa sunt, quia a daemone, qui mendax est, ut ait Christus, & pater eius, originem habent. Furore enim temerario atque impotenti uates illi daemonum perciti, quid insaniae, falsaeque religionis & doctrinae non effutiebant? Sic Fel. Non respexit ad superbos & diuertentes, seu circumeuntes, mendacio. quanquam Paraphr. ad quascunque uanitates illud referendum esse opinatur. Unde sic reddit alius quoque ex Hebraeo: Non respexit ad fastuosos, & eos qui ad uana deficiunt: hoc est, qui Deo uero relicto, quae carni libent sectantur, & qui iam non bona, sed inanes bonorum imagines atque umbras anxio amplectuntur desiderio. Id est, ni fallor, quo suos in Hieremia uoluit Deus admonitos esse: Nolite, inquit, confidere in uerbis mendacii, dicentes: Templum domini, templum domini, templum domini. Utinam nostra haec aetas, alioqui satis iam demum ad solidum bonum experrecta, huiusmodi careret uitio & errore. Iam quidem uel inter ipsas uilissimas tetricas, non desunt quae astrologiam illam ineptissimam profiteantur, qua, dempto ueluti sceptro de Dei manu, non solum priuatas praesagiunt cuiuslibet fortunas & aetates, sed & imperiis, regnisque, ac diuinae illi (o ineptias) summi Pont. maiestati necessarios quosdam euentus contingere & asserunt, & quod magis dolendum est, toti persuadent orbi. Sunt ne haec solidae in Deum fidei argumenta atque indicia, an uanarum potius instrumenta superstitionum, falsarumque opinionum, ac doctrinarum insitiones? Non hi ergo beati, qui huiusmodi in Dei domo enutriunt errores: sed is beatus, qui spe omni sua in Dei nomine reposita, non respexit ad uanitates & insanias falsas. Verum

{pdf 347, p. 165v}

his parumper omissis, ad te redeo, o, cuius fidei me iam pridem dedicaui. Nam

{40.6} Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis sit tui. Annunciaui & locutus sum, multiplicata sunt super numerum.

Sic enim ex duobus nostri interpretis uersibus, unum legunt Hebraei, & est superioris propemodum exclamationis causa. Diuino quidem spiritu, a quo uera omnis cognitio oritur, accensa anima, atque ex consideratione immensae Dei beneuolentiae erga homines stupida effecta, exclamauerat: O felicem uirum, o beatum, qui fiduciam suam omnem in domino collocat. Subinde uero alio exclamationis genere, tanquam rationem, cur sic exclamauerit, redditura, suum depromit stuporem, & ait, ut uertit Campensis: Plurima designasti tu domine admiratione dignissima: & cogitationes, quibus sedulo curas nos, tam sunt multae & mirabiles, ut nemo hominum intelligere queat, quantum tibi debeat pro illis. Si enim alis enarrare coner eas, & uerbis proloqui, inueniam plures esse, quam ut numerare sufficiam, nedum uerbis explicare. Quis porro illas aeternas patris cogitationes, quibus ante omne aeuum decreuerat per unigeniti sui sanguinem & mortem genus seruare humanum, uel intellectu capere, uel lingua proloqui unquam poterit? Abstrusiores illae sane sunt, admirabiliores ue, quam quae ab humana mente percipi ualeant. Quare non immerito exclamat anima: In cogitationibus tuis, hoc est, tam admirandis, tamque amore ac charitate refertis, quis similis tibi? quis tecum comparandus? Quid ex se homo cogitationibus comprehendere unquam poterit, quod idem aut turpe omnino non sit, aut inconstans, aut bonarum rerum odio plenissimum? Tuarum uero cogitationum modum super nos non est ordinare ad te (sic quosdam hunc uersum reddere uideo) hoc est, tam sublimes sunt, nempe diuinae, ac supra omnem

aeternitatem, captumque humanum positae (nostrae uero sordidae, ac temporariae) ut nullus omnino modus, aut ratio in his peruestigandis idonea sit, quo modo sese ad te habeant, hoc est, a te proficiscant. Annunciabo, inquit, loquar, praeualuerunt numero. Adeo, inquit, omnem numerum sperant, ut nihil propemodum sit, uelle eas lingua exprimere. Quis, oro, hic stupore non extra se fiat, considerans tanta tamque immensa Dei mortalibus subueniendi esse consilia, ut omnem prorsus excedant cogitatione, ac numerum superent, uincantque omnem omnium spem atque expectatione? Certe si non aliud, id saltem, puto, uel ipsa gelidissima ad diuinum amorem accendere deberet pectora, cordaque e sede propria euulsa, in ipsum, qui tanta nos prosequitur charitate, transformare. Quid illud? O caeca mortalium iudicia ac ingenia. Quid, inquam, illud, cum te sentias per ignominiam ad gloriam, per turbationem ad pacem, per mortem ad uitam, per peccatum ad iustitiam miro modo ascisci, ac ui fidei adduci? Hic enim, mi lector, cuperem & ego, ne ingratus omnino dicerer, annunciare aliisque enarrare, quanta fecit Deus animae meae, quam miranda, quam innumera: sed in ipso prorsus exordio dicendi deficio, uideoque quam temerarium id penitus sit, tentare uelle, quod non solum homini, uerumetiam ipsi supremo spirituum beatorum ordini, dictu est difficile. Caeterum, ne etiam minima praetereamus, illud quod uulgo legunt, multiplicati sunt, nescio quam sententiam adducat. Multiplicata igitur uertendum erat, quod tum Graecos omnes, tum Hebraeos, sine controuersia uelle uideo. Sed ad reliqua.

{40.7} Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.

Ex Hebraeo, Aures autem perforasti, seu aperuisti mihi, uertunt legimus enim in Exodi libro, quod seruo illi qui, neglecta Libertate quae septimo quoque anno seruis offerebatur, domino suo seruire mallet, quam liber abire, subula perforabant aurem: quod quidem perpetuae seruitutis indicium erat. Ita in hoc loco dei seruus, suum cupiens aeternum prae se ferre erga deum obsequium, quod sane absque ipsius domini uoluntate fieri nullatenus potest, dicit suam a domino perforatam esse aurem, apertamque, ac ad percipiendas diuinas iussiones praeparatam. Et est perinde, ac si dicat: Me tibi aeterna diuinxisti seruitute, auresque ad tuam perdiscendam uoluntatem perforasti, aperuistique. Nam fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Hic locus citatur ab Apostolo in Epistola quam dedit

{pdf 348, p. 166}

Hebraeis, sed aliis uerbis. Corpus, inquit, aptasti mihi. sed idem omnino sensus est, si res medullitus inspiciatur. Nam cum alicuius aures a domino perforantur, instituunturque ad coelestem capessendam doctrinam, ex qua fides, atque ardens ad parendum Deo, eiusque sanctis monitis desiderium oriri solet, id necessario fit, quod totum se homo diuino consecrat obsequio: unde ipsum quoque corpus, alioqui uoluntati Dei contumax & rebelle, ad eius cultum ac religionem aptatur, formaturque. Sed hoc de impuro homine sit dictum: secus uero de Dei filio, cuius mundissimum corpus, propter suam purissimam naturam, hostia & sacrificium pro mortalium omnium peccatis fieri potuit. Unde cum impossibile foret, taurorum sanguine & hircorum auferri peccata, ut inquit Paulus, ipse Dei filius ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: hoc est, corpus meum consummatam perfectamque hostiam fore ab aeterno destinasti. Vnde infert Paulus de diuina loquens uoluntate, in qua

uoluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi. Succurrit & alius, dum haec enarro, sensus, & est ac si diceret alloquens patrem Christus: Spretis, o pater, umbrosis illis cruentisque uictimis, umbra scilicet futurorum, me corpus, hoc est, umbrarum illarum omnium ueritatem esse uoluisti. Ait Paulus ad Collossenses scribens, in Christo habitare plenitudinem diuinitatis corporaliter: hoc est (id obiter dictum sit) uere, non per imagines ac figuras. Nam uictimae illae antiquae atque sacrificia, umbrae quaedam atque imagines fuere: Christus uero ueritas. Neque unquam fuit umbra per se, sed a corpore aliquo denso, soli obiecto. Veniente igitur tempore, in quo corpus, hoc est, res ipsa, ac ueritas propalata erat, cessere umbrae atque imagines. Ipso, inquit Augustinus, ueniente, noluit ea, quae erant eius figurae. Porro diuersa uictimarum ac sacrificiorum nomina in lege ueteri, diuersos portendebant effectus: alia enim simpliciter sua quilibet uoluntate, absque diuino praecepto offerebat, & haec oblationes uocabantur: alia rursus ex legis iussione. Erat postea sacrificium uespertinum, erat matutinum: alia item secundum tempora & personas, quemadmodum Leuitici libro uidere licet. Verum holocaustum, illud erat sacrificium (sacrificium generale erat nomen, quicquid scilicet altari inferebatur quod totum diuino incendebatur honori. Holocaustum uero pro peccato, sacrificium expiationis appellabatur: & id semel tantummodo in anno per summum perficiebatur Pontificem ingressum, non sine sanguine, in sancta sanctorum. quod quidem uerum illud sacrificium per summum pontificem Christum consummandum praeferebat, a quo sane nostra omnia sanata sunt uulnera, diluta scelera, ac uita restituta. Erant & alii sacrificandi ritus, pro peccato, pro ignorantia quoque. Sed de his satis, quantum ad psalmi intelligentiam spectat.

{40.7-9} Holocaustum (inquit Christus) pro peccato non postulasti: tunc dixi, Ecce uenio.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem uoluntatem tuam Deus meus uolui, et legem tuam in medio cordis mei.

Licet enim hi uersus unicuique nostrum, quatenus Christi membra sumus, coaptari queant, quippe qui nihil adeo curare debeamus, quam ut toti, quanti quanti sumus, diuino, quod hic canit uates, mancipemur cultui, qui in eo potissimum consistit, ut Dei obtemperemus uoluntati, quemadmodum ea totius sacrae legis summa est, ac perfectio. Tunc dixi, inquit, Ecce uenio: nam in capite libri scriptum est de me: hoc est, diuinae legis praecipuum caput est ac summa, ut ego, qui ad tam seruitutem ascitus sum, faciam uoluntatem tuam Deus meus. Volui. quid uolui? uolui legem tuam in medio cordis mei, id est, ex animo, ac serio tua in meditanda lege immorabor. Vide promptitudinem atque ardens studium animae perficiendi Dei uoluntatem. Etsi, inquam, haec ad nos pertinere posse arbitramur, tamen ea Dei filio in primis sanctorum omnium capiti conuenire existimamus, qui patrem pro nobis alloquitur, dicens: Holocaustum pro peccato, seu, ut uertit Felix sacrificium expiationis non postulasti: hoc est, cruentis illis hostiis ac ritibus, in quibus nulla extat purgatio ac iustitia, abs te reiectis, tunc ego uictimarum illarum omnium finis, dixi, Ecce uenio, ecce me uerum, consummatumque sacrificium, in quo om-

[omnis]

{pdf 349, p. 166v}

-nis inest animarum puritas, ac peccatorum remissio, pro toto humano genere, non pro hac tantummodo aut illa deuoueo natione. Sic enim in capite libri scriptum est de me: hoc est, caput ac summa cum legis, tum prophetarum omnium illa est, ut tempore abs te ordinato mundum plane perditum inuisam, eumque suis a sceleribus, meo purgem sanguine ac morte. Nam nihil tam cupio, quam ut tuam de seruandis hominibus compleam uoluntatem. En, mi pater, hostia, en ligna, en ara, en gladius. Iam quidem alius incoeptandus est cultus, aliaque aedificanda religio, cuius uisceribus tua imprimenda sit lex ac uoluntas, quae est, ut qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam aeternam. Caeterum lex tua, lex spiritus est, non corporeis illis ac immundis sacrificiorum ritibus innixa, licet adumbrata, rudique populo ad tempus, tanquam illius fidei signum, credita. Ecce quam breui summa magnus ille sacrificiorum aceruus, ac rituum concluditur. Quod porro Deus a mundi semper exordio, ab homine fidem magis, atque ardentem in eius cultu, qui in spiritu maxime ac ueritate positus est, animum requisierit, quam sacrificia illa antiqua ac cerimonias, nihil tam accurate narrant scripturae. Quare illud, quod noster interpretes uertit, In capite libri: diuus Hieronymus, atque adeo caeteri ex Hebraeo habent, In uolumine libri scriptum est de me: hoc est, & lex & prophetae de me scripserunt, ut faciam uoluntatem tuam. Alludit enim ad Iudaeorum morem, qui etiamnum oblongis quibusdam suam conuoluunt legem membranis, argumentum sane ingens, quod nondum illis mens legis explicata est, sed adhuc manet in inuolucro, ac maeandris ueluti quibusdam inuoluta. Porro in medio cordis mei, uertens interpretes, sententiam magis quam uerba reddidit: nam Hebraeis est, in medio uiscerum meorum: seu, ut uertit Fel. intra intestina mea. Unde Paraphrastes: Doctrinam tuam in penetralibus pectoris mei descriptam habeo. Notant quidam, ut faciam [ut] superesse, sed solummodo legi debere, facere uoluntatem Deus meus uolui. Voluntas, inquit, patris fuit filii mors, quae pro humana salute, summa cum dispensatione a Deo permissa est. Verum iam est uidendum, quo illius tendat propositum ac studium, qui cum filio Dei se dicere posse confidit, Facere uoluntatem tuam Deus meus uolui, & legem tuam in medio cordis mei.

{40.10} Annunciaui iustitiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.

Quanquam Hebraeis Tuam uacat, non officit tamen sensui, imo explicat magis: nam nihil tam curat uir sanctus in hoc mundo, quam ut quamplurimis Dei iustitia, quae est eius perfectissima bonitas, innotescat. Mirum quam ardenti flagret desiderio & studio, ne tam immensum Dei beneficium, ut est eius misericordia ac ueritas, a mundo ignoretur. Videt enim per sacros diuinae legis afflatus, quibus quotidie magis ac magis accenditur, non amplius in arcta, ut olim, atque angusta Iudaeorum gente celebranda esse dei dona, sed in ampla totius orbis plaga, frequentiaque populorum, uel usque ad effusionem animae propalanda. Non quidem ob improborum hominum minas, & crudelitatem, a diuini uerbi praeconio cessare potest: proinde nihil eum, quamlibet dirum aut asperum, a concepta iam flamma, atque igne amouere idoneum est. Clamat, urget, inculcat, admonet, hortatur, rogat, minatur quoque, nec quicquam tam auide cupit, quam pro Christo, a cuius spiritu tam ualidum hausit animum, atque eius cultu & honore, posse emori. Quid humanas minas, mortemque illam, qua corpora duntaxat pereunt, uir diuino fultus praesidio timere debet? Tantum enim Dei religio uiua sit, lateque per orbem uniuersum diuulgetur, omnia quamuis horrenda ac saeua, leuia

animae Christo per fidem atque amorem unitae, imo vero etiam levissima videntur. ecce, inquit, labia mea non prohibeo, Domine tu nosti. Insuper

{40.11} Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, et salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam a concilio multo.

Iam illud considerandum, quam non obscure Euangelii munus in uerbo illo. Annunciaui, uersus superioris appareat: nam Hebraeis est, non tantum rem ali-
[aliquam]

{pdf 350, p. 167}

-quam simpliciter annunciare, quam rem nouam insolitamque, & quae audita animos mirum in modum afficiat atque accendat, praedicare: quod sane tam apte sacrosancto Dei Euangelio conuenit, quam quod aliud maxime. Quid unquam tam nouum a seculis auditum est, quam totum humanum genus, unius Christi sanguine & morte, atque illa quidem ignobili & infami, e morte ad uitam restitutum esse? Quid porro tam nostros afficit animos, atque ad diuinam excitat religionem, quam unius solummodo fidei in Christum, qua nostra omnia per ipsum deleta esse scelera certi sumus, seruatos nos esse beneficio cernere? quis hic amore omnino non colliquescit? Quantum putas spiritus suauitatem concepisse Apostolum, quando illud fidei elogium protulit? dicens: Iustificati per fidem, pacem habemus ad Deum. hoc est, Deo per fidem, ac Christum qui fidei nostrae finis est, reconciliati, in amicitiamque asciti, perfectam adepti sumus animi tranquillitatem, ac de remissis peccatis certitudinem, ex qua nimirum tumultus illi, ob legis sarcinam, ac strepitus conscientiarum experrecti, sedati sunt. Iustitiam igitur tuam, o Deus, qua perfectissime bonus es: ueritatem item tuam, hoc est, constantiam in promissis: ac salutem, quam mihi uel in mediis ipsis conclamatis rebus semper attulisti, haud meo quidem in corde delitescere sinam, sed quemadmodum mihi, ita & aliis notas fieri curabo. Tametsi enim cuncta haec, ut dixi, de unoquoque homine diuini cultus studioso dici queant, de Christo tamen melius ac uerius praedicant, qui apud Esaiam sic de se testatur: Ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, ut praedicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, ut praedicarem annum placabilem domino, & diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes, ut ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris.

{40.12} Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas a me: misericordia tua & ueritas tua semper susceperunt me.

Non absque salutis periculo est, ex diuina ad subueniendum dilatione, argumentari animam, se esse prorsus a Deo derelictam. Etenim, ut saepe iam diximus, iucundissimo quodammodo spectaculo suorum cum mundo luctam intuetur Deus: tantum abest, ut eos omnino negligat. Ego enim, inquit uates, peto ut in multiplicibus meis tentationibus atque aerumnis, multiplici uarioque misericordiae tuae genere ac modo mihi subuenias: quanquam illud exploratissimum habeo, reque ipsa toties expertus sum, miserum hunc homuncionem tua a misericordia, ac, qua promissa constantissime seruas, ueritate

ereptum. Vix quidem uerbis exprimi posset, quam uaria, ut sic dicam, arte, suis in liberandis a persecutionum tentationumque atrocitate utatur Deus. Proinde uarias multiplesque hic appellat Dei miserationes propheta. Anima enim quae tum daemonum, tum peruersorum hominum insidias incurrisse se sentit, cupit quidem eripi, atque propterea diuinum implorat subsidium: sed eo tamen consilio, ne quid ultra: crucem enim tam mortalibus salutiferam, quantum potest refugit. Verum Dei consilium secus atque putamus, in suorum cura sese habet ac patrocinio. Dura quippe atque amara afflictæ animæ alias, cum id illi conducere iudicat, porrigere solet solatia: alias uero mollia & suauia: quæ tamen omnia haud multo post in immensam cedit animæ consolationem, cum se uidet tam obstruso incomprehensibilique liberationis genere a ui hostium extractam: idcirco in uocem illam fidei plenissimam erumpit: Misericordia tua, & ueritas tua, haud raro quidem, & interdum, sed semper susceperunt me. Quid posthac uereor? Quemadmodum igitur hactenus mecum egisti, ui Deus, ita in posterum ne longe facias miserationes tuas a me:

{40.13} Quoniam circundederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meae, & non potui ut viderem.

Non potui uidere, tum Graeci tum Hebraei transtulerunt & est lucidior sensus, qui is erit, ut interpretatur Paraphrastes: Circundederunt me, inquit, mala innumerabilia, apprehenderunt me iniquitates plures, quam ut eas uisu as-
[assequi]

{pdf 351, p. 167v}

-sequi potuerim. Fallunt certe oculos, fallunt ingenium, fallunt animæ cognitionem tot mea infortunia & aerumnae, atque ob id peccata & scelera, quid dicam?

{40.13} Multiplicatae sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.

Quam hic serio ab anima illa, quæ caeteris omissis curis in illud solummodo incumbit, ut purgator in dies euadat, exclamandum esset, Delicta quis intelligit? At nescio qua infelici mortalium sorte accidat, ut quiduis potius libentiusque curent, & cogitent, quam ut se ipsi pernoscant homines. quo sane adepto id fit, quod (ut in optimo contingit speculo) in se esse uideant quod continue defleant. Quis, oro, securam, multo minus lasciuam dissolutamque degere potest uitam, illud ex animo pertractans, quod suæ usque eo praeualuere iniquitates, ut numero superent, ut inquit Paraphrastes, capillos capitis sui? Potest ne homo torrentium glaream, marisque arenam, aut atomorum copiam enumerare? Eo se habent numero ac modo hominum peccata: quod si quis non uidet, profecto nondum perfecte se novit. Ridebunt haec, scio, nonnulli elegantes, si Deo placet, religiosi, quibus durum admodum videbitur, me hisce meis in commentariis asseruisse, hominem qui se adamussim nouit, quamuis iustus sit, pureque in Dei ecclesia conuersetur, se non solum peccatorem, sed etiam peccatorum omnium impurissimum fateri: ad haec, opera omnia humana, conatus & lachrymas, frigidas, inanes, atque imbecilliores me dixisse, quam quæ per se, suoque, ut aiunt, marte ac uirtute, tot mentis notas, ac maculas, quæ numerum omnem superent diluere queant,

nihilque boni agere posse hominem penitus absque Deo. quod quidem ethnicos quoque, nedum optimos ecclesiae theologos vidisse compertum habeo. In tertio enim de Natura deorum clamat ille atque inculcat, nihil omnino posse hominem absque Deo. Quod si tamen, ut unicuique suus est sensus, tantum sibi suoque arbitrio tribuunt nonnulli, ut multum se posse ex se arbitrentur, & ut olim Pelagiani, disputent, dicant quaeso, cur sanctiorem, quam agunt, non persequuntur uitae rationem? unde tanta illorum effutiendi quicquid in buccam uenerit licentia? unde ambitio? unde odia? unde effraenis illa cupiditatum bellua? Pereat, oro, in me huiusmodi facultas arbitrii, quae me impium nefariumque, ac mei prorsus immemorem reddit. Verum illi, ut lubet, suis pareant affectibus: mecum uero agi non male duxero, si meam mecum reputans imbecillitatem atque ignorantiam, cum timore ac tremore, ut me hortatur Paulus, meam operabor salutem. Cohorresco plane totus membris cum cogito, tam innumeris peccatorum me coopertum esse pustulis, ut capillorum mei excedant capitis numerum. Non sunt haec fabulae: spiritus enim Christi est, qui mortalium omnium uice loquitur, queriturque se multis circumuentum esse malis, suasque adeo increuisse iniquitates, ut numerum plane omnem excedant. O innocentissimum dominum: quid ego pro me hic dicam, cum tu pro me tam ex animo meis pro sceleribus, tuis iam factis, & doles, & quantam maximo potes eiulatu clamas, implorasque solitam aeterni patris opem, dicens

{40.14} Complacemat tibi Domine, ut eripias me, Domine ad adiuuandum me respice.

Illud notandum, quod pene, in hemistichio illo, Cor meum dereliquit me, uim illam inesse, qua ostenditur, quanto malorum cumulo praeuenta interdum sit anima: & est sensus: Omnis uirtus, uigorque & robur defecit me. Animus meus destituit me, reddit Campensis: quod idem tamen est cum nostro. Nam cum cor uirium humanarum sedes sit ac fons, animam quoque complectitur, & fouet. Caeterum clarius hunc quoque uersum reddit: Velis, inquit, domine eripere me: hoc est, tuam hic appello uoluntatem, quae mihi benigna sit, meque e uestigio tot malis eximat. Nam quod nos legimus, respice, Hebraeis est festina. quare sia uertit Paraphrastes: Ad ferendum mihi auxilium accurre: quod uerbum diuinam ad subueniendum celeritatem poscere uidetur. quanquam etiam uerbum respice, ut noster uertit interpretes, optime quadrare scio: id enim Dei fauorem prospectumque facilem ac benignum sibi esse rogat, illud properantiam: longa enim mora omnis in Deo animae in aerumnis laboranti uidetur esse. Ideo nobilissima Dei naturam, atque in sese quietissimam, irae excandescientiaeque interdum accusat

{pdf 352, p. 168}

atque ob id trucem pene illius aspectum, & inexorabilem putat, dum suis in angustiis nullam sentit consolationem. Nullus quippe homo est, quin libentius otio, uitaque tranquilla ac beata in hoc mundo uelit uti, quam curis onerari, & in aerumnis esse. Sed Deus crucis illius, quae ueram suppeditat uitam, autor, longe diuerso utitur consilio in rebus suorum curandis. Nouit enim suprema illa prouidentia, quam uitrea sit, planeque ad uitia prona mortalium natura: quamque facile ex otio, uitaque malorum experte, a coelestium contemplatione ac desiderio auertatur, hauriatque infinitas illas concupiscentiarum flammis, quibus ad uiuum usque torrefacta, nec se cognoscere, nec

in Deum aspicere iam potis sit. Huic igitur, afflictio num cruce succurrere coelestis decreuit pater, amara illa quidem primo haustu, sed quae postea usque eo ipsam oblectet, ut omne aliud uitae genus infelix arbitretur, quod absque cruce sit. Nulla itaque in aduersis ab anima suae salutis cupida audiatur querimonia, nullum taedium, nulla desperatio: sed dininae [sic, diuinae] tantummodo bonitati gratias agens, quanto potest affectu & conatu, illam sibi tot inter mala non deesse rogitet, dicatque cum propheta: Complaciat tibi domine ut eripias me quin potius, posteaquam sic expetere uidentur,

{40.15-17} Confundantur & vereantur simul qui quaerunt animam meam, ut auferant eam.

Conuertantur retrorsum & vereantur, qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam qui dicunt mihi, euge euge: contra uero, **Exultent & laetentur super te, omnes quaerentes te,**

Et dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Pulcherrima suo more hic utitur antithesi uates. Caeterum solent hi, quibus uolupte est aliquem odisse, atque illis quidem rebus, quibus comes est odium, lacessere, pudore suffundi, si illum, quem persequuntur, aequo animo & hilari persecutiones tolerare uiderint: mirantur enim unde tam robusta dimanet uis spiritus suo in hoste. quare illius patientia nonnunquam uicti, pudoreque affecti, ab incocepto desistunt, atque ad meliorem uitae statum sui hostis exemplo sese transferunt. Sed quid de illis censendum, qui eo acerbius irritantur, quo illum quem iniuriis incessunt tranquille ferre, quicquid malorum ab improbis inferri potest, persentiunt? opinanturque metu illum, atque ignauo animo ac spisso, tacere, in iniuriisque quiescere? Vtinam id solum de his, qui seculares uulgo appellantur, dici posset. Heu corrui robur e Sion, heu quid interdum uidere cogimur. Audiui quendam non semel ita questum fuisse: Vtinam Dei fuisset uoluntas, ut in fasciis ulnisque nutricis meam obiissem mortem. Non sane quidem id cupio, quod improborum iniuriis admodum mouear, utpote qui eas mihi semper necessarias fore duxi, ac lubenti amplexatus sum animo: sed nollem a fonte illo processissent. Maiori quidem afficior dolore, considerans unde tam turpe prodierit uitium, quam quod ego quorundam contumeliis pateam: uerum quoniam duriores sunt, quam qui mea uinci possint tolerantia, decreueruntque tanquam sues, suis in sordibus commarcessere, nihil mihi aliud agendum atque orandum esse iudico, quam quod me docet spiritus: Confundantur igitur, & uereantur simul, qui quaerunt animam meam. Illi, illi ignominia notentur, non tui, tuaeque religionis studiosi, o Deus, ad unumque pudore suffundantur. Conuertantur in fugam spe ipsi sua delusi, signenturque ipsi, non ego, qui falso accusor infamia, qui malo meo, ut ipsi arbitrantur, atque exilio, quammaxima gestiunt uoluptate, triumphantque, & in absentem quoque (nefas) oblatrant. Ferant confestim confusionem suam qui dicunt mihi, euge, euge. Hactenus ille, uir quidem, ut mihi uidebatur, neutiquam improbus. Videant igitur, oro, innocentiae, hoc est, Christi persecutores, quam periculosum sit piorum execrationibus ac diris subiici. Variis hic modis hostes suos execratur anima, quo conceptum dolorem apertius explicet: & est sensus: Quamprimum, oro, tanta illorum impietas, qui mihi propter miseriam, in qua uolutor, insultant atque illudunt, manifestetur. Nam si diutius, o domine, meam ad refocillandam imbecillitatem, tuam opem distuleris, periculum erit, ne aut ego persecutionum oneri uictus succumbam, aut alii metu deterriti a iustitiae linea declinent. Caeterum aliter hunc uersum Hebraeis, Ferant confestim

{pdf 353, p. 168v}

confusionem suam, legentibus, alius redditur sensus. Fel. Sic: Obstupescant iuxta praemium ignominiae illorum: hoc est, opprobrium, talionis iure, atque ignominia eadem, qua bonos notari efflagitant, digna nimirum merces illorum sceleribus rependatur, ut sit debitum quodammodo illorum pernicitati hostimentum. Chaldaeus legit, prae uerecundia: quod sane cum superiori uersu, quo dictum et, confundantur & uereantur simul, optime convenit. Porro de dictione, Euge, iam alias dictum fuit uocem insultantis esse: quam uocem nonnulli ex Hebraeis, uah, seu, ohe, uertunt. Paraphrastes tamen Euge cum nostro reddit. Sic enim ille: Pereant mercede accepta pro ignominia, qua me afficere conati sunt, & quotquot insultantes dicunt in aduersis meis, euge, euge: contra uero, gaudeant & laentur freti fiducia tua, quotquot student placere tibi: & dicant iugiter: Magnifiat dominus, quicumque cupidi sunt assequendae salutis tuae. haec ille. Non raro enim imo omnibus ferme in locis, salutare pro salute uertit interpret, ut hic uides, & est sensus, ut supra a Paraphraste accepimus: suam igitur solius opem, o Deus, non mundi, non principum, non falsorum plerunque amicorum expetentes, amantesque, quod nobilissimum in primis pietatis genus est, tui in te gaudeant, de te laentur, exultent, ac absque animi intermissione te celebrent, dicantque: Magnus, ac super omnem immensitatem longe immensus est dominus:

{40.18} Ego autem mendicus sum, & pauper: dominus sollicitus est mei.

Iam diximus in superioribus, aequa erga omnes cura diuinam teneri prouidentiam: sed praecipue erga pauperes illos, quos Christus pauperes spiritu in Euangelio nuncupat. Quare frequentissimus prophetarum is mos est, ut Deum pupillorum, uiduarum, pauperum, orphanorum, caeterorumque istiusmodi miserorum curatorem faciant. Et haec nostra summa est religionis perfectio, ut anima sua denudata sponte, mundi fortunis & praesidiis, solo Deo nitatur, ipsi fidat, atque ab ipso suis in actionibus & consiliis pendeat. Mirum quam semper huiusce instituti anima sui similis sit, hoc est, hilaris, bene morata, atque prauorum hominum iniurias non solum patienter ferens, uerumetiam animose deridens, ac summa illas alacritate, qua maxime afficiuntur hi qui Deum possident, refringens. Vide tamen quid dicat: Quoniam, inquit, ab omnibus meis in aduersis destitutus sum, idcirco sollicitam mei curam suscepit Deus. Ex praeteritis enim meis incommodis probe didici, quod eius misericordia & ueritas semper susceperunt me: suscipient. scio, & in posterum. Caeterum nonnulli legunt: Dominus assignabit mihi: hoc est, dominum id saltem mouebit, quod ego humanis ultro exutus armis, ad ipsum solum confugio. Alii uero cogitauit mihi, hoc est, de me cogitauit in bona. Quare sic habet Chaldaeus: Deus cogitauit mihi bonum. Non praeteribo etiam aliam Kimhi Hebraei literam, non quidem ut intelligentiae confusionem afferam, uerum magis ut acutioribus, ne dicam curiosioribus, satisfaciam ingeniis. Aestimauit me, inquit, Deus: hoc est, me dignum esse duxit, cui suppetias iret. cum igitur sic se diuina habeat erga mortales bonitas, ut nunquam Non, etiam cum non sentitur, in inferenda suis ope, ut ego quidem, inquit, indigne licet, non raro expertus sum, iugiterque experior, praesto sit,

{40.18} Adiutor meus & protector meus tu es, Deus meus non tardaueris.

Cum auxilium meum, inquit, tu semper meis in aerumnis extiteris, ne modo etiam in subueniendo tardus sis: discrutior [sic, discrucior] enim miserum in modum si uel parum abs te deseror. quod sane a mundo, qui tuos persequi odio solitus est, destituar quod ab amicis, mihiq̄ue necessitudine coniunctissimis deserar: quod improbi infensus sim & odiosus, id mihi certe nouum aut insolens, inexpectatumque, at proinde molestum, intolerandumque minime uisum est: istiusmodi enim decerpi solent fructus e mundo. Verum abs te, in quo omne inest bonum, a quo pax uera animi, tranquillitasque conscientiae tanquam riuuli ab immenso gratiarum decurrunt oceano, contemni, in aduersisque deseri, nulla acerbior uidetur posse esse aut crux aut mors.

{pdf 354, p. 169}

PSALMVS DAVID XLI EFFUNDENTI SANGUINEM.

{41.2} Beatus vir qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Haud mihi quidem multum elaborandum erit in ueriori formando sensu huius psalmi, simulac lego nonnum uersum a seruatore nostro Iesu Christo in sui proditoris reprehensione citatum olim fuisse. Dicant alii, ut lubet, uatem morbo aliquo grauiori oppressum, planeque suis a coniunctissimis amicis derelictum, desperatisque prorsus rebus de se lecto cubanti hunc psalmum composuisse: alii uero pro Salomone eius filio factum opinentur, cuius insidiae ab Adonia paratae eum non latuerunt: alii rursum aliud. Nos autem, ut uera illa omnia sint quae dicunt, ad Christum, cuius typus fuit Dauid, totum psalmum, ne in antiquis recensendis annalibus occupemur, referre tentabimus. Sunt ferme omnibus obuia & nota, ut umbrae tamen queunt cognosci. Qui uolunt, in his euoluendis occupari possunt: atqui mihi dictu facile non uidetur, quantum meus in me laetitia gestiat spiritus, cum de Christo aliquem enarrari psalmum, aut de illius membris, qui sumus nos, uideo. Iam diximus, in psalmis continuum esse recitorem Dominum Iesum: sed ita, ut alias tanquam caput & loquatur, & miris suae diuinitatis aspirationibus electorum corda perlustret atque exurat: alias uero, ut membrum, & plerunque ignobilissimum, sese nostrae usque eo attemperat imbecillitati, ut miseras nostras ipse, tantus scilicet dominus, suas uelit esse, in se cognoscat, in seque esse & fateatur, & doleat, quo a membris caput disiunctum esse minus uideatur. Quare quaecunq̄ue sancti Dei uiri indigne perpetiuntur a mundo, in ipsis Christus patitur, sudat, angitur. Unde non absque diuina scientia illud fuit ab Apostolo dictum, qui cum Romae captiuus esset, mortemque operiretur, fassus est sese paratum esse adimplere, quae afflictionibus Christi in sua carne adhuc deerant. Quae quidem omnia quantum uelim ex animo perpenderent principes, atque animarum pastores: sed fabulae propemodum nostris hisce animis penitus exulceratis, quae de Christi mansuetudine dicuntur, apparent ac somnia. Nam eo quidem dissidii inter capita & membra nostra iam processit uita, ut magni Ecclesiae proceres, sua contenti magnitudine, infirmiores sibi subditos, oues scilicet languidas, atque artus moribundos fastidiant, execrenturque: tantum abest, ut curent, illorumque morbos (quod fecit, facitque etiamnum Christus) in se transferant. Vera ne sunt quae dico? Vtinam falsus sim, uanaeque fiant rerum, quae mihi hoc in secreto recessu occurrunt, imagines. Sed ad Dominum meum Iesum

Christum redeo, qui psalmi huius summa est, & qui se pro te, o ingratisime animantium omnium homo, & pauperem & inopem & egenum esse fatetur. Christus, inquit Cyprianus, pauper fuit, pauper mater, pauper filius, inops hospitium, atque proinde discipulos diuites aspernatur. Verum beatus ille, ac ter & quater felix, qui uere intelligit cuius excellentiae & charitatis is pauper sit, qui cum diuitiarum omnium, quae tum ad animum, tum ad corpus spectant, autor existat ac dator, factus est tamen in mundo rerum omnium ad uitam pertinentium inops, miser, despectus, atque ab omnibus ferme contemptus. O si intelligas, mi lector, quam ingens bonorum omnium copia sub tam uili lateat tegumento, te certe cum propheta beatum dixerim. Est proinde ex probis quispiam, qui prauorum hominum iniuriis lacessitus & oppressus, uix ui potest oculos ad coelum attollere, duret, obsecro, cogitetque intra sese, beatitudinis instrumentum id quidem esse, uel eo maxime, si in die malo, hoc est, in tetro persecutionum tempore persuasum habeat, intelligatque Christum non procul abesse: imo illum magis in se pati, quam ipsemet in sese, illa quae ab impiis inferuntur. Desperet ne id cogitans & intelligens? Nequaquam certe: nam firmo illo iacto fundamento, statim liberabit eum dominus. Dominus, inquam, custodiet eum, et vivificabit eum, fietque beatus in terra, et non tradet eum in animam inimicorum eius. Sic enim hos legunt versiculos Hebraei per futurum, quos noster interpret reddidit optandi affectu, hoc modo:

{pdf 355, p. 169v}

{41.3} Dominus conseruet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Illud in primis considerandum liberationem illam de qua supra dictum est, in die malo liberabit eum dominus, in stabili ferendi pro Christo, quicquid accidat, proposito potius intelligi oportere, quam quod re ipsa ab aduersarum rerum onere, cruce scilicet sanctis necessaria, leuetur uir iustus. Illam enim uerum a malis liberationem esse iudico, cum quis eo animi robore a Deo donatus si, ut illa non tantum fortiter toleret, atque infracte, uerumetiam libenter, & ut res charae solent, percipide, & cum oblectamento, quo praemium quodammodo uiro illi, qui intelligit super egenum & pauperem, in die malo propositum sit, ut quemadmodum homo homini in aerumnis misericordiae uiscera aperit, ita repensa quasi a Deo uice, is quoque tempore in aduerso a malis eximatur. Summa igitur est, quod anima multis circumsepta miseriis, in Deum qui pro miseris miser factus est, figat intuitum, intellectumque in sublimi contemplananda divinae bonitatis dispensatione exerceat: nam nulli dubium, quin plena a malis sequatur liberatio. Ea enim fiduciae in Deum uis est, ut Deus ipse quodammodo animae ita erga se affectae amore deflagret, atque propterea nihil aliud uelle uidetur, quam quod ipsa uelit, ac castissimis petat suspiriis, & oret. Sunt praeterea qui legunt, ut nos e nostro interprete: In die malo liberabit eum dominus. alii uero, quibus non coactus assentior, punctum, quod Hebraei ethnachtha appellant, post in die malo transferunt, quo super egenum & pauperem in die malo, aduerso scilicet & aerumnoso, prouidentia habeatur. Caeteri porro qui sequuntur uersus, ab Hebraeis per futurum, ut dixi, leguntur. Vtraque enim interpretatio uatis spiritui non dissona uidetur. quanquam (ut mea est opinio, quam tum hic, tum alias interserere interdum audeo, summis tamen, ac cum omni Ecclesiae reuerentia) per futurum aptius legi debet, ut uerbo liberabit, & conseruabit &

uiuificabit, beatumque faciet (quo fidei uis uerbi non ignoretur) spes quoque respondeat: tamen, ut praefati sumus, quae per imprecationem nostro ab interprete leguntur, solitam prophetae anastrophe, subitamque uocis uersionem imitantur: qua postea, etiam secundum Hebraeos, usus est, cum dixit, non tradas eum in animam, hoc est, in libidinem, ut alias admonuimus, & uoluntatem inimicorum eius. pauloque post.

{41.4} Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius, uniuersum stratum eius uersasti in infirmitate eius.

Hebraei sic: Dominus confortabit eum super stratum dolorum: uniuersum cubile eius conuertisti in infirmitate eius. Verum illud non praetermittendum, quod in superioribus legimus, uiuificabit eum, non tam de futura, aeternaque uita intelligi, quam de praesenti, in qua per Christi fidem, quae est uita animae, iusti efficimur. Nam pietas, ut inquit Paulus, promissionem habet uitae quae nunc est, & futurae. Ex qua porro animae iustitia, illud quod sequitur felicissime nascitur: Et beatum, inquit, faciet eum in terris. Quod subsequentium bonorum uir iustus spe iam concepta, futurus sit haeres, nemo fere ambigit: quod uero in hac quoque uita, atque in terris, in quibus aerumnosa quaedam, perpetuaque illi promissa est crux, non sic perspicuum. Durum quippe nonnullis uidetur, eum beatum dici posse, cuius uita continuis in angustiis uersatur. Id sane durum esset, si sanctorum felicitatem in hoc mundo, uitae commodis, ac deliciis metiremur. Sed longe aliter, beatioribusque se habet rebus sanctorum felicitas in hac uita, quam sint diuitiae, honores, & id genus alia, quae ab hominibus ut plurimum diliguntur. Intus enim in anima, hoc est, ubi Christus suum habet domicilium, id beatitudinis genus reperitur, quae est pax animi, tranquillitasque conscientiae, ac iugis coelestium bonorum gustus, frequensque cum sponso animae congressus & confabulatio, hincque in uiro illo sic affecto, quaedam cernitur morum aequalitas. uultus hilaris, comitas, parsimonia, frugalitas, modestiaque, ac quidam longo ex

{pdf 356, p. 170}

usu obductus ad iniurias callus. Quid illud? quod per assiduas tentationum ictus, diutinamque persecutionum rabiem eruditus, affabreque edolatus, atque propterea uel ipsis demum improbis cognitus, non desint etiam e perditorum hominum numero, qui illi inuideant sanctitatem morum, dicantque. O tali certe nos praediti essemus animo: non est quidem alia in terris beatitudo, non felicitas, non perfectio, praeter illam, quam tranquillorum hominum sectatur uita. O beatos illos, qui se prorsus a negotioso uitae genere abdicarunt, laetamque etiam in mediis ipsis uulgi turbis, vivunt uitam. Verum nos miseros, qui ultro mundi perfidiae obiecti simus: his enim, aiunt quidam, nos nostraque Deo deuouimus: sed nihil actum, in idem reuoluimur lutum. Sentis, mi lector, quo afflictorum pro Christo tendat beatitudo? Quantas uero insidiarum machinas commoueant improbi, ut quietarum mentium cum nomen, tum uitam, aut uulgo contumeliis interspergant, aut extinguant omnino, notior res est quam ut eam ego multis persequar uerbis. Sed illud in tentationum, persecutionum'ue diritate, omnium, quae leuamen afferre solent, iucundissimum uidetur, quod animae sic laboranti exploratissimum est, innocentiam posse quidem quassari, atteri uero omnino, & extinguui, nequaquam. Quod sane a Christo in suorum gratiam oratum esse olim, atque a patre exoratum probe nouit, cum in sublimi illa supercoelestique precatione illud in fine

ad miserorum consolationem addidit: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Hac igitur persuasione ac fide fultus uir iustus, nullam quamlibet diram mundi pertimescit tyrannidem. Compertum quippe habet, non semelque expertus est, dominum sibi opem attulisse super lectum doloris, uniuersumque stratum suum uersasse in infirmitate. Vide quomodo uates, quo coelestium capaciores simus, ab usitato hominum sermone non libenter diuertit. Solet enim qui aliquo affectus est dolore, maxime animi, non per diu quidem solum, sed de nocte potissimum, tanquam curarum altrice ac matre, curis exedi & affligi. Verum Deus uiro iusto sic se suo in lectulo maceranti, salutarem supponit manum, ne collidatur penitus, emolliensque dolorem, illud ipsum stratum anxietatum plenissimum, in aliud strati genus, ut fieri solet a morbo aliquo liberatis, commutat: hoc est, sanum illum prorsus reddit, lectumque eius (o fidum obsequium) angulis, lateribusque undequaque uentilatis, etiam atque etiam uersat, & ut mollius cubet, diligentissime tum manibus, tum baculo percutit, & explorat. Vult Augustinus lectum carnem esse, in qua inest peccatum, unde continuus animi piis est dolor, cum id agere plerunque quod displicet, ui carnis impulsu coguntur. Hincque, ut ait quidam, non raro in perplexas mentis angustias incidunt: in tremorem iudicii, doloremque conscientiae: ut quocumque se uertant, nil nisi angustias uideant, atque propterea Dei patris conspectum, quantum possunt, fugiunt. Tunc, o Deus, horum uniuersum uersasti stratum, ut hi filii tui qui iam sibi uidebantur perditum, qui uolutabantur in spinis, qui nihil quietis habebant, possent molliter quiescere, dormire, & melius habere. Qui enim semper pater es, hic plane matrem agis, ut filii, qui aliis solent esse misericordes, iam quia indigent, misericordiam consequantur. Sed noster ad Christum redeat sermo, qui nostra, perinde quasi sua essent, deflet peccata. Omnium enim ubique mortalium delicta, cum innocentissimus tamen omnium esset, sua fecit Christus, pro illisque, tanquam suis, patrem placare intendit, dicens:

{41.5} Ego dixi, Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi.

Quam melius haec mihi miserrimo, qui semper peccaui, dicenda essent, quam illi, qui nunquam. Verum qui possum ex animo ac serio dicere, Peccaui, qui totus in peccatis natus altusque, in ipsis adeo obdurui, ut nihil iam aliud nec agere, uel cogitare queam, quod ferme peccatum non sit? Video enim quomodo hac in infirmitate mea necessarium omnino sit, ut meum subtus me stratum ille, qui ab omni est peccati contagione liber, crebro sursum deorsum exploret & uerset: alioquin in peccatis ortum, in peccatis emori necesse erit. Ego (inquit pro me Christus) dixi, o Domine miserere mei, illamque animam tuam ad imaginem, simi-
[similitudinem]

{pdf 357, p. 170v}

-litudinemque formatam, per peccatum deformatam, collisam, fractam, laceram, sana, & consolida. Ne, te oro mi lector, mentis oculos, cum haec legis, tuo a capite subducas. Ipse est qui pro te hic loquitur, oratque suas sibi, quae uerius tuae sunt quam illius, remitti culpas. Eadem quippe ratione Christus mortalium omnium moriens in se transtulit delicta, suaque fecit, qua olim uictima illa antiqua in lege, quae pro peccatis immolabatur, peccatum in se suscipere, secumque incendere ferebatur. Christi haec erat

umbra. Quare mirum admodum est, si totus in Deum per amorem non raperis, considerans tua peccata, non iam tua, sed Christi per aeterni patris misericordiam facta esse: Christique iustitiam, meritum, ac uirtutem in te ab ipso tanquam ab oceano gratiarum immenso transfusam. Sed ne longius ab instituto diuagemur, Christum persecutiones suas enarrantem audire non pigeat, qui hic loquitur:

{41.6} Inimici mei dixerunt mala mihi: quando morietur, & peribit nomen eius?

Nulla in terris perniciosior inuenitur pestis, quam est simulatus amicus. Quod enim ab hostibus quis aperto, ut aiunt, Marte impugnetur, pene tolerandum. At a falsis fratribus, fucatisque amicis circumueniri ac decipi, quis id cogitans prae dolore non extra se exeat? O insulsa Iudaeorum consilia. Quando, inquit, morietur? Scilicet is, qui uita est illa, a qua condita omnia existendi uim sumunt ac uitam expectatur ut occidat. Ab illo die, inquit Ioannes, cogitauerunt ut interficerent eum. Queritur hic igitur Dominus multas in se blasphemias, multa dictoria & diras suos conguessisse hostes, mortemque suam cum nominis interitus efflagitasse. Cernis ne, pie lector, quomodo in hoc psalmo proborum hominum uita, cum probitatis autore Christo, pedetentim quasi per membra effigiatur? Quam uerum quidem illud est, quod qui pie in Christo uiuere cupiunt, multas incurrunt molestias. Verum illud omnium amarissimum uidetur, si a domesticis id fiat amicis, si a necessitudine coniunctis, si ab ipsis denique pastoribus ac patribus. Sed iam uisa patentium hostium feritate, tectorum simulationem detegamus.

{41.7} Et si ingrediebatur ut uideret, vana loquebatur, cor eius congregauit iniquitatem sibi: egrediebatur foras, et loquebatur in id ipsum.

Omnes Hebraei, quos sciam, unum tantum habent hic uersum, quem sic reddit Paraphrastes: Si forte fortuna uenit quispiam illorum ut uiseret me, loquebatur fucate, addebat sceleri scelus, longe aliud habens in animo, quam in ore: egressus enim a me foras, linguam aduersum me exacuebat. Fel. uero: Et si uenit ut uideret, uanum loquetur, congregabit iniquitatem sibi: egredietur foras, loquetur. Ex qua lectione perspicuum est, illud, in idipsum, quod simul interpretantur, ad sequentem referri uersum: unde Fel. sic illum orditur: Simul aduersum me susurrabant omnes. Alius uero ex Hebraeo: Aduersum me concursant simul omnes inimici mei. Paraphrastes: Vnanimiter aduersum me conspirabant. Hic sane nonnullorum simulationem a Domino meo (quo cautiores simus, quibus cum uiuere instituimus) quorum typus fuit Iudas Iscariotes, describi uideo. Vide & tu, cui pro nefandissimo est more fratris existimatione. ac uitam sub amicitiae praetextu traducere, cuius similitudinem nanciscaris, proditoris nimirum filii Dei. Subintroierunt, inquit Paulus, quidam fratres, ut explorarent libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu. Verum hi nihil propemodum obtinent, si princeps, aut alius quispiam ex primoribus orbis, cui de fratre defertur, haud faciles delatoribus accommodant aures. Eo quippe modo malignorum deterrita simulatione, tuta redditur innocentia, paxque orbi uniuerso conciliatur: alioqui certe dissidia, in ipso etiam sacrarum aedium sinu ac centro, oriri necesse erit, dum Corycaeis eiusmodi, ignitisque iuniperorum prunis a primatibus non solum impenditur fauor, uerumetiam statuitur praemium, ac, quod uix dicere audeo, honoribus illis, quibus

ornari solent optimi, integerrimique ciues, nefandissimus quisque simulator & malus, ut sic dicam, plagiarus

{pdf 358, p. 171}

etiam in rerumpublicarum administratione, plus dicam, animarum quoque rectione, pessimo omnium exemplo donatur. O infelices animas, quibus a tam tetro monstro gubernari contingit. Interdum enim cum haec, horum ue similia mundi portenta considero, occurrit Iudae actutum temeritas atque impudentia. Occurrit scribarum pharisaeorumque leuitas, ac promptae aures ad admittendas proditoris fucatque amici & discipuli, in amicum & magistrum insidias. Occurrit mihi, inquam, sic cogitanti Christus ipse totius probitatis specimen & exemplar, quomodo traductus tunc fuit & uenditus: quomodo nostra quoque aetate suis in membris traducitur, uenitque ac cruci affigitur. Is est enim qui hoc in psalmo nostram, qui in mundo cum ipso affligimur, ob consolationem & exemplum, queritur se a fucatis proditum amicis. Caeterum illum uana loqui existimamus, qui cum cor odi amarulentia ac fraude plenum habeat, eum tamen quem prodere cogitat, laudat, cum ipsoque familiariter conuersatur, inuitat, blandoque compellat serone ac uultu. Illud certe comicum perfidiosae huiusmodi consuetudini aptissime conuenire arbitror: In melle, inquit, sunt linguae sitae uestrae, atque orationes: corda in felle sunt sita, atque acerbo aceto. Linguis dicta dulcia datis, corde amara facitis. Vana proinde ea sunt omnia, quia falsa sunt, fucique plena, & simulationis. Quod uero ab huius generis hominibus frequenter obseruatus fuerit Christus, & circumuentus, dum uitam hanc in terris nobiscum ageret, nemo est uel mediocriter in Euangelicis literis eruditus, qui id ignoret. Quid sit porro, cor eius congregauit iniquitatem sibi, exposuit Paraphrastes, cum ait: Addebat sceleri scelus. Diuus etiam Augustinus simulatam aequitatem, duplicem appellat iniquitatem. En igitur quomodo cor impii sibi facile accumulet iniquitatem. Egrediebatur, inquit, foras, & loquebatur. Nunquam uidi proditorum morem elegantius describi, & est perinde quasi diceret: Concepto per simulatorem illum atque exploratorem in corde ueneno, emptaque doloso colloquio innocentia, ac risu plecta Sardonico, erumpit foras proditor, egressusque ab illius praesentia, cui insidias parauit, suis statim cum coniuratis, quid actum sit, quid ue agendum, loquitur: deinde nouas machinatur artes, quibus irretita probitas, aut cedat, aut intereat, necesse est. Idest igitur quod uates ait: Egrediebatur foras, & loquebatur. Quod si cui placet huic addi uersiculo, in idipsum, exponi potest, quod loquebatur una cum suis, eiusdemque farinae hominibus.

{41.8} Aduersum me susurrabant omnes inimici mei, aduersum me cogitabant mala mihi.

Vide quomodo is improbis potissimum proditoribus mos sit, ut nihil ingenue aperteque loqui audeant, sed quodam tacito, ut sic dicam, susurro res suas mussant potius, quam exponunt. Etenim quemadmodum ille, qui male agit, odit lucem, ut inquit Christus, ita odit proborum congressus, & quicquid probitatem, candoremque animi sapit, detestatur. Fucus enim est quicquid agit, loquitur, & cogitat. Caeterum quid sit, cogitabant mala mihi, diuus exponit Augustinus ad hunc modum: Cogitabant, inquit, mala mihi, si quis alius alio amplius inueniret. Et id quidem ad conspiracyem, quae in alicuius struitur perniciem, attinet, cum interim ille nihil mali cogitans, aliorumque

animum ex suo ponderans, aut domi, aut in secessu aliquo secretiori sedens, pietatique ac literarum studiis incumbens, subito transfoditur uulnere, aut solum uertere iubentibus diis cogitur. Nam simulac etiam atque etiam cogitarunt mala mihi (inquit Christus) tandem

{41.9} Verbum iniquum constituerunt aduersum me, nunquid qui dormit non adiiciet ut resurgat?

Tandem, inquit, iniquam protulerunt sententiam. Tandem post longum aeris murmur secutus est nimbus. Tandem innocentissimum agnum mori coegerunt. Ablato itaque a mundo sole, extinctoque uniuersi lumine, inter se omnes in densissimis conspirauerunt tenebris: Nunquid, inquiunt, qui dormit, qui ab omnibus, etiam a propriis discipulis derelictus est, a nobis uero infamatus, expulsus, ac tandem cruci affixus, atque in tumulum, uti solent caeteri mortui, proiectus, adiiciet, hoc est, animum inducet ut reuiuiscat, iterumque nobis negotium facessat?

{pdf 359, p. 171v}

Tuti enim iam sumus. Iam extinctus est. Verum litera, quae est Hebraeis, paululum diuersum huius uersus sensum habere uidetur. Verbum, reddit Felix. Belial effusum est in ipso, & qui iacuit non resurget amplius. nihilominus Belial eandem prae se fert significationem, quam iniquum. & est sensus: Maximum scelus ac flagitium infusum isti est, ut a tam longa, diraque ultione ac poena nequeat liberari: nondum enim debitas suae impietatis persoluit poenas. Quare fieri non potest, ut qui nunc tam atroci affectus est supplicio & morte, denuo reuiuiscat. Perpetuo quidem sic eum iacere opus est. Vide quam de filio Dei opinionem conceperant Iudaei, sed in primis synagogae antistites. Praeterea Belial Hebraeis scelus est: uerbum uero Belial, res scelestas ac perditas. quocirca in scripturis uiri Belial hi dicuntur, qui ad usum bonum sunt inutiles, prorsusque nefarii, ac qui, secundum etymologiam Hebraicam, ad nocendum aliis tantummodo uiuunt. Sic filii quoque Belial. Vnde Anna Samuelis mater temulentiae ab Heli sacerdote insimulata, respondit: Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial. Et sic in hoc sensu Belial in scripturis haud raro reperies. Porro Verbum, inter alias significationes quae passim in scripturis nobis obuia fiunt, rem, negotium, factumque significat. Videamus, inquiunt pastores illi felicissimi, hoc uerbum, quod factum est nobis: hoc est, rem ipsam, de qua nobis dictum est. Nam Hebraeis id moris est, ut quodlibet negotium, aut factum, uerbum dicant: ita ut etiam diuinam legem, praeceptaque, atque interdum prophetias, uerbum nuncupent: adeo celebrior Hebraeis uerbi significatio uisa est, quam Latinis. Illud postremo notandum, nunquid qui dormit, clarius absque interrogatione, ut legunt Hebraei, posse legi. Qui iacet, inquiunt, non resurget. Quod si tamen nostra alicui magis arridet litera, expungendum omnino erit nunquid, & sic legendum: Qui dormit non adiiciet ut resurgat. Decumbere, inquit Paraphrastes, tam grauiter coepit, ut nunquam ualetudinem pristinam recepturus sit.

{41.10} Etenim homo pacis meae, in quo speraui, qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem.

Nulli dubium quin hic Christus de Iuda dicat, cum haec eadem pro se citauerit uerba in Euangelio. Sed clarior erit sensus si, etiam, non etenim, legas, ut uertunt Hebraei & est ac si dicat Seruator: Quod ab ipsis meis, patrisque hostibus derisioni habitus sim ac ludibrio, atque propterea morti addictus, non mirum admodum uideri potest: uerum illud me angit, quod etiam homo, qui cum arctissima mihi intercesserat familiaritas, cuique fidebam, qui & meo mecum uicitabat pane, sublato pede, ueluti calce petebat me. Litera porro quae est Hebraeis, sic potest legi: Etiam uir pacificus meus, hoc est, amicus meus quo nitebar, edens panem meum, magnificauit contra me insidias. Chaldaea uero: Magnificauit super me dolum. Vtraque enim litera eundem sensum, quem nostra, reddidit. Attamen qui insidias uertunt, seu dolos, simplicius id quidem, quam qui supplantationem: quae sane uersio quandam allegoriae speciem sapere uidetur. Queritur hic itaque Dominus Iesus, se ab amico & sodali, illo praesertim cum quo arcta ac pacifica sibi semper fuerat consuetudo, & qui cum cibum consumere solitus erat, deceptum fuisse. Supplantationem dicens, ad illud alludere uidetur, cum quis currentem aliquem, aut secum luctantem, calcaneum inter eius tibias insinuans, uelit nolit cadere compellit. Quomodo uero Christus in Iuda sperauit, illoque nixus fuerit, intellectu difficile uidetur: uerum puris animis, coelestibusque rimandis rebus assuetis, cum occurrit cogitandum, permulta Iudae a Christo credita fuisse, sed in primis pecuniam rei familiaris, dispensationem mensae, Apostolatam familiare colloquium ministerium uerbi, uirtutem miraculorum, cibi mensaeque domesticae societatem, & quod omnium maximum fuit, superdiuinum sui corporis ac sanguinis edulium, satis facile apparet. Num, quaeso, hisce muneribus ornatus tibi inferior uisus est Petro? num caeteris Apostolis? Sed maxima cum sint beneficia, maximam prae se ferunt iniuriam in ingratum. Quare non absque ratione positum est uerbum, Magnificauit, hoc est, magna fuit Iudae supplan-

[supplantatio]

{pdf 360, p. 172}

-tatio, & iniuria, hominis nimirum mei familiaris conuiuiaeque, atque innumeris meis affecti beneficiis. Unde (malum) speranda mihi fuit grati animi testificatio, repensa est iniuria & contumelia.

{41.11} Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis.

Volunt nonnulli, ex praecedenti uersu uaticinium de ultimo illo osculo dato Christo per Iudam in horto, debere intelligi, cum ait: Etiam homo pacis meae. Osculum enim, pacis charitatisque (de uero osculo loquor) indicium est. Item buccellam tinctam in catino, datamque ipsi proditori in coena illa Christi cum discipulis ultima, sub uerborum illorum uelo adumbrari: Qui edebat panes meos. Vt uera ista non sint, pia tamen sunt, & quae ego facile amplector, modo prius germanum disquirant sensum. haec postea. Sed ad Christum redeamus, qui hic nostram ad consolationem, suis enarratis persecutionibus, quas cum ab hostibus suis omnibus, tum a domestico amico & familiari perpressus fuerat, orat patrem, ut tantarum aerumnarum, totius uidelicet generis humani, iam tandem misertus, ab eiusmodi calamitatibus, atque e sepulchro se emergere, reuiuiscereque faciat, atque illis quidem ipsis, quibus persuasum erat mortuum non amplius resurrecturum, uiuum fortemque apparere. Idem ferme rogauit

Christus in humanis agens, cum ait: Venit hora ut clarificetur filius hominis. Pater saluifica me ex hac hora: sed propterea ueni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum. Ex potentissima quidem Christi e tumulo resurrectione, tum pater, tum filius ipse, tum tota densque trinitas purgatissimarum mentium hominibus gloriosa uisa est: caeteris uero extimescenda, & nonnullis etiam uana & commentitia: de quorum sane duritie atque amentia, tunc locutus est Christus, cum dixit: Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias: Excaecauit oculos eorum ut non uideant, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Haec dixit Esaias, inquit Ioannes, quando uidit gloriam eius. Vide quomodo in hoc omnes consentiunt, ut Christi resurrectionem, eius gloriam appellent: quae & certe nostra est. Nam etsi ab eius morte nostra omnis orta est purificatio, ab eius tamen resurrectione, iustitiae nomen & praemium adepti sumus: siquidem Christus ut ait Paulus, mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Alioquin, inquit, nisi esset resurrectio mortuorum (absurdissimum omnium foret, caput absque membris posse reuiuiscere fateri: in Christo enim e sepulchro sese excitante totum mortalium genus reuixit) miserabiliores cunctis essemus animantibus, ne dicam Sarmatis ac Getis, quibus nondum ullum huiusmodi impartitum est lumen. Quid deinde Christus his, a quibus tam male habitus fuit in terris rependendum esse censeret, cum ait, Et retribuam eis, eleganter exprimit Paraphrastes, dicens, ut illis quod meriti sunt retribuam. Id enim proprium iustitiae politicae munus est, ut unicuique, quod quis meritus est, a iudice tribuatur. At Christus, qui de seipso tanquam uniuersorum domino ac iudice, suam post resurrectionem testatus est, omnem sibi a patre datam esse potestatem in coelo & in terra, uerius has sibi integras iudicandi partes, distribuendique omnibus, ut meriti sunt, uindicat, quam caeteri e mundo iudices. E tumulo igitur excitato Christo, iniquum illud uerbum, quod inquit, Constituerunt aduersum me, nunquid qui dormit addet ut resurgat? disiectum fuit, uanumque redditum. Propterea illud quod sequitur, additum uidetur:

{41.12} In hoc cognoui quoniam uoluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Hebraeorum interpretes partim uertunt, quoniam dilexisti me: partim quoniam complacuisti in me. sed idem sensus est. Idcirco, inquit, me abs te amari noui, quod inimicus meus gloriandi aduersum me causam non habet. hoc est, sine peccato inuentus sum. Quod me persecutus fuerit, quod prostrauerit, quod a propriis laribus eiecerit, traduxerit, occiderit tandem, quid illi gloriae esse potuit, cum haec omnia iniquissimo egerit animo, atque absque causa? Ille enim me attritum omnino, extinctumque arbitratus, suis cum adulatoribus exultandi occasionem se nactum existimauit. Verum id frustra: nam breui a coelesti patre, qui filium aequae ac se

{pdf 361, p. 172v}

ipsum diligit, omnibus ab aerumnis, aduersisque ereptus, atque a sepulchro excitatus, gloriam illam, ditionemque ac potestatem adeptus sum, ut iam omnia mihi condita pareant, nedum minimus uilissimorum hostium conuentus & globus. More hic humano, ut multa alia, de cognitione, qua se a patre diligi testatur, loquitur filius Dei. Verum qui hac de re longas appetit disputationes, distinctionesque, quomodo scilicet Christus

triplicem habuerit cognitionem, ab aliis petat: ego enim, nisi coactus, ad illa, quae parum huic meo inseruiunt labori, diuerto. Suo itaque frustrati triumpho de me impii (clamat Christus) debitas suis sceleribus dederunt poenas.

{41.13} Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.

Nonne illud tibi in mentem nunc uenit, quod de huiuscemodi susceptione, confirmationeque, a scriba illo spiritus enarratur? Dominus, inquit, Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in coelum (ecce assumptio) & sedit a dextris Dei (ecce aeterna in conspectu patris confirmatio.) Quod quidem, mi lector, meis in aduersitatibus tantum mihi affert consolationis, ut pene doleam, querarumque me a domino meo destitutum, cum qui me aduersis exerceat deesse sentio, postquam uideo meum Christum, meum bonum, meum, cui annexus sum per fidem, caput, crucis tolerantia tam nobilem meruisse assumptionem, ut aeterna stabilitate in conspectu Dei patris sedeat, maneatque perpetuo. O certe felicitatis uenturae argumentum, cum quis innocenter uiuens persecutionum lima atteritur & expolitur. Sentio, sentio, quam non detrectandae sint mundi iniuriae: alioquin, ait ille, qui non tentatur, quid scit?

{41.14} Benedictus igitur Dominus Deus Israel, a seculo & in seculum. fiat, fiat.

Vates more suo cum gratiarum actione, Deique laude psalmum claudit. Caeterum familiaris scripturae tropus est, ut benedictionis nomine inter caetera huius uoci significata, quae multa admodum sunt, pro laude gratiarum uel actione utatur: quod non raro in superioribus est dictum. Calix, inquit Paulus, benedictionis, hoc est, diuinae largitatis munificentiaeque, quo benedicimus, laudamusque Dei beneficentiam, quoque de morte Christi salutifera gratulamur, patrique gratias agimus. ut idem ferme sic calix benedictionis, qui & gratiarum actionis. Ita igitur, Benedictus dominus Deus Israel, idem prae se fert, quod laus, gratiarum uel actio Deo sit. Israelis uero Deum appellat idcirco, quod nulla tunc alia a gente rite coleretur: uel quia hi soli ueram de Deo habent cognitionem, atque propterea puras es animo referre queunt gratiarum actiones, qui a Deo electi, directique (sic a nonnullis hanc uocem interpretari uideo) etiam in carne positi, diuino frui conspectu & quaerunt, & non raro assequuntur. Omni laude maior dominus Deus Israelis, reddit Paraphrastes. Ab aeterno fuit, & usque in aeternum erit. Amen, Amen. Hebraei auditum sermonem approbare uolentes, hac uoce, Amen, uti soliti erant Vnde illud inter alia in Deuteronomii libro legimus, quod cum per Mosen deuotiones, ut ita dicam, in legis transgressores recitarentur, respondebat populus, Amen: affirmantes nimirum hac uoce, ratumque habentes, quicquid pronunciasset Moses. & est perinde, ac si dicat, Fiat, & ita fiat, ut noster fere uertit interpret. alii autem, ut Aquila, Vere, uere: quo ipsa uocis geminatio maiorem ostendat confirmationem eorum, quae quis dicturus est, uel quae iam dixit. Caeterum, seculum seculi, seu secula seculorum, circumlocutio est, qua aeternitatem significamus. Sit gloria, inquit Paulus, in Ecclesia per Christum Iesum in omnes aetates seculi seculorum: hoc est, illius seculi, quod succedentibus seculis, nunquam sortietur finem. alias uero seculum, centum annorum dimensio est, & pro longo tempore plerumque a Latinis usurpatur. Sit Deo laus igitur tum omnium, tum potissimum illorum, qui, ut possunt, &

ut grauissima carnis sinit sarcina, in iucundissimum illius aspectum fixos tenent oculos. Sit, inquam, illi laus, sit gloria, sit gratiarum actio in aeternum. Quod quidem benedictionis genus ego peccator, qui haec scribo, approbans, ratumque habens, illi subscribo, dicoque Amen.

{pdf 362, p. 173}

PSALMVS XLII. Vincenti eruditium filiorum Chorae.

{42.2} Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

Ardet tota haec oda, sed priusquam illius calorem hauriamus, pauca de titulo. Extincto Chora illo seditioso, ut in Numerorum libro legimus tres illi filii superstites fuere: e quibus postea usque ad Dauidis aetatem posteriori aliquot descenderunt, quorum doctiores in musicis, Rex ipse cum aliis Leuitis (Chora enim Leui pronepos fuit) ad sacros decantandos hymnos elegit. Inter quos quidem hymnos, is quem nunc exponere intendimus, mortales omnes miris sancti spiritus afflatibus erudire uidetur: quapropter in titulo positum est, Eruditium: siquidem ad percipiendum totius psalmi sensum multa lectori opus est eruditione. Illorum uero, qui hunc psalmum censent ab ipsis propriis Chorae filiis compositum pro futura Iudaeorum captiuitate, atque in Babylonem transmigracione, extant scripta: qui huiusmodi delectantur lectione, illos, si lubet, aut otium est, legant. Ego enim hisce parum degustatis, ad illa libenter contemplanda, quae ardentius moueant animum, mentem applico. Nihil terrenum mihi sapere uidentur psalmi: ueruntamen ut ea quoque ipsa uera sint quae ab aliis dicuntur, siue de regis dolore, qui ob exilium festis illis praecipuis Iudaeorum minime interesse potuerit, siue de crudeli ab Assyriis in Babylonem captiuitate, omnia nihilominus illis umbra fuere, nobis ueritas. Omissis igitur umbris, ueritatem amplexemur. Haud nos quidem praeterit, quomodo Dauid in omnibus ferme Christum praefigurauerit, illiusque uitae typus fuerit: captiuitas uero illa celebris Iudaeorum, humani generis portendebat captiuitatem: quam hic nimirum a Dei filio defleri uideo, atque propterea aeternam desiderari patriam, cuique per fidem anima atque amorem unita, perlanguescens suspiransque, cum nihil aliud suis in angustiis praeter tenebras ac mortem uideat, audiatque in ipso etiam Ecclesiae diuersorio, a multis sibi non absque improprio dici, ubi est Deus tuus? suum aperit desiderium, & flens ingemiscensque, quanto ualet affectu clamat: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Aiunt rerum naturalium scriptores, ceruos natura calidissimos serpentium carnibus interdum uesci solitos, quamobrem aestu, sitique perenni cum fere semper, tum maxime a canibus agitados affixi, proindeque summa celeritate atque appetentia, cui comes sit clamor, ad aquas ferri. Unde sic uertit Felix. Quemadmodum ceruus uociferat super inundationibus aquarum, qui seipsum exponens, prae desiderio, inquit, clamat propter inundationes aquarum, hoc est, ut inueniat. sic ille. Alius uero glocitat, interpretatur, quod illa propria ceruorum uox sit: alius item, mugit: Paraphrastes autem, anhelat. Quae quidem omnia permagnum bibendi desiderium prae se ferunt. Volens igitur spiritus animas erudire, quam ardenti attolli debeant affectu in Deum, eiusque religionem, illas animanti huic sitibundo, omnisque morae impatienti comparat. Et certe non uideo cur anima tota, quanta est, diuina perspecta in se bonitate,

ac gratiarum inundatione, ex amore, desiderioque amorem saltem rependendi non comburatur. Excelsas enim illas, aeternasque diuini amoris contemplationes, in quibus degustandis toti intenti esse deberemus, frigidis, utinam non turpibus, occupati curis, uel nunquam gustamus, uel gustatas misere fastidimus. Contenti enim aliquando nostris, nescio quibus, non penitus a iustitia, ut uidetur, abhorrentibus cogitationibus, aut praescriptis ritibus, nihil ultra quaerimus. Ex quo sane ignauiae genere illa, a quibus perpetua ueluti cruce impetuntur boni, rerum monstra emergere continuo nostro moerore cernimus, nempe superbiam, arrogantiam, bonorum morum iuxta & hominum contemptum, odia, simultates, persecutiones, discordias, cupiditates, atque horum omnium altricem ambitionem. Quae, oro, respublica? quod regnum? quae regio? quae religio ab huiusmodi devastata feris diutius perstare poterit? Haec quidem, atque horum similia secum reputans anima, simulque tanquam venenatos angues, aut canes venaticos exhorrescens, fugiensque ad aquae haud amplius con-

[contradictionis]

{pdf 363, p. 173v}

-tradictionis, sed pacis & quietis, hoc est, ad suum Iesum, ad suum amatum, qui in uate illo clamat, Omnes sitientes uenite ad aquas, quanto potest cursu confugit. Fastidit plane omnia, imo uero etiam pertimescit quaecunque germanum religionis candorem dehonestare uidentur: fateturque sese non aliter Deum, in quo omnis inest tranquillitas, sitire, atque solet ceruus siti ardescens anhelansque fontium aquas appetere. Quod quidem desiderium ita exprimit Paraphrastes: Quomodo ceruus anhelare solet ad riuulos aqua plenos, ita anhelat anima mea ut perueniat ad te.

{42.3} Sitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Nullus, quod sciam, Graecorum Hebraeorumque uertunt, fontem uiuum, sed, fortem uiuum, ut diuus uertit Hieronymus: seu, uiuentem, ut alii: seu etiam, valentem, ut Paraphrastes. Vicinitas enim literarum hunc peperit errorem, si tamen error dici debet. Nam ea animae hic, ut uides, aestuantis mens est, quo omnibus diuulget, qualiter rebus iam demum omnibus, quamuis in mundo conspicuis & honoratis, in quibus tamen maxima reperitur debilitas & miseria, contemptis, ad illum, qui plane fortis est, uitaque illa praeditus, quae condita omnia suum in statum conseruat, ac uiuere facit, confugere expetat, flagretque desiderio pene intolerando. Quod quidem ut magis exprimat, sitiuit uerbo usa est. Sunt enim quaedam coelestium quoque rerum desideria, sed absque siti tamen, frigida nimirum ac sine ullo animi aestu & ardore. Hi quidem qui tardis huiuscemodi ac torpidis afficiuntur motibus, raro, imo nunquam perfectum uitae genus assequuntur, execrabile uero nonnunquam ac turpe. Siti igitur opus est, & ea quidem ardenti, ad assequendam iustitiam illam, qua adepti, aut saltem sitibunde concupita, is qui siti afficitur, beatus a Christo nuncupatur: qui ut sane se unicum esse fontem, in quo sitis omnis sedari posset, ostenderet, clamabat: Qui sitit, ueniat ad me. Nam qui uenit ad me, non esuriat: & qui credit in me, non sitiet in aeternum. O fidem uere bonorum omnium conciliatricem. Quid miser hic dicam? Da mihi Domine hanc aquam, ut non sitiam amplius. In hoc quidem aestu, ni opituleris, pereor. Tu, qui Deus fortis es, ac fons uiuus, mihi imbecillo, ne in me praeualeat mundus & mors, subueni. Te sitio, te

concupisco, te uolo: sed tua absque gratia, nec mea uera est sitis, nec bona concupiscentia, nec recta uoluntas. Quandiu enim miserrimo hoc in statu uitae sexcentis uitiorum errorumque nodis constricto durabo? Quando veniam? quando, inquam, apparebo ante faciem tuam? qua uel semel conspecta, meus plenissime refocillabitur animus, reuiuiscet spiritus, cor iandudum innumeris concupiscentiarum telis transuerberatum exanimatumque, uitam recuperabit, mensque ab erroribus liberabitur, ac meus in te totus commigrabit amor ac uoluntas. Facies hic Dei, uera de illo est notio: quam sane perfecte in hac uita habere non possumus: uerum in aeterna patria, in qua tota nostra posita est beatitudo, ac motuum omnium animorum quies, perfectissime obtinebimus. Caeterum diuersa a nostra nonnullorum ex Hebraeis litera, diuersum parit sensum: legunt enim Quando uidebor? seu, quando aspiciar? Quare sic uerit [sic, uertit] Paraphraste: Quando mihi continget, ut intromissus ad te aspiciar placido uultu tuo, qui nunc ob peccata scilicet mereor intuitu conspici irato? Vide porro quomodo anima siti undequaque fruendi re sua amata exaestuēt, fermeque insaniat: non contenta enim eorum, quae ad sui desiderii significationem locuta est, alio accumulāt, redditque rationem cur tam ardentē cupiat dissolui, & esse cum Deo.

{42.4} Fuerunt mihi (inquit) lachrymae meae die ac nocte, dum dicunt mihi quotidie, ubi est Deus tuus?

Sunt multa in terris quae pias affligunt animas, uerum illud in primis, cum quid in Deum, eiusque honorem ab improbis male dictum aut factum audiunt. Honos porro Dei est, si in eius non desint Ecclesia, qui uel in medio ipso persecutionum igne atque ardore, totam spem suam in illo habere praeferant, & propterea nullius hominis, quos pene omnes aut fallaces, aut ad subueniendum oppressis frigidus & uident, & experti sunt, opem implorent. Id igitur spei genus mundo insolens, ac plane incognitum, a profligatis animis rideri solet, uel eo ma-
[maxime]

{pdf 364, p. 174}

-xime, si occulto Dei iudicio, iustissimo tamen, ex probis quempiam diutius, quam uelle uidentur, in aduersis sese torquere conspiciunt. Unde illa impiissima auditur uox, Ubi est Deus tuus? ubi ille, cuius auxilium tam tibi certum fore praedicabas? dormit sane, aut tuas non curat nugas. Quid hic agat anima, dum haec tam nefanda audit, nec tamen interea sibi coelitus opem ferri sentit? nondum enim perfecte expolita uisa est aeterno patri. Suam itaque solatur confusionem lachrymis ac suspiriis. Causa, inquit quidam, piae animae lachrymarum est, insultatio iugis prauorum. Non sic quidem dire ferro transfoditur corpus, quam anima crebris illis improborum insultationibus, quae in contumeliam cedunt Dei, tota, quanta est, transuerberatur quare cum nihil aliud se posse cernit, non secus auide in lachrymas resoluitur, illisque oblectatur, atque alii solent fame coacti pane. Solet enim huiusmodi quis affectus dolore, & qui iam penitus ex his, quae turpiter tum dici tum fieri a scelestis uidet, fessus est, angulo quopiam secretiori delecto, sese, ne uideat, ne audiat, ne centies in die una ob religionis zelum sibi mori contingat, abdere: ubi ad Iesu pedes prouolutus, non iam quidem liquido aut confidenti, ut solitus erat, affectu, suum compellat amatum, sed destitutus prorsus Eliae more uiribus, totus in lachrymas resoluitur, nihilque dicens, omne illud cellulae silentium amarissimis interturbat suspiriis, non absque spe tamen. Proinde additur:

{42.5} Haec recordatus sum & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exaltationis & confessionis sonus epulantis.

Sic enim integre continuant hunc uersum Hebraei, & est sensus, summaque omnium horum uerborum atque intelligentia: Ego qui olim, cum contra me admodum saeuirent improbi, uidebam purissimum tuum cultum ac religionem a quorundam tyrannide foedari, planeque excindi, uerebar equidem ne tandem tuis destitutis aris, sacrisque abolitis ritibus ac ceremoniis, ego quoque una a iustorum consortio, quae tua uera est Ecclesia, secluderer: uerum cum mihi eorum in mentem uenit, quae iam tuis pollicitus es cultoribus, continuisque non cessas repetere monitis, memet reuoco, a moeroreque animi, tanquam a tristi somno experrectus, meam melioribus in recensendis annis dilato animam, quae nimio ex dolore ac taedio constricta prorsus induruerat: meque ipsum item consolans, spero fore, quod ex infinitis meis calamitatibus in reformatum tui sanctissimi cultus statum, sanctorumque consortium aliquando illo cum gaudio remigrem, quali dies festi peragi solent Dei tabernaculum, & id admirabile, Ecclesia est: seu, ut inquit Augustinus, fideles sunt: & est tutus ille fidei sinus, ad quem qui confugit, tutiorem degit uitam, quam qui in munitissima tum fossa, tum uallo atque arce sese tutatur. Etenim in ipso (ut sic loquar) aeterni patris corde fixas habet radices, unde tres illae inclitae sorores, spes, fides, & quae his maior est, charitas, ad nos tenuissimo misericordiae uelo inumbratae prodeunt. Cum igitur te in Dei tabernaculo per fidem collocatum sentis, ingratus nimium es, si aliud expetis confugium. Caeterum, Transibo cum numero, uertit Fel. quo magnam mortalium copiam, sedatis Ecclesiae persecutionibus, ad Deum reuersuram, quae a pietate, ob animi desperationem omnino descuerat, intelligas. Durum quippe id esse uidetur, cum res nobis charas, ut est honor Dei, eiusque cultus ac religio, ab improbis, & his quidem nonnunquam ministris, deuastari cernimus, neque ulla alia a nobis, qui abiecti sumus & irrisi, expectatur tutela, aut subsidium, praeterquam lachrymarum. Sed illud durius, cum ille qui in Dei Ecclesia iudicandi munus sibi sumit, idem ipse accusator efficitur, actor insuper & carnifex. Porro quod ait se transiturum ad aedes Dei sacras in uoce exaltationis & confessionis, sonique epulantis, ad antiqui alludit Iudaeorum ritum, qui templum ingressuri uariis utebantur cum ornamentis, tum cantibus & harmoniis, indiciis sane maximi gaudii multitudinis & laetitiae. Quod uero tripudium futurum sit, qui cantus, quae symphoniae, quae epulae suauissimae ac laetae, quae in diuinum effusio amorem eorum, qui aeternam ingressuri sunt Hierusalem per Dei misericordiam, purae castaeque tantummodo nouerunt mentes: quapropter omnis illis eo perueniendi mora difficilis uidetur, atque amara. Cum tamen sic se res habeant,

{pdf 365, p. 174v}

{42.6} Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare uultus mei, & Deus meus.

Quid me tam dire perturbas o anima mea? Quid cogitationibus meam aequem frangis quietem, ac si res tota funditus excisa esset? Non eo quidem res spiritus se habent modo, quo mundi & carnis: hae enim tum maxime perlabuntur atque occidunt, cum

magis florere uidentur: illae uero contra castissimo quodam praestigio humanos fallunt arbitratus ac iudicia. Eas sane in terris pressuras subire necesse est: attamen dum perditas illas omnino esse ducimus, feliciter emergere uidemus, tuncque uere vivunt cum exangues uulgo reputantur. Quorsum igitur, a mea anima, tristis es, atque intra me tumultus excitas? an tuae solitae in Deum fidentiae immemor iam facta es? Si recte iudicas, nihil est in mundo quamobrem turbari debeas. Spera, spera in Deo, in quo certa est salus, in caeteris uero rebus uana & incerta. Venient profecto dies, in quibus iucundissimas illi, qui mihi salutem attulerit, agam gratias, cunctaque in me collata diuinitus beneficia, illi libere accepta referam, qui haud multo pridem propter persecutionum acerbitatem ac tenebras, circa ueritatis lucem, tanquam ad lucernam papilio, caecutiebam. Salutare uultus mei, Hebraei reddunt, salutem uultus tui: seu, ob auxilia faciei suae illum celebrabo, quamuis ex Hebraeo salutes magis aut saluationes uertendum erat, quam salutem. & est sensus: Veniet tempus quando ego impavidus & eo propter opem & salutem multis mihi modis allatam, ostensamque a beneuolo suo uult at aspectu, fauoris nimirum teste ac uadimonii, gratias agam. Solent enim, quod alias quoque diximus, hi quorum nostram interest leuare miseriam, e uultu, cuius animi erga nos sint, significare. A truci quidem principis aspectu atque irato, quid pacis tuis in calamitatibus sperare audes? ab hilari uero, atque in te facili & iucundo quid non boni? Unde illud iam omnibus palam factum est, quod cum Deus nostris in miseriis nobis opitulatur, eum nos beneuolo intueri uultu asserimus: cum non subuenit uel centies interdum inuocatus, toruo & iracundo. Caeterum si cui nostra magis arridet litera, is suus erit sensus: Erit enim aliquando cum amoto metu, recuperataque ui spiritus, Deo cantabo, atque eius nomen ob salutem meo uultui exhibitam celebrabo: uultui dico, nuper ob moerorem desperationemque deiecto, humique defixo, nunc uero exhilarato, atque ad coelum usque, uti forma sublimis est, libere sese attollenti. Vide quomodo perfectissimi quoque uiri, multis uariisque, interdum etiam usque ad desperationem animi, curis exagitari a Deo sinuntur. Id licet scimus, abnuimus tamen, quantumque possumus, cum hoste congressionem detrectamus. huius nempe erroris, in orbe pene uniuerso dominium habentis, causa est, fidei inopia, atque erga dei religionem torpor & superstitio. Porro, Deus meus, sequenti uersiculo connectunt Hebraei, hoc modo: O Deus meus anima mea depressa est super me, propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonim a monte Mizahar. quem noster interpres sic reddidit:

{42.7} Ad meipsum anima mea turbata est, propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonii a monte modico.

Est continua uiri iusti, suam enarrantis aerumnam, series, spe tamen in Deum minime abiecta. Ad me conturbatur, inquit August. quae ad Deum reficitur: non enim mihi firmitas, uel spes in me, ideo nunquam praesumo de me, sed sperabo in Deo. Stulta profecto anima illa est, quae in se aliquid esse somniat, quo niti admodum debeat. Visne tibi Deum iratum conciliare? dic cum propheta: Humiliatus sum usquequaque domine: alioqui tua, nescio quae, in rebus spiritus, conscientiaeque ratiocinatione computans, diuinae derogas gratiae, quicquid tibi, quod tuum non sit, assignaueris. Super me, uertit Fel. Anima mea depressa est. Idem ferme doctiores ex Hebraeis alii, hoc est, deiecta, planeque humiliata. Euthymius uero, In meipso, exponit, id est, nemine alio moerorem hunc meum sciente: quo sancte animae prudentiam intelligamus. Nihil enim foedum,

nihil turpe, nihil effoeminatum, aut, in medio ipso quoque tentationum tumultu,
inconsultum agitur ab a-
[anima]

{pdf 366, p. 175}

-nima diuino semel affecta timore. quassari quidem potest, uinci autem difficile. Quis uero sit sensus huius uersus, a Paraphr. elegantissime exprimitur. Mi Deus, inquit, anima mea cruciat sese intra me, nec habeo quo me consoler, nisi recordatione beneficiorum patribus nostris exhibitorum iuxta Iordanem, & a Mithzar usque ad montem Hermon. Mos is erat antiquis Iudaeorum patribus, quo sua magis Deo probarentur uota atque orationes, quoque suas, in quibus uersabantur, mitigarent angustias, antiqua Dei beneficia memorare, illique quodammodo obiicere, tanquam eadem, quae patribus tum promissa, tum data essent, sibi deberentur. Unde illa est praeclara Salomonis oratio in templi dedicatione, in qua inter caetera illud quoque legitur: Domine Deus Israel, qui custodis pactum cum seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo: qui praestitisti seruo tuo Dauid patri meo quaecunque locutus fueras ei: & quae ore promisisti, opere complesti, sicut & tempus praesens probat: nunc ergo, domine Deus Israel, imple seruo tuo patri meo Dauid quaecunque locutus es. Hunc igitur seruat morem uates, atque anima illa, quae modo suas quaerens solari calamitates, praeclarissimas quasdam, in antiquorum patrum gratiam factas per Deum, operationes commemorat, remedium nimirum maximopere salutare ad suscitandam spem in Deum, quae in aduersis nonnunquam frigere solet, planeque obnubilari. Quia, inquit, meis in aerumnis ac persecutionibus pene animo destituor, propterea memor tui ero de terra Iordanis & Hermonii a monte modico. Nulli dubium esse debet de mirabilibus hic sermonem fieri, quae Deus olim pugnando operatus est pro populo suo ad Iordanem, montemque Hermoniorum, prope Bassan, aut ad montem modicum, seu Mizahar, quem quidam putant in regione Seon regis Amorrhaeorum situm esse: alii uero, quid sit mons iste, ignorari etiam ab ipsis Hebraeorum eruditioribus asserunt. Hermon porro mons trans Iordanem situs est, in quo, caeterisque illius regionis montibus, iam antea regnauerat rex Bassan: quo deuicto tota illa regio in possessionem Rubenitis, Gaditisque cessit. Ut se res habeat, ex Hebraeo sic posset reddi: Propterea memor ero tui propter terram Iordanis, & Hermoneorum, & montis modici, seu Mizahar. Illud quidem pro comperto esse debet, mirandas quasdam operationes, quae partim nobis per scripturas patefactae sunt, partim uero nos fugiunt, illis in partibus per Deum in populi sui fauorem gestas esse: & quarum hic uates, seu populus in Babylone afflictus recordabatur, nosque cum ipsis, sed altiori quodam rerum gestarum mysterio. Scimus enim quid in Iordane per Christum in nostri gratiam actum sit. Scimus quid Hermon iuxta Iordanis fluentia positus, quem anathematizationem interpretatur quidam, & quem uult modicum illum esse montem, quem Hebraei Mizahar uocant, portendat. Antequam enim quis mysticum hunc Iordanem, in quo omnes peccati sordes abluuntur, ingrediatur, ad illiusque undas per Christum purificatas descendat Iordanis enim descensio est prius illi proximus radendus est Hermon: hoc est, suae sunt prius detestandae uitae consuetudines & mores. Anathematiza te, inquit Augustinus, displicendo tibi, ut placeas Deo. Quam uero admiranda sint illa quae quotidie in sui populi commodum operatur Christus in sacro hoc purificatoque, & uere diuino Ecclesiae fonte, et in monte modico, non est mens, non animus, non intellectus, qui exprimere

ualeat, adeo stuporis plena sunt omnia, captumque humanum excedentia. Memorare ea quidem nostram ad consolationem, atque admirari possumus, intelligere autem neutiquam. Nam certe cum illa attentiori peruestigare nitimur animo, o Deus, tum clare cernimus, quod

{42.8} Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum.

Verum alio exponendus est sensu uersus. Abyssum hic uocat anima calamitatem atque infortunium. Aquas enim imperuias, profundas, confusasque abyssum appellant: ita calamitatis interdum, illiusque maxime, cuius acerbitate spiritus solet humanus concuti uehementer, ac labefactari, neque origo, neque modus, neque quo omnino tendat, a quoquam sciri potest. Et cum ex una emergere (ueluti hi qui in contortam aquarum uorticem delapsi, & manibus, & pedibus, & toto denique enituntur, quo exeant, corpore) contendimus, en alia parata est subito, adeo ut

{pdf 367, p. 175v}

calamitas calamitatem accire, secumque trahere uere ita dicatur, quemadmodum abyssus abyssum inuocare, sibi que asciscere, a uate scribitur. Vellem, inquit continuo tanquam obtutu eorum omnium quae memorauit, effigiem ob oculos habere: sed infortunia ita infortuniis agglomerantur, ut plane altissimam aquarum abyssum uidere mihi uidear aliam sibi abyssum, ruptis coeli canalibus, associasse. Metaphora enim sumpta uidetur a diluuiio illo memorando Noe, in quo legitur cataractas coeli fractas, quo intelligas uim omnem imbrium tum erupisse. Nam cataractae, aquae illae sunt, ut alia earum omittam significata, quae ex alto tam praecipitanter feruntur, ut ruere potius dici queant, quam fluere. Loca quoque ipsa, e quibus aquae illae exeunt, uel per quae transeunt, cataractae appellantur. quare non absque ratione, in uoce canalium tuorum, uertunt nonnulli. Caeterum nemo iam homo est qui ignoret, aquas, aquarumue inundationes, aduersa in scripturis, atque infortunia, haud raro praetendere.

{42.8} Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt.

Hic uersus cum superiori unus est Hebraeis: & est eorum, quae de abyssis, aquarumque irruptione dixit, interpretatio, quas ab excelso Dei habitaculo, hoc est, a diuina prouidentia effluxisse narrat. Clamat Esaias: Cataractae de excelsis apertae sunt. Inde porro est, quod anima in tentationum confusione ac strepitu posita, simulque a prauorum hominum iniuriis lacessita, id oneris, aerumnas, calamitates, miserias, fluctus, procellas, & tandem excelsis euulsas e cataractis abyssos, ut hic uides, appellat. Alio in psalmo sic orat: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquae usque ad animam meam. Et hic quoque, ut uertit Fel. omnes undae tuae, & fluctus tui (tentationum scilicet) super me transierunt. Mi lector, haec ferme sunt remedia illa, quae proficienti animae, ne insolescat, a coelesti adhibentur medico: & quae nemo, praeter illum qui exercitatos habet sensus, ut inquit Paulus, uere nouit, in hisque delectatur, atque ex his in spiritu coalescit. Animalis quippe mens atque animus uix haec presse per transennam intuetur: non percipit enim quae Dei sunt: nam in spiritu examinantur. Qui uero in spiritu ambulant, haec & similia perpeti, amplectique pro diuina tutanda iustitia parati sunt. Non uult enim Deus suae religioni addictos tardo uti

otio: sed negotioso quodam uitae genere, ac pugnaci, illos continue exercet, indurat, experitur. Tantum uero abest ut eos indefensos relinquat, ut etiam in mediis ipsis aduersitatum fluctibus, miris inauditisque soletur afflatibus atque inspirationibus, quarum radiis illustrati persuasum absque dubio habent, quod

{42.9} In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius.

Dies in sacris literis pro secundis aliquando, fortunatisque uitae successibus accipi solet: nox uero pro contrariis, turbidis, & aerumnosis. Quare memor Esaias illorum quae passus fuerat, aiebat: anima mea desiderauit te in nocte, Hac enim cum quis ex piorum numero premi contigerit, ualdeque offusis circumquaue tentationum tenebris obfusari, nil nisi caliginem, obscuritatem, ut in nocte fit, metumque uidere aut cogitare idoneus est. Quo se uertat? In mentem quippe ueniunt praeteritae uitae scelera: atque propterea nox illa terrifica iudicii, de qua Zacharias, Vidi, inquit, noctem. Pauet interim, atque hoc magis tristitia, desperationeque obruitur, quo se solummodo intuetur. Ad dominum igitur eiusque uerbum, quod diem auroramque sancti Dei uiri appellare consueuerunt, confugiendum erit: hoc est, eatenus patienter Dei manus toleranda erit, quatenus illi, qui nostram, siue in die, siue in nocte uersemur, melius quam nosmetipsi, salutem curare est solitus, uisum fuerit. Scit enim coelestis pater quid opus sit nobis. Tantum illud cauendum, ne ob diram diutinamque infortuniorum acerbiter, animum despondeamus. Benedicam, canit uates alio in psalmo, dominum in omni tempore, & hic quoque fere idem: In die, inquit, mandauit dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius. hoc est, ut reddit Paraphrastes: Pulsis malorum tenebris in die, dominus decreuit misericorditer agere nobiscum. quare neque hac quidem tribulationibus plena nocte a laudando illo cessabimus. Carmen enim in laudem illius scriptum, & precatio ad Deum omnipotentem, & uitae autorem, semper erunt in

{pdf 368, p. 176}

ore mihi. haec ille. Sic Hebraei totum integrum uersum legunt. Unde Felix adeo & caeteri Hebraeorum interpretes hoc fere modo uertunt: Per diem mandabit dominus misericordiam suam: & in nocte canticum eius mecum, oratio Deo uitae meae. Postea alium ordiuntur uersum:

{42.10} Dicam Deo, susceptor meus es tu.

Sed de nocte aliquid alio prius sensu, de quo tamen alio me in psalmo scripsisse memini. Quotidie, inquit quidam interpres, hoc est, continua ueluti serie temporum, commendat dominus bonitatem suam, ideo omni nocte laudem Dei uiui canam. Ex his quidem cum mihi in mentem uenit ordinationis illius, quam Dauid in libro Verborum dierum promulgauit dicens: Leuitae stent mane ad laudandum, canendum confitendumque domino, similiterque ad uesperam, cogor aliqua cum experientia asserere, tempus illud noctis, quod concubium uocant, ad haec crepusculum, sanctis priuatim precaturis maximopere inseruire. Eo enim horarum momento cum sileant omnia, concoctusque sit stomachus, ac sedati seu potius euaporati humores noxii, mens ad diuina contemplanda experrectior redditur: & si quid per diu ob tumultus

strepitusque assiduos, quos audit, in coelestibus rimandis rebus, seseque excutiendo, torporis atque ignauiae contraxerit, tunc in quiete illa profunda abstergere nititur, ac queritur tantillum duntaxat temporis suo cum sponso colloquendi sibi concedi. Quantulumcunque tamen illud sit, in suspiriis totum, atque ab amore fideque profectis singultibus & lachrymis, plerunque nihil dicens aut petens, impendit. Unde haud immerito quidem solis radios suas interturbasse contemplationes sanctissimus quidam conquestus est senex. Hinc porro a probis laudatus mei instituti hominibus mos est, hyberno maxime tempore, ut, peractis de more laudibus matutinis, unusquisque secretiori aliquo in angulo semotus, aut obscuriores ad aras prostratus, uel, quod magis placet, cellulae secretorum cum Deo colloquiorum consciae oclusus, mediam ex patrum praescripto, quasque precario, horulam diuinis impendunt meditationibus. Qui uero ardentiori sunt spiritu, media illa non contenti hora, longius in sponsi sinu commorantur. Sanctissima profecto ista est consuetudo, & quae uel sola ad expungenda quotidiana uniuersae congregationis, ne dicam orbis, errata, idonea sit. Alioqui certe non uideo, quamobrem remotis a religiosorum coetibus simplicium mentium orationibus, diutius consistere ualeant. Quare ob multa quae absurda, utinam non impia, in mundo fieri conspicio deterritus, siue in die, siue in nocte mihi uiuere contingat, perpetuo ueluti clamore, dico Deo, dicamque in posterum, susceptor meus es tu. Alii ut libet, suum quo nitantur, bonum diuitias dicant: alii honores & magistratus, artes alii, cauillationesque humanas, quibus rebus omnibus fulti timorem sibi potius, quam spiritus fauorem, uulgoque reuerentiam ac dilectionem conciliare putant: ego interim dicam, Deum meum omne bonum esse, meum robur, meam, cui fidere debeam, uirtutem. Cum is sim igitur, qualem tu me esse uoluisti, hoc est cum totus a te, per te, mi Deus, pendeam, nec quicquam quietis usquam esse praeterquam in te, ac per te, & credam, & praedicem,

{42.10} Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Quare semper est, unde mihi semper lugendum sit? Quare me semper obterit inimicus? quare tandiu impune tuum in seruum debacchatur? Ero ne semper hisce in lamentis occupatus? Erit ne unquam ut expeditius tuam uidere queam prae sentiam uultumque illum tuum desiderabilem, cuius aspectus tota mea est felicitas? Quando, o uitae meae autor, erit ut in conspectu concilii laetus obambulem, idcirco quod dignus inuentus sim, qui pro nomine tuo contumelias subeam? Ex Hebraeis quidam uertunt, Quare ater, seu pullatus ingrediar, dum coartat hostis? Omnia quippe haec moerorem denotant maximum: qui quidem ut clarius pateat, quoddam tanquam auctarium addit:

{42.11} Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi inimici mei, dum dicunt mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus?

Ita ab Hebraeis, & recte quidem, integer legitur uersus, cuius ea est summa ac

{pdf 369, p. 176v}

sensus: homini diuini honoris percupido omne tormentorum genus, quod corpori uel a saeuissimo carnifice adhiberi potest, sed illud in primis, quod uidetur omnium

maximum, cum secantur ossa, tolerabilius fore, quam cum audit sibi procacibus insultatoribus cum irrisione obiici. Ubi est Deus tuus? Quae sane exprobratio non tantum ad illius contumeliam, qui illa afficitur, cedit, quantum Dei, qui quodammodo stupiditatis & saeuitiae in non subueniendo suis, etiam millies interdum inuocatus, ab improbis accusatur. Unde impudentissima quondam illa Iudaeorum de Christo cruci affixo audita fuit uox, Saluum nunc faciat eum si uult. Quare sic reddit Paraphrastes: Tolerabilius foret mihi si gladium adigerent in uiscera mea, quam impias contumelias audire ab inimicis meis dicentibus assidue cum risu, ubi nunc est Deus ille tuus? hoc est, quem tam ardentem inuocabas, quemque tibi non defuturum asseuerabas? Fel. uero sic: Cum gladio in ossibus meis opprobrio affecerunt me tribulantes me, dum dicerent ipsi mihi quotidie ubi est Deus tuus? Quorum uerborum is erit sensus: aequae enim me opprobrio affecerunt hi qui me persequuntur, dum in me insultantes iactarent, ubi est Deus tuus? ac si mea gladio traiecissent ossa. Nostri autem interpretis litera, una cum graeco, eum prae se ferre uidetur sensum, quem ponit Euthymius meae professionis monachus: sed ante eum Augustinus, qui sic ait: Quasi ossa franguntur, dum uirtus patientiae affligitur, quod irridet mali. haec est exploratio illa, dum dicitur mihi, ubi est Deus tuus? uel nullus est uel de te non curat. haec ille. Euthymius uero sic: Contritis nimirum ossibus meis ob tam graue onus seruitutis, ob uerbera, ob plagas (per ossa enim uires intelligitur) irridebant me inimici mei, illud mihi semper obiicientes, ubi est Deus tuus, qui te eripiat & liberet? Verum qua diuina bonitas haud diutius, quam ferre possunt, suos sinit ab aduersa exagitari fortuna, idcirco post longa, quae in psalmo legimus, lamenta iam tandem se recipit anima, seseque consolatur, idem dicens quod superius:

**{42.12} Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus.**

Cui gloria sit, laus, honorque in seculorum secula, Amen.

PSALMVS DAVID XLIII.

{43.1} Iudica me Deus, et discerne causam meam a gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me.

Hebraeis hunc psalmum eiusdem argumenti cum superior absque titulo legunt. Videtur enim (iudicium meum simpliciter profero) ea esse oratio, quam supra pollicitus est, dicens: Apud me oratio Deo uitae meae. Oratio igitur haec plena est fiduciae in Deum, ita ut diuinum iudicium alioquin inexorabile, & seueram, aequissimum tamen, appellare uideatur. Adeo multum est syncera uiuere conscientia, nec admodum angere & torqueri, si bonos improbis a deo permitti uidere contigerit posteaquam iam parte aliqua saltem spiritus imbutis compertum est, Dei seruos crucis do labro expoliendos necessario esse, sed eoque tamen ne toti in perfidorum manibus relinquantur: hi enim in corpora, artusque moribundos, famam quoque ac nomen ferocire possunt, in animam uero, in uoluntatem, in arbitrium, imperium non habent. Quare illorum irae, exilia, tormenta, & si quid dirius est, ut sunt oblocutiones, detractationes, calumniae, fictaeque delationes & maledicentiae, ridenda sunt magis, quam timenda. Expulso enim aliquo sua ab urbe &

patria, quid ultra haec? Hem paruam tyrannorum ditionem. Atqui ut uerissimum prorsus sit hunc psalmum a uate, ut nonnullos asserere uideo, illis ferme compositum diebus, in quibus totum pene regnum cum filio in se conspirasse uidit, Achitophelemque illum perfidum, quem hic hominem iniquum & dolosum appellat, totius conspirationis autorem extitisse: uerior tamen interpretandi ratio est, si ad Christum, cuius typus rex ille fuit, psalmi sensum referamus, qui cum in terris nobiscum commoraretur, nihil non tum a Iudaeis, tum a gentibus incommodi passus est: modo uero immortalis factus, summaque potentia insignis ac uirtute, ab uniuerso ferme orbe suis in membris impugnatur. Et quia mem-
[membra]

{pdf 370, p. 177}

-bra ipsa adeo iam malignorum hominum iniuriis, tum daemonum insidiis atque ictibus attrita sunt, ut uix respirare aut hiscere audeant, nedum aperte loqui quod sentiunt, aut diuinum compellere iudicium, ipse benignissimus subintrat Christus, cui maxima semper fuit de miseris cura, & sic pro me, qui omnino infans sum, patrem alloquitur: Iudicia me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso erue me. Tantum hic abesse puto ut uir sanctus sua oret a Deo discuti peccata, ut id etiam quantum potest fugiat quippe qui minime ignoret quam periculosum sit cum deo in iudicio uelle contendere: uerum illud rogat, suam ab impiis causam separari. Corpus Christi, inquit Augustinus, hic gemit inter zizania, hoc est, inter malos positum, cum quibus quia non habet communem causam meritorum, licet alia multa habeat communia, nasci scilicet, mori, prospera & aduersa, clamat, Iudica me Deus de gente non sancta: hoc est, a gente praua, impia, scelestas, iniquitatisque studiosa, me meamque causam assere. Num te moueat mutatio numeri, quod iam centies admonui: nam cum prius dixisset de gente, mox subdidit, ab homine iniquo. Tropus Hebraeis familiaris est, quanquam nihilominus me haud praeterit animam sic afflictam, postquam uniuersalem totius orbis defleuit malitiam, unum aliquem sibi insignius infestum tacite, sub uerborumque inuolucro designare: ut mihi plane contingit, qui in hoc meo commentariorum labore, cum generalem improborum turpitudinem, aut proborum candorem cum propheta stylo depingere ad Ecclesiae aedificationem cogito, occurrunt mihi priuatim illico uiri quidam mihi noti, in eoque uitae genere, de quo tractare uatem arbitror magis insignes, e quorum uita, tanquam a mente diuina excerptas id as, meo inseruire proposito ac consilio, uti solent plastes argillam contrectatam digitis, facio. Verum illud in primis mihi curae est, ne quenquam laedam, ne ue a malorum contagione naeuum aliquem indelebilem contraham. Non me quidem praeterit quam periculosum sit diutius cum gente non sancta, sed ante omnia cum uiro iniquo & doloso commorari. Huius enim aeque exhorresco contubernium & conuictum, atque soleo meo in otio & quiete, cum Deo, turpes obscoenasque rerum mundanarum incursiones exhorrescere. Id igitur domine meo ab animo procul abigendum est, idque uel usque ad rauim abs te petendum,

{43.2} Quia tu es Deus fortitudo mea,
caetera omnia infirmitas ipsa. Verum

Quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Et vere suorum fortitudo Deus est. nam cum mundo plerunque despecti sint, ab eoque afflicti, arduum plane uidetur, quomodo tantillis queant uiribus tam immenso perturbationum, quas ciere solent improbi, cumulo obluctari. Tunc quidem cum humanae deficiunt uires, quae breui exhauriuntur labore, hoc est, cum maxime est opus, diuina opitulatur benignitas: tum, inquam, qualis erga suos sit deus in calamitatibus, apparet, fortis scilicet & mirabilis. Nam prostratis proborum hominum persecutoribus, perfractaque dolosi uiri atque iniqui arrogantia & fastu, quod difficile admodum uidebatur, quis neget diuinum illud opus extitisse? Siquidem tyrannum indomitum ab humili ciue & uix cognito, adde & in oppressionibus silente, deuinci ac suppeditari quis unquam uidit? Verum interim quod Deus colluctationis huiuscemodi suorum cum mundo spectator solummodo est, non defensor, illos quodammodo deseruisse uidetur: idcirco clamat anima, Quare me repulisti? quare me sinis tandiu a perfidioso hoc monstro & fraudulentio uexari? quare dum in me, aperta dirarum abysso, iniuriarumque profundo, desaeuit: ego ater, pullatus, moerens, obscurus, funestus, uitam utcunque traduco miserrimam? Vsquequo lugebo? usquequo tristis incedam non accepta spiritus sancti consolatione? Haudquaquam quidem mihi in tanta aerumnarum uarietate constituto integrum omnino est, ut efflagito, te absque turbis posse quaerere, multo minus tuo iucundissimo frui aspectu. Quo sane negato, ipsae totius mundi deliciae, nedum iniuriae, mihi amarissimae sunt & letales. Hallucinor profecto uel in mediis ipsis radiis meridianis tuo absque lumine mi Deus. Quocirca

{pdf 371, p. 177v}

{43.3} Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

Deducent, & adducent, uertit Felix & est tempus pro tempore. Caeterum lucem hic appellat anima diuinam opem: ea nanque cum infortuniis, quae pene infinita sunt, colluctante, tetra omnia apparent & obscura: recepto uero spiritu, e densissimis ueluti tenebris laeta emergit, fateturque nihil lucis praeterquam in Deo inueniri posse. Veritatem porro addit, ut ipsum quodammodo ad sibi opitulandum cogat utpote qui suis se nunquam defuturum iam prima a mundi aetate pollicitus fuerat. Et cum fidelis sit Deus, ut inquit Paulus, & uerax, num quae, interposito etiam iuramento, promisit, negare poterit? Hisce igitur duabus suffulta alis anima, nihil obstat, quin in excelsam animi pacem ac quietem, quam montem sanctum appellat uates, in quo Deus habitat, in carne etiam posita transuolet, futuramque atque adeo immortalem & aeternam, iam tandem superatis mundi procellis, beatitudinem, quam tabernaculi nomine, secretioris nimirum diuinae maiestatis habitaculi designat in quo tota animarum consistit felicitas, adeat, ingrediaturque, non propria quidem luce adiuta, sed quia Dei lux ac ueritas, ipsam, tanquam porrecta manu, de ducet & adducet: hoc est, ne frustraneus sit eius labor & conatus, peruenire faciet. Quod autem uates hic Dei filium, qui se passim per scripturas tum lucem, tum ueritatem, tum uitam denique fatetur, praesagierit: quique diruta inimicitarum, quae inter Deum & hominem intercesserant, maceria, euulsisque inferorum a postibus portis, prostrata morte, occisoque peccato, perempto item mundo, mundique principe foras eiecto, sanctorum animas, quas ipse ab aeternis seculis in libro uitae scriptas esse uoluit, imo quas proprio ipse digito conscripsit, in felicissimas aeterni patris aedes, in quibus multae sunt mansiones, deducturus esset, & credo, &, ut res

maximas soleo, ueneror & admiror, cupiens nimirum nescio quid, quod exprimere nequeo: interim uero mea illo dirigens suspiria, ubi meus est amor, ubique sanctorum animae corpo-poreis [sic, corporeis] exutae uinculis, exemptaeque a gente non sancta, atque a uiro iniquo & doloso liberae, conquiescunt beatae. Ego interea loci, quod in felicem illum quoque statum per Christum lucem, uitamque & ueritatem asciscar, deducarque & adducar,

**{43.4} Introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat iuuentutem meam.
Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus.**

Haec uerba omnia, unum duntaxat reddunt uersum Hebraeis, & recte quidem: alioqui subobscurus esset sensus. Alio in psalmo memini me dixisse de ara, quam libenter sancti Dei uiri frequentant: haec est Ecclesia, haec diuinitatis statio, is demum Christus est, ut inquit Ambrosius. Vide igitur quo anima, tanquam cerua a canibus sursum deorsum agitata, a persecutorumque morsibus, eorum maxime, quibus Dei honorem, religionemque periclitari cernit, exterrita, confugere debeat nempe ad Ecclesiam, hoc est, ad sanctorum collegium, ad locaque illa, in quibus libenter Deus, propter inhabitantium puritatem atque innocentiam, assiduus cohabitator est. Haud raro quidem apud prophetas, altaris, sacrificiorum, ceremoniarum, rituumque sacrorum, atque harmoniae fit mentio: sed eorum ratio nonnullis obscura. Qua re ne quis ex rudioribus, illis in disquirendis uocibus se multum torqueat, illud censendum, uates omnes, sed in primis Daudem, priscae illius religionis mirum in modum studiosum extitisse: quocirca rebus omnibus illis, quibus cultus ille ornari posset, non defuisse, Et ut re ipsa, licet informi ac uelata, praestiterit quaecumque se in psalmis praestitisse asserit, ita plane diuina eum non latuere mysteria, quae quidem sub literae uelo atque umbra, quod prophetarum proprium est, enarrans, mores illos antiquos Iudaeorum intermiscet, alluditque saepenumero ad cultum illum informem his uocibus, quem dum uixit tanti fecit, quanti imperia alii ac regna. Allusiones sunt igitur haec omnia mysteriis amplissimis, sed obstruis, grauida multaque rerum spiritualium onusta merce: sed subuereri aliquando cogor, ne dum nimium nostrae fidimus prudentiae atque ingenio, somnia pro rebus certis & inueniamus, & literis ad posterorum memoriam mandemus. Caste enim, ac cum dele-

[delectu]

{pdf 372, p. 178}

-ctu diuina ad peruestiganda mysteria accedendum est, non inuerecunde atque inconsulto. Itaque ne altare hic manufactum simpliciter solum adeundum esse existimes, additum est, ad Deum, qui laetificat iuuentutem meam. O diuini uerbi efficaciam. Ad Deum, inquit, ad eiusque meditandam legem (ecce aliud arae genus) accedam, per quam quotidie uetusta nostra infirmitas iuuenescit, uiuidiorque fit, ac magis florida. Et ne quidem hanc molem corpoream pulchriorem adepturam faciem imagineris in hoc mundo, in mentem tibi ueniat Paulus, qui scribens ad Corinthios sic ait: Licet is qui foris est homo noster corrumpatur, tamen qui intus est renouatur de die in diem. Homo igitur interior est, qui abiecta peccati, . prauaeque consuetudinis uetustate ac senio, nouam quotidie nanciscitur formam, & id sane per Christum, qui etiam aetate grandaeuos perinde innouare est solitus, ac solet aquila ex ardentibus solis

radiis innouari. Quocirca uates de se huiusce innouationis percupido, alio in psalmo illud spe plenum proferre non est ueritus: Renouabere, inquit, ut aquila iuuentus mea. Attamen Hebraeorum litera non habet, Iuuentutem meam: sed simpliciter uertunt, ad Deum laetitiae, gaudii, seu exultationis meae, ut uertit Felix Quare sic Paraphrastes: Ad Deum ipsum autorem inenarrabilis mihi laetitiae: quam & referam ingenue acceptam tibi citharae modulatione Deus, animo meo charissime Deus. Interpres enim noster ad sensum magis aspexit, quam ad uerba, indicium nimirum non mediocre, ardenti in Deum spiritu uiri. Subtrahant illi, ut lubet, doctrinam, profundamque literaturam: ego quidem illi candidum, purumque in Deum animum, si fas est, inuideo. Caeterum repetitio dictionis, Deus Deus, magnam signat beatae animae cum Deo consuetudinem & familiaritatem: quam sane longo uix seculo, multis in laboribus atque aerumnis per Christum attrita indipiscitur anima. Id quidem dictum esse uolo ad meam in primis, compluriumque mei similium excutiendam ignauiam atque ignorantiam, quibus persuasum est, absque sudore illo intestino ac labore, qui potissimum e iugi contemplandi exercitatione contrahi solet, posse animam ad familiare cum Deo colloquium admitti. Ex qua quidem persuasione illud necessario contingere experimur, ut qui frigide Deum in uita tum amauerint, tum quaesierint, in mortis quoque tempore frigidius & inuocent, & uti omnium solamen ac refugium amplexentur. Etsi enim dona haec omnia sunt Dei, illi tamen nostrum non ingratum est studium, atque ad conciliandum nobis suum amorem & familiaritatem conatus. Cum itaque tam benigne se habeat erga me diuinus fauor,

**{43.5} Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?
Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus.**

Ne idem illud, quod in psalmo praecedente est dictum, saepius repetamus, te hortor, mi lector, ut cognita iam tandem humanarum uirium imbecillitate & inconstantia, in Deo tua solum fixa sit spes, tua fides, tua dilectio, tua tota denique laetitia, ac gloria. Cui & laus sit perennis, atque honor, in secula seculorum, Amen.

PSAL. XLIIII. Vincenti filiorum Chorae eruditium. /Psalm 44.

{44.2} Deus auribus nostris audiuius, patres nostri narrauerunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.

Ne quod dictum est de titulo huius psalmi superius in psalmo quadragesimo secundo, iterum dicamus, uel eo maxime quod quae de titulis ab expositoribus dicuntur, nutantia ferme omnia sunt & dubia, anima hinc iusti eruditur per Christum, quanti facienda sit ab homine bene instituto, oppresso tamen in hoc mundo, praeteritorum beneficiorum memoria & grata recordatio. Exuscitatur enim hoc modo & ratione pene emortua & profligata, ob persecutionum atrocitatem, fides, emollescitque quodammodo durities animae, propter praesentium malorum instantiam concreta, cum in memoriam illi uenit eundem ipsum esse Deum, qui nunc rerum omnium summam moderatur, qui et patrum tempore, quibus sane largissima suae bonitas copia in aduersis nunquam defuit. Nostra

porro aetas, ut de antiquis Iudaeorum temporibus sileam, de quibus volunt interpretes hunc psalmum scriptum

{pdf 373, p. 178v}

esse, licet inuicem non conueniant, habet abunde quid in praeteritis annorum seculis miretur, quid doleat, quid imitari debeat. Idem quippe Deus, qui tunc, etiam nunc est, idem spiritus, eadem coelestis patris bonitas: uerum non eadem fides, hoc et, non tam feruida & syncera, caetera uero aequalia. Proinde nostra omnis tarditas atque ignauia non assequendi, quod illi assecuti sunt, ab infirmi quidem fide & dilectione ortum habet. Nam quaecunque admiranda prisci illi actitarunt, a fide, ut optime testatur Paulus Hebraeis scribens, profecta sunt. Neque ego quidem illos proinde audio, qui sibi se in fide firmos esse, facile persuadent, cum tamen nihil minus quam quod ad fidei candorem attinet, agere uideantur. Bonarum enim actionum testimonio, spiritus item ardore, mutuaque charitate, humilitate, patientia, iugique contemplandi coelestia exercitatione, mundi odio, ac caeteris id genus fidei ornamentis ac fructibus, nostra ostendenda est fides, non uerbis nescio quibus solum. Absque enim fidei synceritate, qui non omnia, quae a nobis aguntur, ambages meras esse dixerim? Et haec, quantum ad eruditionem in titulo positam spectant, sit dicta: nunc ad psalmum, cuius prima est ad illos eruditio, qui uel carne uel spiritu, patres sunt, quorumque interest Dei opera filiis enarrare, illosque & uita & uerbo ad amorem uerae religionis accendere: non fabulis uitaque turpitudine a iustitiae itinere arcere. Quando enim ueram religionem dico, Christianam dico, hoc est, quae Christi uita ac doctrina contenta, nihil ultra quaerit. Tunc se illa felicem, uereque beatam esse existimet anima, cum Christi duntaxat insistens uestigiis, neque ad dexteram, neque ad sinistram, ut ait sacra lex, aberat. Vita igitur Christi satis iam tandem omnibus sit: id quippe ille uult, id eius uolunt discipuli, id uel ab ipsi mundi incunabulis, tum prophetae, tum patriarchae requirunt: id demum meus pater Benedictus & uult, & nos idem uelle hortatur. Nam suam cum scriberet regulam discretionem, ut inquit Gregorius, praecipuam, quo omnem uitaret iactantiam, tanquam qui perfectissimae Christi legi, priuatam, ueluti necessarium additamentum, addere uoluisset uiuendi normam, prudentissimis semper usus est uerbis. Unde in principio statim libelli, sic in prooemio: Constituenda, inquit, est nobis dominio (id est christiani) schola seruitii, in qua institutione nil asperum, nil graue nos constituturos speramus. Nonne, mi lector, tibi illud Christi dici cogitas: Iugum meum suaue est, & onus meum leue? Quod uero asperum durumque a nonnullis, qui rerum potiuntur, constitutionum uoluminibus reddatur, ampla est, ut mihi uidetur, ad implicandos rudiorum animos & conscientias occasio. Quanquam non me clam est continuos subditorum latus, continua egere reformatione, ac ueluti reflexis passibus, inuouatione. Tantum id cupio, ut quae quotannis necessario ad informandos subditorum mores, aut coercenda uitia, & errores ordinantur, grauias sint, & quae uenustatem religioni possint addere ac reuerentiam, non risum mouere, ac, Maxima cum animarum iactura, contemptum. Haud multo post diuus ipse sic ait: Processu conuersationis & fidei (en legis Christi summa) dilatato corde, inerrabilis dilectionis dulcedine curritur uia mandatorum Dei, ut ab ipsius nunquam magisterio discedentes, in eius doctrina usque ad mortem perseuerantes, passionibus Christi per patientiam participemus. O uere aurea atque Euangelica mei patris institutio. Quanta porro, quamque admiranda in ipsius caeterorumque deinceps patrum gratiam operatus sit Deus, nos qui sub illius

uexillo coelesti patri meremus, & legimus, & auribus nostris audiuius, quin & ipsi patres, nostrum ad excutiendum torporem, narrauerunt nobis. Faxit Deus ne degenerent posterii. Caeterum hic uates sentit de mirabili coelorum orbisque uniuersi fabrica, ad haec de portentis illis terrificis cum in Aegypto, num in expugnandis terrae promissae incolis, tum in Iordanis transitu, excussaue e saxo aqua, & caeteris huius generis prope infinitis summae potentiae signis per Deum in sui populi fauorem ostensis. His enim auditis, illius amore, qui tanta pro hominibus operatus est, ni prosus ferrei simus, incalescimus, atque propterea fore speramus, ut quemadmodum illos tam immensis ornauit beneficiis, ita nobis nostris in miseris defuturus minime sit, uel eo potissimum, quod huius odae uaticinium nos magis, ex Pauli te-
[testimonio]

{pdf 374, p. 179}

-stimonio, nostraue tempora spectasse credimus, quam illa Iudaeorum umbrarum plena. Paulus enim Christianorum persecutiones attendens, hunc psalmum citas dicens: Propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oues occisionis. Et uere oues occisionis dici queunt hi, qui propter Christum, quicquid saeuitiae in eos moliuntur improbi, aequo fortique animo tolerant, ut illae cum a laniis iugulantur, nihil repugnant, nec queruntur. Nobis igitur, qui si non omnino propter Christum, eiusque iustitiam affligimur, at saltem propter peccata nostra & scelera, totum id canticum scribitur, nosque ueluti digito designat. Illud notandum, & copulam, quae in diebus eorum, & in diebus antiquis interiecta est, in Hebraeis codicibus non inueniri: quae tamen nihil officit sensui, imo etiam, ut mihi uidetur, clariorem illum reddit: quem sic exprimit Paraphrastes: Quae temporibus illorum operatus es, & temporibus quae illos praecesserant.

{44.3} Manus tua disperdidit gentes & plantasti eos: afflixisti populos & expulisti eos.

{44.4} Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos:

Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio uultus tui, quoniam complacuisti in ei.

Narrat effectum facinoris illius eximii, quod egisse Deum in diebus antiquis falsus est in superiori uersu. Vide pulcherrimam antithesim, sed subobscuram ob uerbum, expulisti: quod si simpliciter, ut noster uertit interpres, legendum putas, ad gentes referendum erit, sed statim geminatae antithesis deperit gratia & decor. Quare a doctioribus animaduersum est, uerbum illud Hebraeis esse germinare facere, uel, propagines extendere: in quo quidem sensu, illo ipso uerbo usum esse interpretem asserunt in psalmo LXXX. ubi de Iudaeis, uinea nimirum Dei electa loquens propheta, sic ait: Extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines eius. Idcirco uersum his fere uerbis uertendum esse scribunt: Afflixisti populos, illos uero germinare, propaginesque expandere fecisti: ut ad Iudaeorum populum referatur, non ad gentes, quo suus, ut dixi, remaneat antithesi decor. Is sensus quoque Paraphrastae placuisse uisus est, qui sic reddidit: Tu omnipotentia tua (en manus Domini) gentes extirpasti, & patres nostros in loca illorum inseruisti. Plurima mala tu intulisti populis illis, ut patres

nostros in terras illorum introduceres. Veteres praeterea Iudaeorum annales haudquaquam nunc mihi recensendi sunt ad id, quod scribit uates, ostendendum: nota iam haec omnia sunt uel ipsis textricibus, nedum clericis, caeterisque Christianae religionis, quibus is meus desudat labor, studiosis. Illud quoque notum, manum Domini, dexteram, brachium, pro illius autoritate, fortitudine, robore, auxilioque, & uindicta nonnunquam sumi solita. Nunquid manus Domini, inquit dux ille, inualida est? Quare in superioribus exclamat uates: A fortitudine manus tuae ego defeci. Horrendum tandem est incidere in manus Dei uiuentis. Mens igitur prophetae ea est, ut suos antiquorum beneficiorum Dei moneat: illud tamen in primis illis obii ciens, quod si feracem illam promissionis terram, eiectis Cananaeis, Amoraeisque, ac reliqua illius gentis colluue, adepti fuere, id quidem non sua, aut patrum uirtute & sapientia contigisse, uerum diuina uirtute & fauore, quem hic uultus Dei illuminationem appellat: atque id sane nullam aliam ob causam aut rationem, nisi quod ita uisum est illi, cui placuit suam in gentes illas impias exercere potestatem atque iram: in Iudaeos uero misericordiam, quoniam complacuisti, inquit, in illis: seu, ut uertit Felix dilexisti eos. Mirum si his auditis etiamnum inter nos sint, qui asserant beneficia coelitus nobis concessa, nostro aliquo merito aut labori, tanquam mercedem reddi, & non potius ea omnia spontanae Dei uoluntati & misericordiae accepta referant. Et ut id, quod dico, uerum esse, prout est, bona scilicet nostra omnia a diuina nobis gratia prouenire ac uoluntate, non a nobis, nisi quatenus cor nostrum alioqui durum, & pene indomabile diuinis assurgat inspirationibus, pulsantique numini non reluctetur, sed, quod potest, libenter impendat, paruam illam scilicet uoluntatis scintillam, atque arbitrii portionem, quae libera relicta est in anima, seu potius reformata per Christum, ut, inquam, id uerum esse & credant, & fateantur, illud ta-
[tamen]

{pdf 375, p. 179v}

-men non absque metu atque animi horrore, serio expendendum, an aequissimo Dei iudicio, occultissimo tamen & incomprehensibili, nos qui in hac Christiana republica nihil minus quam Christum, illiusque uitam referimus, contingat aliquando, uel Sarmatis, uel Aphris, caeterisque religionis Christianae hostibus locum cedere, illosque a coelesti patre admonitos, diuinis parere afflatibus, atque oblatum iustitiae donum auide arripientes Ecclesiae, nobis excisis, inseri? Quis, oro, si id accidat, diuinum poterit merito reprehendere consilium? Qualis obsecro, nostrae ratio est uitae? Si Christiani sumus, ubi in nobis Christus? hoc est, ubi in nobis pax? ab puritas? ubi fides? ubi totius legis summa ac nexus charitas? Quam uereor, mi lector, quam timeo, quod si porro tantus errorum acruus in uulgo solummodo natura rudi & inculto inueniretur, spes quidem reuocandorum rudium ab erratis, sapientioribus plane certa esset: uerum cum sapientes ipsi, primariique orbis homines in eisdem saepenumero (utinam non foedioribus) conuoluantur cum multitudine peccatis, quae spes iratum placandi Deum erit reliqua? Si sal, inquit Christus, euauerit, in quo salietur? Scio equidem, quod in quem Deus illuminationem uultus sui iecerit, is statim quamlibet infidelis & perditus, modo donum illud gratuitum non refutet, in Christi ouile introducetur. Scio & illud, turpis vitae Christianum, hoc est, ambitioni terrenarumque rerum cupiditatibus addictum, magisque mundo, quam Deo atque eius aspirationibus, quae nunquam desunt, obtemperantem diutius in tutissimo, atque omnibus aperto Ecclesiae sinu

manere non posse. Nec quidem irasci quis debet, si ego immensam nostri aevi ingratitude in Deum considerans, minimamque, aut nullam potius, quae uera sit, respicientiam cernens, una cum multis subuereri cogor, an Deus uelit iterum uocare ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt. Non sane id quidem durum uideri debet, postquam sic uolumus, totaque rei summa ab abstrusissima Dei prouidentia, purissimaque eius uoluntate, turpissima nostra sic exigente uita, dependet. Unde non ab re additum est a uate, Quoniam dilexisti eos, O mirabilem certe diuini amoris uirtutem. Dilexit, inquit Paulus, nos cum adhuc inimici essemus. Obsecro quid ab hoste meritorum expectari potuit? Num igitur nostrum iactandum est consilium? num uoluntas per se admodum aegra ac debilis? nunc arbitrium, utpote res multum robusta & ualens? num merita humana nempe sordidiora, quam sit fluor menstruus ille letalis, cuius, ut inquit quidam acescunt superuentu musta, sterilescent tactae fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus insedit, decidunt, simulatque, causam simpliciter diuinae dilectionis erga homines Christum extitisse, ad Ephesios idem scribens Apostolus asserat? Dilexit nos, inquit, in Christo, ante mundi constitutionum. Christus igitur totius amoris Dei autor est, idemque erogator. Proinde exclamare mihi fas sit cum Paulo, Quis me seperabit [sic, separabit, 1585] a charitate Christi? Quis te mihi unquam adimet, o animae meae uirtus, atque idem salus ac uita?

{44.5} Tu es ipse rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.

Rapta enim a spiritu anima diutina ex consideratione immensa Dei caritatis erga homines, in familiarem huiusmodi uocem, blandumque, ut sic loquar, plausum erumpere solita est. Tu es, inquit, rex ille meus, qui in me regnans, meque totum permeans, possidens, occupans, non sinis peccatum regnare in meo mortali corpore. Per te enim solum hisce in miseriis, quae me quaquauersus circundant, sustentor, in te quiesco, a te uictorias triumphosque, deuictis profligatisque hostibus reporto, sub teque alacriter, licet multis confossus uulneribus, decerto, nam ipse es, qui mandas salutes Iacob, hoc est, qui curas, praestasque multis modis occasionibusque adiuuentam salutem fideli seruo tuo, qui tua iam fortissima suffultus manu, imposturam uitiis facere perdidicit.

{44.6} Etenim in te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

Petemus cornu, ex Graeco legi posset: ex Hebraeo, percutiemus. Metaphora enim a male cicuratis sumpta uidetur bobus, quibus mos est, ut obuios cornu pe-[petant]

{pdf 376, p. 180}

-tant, de quibus quidem cornupetis fit mentio in lege Mosis. & est uetus de his adagium, Foenum in cornu portat: nam foenum alligatum cornibus, indicium erat ferini illius moris, ut dixi, quo bos haud bene edomitus facile in obuios quosque ferebatur, cornuque feriret, si poterat, quos deinde percussos prostratosque, & pedibus & genibus conculcasset & comminueret. Quare sic Felix ex Hebraeo legit: In nomine tuo

conculcabitur insurgentes in nos. Idem Paraphrastes: Freti, inquit, tuo auxilio aduersarios ueluti cornu petebamus: freti potentia numinis tui prosternebamus quotquot insurgere audebant in nos quanquam nec, uentilabimus cornu, ut noster uertit interpres, aberrat a uero. Simile huic in Maccabaeorum gestis, qui duce Iuda illo eximio, occisoque Nicanore, reliquias exercitus uiam unius diei insecuti sunt, legimus. Et exierunt, inquit, de omnibus castellis Iudaeae in circuitu, & uentilabant eos cornibus, ut solent nimirum pilae a tauro in theatris uentilari, aut triturotae paleae in area horum sursum rastris palisque, ac demum uentilabris exagitari, in sublimeque proiici, atque a granis secerni. Caeterum in nomine tuo idem esse, quod in te, iam alias diximus: nam ipse est nomen suum. Hebraei filium intelligunt.

{44.7} Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.

Narrat mortalium uires & fortitudinem (creber usus est in scripturis, arcum pro robore poni ac fortitudine. Apprehensi sunt, inquit Hieremias, fortes eius, & elanguit eorum arcus) nihil propemodum esse ad bellandos hostes cum uisibiles, tum potissimum inuisibiles. Id per se quilibet, nisi caecus prorsus sit, uidere potest. Quod si nostra tamen aliquid ualent arma, ualent nimirum per Deum. Nostra, inquit Paulus, arma potentia sunt per Deum. Stulta igitur ea est opinio, qua quis se multum per se, in re praesertim salutis, posse arbitratur. Male profecto res se nostrae haberent, si nostris duntaxat utendum esset armis contra hostes tam diros atque inexorabiles, ut sunt nefarii homines ac daemones: his enim cunctis uiribus ac uirtute, ne in nos praeualeant, obluendum est: illis uero patientia & mansuetudine. Caeterum gladii nomen haud raro in scripturis pro bello sumi solet. Non igitur mortalium eo sese efferat fastus, ut sibi se ex hostibus uictorias ex se adipisci posse persuadeant, o Deus: nam tu, non homo, non consilium, non quam uis praestans deliberatio & conatus,

{44.8} Salvasti nos de affligentibus nos, & odientes nos confudisti.

Confusio hic coelitus in eos, qui innocuos diuexare soliti sunt, immissa, duabus de causis contingere liquet: aut enim a Dei iudicio prouenit, qui suos minime indefensos, quae immensa suae maiestatis est bonitas, sinit, aut nostra e patientia: quanquam utrunque a Deo est. Nullo quippe acerbiori uulnere transfigi potest uir probitati bonorum infestus, quam si illos audit suas irridere persecutiones, perindeque minas, exilia, & cruciatus eo ferre animo, ac si blanda amicorum essent oblectamenta. Nos itaque, qui sub aduersitatum lima splendiores per Christum reddimur,

{44.9} In Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur in seculum.

Hebraeorum interpretes, laudabimus, uertunt, tota die: hoc est, ut reddit Symmachus, per omnem diem. Aquila uero, per totam uitam: & nomen tuum, inquit, in aeternum celebrabimus. Quid autem illud sit, quod de reportato ab hostibus triumpho, partaque uictoria laudare debeamus, nos esse existimo: & tunc laudare, pro gloriari, ut interpretantur doctiores, accipi par est. nam qui gloriatur, seipsum laudat: uerum istiusmodi laus aut gloriatio, tota in efferendo Dei nomine atque honore posita est. Nam qui se dono aliquo aut uirtute affectum a Deo gloriatur, gloria haec in diuinum

refunditur honorem, ut qui gloriatur, in Domino gloriatur. Caeca enim omnino esset anima, quae coelestibus ditata muneribus, in se meritum, unde laus quaedam sordida ac turpis dimanare solet, atque honorem reflecteret. Atqui ne absurdum aliquid a uate hic dictum suspiceris, prioris hemistichii addita est interpretatio: Confitebimur, inquit, ubi in seculum: id est, te laudabimus, tibi que

{pdf 377, p. 180v}

gratias ob immensa illa patribus collata beneficia, die noctuque, quoad uixerimus, agemus.

{44.10} Nunc autem, hoc est, transacta illa patrum felicitate ac fide, qua media, quicquid optabant, abs te facile impetrabatur, nos, nostris sic postulantibus meritis,

repulisti & confudisti, & non egredieris Deus in virtutibus nostri.

Neque id satis quidem tibi, ut es natura aequissimus, uisum est: nam

{44.11} Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros, & qui oderunt nos diripiebant sibi.

Heu diuinam ultionem, heu quam terrificum est incidere in manus Dei uiuentis.

{44.12} Insuper dedisti nos tanquam oues escarum, & in gentibus dispersisti nos.

{44.13} Vendidisti populum tuum sine precio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum.

Quid propterea subsecutum est?

{44.14} Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, in subsannationem & derisum his qui in circuitu nostro sunt.

Ad haec,

{44.15} Posuisti nos in similitudinem gentibus commotionem capitis in populis.

Hisce, atque horum similibus solent questibus sanctissimi quoque uiri interdum tum suam, tum reliquae multitudinis mille uitiorum laqueis praepeditae, sortem deflare, singulatimque enarrare apud Deum: signum nimirum maximi doloris ac fidei. alio qui certe tam longa pro nostra miseria concio coram illo, qui perfectissimus humanorum cordium perscrutator est, minime est necessaria: uerum ingenti id dolori donandum est. Repulisti, inquit, nos ueluti uilissima proiectamenta ab irato uultu tuo: confudistique nos, tanquam nostris in postulationibus inauditos, spretosque. Ex quo porro contemptu, nostra omnis exorta est confusio, illudque effectum, quod non amplius tu nostris cum exercitibus, utpote dux potentissimus, inuictusque imperator, ut olim consueueras,

egressurus sis. Virtutes enim pro robore ac belli neruo ab interprete nostro ponuntur: unde ab Hebraicae linguae peritioribus haec dictio, exercitibus, redditur, non uirtutibus. Quare sic Felix: Non es egressus cum exercitibus nostris. Paraphrastes uero: Qui fieri, inquit, potest ut nunc deserueris nos, & ignominia affeceris nos, nec ingrediaris nobiscum, sicut soles, in praelium? Vide quam familiariter, quantaque cum fiducia, anima Deo plena, suum alloquitur sponsum, illique non tantum quidem suas, quantum aliorum, aequae ac si suae essent, exponit calamitates. Quae enim coniunctam sic cum Deo animam calamitas uel parum quidem turbare poterit? Neque mors, inquit Paulus, neque uita poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro. Illud propterea in nonnullis, etiam ex iis qui se coelum manu tangere opinantur, reprehensibile, qui cum ob uitae puritatem, flagrantemque spiritum, Deum sibi prorsus conciliasse uideantur, conciliarunt quoque, ad leuem tamen iniuriarum ictum expauescunt, eneruesque facti, repente ab instituto resiliunt, querunturque, ac suas omnibus declarant afflictiones. Admonendi hi quidem sunt, ut sui prius solidam concipiant notionem, quam temerario forsitan ausu, atque inconsulto, supra id, cuius capaces neutiquam sunt, se extollant. Sed ad animae querelas redeamus. Auertisti nos, inquit, retrorsum post inimicos nostros: clarius Hebraei, Conuertisti nos retrorsum a tribulante. quorum omnium uerborum sensum eleganter exprimit Paraphrastes: Coegisti nos, inquit terga praebere hostibus, & praeda facti sumus illis, qui odio habebant nos. Succurrit hic mihi dux ille strenuus, ac Deo amicus, Mathathias, quem cum filiis e praelio ad montes confugientem, ex militibus non parua secuta est manus. Typus is quidem futurorum. Atqui anima tum quidem hosti praesertim inuisibili terga dare uidetur, cum aut corporis grauata onere, carnisque mollitie & teneritudine deuicta, aut quia bellorum expertus est, atque propterea imbellis, congressusque impatiens armis illico ad primum uix hostium impetum abiectis, fugam arripit: hoc est se uictam fatetur. quanquam melius dixissem, animas a sese, propriisque cupiditatibus deuictas, non a mole inerti corporea atque immobili, seductas peccare, quibus idcirco illud quod a uate additur, contingere necesse est. Dedisti nos, inquit tanquam oues escarum, & in gentibus dispersisti nos. Oues in cibo, uertit Felix

{pdf 378, p. 181}

uel, ut alius, gregem comestionis. Solent enim qui oues ad lanificium posteritatemque enutriunt, illas, ab iis quas macello destinauerunt, seligere, atque ita selectis e grege, reliquas iugulandas laniis tradere: quarum quidem conditione quid infelicius? Haec omnia enim miseriam pene intolerabilem interdum sanctis Dei uiris accidere prae se ferunt. Simile quiddam cum alias saepenumero, tum ab Antiocho illo immani, perpassi sunt Iudaei, qui non semel, ut sacri testantur annales, partim ab hostibus trucidati sunt, partim fugati captique, ac uilissimo uenditi precio. Proinde additum est. Vendidisti populum tuum sine precio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum. Hic pene mihi uideor audire Paulum clamantem: Ego homo peccator, sum uenundatus sub peccato. Vel illud Esaias: iratis uenundati estis. Cuius uero imaginis istiusmodi sit uenditio, alio in loco graphice admodum effigiat dicens: Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te. Quod porro quis uili dicatur precio uendi, aut nullo, ad eius contemptum dicitur. Prauos enim, nulliusque frugis seruos, non solum absque precio nonnunquam distrahimus, uerumetiam illorum emissionem pro magno ascribimus lucro. Et non fuit multitudo in commutationibus eorum: hoc est, non

magna quidem fuit pecuniarum uis ac summa cum uenirent, aereque commutarentur. Precium, inquit quidam, quo alienati sumus, ad paruam ascendebat summam. Verum alium huius hemistichii esse sensum, litera quae est Hebraeis ostendit. Felix sic uertit: Et non multiplicasti in commutatione eorum. Item alius ex Hebraeo: Non auxisti in permutationibus eius. Rursus ex eodem fonte alius, alioque sensu: Vendidisti, inquit, populum tuum in frequenti mercatu, neque tenaciter contendisti de precio eorum. Sed Paraphrastes sic totum uersum clare, ut Paraphrastem decet, Deum alloquens, interpretatur: Vendidisti populum tuum, inquit, nulla pecunia, nec obolo uno factus es ditior ex uenditione illorum. horum enim omnium sententias ponere libuit, quo obtusiolem aliquantisper pungerem lectorem, hortarerque quasi ex obliquo ad scripturarum studium & laborem. Contenti quippe nonnulli lectione, nescio qua, obiter inuenta, interdumque inepta, atque errorum plena, nihil ultra inquirendum esse exclamant, praeterquam illa, quae simpliciter a simplicioribus scripta sunt autoribus, utinam non indocte, & quod sublimiores magis excruciat animos, impie. Boni enim autores a bonis bonitatisque, illius quae a Deo est, studiosis legi debent: caeteri uero aut non legendi omnino, aut cum delectu legendi.

{44.14} Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, in subsannationem et derisum his qui in circuitu nostro sunt.

**{44.15} Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis.
Posuisti nos prouerbium in gentibus.**

quasi dicat, infortuniorum nostrorum cumulo, alioqui per se molestissimo, addunt & dicteria, irrisionumque prouerbia, prae indignatione & derisione capita quassantes, uicissimque oculis annuentes, ac nomen sanctum tuum blasphemantes. De opprobrio, quo tum alias, tum nostra hac aetate afficiuntur serui Dei, qui res suas cum silentio atque animi quiete curant & exequuntur, aliis in psalmis diximus, dicturique sumus cum occasio fuerit: illud tantum nunc dicam, huiusce generis irrisionum iactandique scommata causam, ab utraque demanare parte: a nobis quidem, nostram ob ignauiam uitaeque dissolutionem, ac fidei carentiam: ab illis uero qui in circuitu nostro sunt, ob contractam maledicendi obtrectandique rebus sacris consuetudinem atque habitum, qui cum in rerum mundanarum copia, & luxu pene natent, aliorum quoque inhiant fortunis: unde illis facile peruersus obuenerit mos, ut illorum corrodant uitam, quorum facultates nequeunt: illisque inuideant & oblatrent, quorum bona auferre connituntur. Quocirca (ut de me loquar, qui quantum possum turbas omnes auersor) hoc in secessu Casini, tum mole ipsa montis, tum monachorum sanctitate sublimis, delitescam, penitusque me me, ne audiam, ne uideam, ne inquiner, ne moerore contabescam, abdo. Letaliter enim quodammodo uulneror, cum religiosos audio uiros a plebe derideri, atque, ut efficaciori utar uerbo, catamidiari, illud semper timens, ne nos in causa simus. Quare

{pdf 379, p. 181v}

{44.16-17} Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meae cooperuit me, a voce exprobrantis & obloquentis, a facie inimici & persequentis.

Narrat hic anima suum dolorem continuum esse (id significat, tota die) dum oblocutoribus opprobrantibus ac impudentissime conuiciantibus, seu ut uertit Aquila, blasphemantibus sanctorum coetum obnoxium esse, & id impune, conspicit. Quod sic reddit Hebraeus: omni die ignominia nostra ante oculos nostros est, & pudor uultus nostri operit nos: id est, nos totos occupat. Is enim mos est illis, qui maximo afficiuntur pudore, faciem sustollere non audere, quin potius uelare, si licet, & tegere, ut in ualde pudefactis uidere est. Quare cupiens anima suam ostendere confusionem ac uerecundiam illorum ergo, quae quotidie in sanctorum, suaeque religionis ignominiam iactari audit, consuetis inter homines utitur uerbis: uerum non propterea a fiducia, quam erga Deum concepit, ne latum quidem unguem discedere animus est. Ideo subinfert,

{44.18} Haec omnia uenerunt super nos, nec obliti sumus te, & inique non egimus in testamento tuo.

Omne hoc, reddit Felix uenit super nos, & non obliti sumus tui, & non mentiti sumus in foedere tuo. Magna profecto uis ea est amoris, qua anima erga Deum afficitur: uide enim quomodo tantis suis in expostulationibus ab amato minime auersa sit, sed contra potius fateatur se nunquam, etiam in mediis ipsis infortuniis, Dei immemorem extitisse, nunquamue foedus iam olim cum suo amato initum uiolasse. Nihil falsum, inquit, nihil iniquum, fraudulentumque & dolosum, in tua sancta lege ac testamento commiscuimus: sed quicquid tibi, mi Deus, polliciti sumus, id te opitulante seruauimus. Atqui ea haec est laus & gloriatio, de qua supra, In Deo, inquit, laudabimus tota die, & in nomine tuo confitebimur in seculum. Felicissimum id sane laudis genus est & gloriationis, cum quis se Dei amicum esse gloriatur. Fuit ne unquam celebrior inter homines uel honor uel dignitas? Aspice, te obsecro, quanta cum fiducia Deum alloquitur:

{44.19} Et non recessit retro cor nostrum.

Amor scilicet noster nullam aliam ad rem, te relicto, translatus est. A uia enim qua ad te itur, non retrocessit unquam cor nostrum.

{44.19} Et declinasti semitas nostras a via tua.

Consuetudo Hebraeis est, ut negationem duobus locis seruire faciant, ut in hoc uersu. Quare diuus sic uertit Hieron. Nec declinauerunt gressus nostri a semita tua: ut illud, nec, magis additum a uiro sancto intelligas, explanandi gratis, quam quod in codicibus Hebraeis inueniatur. Noster quippe interpres, prout sonat Hebraeus, uertit: itidem quoque Chaldaeus: uerum negationem, ut dixi, utrunque hemistichium complecti oportet, ne sensus secum pugnare uideatur. Caeterum uia Dei, uia aequa est, ut ait uates quidam, uia iustitiae, uia amoris, uia ueritatis: hoc est diuinae est iussionis consummatio, perfectaue in Dei obsequio constantia: a qua tamen iustissimo Dei iudicio declinare praeclarissimi interdum uiri sinuntur, ut inde, quid propriae uires

ualeant, quid item diuina gratia, & cognoscat, & alios edoceant. Idcirco Esaias illorum uice quibus nondum compertum est, quanta anima puritate ac fide, morem Deo gerere oporteat, exclamauit: Quare fecisti nos errare a uis tuis? Indurasti cor nostrum ne timeat te,

{44.20} Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis. /

{44.21} Si obliti sumus Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum, nonne Deus requiret ista?

Quam animosa redditur anima, quae nullius turpitudinis conscia, nulla expallescit culpa. Quoniam, inquit, deiecisti nos in teterrimum afflictionum locum, nosque totos plane calamitatum tenebris, quas umbram mortis appellare fas si obtexisti, non propterea tui sancti nominis ac cultus immemores esse uoluimus neque subinde uanos ethnicorum deos, ut complures faciunt, eorumque opem implorauimus. Si haec quidem egissemus, num certi non fuissemus Deum illa non laturum? Nonne requisiturus ea fuisset ille qui arbiter omnium est? Certe enim cordium

{pdf 380, p. 182}

secreta quamlibet abdita tam uigilem iudicem minime fugiunt, multo uero minus aperta quae fiunt a mortalibus, ac plena luce. In loco afflictionis, Hebraeorum interpretes, & in primis D. Hieronymus, reddunt, in loco draconum: quod perinde dictum putant, ac si dixisset, In eam nos protrusisti seruitutem, nempe sub illorum dominatione qui feritate draconibus similes sunt. Alii rursus pro locis desertis & arenosis, in quibus maximi oriuntur & crescunt dracones, dictiones illas poni arbitrantur. Quod quidem quam horrendum sit, metuque plenum, habitare scilicet ubi habitant dracones, stupidus prorsus es, si id te ignorare dicas. Quis duro animo siccisque oculis illud Maccabaeorum aut legere aut audire unquam potuit? Iudas, inquit, Maccabaeus secessit in desertum locum, ibique inter feras uitam in montibus cum suis agebat, & foeni cibo uescentes commorabantur. Caeterum umbram mortis appellant quidam calamitatem, quae cum praesens est, tam est acerba, ut morti pene similis uideatur. Umbram, inquiunt, eam appellauit, quia umbrae rebus similes esse solent, quarum formas repraesentant. Umbram etiam mortis peccatum esse alias me dixisse memini: sed alia res est: nunc enim pro tentationum mole tetroque persecutionum profundo atque abyssio dictum esse liquet. Siue igitur draconum legas cum Hebraeis, siue afflictionis cum Graecis, eundem praetendit sensum, quem sic reddit Paraphrastes: contriusti nos interim locis, quibus non homines, sed dracones habitare uidentur. Nam pluribus in locis scripturarum, rixosos homines ac exleges, uariis ferarum nominibus nuncupari inuenies. Quare nequaquam mirum esse debet, si homines illos qui ad hoc nati uidentur ut inquieti sint, quamplurimisque noceant, ut permultos nos quoque nouimus, dracones appellauit uates, appellantque quotidie integerrimi quique uiri, quibus morte dirius semper uisum est, sanctum Dei nomen atque honorem cernere improborum libidini tradi, horrendasque, & id (malum) impune, audire blasphemias, oblocutiones, maledicta, proborumque exilia ac mortes. Heu hominum confidentiam, nonne Deus tandem requiret ista? Est rursus in scripturis draconum planctus, & struthionum horribiliter in deserto eiulantium: quod quidem locutionis genus cum reperiri contigerit, uastationem

ibi maximam, luctuosamque esse miseriam intelligas. Unde illud est Micheae: Faciam, inquit, planctum sicut draconum, & luctum quasi struthionum. In hac enim uatis querela, Deum non ultra populi illius miserturum intelligi oportet. Struthio porro, ut est apud rerum naturalium indagatores, cum primum pullos produxerit, in illos statim, ac si sui non essent, induratur. Sed ad psalmum.

{44.22} Quoniam propter te mortificamur tota die, estimati sumus sicut oues occisionis.

{44.23} Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem.

Hic certe, inquit, tua res agitur. Quis, oro, dominus suum cernens seruum pro se suoque honore decertantem, atque inter hostium gladios periclitantem, non it illi suppetias? Saeuus is quidem reputabitur, planeque ingratus, si non subueniet. Id igitur grati animi obsequium, quo se libenter occumbere, mortemque pro tutando illius honore ac cultu oppetere, tanquam Dei beneuolentiam impetraturus, ostentat uir sanctus. Simulac, inquit, pro te, non secus ab improbis scelestisque sicariis iugulamur, passimque, ut solent oues a laniis, trucidamur, quid adhuc dormitabundus ociares? Cur tuos, aequae ac si alieni essent, contemnere uideris? Expergiscere Domine, ferque opem, ne perpetuo neglecturus tuos uidearis. Iam aerumnarum infortuniorumque adeo accreuit cumulus, ut nostram omnino superet uirtutem. Hinc enim, fateor, impudentissima illectat caro, illinc mundus, illecebrae, uariaeque phantasmatum imagines ac formae mihi illudere conantur, Ad haec deterrent daemones, inescant rursus, adblandiuntur, minantur. Quo me uertam? uel eo maxime si nefarii perditique homines, suo in meum exitium patrocinantur principi?

{44.24} Quare faciem tuam auerti? obliuisceris inopiae nostrae, & tribulationis nostrae?

Longa nimirum uidetur animae mora illa in Deo, qua suis differt auxiliari: ignorat enim quanta cum sapientia & consilio, res suas agat Deus: qui quidem tunc illi quodammodo dormire uidetur, aut iratus omnino esse, cum non succurrit,

{pdf 381, p. 182v}

idcirco faciem illam suam uiuificam, qua uel semel inspecta, putrida reuiuiscunt corpora, nedum animae, indignabundus auertere. Summae profecto indignationis signum id est, & iracundiae in iudice, aut principe illo, qui cum a misero quopiam rogatur, uultum furibundus auertit, atque aliud cogitare se simulat. quare inauditum secrete suam deflet sortem, publice non audet: interim uero ab auarissimis magistratibus tum ille, tum caeteri miseri licenter, utpote cum principe in populi perniciem coniunctis, proteruntur. Ad Deum itaque conuersi, quanto possunt clamore, suas cum illo expostulant calamitates. Cur faciem, inquit, etiam tu tuam aequae nostris a querelis deflectis abscondisque, ac si ex hisce ignauis unus esses principibus, qui nos aut non audiunt, aut auditos utcunque (facile ex congressu ciuium stomachantur principes) ad magistratus interdum corruptos, ciuilibusque sanguinis sitibundos reiiciunt? Putas ne, mi lector, tot piis provocatum querelis Deum, posse ad suorum aerumnas diutius connivere? Sciunt mei cives quid nuper sua in ciuitate actum sit: clamauerunt

certe ad dominum, et ipse exaudivit eos: faxit Deus ut illis meliora contingant in posterum. Quid clamauerunt rogas?

{44.25} Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster. .

{44.26} Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum.

Conglutinatus est, Felix uertit, adhaesit. Videtur mutuata similitudo ab his qui letaliter percussi, solo haerent penitus, quantique sunt, attoniti distenduntur. Caeterum quod noster interpret uertit, Propter nomen tuum, Hebraeis est, propter bonitatem tuam, seu misericordiam tuam, ut Fel. Utcunque autem literam accipias, exploratissimum id esse debet, natura nos irae filios esse, idcirco nullam nobis a mundo inferri posse plagam, quae nostris non debeat peccatis quare de his quae nos nobis spontaneo asciumus consilio & uoluntate, qui querimur? quid perinde ac si indebite nobis prouenirent aduersitates, aut illas declinare nitimur, aut saltem aegro, ac, uel usque ad desperationem, reluctantem ferimus animo? Insaniae argumentum id est, ac tenerae nimium imbecillitatis signum. Illud postremo notandum, dictiones illas, Humiliata est in puluere anima nostra, Conglutinatus item uenter noster in terra, maximam animae prae se ferre deiectionem ac despectum. quid puluere despectius? quid submissius uentre humi serpente? Sic Paraphrastes: Prostrati sumus usque in terram, & uenter noster terrae adhaeret. Exurge tandem ut auxiliaris nobis, & libera nos pro immensa benignitate tua, o Deus, cuius nomini laus sit semper atque honos in secula seculorum, Amen.

PSAL. XLV. Vincenti super lilia filiorum Chorae eruditivum. Canticum dilectionum.

{45.1} Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.

Cum omnes etiam Hebraeorum interpretes hunc psalmum de Christo atque eius Ecclesia exponunt, sed in primis D. Hieronymus, tum maxime Chaldaea translatio, eo nixa uersu quo dicitur, Pulchritudo tua rex Messia, superabundat a filiis hominis. quod quidem noster interpret sic uertit: speciosus forma prae filiis hominum. Item illud: Et concupiscet rex decorem tuum quoniam ipse est dominus Deus tuus, & adorabunt eum: seu adorabis eum, a diuus uertit Hieron. Quae sane omnia de Dauide aut eius filio Salomone intelligi, ut nonnullos interpretari uideo, absurdus est quam quod multis conuinci debeat. Non negauerim tamen patrem de filio in hoc psalmo tanquam Christi typo atque umbra sic praedixisse, quae tamen in Christum atque eius sponsam, quae in Canticis amatoris se amore perlanguescere fatetur, desinerent. Lilia in titulo utrunque complectitur nomen sponsi & sponsae. Unde in Canticis simulac sponsu sponsi pulchritudinem laudauit, ille contra suae dilectae non auersatus laudes, laudum ei rependit uices, dicens: Ego flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Hic igitur Christus atque Ecclesia, quam ille unice deperit, ueluti in scenam introducuntur, haud illam quidem quae im-[immoderatissimo]

-moderatissimo apparatu & luxu, ad ciuium corruptionem publice ab urbium dynastis nonnunquam sacris initiatis, pessimo simplicium atque in fide rudium exemplo agitur: uenum illam quae altissimis adumbrata mysteriis, suos ad se adeo rapit spectatores, ut ex hominibus deos pene faciat. Sed antequam sacri huius epithalamii dialogum excutiamus, de prooemio prius nonnulla. Is enim mos est illis qui praeclara quaedam narraturi sunt gesta, literisque mandaturi, ut prooemia praescribant. Quem sane morem a uate nostro seruatum hoc in psalmo coelestium rerum foetura grauido, diuinique connubii buccinatore, & cernimus, & uenerabundi exosculamur. Itaque prooemii exordium id esto: Eructauit cor meum uerbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribae uelociter scribentis. hucusque praeambulum. Cor meum, inquit, musto spiritus, diuinaque quodammodo oppletum crapula eructauit, more scilicet ebriorum. Quid, oro, eructauit? Verbum, inquit, bonum, suaue, iucundum, amatorium. Diuinum prorsus id est, quod euomere gestit. Proinde quicquid canere institui, & nunc lucubro, id totum meo regi, & cano, & lucubro. Caeteras quippe lucubrationes inutiles esse existimo, praeter illas quae ad honorem fiunt Dei. Illic enim percipit anima, quid sit uerbum illud, quod hic e uatis corde erumpere nititur. Rachas dictio, quae in primo statim exordio uersus Hebraeis est, illam proprie cordis loquutionem indicat, quae nondum ad os, ut exeat, peruenit: attamen cor illam ab sese emittere meditatur & contendit, sed plerunque, ut in efferate nimium laetis contingere uidemus, nequit. Quare quidam ex Hebraeo uerterunt, ebullit: Paraphrastes uero, erumpit. Verum equidem (ut quod est non dissimulem) cum haec commentor, succurrit animo, nihil aliud id esse uerbum, quod bonum uocat propheta, quodque in eius ebullit corde, quam ut sponsum faciat suae iam tandem dilectae dicere, Amo. O certe uerbum super omnem bonitatem optimum, perfectum, diuinum, simulatque a tam parua dictione nostra omnis orta est salus. Quid, mi lector, fuisset unquam mortalium genus, nisi Christus suam adamasset Ecclesiam? suam columbam? suam formosam? nullum quippe animal infelicius homine inueniretur. Sed postquam amor ille in immensum adeo creuit, ut tam ardentem amasium pro sua mori dilecta, & morte quidem infami ac saeua, adegit, felicissimus omnium quae sub hoc coelorum tegumento, forsitan & quae supernis in regionibus uitam degunt coelestem, factus est homo. Quocirca ingratis omnino insimulandus erit animi, si quicquid agit, aut cogitat, aut scribit etiam, id totum illius non dedicat honori, qui cum merito damnare eum posset, ex gratia seruare maluit. Caeterum illud quod sequitur,

{45.2} Lingua mea calamus seu stylus scribae uelociter scribentis,

Studium canendi maximum testatur, cum linguam suam stylo scribae celeris atque expediti comparat. Nam certe ut expedite, ita percupide se laudes regis celebraturum hoc dicto demonstrauit, ne spiritum sanctum Dei pro scriba huc modo auocemus, ut quosdam suis in commentariis agere cernimus: quanquam nec id quidem omnino displicet, cum spiritum Dei, digitum in scripturis nuncupari lego. Unde Ecclesia in hymnis spiritum ipsum alloquens canit: Dextrae Dei tu digitus. Illud quoque seruatoris: Si in digito Dei eiicio daemona, filii uestri in quo eiicient? In Mose etiam legis tabulas, Dei digito conscriptas sacra narrat historia. Diuus hic Augustinus suas sibi solitas connectens alas, in cor patris transuolat, ubi aeternum illud uerbum, & uere bonum, a

quo nostra omnis bonitas originem nacta est, conceptum inuenit. Sed iam epithalamium, uiso praeambulo, discutiamus, in quo sponsa illa, quam coelestis pater sibi, ut eam filio suo dilectissimo coniugio copularet, e faece mundi per gratiam delegit, sui sponsi laudes ita texit, sed prius a forma:

{45.3} Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum.

Nulli dubium, quod qui dignioribus animis, praeclarioribusque ingeniis sunt

{pdf 383, p. 183v}

praediti, ut reges maxime decet esse ac principes, formae etiam praestantis pollere soliti sunt. quod si secus aliquando contingat, id raro quidem: secundum enim communem existimationem loquor. Proinde illud a rege potissimum sic coelitus ornato prouenire certum est, quod populis terrori magis sit ac reuerentiae, quam is cuius sordido tum animo, tum ingenio, deformitas quoque corporis coniuncta est. Verum alius in sponso, alteriusque generis decor ac forma, quam sit in homine mortali, citoque transituro, a sponsa laudatur. Sic Paraphrastes: Supra modum formosus es, nec quisquam ex posteris Adae conferri tecum ulla ratione poterit. Volunt enim utranque breuiter in Christo naturam hic depingi, humanam scilicet sub speciei nomine, diuinam uero sub pulchritudinis. Quarum sane excellentia, qualisque in illis fuerit, sitque perpetuo & decor & gratia, difficile non erit, non dico cognoscere, nam id quidem impossibile, uerum saltem quasi per transennam intueri his tantummodo, qui coelestibus rimandis rebus assueti, sensum omnem suum atque intellectum in contemplanda mirabili illa in Christo unione, quae captum omnem humanum excellit, attentius figunt. Cum enim Deus esset (intelligis ne quae dico, cum Deum dico?) cum Deus, inquam, esset, pulchritudinum omnium machinator, sine quo quidem foeda essent omnia ac turpia, qui fieri potuerit, quin illius quaedam diuinitatis notae, ab illis membris Dei digito fabrefactis concretisque, e purissimis uirginis uisceribus, teste Deo solummodo, id est, obstupescente natura, non eluxerint? Quas tamen notas neque ego quidem distincte delineare conabor, simulatque uideo coelestem sponsam illius pulchritudinem ac formam generatim duntaxat, ut res solent difficiles, comprehendisse. Illud unum dicam, nullam unquam formam, nullam pulchritudinem, nullam elegantiam, nullum decorem in mortali homine fuisse, neque esse posse, quin longe excellentius in pulcherrimo Christi corpore extiterint. Quam uero sublimis, cunctisque absoluta numeris eius fuerit anima, tute, e copula illa ineffabili cum diuinitate, coniecturam facito: ego enim illius dotes me magis admirari fateor, quam uelle calamo disserere. Verum quid canat sponsa uideamus. Diffusa est, inquit, gratia in labiis tuis propterea benedixit te Deus in aeternum. Laudato sponso a forma, nunc ab eloquentia, leporeque sermonis laudat: quae sane pars in principe non mediocrem sibi uindicat locum: ut de Salomone legimus, qui adeo orationis gratia & facundia ualuit, ut multos & reges & principes, & ex sapientioribus non paruam manum ad se audiendum traxerit, sed in primis reginam illam ex orientali plaga egressam, idcirco ut audiret sapientiam Salomonis, ut in Regum gestis cernere est. Quantum porro Christus uel puer in terris uiuens elegantiae & in uerbis & in moribus praestiterit, norunt legisperiti illi Iudaeorum, nedum uulgus, qui in templo tam gratiosum puerum (duodecimum tunc agebat annum) concionantem

disputantque audientes admirabantur, unde tam doctus sermo a puero, qui literas non didicisset, emanaret. Iacula quidem erant ignita, uerba Christi, sed quae magis homines ad amorem, quam ad terrorem commouerent. Caeterum labia pro sermone intelligas posita. Ait igitur percita amoris oestro anima: sponse posteaquam uerbum caro factus es, nobisque similis in terris uisus, Deus homo, iucundus statim aspectu, dulcisque affatu apparuisti, nihil in te austeri habens, ne illos, quos, ut coelesti patri reconciliares, mansuetissimo quodam, ut sic dicam, artificio pertractabas, metu refringeres ac deterreres. Num scientiam in primis, aut cognitionem rerum illam, qua maxime mortalium ingenia tumescere solita sunt, diffusam habes in labiis tuis? Non hanc quidem in te uideo, sed gratiam potius, sed dignitatem, sed sermonis mansuetudinem atque humilitatem, qua peccatores potissimum allicis, non terrores: qua Euangelium, iugumque suaue praedicas, qua fidem, qua amorem, non legis minas terroresque ac mortem, annuncias. Num quid suauius in terris unquam auditum est? num uel ab ipso rerum exordio uisum? O si, mi lector, ambo una tam iocundi spectaculi, ubi aliud nihil quam pax, quam charitas, quam mutua in his qui Dei sunt, consensio docebatur, spectatores fuissemus. Quis tam frigidae mentis homo est, qui id non cupiat? Verum unde tantus gratiarum effluxit liquor? Propterea]

{pdf 384, p. 184}

-erea quod benedixit te Deus in aeternum. quo non nobis clam sit, Dei patris beneficentiam causam extitisse, quod filius tam gratiosis moribus in terris uisus sit, ac super omnes mortales speciosus. Sic ab aliquibus hunc intelligi uersum uideo. Plures nihilominus cum nostro consentiunt interprete, cuius litera eum habere sensum uidetur: Idcirco benedixit te Deus in aeternum, id est, te immensis pater condecorauit muneribus, quae finem habebunt nullum, quia natura speciosus es, genuinaque gratiarum dote copiosissime prae omnibus ditatus. Cum igitur talis tantusque sis, o pulcherrime,

{45.4} Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, specie tua et pulchritudine tua.

Hic sponsa sponsum a fortitudine laudat, similitudine nimium a duce, aut principe illo praesertim, qui se patrem pastoremque populorum ac militum praebet, assumpta: is enim ne in somno quidem, bellorum praecipue tempore, quiescit, sed dormiens, ut ita loquar, uigilat. Vide an elegantius accuratiusue unquam legeris, quae in principe debeant esse, partes describi. Inuitatur hic itaque rex noster a regina, ut arma sumat, enseque lateri accingat: qui sane ensis, decor quidam regius esse solet. nam Hebraei sic integrum hunc legunt uersum: Accinge gladium tuum super femur, gloria tua & decor tuus: hoc est, qui gladius gloria tua est ac decor, o potentissime. Paraphrastes item sic: Accinge gladium tuum femori tuo, o potentissime: laudem enim & honorem magnifice assequeris. Verum quia Ecclesiae arma spiritualia sunt, ut inquit Paulus, non carnalia, a sponso nimirum Christo, qui in spiritu amari colique in primis debet, accepta, aliud hic armorum genus quaerendum esse arbitror, quod e ferro aut aere minime fabrefactum sit: diuinas illa esse scripturas definierunt patres, quibus sane spiritualia nequitiae in coelestibus occidi solent, quemadmodum illis corpora

solummodo corruptibilia & caduca. Hic igitur a uate uice futurae sponsae e coelo quodammodo trahitur sponsus, inuitaturque iam tandem, diu expectatum exequi liberandorum a captiuitate mortalium negotium, prouinciamque illam tam homini necessariam, illique soli debitam, utpote omnium fortissimo aptoque ad debellandum radicitusque euellendum amplum mundi dominium, ac regnum daemone aggredi. Sponsa itaque a consueto belligerandi usu non discedens, uocat gladium uerbum Dei, quod est Euangelium: femur uero, per quod carnalis designatur procreatio, uocat Christi humanitatem (ut recepto iam utamur uocabulo) qua assumpta, unitaque diuinitati, maximam sibi apud patrem conciliauit gloriam & claritatem. Unde illa est coelo audita patris uox: Et clarificauit, & clarificabo. quare is erit sensus: Appareat iam tandem, o potentissime, caro illa tua a conditarum rerum origine mundo promissa, diuque a me desiderata expectataque, ut uerbum illud iam demum alutis audiamus: cuius sane efficacia ipsi etiam perditissimi homines, in profundumque malorum ac desperationis proiecti excitabuntur, sumentque animum, ac sponte ipsi sua iugulum tam uiuifico uulneri praebebunt, actique in fugam hostes, aut ignominiosissime trucidabuntur, aut aeternas in miserias detrudentur.

{45.5} Intende, prospere procede, & regna propter ueritatem & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Urge on,

Verba plerunque in nostro interrupta interprete, concisique uersus id agunt, ut in excutiendo sensu Delio interdum opus sit coniectore. quanquam tamen suos & ipse habet sensus, pios nimirum & castos: uerum ubi litera, quae est Hebraeis clarior uisa est, nonnihil ab illo, licet inuitus, diuerto, quo sensus lucidior reddatur, ut hic plane necessarium fieri duxi. Quemadmodum enim superiorem uersum Hebraeorum ita uertunt interpretes, ut diximus, sic & hunc sequentem pleniorem reddunt, nempe cum subsequenti coniunctum, hoc modo, ut uertit Fel. Et decore tuo prosperare, equita super uerbum ueritatis & mansuetudinis & iustitiae, & docebit te terribilia dextera tua. Nam supra dixerat: Accinge gladium tuum super femur tuum, qui est gloria tua, & decor tuus. Modo uero decoris nomine delectata sponsa subiungit: Et decore isto tuo, qua cunctis admirabilis es, undeque

{pdf 385, p. 184v}

serenitas quaedam iucundissima dimanat, nos aspice, uenique felici comitatus, ut decet regem, prosperitate, terrificoque excluso mortis atque adeo peccati regno, regna, & nos prorsus, qui tanquam oues erramus absque pastore ac duce, ad te trahe, reuoca, cogeque, si lubet. Quid tandem? Currum ueluti adornatum mansuetudinis conscende, equitaque propter causam fidei & ueritatis & iustitiae, quae plane omnia in mundo extincta sunt. Et sic nimirum tua te dextera, potentiaque ac uirtus, ad maxima perpetranda facinora & mirabilia adhortabitur. Chaldaeus habet: Docebit te dominus, ut terrorem inferas cum manu dextera tua. Loco porro, procede Hebraeis est, inequita. & est perinde ac dicas, inequita, ueharisque his rebus, uelati quadrigae rotis, ueritate, fide, mansuetudine & iustitia. Vide quam breui a obiter compendio, qualis in terris rex esse debeat, depinxit sponsa. Da mihi igitur regem, principem, antistitemque animarum, qui suis in pollicitationibus uerax sit & constans, in moribus mansuetus, mitis, ac omnibus suis in actionibus regnique moderatione iustus, nil ultra quaeram: absolutissimus is

quidem erit, dignusque cuius fidei maxima merito hominum multitudo committi debeat: his uero exclusis, ne ouicula quidem. Id dictum uelim ad quorundam etiam religiosarum taxandam opinionem, qui asserunt, arte potius in gubernandis populis opus esse humana, ac simulatione, quam Dei spiritu. Error is est maximus: nam si in rebus quamlibet paruis instituendis diuino egemus lumine ac ductu, multo magis in magnis, quarum maxima omnium est hominum gubernatio, sed illis in rebus praecipue, quae ad animarum attinent informationem. Syncera haec esse debet, spiritusque perpendicularo diligentissime collibrata. Sed ad psalmum.

{45.6} Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent in corda inimicorum regis.

Sagittas uocat sponsa, fidei uerba, quae aciem omnem gladii quamuis acuti superant: uerba enim uitae a Petro appellantur. Proinde nulla tam dura res esse potest, ac telis minus peruia, quae ad tantillum uerbi Dei ictum protinus non cedat, emollescatque. Illud praeterea notandum, confusam hic literam, sensus confusionem, ni aduertas, parere: qui tamen facilis redditur, si per parenthesesim (populi sub te cadent) legeris. Verum, cadent, ad duo referri potest, nempe ad sagittas cadentes in corda inimicorum regis: & ad populos qui uisa regis potentia, uirtuteque ac iustitia, proni subiiciuntur caduntque, ut dicitur, sub rege. Atqui ea in Dei uerbo sita est uis ac energia, ut quicquid nactum fuerit in homine uitiositatis, prosternat illico: sed partim ad uitam, ut de bono odore edisserit Paulus: partim ad mortem, cordisque duritiem & desperationem. Sed hi sua culpa atque obstinatione in mortem franguntur, illi uero ad uitam, ob Dei misericordiam: alioquin tum hi, tum illi eodem damnationis genere mulctandi erant. Traiecta igitur hostium Christi corda Euangelii telo, non eundem nanciscuntur finem. Quidam enim illorum uulnus salubre non auersantes, ex hostibus fiunt amici, ut quondam Paulo contigit: quidam etiam unde medelam amplecti debuissent, uenenum hausere, & id praesentaneum. Nam qui malis prius fuerant, sanctissimo transuerberati gladio, peiores sua culpa ac uitio euaserunt ut de Iuda Domini proditore legimus. Quis hic igitur non exclamet: Dextera domini fecit uirtutem? dextera domini exaltauit me? Non moriar igitur amplius iustitiae, ut hactenus imprudens egi, sed ueram uitam, quae est in Christo Iesu, uiuam, sic narrabo opera domini. Putasne absque Christo, quem hic tam speciosum, tam fortem, tam mansuetum, tam iustum, tam potentem regem depingit sponsa, te Dei operatum noscere, tum meditari, aut literis mandare posse? Erras, si id putas, toto, ut aiunt, coelo. Absque enim capite quid uitae habet pes? quid manus? quid caetera totius corporis membra? Num te latet, quod caput uiri Christus est, caput uero Christi Deus? O tu igitur qui uitam aues degere coelo dignam, a capite tuo ne, si sapis, procul esto, alioquin evulsum a capite corpus marcescat necesse est, et intereat. At tu mihi praeterea splendorem alium in sponsos nostro, dignitatemque nobiliorem considera:

{45.7} Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis virga regni tui.

En quomodo iam demum sponsa, praemisso illo tam honorifico praeludio, in quo sponsi formam, pulchritudinem, sermonisque suauitatem ac leporem, uires insu-
[insuper]

{pdf 386, p. 185}

-per & potestatem laudibus extulit, Deum illum esse fatetur. Sedes tua, ait, hoc est, potestas tua regia, o sponse, aeterna est, non temporaria, ut sunt plane omnia mortalium. Est, inquam, uirga, sceptrum scilicet regni tui, sceptrum directionis, sceptrum ueritatis, sceptrum iustitiae, non erroris, non mendacii, non iniustitiae. In illo enim nulla inuenitur asperitas, nulla arrogancia, nullus fastus, nulla crudelitas, uerum omnia placida & aequa. Quomodo autem regnum Christi sit regnum aequitatis ac rectitudinis, ipsa aperiat sponsa, & dicat:

{45.8} Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Illud non omittendum in superiori uersu, ubi nos legimus una cum Hebraeis, Deus, Chaldaica translatio ponit inenodabile illud nomen Tetragrammaton, quod soli Deo, uel ipsis Iudaeis testibus, competere definierunt antiquae legis interpretes, quo uel hinc saltem, si non aliunde, hauriant Iudaei Messiam Deum esse, de quo hunc psalmum compositum esse affirmant. Durae profecto istae sunt Iudaeorum reliquiae, quas per orbem pene uniuersum incertis peruagare sedibus uidemus. Sed ad rem nostram. Quemadmodum enim pro cumulo uirtutum perfecto, ut alias diximus, iustitiam in Deo sumi legimus: ita in homine iniquitatem pro plena undequaque uitiorum mensura intelligimus, ut in hoc psalmo cernere est. Maximum porro laudationis genus est in principe, si iniquitatem huiusmodi suo a solio excludat omnino, iustitiamque amplectetur. Tunc sane populus ille felicissimus censi debet, cui princeps illius moris contingit, qui nihil non syncerum purumque sua in ditione uidere patitur. Hunc certe patrem potius, quam regem aut principem appellabimus, eumque in terris tanquam Deum uenerabimur. Et ut quidem hae duae in homine partes, mille nimirum animi perturbationibus obnoxio, perfectae esse non possunt, ita in Christo, cuius hic laudes celebrantur, perfectissimae fuere, & sunt, eruntque perpetuo: & id sane propterea, quod (sic uideo ab aliquibus exponi) unxit illum Deus oleo laetitiae prae consortibus suis. Oleum exultationis, legit Graecus, sed idem est. Nam oleum laetitiae seu exultationis non raro poni pro spiritu sancto, siue eius gratia, in prophetis maxime clarum est. Spiritus, inquit Christus in Esaia, domini super me, eo quod unxerit me. Cui subinde sententiae scriba ille diuinus in Apostolorum actis Deum alloquens, occinuit dicens: Conuenerunt autem uere in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti, hoc est, quem lenissimo gratiarum tuarum oleo abunde perfudisti. O uere copiosam, passimque exuberantem perfusionem, de cuius exundantia ac plenitudine nos omnes, qui sponsae nomine diuinis in obsequiis suauiter libenterque exanimamur, accipimus. Istud igitur olei genus internum in corde est, ubi sedem sancti spiritus esse persentiunt hi, qui nullis mundi cupiditatibus inquinati, totum, quantum est, cor coelesti consecrarunt sponso. Illic enim gaudium, laetitiaeque animi, atque in spiritu exultatio, non in rebus exteris, in quibus continuus inest motus, idcirco & corruptio, tripudium agunt. Illic, inquam, inungitur anima, fitque regina, fit sponsa, fit sacerdos altissimi. nam utrunque hominum genus, regale scilicet & sacerdotale, oleo perungi corporeo solenne erat: sed absque illo spiritus, nec corporeum id quidem ueros reges, uerosque altissimi sacerdotes, sua quamlibet ampla perfusione afficere posse, audeo dicere. Sunt porro qui censent in hoc uersu dictionem, Deus, repeti minime debere, sed

simpliciter legi, propterea unxit te Deus. Sunt & qui repetunt: unde priorem ad sponsum referunt, posteriorem uero ad patrem. Quare sic reddit Paraphrastes: Amantissimus es iustitiae, & odio persequens quicquid est ab aequitate diuersum, ideo unxit te, o Christe Deus, Deus tuus oleo fragrantiore, quam ullum unquam sociorum tuorum, Prophetae quidem anti qui, socii nimirum sponsi, istiusmodi olei perfusione deliniti fuere: Apostoli postea, sed copiosius: ut uerissimum illud appareret, unguentum scilicet a capite in barbam, barbam inquam Aaron placidissimo lapsu descendisse. Etenim cui compertum non est, in capite abundantius huiusce generis oleum extitisse, quam in ipsa Aaron barba, quae ab ipsa capiuis exuberantia perfusa dicitur? Caput porro Christus est,

{pdf 387, p. 185v}

barba uero omnes Christi amici: sed illi praecipue, qui propius felicissimo sponsi ori adhaeserunt, ab ipsoque uerba uitae audire, ut olim prophetis contigi, qui sua plerunque uaticinia huiusmodi confirmabant testimonio: Os domini loquutum est. Quare sponsa illa, quae & nunc hic loquitur, morae quodammodo diuinae impatiens clamabat: Osculetur me osculo oris sui. Ab eodem postea capite, ueluti a torrente, apostolorum hausere riuuli, sed feliciori cursu, quam prophetarum. Hauriunt & in praesentia sanctissimi quique uiri. Quid sanctissimos tantummodo dico uiros, simulac lego fragrantissimum illud unguentum ad oram usque ac fimbriam uestimenti summi huius sacerdotis iuxta & regis, id est, usque ad infima quoque Christi membra defluxisse? Verum omnibus quantumuis sponso propinquis & familiaribus, impartit Deus spiritum ex dimenso: haud sic uero Christo, cui non datur spiritus, ut inquit Ioannes, ad mensuram. Caeterum nos qui in Ecclesiae gremio per Christum uiuimus, ideo sancti uocamur, quia a sancto peruncti sumus Christus autem sanctus sanctorum, ut eum uocat Daniel, a patre, cui potentia aequalis est, atque idem Deus. Merito igitur a sponsa laudatur, quod ipse Deus a Deo prae consortibus suis atque amicis, spiritus sancti oleo perfusus sit: ut ex hac sane perfusione id factum uideatur, quod iustitiam dilexerit, iniquitatemque odio habuerit. Verum quia id aures simplicium maxime audire renuunt, illud addendum uidetur, idcirco Christum exultationis oleo a patre unctum fuisse, quod iustitiam prius dilexerit, & iniquitatem odio habuerit. Atqui non contenta tam sublimi titulo sponsa laudasse sponsum, ad aliud laudum genus, ne quid suo dilecto, quod ad perfectum regis ornatum faciat, deesse arbitraremur, descendit.

{45.9} Myrrha, inquit, et gutta et casia a uestimentis tuis a domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiae regum in honore tuo.

Laus est a uestium aediumque ornatu ac splendore. Et id quidem haud minimam regi conciliat gratiam, hinc atque hinc passim cum graditur, honesta spirare suaueolentiam, quanquam nostra hac aetate, in qua quiduis audemus, non solum reges, urbiumque primarii istiusmodi delectantur odoramentis, uerumetiam lanii, lanariiue & qui abdomen publice uendunt, principes ipsos aequare in hoc ornatus genere enituntur. Caeterum dictionem quam noster uertit interpres, myrrha, ex Hebraeis quidam asserunt esse, quem uulgo muscum dicunt: alioqui quid grati odoris e myrrha spirare queat non uideo, nisi quatenus diuinum aliquod praetendat mysterium. Idem de gutta dicendum, quam stacten Graeci uocant, quamque scribit Hieronimus, ut ab his qui aromatum nouere uirtutes, audierat, florem esse myrrhae, quem stilla aloenque nonnulli appellant.

Verum aliquibus dictionem hanc Hebraeis id genus odoramenti misturaeque significare uisum est, quam nos populariter ambram appellamus: non succinum illud quidem, quae gutta est ab arboribus desudans, electrum Graeci uocant, sed potius pigmentum est odoriferum. Quodcunque tamen illud sit, id certe non ignoramus, uatem altius spectasse, quam sint illa quibus etiam lanistae pariter regibus uti possunt. Idem quoque de sumptuosioribus aedificiis quae hic a spiritu domos eburneas appellare uideo, dici posset. Quid non tentat interdum uulgi temeritas? eo enim nostra iam processit audacia, ut si quid exquisitius insigniusue a principe, uel in erigendis aedificiis, uel in commutando uestium usu inuentum fuerit, id statim a uulgo, & excellentius nonnunquam usurpetur. Casiam porro, quam fistulam uocant, herbam esse, quae & interdum in fruticem coalescens, suauissimi emittit odor, ab antiquis autoribus accepimus. Sensus itaque totius uersus, qui Hebraeis post Delectauerunt, seu laetificauerunt te, actutum finitur, is erit, ut candide a Paraphraste redditur: a quo illud etiam obiter perdisci poterit, non domibus eburneis, sed repositoriis uestium eburneis, legi debere. Nihil quam myrrham, inquit, aloen & casiam spirant omnia uestimenta tua, ex repositoriis uestium eburneis deprompta in hoc, ut te exhilarent. Vides quam musice eleganterque regis forma, facundia, aspectus, roburque, ac uestimentorum fragrantia, simul & aedium magnificentia hucusque descripta sint. Sed iam ad obstrusiora sponsae sensa utcumque delinianda uertatur stylus, licet incultus, & quod mihi natura insitum est, pavidus, in his praesertim enucleandis quae ardentiorum

{pdf 388, p. 186}

in Deum, quam mea sit, requirunt mentem atque ingenium, quod nunquam in me extitisse fateor, sed tardum potius ac rude: uerum ille cui me a puero, & sciens & prudens uoto indissolubili addixi, addicoque recentiori denuo affectu & uoluntate, scit omnino quid meus expetat spiritus, nouit cor, nouit mentem, nouit quo meus aspiret animus. Scit tandem quorsum id mihi scribendi negotium & laborem asciuerim: scit quidem, quia ipse, ipse Deus, non alia prorsus res, me ad istos utcumque concinnandos commentarios suis sanctissimis excitauit monitis. Nulla enim (fateor) mihi unquam oblata fuit occasio, quae me adeo a sensibus, atque a mundi amore ac metu abalienaret, quam haec modo quae mihi a coelesti patre ostensa est. Et ut quidem nihil unquam mundo uel oblectamenti uel utilitatis allaturus sit is tantulus meus labor, illud tamen nunquam in me uituperabitur, meo me ocio abuti noluisse, maluisseque huiusmodi cruciatus genere, effraenes meo in animo infringere motus, & eos qualitercumque in bonis, quae uera bona sunt, firmare, & docere quam periculosum id prorsus sit, animatum natura coelestem in rebus nihili occupare, ut olim meo maximo incommodo ac iactura occupauit, peneque obrui. Modo uero liber ea qua me libertate liberauit Christus, illi rursus me, meosque cogitatus, actiones insuper, lucubrationes, si non aureas, aut argenteas, aereas saltem deuoueo, illiusque nomini dedico, offero, consecro. Nam tenuem scio homunculi oblationem non auersabitur altissimus, modo a candido proficiscatur animo, quem in me esse, per sponsi illius misericordiam, cuius in hoc psalmo describitur gloria, non diffiteor. Myrrha, inquit sponsa, & gutta, & casia a uestimentis tuis, a domibus seu repositoriis eburneis, ex quibus delectauerunt te. ultra, ut dixi, non procedit Hebraeis uersus: sequentem uero ita ordiuntur: Filiae regum in magnificentis. Verum his parumper omissis, ad alia quae polliciti sumus transeamus. Sub odoramentorum nomine, sanctorum hic mores, uitaeque exempla, qui in Christi

corpore, quod est Ecclesia, insita, ab ipsa, quae domus eburnea, ob fidei candorem & castitatem a spiritu cum hic, tum alias in scripturis nuncupatur, mirabili suaueolentiae suffitu egrediuntur, mystice enarrantur. Illita enim semel anima spiritus sancti unguento, quod a Christi uita spirare sentit, ab illiusque experrecta fumo atque odore, se totam illo (ut uerbo utar comico) fumificat, quem postea e candido cordis repositoio, aedeque eburnea, in qua duae illae sorores commorantur, fides & uirginitas, ad eos qui foris sunt, effundit. Istiusmodi enim fumigatione sane quam delibutus olim Apostolus, illamque in Corinthios deriuans clamabat: Christi bonus odor sumus Deo, qui odorem suae notitiae manifestat per nos in omni loco. Verum ne hic tardus somniet lector, huius generis pigmenta suauius esse ac deliciosa, ut sunt illa quae a Felicis Arabiae plaga transportantur: myrrham dixit, genus profecto aromatum amarissimum, & qua uolunt carnis afflictionem, seu amaritudinem, ut inquit Augustinus, significari: quam qui in Ecclesia syncere admittit, exercetque, mirabilem spargit boni odoris fragrantiam, inuentam nimirum in splendidissimis sponsi uestibus: quas diffiniunt illius esse corpus atque animam: quibus sane uti pallio cooperta diuinitas hominem illum, quem sine specie & decore in terris, ob tormentorum saeuitiam apparuisse testatur Esaias, non uni tantummodo carnis amaritudini, sed sexcentis, & eo amplius exposuit: unde fragrantissimus quidam uel usque ad inferorum umbras delapsus est odor. Christus, inquit Paulus, tradidit seipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Ecce odor a cruce Christi, ecce oleum, ecce, in quibus oblectari se debent Christiani, suffitus atque perfusiones. O felicem odorem, o admirandam a laniato Christi corpore perstillantem suauitatem. Video amorem, uideo pacem, uideo iustitiam, qua ego gratis iustificor per fidem, in Christi uulneribus, tanquam in repositoriis eburneis, requiescere, publicamque ab illis tabulam cruentis inscriptam literis ad hunc modum pendere: FRUCTUS DIGNOS AGITE POENITENTIAE. [Cf. Luke 3.8] En myrrhae effectus. En quomodo Christo cruci affixo uinum dabant ad bibendum myrrhatum. En quomodo ipsius corpus ui euulsum est cruce, atque ab anima destitutum, myrrha & aloe per-
[perungere]

{pdf 389, p. 186v}

-ungere cupiunt sanctissimae mulieres. En quomodo antea munus illud funebre exoluit Nicodemus, ut fere inde quidem coniecturam fieri oporteat, nihil non in terris amarum esse oportere illis, quibus Christi uestigiis adhaerescere animus est. Proinde D. Hieronymus eboris nomen interpretans sic ait: In ebore castitas, quod prius obscurum, serris ac limis lucidum fit: ita sancti per sectiones & attritiones diuersorum suppliciorum elimati, uirtutum uarietate fiunt lucidi. Eburnea profecto sententia, & diuo illo digna, utpote assueto inter sponsae ubera una cum sponso deliciari. Caeterum idem de aloe ferme dicendum, cui cum ea insita sic uis, ut e stomacho noxios extirpet humores, aut saltem sedet, humilitatis typum secum habet: quae quidem a sui notione resipiscentiaque, quam facile uir uere poenitens assequitur, originem habet. Quis, oro, tam stupidus est, qui se cognoscens peccatorem, proptereaue dignum cui aeterna debeat mors, non pertimescat, subindeque sese omnium uilissimum, ingratisimumque arbitretur, qui ausus fuerit tam benignum dominum, ut Deus est, iniuriis lacessere? hanc qui obtinet, miram si se aliis anteponat. Siquidem inuenta tam praeclara margarita, subitum quoddam illius qui inuenit cordi effulget lumen, cuius

radiis perlustratus in alium mutatur hominem, innouatur, ex aegroque fit sanus, sedatis iam per gratiam inordinatorum affectuum humoribus, bilique tetra concupiscentiarum ac libidinum procul eiecta & eliminata a corde. Nulla enim Deo uictima salubriori litari potest, quam cum nos peccatores agnoscentes, fateamur quoque omnium miserrimos nos esse, indignosque quibus Deus unquam ueniam praestare debeat. Forsan, mi lector, hic myrrhae opinabaris nomen aut stactis, obiter absque ratione interiectum. Altiora quidem rursus, quam ea quae a me patrum autoritate fulto sunt dicta, id continere certo scio: sed haec cursim tantummodo attingi potius, quam, ut tantae rei dignitas postulat, plene descripsi: & id sane, quantum ad commentariorum legem rationemque pertinet. Casia porro, siue fistula, quam in aquosis udisque locis nasci affirmant rerum indagatores, quamque aiunt in immensum ferme crescere, suauiusque passim spirare odorem, fides est: quae cum baptismi proxime aquas oriatur, in sublime sese erigens altitudinem, mirabiles per orbem uniuersum odoramentorum effundit suauitates. Et ut quidem caeteri uirtutum chori, qui hic sub odoramentorum uelo adumbrantur, necessarii omnino sint in decorandis sponsi uestimentis, quae sunt uarii in Ecclesia status & sacramenta, fides tamen primam sibi uendicat sedem, utpote qua caeterae connitantur tanquam capite uirtutes, illa uero Deo, per Christum. Verum omnes simul iucundissimo sponsum afficiunt oblectamento, e domibus nimirum exeuntes eburneis, quae quidem, ut diximus, eburneae appellantur, ob fidei candorem & puritatem.

{45.9-10} Ex quibus, inquit, laetificauerunt te. Proinde, Filiae regum in honore tuo.

In magnificentiis tuis, uel palatiis, uertit Fel. seu, ut alius, preciositatibus. Filiae, inquit, regum, nempe illorum animae qui ab Apostolis, uerioribus sane regibus, quam illi sint quorum libidini nec tota quidem satis iam facit Europa, a caeterisque Christi discipulis geniti per Dei uerbum altique, in uirum adolescunt perfectum, in mensuramque plenitudinis corporis Christi, in magnificentiis splendoribusque sanctorum, in amplis, dico, preciosisque uirtutum tectis ac domiciliis commorabuntur. Quod piorum animae ab Apostolis, aliisque Christi nunciis ac discipulis, fidei partu in Christo edantur, sanctissimae illorum testatae sunt olim conciones, signa, uirtutesque uariae, ac iugis in edendo Christi foetu & labor & sudor: modo uero illorum scripta, quibus quotidie proborum enutriuntur animae. Ab illo enim qui se mundi lucem esse asseuerabat, ea hauserunt quae postea in nos, tanquam sedulae nutrices cibum apprime mansum & comminutum in pueros, transfunderent [sic, transfunderent, 1585]. Quare non superuacaneae, ad Galatas scribens Apostolus, illud addidit inter caetera: Per Euangelium ego genui uos. Rursus: Filioli mei, quos iterum parturio. Hunc quoque morem seruamus & nos in Dei Ecclesia, ut illos ipsos qui nos tum corporis, tum animae potissimum enutrient pabulo, patres appellemus atque episcopos. Verum illud uerendum, ne aliqui qui sibi hoc nomine ambitiosius quam

{pdf 390, p. 187}

par est applaudunt, eoque nimium oblectantur, se prorsus ac suos tantummodo de Ecclesiae bonis ac gradibus infarciant, Christi autem pauperes ab utroque abigantur edulio: ab illo quidem, quia in priuatos duntaxat seruatur usus, ab hoc uero, quia nullum. sed haec de malis bonorum Ecclesiae ministris sint dicta, qui si pastores aut

patres uulgo nuncupantur, adulatorii illi sunt tituli, ab auraque populari praecario mutuati. Boni uero qui sunt, quique optima erogant fide domini sui talenta ac pecunias, non tantum, quantum sat est, laudari, in altumque euehi & extolli queunt: hi enim iam dii effecti humanum omne superant meritum ac praemii. Caeterum cum mihi in mentem uenit illius uaticinii Apostolorum dignitatem praedicentis: Constitues eos principes super omnem terram, non possum non illos tanquam reges patronosque uniuersales, & colere, & uenerari, ut ipsissimos quoque regionum immensarum reges facere uideo (ingens id est Apostolici principatus argumentum) qui non solum Apostolos in coelis iam beatos colunt, uerumetiam in terris eorum cineres & ossa humi proni exosculantur. Ad haec, cum ipsi sint haeredes Dei, & cohaeredes Christi, quem pater constituit haeredem uniuersorum, qui fit quo minus reges & ipsi sint, & nos quoque cum ipsis, simulac nostrorum cuilibet data est coelitus potestas filios Dei fieri? Filii igitur sumus altissimi in primis, Apostolorum postea, qui & ipsi reges sunt, & ueri pastores, nos oues & alumni. Proinde danda nobis est opera, ne a tam nobili degenerantes stipite, haud filiae quidem regis, quae ad sponsi honorem, in amplis hisce sacrarum aedium bonis, suo fruuntur ocio, appellari mereamur, sed stolidae uirgines ac excordes, quae cum olim extulissent lampades, non sumpserunt oleum secum. Abundantius, clamat Paulus, oportet nos obseruare ea quae audiuius, ne forte perfluamus. Solae itaque, o domine, proborum animae regum filiae merito dici queunt: attamen

{45.10} Astitit regina a dexteris tuis in vestitu deaurato, circumdata uarietate.

Multa, inquit, per orbem uniuersum delubra, uarioque rituum genere distincta, tuo erigentur nomini atque honori: uerum una est columba, una formosa, una ex millibus electa, quamque regio ab aeternis seculis dignatus es nomine. Ea est Ecclesia, nempe sanctorum communitio, ad quam sane reliquae aliae Ecclesiae uti membra referri debent, ut una sit fides, unum baptisma, una religio, unus pastor, unum ouile, ne sint sectae & haereses. Porro illiusmodi potentiae, Ecclesiae est unitas, ut neque inferorum portas reformidet, nedum minaces mundi iras, prauorumque hominum persecutiones atque iniurias. Quid tam solidam concutere domum est ualidum, quae suum super petram stabiliiuit fundamentum, quae est Dei confessio in conscientia pura, & fide non ficta? quod autem dicit illam a sponsi dexteris sedere, immensum quidem ostendit amorem, quo Deus sponsus, sponsam Ecclesiam, id est, sanctarum animarum pulchritudinem deperit, quamque aureo uarietateque uirtutum ornatu uestitam asserit. Hebraei tamen non legunt, Circundata uarietate: sed tantummodo, Astitit, seu, praesto est regina a dextera tua in ornamento auri Ophir (ex Ophir Indiae loco optimum asportari aurum dicunt.) Hoc itaque nomine perfectissimum aurum illud esse, quo ornari filii Dei sponsam conveniat, intelligi uult spiritus. is amor est quem aureum, pureque ab omni alio amore defaecatum esse oportet, & quem uarium, hoc est, uariarum uirtutum ornatu insignem in suo cultu requirit Deus. haec rursus ea est uestis nuptialis, qua homo ille non indutus, ausus tamen una cum aliis ad coenam illam magnam sedere, maxima cum exprobratione ac ignominia foras eiectus est. Atqui (ut breuiter quae iandiu parturio tandem pariam) ubi amor non est, mutuaque dilectio & charitas, quam sponsae uestem appellamus, ibi Deus esse non potest: idcirco neque eius Ecclesia, neque religio, neque conuentus ille, qui ad reginae contubernium, quod unum atque idem cum rege habet, pertineat. Pura omnia, atque amoris plena uult Deus esse in sua sponsa, qui sumus nos:

modo id simus quod uocamur, Christiani scilicet: hoc est, adeo amore & fide Christo uniti, ut prorsus cum eo unum efficiamur. nam maledictus is est numerus, qui primus ab unitate discedit. Propterea enim Deus homo factus est in terris, ut nos inuicem disiunctos discordesque, atque a coelesti pa-
[patre]

{pdf 391, p. 187v}

-tre penitus euulsos, una reponeret, conciliaretque denuo inuicem, sed in primis Deo ut uno tandem cum capite corpore effecto reformatoque, illo tota integra ascenderet Ecclesia, ubi sponsum nacta sedentem ad patris dexteram, simul cum ipso in uestitu deaurato, circumdataque uarietate, per gratiam resideret. Verum interim dum coena paratur, altiliaque occiduntur, & iam mensa posita est,

{45.11} Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, e domum patris tui.

{45.12} Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

Adorabis eum, uertit Fel. & melius meo iudicio. Audi filia, inquit aeternus pater ad humanum genus, sed speciali praerogatiua ad paucos illos quos inter multos ab aeterno suos fore praeuidit, idcirco uocauit, arctaque attraxit. Quid ab excelso igitur intonuit coelo? Aure, inquit, fidei quae dicturus sum percipe: nam fides ex auditu. Sponsam hic pater sui dilectissimi filii appellat filiam: siquidem praeter illam uniuersalem genituram, qua mortales omnes sui creatoris filii nuncupari possunt: est & alia excellentior, qua electorum animae, hoc est, Ecclesia in fidei utero concepta, felicissimo paternae dilectionis partu in lucem editur: & id quidem sancto operante spiritu, alimentaue subministrante Dei uerbo, quo continuo ueluti incremento, sub magisterio spiritus ac doctrina grandescunt animae, aeternaeque aluntur beatitudini. Et uide quae hactenus caeca fuisti, quo tui dirigendi sint gressus: res quippe tua agitur. Vide ne bonum malum, aut malum bonum dicas: nam in spiritus doctrina maximo opus est delectu. Vide igitur, atque, quod uides, prudenter intellige, tandemque aurem illam tuam a salubribus olim abhorrentem monitis, tumidam, reluctantemque spiritui, inclina, & assentire. Hic quidem coeleste transigitur connubium, o pulcherrima mulierum: nam formae tuae amore captus est Deus, teque afflictim deperit. Est autem, ne ignores, hic rex, dominus Deus tuus: tu ancilla, & ea quidem prae illo nihili. Quod si tamen aliquid effecta es, nempe digna quae ad castos tam sancti regis admittaris amplexus, id totum illius gratiae acceptum referas, qui te suam in sponsam uoluntario suae aeternae mentis consilio, e stercore, pauperem, humilem, despectam, omnibusque prostitutam delegit. Tuas ille maculas, qui omnium purissimus est, abstersit, non tu, quae iam luto faecis assueta, penitus in sordibus emarcueras. Verum illud abs te in primis exigit sponsus, ut tui prorsus obliuiscaris populi, illius nimirum qui te antea seducere consueuerat. Huius sane omnis deuitandus est conuictus. Neque porro id satis quidem: nam omnem paternarum aedium memoriam longe abiicere tua admodum interest. Abiice igitur mundum, quem loco patris habuisti, atque eius uoluptatibus ac lenociniis finem statue. siquidem sponsum, qui te, ut sancta esses & immaculata, e millibus tanquam lilium e spinis decerpsit, uulnerasti in uno oculorum tuorum, in unoque crine colli tui. Quare

munda & tu plane sis oportet, interim non ignorans, quis, qualis, quantusque sit ille, cui te desponsatam uides. Talis quippe est quem non solum amore prosequi debeas, sed etiam dignus cui tu in genua prouoluta supplex fias, eumque colas & adores. Alludit hic uates, ni fallor, ad illud Gen. Propter quod, inquit, relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suae. Magnum id quidem sacramentum, clamabat Paulus, quod est inter Christum & Ecclesiam: cuius hic pulchritudo atque ornatus, miro spiritus artificio, typisque pleno adumbratur: quocirca minime obtuso ad tam alta perscrutanda mysteria opus est ingenio. Mentem hic requirimus sublimem, nitidam, purgatam, impendioque in his quae diuinitatem oleant, eruditam. Mens enim uel tantillum a terrenarum rerum amore & ambitione remorata, in istiusmodi rimandis misteriis hebes prorsus reddit & obscura. Quod si num nullos uideas rebus hisce mundi exteris toto animo affixos, & nihilominus elegantissime de Dei secretis disserere, non amant tamen, nec minimum quidem eorum, quae ui interdum prophanae doctrinae, aut peritia linguarum diserte proferunt, gustum habent. His igitur suo in coeno derelictis, ad munera quae sponsae parantur, describenda uertamus calamum. Et ut illorum dignitas maior sit, quam ut ab homine in carne posito disqui-
[disquiri]

{pdf 392, p. 188}

-ri queat (quis enim unquam mortalium immortalia Dei dona plene peruestigare poterit?) illud tamen proxime lambendum, quatenus ex munerum magnificentia, quanti aestimanda sit Christi sponsa, coniecturam facere possimus. O fortunatam sponsam, o felices animas, modo suam non dissimulent uocationem.

{45.13} Et filiae Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes diuites plebis.

Filia Tyri, codices fere omnes tum Hebraei tum Graeci habent, & ponitur pro Tyro. Quemadmodum enim in scripturis Hebraei pro hominibus filios hominum ponere consuescunt, ita filias Sion pro ipsa Sion, & filiam Tyri pro Tyro. Vere siue filiae, siue filia legas, non multum adeo refert, modo gentium multitudinem hic ad Ecclesiam Christi sponsam cum muneribus accessuram intelligas. Tyri porro meminit Matthaeus in Euangelio, ubi enarrat mulierem (typus haec erat Ecclesiae) egressam a finibus Tyri Sidonis, ad Dominum, pro asserenda filia a daemone obsessa, confugisse. E gentibus ea quidem erat progenita, in gentiumque alita ciuitate luxu perditam. Unde uates ille eximius Esaias Tyri uolens euersionem ob ciuium impietatem praedicere, sic orsus est: Onus Tyri. Et post pauca: Vlulate, inquit, naues maris, quia deuastata est fortitudo uestra: & erit in die illa, in obliuione eris, o Tyre, septuaginta annis. Nomine itaque Tyri, urbis sane omnis generis facinorum altricis, uult spiritus Ecclesiam ex peccatoribus, & his quidem profligatissimis, sed per gratiam ad resipiscentiam accitis, conflata a nobis intelligi, quo maior gratiarum actionum cumulus diuinae accrescat bonitati: quae adeo in donis, ut sic dicam, profusa est, ut illa etiam quae non sunt, tanquam ea quae sunt, ad se trahat, sibi que per fidem uniat. quod sane gentibus olim reiecto Iudaeorum supercilio contigisse, & credimus, & nobis quoque ipsis ex gentibus oriundis, ob tam mirificam diuini amoris significationem gratulamur. Quid tam mirandum in terris unquam uisum est, quam ex peccatoribus, ex meretricibus, ex lenonibus, idolothesiaeque deditis

hominibus, unum in Christo, & id quidem uirgineum, concretum esse corpus? Quis crederet ex turpissimis sordibus exuscitatam esse Ecclesiae puritatem ac sanctimoniam? Currit iam Tyrus, currit Sidon, currit Babylon, currunt diuites plebis, hoc est, multa egregii tum sapientia, tum diuitiarum copia aequae insignes, & se & sua ad pedes Ecclesiae proicientes, fatentur nullam usquam sapientiam, nullasque ueras, neque in coelis, neque in terris inueniri posse diuitias, praeterquam in Christo Ecclesiae sponso, cuius faciem, praesentiamque uenerabundi & contemplantur, & tanquam diuini numinis domicilium adorant. Clamat alio in psalmo spiritus: Ecce alienigenae, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic. Vides hic quoque ex alienigenis & peccatoribus & diuitibus, ut sunt de more Aethiopes, Aegyptii, Syri, Sabaeique: erectam esse, pulcherrimeque honestata Christi sponsam. Verum ne rudes etiamnum in spiritus doctrina, corporea aliqua hoc in decore atque ornatu sponsae commiscerent, uide quid doceat.

{45.14} Omnis gloria eius filiae regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta uarietatibus.

Laudat sponsam a forma & pulchritudine quam in interioribus animae bonis omnino esse definit. Nam cum deus spiritus sit, in spiritu potissimum coli debet. Quod uero exteri additi sint ritus & caeremoniae, prudentissimum id fuit inuentum a patribus, corruptum tamen a posteris, qui facile ad superstitionem sua dentur. Multas, inquam, ob rationes id fuit a maioribus excogitatum, sed propter illud praecipue, quod uulgi, illorumque multitudo, quae aut in colendis agris, aut distrahendis mercibus, concinnandisque emporiis occupata, ad erigendam raro mentem res ad illas, quae purgato solummodo percipiuntur animo, nisi externis huiusmodi admotis adminiculis excitatur. Quae sane res ut ab ingeniis atque animis probe institutis, assuetisque in spiritu cum Deo colloqui & laudatur, & contra obtrectatores defenditur, ita ea ipsa quae suae interdum officiant tranquillitati, ad imbecillium aedificationem (sic olim Christus soluit didrachma) tum seruant, tum ab aliis seruari efflagitant. quanquam illos non latet, quod tota gloriosa (sic uertit Fel.) filia regis interior, & quod intersertionibus deauratis indumentum [sic, indumentum] eius. Caeterum dictio ab interprete nostro reddita in principio ferme

{pdf 393, p. 188v}

uersus, eius, & Graecis & Hebraeis uacat: sed simpliciter legunt, Omnis gloria filiae regis interior. Et apte hic quidem fides, animae gloria nuncupatur: nam per fidem cum se saluam fore anima praesentiat, fidesque ipsa sit donum Dei, ut inquit Paulus, cur non intra sese, ubi suum possidet amatum, illiusque fruitur contubernio & amore, de donis diuinitus acceptis gloriari debet? ingratae id nimium esset mentis indicium. Gloriatur igitur probi uiri anima, & crebro quidem, sed in domino, sed in sponso, sed in suo duntaxat amato: qui cum natura spiritus sit, in medullis animae, quae & ipsa spiritus est, libenter commoratur, ubi connubium illud ineffabile inter Deum & humanam mentem transigitur. Nulla ibi discordia, nullus rumor, nullus strepitus auditur: sed pax summa animae, tranquillitasque in media quoque ipsa flagranti diuini amoris fornace ac flamma, placidissimo spiritus leniter flantis susurrio inuenitur. Quae gloria in terris, o tardae mentes, cum hac comparanda? Omnis, inquit, animae gloria, quae est filia & sponsa summi regis, interne cernitur. Interne item fimbriae illae sunt aureae, quibus ea

circumamicta uarietatibus, hoc est, ornatu uariis coloribus, quibusdamque preciosarum rerum, et inquit Fel. ligamentis ac nodis elaborato, quae sunt a fide dilectioneque, uariis in locis ac temporibus profectae operationes, quarum omnium uncini sunt ac nodi, sapientia, ac quibus maxime delectatur Ecclesia, humilitas & castimonia, sublimis graditur. Dictionem, fimbriis, Hebraei non habent, ne superflue in exponenda fimbriarum uoce, ut nonnullos facere uideo, philosophemur, qui dictionem illam aut zonae, per quam lumborum profluuium coercetur, adscribunt, aut temporis fini & termino. quae quidem si cui placent, habet unde haec abunde hauriat: nos solum dicimus fimbriis non esse in Hebraeis codicibus, sed tantummodo, Et textura auri uestimentum eius, uel huic simile. Quod si tamen quis saliuae an quae assuetus, fimbriis aureis legi debere contendat, id in illius gratiam dicam, fimbrias extremas esse oras uestium, quae debiliores in Ecclesiae uestitu significem commissuras, quae & ignobiliora a Paulo nuncupari membra uideo: nam qui tam ardenti in Ecclesia, ut perfectissimi agunt uiri non incenduntur fide, & tamen suo uruntur modulo, hi tanquam debiliores in extremo circi consessu collocantur. Et cum ad sponsae ornatum ipsi quoque pertineant, ipsaque sponsa nihil quod perfecta non sit, ad sublimiora secum euehat, hi etiam nihilominus aurei ad eius pedes tu quam in infima stolae candidae ora conquiescunt, Dei gratia contenti, qui se quamuis frigidus, suae tamen sponsae pallio assuere dignatus est. Vnde

{45.15} Adducentur regi uirgines post eam, proxima eius afferentur tibi.

{45.16} Afferentur in laetitia & exaltatione, adducentur in templum regis.

A frequenti puellarum choro hic laudatur sponsa. Iucundissima cogitat plane res est, reginam istam, nuper quidem e medio Tyri laceram tetramque egressam, ad tam sublimem dignitatis gradum ascendisse, ut preciosissimis induta uestibus chorisque uirginum diuinum paeon, castumque hymenaeum concinentium comitata, uniuersorum regi Deo opt. max. coniugio copuletur. Dementor prorsus, mi lector, cum in nemoroso hoc meo deambulans interdum secessu, aut cellula sedens feriat, rem tantam uerso animo, contemplorque infinitam, imperuestigabilemque omnino diuinam esse bonitatem, quae tam ineffabilia tamque nostum excedentia intellectum, spontaneo sui altissimi, aeternique consilii motu ac proposito, iam olim operatus est, operaturque in dies in eorum gratiam, quos sibi, ut sui essent, anteaquam quicquam faceret a principio, aut formaretur terra & orbis, e mundo secreuit, atque aeterna sua illos prouidentia ad sempiterna capessenda bona destinauit, utque essent uasa misericordiae aptauit. Sed o, dignus ego aliquando inueniar, o Christe, ut caeteris abiectis curis in te totus, quantus sum, transeam, transmigremque, ac penitus, ut cupio, absorbear, quo in te uideam, cognoscamque me ex illis unam esse uirginibus, quae tuam comitaturae sint sponsam, eamque uariis a pictam coloribus, ingenti cum tripudio & exultatione, usque ad templum sanctum tuum, ubi ad dexteram Dei patris, tu Deus sedens, aequissimo cuncta expendis

{pdf 394, p. 189}

iudicio, deducturae. Id sane mihi interim compertissimum est, eaque uiuo fide, quod non carnis turpitudine inquinati, non mundo, mundanarumque rerum illecebris irretiti, adducentur regi: sed adducentur uirgines, puraeque animae post eam, sponsam

nimirum tuam. Verum non omnibus id continget uirginibus, sed his tantummodo quae uitae puritate, fideique candore proximae illi sunt: eae, dico, simul cum sponsa, resonantibus utrinque choris, festumque diem celebrantibus, cum gaudio & exultatione adducentur in templum regis. Iam illud non mittendum, uersum hunc Hebraeis copiosiore esse, quam nostra habet editio. Unde Fel. Vestibus phrygiatis, seu, acupictis, ut alius: seu etiam ut Chaldaeus, diuersarum figurarum deducuntur ad regem uirgines. Parum uero aliter Paraphrastes: Vestibus, inquit, elegantissime uarietatis perducentur ad regem illum, uirgines comitabuntur illam, adducitur iam nunc cum suis uirginibus regina tibi, o rex. Nonnihil, ut uides, ab Hebraeis dissentit Paraphrastes, ueruntamen ut illorum uera sit litera, ita huius sensus uerissimus atque, prout se res habet, elegantissime expressus. At tandem

{45.17} Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.

Ecce iam demum qualis e coelesti inter Christum & Ecclesiam connubio prodit partus. Vates enim nuptiali enarrata pompa, sese ad sponsum conuertens illum alloquitur, Pro patribus, inquit, olim tuis, e quorum posteritate tu tuam assumpturus es carnem, nati sunt tibi filii, Apostoli nimirum, qui in uerbi tui negocio & satione, in prophetarum caeterorumque patrum locum succedent: sed in primis patriarcharum, quo utrorumque numerus concinne admodum aequari posset. hi quidem duodecim extitere, illi tantundem. Atqui hi omnes una sunt, quos Ioannes, assumpto utriusque partis numero, uigintiquatuor seniores appellauit. Vice igitur patrum omnium antiquorum, diuinus ille emersit Apostolorum chorus: quem sane orbi rex ipse Christus Deus & homo, etiam in terris familiarem cum illis degens uitam, praefecit uniuerso: Ite, inquit, in mundum uniuersum, & praedicate Euangelium omni creaturae. Verum quid istud est? nihil aliud certe, quam mortalium omnium generi annunciare, pacem reconciliationemque cum Deo factam esse, peccata diluta, ac salutem omnibus allatam. Ite, inquit, ipsum arguite mundum de peccato, de iudicio, de iustitia: reges insuper ac tyrannos imperterritite reprehendite, illisque leges ad bene beateque uiuendum praescribite. Quid rogo, mi lector, aliud a principe exigendum censes? principes hi ergo nostri sunt Apostoli & patres, quorum uerbo, utpote a Christi ore demanante, nos qui fidei alimento nutrimur, geniti sumus, e quorumque academia postea caeteri qui Ecclesiae praesunt, exiere patres, uel cum primis summus Pont. qui si Eodem ipso quo illi accensus est spiritu, informatusque doctrina, eadem quoque ipsa gubernandi ratione ac modo uti solet: utuntur & eius collegae Episcopi, & reliqui Ecclesiae proceres, quibus ni mirum omnibus Apostolorum munus onusque tum uita, tum uerbo alios erudiendi impositum est. Vtraque igitur uitae qualitate, hi qui caeteris praeponuntur, praestare debent, sanctimonia scilicet & doctrina: caeteroquin Apostolorum sedes non honorant quidem, sed derident potius, & quantum in se est, demoliuntur. At ego, inquit sponsa,

{45.8} Memor ero nominis tui Domine, in omni generatione & generatione.

Est uox sponsae, quae ut gratum erga Deum ob innumera in se collata beneficia prae se ferret animum, ad ipsum conuersa ait: Simulatque me tantis, tamque immensis adornasti muneribus, tui semper nominis, tuae beneficentiae, tuae largitatis, tuaeque

erga me dilectionis & memor ero, & te posteris omnibus memorabilem reddam. Id nempe significat, in omni generatione & generatione.

{45.18} Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum, & in seculum seculi.

Vides iam demum cuius sint qualitatis sponsae uestimenta? populi scilicet confitentium Deo, ut haec tota sit Ecclesiae diffinitio ac summa. Quod uero uoces illas tam accurate inculcat, in generatione & generatione, in aeternum, in seculum seculi, uult sponsa innuere suam nunquam defuturam sobolem, quae aeternis uel-
[ueluti]

{pdf 395, p. 189v}

-ti excubiis a posteris in posteros, quoad perstiterit mundus, diuinum laudibus extollat nomen, atque eius cultum per cunctas orbis regiones late disseminet. Hac sane fide ac spe munita uiuit, quod deformata quoque mundi huius forma & imagine, transactaque corruptibili annorum serie, ac temporum uicissitudine, non deerunt qui eundem ipsum patrem, coaeternumque eius filium, ac utriusque spiritum laudabunt, concelebrabuntque in aeternum, & in seculum seculi. Amen.

PSAL. XLVI. In finem, filiis Chorae pro occultis, canticum.

{46.2} Deus noster refugium & uirtus, adiutor in tribulationibus quae inuenerunt nos nimis.

Solent plerique mortalium illud quammaxime admirari iuxta & quaerere: qui fit quod cum Deus aequissimus rerum omnium ponderator sit, atque idem omnipotentissimus & rex & dominus, suos tamen sinat amicos & familiares adeo acerbè diuque ab improbis uexari, ut pene illorum curam uideatur habere nullam: contra uero perditissimis quibusque suis omnibus in negociis, imo etiam sceleribus ita cuncta succedere, ut ob id solummodo nati esse uideantur, ut perpetuo beati sint. quomodo, inquit, tolerat haec Deus? num aequam illud est, ut boni malis, mali uero bonis afficiantur? Haec ferme tardis ingeniis atque animis, in contemplandis rebus diuinis parum exercitatis, a proprio sensu, nempe carnali & crasso, solent obiici, sed frustra. Siquidem istiusmodi secretorum Dei iudicia, altissima obuoluta sunt caligine, nec nisi a spiritualibus, prorsusque a carnis contagione remotis intelligi possunt. Carnalis enim sensus ut inquit Paulus non percipit quae Dei sunt. Ea propter superuacanea minime illa est dictio in titulo, pro occultis. Hoc igitur in psalmo iucundissimum id erit spectaculum, uirum probum intueri cum mundo colluctantem, subque persecutionum mole desudantem, sed spem omne subsidii in Deo, quem refugium, quem uirtutem, quem adiutorem appellat, collocantem. Ait itaque, Deus noster refugium & uirtus, adiutor in tribulationibus quae inuenerunt nos nimis. Virtus hic robur est seu fortitudo. Dictionem uero, nimis, tum Hebraei, tum Graeci, inter quos diuus est Chrysostomus, qui illam ad dictionem, adiutor, referenda esse existimat, transtulerunt, ualde. Idem quoque utile cum Chrysostomo Hebraeos uideo. Unde sic Felix: Deus nobis refugi & fortitudo, auxilium in tribulationibus inuentus est ualde: hoc est, non debile aut meticulosum illius est

auxilium, sed ualidum ac praesens. Paraphrastes autem interpretatur, manifestissime. Utcunque accipias, id non te clam sit, Deum non semper suos prorsus a malis eximere, illis tamen semper opitulari, comitemque sese, quae est eius benignissima natura, in afflictionibus addere, uiresque suppeditare. Haud facile quidem patitur diuina maiestas suos diutius in terris uiuere absque cruce: sic placitum excelso illius est consilio. Proinde illud nobis, qui persecutionum tentationumque crucem non eo quo par est animo toleramus, satis esse debet, quod Deus nunquam suos sub angustiarum onere ingemiscentes omnino deserit, sed illis patrocinator, illorumque perfectionem tunc maxime cum non sentitur [sic, sentitur], aerumnarum lima ac scalpo fabrefacit

{46.3} Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.

Cor maris, more Hebraico, pro in medium maris posuit. Unde etiam Ionas e uentre ceti clamans aiebat: De uentre inferi clamaui, & proiecisti me in profundum, in cor maris. Quare sic reddit Paraphrastes: Non timebimus etiamsi subuertatur terra, & praecipitentur montes in medium mare. Caeterum propria scripturarum phrasis est, ut uim furoremque & impetum improborum hominum, aestuantipopulastuo, uastaeque aquarum inundationi aequiparent. Proinde illa est in Esaia de impiis analogia: Impii quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum (cuius undae, uertunt ex Hebraeo spumam eiiciunt, & lutum) NON EST PAX IMPIIS dicit dominus. Non mirum igitur esse debet, si tam graphice & uere a sacro uate improborum mos & natura depingitur: a Dei quippe spiritu haec eadem hauserat. Atqui non fuit

{pdf 396, p. 190}

unquam, neque esse potest siue in regnis, siue in urbibus [sic, urbibus], siue in priuatis quoque aedibus ac larariis tam alta pax & concordia, quam uel unus tantummodo irrequieti animi homo & ambitiosus, quod quotidie ingratis experimur, non perturbet, & emoliat: & id quidem breui, si ambitioni cor additur falsum, & simulatio. Sensus igitur huius uersus is erit, quod in uirum optime institutum, subque Dei alis quiescentem, nullus cadere potest ab impiis metus, etiamsi sint illi magis terrifici atque horrendi, quam sit terraemotus, aut mare furens spumansque: cuius horrisono appulsu littus quodammodo in lutum liquefieri uidetur, non liquefit tamen, sed durius plane e saeuis illis undarum ictibus redditur. Ita sane stabiles in fide animae, Deoque nixae, in calamitatibus fortius indurescunt, fiuntque in dies magis lucidae, atque in supernarum rerum amore feruidae.

{46.4} Sonuerunt & turbatae sunt aquae eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius.

Perstat uates in iam coepta metaphora. uerum illud notandum, aquae eorum, melius secundum Hebraeos posse legi, aquae eius, ut ad mare referatur: uel si aquae eorum, magis placet lectio, uertendum superius erat secundum Graecos, in corda marium. Illud rursus non omittendum, in fortitudine eius ambiguum admodum esse etiam inter Hebraeos. Fel. uertit, in superbia eius, quod sine dubio ad mare refertur Paraphrastes

uero: Contremiscant, inquit, montes metu maiestatis illius, Dei scilicet. Verum litera Fel. uidetur uatis metaphora aptius inseruire, ut sit sensus, Tumultuentur licet, pulsuque immani ac terrifico perstreperet maris aquae, hoc est, irae illae minaces improborum ut uis ferueant, incrudescantue, montes item, tumida scilicet eorum corda, atque arrogancia ui mala animi exagitata, ex uno in aliud mutantur scelus, frendant, irrumpant, tranquillasque piorum hominum ripas, sedatosque recessus inundare, prorsusue colluie illa sua perfidiae diruere adnitantantur [sic, adnitantur], nihil omnino obtinebunt. Nam

{46.5} Fluminis impetus laetificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum altissimus.

Inter hunc uersum & superiorem Selha dictio interponitur, de qua nonnulla in superioribus diximus, ut de re ambigua dici potuit. Illud tamen pro minus dubio tenendum, Selha indicium alicuius insignis affectus esse, quo qui psallit pro mouentis spiritus sancti libito atque impetu afficitur: qui quoniam in nostra non est facultate, sed spiritus illum cientis, propterea nec in omni psalmo, nec in omni uersu haberi potest. unde illud fit, quod ipsa dictio quadam, ut sic dicam, confusione, citraque rationem per psalmos interspersa uideatur, ut hoc ipso plane indicetur secretam, omninoque incognitam illi inesse uim, ac subitum secundum spiritus uoluntatem motum. Kimhi uero Hebraeus simpliciter interpretatur notam fuisse exaltandae uel commutandae uocis cum psallerent, ut in registris (quod aiunt) organorum uidere licet, atque propterea cogitationes animi uehementius intendendae: sed, ut dixi, res admodum ambigua est. Hic tamen, illam, quo dixi modo, insertam esse arbitror: nam cum fragorem illum immensum tum montium, tum littorum, tum procellosi maris, impetum nimirum ac rabiem implacabilium Dei hostium prae se ferentem descripsisset uates, uolensque e regione solidam animae oppressae fiduciam in Deum, ipsiusque Dei certissimum erga suos auxilium laudare, atque interim scribere, utpote rem captum omnem humanum excedentem admiratus, Selha intermiscuit, atque ita exorsus est: Fluminis impetus laetificat ciuitatem Dei. Fluminis riuuli eius laetificabunt ciuitatem Dei, uertunt Hebraei: quae sane litera suauiore reddidit uersum, quam ea quam nos legimus. In diuinis enim exprimendis sensis, illis praesertim quae Dei misericordiam ac bonitatem ostendunt, uerbis utendum est mitioribus, quam cum tractantur prophana. Posteaquam fractos illos impiorum strepitus ac tumultus, qui e perditorum hominum corde, tanquam ruptis amnes aggeribus limoso ex alueo, erumpere soliti sunt, horrendis quibusdam descripsit uerbis, uolensque contra Dei opponere tranquillitatem, tranquillioribus usus est uocibus: & est idem, ac si dicat: Interim enim dum salum undequaque spumosum, ita scilicet improborum exaestuat, pulsatque proxime

{pdf 397, p. 190v}

positos scopulos ac montes, necnon littora uelle obruere uidetur, fluminis riuuli placidis praeterlabentes meatibus, id est, pax, silentium, securitas, gaudiumque in spiritu sancto, quae omnia ab aeterni patris amore, tanquam suauiter currentes fontium aquae, in nos deriuantur, altissimi ciuitatem, quae est Ecclesia sanctorum, in qua diuina maiestas suum posuit tabernaculum, non manufactum, neque creationis huius mundi, aut corruptibile, sed sanctum & perenniter beatum, laetificant, inebriantque, ac laeta

felicique irrigant scaturigine. Ecclesia igitur, cor item purum ac sanctum, tabernaculum dicitur esse altissimi, quod quidem ab aeternis seculis suum esse uoluit: ideo illud, ut est natura sanctissimus, sanctum esse iussit. Felix profecto Ecclesia, felix anima, felix mortalium conditio & status, si bonum id suum pernosceret. Vnicuique enim illud insitum debet esse fidei robur, ut se unum ex illis esse credat, cuius cor Deus per gratiam inhabitet: alioqui in dubiis perplexisque mentibus, diuinum non libenter commoratur numen. Caeterum integrum huius uersus sensum sic reddit Paraphrastes, quem sane frequenter citare soleo, quo rudioribus ingeniis, cudisque stomachis uario ciborum genere consulam, simulque hi norint, quantum nostrae huic aetati debeamus, quae tales nobis produxerit uiros, doctos sane, & in his quae ad Christianae religionis synceritatem attinent, impendio eruditos. Sic igitur ille: Exterritis aliis, fluuius amoenissimus in uarios diductus riuulos exhilarabit ciuitatem nostram, quam Deus inhabitat protector noster, & gratissime humectabit loca sancta, quae incolit sanctissimus ipse. Heu, mi lector, quam pavidus sum, cum me recolo uocatum non in immunditiam, ut inquit Paulus, sed in sanctificationem in Christo Iesu, hoc est, ut sanctus sim, sanctumque seruem illius in me domicilium, quemadmodum me uocauit, elegitque (spero) in sortem filiorum Dei, ut sim sanctus & immaculatus per ipsum in Christo. Illud tamen summopere me subleuat, meumque sedat timorem & anxietatem, quod quae ego ex me mea in causa facere nequeo, ipse pro me faciet: id est, arbitrii uoluntatisque meae, ac uirium imbecillitati uim addet, manumque illa suam salutarem, quae mortuis dat uitam, ne prorsus collidar, gratuito suppose hac itaque munitus persuasione, quid daemonum iras expauesco? quid terrae hiatus? quid procellosas maris undas? quid nutantes natantesque in freti corde, at montes aut insulas pavidus perhorresco? De impiis enim impiorumque iniuriis atque insidiis hic loquitur spiritus, a quibus quidem me fore tutum arbitror quoad in Ecclesiae gremio tranquille iaceo, nec id sane frustra. Nam

{46.6} Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam Deus mane diluculo.

In medio, inquit, tabernaculi sui, quod sibi sanctificauit altissimus: hoc est in mediis ipsis Ecclesiae penetralibus, tanquam propugnator, perstat intrepidus uexillumque sub timidis hac nota insigne, aureisque inscriptum literis, illorum ignauiam obiurgans ostendit, Ego sum, nolite timere. Haec probe nouimus (heu nostram in rebus fidei inconstantiam) & tamen ad tantillum iniuriarum exterrefacti, diuinum nobis auxilium deesse & clamamus, & nostram detestantes sortem, muliebriter ingemiscimus, nostrisque ipsis persecutoribus uel usque ad ravam obtrectamus, quos nihilominus a nobis diligi oportuit tum ex Dei praecepto, tum quod maior ex illorum iniuriis atque odio nobis exoritur utilitas, quam plerunque ex amicorum beneuolentia & obsequio. Causam porro aliam addit uates quamobrem Dei domus, qui sumus nos, non etiam in feruidissimo maris aestu trepidabit, eo quod adiuuabit eam Deus mane diluculo: hoc est, summo mane, statim, mature, &, ut reddit Paraphrastes, ante ipsam auroram. Solent enim hi qui nostro alicui negotio interdiu adesse polliciti sunt, si ex animo ad agere instituunt, ne lucem quidem ipsam diei primam operiri, sed ante auroram, quo sua nobis magis probetur opera, rem aggredi. Eo, imo longe diligentior, se habet modo nostris in periculis Deus. Unde non raro in antiquis uatibus, se celerem pro suis fore propugnatorem testatus est, sed in Esaia potissimum, ubi suam sic pollicetur operam:

Antequam inuocauerint, ego annuam: & adhuc ipsis loquentibus, ecce ego adsum.
Nonne & id fere obsequium ipsis quoque suis hosti-
[hostibus]

{pdf 398, p. 191}

-bus olim praestitisse fassus est? Expandi, inquit, manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in uia non bona. Putamus ne igitur illum, qui nec ipsis suis profligatissimis hostibus, qui eum spernunt, dicuntque, recede a nobis, non appropinques nobis, quia immundus es, suam non subtrahit misericordiam, nobis qui eum colimus, quibusque uel horulam ab ipso seiungi, morte ipsa omnino acerbius uidetur, suam beneuolentiam inuocatum negaturum? hac certe fide tam debili in Dei Ecclesia non uiuitur. Trepident qui uolunt, nutentque, ac diuinas in dubium uertant promissiones, nos hunc morem non approbamus: neque id Ecclesia imperfectionis, cui a benignissimo domino dictum est, Fides tua non deficiet in aeternum, admittit. Quocirca

{46.7} Conturbatae sunt gentes, & inclinata sunt regna, dedit uocem suam, & mota est terra.

Certe si non alias, hoc saltem amabili cantico, quanta fuit semper, estque in praesentia, atque erit in futurum uis uerbi Dei, comprehendi potest. Et ut praeterita omittamus, quanta scilicet solo uerbo ac uoce operatus sit Deus in Aegypto, in terra Amorraeorum & Canaan, quanta in solitudine, quanta ad Iordanis ripas, aut ad Iericontina moenia, quanta demum in aspera illa eremo, in qua sui uerbi notionem ac uirtutem tum mundo aperte ostendere uoluit, cum non tantum calumniatori illi immundo, quantum futurae suae posteritati respondit, Non in solo pane, inquit, uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Ut illa, inquam, uetusta, unde tamen nostra omnis orta est fides, praetereamus, futuraque uatibus inquirenda relinquamus, nostra consideremus: hoc est, illa quae quotidie in Ecclesia Dei fieri cernimus. Diuersis igitur animorum permotionibus diuino audito uerbo afficiuntur plerique homines, & eo quidem modo nonnulli ac trepidatione, qua olim Amorraeorum, Cananaeorumque reges audito nuncio apparatus bellici filiorum Israel, affecti sunt. Dissolutum est cor eorum, inquit, & non remansit in eis spiritus. Unde hic uates cupiens quam sit efficax diuini uerbi uirtus ac potentia demonstrare, ait e Dei uoce edita terram omnem contremuisse, gentesque passim per orbem uniuersum interspersas infremuisse, ac regna ipsa tandem alioquin uicinis formidata regionibus, nutasse, altumque arrogantiae supercilium demisisse: uerum non uno quidem modo omnes, aut ratione, quod sane lucidius nostro a seruatore Christo disseritur, quam ut a me aliquid addi possit. Iacto, inquit, semine, aliud cecidit secus uiam, aliud supra petram, aliud inter spinas, aliud in terram bonam. Vide, mi lector, quam multifariam distrahuntur mortalium animi in suscipienda Dei uerbi satione. Horum omnium quidem aures illa Christi admonitione uellendae sunt: Qui habet, inquit, aures audiendi, audiat. Omnes igitur quotquot in terris ratione utuntur, a summis regibus usque ad nouissimum plebis hominem, inanima quoque quinetiam beati in coelis spiritus, & quicquid spirat in aere, aut undas nando sulcat maritimas, inflexis genibus sacro assurgunt Euangelio, utpote rerum omnium bonarum fini & termino. In hoc enim omnium salus, laborumque & aerumnarum quies, qui Christus est, non iam delitescit, ut olim in uatum libris, sed propalam omnibus exponitur, ab

omnibus uidetur, inter omnes uersatur, cum omnibus colloquium habet, atque omnibus tandem nobis, ni prorsus oblatam auersemur gratiam, salutem, pacem, uitamque aeternam apportat. Haec omnia in Dei uerbo, in Euangelio, in Christo insunt bona. Sed illud maximopere aduertendum, cuius habitus tunc nostra reperiantur corda, cum ab ignitis diuini uerbi petuntur telis & iaculis, ne dum uulnus animae salutare infigi credimus, letale hauriamus. Conturbari quidem omnes necesse est, ut inquit uates, inclinari regna, commouerique terram, hoc est, terrae huius incolas, audito regis uniuersorum uerbo: uerum quemadmodum reprehensibiles sunt in homine conturbationes atque aegritudines illae, quae nisi fide in Christo temperentur, mortem inferunt: ita sanctissimae quoque insunt, quae uitam, his praesertim qui, ut ait Christus, audientes uerbum retinent, & fructum afferunt in patientia quam quidem nobis in hac uita leuissimam factam esse experimur, postquam

{pdf 399, p. 191v}

{46.8} Dominus uirtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.

Hic Dauid aperte ad illud, quod futurum erat, alludens uaticinium, quo Christus appellatur Emanuel, quid sit Dei filius, diffinit. Emanuel enim interpretatur, nobiscum Deus: quod idem omnino est, quod Dominus uirtutum nobiscum, Per carnis enim unionem cum diuinitate, totus factus est noster Christus, adeoque nobis tum carne, tum animae affectibus, exceptis noxiis illis qui sunt peccator origines, unitus, ut is sit caput, nos membra. O immensum & incomprehensibile donum. quare non absque ingenti animi stupore, hic iterum a uate Selha interponitur. Quod uero uirtutum, seu Zebaoth, id est, exercituum dominus sit Christus, id idem ipse cum patre Deo, Deus homo a patre accepit. Data est mihi, inquit, omnis potestas in coelo & in terra. Ille igitur qui omnibus, & quae in coelis sunt, & quae in terris imperat agminibus, omniaque disponit iura Regnorum, calcataque colla regum: hoc est ille qui omnipotentissimus omnium est, nobiscum est, intra nos est, atque propterea, continuis tanquam excubiis, nos in periculis protegit, tutatur (quemadmodum olim multis a periculis tutatus est Iacob) ac in sese per fidem atque amorem traicit. Quid ergo tam meticolose nostris in rebus, quas ipse suas uoluit esse, pericula, aerumnas, hominum iras, iniurias, exilia detrectamus? Dominus enim ille, ille inquam Dominus uirtutum cum nobiscum sit, quis contra nos? O interminabile diuinae bonitatis pelagus. Agitedum

{46.9-10} Venite et uidete opera Domini, quae posuit prodigia super terra, auferens bella usque ad fines terra.

Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igne.

Prodigia, mirabilia uertit Fel. seu desolationes, seu etiam uastitates & solitudines, ut alii. Campensis uero, admiratione digna, transtulit: quae tamen omni in eundem recidunt sensum, qui is erit, quod diuina edita uoce, de qua supra, dedit uocem suam, & mota est terra, promulgatoque Dei uerbo, ac iacto per universas mundi plagas Euangelii fideique fundamento & semine, mirificae illae quidem fuere operationes, suntque modo, quae uirtute fidei a sanctissimis peraguntur uiris, & quas qui serio contemplari uoluerit, non illas quidem humanas, solitasque fieri in terris iudicabit, sed plane stupendas, insolitas, nouasque, & quae prodigiorum imaginem habeant. Et ut sane caetera admiratione digna

censeantur, illud omne prorsus superat miraculorum genus, quod mundo aliter infinitis bellorum motibus agitato, pax summa, ueniente Christo, dictum factum reddita sit. Atqui praedictiones non rarae auream Christi aetatem, in qua nos quoque auream, atque adeo tutissimam sub tanto duce agimus uitam, promittentes, ab antiquis per Ecclesiam ostensae fuere uatibus: sed illud in primis a Michaea, qui Esaiam imitatus, imo e quo Esaias spiritu accensus, ita inter caetera de futura pace praelocutus est: Et concident gladios suos in uomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent ultra belligerare. Et post pauca uates eximius concludit, reddittque rationem unde tam subita prodierit pax: Quia os Domini, inquit locutum est. Ab ore itaque domini, a Dei uerbo, a sacrosancto Euangelio, hoc est a Christo, pace terris reddita, reconciliatus est Deo mundus. Congregabo, inquit, claudicantem, & eam quam eieceram colligam, & quam afflixeram consolabor. Vide hic Ecclesiam olim reiectam, a Christo autem non modo reuocatam, uerumetiam in dilectissime sibi sponsam ascitam, atque ita coniunctam, ut una omnino facta sit caro, unumque corpus cum ipso. Est porro aliud pacis genus nobis, qui in fide Iesu Christi uiuimus, per sanctum Dei uerbum comparatum, quo quis adeo perfecte suos per Christum sedauit interioris hominis motus atque appetentias, in nihil fere in mundo accidere possit, quod eum ab adepta per Dei gratiam animi pace deturbare ualeat. Iustificati enim per fidem pacem habemus. Vide quam compendiose pacis summam descripsit Apostolus: uerum cui tam excelsum contigit donum, felix is prorsus est, planeque beatus, & cuius uita non iam, ut caeterorum e uulgo hominum est uita, aestimari debet, sed quoddam potius portentum, prodigiumque insolitum, ac lapsum e coelis miraculum: quod quidem mundus, mundanarumque rerum cupiditatibus remorati ignorant omnino. Certe non est pax im-
[impiis]

{pdf 400, p. 192}

-piis. Da mihi itaque coetum hominum, da populum, da ciuitatem, quae istiusmodi pacis, cuius uirtute turpes omnes sopiuntur concupiscentiae, uel in primis ambitio, atque amor sui, perfruatur bono: illinc subito colluuies illa execrabilis rixarum, dissidiorum, contentionum, litium, bellorum, mutuarumque persequutionum, ac quibus maxime diuina ad iram irritatur bonitas, superbarum mentium & arrogantium, tanquam meretrix ab honesto amphitheatro, ignominiosissime explodetur. Caeterum scuta, plaustra uertit Felix hoc est, currus, carrosue, quibus antiqui in praeliis utebantur, igni comburet. Vult uates istiusmodi militaribus uocibus cunctos bellorum apparatus ui uerbi Dei confractum iri significare. Unde sic Paraphrastes: Cessare fecit bella per totum orbem & omnes angulos illius, arcum confregit, sagittas & lanceas perdidit, currus bellicos igne exussit. Quare

{46.11} Vacate & uidete quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Felix supersedete & cognoscite. Alius ex Hebraeo, acquiescite & cognoscite. Alius rursus ex eodem fonte, Remittite & cognoscite. Verba sunt aeterni patris, fidei hostes, innocentiaeque oppressores alloquentis. Et est mutatio personae, ut crebro in prophetis quoque caeteris fieri cernimus. Exustis igitur armis bellicis, inquit pater, per me, paceque terris reddita, quid ultra confracti uermes cristas erigitis? remittite, cessate,

depositaque rixandi libidine, ac tumultus concienti in meae religionis homines, impugnare illos desistite, pro quibus ego uniuersorum Dominus propugno. Atqui eo optime a uobis animaduerso, facile cognoscere poteritis me illum esse Deum, qui potestatem habeam in gentes, & terram late uniuersam. Quid itaque conamini? quo uestra tendit temeritas? quo fastus? Quo amentiae ulciscendi uos protraxit rabies, ut illos, pro quorum salute ego deorum omnium potentissimus in acie sto certoque, extinguere omnino arbitremini? Acquiescite, ne mea a uobis saepe irritata bonitas, ac, quae uos ad animi resipiscentiam praestolatur, patientia in seueritatem exeat, sumatque de uobis poenas, quas lento ueluti gradu differo, quo uos saltem pudore confusos, meaque lenitate deuictos, in gratiam reuocem. Est ne homo in terris, mi lector, tam durus, qui Dei comminationibus huiusmodi ex animo pensitatis, uel mediocriter saltem non moueatur, cessetque ab amicorum Dei impugnatione? e qua quidem nulla illi contingere potest utilitas & gloria, sed turpitudine magis, dispendium, & duas ob res infamia: tum quia cum Deo, qui omnium fortissimus est, litigare quodam modo uelle uidetur: tum cum hominibus qui suapte sponte imbelles sunt, & qui nihil in terris tam auersantur, quam rixas, & ob Christi amorem dissidia? Diuina enim contenti protectione ac gratia, laetissimam etiam in exiliis & cruciatibus degunt uitam, illud quod a uate in calce psalmi replicatur, perpetuis concinentes horis:

{46.12} Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.

Cui laus sit, gratiarumque actio atque honos in secula seculorum. Amen.

PSAL. XLVII. Vincenti filiorum Chorae.

{47.2} Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in uoce exultationis.

Rumpentur ilia (credo) impiorum ob illa quae hoc in psalmo leguntur. Legunt sane cum caeteris, ueruntamen spiritualis gustum tripudii, quod hic ab animis in Christi amore, quaecumque occurrant aduersa, permanentibus tanto cordis gaudio celebratur, minime sentiunt. Audiunt enim uel inuiti, quam stabiles in fide Iesu Christi perseuerent hi, quos iandudum propter aduersitates extinctos plane esse opinabantur: quocirca nullum non mouent lapidem, quo etiam absentium pacem interturbent. Verum pii sub infortuniorum onere indurati, assuetique crucem cum Christo ferre, quae in eo maxime consistit ut odio nos insequentes diligamus, obsequiisque iuueamus, atque coelestem pro illis patrem aequae atque pro nobis necessitudine coniunctis oremus, non solum in Ecclesiae sinu agentes, uerumetiam extorres, prorsusque a fide & dilectione alienos, ad Deo gratias agendum, ipsumque mentis alacritate ac tripudio laudandum inuitant. Vide enim quam diligenter Ecclesiae filii matris consuetudinem ac fidem seruant. ea quippe, ut est charitatis

{pdf 401, p. 192v}

in omnes prope infinitae, amplas illas, quibus orientales occiduis connectit plagas, expandens manus, omnes quotquot ratione utuntur, diuinique capaces sunt numinis, hoc suauiter prouocat cantico ad plaudendum Deo manibus: quod sane mirae indicium est laetitiae, idcirco additur a spiritu, In uoce exultationis. Ecclesiae igitur uox est

exultantis, laetitiaque inenarrabili gestientis, inuitatisque gentes omnes ad cognoscenda, itidemque praedicanda beneficia Dei: sed illa in primis, qua propter Christi atque eius uerbi accessum ad nos, mortalibus aequae omnibus collata sunt. ientes omnes, populi omnes, diuus uertit Hieronymus, ut omnes regionum omnium in toto degentes orbe hic inuitari intelligas. Nam in scripturis fere pro particulari hominum genere, quos gentiles uulgo appellamus, gentes, quae ex Iudaeorum genere minime sunt, accipi solent. quanquam certe nescio quid hic mihi mysterii subolere uideatur. Quid si dicam, perspecta uatem in spiritu suae gentis reprobatione, futuram e diuersarum nationum multitudine praesensisse Ecclesiam? Reiectis enim Iudaeis, in eorum locum subrogatus est alienigena, pauper scilicet, scortum, peccator, ganeo, atque idolorum cultor, uos omnes una duntaxat appellatione gentes hic uocat spiritus, dicens: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in uoce exultationis. Plausus iste manuum simul cum caeteris laetitiae uocibus, quae hic a uate ponuntur, ad animum referendae sunt: nam quae a spiritu sub carnalium uerborum tropo ac uelo enarrantur, spiritualem requirunt intellectum: uerum cum illarum conceptus in animo formati sunt, adeo in immensum, quod gaudiorum coelestium proprium est, coalescere consuescunt, e uix ui in purissimis cordis penetralibus comprimi queant, quin foras interdum erumpant, more scilicet annis leui praeterfluentis cursu, qui impetu tamen imbrium e proximis aliquando montibus cadentium ita copiose impletur, ut ruptis aggeribus e ripis exeat, lateque campos circumquaque positos inundet. Hinc proinde e spiritualis scilicet copia laetitiae intus in corde ebullientis, exteri in Ecclesia demanarunt cantus, organa, ritusque caeteri solennes, atque templorum ornatus haec enim omnia internam spiritualium gaudiorum prae se ferunt abundantiam: imo uero etiam torpentem interdum animae calorem, ut aliquando nos puer experti sumus, mirum in modum exuscitare solita sunt. Quare decor iste totus sacrarum aedium, modo non nimius sit, ac nimium frequens, & sordidus, lucri scilicet causa ac pompae, ut fere fit (quoniam uanitatis iam nostra processit religio?) tolerandus utcunque est, atque ad spirituale omnino rerum illarum, quae in animo sunt pertrahendus augmentum. Gaudete igitur iusti, sed in Domino. Plaudite manibus, sed in Domino. Iubilate uoce exultationis, sed in Domino:

{47.3} Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram.

Excelsus, diuus interpretatur Hieron. potens quod uult. Terribilis, qui iudicaturus in potestate est. Rex magnus porro, quia non solum rex est Iudaeorum, sed & gentium, ut inquit Paulus: idcirco additum est, super omnem terram. Plumbei prorsus sumus, nisi quanta nobis hic laetandi in Domino suppeditetur occasu uel mediocriter saltem pernoscamus. Quis unquam in terris tam excelsus uisus est rex, qui quod uoluerit perfecit? Et ut caetera potuerit, quod minus tamen concedendum est, potuit ne non mori? potuit ne sexcentis infortuniorum, morborumue, atque animi aegritudinum necessitatibus non obnoxius esse? Ad haec, ille ne tam terribilis ac seuerus, ut suis in iudiciis legibusque sancientibus ac poenis, usus sit potestate ac terrore, ut neminem reluctantem inuenerit? Et ut quidem in suo regno neminem contradicentem nactus fuerit, num propterea rex magnus per omnem terram dicendus erit? Solus itaque Christus, cui a patre dictum est, Dabo tibi gentes haereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae, rex magnus est super omnem terram, ut in nomine Iesu omne

genu flectatur, non solum quidem eorum qui terras has imas incolunt, uerumetiam qui supernas, quique infernas habitant sedes. Data est, inquit, mihi omnis potestas in coelo & in terra. Quis igitur dominus Deus est, sicut Deus noster? Quocirca haud immerito quidem nos hortatur Ecclesia hoc fere modo: Gaudete o filii in Domino: iterum

{pdf 402, p. 193}

dico, gaudete, iubilate, psallite, perpetuumque mecum concelebrate sabbatum: quoniam Dominus ille noster qui excelsus est terribisque, ac magnus super omnem terram,

{47.4} Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.

O miram Ecclesiae potestatem, simulac suis sub pedibus prostratos nationum omnium populos intuetur. Comprimet populos sub nobis, uertit Fel. & regna sub pedibus nostris. Utcunque legas, immensam hic Ecclesiae dominationem, spiritualem nimirum, ne terrenarum illam rerum potissimum reginam debere esse opineris, tibi effingas uelim: nam suo a sponso olim audierat, Regnum meum non est hinc. Et licet Christus rerum omnium conditarum Dominus sit, atque idem quemadmodum effector, ita & conseruator ac rex, siue ille terrenae sint, siue coelestes, uult tamen suam sponsam totam coelestem esse, totamque in spiritu uersari, atque illo comburi igne, quo excitante secretissimum illud atque admirabile transigit connubium: e quo nos qui in utriusque fide, quae una est, solidi uiuimus, originem habemus, regenerati quidem e sacrarum undarum profluuio in spiritu & igne. Quare cuncta in Dei Ecclesia igne illo, qui spiritus est, quique in aquis illis salutaribus delitescit, uri debent: non eo qui e mundi huius amore ac desiderio, tanquam a duro saxo solet excuti Quod uero populi omniumque orbis regionum gentes ac regna, Dei Ecclesiae parere dicto debeant, submissequae illam uenerari, id ea fieri debet in primis religione ac cultu, qui in spiritu uersatur: nam Deus, qui spiritus est, sua in Ecclesia, qui spirituum humanorum unitate consistit & concordia, in spiritu praecipue coli uult & ueritate: siquidem diuina omnia uera sunt, terrena autem nutantia ac dubia. Volunt quidam etiam ex doctioribus, simul ut tota iam Asia atque Aphrica, magnamque partem Europa ab Ecclesiae institutis desciiuit, posse illam uti terrenarum rerum dominio atque ense, non ad tumorem quidem & fastum, aut ad usurpandas uicinarum regiones & arces, ut olim actum fuisse legimus, sed ad sui tutelam, contra illos qui nulla spiritualis sceptri comminatione deterriti, ab iniuriis sibi inferendis non desistunt. Audio. Verum si res syncerius tractanda foret, tutelam solummodo diuinam sufficere, quae fide asciscitur, dicendum esset: quam si quis haberet, quid insidiarum, quid machinationum non prudentissime declinaret? Verum hi non tantum quid priscae conueniat Ecclesiae contemplantur, quantum quid complurium mortalium arrogantia, duraque & insolentissima etiam in ipsum creatorem quorundam peruicacia, ne dicam uecordia, mereatur. Proculdubio nulla est tam indomita rerum natura, quin fide in Deum uera resideat, & commollescat. Itaque illorum numero qui in fide Iesu Christi perseuerant, uniuersus subiectus est orbis. Quidam enim ueneranda quadam religionis maiestate permoti, allectique suauitate uerbi Dei, ex hostibus amici, defensoresque fidei efficiuntur: & qui antea tumore elati Christi sponsae aduersabantur, modo uero fratres nostri facti sunt in Christo. Reliqui autem, hi scilicet qui a fide sua se sponte abdicarunt. aut qui nunquam illi adhaeserunt, aut qui etiam in Ecclesia diuersantes impie ambitioseque uitam uiuunt scelestam absque

foedere, ut inquit Paulus, & misericordia, quomodo nostro non erunt subiecti iudicio, cum ipse asserat nos quoque angelos, nedum mundum iudicatuos? Nescitis, inquit, quoniam angelos iudicabimus? Quid sane mirum?

{47.5} Elegit nobis haereditatem suam, speciem Iacob, quem dilexit.

Haereditatem nostram, uertunt ex Hebraeo: sed idem sensus. Si nostram legas, maiorem ostendit Dei clementiam, qui sua uult nostra esse. Causam reddit uates, quamobrem mundi regna ac nationes Ecclesiae Dei uiuentis, uelint nolint, dicto parere necesse sit, nempe ex diuina electione, ut electio, inquit, permaneat. Quod enim nobis aeternorum bonorum haereditatem, quam hic speciem Iacob noster appellat interpres, Hebraei uero splendorem seu magnificentiam, pollicitus sit Deus, ex electione id factum est & gratia, non nostris ex meritis, alioqui gratia non esset gratia, ut inquit Paulus. Ipse nimirum elegit, nos autem illud tantillum, quod in nobis est arbitrii, ultroneae Dei electioni seruire fecimus.

{pdf 403, p. 193v}

Nam, ut diuus inquit Bernardus, absque arbitrio humano non est, quod saluetur: absque gratia non est, unde. Iacob porro in hoc loco (ne illud modo citemus uaticinium, quo coelitus dictum fuit: Iacob dilexi, Esau autem odio habui) interiorem designat hominem iam uitii imponere consuetum: cuius splendor & magnificentia fides est, qua adeptus per Dei gratiam splendidus fit, ac similis Deo, cui insitus est per fidem, magnus & excelsus super omnes populos. Incomprehensibilis quippe est animae, Deo per fidem atque amorem copulatae unitaeque, & dignita & potentia. Unde non absque ratione a uate Selha hic interponitur, quo admonitos nos esse uoluit, purgatissimis hisce in rimandis rebus opus esse animis. Alioqui sordidis foedisque ingeniis nil nisi sordida foedaque & terrena occurrere possunt, cum contemplantur phantasmata. Non enim imis in rebus inuenitur altissimus: etenim

{47.6} Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in uoce tubae.

Nulli dubium de Christi ascensione ad patrem hic dici, post admirabilem illam, e qua nostra omnis orta est iustificatio, ut inquit Paulus, resurrectionem, Vnde occiso pariter cum morte peccato, ereptoque de manu hostili homine, ac patri per suum sanguinem, in quo mirabiliter iucundari solent piorum animae, reconciliato, ascendit in coelum, sedetque ad dexteram Dei patris. Verum tanta tum fuit in coelis laetitia, tantus harmoniae concentus ac sonus, ut uix ab accensis supernarum rerum amore animis sobrie comprehendi potuerit: quae tamen omnia Psaltes sub iubilationis uocumque tubarum appellatione adumbravit, ad illam, credo, alludens quam & in spiritu uidit pompam, qua, ut in secundo Paralipomenon libro legimus, Dei arca in templum fuit inuecta. Cunctis, inquit, pariter & tuba & uoce & cymbalis & organis, & diuersi generis musicorum concinentibus, uocemque in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur. Et uere quidem tripudii illius coelestis ad introitum tanti regis in aeternam patriam uox longe quoque audita fuit: nam qui ob uitae turpitudinem procul a coelestium rerum gustu aberant, agni mox sanguine conspersi prope adeo facti sunt, ut quicquid tum actum fuit in coelis, mirabili rerum commutatione plenissima exhausserunt saturitate,

hauriuntque impraesentiarum, si quae illius excellentiae in terris etiamnum reperiuntur animae, quae e longinqua ueluti regione reuersae, ad patris oscula atque amplexus admittuntur. Propior ne datur alicui ad aliquem accessus, quam is qui fit per osculum? O quanta tunc impletur cognitione anima, quanto perfunditur gaudio, quanto afficitur stupore atque ecstasi, si illi uel leue quidem aeterni patris contingat osculum. quid tunc uidet, mi lector? quid suaueolentis spiritus? Sed deficio, fateor, dum illa quae me prorsus fugiunt, mandare literis conor. Verum illud sane de meipso fateri liceat, quod cum me procul a diuinarum rerum gustu, ob meam ignauiam & torporem sentiam, nihil tamen tam ardentem cupio, quam iam tandem superuacaneis dissolui curis, & esse cum Christo. Non tam quidem hebeti uiuo sensu, quin quantum Christo debeam omnino nesciam. Quocirca in recessu hoc meo conditus, secretusque a turbis, inter quas non inueniri dominium iam toties expertus sum, quaero, clamo, nemorososque hos colles lachrymosis impleo questibus, nec desistam, donec inueniam quem diligit anima mea. Interim autem (non erro prudens) sub alis Ecclesiae requiescens, audio quid in me loquitur Dominus, & quae audio illius iussu scribo: quam uero feliciter, iudicent alii: satis enim mihi id uisum est, si diuinis obtemperans monitis, meo non abutor ocio, sed illud quantulumcumque est, coelestibus impendo obsequiis. Verum ad Ecclesiam redeo, quae ut laetanter, ita & robuste e sublimi contemplationum uertice, ubi uirtutum dominum maximo cum astantium gaudio & iubilatione coelos introeuntem conspicit, quasi aurora consurgens suos inuitat dicens:

{47.7} Psallite Deo uostro, psallite, psallite regi nostro, psallite.

{47.8} Quoniam rex omnis terrae Deus, psallite sapienter.

Frequens enim uerbi psallite repetitio, diligens laudandi Dei studium, quod in

{pdf 404, p. 194}

sanctorum cordibus inesse debet, commonstrat. Laudandus est igitur Deus non semel aut bis, sed iterum atque iterum, hoc est, dum cor in nobis palpitat ac uiuit: id enim indignum est, cuius domicilio delectetur Deus, nisi perpetuo supernarum rerum deflagret desiderio, atque propterea diuinum nomen celebrandi, extollendique inter illos qui adhuc extra uineam ociantur. Psallite, inquit, Deo nostro, psallite, illiusque nomen odis, hymnisque a spiritu formatis efferte. Si Deum quaeritis, ipse Deus est noster: si regem, rex ipse noster est. Huic igitur uestros dedicate cantus, non insulse tamen, aut cum cordis uanitate, sed sapienter, sed cum spiritu, sed cum intellectu. Quod enim noster uertit interpres, Psallite sapienter, Hebraeis est, canite prudenter: id est, unusquisque illorum quae canit, intelligens sit. Caeterum quis Deum laudibus rite efferre poterit, nisi is qui illius bonitatem ac sapientiam probe nouerit? Illo duntaxat hi munere coelitus ornantur, qui cum prudentia atque intellectu ab ignorantiae faece depurato, quae est in rebus agendis sapientia, res suas cum Deo communicant. Quid ni igitur toto cum uocis, tum cordis nixu Dei nostri nomen a nobis celebretur, cum rex omnis terrae Deus sit? Quare quotquot sapitis, psalmos in illius honorem succinite. Aliam rursus adducit causam, cur tam diligenter a nobis celebrandus sit Deus: quoniam, inquit,

{47.9} Regnabit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam./

Maximum hic tandem suae bonitatis Deus dedit specimen, cum se stabilem fore gentium regem pollicitus est: gentium dico, quae longioribus iam antea seculis, quam quae hominum memoria colligi queant, a Deo reiectae, contemptae, atque a uerae religionis cultura, tanquam suae immundae, sua ipsarum culpa explosae, uita uix hominum uiuere a Iudaeis cedebantur, adeo repente immutatae sunt per Christum, ut uersa rerum uicissitudine, populus ille dilectus & religiosus a coelesti pabulo, quam fidem appellamus, ultro semotus sit, gentes uero Deo infensae subintroierint, & sic nimirum effractis e fidei trunco oleae ramis insitus est oleaster, surculusque alienus illorum loco succreuit: hoc est, a Dei tutela ac religione, sua se sponte subtrahentibus Iudaeis, per gratiam gentes admissae sunt, atque adeo arcte sponsae uestibus assutae, ut aeterna illarum in Ecclesiae bonis facta sit habitatio quam quidem perpetuitatem expressit uates, cum dixit: Deus sedet super sedem sanctam suam. Sessio enim, stabilitatis indicium est. Unde Paulus firmam Christi cum patre uolens significare mansionem, Sedere, inquit, illum fecit Deus in dextera maiestatis suae in excelsis. Idcirco

{47.10} Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraam, quoniam dii fortes terrae uehementer eleuati sunt.

Varie enim cum legatur hic ultimus psalmi uersus, uarium reddit sensum. Felix sic: Principes populorum congregati sunt, populus Dei Abraam, quoniam Dei scuta terrae: nimis exaltatus es. Ubi illud in primis animaduertendum, dii uel dei, genituum esse tam Graecis, quam Hebraeis. quare sic Graeca lectio posset uerti, Quoniam fortes Dei a terra uehementer eleuati sunt. Chaldaeus quoque: Principes populorum congregati sunt, populorum qui credunt Deo Abraam: nanque coram Domino scuta terrae. Volunt praeterea interpretes, principes populorum pro Apostolis accipi debere, qui ob Dei uerbi ministerium, illud ab orbe uniuerso adepti sunt nomen. Alio quoque in psalmo Deum alloquens propheta sic ait: Constitues eos principes super omnem terram. Hi etiam fortes, seu propugnatores terrae dici possunt, unde scuta terrae a nonnullis appellantur. Quocirca non est nomen tam sublime, quod illi felicissimo Apostolorum collegio tribui posse haud aequum uideatur: ideo a spiritu principes populorum Dei Abraam, hoc est, uere credentium, ut fuit Abraam, atque ad Dei haereditatem pertinentium nuncupantur: quorum quidem patrocinio, literarumque monumentis, pars illa mundi quae in fide Iesu Christi perstat immobilis, tanquam scuto contra haereticorum insaniam utitur ac ense: coluntur a regibus, a populis celebrantur, amantur, inuocantur, ab omniumque passim Europae regionum hominibus ad illorum aedes, ad

{pdf 405, p. 194v}

delubra, ad aras, ad dies festos certatim concurritur. Cum itaque tales sint, num dubitas illos uehementer, ut canit uates, eleuatos esse a terra scilicet, terrenarumque rerum cupiditate & amore? Non desunt etiam qui illud, dii fortes terrae eleuati sunt, ad Iudaeos referunt, qui eo modo a spiritu dii terrae appellantur quo olim Adam, nempe per ironiam: nam miser postquam diuinam transgressus est iussionem, pellicea accepta

a Deo tunica, illud ironiae plenum audire meruit. En Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: ita hi ob lege, ritusque sacros, & ceremonias elati, cum in seipsos mutuis odiis, tum in Deum contaminata religione, impii extitere. Verum quia litera quae est Hebraeis, alium praeferre sensum uidetur, illud quasi pro epilogo totius psalmi breuibus dicendum erit, quod Ecclesia ea est, quae ob multa collata mortalibus beneficia Deo gratias agit, sed in primis de mirabili Christi in coelos ascensione. Vnde ait, Ascendit Deus in iubilatione, coelestium scilicet spirituum, qui e sublimi tu quam specula, accepta tuba, insonuere dicentes: Viri Galilaei quid statis aspicientes in coelum? Deinde de felici atque adeo perenni cum patre mansione: quocirca cecinit, Deus sedet super sedem sanctam suam. Deinceps de propagato illius regno, non amplius intra Iudaeae pomoeria concluso, sed super omnem terram protenso. Ideo dixit: Rex omnis terrae Deus. Illud quoque: Et regnabit Deus super omnes gentes. Postremo de electione, principatuque Apostolorum, quos in diuini uerbi ministerio ac labore, filio tanquam comites associavit. quare illud de sanctissimis illis uiris concinuit elogium: Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraam. Chaldaeus uero, quamobrem principes illi congregati sint cum Christo, qui Deus erat Abraam causam exprimit magis quam noster interpres. Nam cum uertisset, Principes populorum congregati sunt, populorum qui credunt Deo Abraam: causam statim addidit. nanque coram Domino scuta terrae: ualde exaltatus est. Et est uox Ecclesiae, seu sponsae circumiacentes adolescentulas alloquentis. Cum haec, inquit, de meo sponso tam sublimia dicantur, dicenturque in posterum, ualde exaltatus est. Idcirco uos omnes spectatores plaudite manibus, iubilate Deo in uoce exultationis, cui aeterna debetur laus in secula seculorum. Amen.

PSAL. XLVIII. Canticum psalmi filiorum Choraë.

{48.2} Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.

Vatis Esaiæ futuram felicitatem ob Christi praesentiam, atque ipsius uerbi suauitatem, in quo uita est animae, ciuitatis Hierusalem praesagentis, inter caetera illius uaticinia illud extat eximium: E Sion exhibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem. Quae quidem felicitas haud in se manens. utpote umbratilis illius praedictionis & finis & ueritas, alterius felicitatis umbra fuit, nostrae nimirum Ecclesiae, hoc est, gentium per gratiam ad fidei lauacrum ascitarum & id quidem aperte, absque umbra & uelo. Iam propalato Euangelio, in manibus Christum, nempe certissimam nostrae salutis expectationem habemus. Iam uates, inquam, omnes qui beatitudinem nostram in inuolucro & tecte praedixere, e mundo desierunt. Cessarunt aenigmata, quae in Christo Iesu rerum earum illiusmodi omnium termino conquieuerunt. Qui Christus innumeras ueluti refigens obligationum plantas, solum illud esse lignum uitae, quo afflictæ, fameque pereuntes animae recreari possent, aperte denunciatis clamat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Ad unum itaque nobis est confugiendum, in unoque aspiciendum, cui qui quid felicitatis, quae immensa est, purissimae suae contigit sponsae, gratissimo animarum obsequio acceptum referri par est. Aureus igitur per Christum Ecclesiae statu hoc in psalmo sub typo Hierusalem a uate, obscure tamen, praedicatur. ait itaque: Magnus Diis & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Magno hic in primis opus est intellectu, quo quam magnus is sit qui nos

adeo magno fecit, ut illa quae in mundo magna, etiam a magnis reputant, & irrideamus, & tanquam nostrae dignitati imparia auersemur, apte intelligat. Paruus quippe animus

{pdf 406, p. 195}

hoc est, in paruis, ut sunt plane omnia huius mundi, occupatus, tam altae magnitudinis minime capax est. Idcirco quae tum hic, tum alias a uate spiritus ardore concito scribuntur, tanquam, pusillo quae nequeant comprehendi intellectu, stulta & noua existimantur. Proinde in quibusuis aliis potius occupant rebus homines, quam ut, quid spiritus dicat Ecclesiae, intelligant: atque ita animus, diuina utique portio, humi pressus infelicissime a nonnullis etiam tenetur, qui cum maxima illis ocii, tum professionis rimandi coelestia occasio suppeditetur, ingratis tamen omnium sunt, qui contempto spiritus gustu, siliquarum porcorum more pastionibus delectantur. Hi igitur a spiritu admonentur, quod si illum qui magnus est, quaerere decreuerunt, in monte sancto eius, non in planitie, ubi Hierico ciuitas, quae Luna interpretatur, sita est, quaerant. In Ecclesia quidem, magna ac sublimia iam facta sunt omnia, simulac Christus eam sibi, in qua per credentium fidem habitaret, elegit. Quocirca mons Dei sanctus appellatur, e quo omnem ipse sanctitatem, tanquam ab exundanti fluuio riuos, in suos deriuat amicos: nam de plenitudine eius nos omnes accipimus. Cum itaque magnus sit ac sanctus, quin & lapis ille praecisus de monte, ut ait Daniel, sine manibus, qui creuit in montem magnum, & impleuit omnem terram, quid ni suos, quos sibi conformes fore pollicitus est, & magnos & sanctos non efficiet? Vide quomodo uates in enarranda Ecclesiae felicitate, a similitudine Hierusalem, quae in monte sita erat, non secedit: eo enim loci situ, Deique religione conspicua, reliquo ferme terrarum orbi nota erat: nostra uero in sublimi contemplationum altitudine fundata, in diuinisque per animarum excessum transfusa illuminationes, in coelis desiderio atque amore: in terris autem bonorum morum odore atque exemplo, syncerissime conuersatur. Sentis ne quomodo magna esse debeat Ecclesia, quae & terras simul & coelum uno amplectatur ambitu? Magnum igitur eum esse oportet, qui Ecclesiae magnitudinem non solum ut purificator inhabitet, uerumetiam permeet, ac admiranda, planeque imperuestigabili contineat ratione, atque propterea laude omni dignissimus ab omnibus censi debet, & praedicari Campensis hunc sic reddit uersum: Magnifit Dominus, & laudatur merito ab his, qui ciuitatem Dei nostri incolunt, quae sita est in monte, quem sanctitas illius inhabitat. Quid?

{48.3} Fundatur exultatione Universae terrae, mons Sion latera Aquilonis, ciuitas regis magni.

Laudat urbem a situ, dicitque illam optime fundatam gaudioque omnium uniuersali erectam, Sion montem, in quo diuinus erat cultus, parte ab aquilonari spectasse. Aiunt enim ea in regione urbis, quam ferit Aquilo, Sion montem positum esse: ad cuius radices, altiori tamen cliuo, structum erat templum, in quo Deus conpiosiori [sic, copiosiori] uerbo ac spiritu, quam in caeteris locis, suam ostendebat maiestatem: c ciuitas regis magni passim ab omnibus appellabatur. Hebraei tamen secus hunc uersum habent: quare sic Fel. Formosa nympha, laetitia totius terrae mons Sion. Alius uero: Pulchrum clima, siue pulchra regio, locusque elegans est mons Sion, exhilarans omnem terram, latus spectans Aquilonis, ciuitas regis eximii. Sancta igitur Ecclesia, ciuitas nimirum Dei excelsi, in qua electi non tanquam hospites & aduenae, sed tanquam ciues

ac domestici Dei quietissime diuersantur, pulchra est nympha seu sponsa, pulchra regio, pulchrum orbis clima, atque excellentior ager ob consitas undequaque gratiarum plantas, ac riuos suauiissimo spiritus susurro per sacramentorum ripas perstreptentes, quam ille unquam fuerit montis Sion, sub cuius typo Ecclesiae pulchritudo hic a uate figuratur. Verum quia nulla in terris perfecta inuenitur pulchritudo, tantus sponsae decor a noxio Aquilonis flatu, non e regione quidem, sed de transuerso percussus, nonnihil interdum decoloratur, licet non omnino obtenebretur. Quare in amatoriis Canticis, postquam audierat a sponso, Recti diligunt te, ad adolescentulas circumiacentes conuersa, illud tandem protulit: Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me Sol. In scripturis enim, & Solis ardorem, & frigidam aeris plagam, ut ferme illa est quae Boreae subiacet, pro aduersis nonnunquam accipi legimus. Proinde nescio qua id sorte accidat felicissima, quod in sponsae uultu, hoc est, in externa Ecclesiae conuersatione, naeuus etiam a pressuris contractus, mirum in modum

{pdf 407, p. 195v}

sponso Christo placeat. Est profecto Ecclesia affabre in monte excelso & amoenissimo, qui Christus est, exaedificata: est admodum elegans, est pulcherrima, ut a sponso laudatur, mulierum, estque ea quae de sponso illud praedicare audeat: Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius: ueruntamen suum & ipsa patitur algorem. Ab Aquilone, clamat Esaias, fumes ueniet, & non est qui effugiat agmen eius: sed Dominus fundauit Sion, & in ipso sperabunt pauperes populi eius. En hic habes, e frigidissimis Boreae faucibus fumum euomi, quo uel perfectissimi ite dum uiri non raro afflati, uelint nolint, subnigrescunt, sed non suffocantur. Atrocitas enim persecutionum, quas fumus secum affert Aquilonis, licet animarum pulchritudinem extinguere omnino nequeat, nam Dominus fundauit Sion, nigritiem tamen quandam subobscuram obducere solita est: qua tantum nihilominus abest ut decor ille a spiritus radiis animae conciliatus deperire possit, ut etiam sub persecutionum obscuritate, uti solent sub bruma ac gelu fruges, uiuacior in dies efficiatur & pulchrior. Quocirca in Canticis sic canit sponsa: Nigra sum, sed formosa. Caeterum tam procelloso uento ac noxio, ut est Aquilo, latus seu latera dictio optime quadrat, quippe qui nunquam, uti mos est dolosis hostibus ac sicariis, recto afflat spiritu, sed obliquo. Quare superbissimum illum principem legimus dixisse, Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Verum illud nobis, qui etiam inuito Borea, a matris tutela neutiquam discedimus, permaximam affert consolationem, quod in ea uiuimus sede, quae ciuitas regis magni a spiritu appellatur: scimus enim quod humiles spiritu seruabit Dominus. Multae sane, fateor, sunt tribulationes iustorum, quis negat? quis bonus aliud in terris expetit? uerum de omnibus his liberabit eos Dominus, quia Rex magnus est super omnes deos. Exultemus igitur in domino, cantumque laetitiae illius dedicemus nomini, postquam nostra fundata est Ecclesia cum exultatione uniuersae terrae, nempe omnium qui mundanarum rerum cupiditatibus immersi, in terrae pene naturam transierant. Quid mirum? fundauit eam altissimus, non haereticus, non mundanae gloriae cupidus, non avarus, quemadmodum Doeg ille fuit Idumaeus, qui potentissimus erat pastorum Saul. Quare

{48.4} Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.

Ergo in domo eius tantummodo, in Ecclesia, in ciuitate Regis magni, in monte Sion cognosci potest Deus, subindeque amari ac gustu percipi: extra uero neque cognoscitur, neque amatur: & id quidem magis, cum inuocatus suae praesto adest sponsae, illamque ob mundi iniurias exterrefactam non secus in suae diuinitatis ulnas, intra quas ipsi quoque uita defuncti reuiuiscunt, & suscipit, & fouet, ac sole mater tenellam natam spectri alicuius imagine pauefactam ex humo erigere & consolari. Caeterum in domibus plurali numero cognosci Deum asserit uates, cum tamen una sit Ecclesia, ob plura scilicet, quae ubique locorum constructa sunt delubra. Unde quemadmodum in nobilioribus orbis locis atque urbibus multae sunt aedes sacrae ac fana, quae uni tamen ex ipsis, quam matricem appellant, obtemperare par est (haec sedes est episcopi, ad quem suae omnes dioecesis controuersiae referri debent: qui quidem si ea, qua oportet, praeditus est uitae integritate, merito de abrogata suae iurisdictionis ac domini potestate a priuilegiatis queri potest, ad summumque referre pontificem) ita in orbe passim uniuerso innumerae pene erectae sunt, in quibus sacra peraguntur mysteria, sacrae aedes, una tamen est columba, una formosa, una digna, de qua illud cani debeat: Circundate Sion, & complectimini eam: hoc est, ad eam undique confluite omnes: siquidem illius sponsa est, de quo illud legitur Esaiae uaticinium: Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos uias suas. Ecce igitur quomodo mons Domini, domusque Iacob, in qua uera inuenitur spiritus doctrina, per quam cognosci potest Deus, a uate illo nuncupatur Ecclesia: ad quam sane cum ab omnibus concurritur, is in primis Christo debetur concursus. Ideo ab Esaia dictum fuit, Et fluent ad eum omnes gentes. Iam illud ex Hebraeorum litera notandum, dictionem illam quam

{pdf 408, p. 196}

noster interpres transtulit domibus, splendide & magnifice constructas domos significare. Unde Fel. uertit, palatiis. idem Campensis, idem quoque ex Graeco alii.

{48.5-7} Quoniam ecce reges terrae congregati sunt, conuenerunt in unum. Ipsi uidentes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos. Ibi dolores ut parturientis.

Si quidem Reges tanta afficiuntur admiratione ob dignitatem splendoremque Ecclesiae, ut animo conturbent, commoueanturque tremefacti, atque illis, quibus solent parturientes, teneant doloribus, quid putas a reliqua fieri multitudine? Nulli dubium huiusmodi animarum commotiones ab impiorum olim prodiisse pectoribus, pro direque assidue. quare Non, commoti sunt, sed, praecipitati sunt, timore scilicet, uertit Fel. Quid facimus? inquiunt: hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Quid illud, quod Magis Hierusalem introeuntibus turbatus est rex, & omnis Hierosolyma cum eo? Vides ne hic nascenti Ecclesiae quasi quaedam crucis praeludia preparari? Typus profecto horum omnium fuit olim regnante Iosaphat, tumultus ille bellicus regum Moabitarum, Ammonitarum, Syrorum, Idumaeorumque, contra Iudam (ab hac enim tribu ortus est Christus) qui tamen reges una cum exercitibus suis diuini numinis ui perculsi, adeo mira res dementati fuere, ut se ipsi mutuis contrucidarent uulneribus. Vertit dominus, inquit, insidias eorum in semetipsos,

& sic mutuis se concidere uulneribus. Dolor porro ille quo mulier parturiens afficitur, eam, ubicunque inuenerit, detinet: quocirca uatis similitudo concinne admodum Ecclesiae aptatur hostibus, quibus nimirum omnis adimitur fugiendi facultas, cum aeterno uisum fuerit patri suae dilectae ulcisci iniurias. Quod uero interdum ad innocuorum afflictiones dormire uideatur, id plane in cognito nobis fit iudicio, aequissimo tamen, cuique nostra omnis penitus quanta est, assurgere debet uoluntas. Ita enim sanctissimi quique uiri praeteritis semper seculis actitarunt, aguntque modo hi qui peccato mortui, iustitiae tuae uiuere sollicitam nauant operam. O Deus, haud quidem nobis obscurum est, quod

{48.8} In spiritu uehementi conteres naues Tharsis.

Id est, potentiam superborum ac diuitum, tui sanctissimi spiritus impetu conteres. Exaltabitur, clamat Esaias, solus dominus in die illa super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem. haud multo post addit: Et super omnes naues Tharsis, & super omne quod uisu pulchrum est. Tharsis Ciliciae metropolis erat, e qua aurum maximis asportabatur nauibus. Vnde onerariae naues, quibus in mediterraneo maxime nauigabatur mari, tum ob nauigiorum magnitudinem, quibus utebantur Cilices, tum ob celebritatem loci ac portus, Tharsenses uocabantur. Tanta porro fuit olim illius ciuitatis dignitas, rerumque preciosarum copia, ut matrem illam urbium appellarent. Tam igitur opulentiae ciuitatis schemate uoluit uates mundi superbiam designare, quam asserit uehementi sancti spiritus afflatu contritum iri, Haud sane dubium, superborum hominum contra in nocuos audaciam nulla ui posse alia confringi, quam spiritus Dei Nam cum totus fere orbis illius generis hominibus fauere solitus sit, illisque assentari, atque ad suas explendas cupiditates opem ferre, quis turpissimis illorum moribus fraenum ponere iam audeat? quis illorum cohibebit arrogantiam? quis late diuagantem in opprimendis bonis licentiam reprimere unquam poterit? Solus igitur Dei spiritus is est, qui erepta de manu hostili innocentia, feros illos ausus improborum refringere aequae ue disiicere est ualidus, ac solet una Eurusque Notusque naues in mari Cilico pergrandes disiicere & obruere. Nam Hebraei, cum uento Noto, illud quod nos legimus, in spiritu uehementi: diuus uero Hieronymus, in spiritu uredinis, transtulerunt. Terrificum ualde est atque horrendum, nauem uidere onerariam medio in freto hinc inde a uentis impeti, agitari, spondasque fluctibus aperire, ingemiscere, rimisque fatiscere, ac suo modo nautarum alioqui metu exanimatorum implorare subsidium: uerum horribilius id quidem esset spectaculum, ac magis terrificum, si humanis cerni posset oculis, cum Deus improborum corda multo-
[multorum]

{pdf 409, p. 196v}

-rum scelerum conscia, suo uehementi spiritu, in medio ipso uanitatis atque ambitionis pelago & aestu, exagitare coeperit. Qui, Deus immortalis, pauores? qualis, qualis conscientiae tremor? quanta dissolutio? Non enim uana loquimur, sed

{48.9} Sicut audiuius, sic & uidimus in ciuitate domini uirtutum: in ciuitate Dei nostri, Deus fundauit eam in aeternum.

Ab aeternis enim semper seculis, cum apud illos qui simpliciore absque lege scripta, non tamen absque fide, degebant uitam, tum illis omnibus quibus data fuit lex per Mosen, clamauit Deus, testatumque esse uoluit, se suam nunquam deserturum Ecclesiam: id sane legimus, id audiuius, id patres nostri narrauerunt nobis. qua etiam legimus, & audiuius, re quoque illum ipsa, continua temporum posteritatumque successione praestitisse, & olim uidimus, & nunc etiam iucundissimo intuemur euentu. Quid intuemur aio? Manus nostrae contrectauerunt de uerbo uitae. Proinde illud est sponsae tripudii plenum: Manus meae, inquit, distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima. Quaecunque igitur a lege & prophetis in aenigmate de ciuitate domini uirtutum, de ciuitate Dei nostri praedicta fuerunt, ea iam exhibita cernimus. Adueniente quippe Christo suum ut nouissimum aedificaret templum, de quo ab Aggaeo sic dictum legimus: Magna erit gloria domus istius nouissimae plus quam primae. & In loco isto dabo pacem dicit dominus exercituum, uidimus, uidemusque ac manu tangimus illum, de quo idem uaticinatus est uates dicens: Veniet desideratus cunctis gentibus. Et, Implebo domum istam gloria, dicit dominus. Daud uero: Deus fundauit eam in aeternum. Idcirco Christus tanquam praeteritarum rerum omnium ac uaticiniorum nodus & finis, simul ut suo a discipulo fidei confessionem audiuit, respondit non iam Petro duntaxat, sed uniuerso plane orbi, quo Ecclesiae summa non ignoraretur: Tu es Petrus & super hanc petram, fidei scilicet, quam nuper professus es, dicens, Tu es Christus filius Dei uiui, aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non praeualebunt aduersus eam. Ergo aeterna erit Ecclesia, quia in confessione Christi, qui aeternus est, fixas habet radices, iamque cum ipso qui caput fidelium es ad dexteram residet Dei patris, spe saltem ac fide. Interim uero persecutionum lima, ut absque macula omnino inueniatur, a summo expolitur artifice, unquam ueluti facto fidelium corde atque animo, subclamat:

{48.10} Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.

En hic audis quorsum Dei Ecclesia erecta sit in terris, quo uidelicet misericordiam suscipiamus: hanc enim tanquam tutissimum miserorum asylum, diuina ab ipso iam rerum principio decreuit esse bonitas. Quod igitur ad sacri fontis aquas, per quas omnia, quamuis nefanda milliesque repetita, in fide Iesu Christi abluuntur scelera, ab omnibus passim fiat concursus: quod ad caetera, quae in ipso Ecclesiae peraguntur medio, & mysteria & sacramenta convenient fideles, id omne per Christum, qui Dei patris & ipse idem Deus misericordia dicitur, actum est gratuito. Nemo ideo quantumuis nefarius, modo syncere accedat, excluditur. Quid sic? Misericordia domini plena est terra. Idcirco quantum quisque copiose uoluerit, ab exundanti illius plenitudine haurire poterit. Quod si porro in medio amnis alueo sitire te clamas, iam tua est culpa, postquam tibi integrum est, ut talis sit tibi Deus, qualem tute uis esse. Caeterum uide hic grati animi indicium, illorum qui oblatam Dei misericordiam non refutant, sed summis, tanquam rem minime sibi debitam, ac uerecunde amplexantur. Suscepimus, inquiunt, o Deus, misericordiam tuam in medio templi tui: id est, in tutiori tuae sanctae Ecclesiae loco, ubi fidei sedes est, misericordiam sumus consecuti. Ea propter

{48.11} Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terrae.

Nulla iam adeo remota est regio, cui persuasum non sit Deum unum esse: uera non ita aequae illius celebratur cultus ac religio ab omnibus. Innumeris enim detenti erroribus plerique mortalium alio sua destinarunt consilia, quam ut ipsius quam unum fatentur Deum, relictis superstitionibus, sectentur religione. Vera istuc quidem

{pdf 410, p. 197}

utcunque tolerari posset, si istiusmodi pietatis neglectus aut ignoratio, eos tantummodo qui extremas orbis incolunt oras, inuolueret, & non paruum illorum numerum, qui in medio templi tui, o Deus, conspicui magis sunt, non solum quidem inuolueret, sed penitus obrueret, & qui sane turpius quam illi, qui quid sit fides, ne persomnium quidem forsitan perceperunt, peccare uidentur, cum in fide Christi a puero enutriti, Christo tamen & uita & doctrina quantum possunt aduersantur. Ex his itaque quae absurdissima fieri cernunt pii homines, exterrefacti, uerentesque an diuino aliquando contempto cultu, non sit in Christi Ecclesia qui christiane uiuat, rogant. quantoque possunt clamore a Deo petunt, ne suum sanctum nomen, ne pietas, ne religio prorsus e terris excedant, sed potius passim, etiam usque ad fines terrae deportentur, ab illisque tandem qui omnino feri sunt, & a fide alieni, rite colantur. Et quem admodum (inquiunt) nomen tuum sanctum est, & sicut nulla est in terris regio & gens, quae non nomet Deum, ita nunc reuelata gratia, apertaue misericordiae ianua per Christum, nulla usquam gens sit, o Deus, quae tuum non sanctificet nomen, colatque, ac iam demum in Christo cognitum, qui splendor tuae est gloriae, ueneretur. Nam

{48.11} Iustitia plena est dextera tua.

Hoc est (dextera Dei, illius est potentia) quicquid agis, iustitia est, nempe summa bonitas, summa misericordia, summa charitas. Et quam quidem iustitiam quem admodum tu solus possides, ita & in omnes illam solus, quae tua est natura, largissime effundis. Quocirca

{48.12} Laetetur mons Sion, & exultent filiae Iudae propter iudicia tua domine.

Mons Sion, Ecclesia credentium est, quae in Christo, qui mons montium a prophetis appellatur, fundata, in diuinarum rerum speculatione continue uersatur. Filiae uero Iudae, ipsae sunt piorum animae, quae in fidei confessione, uel ruat orbis, stabiles perseuerant. Nam ut olim, tum dico quando fidei nostrae puritas inter Iudaeorum spinas, ueluti candens liliu latitabar, populus Iuda, progenies Iacob, filii Israel, & alia huius generis nomina, ex Iudae is credentes significabant: ita & modo ex illorum pomariis fructum colligentes, illis iisdem nominibus, ad eos ostendendos qui in fide Iesu Christi, sub Ecclesiae tutela puram degunt uitam, uti solemus. Inuitatur hic igitur Dei Ecclesia, cuius incolae sanctorum animae sunt, quae & filiae Iudae, ad gaudium illud ac tripudium, quo sanctissimos quosque ob diuinorum iudiciorum considerationem affici par est. Quae sane iudicia in eo praecipue uersantur, quod Deus quaecunque iudicat, recte iudicat. Nam cum sanctorum animas seruare decreuit, id plane recte factum est ac iuste: quia ab eius misericordia, quae semper iusta est & recta, salus iustorum omnis proficiscitur. Atque ex hoc aequissimo Dei iudicio aliud subinde exoritur: quod si quid

cui unquam pollicitus est, re id ipsa praestare consuescit. quod quidem iudici genus adeo iustum censetur, ut apud homines etiam illos qui mutua uiolant foedera, a pollicitationibusque facile discedunt, & iniquos & iniustos appellemus. Rursus cum improborum uitam detestetur, illorumque curam non habeat, atque propterea tum hic eos deserendo, obcaecando ue miseros faciat, tum illic in uitae exitu, ad aeternam diiudicando miseriam, num ob id iustum illius non erit iudicium? cum praesertim illos tantummodo ab aeterno damnari uoluerit, quos illorum culpa & uoluntate damnandos praenouerit. Iniustitiae forsitan si secus ageret, reprehendi posset. Iustus igitur es domine, & rectum iudicium tuum. Atqui ut alia multa sint, in quibus Ecclesia se se in spiritu oblectare queat, illud omnium maximum uidetur, cum huiusmodi iudiciorum Dei seriem uolens animo, quemadmodum aequissima illa esse iudicat, sic ex illis tanquam certissimis tum iustitiae, tum misericordiae sui arbitri iudiciis & argumentis, quammaxima afficitur iucunditate, gaudetque, ac se nosse dominum, ut inquit Hieremias, gloriatur. Ex qua porro notione amor actutum flagrantissimus oriri solet, quo uel usque ad medullas exustae animae non possunt non summa teneri laetitia & exultatione, propter ea quae in mundo aequissimo Dei iudicio fieri per suasum habent. Proinde quaecunque accidunt, siue prospera ea sint, siue aduersa,

{pdf 411, p. 197v}

omnia illa in suum pertrahunt profectum, amplectanturque tanquam a Deo missa. Etsi enim, ut inquit Augustinus, laborant iusti inter spinas, exultant tamen, quia non errat Deus in iudicando. Et haec quidem omnia pro illis qui in sinu Ecclesiae tuti vivunt, sint dicta. Vos autem qui foris estis, uos parricidae, uos adulteri, uos meretrices, uos qui sub talento plumbi, super quod tetra sedet iniquitas, ut inquit ille, desudatis,

{48.13} Circundate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus eius.

Vos qui hactenus a diuinorum gustu, qui ab Ecclesiae pectore distillat, ob uitae turpitudinem, fideique imbecillitatem extorres fuistis, uenite ad templum sanctum Dei, quae Sion est: confluite, properate, studioque spiritus atque ardore animati, complectimini eam: narrate, in turribusque illius, tanquam in editiore sanctae urbis loco positi, gratiam quam accepistis omnibus promulgate. Corde enim ceditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Diuus Chrysostomus, Narrate in turribus eius, exponit, mensurate tures eius, ad quantam scilicet altitudinem perductae sint. quae sane expositio eo, ut credo, spectat, quod fidei gradu. qui numerosi sunt, optime ab ignauis perpendi debeant: nam quod in munitissimis urbibus & oppidis turris est, id in Ecclesia est fides. Idcirco suam laudans sponsam Christus in Canticis, inter caeteras illius pulchritudinis dotes illud quoque addit: Sicut turris Dauid collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis suis. Collum enim tanquam basis caput sustinet. Ita nihil tam in Ecclesia, Christi religionem sustentat, quam fides: quae tanquam e durissimo marmore columna a spiritu fabrefacta, pro reliquo laborat aedificio. Hanc Paulus Christiani aedificii fundamentum appellat. Et quae cum una sit, per gradus tamen apprehenditur. Huic porro Graeci expositoris sententiae, litera quae est Hebraeis, quadrare uidetur. Numerate tures eius, uertit Fel. hoc est, considerate quam multa, fortisque sit urbis istius munitio: siquidem in ipsa Christus habitat, qui, ut ait Paulus, ait

virtus Dei est in salutem omni cedenti. Idem reddit Paraphrastes, atque adeo caeteri ex Hebraeo. Idcirco

{48.14} Ponite corda uestra in uirtute eius, & distribuite domos eius, ut enarretis in progenie altera.

Ponite cor uestrum ad murum eius, uertunt Hebraei. Noster enim interpres magis sensum expressit, quam uocem transtulit. Siue igitur murum legas, siue uirtutem, idem emergit sensus, qui talis est: o qui cupitis fidei lumine ciuitatem sanctam Sion, quae est in Christi Ecclesia, complecti, animum ad illius murum, id est, in considerata illius uirtute & fortitudine, adhibete. Murus in Ecclesia alias fides est, alias diuina protectio, angelica rursus custodia, ac pia sanctorum unitas, nonnunquam etiam sacra est lex & scriptura. Proinde quis in tam forti non libenter habitaret arce & urbe, in qua militum fides, ac ciuium unio, lex item sancta, angelorumque tutela atque ipse tandem Deus pro muro stant ac uallo? Sic nostra munita est Ecclesia. Quocirca quam fortis sit, quamque hostibus inaccessa, ac multo aedium splendore insignis, diligenter quo literis ad posteros mandare possitis, animaduertite. quod enim noster interpres uertit domos, Hebraeis est, palatia siue turres. Similiter quoque uerbum, distribuite, illis est, exaltate. Unde sic uertit Fel. Exaltate turres eius: hoc est, quam sint excelsae perpendite. Perstat quippe uates in metaphora munitae urbis, quam tamen ut ad spiritualem referamus intellectum uult spiritus, in primisque postulat. Sed si porro breuiter, quod sit praecipuum Ecclesiae munimen, tibi ex primi appetis, quae turris, quae moenia, quis uallus, quae arx tandem, Christus est:

{48.15} Quoniam hic est Deus Deus noster in aeternum & in seculum seculi, ipse reget nos in secula.

O fidam atque exoptandam omnibus custodiam. Ipse dux noster, Deus est, & Deus in aeternum. Quis hic prae amore non insanit? ipse, inquam, reget nos in secula. Non temporaria quidem sunt Christi subsidia, non imbecillia propugnacula, non infida, non uenalia, ut nostro quoque seculo uidimus arces Christianorum munitissimas, ob custodum auaritiam & impietatem, ipsis acerrimis Christi hostibus uenundari: sed aeterna sunt, robusta, fida, & quae nullo uinearum aut tormentorum ge-
[genere]

{pdf 412, p. 198}

-nere labefactare queant, nisi amici hi sint ac filii, qui fidei sagittis ab amoris pharetra detractis non solum Ecclesie [sic] robur obtinent, uerumetiam ipsum Christi cor ac pectus transfigere soliti sunt. Unde se uictum, uulneratumque clamat dicens: Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa: uulnerasti cor meum. Caeterum non hic praeteribo, quomodo uaria sit etiam apud Hebraeos ultima huius uersus particula. Ex ipsis enim quidam legunt, Ipse reget nos usque ad mortem: uel, usque ad finem uitae, ut Paraphrastes: alii, per iuuentutem: alii: rursus, suauiter. Causa autem huiusce uarietatis, Almut est dictio: quae si una est, ut nonnulli opinantur, iuuentutem designare affirmant: & erit sensus, Deus reget nos in posterum, ut a pueris seu iuuentute semper rexit. Cui sententiae & illi qui, suauiter, uertunt, adhaerere uidentur, eo quod hi

quibus pueri curae sunt, suauitate potius in tam tenera moderanda aetate utantur ac modestia, quam ore & seueritate. Qui uero duas esse dictiones asserunt, ut diuus asserere uidentur Hieronymus, in morte, seu, usque ad mortem interpretantur. Quae quidem interpretatio nobis, tum sancti uiri autoritate permotis, tum quia de perenni Dei custodia erga suos in principio statim uersus disserere incoepit dicens: Ipse Deus, Deus noster in aeternum, & in seculum seculi, magis arridet, quam illorum qui Almut iuuentutem interpretantur. Verum utcunque legas, hanc scito ueram, germanamque esse spiritus intelligentiam, Deum perpetuum, indefessumque esse sua Ecclesiae defensorem: cui laus omnis sit, decorque, ac gratiarum actio in secula seculorum. Amen.

PSAL. XLIX. Vincenti filiorum Chorae.

{49.2} Audite haec omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem.

Miranda quaedam narraturus propheta, nempe mysterium illud quod absconditum fuit, ut inquit Paulus, a seculis & generationibus, nunc autem manifestatum sanctis eius, quibus uoluit Deus notas facere diuitias gloriae sacramenti huius in gentibus, qui est Christus, cuius quidem aduentu, cruoreque ac morte, hominum genus propter scelera a coelesti patria exclusum, diuinoque odiosum numini, Deo patri reconciliatum fuit, atque aeternorum bonorum capax factum, & haeres. Haec, inquam, tam mundo insolita & noua explicatius forsitan quam alias in hoc psalmo exaraturus, auditorum beneuolentiam in ipso statim exordio, captare nititur. Ad haec, nonnulla de extremo nouissimoque disserturus iudicio, quae insulsa mundi sapientibus uidentur ac uana: rursum de celerrimo rerum mundanarum fluxu quaedam, atque idcirco in illis spem uel tantillam collocare, indignum prorsus esse homine, enarraturus, res nimirum (ut dixi) mundo inauditas, nouas, insolitas, atque propterea inuisas, cur non beneuolam ac popularem praemittere debuit admonitionem? Caeterum quis hic mihi unquam credat, si cum Gregorio diuitias spinas esse dixerem? maxime cum illae pungant, istae delectent. Rursum illud quis in mundi uanitate alitus non irrideat, si cum dilectissimo Christi discipulo & alumno subclamauero: Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Sublimia igitur, noua, stupendaque, ac mundo plane incognita, idcirco admiranda, Christus qui de se illud testatur, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi, in sui uatis psalterio & cithara cantaturus, sic rem orditur: Audite haec omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem,

{49.3} Quique terrigenae, & filii hominum, simul in unum diues & pauper.

Hic omnes sparsim mundi incolae ad audiendum uerbum uitae, a uitae autore inuitantur. Nemo enim a Christi doctrina abigitur, non rex, non princeps, non integer populus, non mercator, non miles, non sicarius, non leno, non meretrix, non quicquid sordium huiusmodi in orbe inuenitur uniuerso, a suauissimo Christi uerbo repellitur. Praeco enim uniuersalis est Christi spiritus: eapropter omnes inuitat, prouocat, admonet, accendit demum, atque ad percipiendam suis languoribus medelam, alioqui timidos, & ut solent phrenetici, suae saluti reluctantes, animat. Audite, inquit, quae dicturus sum, alta scilicet & inopinabilia, his po-

[potissimum]

{pdf 413, p. 198v}

-tissimum qui Dei spiritu non aguntur. O vos populi omnes, inquam, omnes seculum hoc tetrum inhabitatis, faciles ad ea quae in parabolis dicenda sunt, praebete aures. Vos summi, uos imi, uos diuites una cum pauperum multitudine diligenter audite. Illud enim quod noster interpret uertit, Quique terrigenae, & filii hominum, Hebraeis est, etiam filii Adam, etiam filii uiri: hoc est, ut interpretatur Paraphrastes, & plebei & principes, quos inclytos diuus appellat Hieronymus in tertio quarti psalmi uersu, ut ibi diffusius diximus. Magna profecto salutis spes est iniecta pauperibus, atque in mundi huius negociis indoctis omnino, & inertibus: in coelestibus uero uegetis & elimatis. Unde illud, & pauper, presse legi oportet: nam simulatque a tuba ipsa spiritus uniuersali quodammodo accitus est mundus clangore, & singillatim diuites, additur, & pauper: ac si dicat, etiam pauper, etiam pannosus, a uobis despectus, o tumidi, & irrisus, uobiscum mea ad concionem ueniat, audiatque. Siquidem

{49.4} Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.

Summa hic describitur Euangelii, quo per Christum piorum corda admonentur, uim spiritus in eo consistere, ut ad diuina contemplanda, reiectis superuacaneis mundi curis sese erigant: quod proprium sapientiae munus est, ac propterea perfectarum animarum cibus. Sapientiam, inquit Paulus, loquimur inter perfectos. Prudentia uero ad ea quae recte agenda sunt, riteque instituenda, pertinet. Et quemadmodum a sapientia ac prudentia, quaecunque condita sunt, in lucem iam olim exiere: ita omnis scripturarum uirtus in eo posita esse uidetur, ut animum ad coelestia peruestiganda, subindeque amanda, & inquirenda moueat, moresque uitae informet, atque instituat. Quae quidem humanae uitae institutiones non temere, populariterque ab omnibus usurpandae sunt, sed ab his tantummodo qui consulto, maximaque animi ponderatione & consilio, leges aut condunt, aut conditas edocent. Quare a uate additum est, Et meditatio cordis mei prudentiam, loquetur scilicet: seu intelligentias, ut uertunt nonnulli: uerum idem est sensus. Nam ad illa quae sapienter prudenterque dicuntur, percipienda, multa opus est intelligentia: haud cunctis enim sublimium rerum notitia aequae exposita est atque obuia. Quocirca statim a spiritu infertur,

{49.5} Inclino in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.

Propositionem, aenigma uertunt Hebraeorum interpretes. In sacra enim lege idem pene sunt, parabolae, uerba sapientium, & aenigmata, ex eo quod reconditis, & quae praecipue apud mundi amantiores interpretatione egeant, referta sunt sententiis. Vobis inquit Christus suis datum est noscere regnum Dei caeteris autem, id est, mundo deditis, in parabolis. Nam certe diuina non nisi in uasa tanti numinis capacia infundi debent. Adde quod pura Euangelii uerba, puris aperta sunt mentibus, lucidaque apparent, ac radiis spiritus grauida: impuris uero atque in uoluptatum coeno immersis, obscura uidentur aenigmata, stultaeque sanctiones & parabolae. Ait igitur in uate Christus, inclino aurem mea: hoc est, audiam a Deo (mea, inquit, doctrina non est

mea, sed eius qui misit me patris, & quae audio loquor) parabolam, remque carni & mundo incognitam: aenigmaque meum in psalterio & cithara, id est in carmine hoc, ac psalmo euangelico cantabo, quodque a coelesti patre audiui, & didici, proferam. Intelligent enim quibus datum est a patri meo: datur tamen omnibus, modo uelint, hoc est, modo ineptis inflati persuasionibus, gratiae uocanti non reluctantur. Quae quidem dicturus sum ridebit (scio) mundus, dicam tamen prout se res habet. Inclino, diuus inquit Hieron. humiliabo me ueritati intus loquenti, quae docet loqui in parabolis, ne omnibus pateat. Notat hic quidam, propositionem, sermonem esse, qui ad exhortationem atque utilitatem proponitur audientium.

{49.6} Cur timebo in die mala?

En primum aenigma. Iam quae pollicitus est Dei filius se dicturum, effari incipit, causamque in se mortalium omnium uniuersalem assumens, quaerit unde illud sit

{pdf 414, p. 199}

quod improbi exterrefacti aeternos ad cruciatus detrudi metuant. Iniquitas haec est, sub cuius denominatione maximus peccatorum aceruus intelligitur. Haec enim cum semper homini, quoad in corpore uiuere permittitur, infesta sit, tum maxime in uitae exitu, quem calcaneum scripturae nonnunquam appellate consueuerunt, molestissima est. Unde sequitur,

{49.6} Iniquitas calcanei mei circundabit me.

Quemadmodum enim calcaneus extrema est totius corporis humani portio, ita mors ultimus est uitae, tanquam peractae scenae, actus, in quo qualis futurus sit animarum status, uelut in speculo coniectura fieri potest. Idcirco purissimus seruator de suo loquens calcaneo aiebat: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Cuius sane rei illud fuit ex ore Dei uaticinium: Et ipsum, inquit, nempe semen mulieris, qui erat Christus, conteret caput tuum, & tu (uafre serpens) insidiaberis calcaneo eius. Iniquitas igitur, ac male actae uitae testimonium, tanquam coluber, nostro insidiatur uitae fini. Iam hic sermonem sapientia refertissimum, ut promisit, proferre incipit. Vide diuini concionatoris sapientiam: cum se quidem timere fassus est, caeteros latenter quid sibi timendum sit, admonuit, iniquitas nimirum & peccatum. In caeteris uero rebus, omnis superfluum est timor. Sensus igitur erit: Si me, inquit, interrogas quid mihi sit timendum in die mala, hoc est, in die illo horrendo mortis, in quo daemon tanquam tortuosus anguis, malorumque omnium autor ac molitor, omnes malignitatis neruos tendere nititur, respondeo peccatum id solum esse, quod tum potissime cum e uita demigrandum sit, homini insidiatur: id solum igitur mihi est timendum, id detestandum, id anteaquam me exterrefaciat, conterendum. Nonnullis ex Hebraeorum interpretibus uisum est, non iniquitas calcanei, sed prauitas insidiatorum, debere legi, hoc modo: Prauitas insidiatorum meorum circundedit me, Postea sequentem sic incipiunt uersum: Nitentes opibus suis. Paraphrastes tamen calcaneum magis approbasse uidetur, qui sic reddit: Cur sollicitus ero de huius uitae bonis, tempore quo uiuitur cum miseria (en quomodo dies mala dicitur) in terra? num ut finis operum meorum iniquitatis me condemnet? Hac itaque solitudine curaue terrifica, a nobis,

qui pauperem, ut ait Tobias, semper egimus uitam, reiecta, nihil timeamus. Timeant hi potius,

{49.7} Qui confidunt in uirtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.

Iniquitatis membra describit uates: hi enim, inquit Augustinus, qui confidunt in uirtute sua, nempe potentia & potestate, sunt quos iniquitas calcanei circumdabit. Ecquid igitur talem sic in ultimo uitae tempore ab iniquitate circumuentum, atque idcirco timidum, & absque fide pauitantem, a morte, mulctaque aeterna liberabit? Diuitiae ne illae tanto cum animae dispendio & iactura partae? dignitas ne? potentia ne? Quid his, oro, debilius? Quid diuite auaro, tumido, insatiabili insanius, & ob id fragilius? Atqui, ut caetera omittam, ne ipse quidem frater, multo minus extraneus, illum a moriendi, poenasque subeundi sempiternas necessitate eximere unquam poterit. Lex enim mortis firma est & certa, & quae nulla quamlibet maxima uirtutum ui, aut rerum opulentia infringi queat.

{49.8} Frater igitur non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem suam.

Quaecunque offerat quis Deo, quaecunque polliceatur, aut quoquo modo litet pro redemptione fratris, uana omnino sunt: tempus enim est ut e uita excedat. Hinc certe, si non alias, compertum esse potest, quam fragiles sint ac flaccidae res illae omnes, quae cum felicitatem in hoc mundo prae se ferre uideantur, nihil tamen minus praestant. Sed felix ille & ter & quater, qui huiusmodi uanitatis lenocinio minime pellectus, libere absque mundanarum rerum amore suam in domino obit mortem. Nimium enim tenax est diuitiarum amor, & qui ne in extremo quidem uitae halitu diuitem hominem deserit: non hunc certe a communi omnium lege, quamuis charissimus redimere potest frater, non opes, non tanto cum labore acquisitus bonos, non uxor, non filii, Quid? (heu miserandum, eundemque irre-
[irreuocabilem])

{pdf 415, p. 199v}

-uocabilem illius exitum) ille ipse clementissimus Iesus, in quo tota mortalium omnium redemptio posita est, uel eum a moriendi obligatione, uel a perpetua poenarum miseria, potentia illa sua, quam ordinariam uocant (de absoluta non loquor) quaque uult omnia ab aeterno ordinem illum primum naturis omnibus insitum seruare, & secundum illius praescriptum, legemque aeternam suas exequi ope rationes, eximere minime potest, & uult. Si is itaque qui noster pater est, dominus & rex, adde & amantissimus nostri frater ac redemptor, sic in peccatis morientem redimere noluerit, quem alium etiam ex dignioribus coelestium spirituum choris redimere eum posse arbitrabimur? Pro omnibus enim (modo uelint) copiosa facta est per Christi sanguinem expiatio: pro illo tamen qui confidit in uim te sua, in propriis operationibus, in diuitiis, in pecuniarum abundantia atque honorum, nulla. Iam illud non praetereundum, literam quae est Hebraeis, non legi per interrogationem. Sic Fel. Frater non redimens redimet uirum: hoc est, quantumcunque enitatur frater uirum sic confidentem redimere, non

assequetur nihilominus quod optat. Siquidem, ut interpretatur Paraphrastes, nemo potest uel fratrem suum, si uelit, liberare ullis opibus a morte, nec afferre Deo quicquam, quod pro eius redemptione uelit suscipere. Profecto rarissime seruantur qui diuitias inhiant. haec ille. Hebraismus porro est prophetis familiaris, redimens redimet, ut alias admonuimus, quo rem maximo tentari nisu ac desiderio intelligamus. Ait enim alio in Psalmo: Expectans expectaui dominum. Diues igitur quauis copiosis innitatur opibus, fratrem ipsum a morte liberare neutiquam poterit: idcirco non dabit Deo placationem suam, pro fratre scilicet sic in rebus nihili confidente. Non dabit, inquam,

{49.9} Precium redemptionis animae suae.

Eius, uertit Hebraeus: sed cum perierit, peribit in aeternum. Viuet quidem perpetuo, sed eo uitae genere ut desperato ne optatus quidem interitus contingat. Ex Hebraeo sic etiam legi potest: Et erit preciosa redemptio animae eorum, & cessabit in aeternum: seu, ut diuus uertit Hieronymus, quiescet in secula. Simile huius illud est quod in primo Regum libro legimus: Et uerbum domini, inquit, preciosum erat: hoc est, haberi non poterat. Cupiunt sane damnati extingui omnino potius quam in poenis aeterna cruciari uita: sed frustra id quidem, namque apud inferos nulla potest esse redemptio, nulla misericordia, nulla poenarum remissio, lignumque ubi ceciderit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi perpetuo erit. Quare clamat Ioannes sua in ecstasi & reuelatione: In diebus illis quaerent homines mortem, & eam non inuenient. Itaque a uate additur,

{49.9-10} Et laborabit in aeternum, & uiuet adhuc in finem. Non uidebit interitum.

quem ualde optabit. Cruciabitur, inquit, in aeternum, aeterno quodam, sed miserrimo, uitae genere. Porro quia illud quod noster interpres uertit, Laborabit in aeternum, cum Hieronymo qui transtulit, quiescet in secula, conuenire mi uidetur: is utriusque aptus erit sensus, quod ille qui ob male transactae uitae rationem aeternis destinatus est poenis, laborabit in aeternum immortalibus excruciatu tormentis: atque illo sane in loco, ubi perpetua in miseria uiuens, ab illa sua anxia accumulandarum opum solitudine quiescet perpetuo. Moribundis eum semel exuti membris damnati, nulla amplius aggregandi diuitias tenentur cura: sed ab illa prorsus liberi effecti quiescentesque, in infinitas alias deuoluuntur anxietates, hoc quidem miserabiliores, quo inextinguibiles penitus sunt & immortales. Stulta igitur illorum est opinio atque inepta omnino qui magno quamlibet precio sibi suorum animas persuadent a morte posse redimi, suisque illud concedi, quod nemini unquam quamuis potenti, atque in rebus huius mundi florido ac diuiti, concessum fuit, & maxime,

{49.11-12} Cum uiderit sapientes morientes & quod, simul insipiens & stultus peribunt.

Et quod, uelint nolint, reliquent alienis diuitias suas, & sepulchra eorum domus illorum aeternum.

{pdf 416, p. 200}

Sunt ne ista immortalis in hoc mundo uitae indicia? En uidere est, inquit quidam interpres, ut sapientes aequae moriantur & pereant ac stulti & stupidi, & opes suas alienis relinquunt. Insipientem porro illum appellari par est, qui, ut inquit Augustinus, num sibi prospicit in futurum: stultum uero, qui, in quo malo sit, non attendit. Verum ex Hebraeo sic potest legi, Stultus & bardus peribunt: ut stultus secundum dictionem hebraicam is intelligatur, qui ultro a ratione desciscat, deflectatque a iustitiae linea, quique non tantum ratione, quantum recta ratione suapte sponte destitutus sit. Dicitio autem altera, illum secundum Hebraeos exprimit, qui omnino ratione carens prorsus stolidus factus est & brutus. Horum itaque omnium una cum sapientibus unus est interitus. Vide, inquit, eorum qui tam longe a ueri cognitione aberrant, quam falsus sit animus: cum enim magnifica sua illa aedificia, sumptuosissimaque propylaea ac palatia splendido constructa marmore atque emblemate, perpetuum sibi fore domicilium somniant,

{49.12} (Tabernacula eorum in progenie & progenie, vocauerunt nomina sua in terris suis.)

arbitrenturque ob rem tam leuem, breuique interituram, se immortalem adepturos famam & nomen, id illis in primis pro debito illorum stultitiae rependitur merito, quod sepulchra eorum domus illorum sint in perpetuum: non quod sane impiorum corpora perpetuo mansura sint in sepulchris, cum reuiuiscere aliquando ad futurum debeant una cum piis omnibus iudicium, sed id secundum Hebraeorum phrasim dictum est, qui nonnunquam pro longo tempore & indefinito, aeternum seu sempiternum ponere consueuerunt. Dolori, inquit Augustinus, seruatur impii anima, usquequo accepto corpore utrinque crucietur. Quid sibi igitur uolunt sapientes isti, si Deo placet, rerum suarum calculatores, cum sibi sua fore tabernacula atque aedificia in progenie & progenie, indeque nomen sibi uulgo celebre conciliandum opinantur? non ne illud? domus nostrae aeternae erunt, dicentque posteris longa annorum serie nos ampla haec construxisse aedificia, ornasse templa, ac statuas erexisse: hinc nos laudabunt, nobisque quicquid commodi nostris ex laboribus nanciscentur, referent acceptum: & sic nostrum pariter cum aedificis aeternum erit nomen. O mortalium amentiam. Non ne & nos quoque uidimus quosdam huiusce persuasionis homines inter nos adeo aedificandi ardore insaniisse, ut, quoniam quid innouarent non habebant, uel ipsas commodissimas habitationes, apteque ad libellam fabrefactas funditus euerterent, ac nouas nescio quas ineptas, & eas iterum atque iterum fixas & refixas, nondumque ineptas, & iam adamussim correctas, erigerent? & id totum (ut prae se ferebant) quo nomen suum a posteris in posteros quasi per manus traduceretur? Verum hi probe ostendunt, quam gratius illis sit suum in terris celebre censi nomen, quam in uitae libro, in quo duntaxat piorum nomina scripta sunt in coelis, praescribi. Ab aura certe populari, uulgi que rumore, atque mentitis nonnunquam titulis dependent, non a diuino amore & gratia. Verum ipsi suas uitae rationes uiderint, nos ad institutum. In aeternum itaque foedi illi cineres, atque ossa impiorum infami in tumulo erunt: hoc est, eousque requiescent, quousque ad uitam acciti, redintegrato corpore coram iudice sistantur, publico nimirum una cum anima ad aeternam inferorum caliginem ac noctem damnandi edicto: & merito id quidem, nam huiusce impietatis

{49.13} Homo, cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

Ingratissimus certe animantium omnium est homo, qui cum a Deo tam benigne innumeris decoratus sit fortunae bonis, ut sunt diuitiae, honor, dignitas, pulchritudo, autoritas in rebuspublicis & multis aliis istius generis bonis, ferino tamen uiuens ritu, in eius prorsus transit ferae mores, cuius uitam imitatur. Res certe stupore digna est immenso, quod homo natura nobilissimus, atque in sublimi rerum mundi huius fastigio collocatus, & id sane a Deo, nil tam in primis curare uideatur, quam quomodo reiecto Deo & aequitate, nouisque quotidie excogitatis explendarum cupiditatum monstris atque artibus obbrutescat omnino, fiatque similes ui-
[vita]

{pdf 417, p. 200v}

-ta ac moribus iumentis ipsis rationis expertibus. Non dormiet in magnificentia, uertit Fel. Similis factus est iumentis quae exterminata fuerunt: id est, non moretur in glorioso illo suo uitae honore & statu, sed moerens desperatusque e uita decedet, & cuius nomen non secus uulgo supererit, ac solent iumenta occisa, in frustaque dissecta & exterminata. Alius item ex Hebraeo, Homo in precio non morabitur: hoc est, ut inquit Paraphrastes, non fiet pluris quam bestiae, quibus se similem fecit. Et licet quidem istiusmodi generis homines felicissimo interdum omnium plausu & fauore uiuere & mori quoque appareant, apud cordatiores tamen, atque illos qui in rebuspublicis sapientiores sunt, quamuis inglorii, bestiae reputantur merae, & si quid in terris, quod saltem uegetet, turpius est. Proinde

{49.14} Haec uia illorum scandalum ipsis, & postea in ore suo complacebunt.

Ambiguus semper sensus est, ubi ambigua ab interpretibus redditur litera Fel. legit, Haec uia illorum insipientia illis, & posteri sui in ore eorum current. Idem ferme caeteri ex Hebraeo. Cuius lectionis ea uidetur summa ac sensus, ac si caetera omnia superius dicta in unum colligens dicat: Haec demum illa est eorum uitae ratio, id institutum, ea insipientia ac fatuitas, ut posteris quoque suis eundem uiuendi modum, cui ipsi adhaeserunt, tradant: posteris dico, qui in ore ipsorum current, hoc est, qui iuxta illorum uerba ac praeceptiones, quibus quidem praecipitur, ut seculi huius commoda rebus omnibus anteponant, in primisque quaerant, uitam instituere debeant. Et haec quidem quantum ad Hebraeorum literam attinet, sint dicta, cuius quoque sensum sic breuiter aperit Paraphrastes: Hic est successus stultitiae illorum dignus: sed & posteri illorum quod ab illis didicerunt sequentur. quae praeterea illorum miseria atque stoliditas quo attentius animo recondatur, additum est Selha. Nostrae uero literae is erit sensus: Haec uia illorum, non Dei, scandalum est ipsis: hoc est, in illam ipsam suam impingunt uiam, caduntque illisi, & post haec in ore suo complacebunt, illorum scilicet imitatores, qui eadem quae ipsi laudabunt, agentque tanquam a diuino desumpta oraculo. Alii rursus, in ore suo complacebunt, ad eodem ipsos quorum uia sibimet est scandalum, referunt, ad hunc fere modum: Non illis uisum est satis, quod facti sunt pecoribus similes male uiuendo, nisi sua peccata ueluti Sodoma praedicent. Vide igitur,

mi lector, quomodo quandiu perstat mundus, stultitiae non sit finis. Heu mentes deliras. Usquequo deliciis, ut inquit Hieremias, dissoluimini filiae uagae? usquequo ebriae estis? At cupitis ne horum tandem qui huiusmodi turpissimam sanxerunt legem, uobisque praescripserunt, o amentes, exitum non ignorare?

{49.15} Sicut oves in inferno positi sunt, et mors depascet eos.

Tanquam, inquit, stolidus ouium grex, aceruatim hi ad inferos, quos uos felices arbitramini, descendunt, cibusque mortis erunt. Quemadmodum enim cadauerum omnium caro, cibus est uermium: ita animarum damnatarum uita, est mortis esca, eo sane modo, quo in pratis herba depascitur, quae non a radice, ubi illius est uita, conuellitur, sed carptim tonsa a pecoribus inciditur: sic anima in poenis illis infinitis posita, suae absque substantiae consumptione ac iactura, a perpetuo tanquam uulture dilaniatur morsu, sed non absumitur. Caeterum mors animae, ipsa est a Deo separatio & interitus, quem alio nomine damnationem appellamus. Ab hac igitur morte, impii anima (si tamen, ut sic per excessum dicam, anima in impio uocanda sit, & non potius nequam spiritus) siue in corpore commoretur, siue extra demigret, aeterno corroditur dente ac cruciatu. Ex Hebraeis quidam, non, depascet eos, reddunt, sed, reget eos: & est ac si dicat, Mors eos, ut pastor solet oues, reget, illisque dominabitur. Unde illud est Augustini: Ut Christus uita, ita diabolus mors. qui pastor est eis, ut ouibus, quas trahit ad pascua mortis, quae sunt aeternorum cruciatuum tormenta. Paraphrastae, tamen prior magis uisa est arrisisse litera, cum ait: Sicut oues abducentur ad inferos, ubi pabulum morti erunt perpetuae. Utcunque litera placeat, illud displicere debet, hominis scilicet anima, diuinae lucis consortem, & aeternae felicitatis haeredem, cuiusque pastor natura Deus est, ac rector, ad tantam deuenire posse suae dignitatis obliuionem, ut contempto Deo re-
[rebus]

{pdf 418, p. 201}

-busque coelestibus a mente prorsus eliminatis, sua se sponte nefas) spirituum immundorum dominio atque imperio dedat, ubi a diuinorum excisa pastione, ipsa se in cibum aeternae deuoueat morti. Heu animas sic a morte consumptas, lachrymarum fluuio amneque suspiriorum, si daretur, redimendas. Verum in inferno, quod te admodum pungere deberet, o qui gloriaris in malitia, & potens es in iniquitate, nullus est misericordiae sensus. Agedum, uis ne aliam illorum intelligere calamitatem?

{49.15} Et dominabuntur eorum iusti in matutino.

Id est, illis quos modo, dum nondum a paleis secretum erat granum, irrisioni habuerunt, transacta mundi nocte, se subditos cernunt: tum dico, quando regnante in suis Christo, illi omnia subdita erunt, fientque reprobi scabellum pedum eius. participes enim semel crucis Christi facti in hac uita electi, erunt & gloriae, quae in eo potissimum consistet, quando & ipsi dexterarum iudicis, genus omne mortalium iudicaturi, assederint: & id quidem in matutino, seu mane, ut uertit Fel. id est, in ipsa statim prima secretorum cordium cognitione, quae impraesentiarum dum ignorantiae nox est, omnino nos fugiunt. Nondum, inquit Ioannes, apparuit quod erimus (ecce nox) scimus autem quod

cum apparuerit ille (ecce lux in domino) similes ei erimus (ecce nostra cum Christo potestas & gloria.) Idcirco clamabat Paulus: Nolite ante tempus iudicare: hoc est, dum nox adhuc terris incubat, nolite praeproperum uobis arrogare iudicium: illud differte quando ueniet dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum. Audisti, inquit spiritus, improborum maximam omnium calamitatem, cum se nimirum Christo, atque eius amicis, quos in hoc mundo tam diro persecuti sunt odio & contemptu, uelint nolint, subditos intuebuntur. Audi quoque aliam, qua, spe omni rerum illarum quibus in uita nitebantur, eisque magis quam Deo fidebant, destituti, desperatique in poenis manebunt aeternis.

{49.15} Et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.

Id est, res illae omnes, honor scilicet, dignitas, diuitiarum copia, addo & literarum, a quibus sane tanquam a potentissimis pendebant dominis, non amplius in marmoreis aedibus, excelsisque tectis ac palatiis, in quibus spem omnem suam collocauerant, uidebuntur: sed in inferno, perpetuo illorum domicilio, tam sublimes gloria uersa in ignominiam, sic penitus interibunt, quod nulla eorum deinceps extabit memoria, Robur, inquit Campensis, impiorum peribit, ubi ad inferos a magnificis aedibus (a gloria, noster uertit interpret) quas hic extruxerant, translati fuerint. Non omitam quod hic a Graecis addi uideo: nam simulatque literam eodem quo noster interpretati sunt modo, usque in inferno, addunt postea, a gloria sua expulsi sunt: hoc est, ab illis ipsis rebus quas sibi aeternam fore gloriam opinabantur, prorsus reiicientur. Ita illis continget,

{49.16} Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferni cum acceperit me.

At Deus redimet animam meam, uertit Hebraeus: & est clarior sensus, quam si legas, Veruntamen quem sic reddit Paraphrastes: Interim, dum scilicet illi in perpetuis manebunt poenis, Deus liberabit animam meam ob eo cruciatu, qui impios manet. Ipse enim me recipiet ad se, per gratiam nimirum & misericordiam. Quoniam, inquit Chaldaeus, docebit me legem suam in aeternum, seu suscipiet me: aut, ad se, ut Aben Ezra interpretatur, assumet in morte spiritum meum. Omnia haec enim a Dei filio dicuntur propter nos, qui ob felicissimam illius resurrectionem, in qua mirabilis Dei patris erga eum apparuit dilectio, simul cum ipso ad aeternam assumimur requietem. Quantam mihi porro afferunt consolationem uerba illa, quae nunc etiam in carne positus, mecumque colluctans, ab aureo Christi ore audire uideor, quorumque memoria non solum corda hominum diuinae suauitatis capacia, uerumetiam saxa ipsa inanima & rupes commouere deberent: Venite, inquit, benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est a patre meo, ab origine mundi. O me felicem, si, quid aio si? quoniam, in-
[inquam]

{pdf 419, p. 201v}

-quam potius, unus ex illis ero. Dementia forsitan haec est, ac praesumptio, imo uero etiam summa haec est sapientia, quam me hasce inter quercus atque ilices latitantem nuper edocuit meae fidei autor Christus: huic enim semel addictus, incorporatusque,

ut inquit Paulus, atque per coelestis patris misericordiam illico haeres destinatus, quomodo non semper cum illo commorabor? Euelli potius Sol ipse sua a sede poterit, obscurarique, ac cum caeteris coelorum astris in opacam nostri orbis regionem delabi, quam ab amore, quo suos Deus sub gelidissimo persecutionum septentrione laborantes inflammare solet, dissociantur piorum animae, iustitia illa uidelicet animatae, qua Deo uiuitur per fidem. Haudquaquam igitur uerebor fide & ego illa munitus, quae est in Christo Iesu, quamque Deus per ipsum, tanquam per aureum riuulum, in me alioqui sterilem & siccum deriuauit, una cum ipso, cuius ego per gratiam sum membrum, dicere: Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferni, cum me acceperit, cum ad sese traxerit, uti iam traxit, sibi que per misericordiam copulauit. Cum haec itaque plane uulgo incredibilia uideantur, quae hucusque a spiritu in involucro dicta sunt, additur diapsalma, vel eo maxime quod in sequentibus dicturus erat:

{49.17} Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus eius.

{49.18} Quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.

Pulchra nimirum ac Christi spiritu digna haec est paraenesis, qua suos hortatur, ne illorum metuant fastum, qui in multitudine diuitiarum suarum gloriantur, cum ipsa eadem illorum felicitas breui interitura sit. Siquidem cum mori illis contigerit, nihil prorsus rerum illarum, quas tam ardentem in hoc mundo dilexere, secum auferent, ingloriique e uita decedent. Quorsum igitur tam breuem improborum pertimescimus felicitatem, quae cum illorum uita, quae breuissima est, simul interit? cuique felicitati sempiterni hi dati sunt comites, dolor, moeror, luctus, planctusque insaturabilis, ac perennis in cruciatibus miseria. Quis tam bellam, ni prorsus excors sit, deamet felicitatem? Sed illud supra modum dictu mirabile, quod cum haec nobis dicantur, nec quo minus ea uera sint dubitemus, imo etiam & credamus, & in Ecclesia una cum caeteris fateamur, illecti tamen rerum harum inferiorum ambitione, falsa que decepti beatitudinis imagine, unus post alium certatim ad miserrimum illum uitae exitum perinde properamus, ac solent hi qui in hippodromo currentes, gloriosum expectant post cursum brauium. Heu mentes attonitas. Non te male habeat, inquit spiritus, non mireris, discrucierisue animi, cum diues factus fuerit homo improbus, ac uulgo gloriosus, tu uero pauper & inglorius: ne, inquam, pro magno illud reputes, cum suam in altum malis artibus, dolo, saeuitia atque usuris euexerit familiam, natura humilem & obscuram: nam cum ipse interierit, interibit quoque secum pariter quicquid in terris gloriosum illi uisum fuit: nudus enim ab hac uita excedet, quemadmodum nudus in eam, alioqui suo sibi uitio letalem, ingressus est.

{49.19} Quia anima eius in uita ipsius benedicetur, confitebitur tibi cum benefeceris ei.

Quidquid illi felicitatis obuenturum erat, id totum illi in uita darum est, caeterum nil ultra, praeter miseriam. Sed tu interim mihi turpissimum illius morem conside. qui neminem laudare aut amare solitus sit, nisi quem uiderit suis seruire commodis & uoluptatibus, caeteros uero quamuis integros & probos aspernatur. Benedici hic positum est, pro rerum copia affici: confiteri item pro laudare ac gratias agere & est

sensus ac summa, quod anima impii, hoc est, ipse impius in hac solummodo uita rerum ubertate affluet, ab aliisque laudabitur partim timore impulsis, partim uero ignorantibus, quae nam sit uera uitae felicitas & beatitudo: ille autem contra eum tantummodo laudabit, qui suum approbabit uitae modum, sibique suis in cupiditatibus morem geret. Verum alius uidetur esse sensus Hebraeis, quia alia est litera. Sic Fel. Anima suae in uita sua benedicet, & celebrabunt te: id est, in hac uiam beatus sibi uisus est: & laudabunt te (mutatio est muneri hi scilicet, qui confidunt in uirtute sua: cum non dissimilis illis fueris, te laudabunt. Quid si diuitem hunc ineptum]

{pdf 420, p. 202}

-ptum apud se loquentem introducamus? Celebrabunt, inquit, te uulgo, erisque aliquid apud multitudinem, cum sic tibi prospexeris, molliterque uiuens agrum agro accumulaueris. Verum utcunque intelligatur litera, miser ille, de quo multa in parabolis loquutus est spiritus, post breuem illam uitae gloriam, post delitias, post turpem rerum omnium saturitatem & fastidium, tandem

{49.20} Introibit usque in progenies patrum suorum, usque in aeternum non videbit lumen.

En tandem improbi diuitis exitus: ex hac enim uita demigrans cum nihil minus tamen cogitaret, in infernum, ubi illius iam pridem, longa aetatum serie, descenderunt patres, quorum mores imitatus est, proiicietur, absque spe ulla uidendi unquam lucem. Veniet, inquam, quo patres eius, qui simili fuerant improbitate infecti, uenerunt, ubi horror noctis aeternus, caligoque densissimis inuoluta tenebris omnem prorsus aufert diem ac lumen, multo magis Deum, qui lucis omnis principium est. huiusmodi enim improbitatis homines tunc Christus quasi digito demonstraui, quando Iudaeos alloquens improbis omnibus loquutus est, dicens: Vos implete mensuram patrum uestrorum. Primus porro martyr, Quem, inquit, prophetarum non occiderunt patres uestri? Quare sic suos admonet Deus in uate illo: Ne sitis, inquit, sicut patres uestri, ad quos clamabant prophetae priores, dicentes: Conuertimini de uis uestris malis, & cogitationibus uestris pessimis, & non audierunt, neque attenderunt ad me. Illuc igitur ubi nullus ordo est, nec lux, nec uita, sed sempiternus horror, perpetuaque mors, nox & moeror inhabitant, patres impii cum filiis simul impiis, uno facto uolumine descendunt, aeternumque manebunt. Et certe nulla illis a iudice illata iniuria, nam

{49.21} Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

Repetit quae superius dixit. Miserabilis homuncio, clamat Paraphrastes, cum in honore propter diuitias esset, nihil intellexit: sed pecudum uitam imitatus, sese similem fecit illis. Ignorato quidem, seu potius neglecto bonorum omnium morum fonte, mirum si homo aliud uitae genus eligat, quam ferarum. A quo sane uitae genere faxit Deus ut ego, qui haec a turbis remotus, utcunque inter dumeta ac saxa balbutio, cum caeteris diuini honoris studiosis abhorrens, illuc me totum proiiciam, ubi mea continua suum habent nidum suspiria, ad pedes nimirum Domini mei Iesu Christi, ubi meam iam omnem

collocatam esse felicitatem certo scio. Reposita quidem est haec spes mea in sinu meo: interim uero tam benigno Domino laudum omnium cumulus, honorque perpetuus in seculorum persoluantur secula. Amen

PSAL. L. Psalmus Asaph.

{50.1} Deus deorum Dominus locutus est, et vocauit terram a Solis ortu usque ad occasum.

Hactenus primus est uersus Hebraeis. Caeterum Asaph unus ex Leuitis illis erat, qui in die illo, quo, at in sexto Paralipom. capite legimus, attulerunt arcam Domini, & constituerunt eam in medio tabernaculi, a rege ad confitendum Domino selectus fuerat, quisque cum caeteri partim lyra, partim organo diuinas celebrarent laudes coram arca, ipse in cymbalis idem laudandi Dei munus nauiter exequabatur. Cui & is in primis quem nunc exponere nitimur, tanquam cantorum principi demandatus fuit psalmus, mysterio nimirum omnium maximo insignis: quippe qui de filii Dei aduentu, ortuque Euangelii, ac gentium uocatione, mirabili uerborum artificio pertractet. Quocirca narraturus uates rem mirum in modum sublimen, atque adeo pene incredibilem in ipso Psalmi exordio magnificis admodum utitur uerbis, dicens: Deus deorum Dominus locutus est, vertunt. Paraphrastes uero cum nostro legit: Deus, inquit, iudicum Dominus loquutus est. nam iudices olim Iudaeorum dii appellabantur. Prophetae item, caeterique qui spiritu Dei agitabantur, agitanturque impraesentiarum, adoptionis

{pdf 421, p. 202v}

gratia dii uocari possunt: quorum tamen omnium Deus opt. max. Deus est ac Dominus. Vide quomodo hic uates audituris metum iniicit, cum illum qui omnium quamlibet doctrina & spiritu sublimium princeps est, loquuturum asserit, non his quidem aut illis duntaxat, sed omnibus regionum omnium, qui ab ortu Solis usque ad occasum terras incolunt. Nemo enim ab Euangelii fide excludit, Ideo ille qui rex magnus est super omnes deos, id est, qui super quoscunque, quantacunque polleant dignitate ac potentia, siue in coelo, siue in terra, constitutus est rex, quique olim multifariam, multisque modis per Prophetas suam mundo aperuerat uoluntatem, nouissime extremis hisce diebus, proprio ipse ore nobis loquutus est. Et primum quidem sui castissimi sermonis initium e Sion, tanquam e sublimi fidei turre & specula, auspicatus est. Quare

{50.2} E Sion species decoris eius, Deus manifeste ueniet.

Sion, Hierusalem est in scripturis. Speciem decoris eius, non tantum diuinam Christi praesentiam, qui speciosus prae filiis hominum in terris factus est, appellat hic spiritus, quantum salutis humanae, coelestisque doctrinae praeconium, quod in Hierusalem, tum per Christum, tum per eius discipulos exordium habuit. Felix sic: Ex Sion ornamento pulchritudinis Deus splendide apparuit. Non possum equidem hic a nonnullis non dissentire, qui cum suis in proemiis de promulganda Euangelii lege ac gratia, Christique aduentu primo in carnem, psalmum hunc factum asserant, in ipso tamen ferme interpretationis initio, ad secundum statim transeunt, a uocibus intercepti (opinor) illis, quibus ad exprimendum magis Euangelii fulgorem ac pulchritudinem

utitur uates: ut sunt, Deus manifeste ueniet, ignis ante illum praecedet, & similia alia: quae tamen non minus primo, quam secundo Christi aduentui conuenire mihi uidentur. Tentabo igitur, spiritus Christi ductu, an psalmus iste uere diuinus, decorisque ac perfectae pulchritudinis Christianae reipublicae praeco, primo illi celeberrimo Christi aduentui, cuius praesentia nostra tunc salus coepta est delineari, atque ab ipso Dei filio tanquam (ut sic dicam) calotechnio absolutissime perfici, aptari queat. Alioqui certe quid mihi secundus iucunditatis, imo quid terroris atque adeo diffidentiae ac desperationis non afferret, nisi primus extitisset, qui blanda suauisque sui memoria, metum omnem meum temperaret, dulceque redderet si quid amaritudinis ex peccati haustu meum aliquando infecit palatum? Verum si cui magis aliorum psalmum de utroque interpretantium aduentu sententia amiserit, non aegre feram, imo illam cum ipsis & amplexabor, & si sic Ecclesiae uidebitur, dissuauabor: tantum meam simpliciter aperiam opinionem, fultam nihilominus non minimae classis ac doctrinae uiris. Deus, inquit uates, qui patribus olim nostris, sub uerborum rituumque inuolucro loquutus est, ac suam corpoream mundo pollicitus est praesentiam, en tandem manifeste ueniet.

{50.3} Deus, inquam ille, noster ueniet, et non silebit.

Excussis enim umbris, apparuit ipsa manifeste ueritas: qua, siue in terris, siue in coelis quoque requiras, quid manifestius, quid lucidius inueniri potest? Ego, inquit, qui loquebar, ecce adsum. Hinc porro sic de manifesto huiusmodi accessu ad nos per carnem, liquidissima testatur uoce Esaias: De Sion exhibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem & iudicabit gentes, & arguet populos multos. Num, te obsecro, gentes a quoquam iudicari, arguique multi late degentes populi occulte, & non potius palam & manifeste poterunt aliquando? Ad haec, lucis huiusce radios, crassiori cum etiamnum essent sensu ac spiritu discipuli, semel intuentes quasi per transennam, dixerunt Christo: Ecce nunc palam loquaris, & prouerbum nullum dicis. Quod si tamen quis Dei filium in terris obscure atque occulte uixisse, suumque sparsisse uerbum contendat, is audiat, hominum tunc malitiam atque ignorantiam, addo & hebetudinem, in causa extitisse, quin Solis radios, uel in ipso splendidissimo meridie, intueri potuerint. Esto siluerit ipse, ut uis, num propterea post Christi mortem, felicissimamque illius ad dexteram Dei patris assensionem, siluere Apostoli? num caeteri illius prope-

[propemodum]

{pdf 422, p. 203}

-modum absque numero discipuli? num hi omnes gratiam per Christum mundo allatam silentio texere? nonne publice, propalamque haec omnia? Nonne in omnem terram exiuit sonus eorum? Martyres porro ne illi primi, bases nimirum fidei & Ecclesiae, in arctis angulis, angustisque locis, an in mediis ipsis urbium plateis & theatris, toto spectante orbe iugulati fuere? Manifestus igitur, ac, ut uertit Felix splendidus apparuit Dominus, splendidus uixit, splendidus mortuus est, splendidus resurrexit, splendidus nunc quoque in piorum cordibus, per sui sanctissimi spiritus infusionem cernitur: in caeteris uero & obscurus, & (ut sic dicam) letalis: quemadmodum olim etiam in ipsa crudeli sui purissimi corporis, in quo neque tunc species, neque decor uisus est, dilaceratione, membrorumque omnium dissolutione, pulcherrimus paucis illis, qui in eius fide permanserunt, sed in primis beatae uirgini secretorum coelestium consciae,

apparuit: aliis autem informis, & plane extinctus. Qui, rogo, dicendus is est in tenebris aduentare & occulte, cuius aduentus ignis antea ambulat, atque horisonus procellae strepitus praeco?

{50.3} Ignis, inquit, ante ipsum praecedet, & in circuitu eius tempestas valida.

Ignem hic uocat spiritus, uirtutem illam efficacem, quam suo ab aeterno inseuit uerbo & legi Deus, cuiusque ardor in ipso statim gratiae limine, mortalium cum omnium tum Iudaeorum maxime corda uiolentius, quam antea, & mouit, & partim ad uitam, partim ad interitum exussit. Commotus est, inquit Matthaeus, seu turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo, nempe Herode, qui ut gentium ad tam insolitum noui regis aduentum commouendarum typus fuit, ita ciuitas illa, totius populi Iudaeorum. Ad haec, ex huiusce facis igne, illa tum primum ardens, ut illum appellat Christus, lucerna de improviso erupit Ioannes, uatum nimirum omnium maximus, imo uatum interpres, qui omnes quotquot illum ad Iordanis ripas conuenissent ad eum enim certatim turbae, publicanique, ac, ut refert Lucas, milites discendi causa conueniebant tanquam uox uerbi, praecoque & nuncius, publice ad ueram capessendam pietatem erudiebat. Unde omnis Iudaea, ut inquit Matthaeus, Hierosolymaque, atque omnis regio circa Iordanem, tam nobilis lampadis excitata fulgore, exhibant ad eum, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Haec ne in occulto? Sentis ne ignis illius uim, qui ante eum praecessit, & inflammauit in circuitu inimicos eius? O si mihi uel tantillum saltem, in tenebroso uitae huius itinere, tam efficacis ignis uiri illius, cuius nomen a sacra mihi unda contigit, contingeret. Discrucior sane animo, nondum me uel minimam quidem uitae illius, cuius nomen adeptus sum, integritatem arripuisse: arripiam tamen, modo Deus, cuius ille aduentui tanquam fax ardens praeuius fuit, me in spiritu & igne etiam atque etiam ablui iubeat. Atque haec de igne dicta sint. Caeterum tempestas ualida, seu turbo, ut uertunt Hebraei, eo sane tropo, quo ignis, Dei potentiam omnia in Christi aduentu proterentem deuastatemque significat. Quare Paulus istiusmodi ignis calore accensus, turbineque illo, cuius olim impetu ex equo deturbatus exterritusque, e persecutore factus est uas electionis, clamabat: Arma militiae nostrae non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum (ecce tibi uis ignis & procellae) consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam. Vides quam concitus factus sit Pauli sermo, ob ignis tempestatisque diuinae impressionem? Vis ne aliam uehementiorem audire commotionem?

{50.4} Aduocauit coelum desursum, & terram discernere populum suum.

Videor hic mihi illud seruatoris audire: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Atqui & supera & infera, coelestia nimirum & terrena ad erigendam tunc Ecclesiam, nempe diuinitatis in terris domicilium, Christi, Christianorumque cum Christo, in tam nobili aedificio collaborantium, obsequiis praesto adfuere. Prodigia enim tum primum immensa, tum in coelis, tum

in terris ad mortalium terrorem visa sunt. Et ut alia pene infinita praetereamus, nonne in Christi morte Sol in coelis, tanquam sui autoris exhorrescens mortem, expalluit, atque absque luce uisus est? Quid terra? petrae, inquit, scissae sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Vocatum itaque coelum, suam sursum uersum demisit ad Christi nutum seruitutem, non tam quidem inanimatarum rerum, quam mentium illarum coelestium, quarum ministerio usus est Christus in terris, caeterique post illum Ecclesiae proceres atque illius fidei cooperatores. Laetitia illa rerum erat conditarum omnium uniuersalis, unde ab omnibus certatim exhibitum fuit obsequium: & id quidem totum, quo pii omnes a daemonum tyrannide eximerentur, & sic postea a reprobis disce semotique, unusquisque quod charius in uita habuit & dilexit, irreuocabili facta diuisione sortiretur: ita illos qui coelestia in hac uita dilexissent, coelum ut suos agnosceret, ad se traheret, atque in aeternis collocaret bonis: alios uero, utpote terram terrenaque, uel usque ad emissionem animae, sectantes commoda, terra ipsa cognosceret suumque ut populum a coelesti illo alio discerneret, tandiuque aleret, quoad per mortem absorptos ad aeternam transmitteret damnationem. His igitur suis in cruciatibus derelictis, inquit spiritus:

{50.5} Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.

Ecce quomodo secreti ab improbis boni, sanctique a nefariis, in Dei Ecclesia congregandi sunt. Hi, dico, qui fidei legem longe praestantiores esse, quam lex operum, reipsa ostendunt: & qui, ut inquit Augustinus, cogitant de promissis eius supra illa quae operantur, quae sunt sacrificia, quae hic a spiritu interseruntur. Nouum, inquit, testamentum, quod in fide fundatum est praestat ueteri, quod cruentis constabat ritibus & sacrificiis: hi igitur ad Christum congregentur, confugiantque qui superstitioso reiecto cultu, ut fere ille erat Iudaeorum, ordinant, disponuntque atque idcirco nouum istud pacis ac fidei, ut ueros decet liberos, testamentum, tanquam illius ueteris summam ac nexum, & in quo sane omnis inest perfectio, seruant. Verum Hebraei non, illi, sed mihi uertunt, hoc fere modo: Congregate mihi bonos meos, seu sanctos meos, incidentes foedus meum super sacrificium. Et est uox Christi, ad sese congregantis omnes, quos sibi datos a patre, ne quis ex illis pereat, asserit. Unde illud est: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. & est sensus, ut eleganter aperit Paraphrastes: Congregate ad me, inquit, sanctulos meos uide tenerum Christi affectum in suos, quos sanctulos uocat de quibus tam sum meritis bene, & qui mecum inierunt pactum de sacrificandi ratione. Quae quidem ratio, ut mea fert opinio, in eo consistit, ut ritibus ueterum seruatis, tam in sacramentis uel conficiendis, uel multitudini erogandis, quam in piarum ceremoniarum usu & cultu, ad Ecclesiae decorem, pietatisque Christianae testimonium a patribus decreto: illud tamen primum & praecipuum in os tu externo requiratur, persuasumque sit omnibus, Deum in spiritu & ueritate in primis coli debere. Ad quem sane finem non solum ritus isti Ecclesiae ac sacramenta referri debent, uerumetiam quicquid a sanctis Dei uiris, ueraeque religionis capacibus hic agitur, id totum prorsus eo tendit, ab illoque, tanquam radii a Sole, dependet. Id quidem foedus est Dei cum suis initum, incisumque in eorum corda atque animas, ut olim incidebantur in aes aut saxum, leges foederum.

{50.6} Et annuntiabunt coeli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est.

Quis hic non miretur, simulque quanto ualet animi studio ac nisu, iustitiam illius licet secretam, uulgoque fere incognitam, annunciet, qui remotis procul ab Ecclesia reprobis, quos uti suum populum terram discernere in superioribus imperauit, illis tantummodo suae misericordiae sinum aperit, quos suos fore iam ante rerum originem praenouit (hos coelos uocat) ac propterea suo cultui, qui spiritum totum hominis requirit misericorditer addixit? Quod quidem mysterium praeteritis omnino seculis incognitum, nobisque in Christo palam factum, tanta adeo miratione dignum uisum est uati, ut Selha hic interponere curauerit, uel eo maxime, quod

{pdf 424, p. 204}

abolendam prorsus esse sacrificiorum legem, cum haec scriberet, in spiritu praeuiderit, Unde nouum atque perpetuum sacrificandi ritum conscripturus, facit hic Deum uniuersorum iudicem, quo res altius consideretur, ad uniuersam totius orbis multitudinem sermonem habere.

{50.7} Audi, inquit, popule mi, et loquar Israel, et testificabor tibi: Deus Deus tuus ego sum.

En hic Ecclesiae, quae est in Christo, fundamentum ponitur: nam fides ex auditu. Clamat igitur in hoc psalmo Christus, omnesque communiter ad ea quae dicturus est audienda, sed cum primis in libro uitae per gratiam conscriptos, qui sunt uerus Israel, inuitat. Audi, inquit, hoc est, meis fidem adhibe uerbis, popule mi. Populum suum uocat Deus omne mortalium genus, quippe qui omnium pater est & conditor, ne non uocatum se quis expostulet: uerum quia fides non omnium est, ut inquit Paulus, sed Dei est donum, speciali, ut dixi, praerogatiua suos alloquitur: illos dico, qui oblatam fidem amplexuri erant. Te, inquit, o popule mi, o Israel, o qui credituri estis in nomine meo, uos alloquor, uos ad meam inuito concionem, uos testes adhibeo, quod Deus Deus uester ego sum. Innumera enim quae uobis potentiae meae addo, & amoris mei erga uos exhibui testimonia, nonne clamant me solum uestrum esse Deum? Vide quid Dei filius in Ioanne de se dicat: Si non facio, inquit, opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, si mihi non uultis credere, operibus credite. portet igitur accedentem credere, sed illud ante omnia, quod ipse est Deus, Deus (inquam) noster per gratiae dilectionisque, qua suos dilexit ante mundi constitutionem, priuilegium. Quid hic (malum non diffiniunt de Deo, atque eius, ut uocant, essentia nonnulli? uerum inepte, siquidem ineffabilia mortali explicare uelle uerbo, impossibile plane est, ne dicam stultum. Ad obediendum fidei, clamat Paulus, gratiam & Apostolatum accepimus. quare ubi Dominus quidpiam asserit, ut inquit Chrysostomus, non oportet audientes multum defatigari, aut curiose nimium indagare, quae dicta sunt, sed tantum excipere & credere. Non, inquit, ut ipsius substantiam indagemus, sed ut in eius nomen credamus, uocati sumus. Sed iam concionis seriem uenerabundi uideamus.

{50.8} Non in sacrificiis tuis arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

{50.9} Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.

Quandiu enim Israel puer fuit, legique ceu aspero seruiuit paedagogo, ad ea quae legis erant seruanda diuina tenebatur iussione, contendebatque pro uiribus uerum nequicquam: nam aceruum illum immensum caeremoniarum, rituumque ac libationum, nemo unquam integre exequutus est: quando quidem nihil unquam ad perfectum, ut ait Apostolus, adduxit lex. Et licet cuncta illa antiquae legis decreta ac sacrificia, populi illius fidem testarentur, tamen id paucis cognitum erat: proinde alia ab ipsa iam mundi origine promissa sancienda erat lex, foedusque percutiendum aeternum, quod passim omnibus ubique gentium uiuentibus obuium foret: id Euangelium erat, id Ecclesia, id Christus, cuius cultus ac religio a spiritu hic optime effigiatur. Ne uerearis, inquit, o homo, te a me reprehendi, nisi cruentis mihi litaueris sacrificiis: plenus sum. Ne offeras ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi, holocaustomata uestra non mihi iam sunt accepta: nouus incoeptandus est cultus, cuius summa, amor est, non cruor aut timor, ut olim. Vestra enim ne dubitetis holocausta in conspectu meo sunt semper: iam illa habeo, mea quippe sunt, tantum abest ut mortalium rebus egere dicar. Non amplius accipiam, ut hactenus factum est, de domo tua uitulos, neque de gregibus tuis hircos, o homo: umbra illa omnia fuere. En ueritas, en ego qui tum rebus in illis loquebar, adsum. In me iam solum uestros, o mortales, conicite oculos. Exoleuerunt iam demum umbrae, praesto est lux. Illud porro non praetereundum, holocausta in conspectu meo sunt semper, a nonnullis per negationem legi, hoc modo: Et holocausta tua non semper me coram: ita Kimhi Hebraeus interpretatur, uultque negationem utrique inseruire hemistichio, quemadmodum

{pdf 425, p. 204v}

in superioribus dictum fit: Non dabit Deo placationem suam, & precium redemptionis animae suae. & est sensus, holocausta uestra haud semper mihi accepta erunt & grata, utpote quae ad tempus duntaxat praefixum, uestrae prospiciens imbecillitati, seruari uolui, caetero mihi nauseae erunt:

{50.10} Quoniam meae sunt omnes ferae syluarum, iumenta in montibus, & boues.

{50.11} Cognoui omnia uolatilia coeli, & pulchritudo agri mecum est.

{50.12} Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terrae, & plenitudo eius.

Nulli dubium esse debet, sacrificantium tum Iudaeorum animum magis spectasse Deum, quam occisa pecora. Id enim fuit in mente Dei consilium, ut Iudaeorum populus uerae religionis experts & rudis, ab illis sensim sacrificandi ritibus, ad ueram capessendam pietatem, quae potissimum in animo consistit, transiret, condisceretque sibi tandem emori, ac Deo uiuere: alioqui quid uis illa uictimarum, omnia a molitori Deo uel honoris uel utilitatis conferre potuisset? Illud, Cognoui omnia uolatilia coeli, nihil aliud sibi uult, quam, in mea sunt potestate, Hebraismus est quo haud raro in scripturis legimus Deum suos agnoscere, quod idem est, atque Deum illos ut suos habere, eosque curare & tueri. Caeterum cum belluarum omnium, ferarumque syluestrium, uolucrum item multitudo, & quicquid mansuefactorum animantium in terris uspiam inuenitur,

diuinae morem gerat uoluntati, atque in illius sit potestate: absurdissimum plane esset censere Deum, tanquam hominem rerum harum inopem, bestiarum carnibus uesci, aut illarum nidore delectari, proindeque e domo illas hominum, aut armento poscere. Puerilia sane quidem illa fuere sacrificia, pueris nimirum Iudaeis, hoc est, nondum solidiori pietatis edulio, quod allaturum erat Euangelium, assuetis, ad tempus concessa. Verum plenitudine ea temporis aduentante, qua suum misit Deus unigenitum, factum de muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret (en quomodo perditum erant quotquot sub legis onere premebantur) coeperunt illa omnia usque deo nutare, donec aperta iam tandem ab agno pietatis Euangelicae tabula, ac libro qui Dei manu obsignatus fuerat resignato, prorsus occubuere, aliudque sacrificandi genus, perbreue scilicet & compendiosum, in eorum successit locum, Quamobrem a spiritu additur,

{50.14} Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.

Haec est summa, conclusioque totius illius sacrificiorum acerui atque oneris, ut serio quis Dei considerans bonitatem, atque in mortales dilectionem, illum quem tu large effusum in erogandis huic mundo ingrato & duro muneribus cernit, admiretur, amet, quaerat, illumque solum ante omnia expetat, secumque uelit, cui & se & sua tuto queat committere consilia: interim uero nil tam charum in uita habet, quam ut tam benignum dominum, qua oris, qua cordis efferat laudibus, iuxtaque ueluti de se structa ara, ac simul uictima, se totum ad diuini nominis honorem & mactet & incendat. Atqui talem sacrificandi morem atque usum in quo fides atque amor humanis iugulatis sensibus, splendiores fiunt, diuina approbat maiestas. hunc cupit, hunc uel ab aeternis rerum seculis, a mortalium poposcit animis, & exegit. Vult igitur a nobis Deus nos ipsos, uult animum, uult cor, uult quod ipsum alioqui brutum atque iners corpus ut quicquid tandem sumus, quicquid vivimus, uouemusque, id totum facta ueluti rerum omnium nostrarum sarcina ac globo, una sit laus Deo, unaque libatio & sacrificium. Caeterum hic uates (opinor) celebris illius ac solennis meminit uoti, quo nostrum quilibet se Deo in baptismo dedicat: huic contrauenire scelus pene inexpiabile censetur: quocirca, uelim nolimus, inuiolata reddenda sunt, quaecumque tanta cum religione promissimus. Quid porro de nobis censendum, qui non contenti nos semel deuouisse Deo addimus & aliud nouum noua obtestatione iusiurandum? Non nouum quidem id est, sed quaedam pia prioris testificatio, recensque promissio illorum quae iam polliciti sumus: unde arctiori nos nodo, qui in claustris sepultam degimus uitam, repetito iusiurando, distinemur nodatique sumus, quam hi qui semel in ba-
[baptismo]

{pdf 426, p. 205}

-ptismo ea Ecclesiae promiserunt uoueruntque, quae seruata, perfectissimum reddunt hominem, capacemque aeternae felicitatis per Christum, cuius cruore ac nece, uis ea data est aquis, ut nihil aliud requiri posse uideatur, quin superfluum omnino sit & nouum. De uotis uero quae sparsim ab hominibus in periculo aliquo constitutis nuncupantur, quid iudicandum sit, id dii Ecclesiae uideant: de modo, non de re ipsa loquor. Tantum illud dicam, uota illa tunc uera esse ac rationi consentanea, quae a temperato animi proposito & consilio, dimensis prius humanae naturae uiribus, prudenterque examinatis proficiscentia, in Dei honorem, profectumque animarum

tendunt. Caeteroquin uota illa subita & immediata quae fiunt, quae ue magis a uehementi perturbatione animi ac metu prodeunt, quam consulto, aut erga Deum fide, quemadmodum difficilia plerunque sunt, & ut seruentur, impossibilia, ita neglecta, periculosa. Sed de omni hac uotorum ratione non loquitur hic uates, uerum de illa qua perpetuo foedere anima & pollicitatione se consecrat Deo, promittitque se, quaecunque accidant, eius sanctum nomen celebraturam, eoque uicturam uitae instituto, quo palam omnibus fiat se nihil in terris tam cupide desiderare, quam ut diuinum laudetur nomen, sanctificeturque, atque ab omnibus ubique gentium colatur. Raro enim in scripturis uoti nomen reperies, cui Dei laus itidem coniuncta non sit. Caeterum quoniam cuius anima temperamenti sit, quid ue de Deo sentiat, non clare admodum discerni potest, idcirco addita est aduersitatum lima, cuius quidem dente uel ad uiuum usque interdum corrosa, quo se uertat, plerunque ignorat: eam ob rem a Deo, ut est animarum amantissimus, ne tota in scobem exeat, admonetur.

{50.15} Invoca me, inquit, in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.

Duos hic mihi uidere uideor fidei gradus, ad animarum perfectionem necessarios: alterum enim, quo certo credant sese occultis spiritus stimulis ad amplexandam crucem animari, inuitarique: alterum uero, quo suam non ignorantes infirmitatem, nusquam sibi sperandum esse in ipsa ferenda cruce auxilium, praeterquam a Deo, persuasum habeant. Qui Deus ita nostri cupidus est, ut non solum nos periculi incautos admonere soleat, uerumetiam sese nobis exhibet in aduersis defensorem: qui tamen haud multa quidem a nobis propterea exigit, neque multi laboris ac curae, ut olim illa erant Iudaeorum, sacrificia, uerum id tenue & solum, ut, reiecta prorsus caeterarum rerum spe & fiducia, ad se tantummodo confugiamus, sibique pro reportata ab hostibus uictoria, gratias saltem habeamus, si aut referre, aut agere molestum est. O certe leuissimum Euangelicae pietatis iugum, in quo nimirum aliud nihil tam efficax & salutare requiri uideo, quam fidem. Vide, te obsecro, mi lector, quam abbreviatum sit factum uerbum Domini. Inuoca me, inquit, in die tribulationis. Sed quid, suauissime Domine, nobis inde erit sperandum? Eruam te. O immensum beneficium, sed eo quoque immensius, quo is qui promittit, Deus est. Verum num in me aliquid est, quod te dignum tibi rependi queat? Est sane: me honorificabis. En igitur laudis sacrificium, en uota, en promissiones, de quibus superius mentionem fecit spiritus, dicens: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua (censent quidam orationes has esse Deo factas pro salute nostra) Unde in uotis nuncupandis Dei potissimum honos, quae nostra est salus, quaeri debet, non leuitas animi, aut subita parumque cogitata, ut sic loquar, praecipitatio mentis. Haec sane me edocuit spiritus.

{50.16} Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?

Iustitias meas, statuta mea. uertit Fel. Alius ex Hebraeo, legem meam. Paraphrastes uero constitutiones meas. Haec enim omnia idem significant, legem scilicet diuinam, quam postea testamentum appellat uates: hoc est, foedus illud aeternum cum Deo percussum, quo homo se ui fidei per Euangelium seruatum iri credat. Iustitia quippe nostra a Deo gratis per fidem, quae summa est diuinae legis, originem habet. Sunt etiam qui iustitias meas, caeremonias meas uertunt, non quod

{pdf 427, p. 205v}

ab ipsis mortalium iustitia, quae a fide est, proficiscatur, sed quia hae nostram in Deum fidem ac pietatem, ut ualent, testentur, modo a pio animo ac religioso peragantur. Verum quia omnia quae sunt Dei, atque ad eius cultum spectant munda omnino esse debent & pura, utpote animarum candorem secum afferentia, eam ob rem ab animis iuxta & corporibus optime purificatis & mundis tractari illa debent: secus uero ab arroganti corde ac superbo, quae est letalis animae pestis, addo & a corpore libidinum maculis inquinato, contrectari docerique, maximum est scelus: quare non immerito, qui talis est, a Deo hic arguitur. Quare, inquit, tu, hoc est, qua fronte tu immundus, tu impurus, tu inquinatus, meas audes enarrare constitutiones, quae mundae natura sunt, purae & castae? Cur uel nominare quidem, multo magis edocere mes, quod cum meis pepigi, foedus praesumis? Tu ne polluto illo ore, quod maledictione & amaritudine plenum est, incircuncisisque labiis, meam non erubescis praedicare legem, meumque testamentum, quod sanctum est, sanctosque proinde suos esse buccinatores & uult & praecipi diuulgare? Ridiculum plane, alios ad morum culturam atque ornatum instruis,

{50.17} Tu uero odisti disciplinam. & proiecisti sermones meos retrorsum.

Tu praedicas non furandum, & furaris? non scortandum, & scortaris? Disciplinam hic poni pro correctione intelligas, ut hinc duos potissimum improbitatis in improbo gradus uidere liceat. Primus igitur cum uideatur esse ad pietatem accessus, admonitiones sedato ferre animo, atque subinde Dei uerbum amplecti ita ad impietatem primus is est, proborum correctiones auersari, atque propterea ad secundum statim prorueri, qui est uerbi Dei neglectus. Caeterum hic inter reliquos Dei hostes taxari hypocritam iudico, quem per emphasim peccatorem nuncupat spiritus. Solet enim is qui huiusce generis infectus est inquinamento & uitio, ad suam obtegendam prauitatem artificiosissime Dei uerbo uti: cum totus enim intrinsecus sordidus sit & superbus, omnium tamen purissimus ac mitis, nempe qui suis in sermonibus, in actionibus, in moribus, nil nisi sanctimoniam prae se ferre uideatur, a leuissima censetur turba. Si quidem externum hominem illum spectes, neminem unquam in exhortando, in conuersando, in corrigendo, ut mansuetiorem, uel doctiorem uidisti. Sed quid si secreta illius cordis intueri posses latibula? statim, opinor, iurares non tantum aperta male olere sepulchra, quantum male olet hypocritae animus & mens merito is igitur a spiritu arguitur. Tu, inquit, qui caeteros doces, teipsum non doces? Tu qui omnem odisti correctionem, meaque post tergum proiecisti uerba, tam temerario ausus es imperio meam proferre legem? caeterisque bene uiuendi normam praescribere, cum tu ea in parte quae mortalium fugit oculos, male uiuas, imo prorsus mortuus sis?

{50.18} Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.

Succurrit hic mihi alius turpissimus hypocritarum mos et consuetudo, qui cum caeteris interdum tum doctrina, tum dignitate aliqua insigni praestent (a seruatore fures & latrones appellantur) infelici turbae facilius imponere consueuere. Nam si facto ipso non furantur, aut pudore aut metu detenti cum scortis consuetudinem non habent, assentiuntur tamen animo habentibus, applaudunt, invidentque, ac turpi quodam

mentis afficiuntur oblectamento & consensu: & sic cum agni foris appareant, intus tamen sunt lupi, & si quod aliud rapacius inuenitur animal. Rursum duo hic mala in uniuersum penitus orbem debacchantia, e quibusque tota reliqua uitiorum sentina erumpere uidetur, a spiritu in medium produci uideo: alterum quidem immodicae habendi cupiditatis: alterum peruersae libidinis. Nam dictionem illam, quam noster interpretis uertit, adulteris, cum scortatoribus, uel cum fornicatoribus Hebraeis est. quanquam non me latet maximum omnium, quae effraeni in libidine peraguntur peccata, adulterium esse, Quae dictio uisa est placuisse, cum nostro, Paraphrastae, qui sic reddit uersum: Si furem usquam uidisti, illi te adiunxisti, & fieri furti particeps cupiebas, & socius factus es illorum qui alienas stuprare solent uxores. Deme itaque ab homine intemperan-
[intemperantiam]

{pdf 428, p. 206}

-tiam habendi, ac libidinem, nescio in quod aliud uitiorum genus delabi queat. Et ut quidem nulla alia peccandi licentia ab hisce duabus tanquam belluis, uirtutum omnium amoenitatem deuastantibus, deriuari possit, quae tamen sequuntur, necessario contingere opus est:

**{50.19} Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. /
{50.20} Sedens aduersum fratrem tuum loquebaris, & aduersum filium
matris tuae ponebas scandalum.**

Quid non peierant cupidus & libidinosus? quid non fingunt? quid non mali machinantur, quo suum aliquando sopiant aestum? Omitto prudens largas auari libidinosique pollicitationes, quibus decepti nonnunquam ciues, ciuiumque uirgines, eo interdum desperationis adiguntur, ut abiecto pudore, legumque metu, illi egestate coacti publicum exercent latrocinium: hae uero corruptae atque delusae, quia uni nequiuertunt, omnibus sese uulgo prostituunt. Os igitur impii, hypocritae, auari, simulatoris, abundat malitia, fucoque omnem suum conuoluit sermonem: fingit, subridet, dolosque tandem ea connectit arte atque impudentia, ut ne suis quidem uterinis parcat fratribus. Vide, mi lector, mecumque time, considerans in quam tetrum cadat profundum ille, qui proiicit sermones Dei retrorsum, qui disciplinam auersatur, qui polluto audet ore ac turpi, puram, sanctamque edocere legem. Vides ne quomodo & supera & infera, sursumque deorsumque perturbat & confundit? Atqui ut melius illius intelligatur peruersitas, additur hic uerbum, sedens: quod sane maximam prae se fert arrogantiam, & est ac si dicat: Cum prauus nimirum sis, ac turpissimae tibi uitae conscius, audes nihilominus (nefas) tanquam doctor aut iudex, in multorum conuentu sedere, omnes carpere, calumniari, mordere, damnare tandem, si quos uides, aut suspicaris saltem, tuae aduersari libidini atque ambitioni. Quid? adeo omni exutus es humanitate, ac Dei metu, ut etiam eosdem ipsos, eodemque enutritos lacte fratres, opprimas cum caeteris, atque eis illudas? quod quidem saeuitiae genus quo penitius consideretur, eadem repetitur sententia: alioqui sat erat dixisse, aduersum fratrem tuum loquebaris. Scandalum porro dictio, Hebraeis est calumnia, seu opprobrium. Vnde sic reddit Paraphrastes: Et filium matris tuae facere infamem nitebaris. Caeterum mater hic est non tantum illa quae mortales gignit filios, uerumetiam quae immortales, quae est

Ecclesia, fidesque, atque eadem, eiusdemque professionis religio, cuius uirtute fratres omnes sumus in Christo. Videant igitur quid agant hi, quorum ea uidetur uitae ratio, ut fratres opprimant, illorumque nomen uulgo traducant. Videant, inquam, quid in sequentibus huiusmodi nequitiae homini comminetur Deus.

{50.21} Haec fecisti, & tacui: existimasti inique, quod ero tui similis. Arguam te, & statuam contra faciem tuam.

Peccata tua scilicet, ut addunt Graeci. Hebraeis eadem ferme est litera cum nostro, ab aliquibus tamen additur, me, ad hunc modum: Arguam te, & statuam me contra oculos tuos. Diuus uero Augustinus hunc interpretatur locum hoc sensu: Ostendam, inquit, te tibi. Omnia quidem haec eo, utcunque sit litera, spectare uidentur, ut maximam animi confusionem tunc fore asserant miserrimo illi, cum eius scelera Deus punire decreuerit, qui interim ad eius conniuens peccata, dissimulansque non uidere quae turpissime ab illo perpetrantur facinora, tacet, ut sic saltem cognita diuini iudicis patientia, confusus resipiscat: uerum nihil plerunque agitur: obduratus enim in malis non solum omnem abiecit bene uiuendi legem ac rationem, uerumetiam caecus omnino effectus putat Deum sua approbare scelera, aut ut homines solent, cordium secreta non uidere, quod statim non puniat. hinc itaque ea exorta est Dei reprehensio acerba nimirum ac terrificata: Haec fecisti, inquit, o scelerate & ea quidem coram me: attamen tacui, dissimulauique, finxi me non uidere, ut uel eo modo, mea deuictus mora & patientia. ad poenitentiam accederes: uerum tu nihilo secius commolitus, durior effectus es. Nam quia ad tempus tua dissimulaui scelera, me tibi similem esse, nempe stolidum ho-
[hominem]

{pdf 429, p. 206v}

-minem & incogitantem existimasti: sed se aliter res habet: te enim, ut me decet, qui omnia quamuis abdita & secreta cognosco & iudico, arguam, castigaboque, ac tuam ad maiorem mentis confusionem & metum, tua ordine omnia tuos ante oculos sic disponam flagitia, ut singillatim ea dinumerari queant, teque tibi tunc noscere faciam, qui res modo illas, quas tu turpiter tuam ad immensiore aggregas miseriam, me omnino fugere arbitraris. Verum ne id contingat, o uos hypocritae, o uos simulatores, o quorum facile ora concinnant dolos, quisque abiecastis sermones meos retrorsum,

{50.22} Intelligite qui obliuiscimini Deum,

quae loquor. En iterum expecto, taceo, dissimulo, si forte, o stupiditatem hominum, quid amplius uobis facere debui, & non feci? Intelligite iam tandem a stulti, & tardi ad credendum,

{50.22} Ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.

Raptante enim Deo, uosque ad aeternas protrudente poenas, quis tam ualidus est qui uos eripere, deque cruciatibus illis infinitis eximere possit? Rapiam, legunt Hebraei, & melius quam noster, ut personae mutatio, quantum fieri potest, uitetur. Rapiunt porro animas, ad seseque pertrahunt per carnis oblectamenta interdum daemones, uerum

Deus ex illarum numero eas, quas sibi ab aeterno suas esse nouerat, eripit. Cum rapit uero Deus ipse, nemo est nisi ille qui raptus est, qui eripere queat. Rape igitur me, o Christe, sed non eo modo, quo rapere simulatores istos, Epicureos, uentri deditos, & fraudulentos, ad aeternam scilicet mortem, comminatus es: sed eo quo tuos, ut tui sint, tecumque commorentur, & rapis, & ut libenter, sponteque sua rapiantur, tuo accendis igne, & inflammas spiritu. De istius modi enim hominum genere, ita a sanctissimo tuo spiritu rapti, illud quod sequitur abs te dictum minime ambigo.

{50.23} Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare meum.

Et qui posuerit iter (uertit Fel.) ostendam ei salutare Dei. Alius ex Hebraeo, Et qui recta graditur, illi exhibebo salutem diuinam. quo hinc perpendas, nemini unquam defuturam Dei opem, modo ille pro uirili parte conetur, fidemque, quae uia est recta, mordicus teneat. Secus tamen uidetur intellexisse hunc uersum Paraphrastes. Quicumque, inquit, mihi animi offert gratitudinem, is me uere honorat & recta it ad me. Verum in idem haec omnia recidunt: nam illud uerum, sincerique diuinae esse laudis sacrificium atque holocaustum arbitror, quoque Deus sua in religione uere, casteque honorari cupiat, cum homo totus, quantus est, illis quae ab igne fidei descendunt, mancipatur obsequiis. Qui talis est, talique mouetur affectu, quicquid iam uiuit, id totum Dei est laus & sacrificium: ad quod sane immolandum, me in superioribus inuitauit Dei spiritus dicens: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua. Intellego, intelligo benignissime domine, intelligo quid tuus sibi uelit spiritus, quid ue a me requirat, id scilicet, quod abiecto mundo, calcatoque uitae fastu, & me quoque penitus neglecto, totus, ea qua sum mensura, super aram fidei, in qua amoris ignem perpetuo ardere uoluisti, iuguler, in teque moriar. Nam certe in te emori, tuumque ad honorem sensus hos brutos mactari, uera est uita, uera religio, uerum ad te iter. O si id mihi, antequam e mortali hoc demigrem corpusculo, contingat, ut iam tandem, contemptis mundi huius miserrimi iniuriis & lenociniis, spretaque improborum audacia atque impudentia, qua exterrita interdum anima in iustitiae itinere lassescit, ad te qui solus suspirantium animarum refocillator es & consolator, accedam propius, in teque libere transiens, peccato prorsus moriar. quod quidem illud iter est, quo arrepto, id mihi supra omnem suauitatem suauissimum pollicitus es dicens, Ostendam illi salutare meum: quod sane tuum esse filium Christum Iesum omnium seruatorem, & scio, & amplector: cui tecum laus sit perennis, una cum utriusque spiritu, & honor & gloria in secula seculorum. Amen.

{pdf 430, p. 207}

PSAL. LI. Psalmus Dauid, cum ueniret ad ipsum Nathan propheta, quando ingressus fuerat ad Bethsabee.

{51.2} Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

Non est, opinor, tam profligatae uitae homo, qui hoc psalmo medullitus inspecto & gustato, non ad sua protinus execranda scelera moueatur, atque ad exemplum tanti regis, ut fuit Dauid, ad implorandam Dei clementiam non se accingat. Quot enim syllabae aut apices literarum in hoc diuino insunt psalmo, tot ignita mihi uidentur esse

iacula. Haud insolens id quidem: uerba enim quae ab amaritudine uerae poenitentiae, a cordeque serio contrito proficiscuntur, istiusmodi armata sunt robore, ut ipsas quoque res inanimas, nedum corda humana, commouere sint apta. Daud quidem, tantus scilicet uir, tam diues, tam sapiens, tam barbaris formidabilis, tam immensis a Deo donatus bonis, en quomodo suae prorsus oblitus dignitatis in foedissimum carnis lapsum misere proruit: cui & homicidium fidelissimi atque adeo religiosissimi addidit militis. Arca (inquit uir ille) Dei, & Israel & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab (is enim totius exercitus Daudis imperator erat) & serui domini mei super faciem terrae manent, & ego ingrediar domum meam, & comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? O animum certe pium & generosum. Is tamen ita de Dei religione & cultu, addo & maiestatis regiae optime meritis, ab ipso (illius antea stuprata uxore) obtruncat rege, seu ipsius iussu ad Rabath moenia hostium sagittis confossus occubuit. Putas ne subito regem, horrendum post adulterium, strenuique militis occisionem, ad cor rediisse? non credo: nam nuncio mortis Vrae a castris allato, misit, ut sacra refert historia, & introduxit Bethsabae in domum suam, & facta est ei uxor, peperitque ei filium. Verum a uate Nathan, orto iam puero, admonitus, a laetis se statim hymenaeis ad luctum dedit, suamque Deo detegens turpitudinem, in illa amarissima ab ipsis consternati cordis radicibus eruta prorupit uerba: Peccaui Domino. Quae sane uerba cum attentius considero, tot gemitus, suspiriaque interiacentia uidere mihi uideor, quot elementariae in eis positae sunt literae. Tamen non contentus (ut erat uerae resipiscentiae typus & imago) huiusmodi suum notis detexisse peccatum, atque subinde a uate audiuisse, Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris: arrepto psalterio, hanc lachrymosam Deo cecinit odam: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Parum dicit, sed multum prae se fert: magnam enim implorans misericordiam, magnum suum fuisse delictum innuit, magnamque miseriam. Magnum, inquit, peccatum peccaui, idcirco tuam magnam, o Deus, imploro misericordiam. Magnis sane uulneribus hinc inde sanie defluentibus, magna peropus est cura & medela: quam quidem totam tua in bonitate ac misericordia sitam esse non ambigo. Et haec pro dictione, magna, exponenda sint dicta, quae in Hebraeorum codicibus non inuenitur, sed id solum, Miserere mei Deus secundum bonitatem tuam, et secundum amplitudinem miserationum tuarum dele transgressionem meam: quod noster interpret vertit,

{51.3} Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Multitudinem hic uocat Daud diuinarum miserationum largitiones, propterea quod Deus multifariam sua uti solet misericordia erga uere poenitentes. Quemadmodum enim uariae sunt diuinae legis transgressionem, ita uariis utitur modis Deus ad nostram subleuandam miseriam. Clamat igitur misera anima: O Deus, cuius conspectum, quo etiam abditissima permeas, non sum ueritus, cuiusque offensionem tam parui duxi, pro nihiloque habui, ut in profundam peccatorum uoraginem & barathrum me mea sponte coniecerim, quo me uertam? Peccaui, multumque peccaui, atque iterum peccans peccaui supra modum. Ad quem uero pro tot meis amplis, nefandisque peccatorum maculis abstergendis confugere debeo, nisi ad te, qui natura, contra hominum morem, misericors es, et multus ad ignoscendum? Ego enim cum totus perditus sum, atque a iustitiae semitis prorsus extorris, id spei nihi-

[nihilominus]

{pdf 431, p. 207v}

-lominus tantillae, meo in afflicto pectore non omnino extinctum esse tuo munere sentio: quo certe utcunque animatus, tuam audeo etiamnum ego omnium miserrimus compellere misericordiam, clamoque, ac quanto possum eiulatu ingemino: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

{51.4} Amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.

Suam exaggerat uates, hisce repetitis eiusdem significationis uerbis, causam & dolorem. Etiam, inquit, atque etiam laua me, meamque abluens iniquitatem, quicquid a me peccatum est, expunge. Mea enim, fateor, & semel & bis atque iterum delesti scelera, ego uero omnium ingrattissimus cecidi iterum. Quare tu, qui dixisti, In quacunque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor, mearum ne recorderis, quia ingemisco, quia mei me peccati dispudet, illachrymo, totamque hanc nemorosam suspiriis & fletibus impleo solitudinem. Nec mihi certe meaeque ob commissa facinora miseriae quietem ullam, aut consolationem polliceri debeo, donec abs te audiam, remittuntur tibi peccata tua. Munda me igitur, o animarum purificator, meique miserere:

{51.5} Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

Ego enim qui hactenus caecus fui meique peccati notitiam aut non habui, aut me habere dissimulaui, en ad cor reuersus immensam illius cognosco, consideroque turpitudinem, cuius uis & periculum, ob oculos perpetua, ueluti Alecto, scelerum meorum ultrix, meo ingenti uersatur horrore. Adest, adest in anima continua, quae die noctuque meam dilacerat conscientiam, transacti facinoris memoria, mortisque chirographum, ac certa, peracerbaque, ni tu eximas, damnatio. Quod si forte mea haec miseria eo crudelior, quo diuturnior, uulgo est ignota, num te, o secretorum omnium cognitor, latere potuit? Etenim

{51.6} Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.

Te uidente (heu scelus, si me specto, inexpiabile) te uidente, inquam, peccare non sum ueritus. In te, in te unum, tuis neglectis inspirationibus, peccaui & malum coram te feci. Te iudice, te ultore, te omnia ab excelso tuae maiestatis solio inspectante, collibranteque, sceleri scelus addere non erubui Quid agam? quem implorem? ad quem confugiam, nisi ad te? quem etsi ego impudentissimus omnium tam nequiter offendi, atque irritaui, pium tamen esse, atque ad parcendum facilem, benigneque liberalem certo scio. Parce itaque, ut pollicitus es, miserere, ac meam delens iniquitatem, amplius laua me ab iniustitia mea, & a peccato meo munda me,

{51.6} Et iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Veniam certe, mi Domine, condonaturum te uere sua scelera cognoscent, & serio confitenti, iam a prima rerum origine promisisti. En ego igitur qui peccavi, qui malum coram te feci, qui peccatum meum cognosco, detego, detestor, atque ex animo fateor. Illam, illam tuam ab aeternis promissam seculis meo iure peto ueniam. Si quidem mea mihi prorsus condonaueris scelera, ut es pollicitus, misericordiamque mihi perfido praestiteris, merito aequissimus iudicaberis, in seruandis promissis, susque deque constantissimus, qui forsitan ab impiis dirus, implacabilis, atque ad seruanda promissa meis offensus delictis, durus & difficilis iudicaris. Ut igitur tuam ad contumeliam improbi nequicquam id obganniant homines, miserere mei, & tuam me in gratiam, meis mihi omnibus remissis peccatorum debitis, admitte. Quantum porro ad me attinet,

{51.7} Ecce enim iniquitatibus conceptus sum, & in peccati concepit me mater mea.

Si meum quidem ortum, ortum autem? si meum potius turpem, in peccatis una totum cum secundinis illis sordidis matris meae prouolutum intueor, recordorque conceptum, mirum nequaquam uideri potest, si a genuina carnis illecebra stimulatus, tractusque deliqui: uerum cum tuam contra contemplor bonitatem, misericordiamque mihi immeritissimo toties praestitam, uerso animo, mihi uideor (pro scelus) in tam altum desperationis mea culpa proruisse barathrum, ut respi-

[resipiscentiae]

{pdf 432, p. 208}

-scentiae iam spes extet nulla. Idcirco non iam mirum solummodo esse debet, si toties emundatus, iterum atque iterum in idem reuolutus sum lutum, sed etiam mirum in modum admirandum, planeque stupendum, atque omnem omnium quod superet admirationem. Quis id credat, tenero adhuc nondumque animato in utero materno conceptui adhaerescere peccatum? simulque cum puero & crescere, & enutriris? Heu ineuitabilem peccati sordem. Ecce, o misericordissime, in iniquitatibus conceptus sum: num id diffiteor? Te, ut sic dicam, anteaquam possem, aut uellem, occultissimo quodam reatus genere offendi: neque id sane inficior. Quid? Non ne mea quoque genitrix in ipso conceptionis aestu & calore, toro sacro, cui cupiditas, quae poena est peccati, annexa est, abusa, in te deliquit, peccatoque obnoxia fuit? Num itaque mundum de immundo conceptum semine, immundo ab utero exire absque peccati macula potuit? Verum o illa satis prima fuisset miseria, neque ego omnium ingratus alia aliis accumulasset delicta, in immensumque exaggerassem. Attamen sint illa quidem immensa, sintque adeo immania, ut ultra progredi nequeant, num mihi propterea despondendus erit animus? nunquid tuarum omnino pollicitationum mihi excidet memoria? minime id quidem omnium: nam

{51.8} Ecce veritatem dilexisti, incerta & occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Edoctus nimirum abs te, qui mihi haud raro subterraneis tanquam cuniculis, rerum uulgo omnino incognitarum scientiam, sapientiamque instillasti, nescire haudquaquam

possum, te ueritatem diligere: hoc est, quaecumque olim pollicitus es, te stabili firmoque seruaturum consilio ac decreto. Hoc sane posito, quid ultra uereor? quid, inquam, ad te pro exoranda uenia, quam semper promisisti, promittisque continue, ab Amoraeorum castris transfugere dubito? Sed quoniam tua absque ope id tentare uelle, summa esset temeritas & scelus, tu, non alius,

{51.9} Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me & super niuem dealbabor.

Olim enim duobus oblati passeribus pro sacrificio purificandi a lepra, ut in Leuitico legimus, ex illis alter (hic Christus erat) in uase occidebatur fictili super aquas uiuentes: alter uero sic uiuus, qui humanum spiritum per Christi mortem ad uitam resurrecturum, ut inquit Radulphus monachus, portendebat, cum ligno cedrino, coccoque & hyssopo in sanguine occisi tingebatur, quoque ille, qui affectus erat lepra, conspergebatur. Hyssopus porro, herba nimirum humilis, odorisque non insuauis, ac natura petrosis innascens locis, fides est, qua nostra, ut inquit Petrus, purificantur corda. Hesychius uero diffinit hyssopum boni odoris, gratiam spiritus, cooperatricem emundationis nostrae esse: utrunque enim uatis intentioni seruit, qui ut erat mysteriorum legis doctissimus, clamabat se minime iam amplius hircorum aut taurorum carnificina, sed fide potius in Christi sanguine & morte intincta expiari posse, mundarique a peccati labe ac lepra. Si, inquit, tua gratia, o Deus, ac fide, tanquam hyssopi fasciculo in cruore Christi madefacto, ueluti consummata, perfectaue expiatione, resperseris me, measque notas dilueris, mundus actutum efficiar, niueque ipsa candidior euadam, modo tu meam hanc (quid a me possum?) diluas maculam. Scio, scio (inquam) purificationem omnem animarum in fide Iesu Christi sitam esse: qua sane impetrata,

{51.10} Auditui meo dabis gaudium & laetitiam, & exultabunt ossa humiliata.

Mirum quam immensam animo concipiat laetitiam peccator, qui post longum in lachrymis moerorem, post suspiria, post gemitus, singultusque a cordis penetralibus euulsos, audit tandem in spiritu consolationis uerba illa: Dimissa sunt tibi peccata tua, uade in pace. Hunc uersum clarius reddunt Hebraei: Fac me, inquiunt, audire gaudium & laetitiam, exhilara ossa quae tu percussisti. Hebraei enim, quoniam optandi carent tempore futuro, Indicatiui uti solent, ut in hoc psalmo uidere est. Ceterum nullo alio affectu, ac motu interiori tam prosternitur corpus, quam cum moeret animus, & tristis est. Spiritus, inquit, tristis exiccat ossa, nedum carnem mollem, ac minimo cuique morbo expositam. Quare

{pdf 433, p. 208v}

illiusmodi efficaciae moeror est ac tristitia, qua in sua deflenda peccata stringitur ex animo poenitens, ut corpus plane totum pallore & macie tabidum, prorsusque informe reddat, ac usque ad ossa penetret, ipsaque concutiat & conturbet. Auditis postea uerbis uitae, quibus ingemiscenti animae, seseque absque ulla sui commiseratione in poenitentiae labore maceranti, a spiritu dicitur. Vade in pace, iam amplius noli peccare,

omnia quamprimum serena fiunt: exhilarescit anima, carniq̄ue suus obducitur uigor, atq̄ue ossa ipsa nuper a Deo, ob metum iudicii percussa planeq̄ue pertrita, consolidantur, & ut sic dicam, letitia [sic, laetitia, 1585] gestiunt. Quod si quidem tu pulchrum corporis habitum ob condonata nobis peccatorum ueniam nanciscimur, quid de interiore mentis pulchritudine dicendum? quid de ossibus animae quae sunt illius uires, censendum? nullam certe in hoc mundo consolationem cum hac comparare posse iudico. Vnde non absque ratione hic clamat uates: Auditui meo dabis, hoc est, facies me audire propter remissa mihi peccata, gaudium & laetitiam, atq̄ue proinde ipsa per se inertia exultabunt ossa, ob poenarum metum consternata. Verum tu interim, quo facilius rem hanc iterum queam assequi,

{51.11} Auerte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Ne sis, inquit, acer nimium peccatorum meorum inspector, sed potius auerte faciem tuam ab eis, illa nimirum mihi neququam imputans, perindeq̄ue tegens, ac si nunquam extitissent: ea tu, qui potes, e debiti syngrapha expungens, illorum amplius non recorderis. Peccaui, non nego, iniquitatemq̄ue ego infelix, prorsusq̄ue exlex factus, meditatus sum in cubili meo: astiti uiae non bonae, malitiam subinde non odiui. Tu, quae tuae est perfectissima naturae consuetudo, sic ista omnia in me abluere, ut ne illorum quidem odor supersit ullus. Ad haec,

{51.12} Cor mundum crea in me Deus.

Quam uerum illud est, quamque omnis consolationis plenum, quod ab auro, sapientissimoq̄ue Christi ore sedentis olim in monte, uniuersoq̄ue sancientis mortalium generi bene uiuendi legem, prolatum fuit: Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Verum quod castis plurimam auget consolationis uim animis, id merum Dei munus est. Ipse enim, ut hic uides, cor mundum in nobis creat, indiesq̄ue magis innouat, ac nostris in uisceribus suum sanctum spiritum inhaerescere facit. Vult sane diuina maiestas nos nostro minime duci spiritu, sed suo. Elegantes quippe mores, aut actiones quoque honestas, addo & utiles in ouium conuictu, atq̄ue in Ecclesia, in medium afferre, non multum adeo difficile uidetur: sed cor habere mundum, pureq̄ue defaecatum, atq̄ue in coelestibus contemplandis uegetum & exercitatum, iam id Dei est opus, illiusq̄ue effectio, ac, ut sic dicam. creatio. Sed quia id muneris, quoad in imperfecto hoc uitae statu uiuitur, perfecte haudquaquam haberi potest, studium tamen illud sedulum adipiscendi conditis munditiam, a Deo pro perfectione computari solet. Et ut breuiter, quae sit cordis puritas intelligamus, in subsequentibus aperitur.

{51.12} Et spiritum rectum innoua in uisceribus meis.

Est itaque spiritus sanctus, qui & rectus, stabilis, principalis, munificusq̄ue, ut interpretatur Fel. appellatur, quique nostrae omnis munditiae & candoris effector est & autor. Quocirca ad diuinam illam uisionem, in qua animarum tota constitit beatitudo, posse aliquando hebetum hunc nostrum peruenire intellectum absque Dei spiritu, qui rectus est & sanctus, impossibile omnino est: uerum cum omnibus, qui ad huiusmodi mentis puritatem toto anhelant conatu, obuius sit & praesto, coelestis orandus est pater, ut suo nobis concesso spiritu, cor, quod sordidum ex se est, mundum efficiat, & spiritum

rectum, qui nos ad iustitiae semitas reducat nostris in uisceribus, cordisque penetralibus, unde omnis ebullit impuritas, innouare uelit. Nam nouo semper indiget auxilio uetusta nostra imbecillitas. In uisceribus meis, uertunt Hebraei, in me. Putas hic uatem minimum exoptasse donum? maximum id quidem omnium est. Nam cor, omni abrasa impuritate & inquinamento, templum subito fit Dei, uirtutumque omnium domicilium, atque altissimarum con-
[contemplationum]

{pdf 434, p. 209}

-templationum uas capax. Quantum certe nobis contendendum est, ne tam nobile (sordescant ut uis caetera) coelestis numinis sacrarium, alicui aperiamus turpitudini & peccato. Proinde die noctuque, uel usque ad rauim, clamandum erit:

{51.13} Ne proicias me a facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Ecce quomodo absque circumlocutione, quae sit cordis mundities, rectusque spiritus, exponit. Spiritum, inquit, sanctum ne auferas a me: qui spiritus secundum uarias suas operationes, cum unus tamen atque idem sit, uariis appellari nominibus a prophetis maxime consueuit. Quid sit porro a facie Dei proiici, breuibus aperit Paraphrastes: Ne destituas me, inquit, a solito fauore tuo. Nam certe quidem a diuinae manus fulcimento cor lassum non continenter sustentatum, sua in turpitudine, & faece a terrenarum nimirum rerum amore contracta, perire necesse erit. Quod sane beatissima uatis anima perpendens, sibique prudentissime timens, sic Deum rogat: Ne proicias me a facie tua: id est, ne me adeo obbrutescere, obcaecarique sinas, o Deus, ut de tua prorsus gratia desperem. Quod uero quamplurimis id meruerim nominibus, a te scilicet abiici & contemni, omnes plane, ob meum iam omnibus palam factum delictum, non ignorare possunt. Attamen de tuo inexhausto gratiarum fonte confisus, etsi sordidus, infinitisque peccatorum maculis notatus, tuam clementissimam etiamnum audeo compellere misericordiam, quantisque ualeo mei afflictis cordis uiribus, clamo, inculcoque: Ne proicias me a facie tua, & spiritum sanctum tuum (sine quo, quantusquantus sum, totus immunditiis effluo ne auferas a me, neque mihi illum deneges, imo da, datumque conserua: nam in illo omnem inesse sanctitatem, in me autem omnem turpitudinem. & improbitatem, clare uideo. Redde,

{51.14} Redde mihi laetitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Salutis tuae, uertunt Hebraei. Dictionem item illam, Principali, uel libero, uel a liberali, uel principe quoque, ut Paraphrastes, reddunt. Sic ille: Restitue mihi gaudium, quod de salute mihi per te praestanda concepi, & spiritu illo principe (cui scilicet caeteri subiecti sunt spiritus) muni me. Aliis uero, spontaneo, seu libero, aut liberali, ut diximus, interpretari aptius uisum est: & est sensus, Fac domine, ut concepta de tua misericordia fiducia, de condonatis mihi peccatis, quae est per Christum salus, laeter, gaudeamque tuo in spiritu, non in meo, meisque uiribus, quas tandem in peccato deprehensus, luce clarius nihil eas esse intueor. Iam demum persensi miser, quam turpi seruitutis conditione mea obstructa fuerit anima. Verum tu nunc spiritu libero, non coacto, non

humano, non seruili, non superstitioso, non timido, confirma me, & recrea. Quo sane impetrato, quid boni non audebo? Et ut caetera, quae tui spiritus calore, uel ab ipso durissimo improborum pectore tanquam scintillae e flamma erumpere deberent, modo non dicam, ego certe

{51.15} Docebo iniquos uias tuas, & impii ad te conuertentur.

O gratam sanctae animae sponsonem. Verus enim poenitens, cuique a spiritu, longos post fletus, se factum esse Dei filium per gratiam redditur testimonium, atque omnia propterea remissa illi esse peccata, tanto afficitur charitatis ardore & incendio, ut illud ipsum spiritus donum, quo operante se mundum effectum conspicit, in alios effundi peccatores, ut & ipsi resipiscant ad uitam, mirabiliter expetat. Docebo, inquit, prauos uias tuas, quibus sane ad te itur. Dicam, inculcaboque ad aliorum eruditionem, quanta fecisti tu Deus animae meae: at contra quam immensus, quam turpis, quam periculosus meus fuerit lapsus: contra uero, quantum suauitatis, laetitiaeque mihi attulerit spiritus ille tuus princeps ac liberalis, praedicabo. Mirum ni meo exemplo & doctrina, impii ad te conuertantur: hi dico, qui a te iandudum auersi, ambulant uias non bonas. At uero tu prius

{51.16} Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis mea, et exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Nonnullis latinior uisa est uersio, si, exultabit, uerteris: id curent grammatici, nos interim aliud, Videtur hic mihi uates uelle dicere, neminem ad informan-
[informandam]

{pdf 435, p. 209v}

-dam aliorum uitam, in his maxime rebus quae ad animarum rectionem attinent debere ascisci & promoueri, praeter illum cui spiritus sanctus una cum anteactae uitae purgatione datus sit: hoc est, cuius appetentiae, motusque animi, adeo per spiritus sancti praesentiam sedati sint, ut aliorum scelerum merito dici possit & monitor & censor. Alioqui sordidus annulus sordidum, ut aiunt, digitum. Qua fronte, oro, rudis adhuc in schola Domini adolescens, aut in carnis lasciua & luxu altus, indoctusque, & cui mille etiamnum insunt effraenatae mentis perturbationes atque aegritudines, moderandarum animarum, quae ad perfectissimum uitae statum conditae sunt difficillimam illam, uiris tantummodo integerrimis debitam, prouinciam sibi sumere, uindicare, atque imprudenter nonnunquam praeripere audebit? Audent tamen nonnulli, audent indocti, audent omnium ineptissimi, bardi, attoniti, stipites, & qui a montibus incultis, aprorum more, descendentes olent haram, quique affectu tandem potius belluino pertrahuntur, quam Dei spiritu miserrimam animarum conditionem, quibus huiusmodi contingunt superiores. Vide igitur, o cuius mens adhuc obscura est, & humi pressa, cuiusque animus arrogans est, ac fraeni impatiens, quid tantus rex sibi antea coelitus dari petiuerit quam ad alienam instituendam uitam sese exponeret. Petierat enim sua prius ablui peccata, cor item candidum sibi & mundum, una cum spiritu recto & libero donari innouarique, ut ita totus spiritualis effectus, illud tandem Deo de se polliceri auderet: Docebo, inquit, iniquos uias tuas, & impii ad te, non ad me,

qui nihil sum sine te, conuertentur, meoque exemplo tuum ad cultum certatim accurrent. Interim uero quod me ad id idoneum tuo afflatus spiritu sentiam, libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae. Sanguis in scripturis haud raro pro turpi carnis operatione, naturaeque mortalis corruptela accipi solet: sanguis rursus peccatum est, summumque scelus, atque immane aliquod flagitium, unde illud est: Sanguis sanguinem tetigit. Sanguines uero in plurali, pro concupiscentiae peccato ac lue, sumi cernimus. Quare Ioannes illos qui ex Deo nati sunt, ab illis qui e carnis concupiscentia, feruoreque libidinis, secernere uolens, sic ait: Qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Quocirca uates in superioribus conquestus est dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. Etenim qui nondum prima illa infelici carnis natiuitate extincta, in qua Adae, irae nimirum filii nascimur, per gratiam non renascitur, totus sane caro est, nempe carnis concupiscentiis obnoxius, in peccatis ueluti sus in coeno uolutatur. Alia igitur quaerenda est natiuitas: quae fit per Christum ex Deo, qui nouae huius natiuitatis effector est per Iesu Christi fidem. qua operante, e corruptibili carnis ortu ad immortalem renascimur, efficimurque filii Dei uiuentis: quam quidem nemini unquam contigisse uidimus, nisi illi qui ab innatis illis, atque, ut sic dicam, insitiuis concupiscentiarum flammis abhorrens e carne in spiritum transire satagit, & nisu omni contendit. Verum cum id a Deo expetendum esse censeret, compertumque haberet Dauid ab illo, qui ubertim sua elargitur dona, tam rarum sibi concedi munus ac beneficium, maxima animi anxietate, quam geminatio illa, Deus Deus, satis aperte demonstrat, & petit quanto ualet mentis ardore in stat, uociferaturque: Libera me de sanguinibus. Deus. Deus, inquam, salutis meae. Victus enim ab effraenatis concupiscentiarum motibus, in nefandum illud, foedissimo omnium exemplo, impegi adulterium: neque id satis, sanguinem sanguini insuper accumulauit. Nam uiro innocuo a me sceleratissimo omnium interempto, quo mea ulterius progredi potuit iniquitas? Excessit, fateor, id scelus scelerum omnium cumulum & summam. Me ne (heu facinus indignum) alienam constuprasse uxorem? Me ne uiri innocentissimi, atque adeo, quo meum obtegerem peccatum, seu potius, quo liberius meum sedare possem incendium, non paruae meorum ciuium multitudinis effudisse sanguinem? Verum ad me per te reuersus, o Deus, tuam ad misericordiam confugio: nam si certe me meis a sanguinibus liberaueris, non ero ingratus, sed passim omnibus exaltabit lingua mea iustitiam tuam: hoc est, immensam tuam, quae mea immensa dele-

[deleverit]

{pdf 436, p. 210}

-uerit peccata, in spiritu exultans laudabo bonitatem, qua nimirum impium gratis iustificas per fidem. Et ut sane id quidem aptius, sanctiusque a me queat perfici,

{51.17} Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.

Vide quomodo Dauid in omnibus ferme psalmis rem, utpote religioni nostrae ad sciendum necessariam, eandem dicat, & replicet: nempe actiones illas omnes, quae a uirtute proficiscuntur, a Deo esse. Mirum, si putes te absque Dei ope diuinis posse rite laudes celebrare: ipse enim est qui spirituales illos in mente hominis format conceptus, & desideria laudandi Deum, quae tamen, nisi noua denuo gratia uim linguae suppeditet annunciandi quae a corde hausit, in anima interiore suo illo aestu contenta remanent.

Idcirco Daud desideriorum illiusmodi excessum in se sentiens, atque, ut sic loquar, irritamentum, illud in primis exoptasse uisus est, ut ad exuscitandum in aliis laudandi Deum ardorem, alio illo spiritus munere donaretur, quo ea quae de Deo in intimis animae recessibus conceperat, ore proloqui posset. Nihil non quidem rerum earum, quibus diuinum extolli potest nomen, os a Domino reseratum, eloqui idoneum est. Aperi, inquit Deus ad Esdram, os tuum, & bibe quo te potauero. Cui ille: Apertum est os meum, & non est clausum amplius. Ad celebrandas itaque diuinas laudes & scite & caste, cor prius, linguam postea atque os a Deo moueri oportet. Cuius sane muneris per Christum nobis erogandi typus fuit praecursoris pater, qui iussu Dei mutam prius relaxans linguam, in illud mirabile prorupit canticum: Benedictus dominus Deus Israel. En laus illa, de qua nunc loquitur uates, ab ore coelitus reserato decurrens: Os, inquit, meum annunciabit laudem tuam, si tu mea prius tetigeris labia, aperuerisque, ac calculo emundaueris ignito.

{51.18-19} Quoniam si uoluisse, sacrificium dedissem: utique holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicias.

Ex Hebraeorum interpretibus nonnulli hunc sic reddunt uersum: Quoniam si amares uictimam, redderem: sed holocausta non oblectant te. quare is erit sensus, ut elegantissime a Paraphraste exprimitur: Externis, inquit, sacrificiis, etiamsi plura offerre coner, non placaberis: neque hostia quae altari imponitur, delectaberis: sed sacrificia (sic alium huic affuit uersum) quibus placatur Deus ea sunt, animus poenitentia fractus, & cor dolore concussum & uulneratum. Haec a quocunque offerentur tibi, o Deus, despiciere nunquam poteris. Vide quomodo infiniti illi sacrificiorum acerui in unum corculum, & illud quidem fractum & contusum, per Christum desiere. Dici facile non posset, quam iucunde diuina intueatur maiestas cor, animae scilicet receptaculum, quod sese duriter in poenitentiae labore macerans, suamque duritiam, ob longum in peccandi consuetudine morem acquisitam, lachrymis emolliens, in mortariolo diuini amoris, & id sane sapientiae pistillo, frequentique amaritudinis contusione, ex se toto, quantulumcunque est, suauissimum conficit unguentum, quod demum in candida fidei pyxide repositum, conditumque fragrantissimo orationum puluere, diuino consecrat numini: fieri quippe non potest, ut cor huiusmodi commotione affectum a Deo despiciatur. Quid aliud senses [sic, censes?] praesagiisse unguentum illud, quod mulier peccatrix, fracto alabastro, effudit super caput Iesu? Huc certe omnia Iudaeorum sacrificia libationesque, ac quibus potissimum religionis fidem testabantur, spectabant holocausta, thuraque, & perpetuae ad aras templi fumigationes. Unde illud in primis, uel tum quidem illis in umbrosis ritibus & caeremoniis, a populo suo requisitum Deus, cor uidelicet contritum & humiliatum. Neque unquam tam uetusta fuit aetas, in qua, recondito quodam modo atque afflatu, mortalium diuinum illud animis non instillauerit oraculum Deus: Fili, praebe mihi cor tuum. Vide igitur quid hic uates praesenserit. Si uoluisses, inquit, sacrificium tibi more patrum offerri, haud multum quidem mihi difficile fuisset, uel hircum, uel taurum, uel quaeuis alia iugulasse animantia: uerum tu non solum uulgaria illa, cunctisque obuia, & minimae aestimationis sacrificia non appetis, sed etiam nec holocaustum sacrificiorum

{pdf 437, p. 210v}

omnium maximum & nobilissimum requiris. Quid igitur a nobis, quod tibi gratum futurum sit, offerri potest? Iam illud quid sit uideo: uideo enim quod afflicti cordis, amarique spiritus, quo noster in nobis uetus conteritur Adam, nouusque per gratiam effigiatur, non despicias holocaustum. Sed interim quod meum atteritur cor, tuasque ad aras mactatur,

{51.20} Benigne fac in bona voluntate tua Sion, ut aedificentur muri Hierusalem.

Eleganter id quidem a nostro interprete est uersum: nam benigne facere, est aliquem beneficiis demereri. Benignitas uero, ipsa est munificentia & liberalitas. Optauit hic igitur uates, Sion seu Hierusalem non tantum moenia erigi & parietes, quantum illa omnia quae ad perfectum Dei cultum, ut ipse iam instituerat necessaria uidebantur. Et ut quidem nihil non praesto fuisset, deerat tamen templum, quod tanto semper studio per se construi posse & concupiuerat, & saepe a Deo impetrare contenderat. Verum aliud tunc aedificium, murosque alios, atque aliam Hierusalem ac Sion spectasse tantum uatem arbitror, Ecclesiam nimirum per Christum exaedificandam: in cuius meditullio excelsa fidei turris construenda erat, murique circumponendi in gyro, quae sunt angelorum excubiae, doctorumque labores, ac munimenta, ut inquit Augustinus, immortalitatis. Ad haec torcular in primis, quod solus calcavit Christus, in ipsa urbis platea collocandum erat, nempe ministerium uerbi Dei, sanctissimo Christi intingendum cruor, premendumque a domino, ut inquit Hieremias, uirgini filiae Iudae. Ait igitur: Subtracto, o domine, tuo ab hisce nostris iam consenescentibus caeremoniarum libaminumque ritibus & sacrificiis intuitu, benefac Sion illi coelestium uere rerum speculari, & id quidem pro tua bona uoluntate, gratuitoque tuae bonitatis munere, quo tuae tandem Ecclesiae, quae uera est Hierusalem, nostra uero haec umbratilis, splendor ille insignis murorum, utique uirtutum, piarumque animarum, atque altissimarum contemplationum & excessuum, appareat. O si me aetas illa in humanis adhuc agentem inueniret:

{51.21} Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.

Tunc sane (hem rerum uicissitudines) tunc, dico, simulatque uenturae illi Sion, tua sanctissima praesentia, o Deus, quae est bona patris uoluntas, bene feceris, murosque illi incorruptos aeternosque circumieceris, atque illius ciues, recti, principalis, liberi, sanctique spiritus priuilegio, autoritateque praerogatiua munieris, acceptabis sacrificium, non amplius uitulorum, bouumque aut altilium, sed iustitiae, sed fidei, sed puritatis, sed amoris. Tunc, inquam, amari cordis contritique, humiliati ac usquequaque in poenitentiae dolore confracti, gratiae tibi erunt oblationes & holocausta, accensa nimirum, absumptaque a coelesti diuini ardoris conflagratione, atque super aras desideriorum, diuinarumque purgationum oblata: tunc demum, imponent super altare tuum uitulos, non illos quidem petulantes & lasciuos, sed labiorum nostrorum tuas concinentium laudes: concelebrantiumque tuam bonam erga omnes generatim

uoluntatem, cui tamen interim & semper omnis debetur honor in secula seculorum.
Amen.

PSAL. LII. Vincenti. Eruditium Daud, cum ueniret Doeg Idumaeus & indicauit Sauli, uenit Daud ad domum Achimelech.

{52.3} Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?

Historia haec, quomodo scilicet Doeg inter Saulis non modo pastores, uerumetiam assentatores primus, Daudem ad Achimelech sacerdotem profugisse, ab eoque panes ac gladium acceperisse, regi nimirum crudeli, crudelior nunciauit minister, & quomodo sacerdotes omnes una cum Achimelech ipsius regis iussu (scelus inauditum) obtruncavit, in primo Regum. libro copiose habetur. Ea igitur indigna in sacerdotes domini animaduersione commotus Daud, hanc mire ardentem in Doeg ipsum, assentatorum simul delatorum typum, composuit odam. Nescio enim an ulla alia possit esse pernicio-
[perniciosior]

{pdf 438, p. 211}

-sior lues in aulis principum & praelatorum, & quae magis illorum inficiat animos, quam cum libenter adultores delatoresque & audiunt, & admittunt. Quot ciues, quot sacerdotes, qui innocentiae sanctimoniaeque studentes, toti in diuina occupati sunt religione, a delatorum palponumque malitia circumuenti, aut occiduntur, aut solum uertere coacti, ab alto iam conceptae probitatis proposito pene auertuntur? Verum non tantum Doeg, sceleratum uidelicet adulatorem, quantum Saulis leuitatem, in causa esse, quod integerrimi plerumque ciues male audiant, peiusque tractentur, semper existimaui. Unde cum uate isto sanctissimo, imo potius cum Dei filio, qui ex his quae in terris passus est, cum ab omnibus ferme Iudaeis, tum a discipulo illo, qui utriusque partis munus in magistri perniciem egregie exequutus est, miseris subuenire didicit, in delatorem assentatoremque inuehi atque excandescere mihi fas sit. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Copiosior is est Hebraeis uersus, quare sic diuus uerit Hieronymus: Quid gloriaris in malitia potens, misericordia domini tota die. Idem Felix, cuius sensus sic redditur a Paraphraste: Quid gloriaris, & multa posse te putas per malitiam? An ignoras sua clementia omnipotentem Deum adesse bonis omni tempore? Id connaturale ferme est omnibus ex malitia peccantibus, sed his potissimum qui e turpi assentandi, falso ue deferendi more, in innocuorum uitam ac nomen diutius debacchati, uictores tandem euaserunt, ut de commisso scelere gloriam uulgo aucupentur. Eia, inquiunt, eiectus est nostra ille opera, uictus est, occisus est. Quis iam nobis, nostrisque rebus aut dominio officere amplius poterit? Vicimus sane, hem quam facile: quicquid enim contra illum moliti sumus, noster, tanquam stolidus thynnus escam, aut fatuus polypus, abliguriuit princeps. Quid uultis mihi dare, inquit Iudas, & ego eum uobis tradam? Putas ne Iudaeorum principes tam execrandum facinus exhorruisse? Et sponderunt illi, inquit, triginta argenteos. Quid nostro iam deprecamur sortem, o innocentissime Iesu, postquam tu omnium candidissimus, falsi hominis & impudentissimi absque fronte delatoris audaciae, inuidientiaeque scribarum & Pharisaeorum obnoxius esse uoluisti? Te enim per os illud nefandum tam male habito,

traducto, uendito, mortique adiudicato, ego ne me uel letaliter uulneratum querar? Non committam sane deinceps, ut quis tam iniustas ex me audiat querelas. Nam misericordia Domini non cras tantummodo aut perendie, sed tota die: ea quippe mea suffulta imbecillitate, non timebo, quid faciat mihi homo, quid ue turpissimus machinetur palpo, aut impudens delator. Non te pudet homo uanissime? nam, ut multi iam praeclarissimi experti sunt uiri,

{52.4} Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua:

Neque id satis uisum est,

{52.4} Sicut nouacula acuta fecisti dolum.

Iniustitiam, prauitates, seu corruptelas seu etiam confractiones, uertit Felix. sermonem pestilentem Campensis, qui sic reddit: Sermonem pestilentem suppeditat sceleratus animus linguae tuae, quae simillima est nouaculae acutae (culter rasorius is est) cum ad resecandam barbam adhibita aberrat, & iugulum petit. Atqui uide, quam apte illiusmodi uocum congeries delatori, doloque assentator conueniat. Etenim concepta semel in fraudulento eius animo iniquitate, habitaque subinde amaritudinem illam e pectore eiiciendi occasione, pestiferas tandem illas iandiu praemeditatas (ita uerbum, cogitauit, in hoc loco significat) ex malitiaque compositas corruptelas, ac proborum late nomen & famam deuastantes confractiones, effutit lingua: quae sane acutae aequiparatur nouaculae, cuius ea est naturaliter uis, ut anteaquam aduertas, aut sentias, infigat uulnus, & id quidem, ob illius collimatam diligenter aciem, grauissimum. Quae igitur cunque, o impure ueterator, animo moliris, atque ore profers, ex spiritus testimonio iniqua sunt, malitioseque excogitata, & mortifera. Quid amplius tam nefariae tuae consuetudini posset addi? Ecce integer, perfectequae insignis tuae peruersitatis cumulus:

{pdf 439, p. 211v}

{52.5} Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quam loqui aequitatem.

Hic Selha interponitur, nec id quidem absque ratione: nam illud summam omnem iniquitatum excedit, cum quis ita improbus est, atque ultro profligatus: ut tametsi nihil inde emolumenti omnino nancisci speres, mauult tamen alis nocere, quam benefacere: mentiri insuper, quam id quod uerum est eloqui: adeo mali infectus animus sordidior indes fit, atque impurior. Quod sane ex sequenti magis exprimitur uersu.

{52.6} Dilexisti omnia uerba praecipitationis lingua dolosa.

Apostrophe est ad linguam. O lingua, inquit, dolosa, lingua fraudis, lingua ad ipsos inflammandos orta aquarum fontes, lingua in omne scelus praecipitans, ac quicquid nacta fueris probitatis atque innocentiae perurens, uorans, deglutiens, consumens, ad tantam ne maledicendi, impie ue deferendi rabiem deuenire potuisti, ut non solum fraudulenta ex more uomites, uerumetiam illa (malum) impudentissime diligas, in ipsisque oblecteris? Quantum cauendum est, ne in peccatis consenescentes tenax adeo

inhaereat animo habitus, cui comes et delectatio, ut etiam cum nulla inde expectetur utilitas, peccare tamen potius eligamus, quam ea quae recta sunt, atque homine digna, agere. Brutorum certe id moris est, aut potius daemonum, non hominis, non animae illius, pro qua sananda uiuificandaque mortuus est autor uitae: qui licet (ne te id nescire causeris, o qui super grauissimum talentum plumbi simul cum iniquitate ociaris, gloriarisque cum male feceris) qui licet, inquam, summe misericors sit ac pius, scelera tamen ultronea non sinit inulta.

{52.7} Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrare te faciet de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra uiuentium.

Horrendis hisce translationum uocibus, dolosum illum Doeg, hoc est, perfidum delatorem atque assentatorem, omni simul cum posteritate, iusta Dei mulcta, breui exterminatum iri, exprimere intendit: quare apte admodum hic additur diapsalma. Putas ne duros animos, huiusmodi terrificis spiritus minis admonitos, posse aliquando mitescere & emolliri? Heu perditos assentatorum mores: heu infelicem delatorum exitum. Propterea, inquit, id est, quia dilexisti malitiam super benignitatem, quia dilexisti omnia uerba praecipitationis, lucemque auersatus amasti tenebras, Deus aequissimus arbiter destruet te in finem: hoc est, te funditus euertet, extirpabitque radicem in aeternum: quid? radicem ipsam tuam, nempe posteritatem, una tecum cum fortunis e uita hac abradet, diruet, emolietur. Tabernaculum hic uocat corpus istuc tetrum, quo etiam utitur anima tanquam malleo, ut inquit Cyprianus, ad fabricanda sibi uitiorum simulacra. Quod si piis magis arridet animis, pro terra uiuentium (quae sit terra uiuentium in scripturis, alias diximus [27.13, pdf 214, p. 99]) beatitudinem intelligi debere animarum, non contradico, imo cum illis in istiusmodi ualde oblector interdum meditationibus, quae non tantum intellectui nouam addunt rerum cognitionem, quantum quae amorem, ac tenerum illum mentis affectum, quam deuotionem appellant, nostrae uoluntati. Quare dicendum erit, utriusque mortis, corporeae scilicet, atque illius qua Deo moritur anima, mentionem hic fieri: utrunque enim mortis genus acerbissimum solet esse improbis, sed illud quo ab aeterna excluduntur uita, acerbius. O dementiam nostram, o inexcusabilem mortalium ignorantiam. Dum enim uir probus ab improbo ex se iam profligato, impune praelicenterque affligitur, & male habetur, id plerunque accidit, ut probus a probitate, persecutionum immanitate exterrefactus desciscat, improbus uero improbior quotidie euadat: atque ita ambo tum uidelicet in has duas diuisum partes humanum genus, uno facto ueluti omnium globo & uolumine, in aeternum feratur exitium. Proinde felicissimum illum esse arbitror, qui in tanta uiuendi difficultate & controuersia, se purum seruat: hoc est, qui stabilis in fide Iesu Christi, quicquid sors afferat, perseuerat. Durum id nequam uidetur: uerum in eo qui nos confortat, quid non audendum? Poterit ne

{pdf 440, p. 212}

mundus, quamuis atrociter irrugiat, turbasque immisceat, ab ea uita quae abscondita est in Deo, nobisque seruata per Christum, synceras deturbare animas? Neutiquam quidem: nam immunitatem huiusmodi raram ac plane mundo insolitam, suis conciliat spiritus, qui potentissimus omnium est, non homo natura fallax & infirmus, inconstansque in omnibus uiis suis. Selha hic additur.

**{52.8} Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent:
{52.9} Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in
multitudine diuitiarum suarum, & praeualuit in vanitate sua.**

En quomodo uasa irae, & ut appellat ea Paulus, contumeliae, in commodum & salutem cedunt uasis misericordiae & electionis. Perspecto enim nefarii hominis interitu, diuinaque in eum animaduersione considerata, timent sancti, pauidique, quid de se futurum sit, praestolantur. Timent, inquam, ne & sibi a iustitiae itinere, quod per se admodum confragosum est & salebrosum, aberrare contingat. Ea enim carnis natura est, quae uel optimis ipsis animis timorem iniicere debeat. Dum sane nox est, & ad lucernae lumen ambulamus, quis se tutum omnino arbitratur? Videbunt igitur iusti improborum exitum, & timebunt, seu uenerabuntur, ut uertit Fel. Deum. alius uero, stupebunt, & super eo cum risu dicent, en gigantem, qui non fecit Deum robur suum, sed in multitudine opum suarum spem posuit, ac sceleri fidit. Praeualuit uerbum, Hebraeis est, corroboratus est. quare sic Fel. Corroboratus est in prauitate sua. Cuius hemistichii sensum sic reddit Paraphrastes: Et sceleribus potentiam affectauit. Porro risus, consensio quaedam est e corde optime sibi conscio manans, qua uir sanctus diuina approbat iudicia, in illisque considerandis incredibilem in modum delectatur, gaudetque, ac uanos, breuique desituros scelerati hominis conatus ridens, non absque animi stupore clamat: En uir ille, qui modo omnium tumidissimus, nempe in fortunae gremio lasciuiens, exultantiusque sese efferens, spem omnem suam in rebus fortunae collocauerat: en, inquam, quomodo mutata sorte factus est omnium miserrimus, atque eo quidem infelicior, quod illis quibus paulo ante maximo cum fastu imperare consueuerat, derisioni factus est, ac fabulae.

**{52.10} Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in
misericordia Dei in aeternum, & in seculum seculi.**

Ille, inquit, sperauit in multitudine diuitiarum suarum, quae natura fragiles sunt, & uitrae: ego autem in misericordia Dei, quae aeterna est ac firma. Emphatica haec est antithesis, qua instabili improborum fortunae proborum fides opponitur. Vide cui arbori se similem faciat Dauid, hoc est, uerus poenitens, atque propterea Deo amabilis, & decorus. Oliua uiridis, uertit Felix. Alius uero, frondosa: utrumque enim perpetuam olearum elegantiam prae se fert, quibus aut raro, ut nunquam decidunt folia, nisi prius appareant noua. Aiunt quidem naturalium rerum indagatores, oleam alternare fructus leui arundinis ictu, sine ramorum laesione decussis germinibus. Et, ut melius similitudinis uim exprimat, addit, in domo Dei: hoc est, ad instar oleae semper uirentis, baccisque onustae, utpote in opimo Dei solo consitae, in Dei speraui misericordia in aeternum, infelicissimo nimirum edoctus impiorum exitu quos sane interim admonitos esse uelim, nihil in rebus conditis instabile adeo esse & caducum, quantum est diuitiarum luxus, addo, & principum fauor, eorum maxime qui faciles praebent aures assentatoribus, & illis quidem quibus turpissimus est mos, de innoxiiis, quicquid libuerit, deferre. Hi enim non tam delatorum quam obtrectatorum nomen merito sibi arrogat: nomen, inquam, e libro uitae expunctum proindeque in tetrīs aeternorum incendiorum tabulis conscriptum, Quod uero candida illaesaque, ac bonarum actionum ferax, in suo perstet candore atque ubertate, tanquam felix olea, probi uiri uita, in tanta zizaniorum,

tristiumque plantarum luxurie ac fruticum posita, id totum a diuina proficiscitur misericordia: cuius ea uirtus est, per quam talis, tamque immensus nostrae additur spei stimulus, ut in ipsis etiam penitus conclamatis rebus, in tua, o Deus, sperare audeamus benignitate.

{pdf 441, p. 212v}

Quare tuo ego huiuscemodi raro, & non omnibus cognito ditatus munere,

**{52.11} Confitebor tibi in seculum, quia fecisti.
Et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectis sanctorum tuorum. /**

Te igitur laudabo, ubique perpetuo, qui in impios id fecisti iudicium, in meque misericordiam, gratias agam. Tu, tu, non alia extrinsecus res aut actio, fecisti, quae stupendo, atque adeo grauissimo & aequissimo facta sunt consilio. Tu, inquam, scisti, ut ego tanta in persecutionum atrocitate tua in misericordia sperarem: idcirco, quaecunque obuenant, tuum sanctum nomen, te scilicet, tuamque opem fidenter expectabo, non cadamque a fiducia illa, quam tu in me, tanquam in uirenti olea saeculum, inseuisti. Licet enim non tam celeriter, ut mea forsitan praepropera efflagitabit imbecillitas, succurrere decreueris, expectabo tamen immobilis, illud pro certo habens, quoniam nomen sanctum tuum bonum est in conspectu sanctarum tuorum: id est, omnibus qui in te confidunt, a teque qui sanctus sanctorum appellaris, sanctificati sunt, ad subueniendum, beneque faciendum praesto est, atque expositum. Nonne igitur bonum? quid bonum dico? nonne optimum, nos tuum cum patientia expectare nomen, unde tuam haurire possimus misericordiam? Non ab re quidem eximius ille tuus clamat uates: Qui crediderit, non festinet, uerum expectet dominum, qui, ut idem ait, non abscondit faciem suam a Iacob, cui interim grata persoluatur laus honosque in secula seculorum. Amen.

PSAL. LIII. Ad haereditatem. Eruditium Daud.

{53.1} Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.

Opinantur quidam hunc psalmum, eruditione reuelationem calamitatis illius insignis extitisse, qua affecti sunt Iudaei a Graecis sub Antiocho Illustri, cui psalmi principium, utpote homini superbissimo & impio, conuenire arbitrantur. Alii rursus de Iudaeorum populo, Christi interfectore, psalmum scriptum autumant. Alii item in tituli litera non conueniunt: nam dictionem, haereditatem, nonnulli congregatione, quidam uero, ut diuus est Hieronymus, chorum interpretantur: & quidam etiam, ut se ab huiusmodi explicent difficultatibus, instrumenti musici nomen fuisse asserunt. Verum Chaldaica aliquibus uerior uisa est translatio, quae sic habet: Ad laudandum super ultionem impiorum, qui perturbant haereditatem domini, intellectus, bonum per manum Daud. Quocirca diui Hieronymi interpretationem huc optime quadrare iudico: & est perinde ac si dicat, ad laudandum, siue ad chorum, aut choream, ut sibi uelle Graeca uidetur lectio, ducendam, ob uenturum impiorum exitium, quod in psalmo hoc praedicitur, eruditio. Utcunque enim uariant interpretes, exploratissimum illud est idem cum quartodecimo

psalmo esse argumentum, eandemque pene literam. Quare quae in illo desunt, caeteris praetermissis, hic enarrabimus.

[Note: text omits 53.2-6 because it is “nearly the same argument/ account” as in Psalm 14.]

{53.6} Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.

Aequissimum hic inter caetera narratur iudicium in improbos, qui cum trepident timore, ut inquit uates, ubi non est timendum: dum, inquam, hominum iudicium pluris faciunt quam Dei, in utrunque, uelint nolint, prolabuntur. Nam a diuina percussi manu, desperati ab hac uita, amissa quoque hominum gratia & favore, decedunt. nec id quidem mirum: nam suapte se sponte a suauiissimo Dei conspectu subtrahentes, in plausuque hominum atque adulatione suam statuantes felicitatem, merito confractis ossium uiribus, quae sunt, fauor humanus, gloria, plausus, hypocrisis: collisaeque animi uirtute ac comminuta, quaecumque aut cogitant, agunt, confusa esse oportet, & dissipata. Nam Deus, a quo ordo omnis rerum, sanctaque proficiscuntur consilia, spreuit eos. O terrificum certe iudicium, aequissimum tamen, & uere Deo dignum. Hinc ille erat Christi Iesu clamor in Pharisaeos, quorum uita omissa Deo, omissa quidem? negato potius, atque impudentissime, ut nunc quoque fit, reiecto, a uulgi plausu & gratia pendebat. Quomodo uos, inquit, potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quae a Deo est, non queritis? Hic mihi etiam fas sit cum Salomone in istos auras popularis captatores]

{pdf 442, p. 213}

-ptatores inuehi, rationemque reddere, cur Deus spreuit eos. Vae dissolutis corde (ecce confusio: causam uero huiusce confusionis adiicit) qui non credunt Deo, ideo non protegentur ab eo. En quomodo, aut quamobrem Deus spreuit eos. Ad haec, cum dicat insipiens in corde suo, non est Deus, quaenam ratio est, ut illius curam habere debeat, cui persuasum est, seu saltem sibi ipse, quo liberius peccet, persuadere nititur, non esse Deum? Tu uide, summissequae diuinam contemplare bonitatem, quae neminem, nisi prius ipsa spreta sit, spernere consuevit. Cui proinde summa debetur reverentia, dignitasque, et honor in secula seculorum. Amen.

PSAL. LIIII. Vincenti. In canticis eruditium Daud, dum uenirent Ziphaei, & dicerent Sauli, nonne Daud absconditus est apud nos?

{54.3} Deus in nomine tuo saluum me fac, & in uirtute tua iudica me.

Legimus enim in sacris annalibus, Daudem, Doeg Idumaei prodicione, dius profugum a facie Saulis, Ceilam urbem manu militum, a Philistaeorum obsidione liberasse, indeque metu regis: & quia ab oraculo diuino acceperat, se breui a Ceilitis prodendum, in deserto Ziph, urbe illa ingratisissima derelicta, sese abdidisse. Qui cum neque apud Ziphaeos se tutum cerneret (quis tutus unquam fuit inter proditores?) iterum relicta deserti illius

sylua, in qua non diu cum suis latuerat, descendit ad Petram, & uersabatur in deserto Maon. Sed interim dum adhuc in saltu illo Ziphaeorum, anceps uitae diuersaretur, uiri illi missis oratoribus ad Saul in Gabbaa, dixerunt, nonne ecce Dauid latitat apud nos, in locis tutissimis syluae, in colle Achilae, quae est ad dexteram deserti? Quod cum rescisset Dauid, in summumque se adductum discrimen Ziphaeorum proditione cerneret, desperatis plane rebus, hanc, Deo suam commendans salutem, composuit odam, ardentem mirum in modum, ac Christi Christianorumque persecutiones atque iniurias portendentem. Eo enim interdum periculi proborum uitam deuenisse uidimus, ut ne quidem tuti essent, ut de Dauide legimus, in abruptissimis petris, quae solis ibicibus peruiae sunt: adeo coelestis pater suorum aerumnis, cruceque illa, quam filio suo prius in deliciis esse uoluit, oblectatur, Verum quia Ziphaei, nempe innocuorum proditores, inexorabilesque delatores, nusquam non, uel in mediis ipsis laudantium Deum conuentibus, nedum in Ziphaeorum sylua, & deserto Maon, apparent, impossibile ferme uidetur, tam uafros uirtute humana posse deprehendi ueteratores, ne dicam superari aut deleri. Quare suae imbecillitatis conscius uir sanctus, conscius, inquam, quam debilis humana sit uirtus, ad diuinam conspecto periculo confugit, clamatque cum propheta: Deus in nomine tuo saluum me fac, & in uirtute tua iudica me. Nomen Dei nonnunquam in lege ipsius est honor, laus, fama, uirtus quoque, & potestas. Vnde illud est: In nomine meo daemonia eiicient: id est, in mea uirtute atque autoritate. Et, si rem altius peruestigare libet, nomen Dei, est ipse Deus: nam ipse est nomen suum. Et est, ac si dicat: Per te ipsum, aut per filium tuum (id significat apud Hebraeos etiam, nomen tuum) me serua, potentiaque illa tua, qua condita omnia territas, meam suscipe causam, iniuriasque mihi hisce a Ziphaeis illatas uindica. Contra enim Dei naturam ac morem esse uidetur, animam huiusmodi fidei ardore orantem non exaudire. Illudne, obsecro, nos qui in alto continuis iactamur fluctibus, latere iam potest, quod quicumque inuocauerit nomen domini, saluus erit? Quare non absque diuino consilio, ab Ecclesia illud replicatur quotidie euangelicum, Sanctificetur nomen tuum.

{54.4} Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

Vide, quam non inconsulto & impudenter, sed scite ac uerecunde sese anima ad ea quae petenda sunt, accommodat. Actus enim ille sublimis orandi Deum, quemadmodum purgatas planeque nudas requirit animas, ita uerecundas & humiles: alioqui superbas, impudentesque, & quae a corde tumido & elato profici-
[proficiscuntur]

{pdf 443, p. 213v}

-scuntur orationes, diuinae auersantur aures. Illud semper cauendum, ne nostra oratio fiat in peccatis. Anima hic igitur tota, quanta est, in se collecta, hoc est, diligentissime perpendens, quis ille sit, cui suam narrare orando calamitatem cogitat, sic suam orditur precationem, a consueto hominum more in orando minime abhorrentem. Mi Deus, inquit, meam audi supplicationem, excelsasque illas tuas, quas nefas est nisi a puris castisque animis interpellari, gemebundae huic meae uoci praebe aures.

{54.5} Quoniam alieni insurrexerunt aduersam me, & fortes quaesierunt animam meam, & non proposuerunt Deum in conspectu suo.

Suos uocat Dauid persecutores, alienos, a Dei scilicet timore & reuerentia. Vnde causam, quamobrem sic eos appellauerit, addidit: quod non proposuerunt Deum in conspectu suo, id est, suam ut in me explerent libidinem, ex meque poenas, uel de his quae nunquam cogitauit, exposcerent, nullam de Deo habuerunt rationem. Et quia id malorum omnium fons est atque origo, diuinum scilicet ab sese abiicere timorem, Selha hic interponitur. Quid certe sibi uelint hi, aut quam de immortalitate animorum conceperint opinionem: quid, inquam, de fide Iesu Christi, atque eius lege sentiant, me prorsus ignorare fateor, qui, quo suas licentius expleant cupiditates irasque satient, eo interdum insaniae adiguntur, ut Deo, Deique timore penitus abiecto sopito ue, aut potius posthabito conscientiae testimonio, proiectoque pudore, toti in opprimendos iustitiae probitatisque studiosos, charos uidelicet Deo uiros, incumbunt: qui sane innocui, cum ut plurimum imbelles sint atque inermes, facile a quouis nefario ac doloso pessundantur, tyrannisque, quos hic fortes noster appellat interpres, alii uero saeuos aut terrificos, cedunt. Eheu quantum sceleris, quantum iniuriarum, quantum saeuitiae ab his emanat uerbis, Non proposuerunt Deum in conspectu suo. Homines, inquit Paraphrastes, saeui magno studio conati sunt perdere me, non habita ulla ratione tui, o Deus. Verum quid multis meam execror sortem?

{54.6} Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animae meae.

Obserua plenam fidei antithesim. Illi, inquit, mei crudeles hostes, athei nimirum homines, atque omni ab humanitate alieni, quibusque nulla inest de Deo ratio & cognitio, summo contendunt nisu, meam a me tollere animam, nempe nomen, famam, uitam: Deus autem contra, illam, ut est natura misericors, tutatur, atque illi fert suppetias, eamque suas in ulnas, tanquam solers nutrix pauide infantem, suscipit & consolatur. Ubi sane sicut in munitissimo quiescens uallo aut arce, nihilque minus timens, quam superbiorum hominum minationes & uulnera, suum hoc modo fidenter alloquitur defensorem:

{54.7} Auerte mala inimicis meis.

Hoc est, auerte a me mala, eaque in meos retorque inimicos. Malum enim quod in me parant, ad eos, quo sciant tandem se in coelum expuisse miseri, redeat. Diuus Hieronymus uertit, Repende malum insidiatoribus meis. Felix item, Conuertatur malum tribulantibus me.

{54.7} Et in ueritate tua disperde illos.

Mirum quam crebro anima suis in precationibus, Deo illius audenter animoseque obiiciat pollicitationes. Iam enim uel a prima conditarum rerum effectione pollicitus est Deus, se suis non defuturum, innocentiamque defensurum, subinde proborum persecutores absque misericordia prostraturum. Inimicus ero, inquit inimicis tuis. Ea igitur spe fulta anima, quod Deus in seruandis promissionibus constantissimus sit, non iam suas dissimulat cogitationes, sed aperto ueluti corde, audet suum sic compellere amatum: In ueritate tua disperde illos. Quemadmodum, inquit, bona pollicitus es fide,

illos prosterne, dissiiceque penitus, ut sua tandem edocti ruina perdiscant, quam periculosum sit cum in te sperantibus de certare. Ego autem (modo aspises)

{pdf 444, p. 214}

{54.8} Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

{54.9} Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, & super inimicos meos despexit oculus meus.

En gratiae animae testificatio, ac pro reportata salute uotum. Vltroneo, inquit laudis sacrificio, non coacto aut timido, tuum sanctum nomen, bonum nimirum omnibus, hoc est, munificum, in gratisque copiosum & liberale, fatebor, ac cunctis palam praedicabo. Alludit (credo) uates ad sacrificium illud antiqui, quod sponte quispiam sua, aut ex uoto susceptum, pro gratiarum actione Deo offerebat: cuius ritus ac mos, in septimo Leuitici capite prolixè a Mose describitur. Vbi inter caetera illud est: Si uoto, uel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem edetur die: sed & si quid in crastinum remanserit, uesci licitum sit. Quid uero illa omnia praesagierint, quid ue mysteriorum portenderint, elegantissime, ac maxima diuinorum aenigmatum cognitione, a Radulpho Flauiacensi, meae professionis monacho, fusius pertractatur, quam ut a me, cuius aliud est institutum, quid addi possit. Sat sit locum demonstrasse. quanquam certe non me praeterit, dictionem, uoluntarie, Hebraeis esse, cum munificentia, uel cum liberalitate: quae tamen omnia ut notat Fel. Spontanae mentis prae se ferunt oblationem. Caeterum &, Super inimicos meos despexit oculus meus, nihil aliud sibi uult quam, optatam de inimicis meis ultionem uiderunt oculi mei. Unde Paraphrastes: Et eius beneficio (Dei scilicet) uidit oculus meus qualia quisque uellet in capitalibus inimicis suis. id enim omnibus ferme natura comparatum esse cernimus, ut unusquisque sui hostis interitum exoptet. Verum alia est, cur id optet, ratio in homine diuinae religioni consecrato, Deoque per uoluntatis unionem copulato: alia in illo, cuius cor continuis cum exagitetur odii stimulis, ac sese ulciscendi aestibus non solum apertos in se hostes, uerumetiam illos quos sibi olim nocuisse suspicatur, aut pueriliter somniat, odit. Phrasis haec est Hebraea, quemadmodum & illa in Michaea: Oculi mei uidebunt in eam. Interim autem afflicto animus, ab iniuriis hominibus male habitus, cum eodem ipso uate suos in hostes animose insurgat, dicatque: Ne laeteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram domini portabo, quoniam peccaui ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum. Educet me in lucem, uidebo iustitiam eius. Cuius nomini gloria sit perennis, & laus in secula seculorum. Amen

PSALMVS LV. Vincenti. In canticis eruditium Dauid.

{55.2} Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, et exaudi me.

A doctioribus enim accepimus, hunc psalmum a uate compositum, cum adhuc in Ceila urbe, a se ingenti periculo ab obsidione, fuis fugatisque Philistaeis, liberata diuersaretur. Ubi semel atque iterum a diuino admonitus oraculo, quod ni statim ad

tutioem se reciperet locum, fore quod in hostium manus deueniret, in ipso fugae tumultu, lamentabilem hanc Deo obtulit precationem: quam postea placatis rebus, regnoque restitutus, musicis uoluit decantari instrumentis: sic enim in Canticis interpretatur Felix Pratensis. Vmbra nimirum illa omnia futurarum in Christum atque eius Ecclesiam persecutionum extitere. Persuaserat quidem sibi uir ingenuus propter solutae obsidionis beneficium, se tutum in ciuitate illa cum suis manere posse: uerum ingratis ciues, uiri profecto totius humanitatis expertes ac religionis, remunerantes quasi meritum, pro beneficio exitium referre conati sunt. Vide, mi lector, quam immensa transferendi ad nostra sensim tempora quae hic leguntur, aperiatur ianua. Nusquam enim tuta est innocentia, quae tum quidem periculosius subire discrimen uidetur, cum sua ob merita peruersorum sibi hominum animos conciliasse arbitrat. Proinde suum anima aduertens periculum, quod neque Ceila urbe, neque apud Ziphaeos, neque in deserto

{pdf 445, p. 214v}

Maon, in monte opaco, a proditoribus atque impetu Saulis, habitantis in Gabbaa, tuta sit, ad Deum, qui caput est Christi, cuius hic uita, nempe obnoxia proditorum hominum iniuriis, a spiritu delineatur, pauida admodum confugit, dicens: Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me. Verba sunt, inquit August. tribulati cupientis liberari: de huiusmodi enim uocum repetitione [sic, repetitione 1585] familiarissima uati, non raro in superioribus est dictum. Argumenta sunt sane cordis extrema affecti amaritudine, exoptantique a timoris magnitudine asseri: quater enim eandem ferme repetiuit sententiam, Ne despexeris, ex Hebraeo reddunt, ne abscondaris, seu, ne abscondas te ab oratione mea: seu etiam, ut interpretatur Paraphrastes, ne auerseris preces meas. Durum id quidem, cum princeps aut iudex a quopiam misero rogatus, abscondit se, negatque uelle audire: proinde de illo, eiusque causa actum esse omnino, ex circumstantibus quis non iudicet? Non est quidem doloris acerbitas cum illa comparanda, uel eo maxime, si illius causa aequa sit, & digna expeditione, & nihilominus qui pro aequitate iudicet, conuiuet iudex, precesque non solum miserorum, uerumetiam ipsius innocentiae legumque & religionis? (scelus execrandum) auersatur.

{55.3-4} Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum a voce inimici, & a tribulatione peccatoris.

Heu heu, cui uel tantilla saltem de oppressis iniecta est cura? dissimulant ne omnes? siccine uestris a tribunalibus inaudita reiicitur probitas? Vno hic fere uerbo tota Iesu Christi expressa est uita, qui nullo districtus ocio aut labore, ab incoepto pro suis negocio destitit, nunc a daemone, nunc a peruersa Pharisaeorum scribarumque astutia circumuentus, a proprio, eoque dilecto afflictus populo, traductus, expulsus, ab ipso demum proditus discipulo: sua tamen in exercitatione ac lucta, ne parum quidem elanguit, nunquamue a solido recuperandarum animarum deflexit proposito & amore. Cum enim legimus, Contristatus sum in exercitatione mea, a seruatore nostro dici, nonne illud confestim in mentem uenit: Tristis et anima mea usque ad mortem? Nunquam, fateor, uidi hominis summo in dolore, addo & metu, eo praesertim quo se breui in hostium manus peruenturum praesentiscit, clarius describi morem: quem

tamen expressius ex Hebraeo reddi cernimus, quam a nostro redditus est interprete. Sic enim Felix: Vlulabo mouens me huc & illuc, in meditatione doloris mei. Dictionem quippe illam, quam nos legimus contristatus, Hebraeis uox est summae consternationis animi, dolorisque immensis testis. Prae dolore, inquit Campensis, moueo me nunc huc nunc illuc, & inter orandum conturbor. Factus est, inquit scriba ille, in agonia prolixius orans. Iam non illud silendum, primos psalmi huius uersus alio ordine ab Hebraeis legi. verum quia menti uatis nihil ferme aduersatur, sic nostro suam uerborum permittimus seriem & legem, ut nihil innouemus: qui quidem uates quamobrem contristata fuerit Christi anima & conturbata, aperit dicens: A uoce inimici, & a tribulatione peccatoris. Clarius & fusius ex Hebraeo: A facie, seu a conspectu uiolentiae peccatoris. Contumelias enim, diramque uocis acerbitatem in hostibus, ac minas, quibus fere pauidi animari solent, uocem appellat uates: ipsam uero oppressionem & uiolentiam, tribulationem: utroque enim afflictionis genere a Iudaeis saepenumero affectus fuit Christus, & nos cum illo, sed non eodem animo & consilio. Nam nos si quid acerbius a perfidiosis irrogatur fratribus, indignabundo id ferimus pectore, Christus uero patientissime & tacite, maximaque, qua semper uel erga ipsos acerrimos usus est calumniatores, dilectione.

{55.4} Quoniam declinauerunt in me iniquitates, & in ira molesti erant mihi.

Iniquitatem super me cadere facient, uertit Felix, & cum ira odio habebunt me. Vide improborum falsorumque delatorum impudentiam & malitiam: non contenti enim odio illo suo inextinguibili, atque ira qua molesti sunt bonis, addunt etiam itaque callide concinnant dolos, ut quod optant, tandem obtineant, quo modestissimi scilicet uiri, & innocentes, scelera illa quae ipsi uulgo spar-
[sparserunt]

{pdf 446, p. 215}

-serunt, commisisse uideantur. quid nequius unquam auditum fuit? Quid putas aliud tunc machinatos esse Iudaeos, cum Christum tanta animi rabie atque ira, cruci affigi coram iudice succlamauerunt, nisi ut declinarent in illum iniquitatem? hoc est, ut latro, ut seductor, ut daemonium habens crederetur. Sic nimirum in terris semper habiti sunt amici Christi, habenturque continue. Vnde haudquaquam mirum esse debet, si nostram intuitus fragilitatem tam pius dominus, nostramque prorsus indutus sortem, hic queritur dicens:

{55.5} Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me.

{55.6} Timor & tremor uenerunt super me, & contexerunt me tenebrae.

Hi sunt nimirum affectus & motus animi, qui in constantem etiam uirum, ob falsas illi obiectas calumnias, cadere consueuerunt. Sed uae uobis, qui, ut comminatur dominus, iustitiam iusti aufertis ab eo. Hic uelim a castis mentibus, nondum tamen ad solidum pergustandum cibum eruditus, attente quae dicuntur expendi, ne a uario spiritus motu,

unde excellentissimum illius in perficiendis electorum cordibus morem utcunque intelligere possent, animi confusionem incaute hauriant. Solet enim diuinus ille ignis suos eousque interdum animare, robustosque in aduersis facere, ut in medio quoque ipso persecutionum aestu ac flamma audeant de se illud dicere: Non timebo millia populi circundantis me. Contra uero, a calore illo saepenumero, suum ad maiorem profectum destituti, etiam a leuissimo iniuriarum strepitu pauent, clamantque: Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis corripuit me. Timor, languor, moeror, metus, terror, horrorque uenerunt super me, & circundedit me undique pauoris caligo. Aspiciemus, inquit Esaias, in terram, & ecce tenebrae tribulationis, & nox obtenebrata est in caligine eius.

{55.7} Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbae, & volabo, & requiescam.

Alias diximus, idem penitus esse, quis mihi dabit, quod, utinam aliquis mihi det. Pennas hic optat uates, & has auis pernici adeo agilitate, ut eam nequeat soluto maxime uolatu assequi accipiter: solet enim, quae est illius natura simplex & incauta, in aere interdum pennarum leuitate oblectata, uarie sese iactare, plaudere, sulcare, & sic implicatis strepitu pennis capi. Speculator, inquiunt, occultus fraude latro sic gaudentem in ipsa rapit gloria. Huiusce igitur alitis alas miro efflagitauit desiderio uates, nempe ob id ut ex praesenti hostium periculo elapsus, longe tutoque auolare posset. Unde sic reddit Paraphrastes: Quare (perspecto scilicet periculo) dixi apud me, utinam dentur mihi alae, sicut datae sunt columbae, ut auolare mihi liceat, & alium in locum commigrare tutiorem. Certe, inquit, procul hinc aufugerem, & in locis penitus desertis habitarem potius, quam inter hos impios. Haec Paraphrastes, & clarius quidem quam nostra aeditio, quae sic habet:

{55.8} Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.

Alius item ex Hebraeo: En longissime profugerem, atque ad eremum diuenterem. Noster enim interpres tempus pro tempore posuit. Hic mihi in mentem uenit quorundam feruor atque uis animi, qui interdum uarias hominum pertaesi molestias atque iniurias, sese a fratrum turbis, tanquam a Ceilae urbis hominibus subtrahentes, in aliquam, ut soli sint, commigrant solitudinem. Hi enim duas has sibi esse necessarias non ignorant alas, alteram quidem fidei, alteram uero amoris: quarum sane remige fulti, quocunque auolare contigerit, tuti erunt & quieti. Hi quippe sunt, qui non conuersionis feruore nouitio, ut meus inquit Pater, sed monasterii probatione diuturna, didicerunt contra diabolum, multorum solatio, iam docti pugnare, & bene instructi, fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi descendere. Sed illud mirum, quam importune hi procaciterque a nonnullis monstrentur digito, exhibentur, & tanquam transfugae infames atque apostatae uulgo traducantur: illos autem quos e coenobiis ad liberius uitae genus acciri norunt, summis efferunt laudibus, amant, exosculantur, donis pauperibus debitis infarciunt, tantumque, o ineptias, dii non habentur. Non sane intello, in quibus uis maxime istiusmodi consistat apostasiae & defectionis, utrum ne in illis qui spreto omnino

{pdf 447, p. 215v}

mundo, ad solitudinem, locum mirum in modum erectis in Deum animis salubrem & necessarium confugiunt (qui coenobia deserunt ut per emporia cursitent, aut quibus magis, ut ait ille, placet mulierositas, liguritis, temulentia, cupiditas, quam mentis quies, hi merito apostatae appellantur) an in his potius qui desertis coenobiorum molestiis, sese in negociosissimo uitae genere sommergunt. Selha hic positum, nos ad Dei iudicia simul & hominum ignorantiam contemplandam excitat. Verum interim quod in salo hoc uasto & dubioso nauigatur, in quo & cymbae & corbitae una iactantur tempestate,

{55.9} Expectabo eum qui saluum me fecit a pusillanimitate spiritus & tempestate.

Tu hic mihi considera sanctissimi uatis mansuetudinem & modestiam, qui suas appellat uires, uirtutesque animi, pusillas ac tenues: hostium autem insidias atque impetus tempestatem: quae dictio Hebraeis est, repentinus, summeque uiolentus uentorum flatus. Unde queritur Hieremias, improborum iniurias, uentum esse urentem in uis, quae sunt in deserto. Verum dictio, pusillanimitate, non est in Hebraeo, sed id solummodo: Accelerabo fugam mihi, a spiritu uehementi, a tempestate. Certe si res perspecte examinetur, nihil aliud sunt daemonum tentamenta, maxime si uehementia sunt, aut malorum hominum persecutiones, quam uentus quidam procellosus, turboue concitus & confusus. Quid non perturbat dolosus daemon? quid non delator? quid non perfidiosus palpo, aut apertus calumniator? Faex quidem & amurca, limpidissimum confundere solet oleum, si uas uel parum agitaueris. Et quia imbelles plerunque columbae hae sunt innocentissimae, quibus duae, ut dixi, necessariae sunt alae, non Icaria illae quidem molli cera compactae, sed spiritus glutinamento annexae, tam uariis interdum improborum technis & insidiis, nisi forti sint animo in Deo nempe ad fortunae ictus intrepido, succumbunt. Ideo a uate est dictum, Expectabo eum qui saluum me fecit: quo palam asserere non uereamur, patientiam ualde esse necessariam, ac silentium, in re praesertim tam ob inaequalem certandi conditionem confusa. Ergo tu Domine, postquam prorsus, si nos duntaxat consideramus, inermes sumus, debilioresque quam ut tam immensae oblocutorum turbae suppetamus,

{55.10} Praecipita, & diuide linguas eorum, quoniam uidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.

Audiant haec delatores, audiant maledici, audiant hi quorum dentibus exposita est proborum uita, quid hic a spiritu dicatur. Audiant, inquam, & si sapiunt, aduertant animo, quam immedicabile illud sit uulnus, quod a diuina inferi manu. Praecipita, inquit, & diuide linguas eorum: hoc est, fac ut nihil non inconsulto, confuseque loquantur. Nullam habeat, oro, concinnitatem illorum sermo, atque exitum conspiratio. Legerat enim uates, quam dira fuerit olim Dei ultio in temerarios illos qui eo aliquando amentiae deuenere, ut alter ad proximum suum diceret: Venit faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad coelum. Dominus autem: Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum. neque id satis quidem: Inde, inquit, dispersit eos dominus super faciem cunctarum regionum. Quocirca idem ferme hic suis imprecatur hostibus, non a diuinis nihilominus discedens iudicis, quae aequissima esse nouerat &

certa. Vidi, inquit, iniquitatem, uidi disceptationes, uidi dissidia, uidi seditiones, uidi odia, & haec omnia (pro dolor) in ciuitate illa, intra moenia illa, in quibus pax summa esse debuerat & concordia. Quid ad haec ultra? Si enim ab illis, de quorum salute, meo etiam ingenti periculo, benemeritus sum, tam male repensum est, quid ab ipsis expectari debuit inimicis? Verum postquam sic volunt,

{55.11-12} Die ac nocte circumdabit eam, super muros eius iniquitas, et labor in medio eius, et iniustitia. Et non defecit de plateis eius usura & dolus.

Quam unicuique diligenter ex urbium dynastis ea quae a propheta, de Ceila ciuitate, cum stomacho dicuntur, audienda sunt, an forsitan illiusmodi uitiorum sordibus infecti sint eorum ciues. Iniquitas, inquit, die ac nocte: id est, continue absque intermissione ciuitas haec miserrima circumuallata est iniquitate, pro muro. Turpia sunt sane in primis illius moenia & ruinosas, uerum ipsum forsitan ciuitatis corpus minus est deforme? Minime id quidem omnium: nam in ipso

{pdf 448, p. 216}

urbis medio (medio autem?) in ipsis frequentissimis plateis, locis nimirum celeberrimis ac magis conspicuis, ea insunt mala: prauitas, iniustitia, usura, dolus. heu perditam ciuitatem. Quid multa? nullum sceleris genus non regnat in ciuitate ista. Iam illud non praetereundum, alio reddi sensu literam, quae a nonnullis ex Hebraeorum interpretibus legitur. sic illi: Die ac nocte circuiui eam, super muros eius, & prauitas & molestia in medio eius. ut sit sensus: Diu in muris eius oberrauit, ut uiderem quid in ciuitate hac ageretur: Deus bone, quid malorum non uidi? Prauitatem, malitiam, iniquitatem, oppressiones, dolos, fraudes, usuras in ipso urbis centro, aeternum sibi construxisse domicilium conspexi. Hae sunt, mi lector, ciuitatum pestes quas in Ceilae, de se tam male merita, deprehendisse fatetur Dauid. Faxit Deus, ne complures in Europa Ceilae inueniantur. Caeterum labor, ut noster uertit interpretes, Hebraeis prauitas est, quae est insignis tum corporis tum animi deformitas ac peruersitas: qui enim huiusmodi mentis affectus est labe, quid non cum labore, aestuque animi, molitur & agit? Verum illud, inquit uates, quod me acerbius uexat & premit, dicendum mihi est:

{55.13-15} Quoniam si inimicus meus maledixisse mihi, sustinuissem utique:

Et si is qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: Tu uero homo unanimes, dux meus, & notus meus:

Qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.

Ambigua admodum haec est litera collata cum Hebraeis. Diuus Hieronymus uidetur haec omnia ad falsum quempiam amicum, typum nimirum Iudae Christi proditoris referre, de quo hic queritur uates. sic enim ille: Non inimicus exprobrauit mihi, ut sustineam: neque is qui oderat me, super me magnificatus est, ut abscondar ab eo, sed tu homo unanimes. Verum in idem fere cum nostra concurrat editio, cuius is erit sensus: Si is qui mihi palam aduersabatur, & de quo, quin meus esset hostis, nemo non

nouerat, quidpiam mali in me esset machinatus, tanquam praeuisum hostem & apertum facile uitassem. Si is, dico, quem omnes me odio persequi norunt, malum mihi intentasset, conuiciaque in me arrogantia & superba congersisset, sustinuissem certe, eique cessissem, & prudens consultoque tam uastam irarum procellam, mea deferuere fuga & patientia expectassem: at tu homo meus unanimes, collega, dux, qui cum arctissima mihi erat consuetudo, consiliorumque communicatio, & qui mecum una, ut solent familiarissimi sodales, summa animorum concordia, ad templum sanctum Dei, in quo nihil fucatum, nihil non syncerum esse fas est, conueniebamus, me, me, inquam, tam nuper tibi charum & beneuolum, insidiis aggredi ausus es? Tu, non hostis, non ille qui me odio incessebat, maledixisti mihi, & super me magna loquutus es. Illud notandum dictionem. Vnanimis, ab Hebraeorum interpretibus sic fere reddi: Tu homo sicut aequalis meus. uel, ut Felix: Tu uir secundum ordinem meum: hoc est, habitus honore perinde atque ego. Illud quoque, cum consensu, cateruatim transferunt, seu, cum coetu: id est, multis nos comitantibus: seu etiam, cum terrore, ut diuus uertit Hieron. quae dictio nihil aliud sibi uult, quam tam arctam duorum principum amicitiam maxima cum dignitate coniunctam, omnibus admirationi fuisse ac terrori. Utrumque sit litera, quisquis ille fuerit, de quo tam dolenter queritur uates, & sane merito, infelicissimi Iudae typus est, atque subinde proditorum omnium, sed illorum maxime, qui cum amici, & hi charissimi esse uideantur, perfidissimi tamen sunt hostes, atque eo nocentiores, quo occulti magis sunt, minusque perspecti & noti. Quanta hic mihi considerandi quorundam prauitatem & fraudulentiam offertur occasio, ex illo perfido, simulato, infando, facinoroso Iudae osculo? Contra uero, quis tam scelerosus est proditor, fucatusue amicus, qui non pudore suffundatur, cum recolit animo, quid modestissimus responderit Iesus? Iuda, inquit, (o rarum atque unicum mansuetudinis exemplum) osculo filium hominis tradis? Saxa tum quidem fleuisse arbitror, Iudas tamen aere ferroque durior, ne parum quidem remissus, insaniens abit, nec sane destitit quoad e mundo

{pdf 449, p. 216v}

lumen ac Solem abstulit & extinxit. Quocirca iustissimus uatis fuit dolor, iustaque excaescentia & querela in simulatorem illum nequam & proditorem, quo tamen sic sua in perfidia derelicto, ad caeteros intermissos suos redit hostes, illisque horrendam imprecatur ultionem, dicens:

{55.16} Veniat mors super illos, & descendant in infernum uiuentes.

Cum Daud, ob immeritas in se paratas insidias, a Ceilae ciuibus maiorem in modum affligeretur, reique indignitatem uersaret animo, uolensque tum illis tum futuris eiusdem perfidiae posteris diuinam praedicere ultionem, illum memorabile simul & horrendum terrae hiatus, quo Dathan & Abiron una cum tabernaculis rebusque suis, liberis quoque & uxoribus absorpti sunt, in medium, quasi aliud agens, adducit. Et descenderunt, inquit Moses, uiui in infernum operti humo. Haec nimirum ultio ea est, ac mulcta, ab antiquis illis seculis decreta seditiosis, & murmurantibus in Mosem & Aaron, id est, in Dei religionis & cultus studiosos. Sepeliantur, inquit, uiui, funditusque intereant. Nam in scripturis ferme aliud nihil es descendere in infernum, quam subito perire interitu. Idcirco Ezechiel uolens inopinatum quorundam incircuncisorum

exprimere extinctionem, asserit illos descensuros ad infernum cum armis suis. Affectus est ualde ardens in prophetis. Non id quidem, ait uates, temere imprecor, aut ira permotus, sed sic edoctus a spiritu, qui odio habet omnes peccatores terrae.

{55.16} Quoniam nequitiae in habitaculis eorum, in medio illorum. /

Huius uersus sensus sic redditur a Paraphraste, & breuiter & docte: Regnant enim nequitiae in tabernaculis eorum, imo in ipsis penetralibus cordium illorum. Sceleratam enim quorundam uitam, deploratosque mores huiusmodi aggrauat dictione, nequitia, quae cum frugalitati opponatur, ad omne maleficium conuenit: quanquam malum, seu mala, simpliciter a nonnullis ex Hebraeo reddi uideo. Modis sane omnibus detestandae sunt aedes, in quibus nequitiarum greges, tanquam in hara sues grunnire audiuntur. Quid, te obsecro, in domum tuam, ubi pudica cum nuru sedet uxor, ubi filii, ubi innuptae filiae innocentissimam agunt uitam, obscoenus introducitur scurra, & cum collusorum grege infamis parasitus? siccine [sic, siccine] alitur filius? Ita ne uero in uno eodemque residet tripode sua cum pellice moesta coniunx? Indicium nimirum id est, nequitiarum tumultum in mediis ipsis tui cordis penetralibus & medullis requiescere, si tamen requies illa dici debet, innumeris uitiorum morsibus, tanquam ab importunissimis sanguisugis, die & nocte emungi, sensimque exanimari. Hi ut lubet,

{55.17} Ego autem ad eum clamaui, & Dominus saluauit me.

Solet enim anima diutius cum mundi aerumnis & miseriis, nempe cum uariis tum a natura ipsa, tum a daemone, tum etiam ab illius ministris, commotis & appetentiis & odiis uersata, & pene attrita, maxima affici perturbatione & metu, usque eo interdum concuti, ut Dei omnino oblita uideatur. Verum sese postea ab assueto admonita spiritu colligens, admiransque simul & reprehendens suam eo confugiendi, ubi pax omnis inest animi ac quies, uel moram, uel ignauiam, si reiectis permotionibus, tota in Deum fertur, seque miris consolans spiritus radiis, intra sese haec fere: Ego toties in iisdem ipsis prouoluta angustiis & tentationibus, ad Deum clamaui, & ipse exaudiuit me. Quid in me igitur ipsa, tam uili scilicet re & tenui, tandiu immoror? Scio certe quid agam, postquam ita est mortalium conditio, ut nusquam non, quae illam exerceant, fiunt obuiaae occasiones.

{55.18} Vespere & mane & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.

Continue, inquit, contenteque illi meam exponam indigentiam. Vide sanctae animae, ut illa erat uatis, solitudinem. Et certe, si noster unde proueniat in rebus spiritus & algor & torpor, addo & superstitiosa religionis imago, interrogor dicam ingenue, a frigido id contingere in diuinum amorem affectu & studio inconstantiaque animi, ac bonarum rerum fastidio. Mirum in modum erramus, si tantilla nostri portione contentum esse Deum arbitramur. Atqui anima illa quae

{pdf 450, p. 217}

tota in ignem diuini amoris, ob assiduos raptus & ecstasim, conuersa est, ignis quodammodo efficitur: quocirca cum ignis sit, ignem ipsum sentire haudquaquam

potest: secus uero si in terrenarum rerum glacie, brumaque cupiditatum, atque a ambitionis gelu & frigore diutius immorata oblectataque, partem nescio quam sui ad ignem admouet. Statim enim, quasi a repentino commota, reiectaque aduersae naturae transitu atque attactu, intolerando afficitur dolore, atque eo incenditur aestu, quo prorsus consumitur, ac tandem in illo suo permanens algore miserrime congelascit. Ad nanciscendum igitur calorem illum spiritus intensum, quo cupiditates omnes noxiae & turpes adeduntur, assidua peropus est exercitatione, quae quidem omne temporis momentum atque instantiam suo sibi iure uendicat: alioqui certe noster omnis labor, atque ad perfectionem nisus, debilis omnino efficitur, & plerunque inutilis & uanus. Vespere itaque & mane & meridie, hoc est, omni hora, mea Deo exponam desideria, narraboque illi quanta a daemonum, quanta a peruersorum hominum dolis & insidiis patiar, quanta a meipso, quanta a mundo, quanta a carne, a sensibus, a uariisque rerum incursantium formis & imaginibus sustineam. Ipse uero, quae est illius bonitas, meas subito audiet querimonias,

{55.19} Et redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum.

Is finis totius nostrae pugnae est cum mundo, quies scilicet in Deo. Pulchrum admodum illud est, quod huic loco a glossa assuitur. Nos inter malos positi oremus cum isto, plangamus, secumque dicamus: Redimet me in pace, contra illos qui non amant pacem, nempe hi de quibus sic uates: Ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum: quosque doctissime diuus adumbrat Hieronymus, atque cum ipso Augustinus: Appropinquant, inquit, nomine, non numine: corpore, non mente: numero, non merito: in multisque mecum sunt, in baptismo, in Euangelio, in festis & huiusmodi, sed non in paucis, nimirum in fide, spe & charitate. Iustissima haec est, mi lector, sanctae huius animae querela. Vnde uereor interdum, ne quibus una est fides, unus cibus, una religio, unaque uitae consuetudo & professio, unum minime sit cor & uoluntas. Vereor, inquam, ne in una eademque sanctissime a patribus instituta republica in qua ciues unanimem prae se ferre debent uitae rationem, non desint, qui tam sancte sancitam unionem, ac uiuendi legem, suis duntaxat inseruientes commodis, ne dicam uoluptatibus, discendant, ac prorsus diruant. Illud porro silentio non praetereundum, ab his qui appropinquant mihi, Hebraeis esse simpliciter, a bello quod mihi est. Unde Paraphrastes: Restituet in pace animam meam, & liberabit eam a praeliantibus contra me, quamuis plurimi sint: ut hinc quoque intelligamus illud, inter multos erant mecum, ad hostium numerum referri. quare sic a nonnullis reddi uideo, Quoniam cum multitudine aduersum me aderant. Non ab re quoque erit quorundam hic proferre sententiam: aiunt enim uatem, cum immensum circum se conspiceret delatorum falsorumque ciuium & numerum & impetum, in diuinam se penitus proiecissee defensionem, proindeque idem ipsum, quod postea uidit Elisaeus in Dothain, conspexisse uisum. Nam cum ciuitas illa, ut in quarto Regum libro uidere est, a Suriae rege, ut Elisaeum caperet, obsideretur, consurgens diluculo minister uiri Dei egressus est, uiditque exercitum, & nunciauit ei dicens: Heu, heu, heu, domine mi quid faciemus at ille respondit, Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. Et ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisaei. o fidem, fidem. Haec fusius forsan, quam opus fuerat, a me sunt dicta, uerum id, opinor, non absque fructu: late enim patet campus fidei hic simul & Dei bonitatis erga suos considerandi copiam Quid

certe sibi uelit regis Syriae circum Dothain exercitus, quid Elisaei uisio aut fides, quid pueri timor, quid mons, quid currus ignei atque equi, quid tandem Dauid a Ceilae uiris, eiusdem cum ipso tribus & sanguinis, proditus, rerum portenderent, hi bene norunt quibus pura ac facilis,

{pdf 451, p. 217v}

propter iam longum in diuinis rimandis mysteriis usum, inest mens atque animus. Sordidis enim ingeniis & dolosis, tantum abest ut haec mundissima intuenda proponantur, ut etiam proposita auersentur. Solus enim haec nouit Dauid, solus Elisaeus, hi, dico, norunt tantummodo, qui in Deo quicquid poenarum improbis perfidiosisque Ceilae ciuibus obuenturum est, praeuidentes, non fracta aut nutanti asserunt fide, quod

{55.20} Exaudiet Dominus, & humiliabit illos, qui est ante secula.

Dominus, inquit, qui perfidorum minis aut dolis non mouetur, ut solet homo, sed tranquillus sedet, immobilisque, caetera commoueri sinens, aeterno perstat consilio [sic, consilio] ac mente: illos illos, inquam, tam suis, quorum preces audire consuevit infestos, arrogantesque homunciones, humiliabit, deponetque de sede, atque immortalis eos tandem afficiet supplicio. Quae quidem res, ut ob oculos uersetur assidue illorum, qui diuinis irrisioni habent plagas, & propter ea quoque quae sequuntur, adiectum est Selha. Verum comminetur ut libet Deus, pungat, admoneat, percutiat demum, ac usque ad emissionem illos animae uerberet,

{55.20} Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum.

Vltra non progreditur Hebraeis uersus. Clamat Esaias de Deo loquens: Adhuc manus eius extenta, & populus non est reuersus ad percutiendum se. Duritia sane haec est lachrymabilis & miseranda, cum e Dei uerberibus uitam nancisci debeat, mortem quispiam nanciscatur: & unde candorem contrahere debuerat, rubiginem contraxit. Quare non immerito diris illud insectatur ferrum uates quidam, quod e lima rubiginem contrahat. Idcirco qui huiusmodi affecti sunt duritia, atque in perpetrandis sceleribus pertinacia, dignissimi hi quidem (ut hunc uersum interpretatur Campensis) qui pereant. Causa uero redditur: Quia, inquit, sceleratum uitae genus nunquam mutabunt. Sensus, ait Augustinus, impiorum incommutabilis est. Ergo ne tam dura, tam inflexibilis efficitur interdum anima, ut nunquam resipiscat a uia sua mala? nunquam sese recipiat? nunquam a perfidia, a prauitate, a superbia, ab impietate, ad bonas Dei semitas redeat? Semperne in uoluptatum coeno, limoque auaritiae, liuoris, odii, ac qua potissimum diuina offenditur maiestas, ambitione ac fastu, tam nobilis uiuere decreuit natura? Opinor enim uatem in hoc loco tantam animae oscitantiam & malitiam considerantem, non sine gemitu & lachrymis in haec uerba prorupisse: Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum. En radix totius prauitatis animae, Deum non timere. En summa rei, cur anima sub flagellis induratur, cuius hic alia a spiritu manifestatur improbitas.

{55.21-22} Extendit manum suam in retribuendo, contaminaverunt testamentum eius: diuisi sunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius.

Longe secus se habet litera quae est Hebraeis, quae sic est: Misit manum suam in pacificos suos, maculauit foedus suum neque ultra procedit litera, sed alium statim incipiunt uersum, Molliti sunt. Unde uidetur tota illa uerborum coaceruatio, quam noster accumulatur interpretatur, a nescio quo addita. Perstat enim uates in enarranda induratae animae improbitate, duoque illius describit membra, perfidiam scilicet & blanditiem. Perfidiam cum ait, Misit manum suam in pacificos suos: id est in familiares suos, in amicos, in eiusdem professionis uiros impudentissime manum iniecit, fidemque datam turpissime foedauit. Unde huius membri sensum sic exprimit Paraphrastes: Iniecit manum uiolentam in eum, cum quo pacem simulauerat, amicitiae uinculo turpiter rupto. Postea de alio sic: Blandius fecit quisque eorum os suum lacte, cum tamen praelium instituerent in animo: gratiosiores visi sunt sermones eorum quouis unguento, cum re ipsa essent gladii. Felix uero: Molle fuit, inquit, supra butyrum os eius, & intimum cordis eius: leniora fuerunt uerba eius supra oleum, & ipsi sunt gladii, Noster autem:

{55.22} Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.

Haec sane omnia ponere libuit, ob duo quidem, tum quo rudis non ignoret

{pdf 452, p. 218}

lector, multum adeo diuersam esse Hebraeorum nonnunquam literam ab hac nostra iam uulgo accepta, tum ut expressius simulatorum effigies omnibus palam fiat, subindeque illorum mores & sodalitates aequae uitentur, ac solent a nummosi uitari mercatoribus latrones & piratae. Is enim perfidiosorum mos est, ut suos ita ad audientium animos attemperent sermones, blandique effingant, ut nihil minus de illis suspicari queas, quam quod perfidiam machinentur. Iurares quidem non uerba, sed mel ipsum ex simulato illorum ore cadere, adeo omnia concinne, molle, suauiterque disponere callent prudentes, si Deo placet, aucupes. Ab aspero sane hoste, clamoso & truculento, facilis mihi erit fuga atque auersio: a tecto uero & familiari, cuiusque uerba cum mellita, lenique perlita oleo & unguento uideantur, a uenenato tamen proficiscantur animo & pugnaci, meam decipi synceritatem, non tantum miror, quantum miserandam illius sortem doleo. Et haec secundum ueriores literam superioris uersus sint dicta. Verum ne nostra quam quotidie, tanquam debitam diuino cultui, impendimus pensionem, suo fraudetur sensu, ita erit dicendum, quod Dei ultio extendit manum suam, more scilicet percutientis, super perfidos illos, quos supra in infernum descensuros in uita, uaticinatus est Dauid, ut illis secundum quod meriti sunt, reddat. Siquidem parum illis uisum est, non immutari quandoque in melius, aut Deum sprete religione non uereri, nisi & Dei legem, sanctumque fidei & charitatis, rupto pietatis foedere, contra minassent testamentum. Heu perditas nimio luxu animas. Vide quid asserat: Diuisi sunt ab ira uultus eius & appropinquauit cor illius. Vultus eius, Dei scilicet. A serenissimo enim Dei uultu, ex cuius contemplatione condita exhilarantur omnia, diuidi & seiungi, quae maior animae contingere potest calamitas? ab irato uero

acerbissimis expelli uerbis & minis (ut illa sane erunt, horroris plenissima: Ite maledicti in ignem aeternum) tumet ipse qui legis, iudica, & time: nam appropinquauit cor illius. Tunc nimirum cor Dei, nempe uoluntas, ut inquit Augustinus, quae occulta nunc est, reuelabitur. innotescetque omnibus. Siquidem qui a dextris, quique a sinistris, a supremo collocandi sint iudice, occultum omnino nunc est: tunc uero manifestum, ac, uti solent res proxime admotae, notum. Tu interim, si sapis,

{55.23} Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in aeternum fluctuationem iusto.

Hic se ipse, atque adeo omnes qui eodem cum ipso ducuntur spiritu, alloquitur uates. Iacta super dominum curam tuam: hoc est, omni alia abiecta cura, uel ea maxime, qua, quoniam nefarii diu nimium innocentiam diuexare uidentur, etiam sanctissimi solent angere homines, tuum negocium curandum, tuam indigentiam, tuam omnem animi sollicitudinem Deo committe. Quid tu aequae de his doles, quae absurda, ut tibi uidentur, fiunt in mundo, ac si diuinae uelis legem praescribere prouidentiae? Quicquid enim in te improbi moliuntur, tua est ad perfectionem exercitatio. Gaude igitur, exultaque in domino, simul ut minime, qui te quotidie eruditorem faciunt, non desunt doctores. Ipse quidem est, non tu, tuaque nimia illa animi cura & anxietas, quae te nutriet, aletque ad illud proculdubio uitae genus, quod absque curis, amarisque ob improborum calumnias sollicitudinibus, in coelis transigitur: interim uero ne dubita, non dabit in aeternum fluctuationem iusto. Non sinet profecto proborum uitam diutius in alto iactari, etsi ad tempus id uelle uideatur. In hoc quippe mari magno & spumoso, atque propter uentorum saeuitiam tumido ac fracto, in quo placidis perpetuo frui etesiis scelerati apparent homines, cum tuae sit nauis rector Deus, idemque & aura & portus, quid tibi periculi est? Tanutum [sic, Tantum] tu o qui in procelloso mundi huius iactaris pelago, fidissima a Cynosura tuos, si sapis, oculos nequiquam auertens, illud ingeminare ne pigrere: Domine salua nos, perimus, succurre, subueni. Etsi enim horrendum, in quo uersamur, extimescimus naufragium, ea tamen uiuimus in te fide, quod non dabis in aeternum fluctuationem iusto quodque

{pdf 453, p. 218v}

eos qui tranquillas laci Genesareth perturbant undas,

{55.24} Deduces in puteum interitus.

Id est enim quod superius dixit, quod descendent in infernum uiuentes. Illi inquit, qui bonos affligunt, amisso ueri itineris lumine, in aeternam, post breuem hunc fortunae plausum, detrudentur noctem: & (quod illis horrorem incutere deberet)

{55.24} Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.

Cum enim faex ista mundi, sanguinariis scilicet homines & fraudulentis, longam sibi polliceantur annorum seriem, non peruenient nihilominus, aequissimo Dei consilio, ad dimidium uitae. A diuino siquidem intercepti iudicio, in media ipsa secundarum rerum felicitate ac lautitia, ab humanis, cum nihil minus cogitabunt, extrahentur. Nunquam

sane uir nimium in hisce mundi curis occupatus, aut crudeli fraudulentoque animo affectus, suam incepisse uitam apparet: ita enim uiuit, ac si semper esset uicturus. Imparatus quidem cum semper sit, nullum mortis genus contingere potest, quod peracerbum illi non uideatur, nouum & immaturum. Longe uero secus se habet proborum uita: hi enim quocunque tempore aut loco emigrandum fuerit, laeti e corpore, tanquam e tetro exiliunt carcere, perindeque vivunt, ac si omni hora moriendum illis esset. Siue igitur in prima, siue in secunda, siue in extrema quoque uenerit uigilia Dominus, tanquam suum omne uixerint aeuum, tametsi iuuenes, parato demigrant animo, nihil interim de uita aut morte solliciti, siue cras, siue post integrum seculum illorum futurus sit finis. Id solida fide in Deum, qui uera est uita, etiam in hac errorum ualle degentes persuasissimum habent, quod si iustus a morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Improbis uero nullum constitui potest uitae medium, cum nunquam ui uere coeperint. Est & alius pius sensus, ut inter homines inueniantur, qui cum spiritu incipiant, in carnem desinant: horum sane statui potest uitae medium, sed infelix illud quidem & calamitosum. Alii rursum malo suae aetatis cursum incipientes exordio, actutum uisa luce resiliunt, incoeptosque turpiter dies, ut uerbo utar uulgari, dimidiant, deque infelici principio ad amoenum, eundemque beatum demigrant uitae exitum. Alii: item cum male coeperint, malum etiam in prauitate perdurantes sortiuntur finem. Hos dicit uates, suos nunquam dies dimidiatos habere. In Aegypto enim nati, aliti atque usque ad decrepitos enutriti annos, in Aegypto quoque miserrimam oppetunt mortem, nec aliquando solitudinem, quo promissionis terram adipiscantur, adeunt. Etenim in huiusmodi uitae statu, periculoso nimirum & metuendo, cum unusquisque ex reprobis connumerari possit, illi in primis

PSAL. LVI. Vincenti. Super columbam mutam, inter longinquos, Dauid insigne, dum caperent ipsum Philistaei in Geth.

{56.2} Misere mei Deus, quoniam conculcavit me homo, tota die impugnans tribulavit me.

Nota est historia in primo Regum libro, quando Dauid captus a seruis regis Geth, simulauit se furere: & nos nonnulla in titulo psalmi trigesimiquarti diximus. Tunc enim illum iam a periculo liber composuit, hunc uero instante periculo. Columbam autem se mutam fuisse inter longinquos, nempe a Deo alienos, ut erant Philistaei, fatetur: nam in tanto uitae discrimine non modo se mutum finxit, sed plane stolidum & furem. Quae quidem amentia ac mentitus furor, occultissimo illi rerum mysterio insigne quoddam fuit regium & decus. Hac in re, ut pene in caeteris, typum prae se tulit Christi, qui alio in psalmo de se dicit: Ego tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Quid? nonne furens aliquando a suis est habitus ipse Iesus? En igitur uerus Dauid, amabilis nimirum et decorus, a populo obscuro et obvoluto (sic Phil- [Philistaeos]

{pdf 454, p. 219}

-listaeos interpretantur) captus, maleque habitus, quasi ales innocua silet, instarque insani in parietem illum, qui inter Deum & hominem, tanquam inimicitarum testis positus erat, impingens furensque, atque excors ab impietatis atrio reputatus, eiectus

illususque, ac multifariam conuictis affectus, tandem uniuersorum rex euasit: ut plane asserere possimus, amentiam istiusmodi & derisionem, necessariam omnino esse ad insigne illud regium assequendum, quo hi donantur, qui cum Christo improperiis magis delectantur, quam uulgi fauore & plausu. In hoc itaque psalmo Christus est, seu eius Ecclesia, quae purissimo columbae nomine in Canticis dignata amatoris, suam aeterno patri exponit indigentiam. Et sic a miseriae uoce suam auspicatur precationem: Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me. Petulantem enim sui hostis libidinem & saeuitiam, cuius iniurias inter caetera pressius considerabat uates, in uerbo illo, conculcauit, ostendit: quem quidem cum neque mansuetudine, neque patientia, neque ipsa quoque placare posset innocentia, ad diuinam confugit misericordiam. Quis, oro, hostis tam dirus, ex illis praecipue, qui Dei populum continuo bellorum motu impetere consueuerat, uisa Daudis lenitate & mansuetudine, non iratum deposuisset animum? Saul tamen, hoc est, eiusdem gentis homo, eiusdemque religionis & cultus, durior semper uisus est, ac minus placabilis: ut nonnullos etiam in Dei Ecclesia uidere dolemus, quibus cum si quid tecum controuersiarum intercesserit, nae tu potius Getham aliquem aut Poenum, aut alium quemuis intractabilem eligas hostem, qui cum tua dirimenda sit lis, quam talem Christianum. Putas ne mansuetissimum dominum ab hac etiam acerbissima omnium iniuria uixisse immunem? Multa, inquit, bona opera operatus sum in uobis, propter quod uultis me occidere? Ad hunc igitur, qui perfectissimae fuit in terris exemplum lenitatis & patientiae nostris in periculis confugiendum est, clamandumque: Miserere mei Deus, ne mea me obruat miseria. En iste, unius scilicet horae homo, leuissimus omnium & arrogantissimus, me conculcat, affligit, persequitur, totaque die me impugnans, eo me pene adduxit, ut uix respirare mihi liceat. Et sic, nimirum ad eius exemplum, caeteri

{56.3} Conculcauerunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes aduersum me.

Id est fere moris in uili uulgo & plebe, ut si quem forte uiderint, etiam immerito, a suo affligi principe, & male haberi, hi subito, ne non similes suo domino uideantur, turbas in miserum illum nouas commoueant, uique iniecta legibus & probitati, quicquid in buccam uenerit, effutiant. Censes ne uilissimum Iudaeorum uulgas adeo immaniter in Christum insanire ausum fuisse, si miti in illum & leni extitissent animo uiri synagogae primarii? Quid non audet temerarium uulgas, modo sciat se suis gratificari posse patribus? Tunc sane heluo, parasitus, adulator, delatorque & alii istiusmodi inquinamenti homines triumphant. Conculcauerunt me, clamat innocentia, inimici mei, prorsusque, contempto Deo, attriuerunt. Illud notandum, principium uersus sequentis, Ab altitudine scilicet, tum Hebraeis, tum Graecis, finem esse praecedentis, ad hunc modum, ut uertit Fel. Quoniam multi bellantes aduersum me excelse. quam quidem dictionem alii interpretantur, o excelse, uel, o altissime, ut Paraphrastes: alii, superbe: alii quoque, ab excelso: quo ostendat uates, inimicos suos longe superiores extitisse, se autem subiacuisset. & sic alium ordiuntur uersum: Per diem timebo, ego in te sperabo. quem sic reddit Paraphrastes: Quocumque tempore timor inuaserit me, ego ad te confugiam. Ego, inquam, caeteris omissis auxiliis, quae natura imbecillia sunt & infida, ad te unum, uerumque miserorum perfrugium accedam. Noster autem interpretes ita uersum integrum transtulit:

{56.4} Ab altitudine diei timebo, ego vero in te sperabo.

Et est, ac si asserat, ut inquit Augustinus: Alti sunt & tumidi, qui me conculcant, uerum id in die, non diu. Siquidem temporarii illorum impetus sunt, & uaniores quidem, quam sint ampullarum lusus: attamen quia inextinguibilem prae

{pdf 455, p. 219v}

se ferunt flammam atque incendium, idcirco ab imbecillioribus timentur animis, & meticulosus. Qui licet stabilem nostram erga Deum fidem ac pacem, quamuis obnixe contendant, euertere nequaquam ualidi sint, concutiunt nihilominus, & interturbant. Utcunque tamen insaniant, in te sperabo. Qua proinde spe, tanquam aeneo munitus clypeo,

{56.5} In Deo laudabo sermones meos, in Deo speraui: non timebo, quid faciat mihi caro.

In Deo laudabo uerbum eius, uertit Felix sed in idem recidit. Siquidem probi uiri sermo, Dei sermo est. Nec aliud quidem ille longo assuetus usui, quemadmodum cogitare, ita eloqui & uult & potest, quin totum diuinum sit, ac Dei proprium. Nihil enim gratius purae animae contingere potest, quam cum illi diuinum promulgandi uerbum, celebrandique Dei nomen, ac tum uita, tum doctrina, sanctisque lucubrationibus, castissimum illius dilatandi cultum, offertur occasio. Sua itaque omnis cum sit intentio & studium, ut Dei uerbum, e quo perfectio animarum, amor scilicet, amatique cognitio, ac fides, aureis quibusdam deriuantur cuniculis, late omnibus innotescat, idque se tandem assecuturam speret, cur carnem, mortalium uidelicet minas aut terrores multi facere debeat, non uideo. Timeant sane carnem, qui carni, tanquam dominae, obtemperant. Timeant homines, qui plus homines quam Deum & amant & metuunt: ego, inquit uates, simulac Dei sermones, quae sunt eius mihi factae pollicitationes, quibus maxime meis in aerumnis innitor, laudibus efferre, atque in ipsis, quoquo modo insaniant mundus, sperare decreui, non uerebor quid in me minarum, seditionumque moliantur homines carni obnoxii & mundo. Hi enim

{56.6} Tota die uerba mea execrabantur, aduersum me omnes cogitationes eorum in malum.

Perpende, te oro, humanissime lector, quam graphice dolosorum hic hominum innocuisque insidiantium mores effingat uates, imo Christus ipse, qui cum Deo suam expostulans sortem, pro me miserrimo sibi ascitam, ita hostium suorum (qui probitatis cupidos odio & contumeliis insectantur, hi Dei hostes illico efficiuntur) perfidiam detegit atque astutiam. Quicquid, inquit, instituo, quicquid cogito, quicquid aut loquor, aut operor, id totum uafri homines & astuti calumniantur, partemque in deteriorem accipiunt, atque ad inuidiam pertrahunt. Quid hic dicam? omnes eorum cogitationes & consilia, in meum tanquam uenenata spicula intorquent exitium. Quotidie quidem uerba mea, etsi uitae uerba essent, a Deoque profecta, execrabantur, dirisque impetebant ac calumniis. Ad haec,

{56.7} Inhabitabunt, & abscondent: ipsi calcaneum meum obseruabunt, sicut sustinuerunt animam meam.

Clarius Felix: Congregabuntur, abscondentur: ipsi uestigia mea obseruabunt cum expectauerunt animam meam. Hucusque Hebraeis uersus est Ecce perfidiosorum mos & institutum: formati enim suis illis turpissimis in mente ideis, formisque peruersitatum, conueniunt tandem, in unumque conspirant, ut sagittent in obscuro rectos corde. Quaecumque enim agit uir sanctus, aut loquitur, quocumque suum habet iter, seu sedeat, seu legat, seu etiam dormiat, aut aliis naturae indigentibus, ut sanctos decet, pareat, ea omnia callidi illi aucupes obseruant, ad suamque inflectunt nequitiam: & id sane totum, quo innocentissimorum hominum & famam & dignitatem, & nomen & uitam demum traducant, & extinguant. Hucusque, ut dixi, Hebraeis est uersus. Unde sic redditur a Paraphraste: Conspirabant & insidiabantur ipsi, & uestigia mea obseruabant, studiose hoc agentes, ut capiant animam meam. Ex qua quidem Paraphrastae lectione duo aduerti possunt: tum ut sum copiosior esse Hebraeis, tum non calcanei, sed uestigia ab illis legi. Quanquam calcanei dictio nonnihil uero sensui inseruire uidetur, quo apertius malitiosorum hominum doli, occultaeque patefiant insidiae. Nihil profecto aperte, nihil ingenue agunt proditores, sed omnia uersute, obscure, uafre, subdole, ut de calcaneo alias diximus. Verum tu, o Deus,

{56.8} Pro nihilo saluos facies illos? in ira populos confringes.
{pdf 456, p. 220}

Quod hunc uersum per interrogationem legi debere opiner, facit interpretatio Paraphrastae, qui sic reddit: Erit ne haec iniquitas impunita illis? Sensus igitur: haec ne illorum peruersitas tam parui a te aestimabitur, ut pro nihilo illam ducas? idcirco nullam de illis exigas poenam? minime id omnium, mi Deus: nam eiusmodi uiuo fide, quo illos non sines inultos, sed potius illorum acerrime, uti solent irati, scelera uindicabis, eosque, quamuis ingentes pene populos numero aequent, deprimes, prosternesque, atque temerarios illorum ausus perfringes. Verum caeteri Hebraeorum interpretes absque interrogatione sic uersum reddunt: Propter iniquitatem liberatio illis, in ira populos deiice Deus: hoc est (utriusque literae sensum ponere non sum ueritus, quo unicuique suum integrum sit iudicium, eum quem uoluerit sequi) sua illi prauitate se tutos fore arbitrati sunt. Nam me expulso, e medioque sublato, suis se rebus tute consuluisse, dominiumque perpetuo stabilisse uisi sunt, gaudentque se propterea praemium non uile assecuturos (sic de praemio interpretatur Felix ne me mea somnia enarrare suspiceris) uerum tu Deus aeterne, culparum eiusmodi flagitiosarum uindex, deiice illos, extermina, & ut ut numerosi sint, praecipita & confringe. Ego autem, o

{56.9} Deus vitam meam annunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, sicut & in promissione tua.

Hactenus legunt uersum Hebraei & Graeci. Cum uideo, mi lector, confusa adeo in distinguendis uersibus interpuncta & intercisiones, cogor interdum suspicari non ab ipso id factum esse interprete, sed a pio nescio quo templorum ministro, quo psalmodum cantus aptius desineret. Is enim, quisquis ille fuit, uisus est psallentium

choris literam quamuis ineptam accommodare maluisse, quam uerum sensum & spiritum. Illud etiam non omittendum, dictionem Deus, quam nos legimus in principio uersus, Hebraeis esse praecedentis finem, ut supra retulimus. Et quod noster uertit interpres, Vitam meam annunciaui tibi: Hebraei habent, Fugam meam, seu discursus meos numerasti tu. Rursus illud, in conspectu tuo, sicut in promissione tua: illi legunt, In utre tuo, utique in commentario tuo: seu, ut reddit Campensis, in libro rationum tuarum scribe eas, nempe lachrymas. Quare nihil aliud hic uelle uatem auguror, quam suam continuam & uagam deflere fugam, exilium, atque, ut uertit Felix, uagationem: nam, ut in Regum gestis legitur, nusquam illi tutus erat locus. A patria quippe eiectus, a Philistaeis pene occisus, a Ceilitis, Ziphaeisque proditus, a filio, a domesticis, ab ipsisque arctissima illi coniunctis necessitudine traductus, quo iam terrarum angulo sese occluderet tantus uir? Quare non ualde admirandum, si alio in psalmo sic suam exponit miseriam. Fuerunt mihi, inquit, lachrymae meae, panes die ac nocte. heu cibum certe innocentissimo uiro minime debitum. Hic uero quid? Posuisti, inquit, seu, quod magis placet, Pone lachrymas meas in conspectu tuo, illas considera, illas tuo sanctissimo clementiae absterge sudario, sicut in promissione tua, sicut, inquam, tuis in promissionibus est scriptum, atque, si lubet, illas in utre tuo, nempe repositoio, quo res solent chariores collocari, colloca: & haec nimirum omnia, lachrymas, gemitus, uagosque discursus, ac iam fastidita suspiria, cum his quae a perditissimis istis proditoribus perfero, tuis in commentariis, ne unquam in obliuionem deueniant, repone. Vide quam certum de suis hic gestis protulerit uaticinium Dauid. Etenim cum haec quotidie beatissimi huius uatis acta ab Ecclesia recensentur, recentiorique semper studio populis enarrantur, nonne tibi aeterna illa esse, perindeque indies magis noua, ac si in Dei rationario scripta essent, uidentur? Sic sunt sane sanctorum omnium gesta, cum interim perit memoria impiorum cum sonitu. Ergo, inquit, habita afflictionum mearum ratione a te, o Deus,

{56.10} Conuertentur inimici mei retrorsum.

Terga dabunt, confusique, re prorsus infecta, malum in omen facessent. Multis quippe praeteritarum rerum mearum exemplis, atque experientia perdidici, quod

{56.10} In quacunq̄ue die inuocauero te,

{pdf 457, p. 220v}

Tuumque implorauero auxilium, quae meis a tuo edoctus spiritu imprecatus sum hostibus, euenient, mihiq̄ue parces. Ecce,

{56.10} Ecce, inquam, cognoui quod Deus meus es.

Tu tu, non alius, es qui res meas optima curas fide, quique tum, cum maxime opus est, cumque maior perurget miseria & calamitas (contra nimirum hominum morem, qui amicitiam tum quidem colere soliti sunt, cum fortunata uidetur, cum uero misera, destituunt) & subuenis, & miserum a miseria ualidissime subleuas. Quare ne ingratus uidear,

{56.11} In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speraui, non timebo, quid faciat mihi homo.

Verbum seu sermonem, alias diximus, rem in scripturis, ut etiam hic notat Felix, significare: opus item factum, negocium. quare is erit sensus, ut diuine exprimit Paraphrastes, qui sic reddit: Fretus benignitate Dei, boni consulam quicquid accidat mihi. Fretus, inquam, benignitate Domini, aequo animo feram quicquid eueniet mihi. Non te moretur, quod modo Deum, modo Dominum, suum appellat fautorem uates: nam ipse est Dominus, & Deus noster, nos autem populus eius. quanquam dictio illa, quam noster fere semper uertit interpres, Dominus, nescio quid altius sonet Hebraeis, quam sit simpliciter dominus. Caeterum quae hic a nonnullis de uerbo illo aeterno, in patris mente, quod in Deo ipso, et ipsum Deum laudari oporteat, dicuntur, & quo modo expressa sit in hoc uersu, in Deo scilicet, in domino, in uerbo, effigies trinitatis, non est cur modo simplici huic nostrae attexamus explanationi: aliud sane agimus. Hi tamen quibus ocium est & spiritus, alta haec & sublimia, sensu prius literae non ignorato, formare utcunque animo poterunt. Quo non interdum sublimitatis is eleuatur animus, qui nulla alia re curaue detentus, praeterquam Dei, a quo perfectum iam hausit nitorem, uim illam diuinam adeptus est, qua facile ad coelestia intelligenda, plerunque etiam cum non advertit, rapitur? Is certe cum uate nostro audacter, ob iam conciliatam cum Deo amicitiam, illud de se eloqui poterit: In Deo laudabo uerbum. Quicquid, inquit, mihi (molle ne illud sit, an asperum, nihil moror) contigerit, de illo sane, tanquam de re a diuina porrecta manu, gloriabor, Deumque ipsum laudabo, celebraboque illius nomen in perpetuum, tantum abest ut, quemadmodum in fide inconstantes solent, de iniuriis mihi a calumniatoribus illatis querar. Summae quippe fidei indicium est, cum eandem omnino repetit eisdem pene uerbis sententiam: sperabo, inquit, in Deo, quem solum amo, quem colo, quem in deliciis habeo: & sic non timebo quid faciat mihi homo quamuis scelestus, quid in meam machinetur uitam ac nomen proditor, quid palpo, quid delator, quid callidus ille ueterator, quid tota haec demum Philistaeorum manus. Nanque

{56.12} In me sunt Deus uota tua, quae reddam, laudationes tibi.

Solenne ac praecipuum ex his quae fiunt Deo uota, illud est, feruens scilicet laudandi eius nominis studium, de quo nonnulla supra in aliis psalmis, a nobis sunt dicta. Et ne diutius in peruestiganda hic uotorum huiusmodi ratione te torqueas, prudentissime a uate est additum, Reddam laudationes tibi: ut subsequens hemistichium, prioris sit interpretatio. Atqui uota ea quae corporeis uidentur oculis, ut pote quae ab exteriori Ecclesiae procedunt ritu ac caeremonia, tum sponso grata sunt, si illius in primis quaeratur honor & cultus, qui in mentium unitate ac fide maxime positus est. Nam ueram illam esse numinis laudem, uerumque cultum, uotem atque religionem ducimus, quae cum in mundis, beneque excoctis sita sit animis, e externos quoque, uti e uaporario solet calor, sese effundit mores ac ritus, qui interioris flammae testes sunt & lucis. Quare ut prudenter, ita uerissime a uate est dictum: in me sunt Deus uota tua, nempe laudes, quae reddam tibi. Est etiam illud pulcherrimum a quodam dictum, Non extra quaero, inquit, quid offeram: de ara cordis, de macello, de cellario conscientiae exit totum, quod in charitate accendendum est, Reddam igitur, inquit uates, quaecunque tibi pollicitus sum.

{pdf 458, p. 221}

{56.13} Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsa, ut placeam coram Deo in lumine uiuentium.

In lumine uitae, uertit Felix. Rursum illud, Ut placeam coram Deo, diui Hieronymi translatio habet: Ut ambulem, seu ut uerser coram Deo. Idem Felix, idem caeteri ex Hebraeo. Cuius sensum sic exprimit Paraphrastes: Ut possim ambulare coram te, mi Deus, illustratus lumine quo solent qui vivunt perpetuo. Gratissimi haec est animi testificatio, qua se uates, perfectissimi poenitentis typus, altissimo deuouet Deo. Hi sunt porro effectus, hi nostrarum lachrymarum exitus & gemituum, qui e corde ualde consternato prodire soliti sunt, nempe integra a morte animae ereptio, tum eiusdem ereptionis spes solida, certitudo ac fides. Quod quidem infelicissimum mortis genus, cum ab effraenatis hominis affectibus atque appetentiis, qui sunt pedes animae, oriri soleat, idcirco suam ab huiusmodi pedum lapsibus liberationem ingenue fatetur uates. Ex qua sane, hoc est, e nostris nobis condonatis a Deo reatibus, reconciliataque conscientia, ac recto nostris in uisceribus innouato spiritu, atque erogata coelitus gratiarum abundantia & suauitate, subita quaedam exoritur in anima lux, quae Christus est: quo praeuio & duce, facile salebrosas uitae huius semitas, iterque caliginosum & obscurum, illaesi transcurrimus. Iam illud postremo notandum, oculos meos a lachrymis, in codicibus Hebraeis non inueniri: uerum non impedit sensum, imo adiuuat: ut sicut uerbis illis superius positis, Ipsi calcaneum meum obseruabunt, haec opponuntur, Pedes meos eripuisti, scilicet a lapsu: ita illis, Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, ista, Oculos meos a lachrymis, uidelicet liberasti, pacata iam conscientia, ac libera a iudicii terrore & poenarum, ob condonatum peccatis meis ueniam, infusumque in me spiritum: quo attestante, lumenque mihi in tenebroso uitae huius labyrintho praemonstrante, certior fio me Dei esse filium, qui lux est, ac mirabiliter lucens lampas ac fax, in lumine uiuentium. Cui honos sit & laus in secula. Amen.

PSAL. LVII. Vincenti. Ne dissipes Daud in insigne, dum fugeret ipse a conspectu Saulis in speluncam.

{57.2} Miserere mei Deus, miserer mei, quoniam in te confidit anima mea.

Cum semel Saul, & uiri eius, ut in primo Regum libro legitur, in modum coronae cinxissent Daud in deserto Maon, ut caperent eum (iam Daud desperabat se posse euadere) uenit nuncius qui nunciauit Saul Philistaeos in regnum irrupisse: quo nuncio exterritus rex, omisso Daud, exercitum in Philistaeos direxit. Daud tamen considerans se minime tutum fore in Maon, ascendit ibi, ut refert historia, & habitauit in locis tutissimis Engaddi. Porro repressis fugatisque Philistaeis, Saul iterum habito totius exercitus delectu, nouam incepit persecutionem. Et perrexit, inquit, ad inuestigandum Daud etiam super abruptissimas petras, quae solis ibicibus peruiae sunt. Verum in ipso itinere, Saule immensam quandam speluncam, quo uentrem purgaret ingresso (scribunt cosmographi, in regione illa ingentes adeo specus inueniri, ut sint qui quatuor millia hominum capiant): in cuius interiori recessu Daud cum suis (sexcenti hi erant) latitabat, contigit ut ipse Daud, refracto prius impetu militum, qui Saul occidere decreuerant, proprius accederet, & sic clam oram praecidens chlamidis regis ad suos

reuerteretur. Postea uero e specu egressus Saul, pergebat coepto itinere, sed uiso Dauide, perceptoque periculo in quo fuerat, non modo a uiri iusti destitit persecutione, uerumetiam percusso cum illo foedere domum rediit. Verum David in ipso belli tumultu & fuga, hanc in Deum fiduciae plenam composuit odam, dixitque: Miserere mei Deus, quoniam in te confidit anima mea. Quod certe David tam infesto pepercerit inimico, cum eum occidere potuisset, tum primum Evangelii imaginem expressius quam antea forsitan adumbrare uisus est. Quis enim (inquit Saul) cum inuenit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Perfectissimi sane illud fuit animi indicium. Quotus enim quisque est, vel ex his qui Ecclesiae

{pdf 459, p. 221v}

speciali seruiunt cultu & religione, qui uirum illum, nempe in tenebris antiquae legis adhuc uersantem, in huiusmodi uitae actu se aequasse dicat? Si dicit, unde obsecro, inextinguibiles in rebuspublicis in templis, in ipsissimis Ecclesiae adytis, discordiae, rixae, dissidia, homicidia tandem illa quae tum ferro, tum odio crudelissime perpetrantur? Sed mihi hic tempero, & ad psalmi interpretationem, prius explanato, ut res ambiguae explanari queunt, titulo, me uerto. Censent nonnulli uerbum, Ne dissipēs, seu, Ne perdas aut corrumpas, ideo hic poni, quod David, uisa occasione, promptoque animo suorum interficiendi Saulem, sese continuit, dixitque: Propitius sit mihi dominus, ne faciam hanc rem. Et est ferme idem, cum non multo post fidissimum comitem Abisai, qui Saulem ipsum dormientem obtruncare statuerat, obiurgauit, inquit: Ne perdas eum, seu, ut nostra habet aeditio, Ne interficias eum. Insigne porro uocat Saul, ob dignitatem regiam, quem etiam David ipse ex more Christum domini appellare consueuerat. Alii uero putant initium fuisse carminis, ad cuius numerum & mensuram, tum is tum caeteri eiusmodi compositi erant psalmi. Alii rursus, Ne dissipēs, ad Deum referunt, & mixta dictionem, quam caeteri insigne interpretantur, mitem seu simplicem uertunt, titulum Hieronymi citantes, qui sic habet: Pro uictoria, ut non disperdas David humilem & simplicem, quando fugit a facie Saul in speluncam. Horum omnium de titulo ambiguo & obscuro, opiniones idcirco ponere libuit, quo unusquisque, quod suo magis conducere gustui duxerit, id arripiat. Tantum id cupit spiritus, ut mens natura ignea, his imis modice delibatis, ad sublimiora peruestiganda toto feratur nisu. Omisso igitur paulisper uate, modo fuga, modo latibulo tuto aliquo saluti suae consulente, dicamus Seruatorem hic nostrum, nostram commendare Deo patri miseram: quae ut acerbior appareat (qui non eam acerbissimam dicam?) bis uerbum idem, nempe miserere, replicat, Miserere mei, inquit, miserere mei, subindeque causam, cur diuina flecti debeat seueritas, reddit, cum ait: Quoniam confidit in te anima mea. Ea enim praedita ui est fiducia, ut non solum ad nostris opitulandum malis, Deum moueat, sed etiam cogat omnino, & ad nobis obsequendum obliget. Mirum quam laute gaudeat anima in angustiis & oppressionibus, spe fulta solida in Deum. Proinde nihil tam arcte fere a nobis diuina requirit maiestas, quam ut aperta fiducia minimeque nutante & debili persuasionē, ad se nostris in aerumnis confugimus: hoc est, nostrum omnino totum uult cor, quo habito, totum & nostrum habet amorem, nostram fidem, nostra desideria, nostros affectus, Haec est lex fidei, ad quam obseruandam, quotquot sacra intingimur unda, uel ingratis tenemur.

{57.2} Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

De alarum tutela iam alias diximus, sollicitam prae se ferre ac tutam protectionem. Vidisti ne unquam pullos gallinaceos e corbe gallinaria, ubi continua filiorum cura aegrotat mater, exiisse, atque in aprica lasciuisse area? Quid si a rotatu illo in aere tardo, uafro tamen ac doloso milui, aut rapido accipitris uolatu deterrentur? ad corbem subito, natura id commonstrante, ad matrem, ad solitas recurrunt alas. Quid tum mater? expansis actutum alis, ingemiscensque inter cum filiis, atque eis & uoce & pluma adblandiens, tandiu timidis incubat, quoad eius, a domesticis domus, clamore effugetur praedo. Ita nimirum suos erga electos habet diuina bonitas, qui, cum desit qui pungat stimulus, aut metum ingerat miluus, in uitae luxum facile prolabuntur: ueruntamen admoniti & puncti, eo prudentissime remigrant, unde imprudentissime, forsanique stolide emigrarunt. Putas ne tum Deus comprimat, an potius expandat suae protectionis alas? Id sane agit in praesentia Deus, agetque in posterum, donec transeat iniquitas, transeat accipiter, transeat miluus, rapaxque orationum clamore expellatur uultur. Quod quidem in cruce egit amantissimus nostri Christus: nam longos post mortalium questus, post gemitus, post lachrymas, post clamorem illum miserandum, quo omnes passim uociferabantur, Miserere nostri domine, miserere nostri, ille reiectis a manibus institis, excussisque funibus, quibus a proprio constrictus fuerat populo, nodosum crucis ascendit stipitem: e qua sane diuina illa amoris

{pdf 460, p. 222}

plenissima non modo aperuit brachia, uerumetiam illa ipsa clauis, trabalibus illis quidem & firmis, configi uoluit, ut firmam, immutabilemque suam erga nos fore ostenderet & charitatem & misericordiam. Ergo

{57.3} Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.

Ad Deum perficientem super me, habet Hebraeus: id est, clamabo ad Deum altissimum, Deum, inquam, expedientem, atque ad optatum finem, quicquid orauero, perducentem. Unde Paraphrastes: Implorabo auxilium Dei altissimi, Dei illius, qui perficiet quae coepit in me. Quod si etiam exponenda est nostrae editionis litera, dicendum erit, uerba haec summae esse fidei, qua anima praeteriti haud immemor beneficii, sperat suis idem in afflictionibus assecuturam. Benefecit, inquit, olim a me rogatus, benefaciet quoque, spero, in posterum. Ego autem sciebam (inquit Christus ad patrem) quod semper me audis. Vnde

{57.4} Misit de coelo, & liberauit me, dedit in opprobrium conculcantes me.

Res profecto simillima uidetur esse miraculo, si cui in calamitate aliqua misere attrito, subita e coelo effulgeat lux, de improvisoque diuinum appareat subsidium. Quid tam mirandum in rerum natura, hominem scilicet uidere penitus destitutum culcatumque ab omnibus, derisum, expulsum, non multo adeo post e tetrus aerumnarum tenebris, tanquam e nube Solem, exilire? Haec sane spiritus, ut diligentiori expenderentur animo, uoluit Selha interponi. Quid sit porro, dedit in opprobrium conculcantes me, sic exprimit Paraphrastes: Et infamem faciat eum, qui conculcare conatur me. Verbum enim, dedit, quo lucidior haberetur sensus, additum est a Graecis: nam illa Hebraeis

duntaxat est litera, Opprobrium absorbenti me, dabit scilicet Deus. Deinde quid sit illud, quod Deus e coelo, hoc est, ab aeterna illa moderandarum rerum omnium prouidentia ac bonitate, in suorum subsidium demittere consuescit, subsequens declarat uersus.

{57.5} Misit Deus misericordiam suam, & ueritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus.

En duo illa fulcra, quibus anima tanquam iacens uitis innixa sustentatur, Dei scilicet misericordiam, & ueritatem seu fidem, qua quidem Deus ex pacto quodammodo pollicitationum suos seruat electos, illa uero gratuito. Censendum ne est, Deum: qui misericordia, coaeternaque sibi bonitate motus, salutem, si quis eam cupiat, conferre pollicitus est, imo ex pacto sese obligauit, negare posse, quod ultronea benignitate se daturum promisit? His itaque tanquam nunciis e coelo missis, animas suae religionis percupidas & studiosas inuisere solitus est Deus, ne in aduersitatum acerbitate fatiscentes, desperent omnino, hisque eas solatur dictis: Ego sum, nolite timere. Vide propterea diuini effectum praesidii: uide, inquam, in quibus plerunque malis uersetur innocentia, nostraque e regione ostendatur fides. Eripuit, inquit, animam meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus: id est, inter illos qui leones magis quam homines appellari debent, uersari cogor. Verum unde haec exorta est, dicat aliquis, conturbatio? Audiatur is, si lubet,

{57.5} Filii hominum, dentes eorum arma & sagittae, & linguae eorum gladius acutus.

Quid non conturbat peruersorum hominum lingua? Quis coetus, quis populus, quis ciuium conuentus tam sanctus, tamue tranquillus, quem non confundant, perturbentque penitus dolosorum hominum oblocutiones, perfidiosaeque odiorum sationes? Unde expressius illud superioris uersus reddunt Hebraei fere omnes: Dormiui conturbatus. Sic Felix: Iacebo in medio inflammantium, in medio filiorum hominis, quorum dentes lancea & sagittae, & lingua eorum, framea acuta. Dormire cogor, inquit Paraphrastes, inter furiosos. Vide quanta uerborum exaggeratione foedissimam maledicorum consuetudinem depingit uates. Eos similes dicit esse, ob truculentiam iramque inexorabilem, leonibus: & ne id parum uideretur, illos iterum furiosis, & his quidem incenditibus inflammantibusque, quicquid probitatis nacti fuerint, comparat, enarratque unde illorum huiusmodi erumpat furor, unde ignis ille letalis detractio

{pdf 461, p. 222v}

accusationumque ortum habeat: A dentibus, inquit, eorum acutissimis, linguisque ignitis. Quae duae sane res, cum sermonis potissimum sint instrumenta, ad turpissimum deferendi assentandique usum accommodat peruersissimum istuc genus hominum. Quocirca non immerito sanctissimus ille senex & apostolus, de linguae natura edisserens aiebat: Ecce lingua modicum quidem membrum, quantus ignis quam, magnam sylum incendit. Lingua ignis, est uniuersitas iniquitatis. O infelices animas. Verum ne diutius in tuos praeualeat amicos haec mundi pestis,

{57.6} Exaltare super coelos Deus, & super omnem terram gloria tua.

Tu qui improbis periurisque, ac illis quidem qui de se illud iactare consueuere, Labia nostra a nobis sunt, quis noster dominus est? tu, inquam, qui istiusmodi hominum generi iacere, planeque ad iniurias innocentiae obdormiscere uideris, exaltate in uirtute tua, expergiscere, illisque tandem te in coelis esse, ubi omnia prudentissime circumspectans, & moues, & temperas, ostende, & debitas de illorum sceleribus poenas, ut es aequissimus omnium arbiter, poscens, uitamque innocuorum ab illorum eripiens saeuitia & diritate, tua appareat etiam in terris magnitudo, quae in eo maxime posita esse uidetur, ut defensa probitate, nefandorum hominum feritatem fraenes, ac mulcta afficias. Sic sane tua postulat aequitas, sic iustitia, sic, quibus potissimum ab omnibus ubique omnium hominum regionibus immensus omnipotentissimusque iudicaris, gloria atque excelsa moderandarum rerum providentia, et maiestas. Vide, obsecro, illorum immanitatem atque insipientiam. Nam

{57.7} Laqueum parauerunt pedibus meis, et incuruauerunt animam meam.

{57.7} Foederunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam.

Tametsi enim multa sint argumenta, quibus diuina copiose queat ostendi mortalibus cum uirtus, tum sigillatim erga electos beneuolentia, illud tamen non inter infima censi debet, cum in idem plane ipsum improbi incidunt periculum atque interitum, quem aliis impudentissime non solum paruere, uerum: etiam dolose fraudulenterque, uti solertes solent auibus aucupes, aut feris uenatores, concinnauerunt. Idcirco uolens propheta, quanti res ea momenti sit, dignaque quae intimis recondatur animae secretis demonstrare, Selha hic inseri curauit. Verum cum copiose admodum in superioribus psalmis, de huiusmodi troporum genere sit dictum, ad reliqua descendamus. Tantum illud non praetereundum, incuruauerunt animam meam, a Felice uerti, depressit, nempe laqueus seu rete: sed si etiam ad insidiatores id referas, ita ex Hebraeo uerti poterat, ut nonnullos uertere uideo, Rete paruauerunt pedibus meis, ad capiendam animam meam. Si animam igitur legas, ad daemones id totum referendum erit (quid enim insidiat quid tendicularum, quo incautas irretiant animas, non moliuntur daemones?) si uitam rursus exponas, ut saepenumero fit, ad homines scelestos & fraudulentos. Vtrunque enim molestissimum tranquillis solet esse hominibus, atque his quidem qui cum nihil in terris tanto cum effectu expetant, quam pacem, & uniuersalem in Dei Ecclesia concordiam, animorumque synceritatem & candorem, pluris aestimare solent dolosorum hominum iniurias, quam daemonum naturali? ad minimum fidei telum expauescentium: illi uero ne ab ipsa quidem terrificam diuinae ultionis flamma & mulcta deterrentur. Sed uide, quid probitatis cultrix, planeque a spiritu erudita de se dicat anima:

{57.8} Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & psalmum dicam Domino.

Ut lubet, inquit, in me sagaces insurgant daemones, struantque insidias turpissimi illorum asseclae, obloquutores, uanique blaterones, inuidi, exleges, impii, in cor meum, tua ad admittenda uulnera, mi Deus, praeparatum, promptumque ad celebrandum in psalmis nomen. De te igitur cantabo, metraque, non assentatoria illa quidem, spe lucri

uenalia, in principis alicuius gratiam elucubrabo, sed tuum ad honorem laudemque cantabo, & psalmum dicam. Illi certe laqueum parauerunt pedibus meis, ego cor ad ferendum quicquid sors attulerit, praeparabo. Illi in foueam, quam foderunt ante faciem meam, inciderunt, ego autem can-
[cantabo]

{pdf 462, p. 223}

-tabo & psallam, tantum abest ut meam amplius querar sortem. Age itaque,

{57.9} Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, exurgam diluculo.

Ad diuinas enim hic laudes decantandas, mira spiritus doctrina sese excitat uates, uocatque suam se gloriam aut decus, ut ex Hebraeo uertunt nonnulli. Se, inquam, nablum, chelymque & citharam nuncupat, ea sane ratione, qua anima in diuinis occupata mysteriis, in Deoque per cordis quietem emoriens, non solum quae agit, ea omnia in sui laudibus amati concinendis impendit, sed etiam non iam amplius anima, utpote quae cum Deo unum quoddam ui effecta sit amoris, ipsa eadem fit laus: hoc est, quicquid cogitat, loquiturque aut agit, id omne laus una est Dei, perfectaue, ac in cineres uirtute fidei conflagentis, absumentisque holocaustum, collabens litatio. Expergiscere, inquit, o anima mea, expergiscere, proferque te nablum & citharam, quae mea est gloria, quia Dei. Nam quod ad me attinet, ne ipsam quidem opperiar auroram, sed suauiissimo concentu ipsam anteuertam lucem. Non me sane, meo in lectulo stertentem prima excitabit lux, sed ego illam potius. Vult uates suum apud omnes testatum esse laudandi Dei studium & uigilantiam: alioqui certe tam arctam cum coelesti numine unionem humanae mentis, qua in Deum ex se exiens anima, penitusque sui oblita, & fertur, & rapitur, ignauis totasque noctes stertentibus, nunquam contingere uidimus. Summo quippe opus est nisu, atque infracto animi proposito & studio, in adipiscenda ea animae purgatione, qua duce ad illum ascenditur perfectionis gradum, ad quem cum omnes, tum illi maxime, qui & habitu & cultu, & ipsa quoque conuiuendi in coenobiis ratione, ueteris prae se ferunt Adae interitum, conari debent. Quod si secus hi agere uidentur (quicumque hi sint) tot monstra eos esse dicas, atque ad illudendum Christi religioni, ex antro aliquo caliginoso emersa portenta, ac lamias. Ridebunt hic, scio, nonnulli quibus persuasum est, si quid in Christi doctrina, quod animi sublimitatem requirat & perfectionem, legere contigerit, id ad consilia referri oportere, proinde nullam sibi esse debere de consiliis considerationem, sed de praeceptis tantummodo. Ridebunt hic, inquam, duntaxat hi, qui nec consiliis nec praeceptis obtemperantes, uitam, nescio quam, dubiam, effractam, inertem turpemque transigunt: secus uero illi, qui quanto possunt conatu in praeceptorum studio sese exercitantes, consilia sibi aeque prorsus atque ipsa Dei praecepta, necessaria esse arbitrantur: quocirca non hic quidem ridebunt, sed suspirantes suam detestabuntur moram, quod illum nondum attigerint scopum, quo adepto, Christus, nempe animarum quies, pax, uita acquiritur. Sane uero nostra delectatur inertia Deus? neque ob aliud erectae sunt templorum arae & muri, nisi ut sint qui uitae commoda solummodo sectantes molliter, absque labore aut proficiendi studio, non in domino, sed in uentris cura ocientur? Flet Christus, moeret, alget, uigilat, orat, abstinet, moritur tandem pro me, homine nimirum sordido & impuro, & ego mea in causa, genere nescio quo uitae contentus, nihil ultra

quaerendum mihi esse persuadebo? Me miserum: quomodo equidem una cum uate, imo cum Dei spiritu, qui ardens ignis est, dicere nisi fecte potero, Paratum cor meum Deus, paratum cor meum? Putas ne, mi lector, ab anima illa, quae in diuino prorsus non sit immersa lumine atque amore, uere dici posse, Paratum cor meum Deus, paratum cor meum? Censesne, quid ista prae se ferat repetita cordis praeparatio? quid cantus? quid psalmi? quid cithara? quid illa tandem animae gloria, de qua hic uates obscure tamen loquitur, a tardis mentibus comprehendi posse? Alta sunt haec quidem, illisque tantummodo cognita, qui purissimam degentes cum Deo uitam, non minus aequissima illius diligunt consilia, ad eaque obseruanda toto aspirant animo, quam salutare illius praeceptiones. Verum alii ut lubet, quae secum in terris attulit Dei filius, definiant: ego autem meum seruans institutum,

{57.10} Confitebor tibi in populis Domine, & psalmum dicam tibi in gentibus.

{57.11} Quoniam magnificata est usque ad coelos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.

Aperte hic narrat uates, Quamobrem in se psalterium & citharam exuscitari con-
[concupiverat]

{pdf 463, p. 223v}

-cupiuerat, nempe ut sparsim omnibus, ubicunque degant, nationibus, siue gentes hae sint, siue e Iudaeorum populo, sanctissimum Dei nomen ac cultum praedicare, suauiissimoque spiritus meditari posset concentu. Quem sane sensum sic redit Campensis: Cantabo laudes tuas etiam apud hominum uariarum nationum multitudinem maximam. Tam est enim grandis misericordia tua, ut ad coelos usque pertingat, & maior sit quam distantia hinc ad nubes tua in seruandis promissis constantia. Coelos & nubes pro eodem posuit, praeuiditque Dei religionem, quae in animorum unione & tranquillitate posita est, in toto undique terrarum orbe disseminandam. Caeterum de Dei misericordia, qua animas gratuito, deque ueritate, qua ex pacto quodammodo seruat quod est pollicitus, nonnulla a me in superioribus sunt dicti psalmis. Quare ut tandem psalmum finiam, ad Deum conuersus, eiusque fide, quam meum in algidum per Christum transfudit cor, animatus, illud cum uate iucundissimum, planeque diuinum de omnipotentissima Dei gloria, quae est eius uirtus, misericordiae, ac in mortales omnes beneuolentia, repetam elogium, dicamque

{57.11} Exaltare super coelos Deus, & super omnem terram gloria tua.

Qui laudabilis es & gloriosus in secula. Amen.

PSAL. LVIII. Vincenti. Ne dissipet Dauid insigne.

{58.2} Si vere utique iustitiam loquimini, recti iudicate filii hominum.

Tituli inscriptio cum superioris psalmi titulo conuenit, idcirco eadem utrique seruiet expositio, idemque erit sensus, atque eadem fere causa, eo excepto, quod superiore a

Saule in Engaddi regione fugatus composuit: hunc uero, quando Ziphaeorum prodicione pene in Saulis potestatem traditus, inde aufugit, pauloque post fidissimo duce Abisai, qui Saulem dormientem occidere instituerat, reprehenso, ipse hastam cyphumque dormientis regis clam abstulit. Et est iustissima quaedam in Saulis consultores ac iudices, typum sane perversorum iudicum, querimonia & inuectiua. Ad nostra enim tempora, ad quae umbrae illae rerum dirigebantur, haec omnia aptanda sunt, ne Christianae uis fidei suo fraudetur spiritu ac sensu. Aptemus hic igitur Christum, cuius reprehensiones incredibilem in modum amabiles sunt & salutare, prauos reprehendentem iudices, ad hunc modum: Si uere utique iustitiam loquimini, recte iudicate filii hominum. Non est in rebus humanis utilitas cum ea comparanda, cum in regnis, rebusque tum publicis tum priuatis, iudices illa praediti sunt animi integritate atque moderatione, ut nihil diffiniant, quod non undequaque iustissimum sit, ac optime collibratum. Contra uero quae pestis nocentior, quod monstrum tam execrandum, tam ue insolitum & expauescendum potest esse ciuibus, si is cui diiudicandarum rerum data est facultas, iniquus est, & bis in una eademque causa uenalis? Possunt quidem huius generis iudices (bonum iudicem in terris tanquam Deum ueneror) toga illa sua molliter imbricata, striataque ac graui, tum moderato tardoque sermone & erudito, addo & formicino passu, iustitiam profiteri: ueruntamen cum res ipsa serio tractanda est, litesque dirimendae, ut plurimum subuertitur ius, fas, lex, sanctisque a foro eliminatis decretis atque institutis, eo suas dirigunt sententias & diffinitiones, unde maius speratur emolumentum, aut in quo priuatis suis suorumque affectibus plerunque turpissimis satisfieri posse opinantur. In istiusmodi nomenclaturae homines inuehitur spiritus, clamatque: filii hominum, futiles nimirum & uani, si iustitiam quam loquimini, utique uere, hoc est, ex animo, synceroque iudicio loquimini, recte, omissa prauitate ac nequitia, iudicate. Alioqui certe non ab ipsa iustitiam prae se ferente lingua, aut ornato suggestu, quod aequum est, metiri solent homines, sed ab ipso omnino iudiciorum exitu & finitione. Huc optime quadrare uidetur Felicis litera. An certe, inquit, mutam iustitiam loquemini? id est, num iustitiam loquemini, iustitia tamen ipsa obmutescente? Muta nimirum tunc fit iustitia, cum etiam ipso iudice disertissime de iustitia different, iacet indefense, imo inaudita et oppressa. Caeterum tum Graeci, tum Hebraei, recta legunt, non recte.

{58.3} Etenim in corde operamini iniquitates in terra, iniustitias manus vestrae concinnant.

{pdf 464, p. 224}

En totius prauitatis iudiciorum summa atque origo. Contaminato quippe corde, cupiditateque, ira aut liuore infecto animo, quod iudicium proferre possunt in dices quod iniquum omnino non sit & iniurium? Mirum si a corrupta radice, sanos decerpi posse fructus opinaris. Omnem, inquit, cogitationem (heus iudices) in eo consumitis, ut quae praua sunt & iniqua, non solum statuatis, uerumetiam in aliis (malum) defendatis. Quid autem? uos tantillam nacti in terris potestatem (in coelis enim aequissimus omnium sedet arbiter) adeo insolescitis, ut tanquam omnia uestra aequissima forent, iniquitatem pro aequitate manus uenditent uestrae? Hebraeis ea est litera: Prauitatem manus uestrae aequilibrabunt. Nescio quidem, an pars haec in iudice stoliditas appellari queat, an insolens potius arrogancia & temeritas, cum ea interdum definiat, quae nihil

minus referunt, quam leges & iustitiam, & nihilominus tam caeci sunt hi dii terrae, quod se uel acutissimis imponere posse ingeniis arbitrantur. Quid non peruertunt contaminati iudices? Quid impietatis, quid perfidiae non audent istiusmodi togatae belluae? non mirum id quidem: nam iandudum

{58.4} Alienati sunt peccatores a uulua, errauerunt ab utero, locuti sunt falsa.

Heu miseram, prorsusque deploratam istorum sortem. Quid mirandum, inquit, si hi suis in iudiciis a iustitia aberrant? Nanque in ipso statim uitae exordio, in ipso uuluae conceptu, in ipso sordido ex utero ortu & natiuitate, errare alienareque: sese a Deo, a probitate, a castis moribus, a uitae integritate coeperunt. Idcirco locuti sunt falsa, falsasque promulgarunt sententias. Impii, inquit Campensis, a tempore quo primum editi sunt in lucem, errare coeperunt, ab utero matris loquentes fucata. Quapropter

{58.5} Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdae, et obturantis aures suas,

{58.6} Quae non exaudiet uocem incantantium, & uenefici incantantis sapienter.

Secundum similitudinem furoris serpentis, uertit Felix, & clarius quam noster, Caeterum, sapienter, Hebraeis est, scite, docte. Serpentibus porro ea est natura & consuetudo, ut ira aut rabie in aliquem perciti, nunquam nisi cum ueneno ipsum de ponant furorem. Et ut caeteris id quod sequitur, insitum sit naturaliter serpentibus, praecipue tamen is est aspidibus mos atque astus, ut si coniecturis quibusdam, sibi a natura inditis, praeuident se a magicis incantandas praestigiis, suapte sponte, ne suum audiant insidiatorem, obsurdescant. Siquidem illud est incantatoribus consilium, ut aspis ui carminum districta, deponat uirus, & ita mansuefacta capiatur. Aiunt Marsos huiuscemodi optime callere artem, carminibus scilicet serpentes quamlibet uenenosas ac letales cicurandi. Prudentissime hic quidem uates sceleratorum quorundam naturam, de iudicibus impiis loquens depingit. Nam serpentina quaedam illis inest malitia & calliditas, ut irati in quempiam (irasci enim in sui similes neutiquam soliti sunt, sed in dissimiles) nunquam deferueant, nisi proiecto penitus in illum, cui male uolunt, ueneno. Quod si quem porro ex sanctioribus tanquam eruditum in sedanda illorum insania & furore incantatorem ad se aduentare praesenserint, ad salutes illico admonitiones occludunt aures, illosque perinde auersantur, ac solet aspis incantatores.

Verumenimvero diuina aliquando nostris offensa delictis prouidentia, istiusmodi uenenatas permittit ad innocuorum exercitationem regnare uiperas. Unde semel iratus in Iudaeos Deus, illud horrendum in Hieremia protulit, dicens: Ecce ego mittam uobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt uos. Sed uide quam non libenter, imo quasi coactus id uelit pientissimus dominus. Dolor, inquit, meus super dolorem, in me cor meum moerens. Horum igitur omnium bene docte sensum sic reddit paraphrastes: Venenum eorum simile est ueneno serpentis, & callidissimae aspidis, ultro obsurdescentis, & obturantis aurem suam, ut non cogatur audire uocem illorum qui murmure suauis fallere eam conantur, etiam si incantandi artibus sint instructissimi. Veruntamen utcunque diri hi sint & implacabiles,

{58.7} Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus.

{pdf 465, p. 224v}

Hebraei legunt, Contere, & confringe, utrunque apte. Caeterum frequens in scripturis dentium ac maxillarum metaphora est, qua mordaces designantur calumniae, uerbaque innoxiorum uitam lacerantia: uis quoque improborum, peruicacia, insultus, rabies, & id genus alia, quibus instructi artibus in puram proborum conuersationem ac nomen, fortunasque interdum ferocire solent impii obtrectatores atque inuidi: quorum sane crudelitatem ut clarius exprimat, dentes illos habere leoninos, nempe acutos ac mordacissimos, asserit. Mola porro maxilla hic est, seu mandibula. Quare alio in loco praeuidens uates perniciosorum hominum oblocutiones, & blasphemias a domino retundendas, ait: Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa. quod diuus uertit Hieronymus ex Hebraeo: Quoniam tu percussisti omnium inimicorum meorum maxillam, dentes peccatorum contriuiisti. Est & aliud genus dentium, quo Ecclesia mordere solet, atque arguere peccantes, imo suauiissima spiritus mola adeo comminuere, ut ad sese penitus illos attrahens, in suam prorsus commutet naturam, atque, ut sic dicam, substantiam. Quo circa in Canticis illud a sponso audire meruit: Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascendunt de lauacro. Et uere Ecclesiae dentes, tanquam oues detonsae dici debent, hoc est, absque ira ac furia, suos sibi subditos reprehendentes. Quod quidem superiores illos, quorum furorem secundum similitudinem serpentis, surdaeque aspidis esse asseruit uates, quibusque dens putidus est, ut ait Salomon, ac pes lassus, admonitos uult spiritus. Horum itaque audaciam, furiatamque in innocuos Christi amicos mentem ac feros morsus, ita minutim confringet dominus, quod

{58.8} Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens, intendit arcum suum donec infirmentur.

Cur hic interpres, intendit, non intendunt, uertit, uix coniecturis auguror: nisi forte intendit, ad Deum referat. Sed alia hic est mens uatis, illa nimirum, ut audaces improborum conatus, irritos uanosque omnino fore praedicat. Cuius quidem significatum sic exprimit Paraphrastes: Sagittae quas iaculantur, interuolandum confringantur: id est, quicquid parant improbi, in medio ipso collabatur nisu, ad instar sane arcus summa ui tensi, cuius sagittae in ipso iaciendi conatu refringuntur, in frustaque non absque intorquentis periculo desiliunt. Huic sententiae etiam astipulatur diui Hieronymi litera, qui sic reddit: Intendat arcum suum donec conterantur, nempe sagittae. Felix uero, Dirigent sagittas suas: sint, ac si confringerentur: hoc est, ut ipse sua exponit uerba, nullum damnum faciant. Caeterum notant quidam, principium uersus non tantum de fontium aquis, aut amnium celeriter dilabentium intelligi oportere, quantum de aqua e uase aliquo euerso proiecta & dispersa: qua similitudine, studia curasque iniquorum penitus dissipatum iri non ambigamus. Verum litera quae Hebraeis est, alium prae se ferre sensum diximus, uidetur: unde sic Paraphrastes, Diffluent sicut aquae natura labiles. Quoquo modo accipiendam esse literam ducas, illud compertissimum est, quamprimum nefandorum hominum conatus desituros: quod aliis postmodum clarius exponit rerum imaginibus, dicens:

{58.9} Sicut cera quae fluit, auferentur: supercecidit ignis, & non viderunt solem.

{58.10} Priusquam intelligerent spinae vestrae rhamnum, sicut viuentes sic in ira absorbet eos.

Quam cito enim cera igni admota colliquescat, non est qui ignoret. Non secus, inquit, celeriter improborum successus nisusque turpissimi praeteribunt, solet ab igne cera actutum liquefieri. Alio in psalmo hac eadem usus similitudine, sic ait: Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie terrae. Proinde posita cerae metaphora, ignem addidit. Supercecidit, inquit, ignis super ceram nimirum illam mollissimam: hoc est, diuina illis superueniet ultio, qua suapte sponte exoculati, neque hunc solem uisibilem amplius, neque illum qui in ueritatis indagatione ac gustu splendet, intuebuntur: & id quidem protinus, antequam eorum peccata, quae hic spinas uocat, in rhamnum, id est, in effectum exeant, obesse queant. Rhamnus enim robustior spina est atque annosior, idcirco acutior & nocentior. Verum longe aliter has legunt similitudines Hebraei. Sic illi:

Dif-

[Diffluent]

{pdf 466, p. 225}

-fluant ueluti cochlea, & sicut abortiuum foeminae, priusquam solem uideat: priusquam spinae eorum adolescant in rhamnum, repente uiuos, sicut acerrimo furore, tollet eos turbo. Diuus etiam Hieronymus non ceram, sed uermem transtulit. Quasi uermis, inquit, tabefactus pertranseant. Similiter abortiuum una cum caeteris reddidit, non ignem. Caeterum de spina & rhamno sic: Antequam, inquit, crescant spinae uestrae in rhamnum. paraphrastes uero dilucidius suo more omnia: Similes fiant limaci, quae inter rependum, uel, ut alius uertit interpres, intra testam suam colliquescit: & abortiuo seu talpae, quae non uidet solem. Priusquam crescant spinae uestrae, o impii, in rhamnum, in flore aetatis iratus Dominus subuertet eum qui dux est uester una uobiscum. Nam quod nos legimus, Sicut uiuentes, Hebraei habent, Sicut uiuentem aut uiuum. Non desunt etiam qui hunc uersum ultimum sic transferant: Antequam ollae uestrae a subiectis spinis calorem concipiant, tanquam quis adhuc crudum eripiat, sic aestuanti indignatione subito corripiet illos. ut hinc perdiscere liceat, aequo cito perniciosorum hominum fortunas euolaturas, subindeque aut parum aut nihil probis obfuturas, ac solet spinatum aridarum flamma, nempe subita & repentina, sub olla carni adeo celeriter praeterire, ut caro ipsa cruda extrahatur, nil scilicet caloris uel ollae uel carni attulit. Ita profecto ignis ille irarum in maleuolis, quando suorum maxime Deus innocentiam tutari decreuerit, euaporabit, in nihilumque resouetur, & magis id adeo tum, cum se in ipso fortunae gremio luculentam uitam uiuere opinabuntur. Vide igitur, o qui in malis longo iam ex usu obduruisti, & contremisce, considerans quibus rerum imaginibus tuae descriptae sint fortunae. Quid, obsecro te, aqua torrentis fugacius? quid arcu nimium tenso fragilius? quid a solis luce ac radiis alienius, quam sit absque oculorum usu talpa, aut informis abortio? Quam porro uelox sit ac concitus spinarum aridarum calor ac flamma, nemo plane est qui id ignoscet. Iam (crede mihi) priusquam optatum sortiatur exitum, tua intercisa est iniquitas. Puta enim illam iam praeteriisse, cum adeo imbecillis sit ac uelox, ut repentinae dumorum aequiparetur flammae. Quod si tamen tam durus

es, ut neque diuino iudicio, neque tam aptis, tibi que valde consentaneis rerum movearis imaginibus, illud saltem te moveat, quod

{58.11} Laetabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.

{58.12} Et dicet homo, si utique est fructus iusto, utique est Deus iudicans eos in terra.

Pedes suos, uertunt Hebraei, non manus suas: sed fere idem est. Nam nihil aliud hic sibi uult uates, quam indicare quomodo serio gaudere soleant diuini honoris cupidi ac studiosi, ob illam tam horrendam in oppressores innocentiae irrogatam coelitus ultionem. Cuius atrocitatem attente meditantes, quanquam periculosum omnino sit cum purarum mentium defensore Deo uelle rixari, considerantes suis in actionibus & curis, quae sunt illorum manus, fiunt cautiores. Mulctato pestilente, clamat Salomon, sapientior erit paruulus. Lauant igitur manus (hae actionum prae se ferunt munditiam) seu pedes, quod ad peruersorum uias attinet, in peccatorum sanguine uiri iusti: id est, considerata illorum damnatione, indeque accepta occasione, ab actionibus illorum prauis ac studiis, prudentiores facti abstinent, fatemurque diuinam esse prouidentiam, quae suo non fraudans fructu ac praemio iustitiam, aequissimo res hominum ponderat aequilibrio, iustis scilicet spiritus gaudium, nempe iustitiae praemium gratuito elargiens, & uitam: impiis uero & sceleratis, de quarum moribus multa in superioribus disseruit uates, & moerorem & luctum, tetramque errorum caliginem ac noctem, iustissimo persoluens merito ac iudicio. Dicent (inquit) uulgo, uisa hac in Deo diiudicandi aequabilitate, ergo est fructus iusto, ergo est Deus omnium, quae fiunt in terra, iudex. Est profecto: sic sentio, sic fateor, sic ipsissimis intueor oculis. Cuius propterea magnitudini laus sit aeterna, in secula seculorum, Amen.

{pdf 467, p. 225v}

PSAL. LIX. Vincenti. Ne disperdas Daudid insigne, dum mitteret Saul & custodiret domum, ut occiderent eum.

{59.2} Eripe me de inimici meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me.

Duo, ut mihi uidetur, sunt potissimum ad explanandos psalmos necessaria: spiritus scilicet Dei, atque eorum quae in psalmis fere sunt experientia. Dei enim spiritu ad diuina perscrutanda mysteria incendimur et illuminamur: experientia uero, atque in acerbioribus rebus usu & exercitatione, ad scribendum acuimur. Alioqui sanctissimo illo spiritus destituti lumine, aut nulla experientia edocti, quomodo in tam ardenti atque difficili poemate non hallucinabimur, inepteque in scribendo errabimus? Ego enim, ut de me dicam, longo tum annorum, tum rerum usu atque exercitio probe eruditus, in hac me parte doctissimum esse fateor, tametsi neque disertum neque eloquentem. In altera uero parte obnixè admodum elaboro, contendoque pro uiribus, ut assequar. Gratuita quidem sunt dona Dei, idcirco summa sunt cum ueneratione existimanda & petenda. Certe, mi humanissime lector, quotiescunque psalmum aliquem mihi elucubrandum legere incipio, attenteque considero, uideor mihi (quod in lectione Pauli de se asseruit

Hieronymus) non uerba audire, sed tonitrua. Videntur nonnunquam uerba quaedam simplicia, & quasi innocentis hominis & rusticani, & qui nec facere, nec declinare nouerit insidias: sed quocumque aspexeris, fulmina sunt. Haeret in causa, capit omne quod tetigit, tergum uertit ut superet, fugam simulat ut occidat. Putas ne tantum uatem adeo suis in scriptis & uberem & elegantem, tam uaria rerum argumenta absque spiritus doctrina atque usu ornare potuisse? Ex his nimirum quae passus est, hausitque a Deo, didicit, exarauitque, quae modo nos nostros in usus transferimus, intelligimusque, nostram ad eruditionem, quaecumque ille scripsit, scripta esse, ut in hoc nunc psalmo fateri possumus. Nam cum tertio in iram Saulis, malo a spiritu uexati, connixique illum lancea confodere, declinasse, domique tacitus delituisset, misit rex satellites noctu, qui captum obtruncarent. Verum prudentissima eius uxor Michol, eo clam per fenestram demisso, statuat quae Daudem simularet, super lectum composuit, & sic deluso rege, charissima seruauit uirum. Qui tamen horrendo illo in strepitu armorum ac periculo, divinae haudquaquam immemor bonitatis, ad illam, ut suus erat mos, tanquam ad tutissimum suarum aerumnarum perugium, hanc mire accensam direxit precationem, dicens: Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me. Nulli dubium esse debet, inimicissimo illos animo, qui a rege missi fuerant. Daudis domum circumsedis, in ipsiusque uitam, quo satis regi facerent, tot: spirasse. Atqui, ne cuius conditionis hi essent qui nefario seruirent regi, nesciretur, confestim addidit:

{59.3} Eripe me de operantibus iniquitatem, & de uiris sanguinum salua me.

Qui sunt illi, qui operantur iniquitatem, quique Christum atque eius Ecclesiam, innocentium scilicet uitam, in Dauide tunc odio persequerentur? Dictio quae est Hebraeis apte ualde aperit, illos notans qui non simpliciter iniqui sunt, sed qui consulto, atque ex animo, toti dediti sunt iniquitati, internecionibusque intenti. Perniciosissimum id genus est hominum, sed quod tamen a magistratibus, patrumque prudentia, anteaquam ulcus in saniem desinat, praecidi queat. Sed quid si idem ipsi primarii homines interdum iniqui sunt? Nullum, opinor, extat remedium, praeter illud, quod hic suae adhiberi indigentiae rogat uates: Eripe me, inquit, de inimicis meis Deus meus. Vide quo ab iniuriis oppressa hominibus se uertit anima. Vide an aliud quicquam tam firmum inueniatur confugium, quam illud est Dei, qui uerus atque adeo solus est fessarum mentium refocillator. Omissis itaque humanis praesidiis, quae aut debilia sunt, aut infida, nostra omnis collocanda est in Deo fiducia, noster amor, nostra sollicitudo. Ipse ipse inquam, est, qui inuocatus, nos nostris is eripit ab inimicis, nempe operantibus iniquitatem, ac sanguinem sanguini, ut ait ille, accumulantis. Verum quid Christus in Dauide de se, pro me, qui

{pdf 468, p. 226}

mea in dignoscenda miseria atque inopia prorsus hebesco, hic dicat, consideremus.

{59.4-5} Quoniam ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes: neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine.

Hucusque uersum hunc legunt Hebraei, quem sic reddit Felix: Quoniam ecce insidias parauerunt animae meae, congregati sunt super me fortes, non transgressione mea, & non peccato meo, domine. Idest, nihil me in illos peccasse conscius sum, quamobrem tam acerbo me persequi debeant odio. Quod si suspicio de me aliqua turpissimum illorum occupauit animum, uana omnino ea est, ac probo uiro indigna. Si porro quae in me machinantur, quo suam tantummodo sedent rabiem, antiquumque satient odium & maleuolentiam, excogitarunt, sit dominus inter nos arbiter, atque idem uindex & ultor. Quid sit, ceperunt animam meam, clarius exprimunt Hebraei, ut dixi. Unde Paraphrastes: Ea enim, inquit, est illorum hominum improbitas, ut mihi insonti insidias struxerint, & conspirauerint in me feroces (tantum non dixit leones) quos ego nunquam ulla affeci iniuria, nec peccati quicquam in eos admisi. Nam certe, quantum ad ea spectat, quorum me nequiter insimulant aduersarii, de hisque urgent & coarctant,

{59.5} Sine iniquitate cucurri et direxi.

Hic mihi uideor audire Paulum de se dicentem, Cursum consummaui, fidem seruauit: cum nihil aliud sit uita haec mortalis, quam celer quidam cursus ac fugax. Is sane felix, qui cum propheta de se id dicere non ueretur, Sine iniquitate cucurri: siue illud Pauli, Cursum perfeci. Et ne quidem cursus in salebroso uitae huius, propter infinitas rerum difficultates, catadromo ignauus uideretur, addidit, Fidem seruauit: ille autem, Direxi. Sed quid direxit uates, aut quo? promptum nimirum animum ad obsequendum numini: ad illud, inquam, ad quod sua ipse studia postea ac labores Paulus: Caeterum, inquit, reposita est mihi corona iustitiae (en praemium cursus) quam reddet mihi Dominus in illa die. Verum cuiusmodi integritatis is est Dominus, qui te corona palmaque iustitiae, o Paule, est donaturus? Est ne forsitan, ut sunt plerique ex nostris, quibus nullus est in elargiendis uirtutum praemiis delectus, nisi in his qui sibi chariores sunt, magisque propinqui, turpes ne hi sint, uitisquae inquinati, an pulcherrimis ornati animi dotibus, nihil pertinere arbitrantur? neutiquam id quidem omnium, sed iustus est iudex. Et haec satis, pieque quantum ad literam nostri interpretis attinet, sint dicta. Verum Hebraeis longe diuersa est? Sine iniquitate, inquiunt, cucurrerunt, & instruxerunt se. Absque iniquitate (scilicet mea) uertit Felix, current, & dirigentur, nempe in me: ut id omne ad hostes illos referatur, de quibus supra sic questus est: Ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes (fortes sane propter uim multam pecuniarum copiarumque, & dignitatum) sed neque iniquitas mea, neque peccatum meum hac in re fuit. Absque, inquam, iniquitate mea, tanquam effraenatae belluae, impetuosisime cucurrerunt, uimque omnem in me saeuitiae direxerunt. Quare sic Paraphrastes: Quamuis nulla re laesi sint a me, nihilominus currunt ut noceant mihi, & summo studio conantur perdere me. Quocirca

{59.6} Exurge in occursum meum, & uide.

Quasi uates Deum dormire, non uidereque, quae hic aguntur absurda, suspicatur. Sic sane his nonnunquam, qui acerbius a nefariis impudentissimisque iniuriarum machinatoribus exagitantur, contingere & cernimus, & si aliquando in pugna spiritus uersati sumus, experimento didicimus. Certe, mi lector, animis Deo per fidem coniunctis nihil iucundius accidere potest, quam cum mala conflictare fortuna. Compertissimum illis quidem est, diuinum nunquam electis deesse posse subsidium,

idcirco summa afficiuntur delectatione: unde alii teneri adhuc in fide, uiribus destituuntur, ceduntque proinde actutum aduersis. Verum & his & illis, in periculosissima cum mundo pugna, necessarium ualde est ad Deum confugium. Ideo tum hi, tum illi, suis in angustiis, ac, ut sic dicam, uulneribus & percussionibus, cum uate clamare ingeminareque coguntur, Exurge, dormisne

{pdf 469, p. 226v}

Domine? expergiscere, occurreque, anteaquam comprehendant nos hostes, suisque irretiant dolis. Quid tandiu monstra haec rerum toleras? caecutisne ad ea quae hi nequissime tua in mancipia moliuntur? uides quae hic aguntur, uel ne? Si nempe tua in re hallucinaris, quid agant caeteri, quorum pars maior nobiliorque, nihil tam expetit & quaerit, quam tua ut funditus corruat religio, abrogentur bene uiuendi instituta, ac fides e mundo prorsus excedat? Heu nobilissimum iam olim pietatis unde elapsum est decus? Vide igitur tu e coelis, postquam non est qui uideat in terris.

{59.6} Et tu domine Deus virtutum, Deus Israel, intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.

Hoc plane modo literam ordinant Hebraei, quem quidem ordinem ego non inuitus sequor, non idcirco sane quo confusionem nostrae interspergam literae, sed ut germano consulam sensui, quem ex apta literae concinnitate facile elici posse nemo doctus ambigit. De Deo uirtutum, hoc est, exercituum, quo tropo Dei significatur potentia: deque Deo Israel, quo bonitas, alias non semel diximus: & et perinde quasi dicat, Tu domine Deus omnipotens, superque omnem potentiam excelsus & sublimis, Deus, inquam, Israel, hoc est, uere in te credentium, tuumque nomen confitentium pater, uide quae hic fiunt, atque omnes qui sua se sponte a suauiissimo tui cultus semouent iugo, corrige, dureque castiga. Visitatio enim Dei scripturis, praeterquam quod diuinum prae se fert fauorem & beneuolentiam, iudicium quoque ac mulctam in improbos signat, ut in hoc loco cernimus. Unde in Esaia sic loquitur Deus: Visitabo per orbem mala. Visitat igitur Dominus quos poenis afficit, uisitat & illos quos sua dignatur gratia. Quocirca duplici eum uisitare modo asserunt spirituales, uel cum percutit, uel cum ad nos uenit oriens ex alto. Gentes porro hic uocat spiritus, quotquot alieni sunt a Deo, siue Iudaei hi sint, siue alienigenae: nempe omnes qui operantur iniquitatem, quibus nullam praestari misericordiam exoptat uates dicens: Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem: hos ueluti digito demonstrans, qui nulla alia adducti ratione, nisi quod peruersae naturae homines sunt, & ad inquietandam proborum uitam nati qui uidentur, continuis laccessunt iniuriis innocentiam. Non te misereat inquit, illorum qui in malitia obdurati, suapte sponte perditum sunt. Hi quidem ex sese, de se iudicium proferunt, decernuntque se indignos esse misericordia, cum dura adeo sit illorum in peccatis consuetudo, ut malint sua in sorde sic emori, quam ad fontem illum gratiarum omnium profluuio redundantem, ex quo omnibus quantum, quandoque aut quomodo uoluerint, haurire integrum est, recurrere. Quamobrem cum arduum id ualde uideatur, planeque admirandum & terrificum, hominem scilicet ad tantum diuinae bonitatis ultro deuenire neglectum & obliuionem, ut nullo mereatur redimi misericordiae genere, additum est a spiritu Selah. Interim uero quod nullum illi impartitur vitae lumen,

{59.7} Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.

Verbum quod noster uertit interpres, conuertentur, Hebraeis est, itus & reditus, seu ire & reuerti: hoc est, sedulo anxieque discurrere, quo sollicitam aduertas peranxiamque delatorum proditorumque miseriam. Nihil sane infelices huc & illuc temere, noctuque praesertim (quod sub dictione, ad uesperam, intelligitur) discurrentes omittunt, quo suam tandem expleant rabiem & libidinem. Modo hi literis, & his quidem mentitis ac falsis, modo ore proprio, modo per internuncios, succenturiatosque lenones & corycaeos, eousque a rectitudine summouent rerum moderatores, donec tandem illos (ut leuissimo nonnulli sunt animo) ab aequitate deturbent, & quod uolunt obtineant: idcirco triumphant. En quomodo saepenumero peruersa a tribunalibus exeunt iudicia. O inuisam omnibus, qui Deum timent, hominum istiusmodi luem. Vide cui animanti similes illos faciat uates cani scilicet famelico, quo fastidiosam illorum aduertas impudentiam. Cane enim famelico quid impudentius, quid procacius? Hebraeorum interpretes sup-

{pdf 470, p. 227}

-pressa clausula, famem patientur, id duntaxat habent, tumultuabuntur: uel, ut reddit Paraphrastes, Oblatrabunt tanquam canes. Utcunque uertas, hi canes sunt impudentissimi, qui foedo importunoque latratu quemlibet moratum tranquillumque proborum conuentum, quem hic ciuitatem appellat spiritus, obsident, perrumpunt etiam & subuertunt, uel eo maxime, si ex primatibus haudquaquam desint, qui huiusmodi feras in uinea domini alant, illisque ad bonarum frugum depopulationem utantur. Non quidem superuacua fuit illa Pauli admonitio: Videte, inquit, canes, uidete concisione. Proinde quid tam solidum inueniri potest, aut impenetrabile, quod non confringant, concidantque acutissimi oblocutorum dentes?

{59.8} Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum, quoniam quis audiuit?

Egregium sane consilium, atque alte absconditum. Quis, aiunt, quae nos inter nos occultissimis in latibulis contra illum insusurrauimus, audiuit? Res mira, inquit Paraphrastes, ore & labiis suis gladios loquuntur, nec tamen quenquam esse putant, qui audiat. De his (credo) loquitur Esaias, cum ait: Quis uidet nos, aut quis nouit nos? Quare maximum prae se ferre Dei contemptum hi uidentur, quem non audire, quae clam inter se loquuntur, opinantur: uel si audire putant, non tanti nihilominus tam uigilem faciunt oculum, quo minus ea quae in proborum uitam & dignitatem contexunt, uel palam effutiant, uel audacissime exequantur. Notandam hic esse opinor aposiopesin. Ecce, inquit, loquentur in ore suo: deest enim quid loquentur, nempe caedem, fraudulentiam, infamiam, ruinam, exitium. Quicquid demum inter se conuenire uideris, gladium id dicas, atque acutissimis clauis refertum culeum, e quo quoquouersum uerteris, molestissimis emergens cuspidibus, punguntque nec quidem tacti.

{59.9} Tu autem Domine irridebis eos, & ad nihilum deduces omnes gentes.

Gentes hic uocat eos omnes, de quibus supra: Intende ad uisitandas omnes gentes. Porro, irridebis eos, anthropopathia est: de quo tropi genere non raro diximus, sed potissimum in psalmo secundo. Impossibile omnino est, in Deum, ut in hominem, istius generis cadere posse animi aegritudines: uerum ea loquendi ratione uult uates, perditissimos innocentiae persecutores impossibilia, risuque digna conaturos intelligi, & quae non solum a Deo, uerumetiam a firmis in Dei fide pectoribus subsannari debeant. Agant illi ut lubet, quantumque diuina permittit patientia, ut canes adlatrent, circumsedeantque bonorum uitam & nomen: qui habitat in coelis, uir scilicet Deo per amorem unitus, cuiusque conuersatio in coelis est, irridebit eos. Caeterum, ad nihilum deduces, Hebraeis est, subsannabis. Unde sic Paraphrastes: Et subsannabis consilia gentium omnium. Quanquam nec illud quod nos legimus, a uero aberrat sensu, ut superiori quoque in psalmo idem ferme de improbis asseruit iudicibus: Ad nihilum, inquit, deuenient tanquam aqua decurrens. Verum

{59.10} Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es.

Non ultra procedit uersus Hebraeis, qui tamen non, meam, sed eius uertunt. Verum prius quem sensum afferat, fortitudinem meam, dilucidemus, Hebraeos postea. Scio, inquit, quod abs te irrisi consumentur, in nihilumque relabentur. Eam ob rem mihi nulla de illorum ultione cura, sed meam omnem fortitudinem, uindictaeque occasionem ad te custodiam: hoc est, tibi ut pro me agas, qui me toties ab hostium meorum manibus eripuisti, committam, tu pro me pugnam sumito. Nunc ad Hebraeorum literam exponendam descendamus, quae tametsi una sit, diuersum tamen reddit sensum. Sic illi: Fortitudinem eius tibi seruabo, quoniam Deus protectio mea. Ex illis enim quidam, eius, ad animam referunt, de qua supra dixerat, Quia ecce ceperunt animam meam: & est idem fere cum nostro. Nonnullis uero uisum est de Saul, hoc est, de innocentiae oppressoribus, quorum permagna in mundo est fortitudo ac uis, debere intelligi, hoc pene modo: Mei persecutoris uim atque audaciam, cum in mundo tam potens sit ac ualida, ut a me homuncione infringi nequeat, ad te custodiam: id est, tibi ut illam frangas, reseruo, commendoque. Aliquibus etiam alia magis placuisse uisa est interpretatio, cui & Chaldaea asti-
[astipulatur]

{pdf 471, p. 227v}

-pultur paraphrasis O Deus, inquit, qui meo nunc hosti robur es & fortitudo, dum eum regnare sinis, ac me oppresso tutaris, ad te custodiam: id est, illud ipsum robur mihi obuenturum esse scio, cum me, eo excluso, ad regnum ascueris, atque in illius locum surrogari iusseris. Interim uero ad te respiciam, auxiliumque meis in aerumnis a te expectabo. Quem autem sensum secutus sit Paraphraste, tu ipsemet qui legis, iudica. Sic enim ille: Viribus illius aduersarii mei ego te opponam, qui protector meus es Deus.

{59.11} Deus meus, misericordia eius praeueniet me, Deus ostendit mihi super omnes inimicos meos.

Quam libenter sui sancta amati anima inculcat nomen. Vis ne in quo studi uniuscuiusque uersetur animus, deprehendere? Ex crebra nimirum rei alicuius

locutione haec discitur scientia. Mirum quam indignabunde de re alia, quam de suo amato loquatur homo, qui Deum amat, atque, ut rem summe iucundam & charam quaerit, tum deperit, tum etiam dormiens in ore retinet. Contra si quempiam uideris de mundi commodis, nempe de ciborum lautitia, de nummis, de contractibus, de honoribus, de opprimendo aliquo sermonem libenter facere, quid putas. Hunc qui diuino praediti sunt spiritu, uel heluonem, uel auarum, nummosque magis, quam Deum colentem, institoremque aut licitatorem, & saeuum omnino, non uerebuntur suspicari ambitiosum, licet ingenti fulgeat autoritate & dominio. Quid? unde, oro, turpissimus parumque Christianus ille manauit mos, atque uniuersalis ferme consuetudo, ut si quando cum amicis confabulandi datur occasio, ad bella statim enarranda, ad contentiones, ad carpendam aliorum uitam, ad nugas, ad fabulas, ad ociosas garrulitates, ne dicam murmurationes, ad obscoenitatisque uerba deflectimus, nisi quod spiritus suauitate uacui, expertesque dulcedinis Dei uerbi, sensibus magis inseruimus, quam animo, & his quidem rebus, quibus diuina oblectatur maiestas? Vide quomodo sanctissimus uates, utpote qui amor suum omnem in Deo esse decreuerat, Deum uel centies interdum absque ratione, at ignauis uidetur animis, inculcat. Deus, inquit, susceptor meus es. Deus meos, misericordia eius praeueniet me. Deus ostendit mihi super omnes inimicos meos. Anteaquam, inquit, ab aduersariis concludar, inuoluarque, Deus me consueta, ne occumbam, anteuertet misericordia, pro suaque muniet (sic reddit Paraphrastes) benignitate, priusquam illi insultum facere possint in me, & ostendet mihi in hostibus meis, qualia uidere uellet unusquisque in suis, utique interitum & ruinam. De hoc quidem loquutionis genere, quomodo scilicet in nostris uideamus inimicis, in psalmo quinquagesimoquarto est dictum. Phrasis est Hebraea, qua qui improbis male habitus, sese diuinam uisurum in illos indicat ultionem: non qui id tanquam iratus appetat, sed quod sic omnia in Deo ueluti in purgatissimo fore intuetur speculo. Caeterum cum mihi, quae sequuntur, in mentem ueniunt attonitus plane efficio, ac mire pavidus. Quis has in uiro sancto non admiretur, exhorrescatque diras?

{59.12} Ne occidas, inquit, illos, ne quando obliuiscantur populi me. Disperge illos in uirtute tua, & depone eos protector meus Domine.

Populus meus, non populi mei, legunt Hebraei: quem suum uocat uiribus, quia Dei, eo fere modo quo supra, suam appellauit misericordiam, seu bonitatem secundum Hebraeos, dicens: Deus bonitatis meae praeueniet me. Illud item, In uirtute tua, in exercitu tuo, nempe Iudaeorum, uertunt ad hunc modum: Ne occidas eos subito, sed lento quasi supplicio affecti, tuo in exercitu uagi afflictique oberrent, quo uel sic tandem populus meus eruditus, tam insperati minime obliuiscatur beneficii. Proinde a Paraphraste ita redditur, Ne occideris subito eos domine, ne penitus in obliuionem ueniat haec ultio tua populo meo, sed uagari coge illos de loco ad locum. Hic mihi infelicissimi Cain imago depingi uidetur, aut perditissimi Iudae, qui prodito Christo, desperataque uenia, atque amisso satraparum fauore, & proiectis argenteis, cum diu huc illucque incertus esset diuagatus, tandem laqueo se suspendit. Atqui non mitiori extimulantur

inquietudinis oestro hi, qui traducta proborum uita atque innocentia, miserabili triumphant spectaculo. Verum quam satius esset, Christi in hoc genere luctae subiisse uices, quam Iudae. Depone illos itaque Domine de sede, uexa, urge, stimula, atque eousque tandem afflige, quoad suo maximo cum opprobrio, caeterorumque exemplo & instructione, fateantur nimium periculosum esse cum Dei amicis uelle depugnare. Vide interim quo isti affecti sint morbo.

{59.13} Delictum oris eorum sermonem labiorum ipsorum, & comprehendantur in superbia sua, & de execratione & mendacio annunciabuntur.

Hactenus Hebraeis est uersus, sed dissimili & litera & sensu, a nostro. Felix sic: Peccatum oris eorum, uerbum labii eorum: & comprehendantur in superbia eorum, & de maledictione, & de mendacio, seu de execratione & macie narrabunt. Clarius ex eodem fonte alius: Propter peccatum oris eorum, propter sermonem labiorum, atque superbiam eorum capiantur, propter periuria & mendacia singuli ducantur. Aben Ezra uult hic intelligi uerbum illud superius dictum, Depone, seu disiice: & erit sensus, Disiice illos propter peccatum oris sui, propter uerbum, nempe uenenatum, labiorum suorum: sua in superbia illaqueentur. Cur uero id fieri appetat, addidit illico, ut nonnulli uertunt, Propter periuria atque mendacia fiant fabula uulgi. Dictio, quam noster uertit interpres, mendacium, Hebraeis est etiam macies, ut haec sit mulctae acerbitas diuinae, pallor scilicet ille liuidus & letalis, quem in facie uultuque simul cum uecordia inesse cernimus obtrectatorum maxime atque inuidorum. Quae quidem infamiae nota cum cunctis fere, diuino sic exigente iudicio, manifesta sit, in uulgi fabulam ac prouerbum facile abit. Hunc quoque sensum intellexisse uisus est Euthymius, qui sic ait: Propter blasphemiam & mendacium, omnibus sermo erunt & fabula. Quod sane uno duntaxat uerbo, annunciabuntur, exprimere uoluit noster interpres, sed obscure nimium.

{59.14} In consummatione, in ira consummationis, et non erunt.

Et haec omnia, inquit, infelicissima illis contingent sorte, cum consummatio, finis scilicet illorum prauitatis aduenerit: consummatio, dico, in ira: hoc est, cum irati Dei iudicium super illos uenerit. Et tunc, qui aliquid modo esse uidentur, in nihilum relabentur. Talis igitur erit consummatio atque exitus improborum, in quos tam iusta uates, uates autem? imo ipse Dei spiritus in hoc psalmo inuectus est excandescencia. Et haec quantum ad literam nostram spectant, sint dicta. Caeterum Hebraei consummationis dictionem per uerbum legunt hoc modo: Consume, consume in indignatione, & non sint. Quid sit porro consume, elegantissime aperit Paraphrastes: Finem impone, inquit, execrationibus illorum: sic finem impone, ut nullae sint amplius reliquiae, & scient tandem Deum esse, qui imperium habeat in Iacob: cuius posterum non angustis, quemadmodum solent, limitibus continentur, sed omnes angulos terrae compleuerunt. Quod noster sic reddit interpres:

{59.14} Et scient quia Deus dominabitur Iacob & finium terrae.

Amplissima iam facta est per semen illud feracissimum e Iacob, quod Christus est, purgatissimarum mentium, quarum typus fuit Iacob, & ditio & imperium. Enimuero ab

artissimis Iudaeorum pomoeriis nostra per Deum ampla emersit fides, qua sane animati, quicquid sub coelo conditum est, nostro subiugamus imperio. Quid iam non audet anima Christo annexa? quid non subigit? quid non fraenat? Tam certe immensa, tamque admiranda huiusce animae facta est dignitas ac potentia, ut merito hic Selah interiectum esse a spiritu non ambigamus. Eant modo, postquam sic uolunt, malum in exitium perfidiosi isti delatores, canes nimirum impudentissimi, quorum ora linguaque, ac quicquid demum sunt, acutissimus mucro est: fiant vulgo ludibrium parabolaque, ac publica in triviis fabula.

{59.15} Convertantur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.

{59.16} Ipsi dispergentur ad manducandum, si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.

Replicat quod iam dixit: etsi non me clam est, quosdam ex Hebraeorum doctioribus priorem uersum de circumcursantibus more canum, actisque odio ac studio occi- [occidendi]

{pdf 473, p. 228v}

-dendi Daudem, intellexisse: hunc uero fame, ac tecti inopia. Quocirca quod noster uertit interpres, Et murmurabunt: illi, Non dormient. Quanquam Paraphrastes absque negatione sensum sic format: Et quia famelici non inuenient quo saturentur, cubabunt: hoc est, inanes dormient. Felix autem utranque lectionem approbasse uisus est. Vagabuntur, inquit, tanquam profugi, quo sibi uictum comparent: sed absque saturitate indignantes murmurantesque, utcunque quiescent. Tu, mi lector, considerata tanquam in transcursu uatis calamitate, contraque diris suos in aduersarios examinatis imprecationibus, certoque de illis animaduerso uaticinio, ad nostra haec tempora omnia transferre ne uerearis, imo cuncta haec nostram ad eruditionem scripta esse arbitreris. Et ut apertior, quae hic obscure dicunt, peruestigandi pateat campus, immemor illius haudquaquam sis, quod in propheta Amos te legisse minime dubito. Ecce, inquit, dies ueniunt, dicit Dominus & emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquae, sed audiendi uerbum Dei, & mouebuntur a mari usque ad mare, & ab aquilone usque ad orientem circumuibunt quaerentes uerbum Domini, & non inuenient. En quomodo sensu alio circumcursant uagantes, ut canes famelici. En quomodo non est qui frangat illis panem. Caeterum quod psalmum ad felicissima Christi resurrectionem adaptent nonnulli, tam id laudo, quam aliud quidem maxime, & ut quod verum est ingenue fatear, in hisce occultissimis rimandis mysteriis multum adeo & immoror & delector: sed nostrum id non erat institutum, idcirco ab aliis, qui ex se nequeunt, hauriant.

{59.17} Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane misericordiam tuam:

Quia factus es susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meae.

Sui sanctissimi moris non oblitus uates, ingentes sese acturum Deo, pro condonata a malis liberatione, & gratias & laudes, maxima animi alacritate ac tripudio pollicetur.

Persuauis hic mihi offertur antithesis: Ecce, inquit, ipsi, nempe adultores, perfidiosi, maledici, delatores, loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum: ego autem cantabo fortitudinem tuam, non meam, quae nulla est. Illi ut cruci adlatrabunt, insanientque, ac quaerentes quos mordeant, circuibunt ciuitatem, & id sane ad uesperam: ego uero exaltabo mane misericordiam tuam non hominum, quam tenuis est & imbecillis. Non quidem uesperam, ut illi, opperiar, sed summo ad te confugiam mane, quam citissime nimirum, atque in ipsa prima illucescentis gratae Solisque iustitiae aurora: quoniam meis in tribulationibus & aerumnis factus es susceptor meus, meum refugium, mea pax, mea tota consolatio. Nec quidem ex me id me acturum spondeo, sed quia misericordia tua praeueniet me. Quapropter

{59.18} Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea.

Cantabo igitur Domino, illique me totum dedam, atque omnes meas consecrabo uigilias, studia, actiones, qui bona tribuit mihi, qui me amplexatus est, qui suscepit, qui traxit, non homini qui mala intulit, qui abiecit, qui contempsit, qui auersatus est. Exin psallam nomini Domini altissimi, cuius ampla est misericordia, bonaque uoluntas ad omnis. Cui laus sit aeterna, atque honos in secula seculorum. Amen.

PSAL. LX. Vincenti. Super liliu[m] testimonii insigne David ad docendum, dum praeliaretur cum Aram Naharaim, & cum Aram Zoba, & reuersus est Ioab, & percussit Edom in ualle Salis duodecim millia.

{60.3} Deus repulisti nos & destruxisti nos, iratus es, & misertus es nobis.

Ne historiam illam totam aut bellum, pro quo psalmus iste fuit compositus, recenseamus, in secundo haec tota Regum libro fuse satis posita est. Quod uero tam multis ornata sit uerbis inscriptio, id in causa esse arbitror, quod in bello illo memorabili, ac conflictu cum Syris habito atque Edomaeis in ualle Salis, in quo decem & octo millia hostium desiderata fuere, diuina uisa est apertius largiusque suis fauisse bonitas, quam aliis in praeliis. Caeterum quid igne Dauid significet, iam diximus. Tantum illud notandum, liliu[m] testimonii

{pdf 474, p. 229}

candidum gratumque uatis animum in asseuerando quae fecit tum Deus in gratiam suorum, denotari Porro Aram Naharaim ipsa est Syria Mesopotamiae, longo a Iudaeorum terra semota interuallo. Aram uero Zoba, eam dicunt esse, quam nunc Palaestinam appellamus. Ad haec ex Edom, qui est Esau, Edomaei originem habent. His igitur intellectis, ad uatis mentem interpretandam accedamus, qui suam, nostramque in primis in hoc psalmo detestatur in cognoscendis Dei beneficiis tarditatem, unde fere omnis peccatorum erupit riuus, ex quo diuina irritata patientia, adeo plerunque suos sinit acerbe diuexari, ut prorsus nullam de illis curam habere uideatur. Nos sane incogitantes, si nequedum uel tenue quidem suspicamur, cur tot quotidie increbrescant mala, coaceruenturque dolosorum hominum insidiae, augeantur homicidia, furta, rapinae, usurae, adulteria, & id genus alia infinita, quae magis nobis extimescenda

merito essent, nisi tam lusciose res serias intueremur, quam si terrificam Ottomanorum classem iamiam, tutissimis incensis Italiae portibus, ut minatur, fortissimam atque adeo pulcherrimam Genuae molem plenis subire uelis conspiceremus. Quo oro, quo nostra tandem sese direxit uecordia? quo impietas? quo diuini timoris neglectus? Reflectenda sane quam est demum nostra in peccatis consuetudo, retorquendumque propositum, & uoluntas mensque mundi illicitis assueta, summo refringenda est nisu, atque ad ea quae hic a spiritu dicuntur, a superuacaneis & curis & doctrinis retrahenda. Quotus enim quisque est, qui grato animo ac prompto malit, quid loquatur in se dominus Deus, audire, quam quod odium, ambitio, libido, fastus, atque amor proprius suggerit, & infelicissime obtrudit? Heu nostram oscitantiam. Censemusne uatem absque ratione tam flebile praesenti fecisse psalmo exordium? Quid miserius, quam sic homine a Deo destitui, repellique, ut dissipetur omnino, & destruat? Clamat igitur, Deus repulisti nos, & destruxisti nos, iratus es, & misertus es nobis. Immensae res est calamitatis, a diuino abiici conspectu. Quo tum se uertat anima? Si ad diuitias confugit, quae res tam fragilis? si ad rerum imperium ac dominium, nil magis fortunae ludibrio expositum uidetur. Quicquid igitur in teterrimo hoc mundi statu inuenitur, siue is fauor hominum sit, siue in rebus caeteris, quae felicitatem polliceri uidentur, sit collocatum, non tanti aestimari debet, ut aliqua in eo pars esse censeatur, cuius fidei tam nobilis res, ut est hominis anima, tuto se queat committere. Quod sane (callide quidem) aduertens Dauid, simulac suam, quemadmodum uidimus, Deo occoepit exponere querimoniam, actutum addidit, Reuertere ad nos. Nam quod noster uertit interpret, Misertus es nobis, Reuertere ad nos, legunt Hebraei, Vnde sic Paraphrastes: Ira deposita redi ad nos & melior quidem, ut mea fert opinio, haec est lectio. Quare sua in exponenda calamitate perseuerans adiicit,

{60.4} Commovisti terram, et conturbasti eam.

Atque iterum inceptam interserens suae querelae precationem, subdidit:

{60.4} Sana contritiones eius, quia commota est.

In ira enim domini, clamat Esaias, conturbata est terra. Nulli dubium esse debet, sub typo illo antiquo populi Iudaeorum, a uicinis continue gentibus exagitati, Dei Ecclesiam adumbratam fuisse, cuius effigies ac forma, qualis futura esset in terris, a uate & docte & graphice admodum hic exprimitur. Pro commotione quidem terrae conturbationeque, seu, quod ardentius exprimunt Hebraei, confractione ac uulnere, uult uates populum Dei, qui sumus nos, adeo saeue affligendum intelligi, conterendumque, ut non secus dirumpi uideatur, atque solet terra grauiori permota concussu, alte hiare ac findi. Terra porro, animus hominis est ac mens, quae interdum propter perturbationum acerbiter, culturam spiritus auersans, tribulos & spinas, pro opimis frugibus, ad quas procreandas orta est, adducit. Commouisti, inquit, terrenum istuc cor nostrum, eiusque robur attenuasti, aequae propter grauissimum perseuotionum aestum rimas contrahere fecisti, ut solet ager ardentibus solis radiis, aut terraemotu, concuti & aperiri. Tu igitur qui nostro id merito malum in nos saeuire iussisti, tua solita admonitus a misericordia, terrenam hanc nostram imbecillitatem iam plane conscissam & ruptam, consolida

{pdf 475, p. 229v}

& sana: uacillat enim miserandum in modum, & fatiscit.

{60.5} Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.

En crucis Christi suauitas. Mollia quippe suis propinat mundus familiaribus, accumulaturque delicias deliciis, luxum luxui: Christus uero suis, pro his omnibus crucem, & eam quidem durissimam. Ostendisti, inquit, nobis dura, o Deus. Verum qua in re ostensa haec est nobis durities? in tuo nimirum filio, quem altissimo crucis stipiti, quo cunctis palam foret, quod uitae genus a tuis eligi deberet, confixisti. Tunc sane mundo patuit uniuerso, crucem Christiano uiro necessariam esse. Et quidem, ut quam procul ab omnibus mundi uoluptatibus abesse deberemus, quae magnam partem in computationum luxuria, atque epularum positae sunt lenocinio, demonstraret, aceto myrrha ac felle commixto potari uoluit, & id quidem (heu durum spectaculum) cum quietissimam in cruce ageret animam. O si crucis mysterium non ignorarent mortales. Quid si non desunt qui minime ignorent, atque ob insignem, quam nacti sunt in Ecclesia auctoritatem, crucis delicias alios elegantissime edoceant, & tamen crucem ipsi auersantur, sicque uiuunt tanquam nunquam morituri, molles, delicati, morosi, nihilque tam pauide metuentes, quam ne quid tantillae quidem a quoquam afferatur molestiae? Cum inertibus istiusmodi aluis, mi lector, nulla potest esse cum Christiani uita coitio. Vide quid de Dei populo fateatur uates. Potasti nos, inquit, uino compunctionis, non amaritudinis, uino moeroris, anxietatis, toxici, & quod bibentes haudquaquam exhilarare soleat, sed quod moerore consumat, & contabescere faciat. Iam diximus uini portionem, seu poculum aut calicem, suam unicuique esse bonorum malorum uel contingentem a Deo partem. Voluisti, ait, portionem omnem nostram in hac uita crucem esse, quae tamen cum molestissima nostrae uideatur esse ignorantiae, mirabiles tamen consolationum suauitates affere consuescit. Siquidem

{60.6} Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.

Apte ualde a nostro interprete uersum est, significationem: nanque inter castrenses ordines praecipui hi sunt, ut aut erecto per uexillum signo (signum uolunt esse significationem, qua totius rei qualitas indicatur) suum miles teneat locum, atque ita signum sequi assuefactus, quem ordinem, quem uel ducem attendere debeat perdiscat: aut alio audito signo siue per tubam, siue per notam aliam, quid iubeat imperator, intelligat. Ita anima, ea praesertim quae uim hostium haud ignauiter sustinet, uiriliterque suum seruat locum atque ordinem, a signo sibi dato ne parum quidem diuertit. Id Dei uerbum est, quo accepto per fidem, quid suus imperet dux, cuius ea in primis est uoluntas ac iussio, ut animose in hostes irrumpens, a conflictu non nisi uictrix abscedat, optime callet. De hoc itaque signo suo populo dato sibi applaudens Dauid, ita summo omnium ductori Deo gratias agit, dicens: Tu domine, atque idem dux noster ac rex, dedisti hac in periculosissima cum uersutissimis hostibus pugna, non illis quidem qui tuo deserto signo ad hostes transfugiunt, a teque turpissime desciscunt, sed metuentibus te solummodo, tuumque irreuerberato obtutu obseruantibus uexillum, significationes, quibus auide susceptis intellectisque letales hostium arcus ac tela caute sane declinare assuescant, Hebraei tamen pro, Ut fugiant a facie arcus: habent, Ut exalcent a facie ueritatis: quo occultum hic aduertamus mysterium, nempe uictoriam nostram omnem, diuinarum pollicitationum ueritati ac constantiae referendam acceptam, ne militiam hanc in fidei castris optime a nobis gestam, rei alteri, quae non sit

Deus, adscribamus. Idcirco quo maximam hic opus esse animi attentionem intelligeremus, interpositum est Selah. Parum ne id est, pollicitationum nos cumulo pene obrutos, a Deo, licet infinitis a nobis lacesito iniuriis, non falli? Quem unquam inter homines istiusmodi affectum animi benignitate & constantia uidere contigit? Atqui humanis nunquam tam offendi potest erratis diuina bonitas, quin se aliquando promissi pigeat, quo minusque quod pollicita est, & constantissime seruet, & ne aeternum quandoque intercidatur

{pdf 476, p. 230}

consilium, misericorditer admoneat. O certe amorem non tam facile, ut fit, a mortalibus contemnendum. Dedit enim signum, non Iudas, aut quispiam alius proditor, sed amor diuinus: dedit promissiones, dedit, qua se iureiurando astrinxit, fidem. Quid ueremur? Id, inquam, signum, hanc significationem, hanc notam dedisti nobis, o Deus, ut exaltentur, ut triumphent, ut liberentur dilecti tui, qui ut tui essent, tuaque in uerba iurarent, & sacramentum dicerent, tu ab aeterno statuisti. Quare cum nostra omnis a te dependeat uictoria & salus,

{60.7} Saluum fac dextera tua, & exaudi me.

Hinc sane, id est, a Dei manu & uoluntate, mortalium omnium emanat salus, atque ab hostibus uictoriae trophaeum. Ut eripiantur e periculis amici tui, ait Campensis, tu dextera tua uictoriam affer, & responde uotis nostris. Illud enim quod nos legimus, Et exaudi me, Hebraeis est, Et responde, seu annue mihi: quae utique lectio ardentiolem prae se fert animi motum, quam si simpliciter legas, & exaudi me. Verum

{60.8} Deus loquutus est in sancto suo, laetabor, & partibor Sichimam, & conuallem tabernaculo metibor.

Non est robur ac uis cum ea comparanda, qua quis in diuinis sperans, quaecumque contingant, promissionibus, afficitur. Dauid enim simul ut se suumque populum a Dei repulsum fauore questus est, hic animum colligit, fateturque sese, quaecumque a diuino sibi antea promissa fuerant oraculo, breui possessurum: inter quae quidem illa erant, quorum sigillatim mentionem hic facit. Tu interim, mi lector, ad secretas excutiendas uocum harum causas mentem promoue. Sichimam enim, quae & Sicheim, in monte Ephraim posita est, ubi & ossa Ioseph conqueuerunt. Humeri interpretatur Philo. Non uno quidem omnes humero iugum Christi ferunt Christiani. Conualles uero tabernaculorum, ipsa est Sochoth seu Succoth, hoc est, tabernacula quae ibi aedificauit Iacob, diuiso ab illo in itinere fratre. Has terras igitur suo se dominio subiecturum canit uir Dei, & id quidem maximo animi gaudio, quia sic promiserat Deus. Partiri porro uerbum, ac metiri, pro obtinere, iureque debito possidere, poni hic ducas. Nam funibus olim metiri, partiriue bona, maxime haereditaria, consueuerant homines. Caeterum, In sancto suo, Hebraeis est, in sanctitate sua, seu, in sacrario suo, quo hinc intelligas, pollicitationes illas a diuino exiisse propitiatorio. Quanquam nihil obstat, quin in sancto suo legi queat, cuius sensum sic reddit Paraphrastes: Deus, inquit, promisit per spiritum sanctum suum haec se facturum, quare ego serio exultabo: diuisurus enim sum pro meo arbitratu Sicheim, & uallem Succoth tanquam meam dimetiar. Deus igitur promittens

mihi dare, quae dicam, loquutus est in sancto suo (hic est Christus, atque eius spiritus) idcirco laetus, quae pollicitus est obtinebo, meoque subdam iuri. Siquidem iam

{60.9} Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei, Iuda rex meus.

Hucusque Hebraeis is est uersus. Galaad, qui interpretatur aceruus testimonii, in Galilaea ultra Iordanem positus est. Itidem & Manasses, quae est obliuio. Porro Ephraim, quem frugiferum uocant, idcirco fortitudinem sui capitis appellat uates, hoc est, robur sui principatus & regni, quia potentior aliis tribus fuerat ac numerosior, adeo quod pro tota multitudine decem tribuum nonnunquam sumi soleat, ob id etiam, opinor, quod post mortem Salomonis, decem tribus contra Dei praeceptum sibi in regem ascuerunt Hieroboam, qui e tribu Ephraim descenderat. Ad haec Iuda, quem Philo laudationem seu confessionem interpretatur, totius regni Dauid atque Ecclesiae dux est, ac rex siue princeps, aut, ut nonnulli ex Hebraeo uertunt, moderator: utraque enim lectio mirandum in modum conuenit Christo. Haec mea, inquit Dauid, iam sunt, iam in meam cessere potestatem, posteaquam qui promisit, Deus est. Quinetiam meo subiicietur imperio

{60.10} Moab, olla spei meae: in Idumaea extendam calceamentum meum.

Sordidum atque humile externarum nationum, uti erant Moabitae & Aedomei,

{pdf 477, p. 230v}

sibi subiugandarum praedicat obsequium: unde Moab uocat ollam, seu lebetem suae lotionis, ut legunt Hebraei. Quid, oro, in aedium supellectili uilius inuenitur pelluuio ad abstergendas pedum sordes fabrefacto? Ita, inquit, meum erunt ad obsequium Moabitae, ut uilis est olla aut lebes: atque in Idumaeos, tanquam in penitus mihi subiectos, extendam seu proiciam indignabundus calceamentum meum. Quid? non modo quidem meae gentis homines, qui aut a uicinis subiugati fuerant hostibus, aut qui suapte sponte meo a regno defecerant, recuperaui, uerumetiam

{60.10} Mihi alienigenae subditi sunt.

En maxima purificatae mentis uis & potestas. Vide cuius conditionis hi sint hostes, qui a sanctorum subiugantur exercitu. Moab enim, de quo illud canitur elogium, Moab superbus est ualde, ex patre interpretantur. quis uero sit pater iste, quique illius filii, sapientissimus aperit magister: Vos, inquit, ex patre diabolo estis. Porro Idumaea, sanguinea seu cruenta interpretantur. Quid uero prae se ferat sanguis in scripturis, tum alias, tum potissime in psalmo quinquagesimo primo est dictum. Caeterum, Alienigenae subditi sunt, Hebraeis secus est: Super me inquit, Philistaea iubila. Mos erat populo Israelitico, circumiacentes Allophylos, Philistaeos siue Palaestinos appellare: idcirco ex interpretibus alii Philistaeos alii alienigenas transtulerunt. Quid autem sibi uelit, Philistaea iubila, sic opinantur nonnulli, ut sit per ironiam ad hunc fere modum dictum. Deuictis enim circunquaque hostibus, tu Philistaea iubila super me, uel contra me. quasi diceret, minime id quidem erit, sed uicta & tu cum caeteris mihi obtemperabis. I nunc, ac in me, quemadmodum solebas, arma exacue, derideque si quid meo ab exercitu male

pugnatum fuit. Alii item uolunt acclamationem illam significari, qua suo consuescunt serui domino adblandiri, & quicquid agant laudare, siue bene id actum si, siue male: quod quidem seruitutis genus turpissimum omnium est. Verum aliud sensisse Campensis uidetur, qui sic reddit: Philistaea, si sapis, ambi amicitiam meam. Sed nostra haudquaquam contemnenda est litera, quae sensum plane eundem cum Hebraeis, etsi aliter pronunciatum, expressit. Verum iam ad effectum fidei contemplandum nos vocat spiritus.

{60.11} Qui deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me usque in Idumaeam?

Tametsi id uates de Rabbath metropoli Ammonitarum, quam longa difficilique expugnatam obsidione tandem obtinuit, sentire uideatur, in quo quidem bello & ipsi quoque Idumaei deuicti fuere, alio nihilominus eum spectasse arbitror, eo sane ubi uera munitio ciuitatis sita est, in monte nimirum Sion, in monte speculato: num plenissimo, in monte illo qui mons montium a sacris appellat uatibus. Ea est (ni prorsus Dei spiritu destituti sumus) urbs fidei, urbs amoris, urbs misericordiae, urbs in qua Christus torcular calcauit solus, urbs purificatarum duntaxat animarum domicilium ac sedes: & ut tandem, quod nondum dixi, dicam, ea est Ecclesia circumquaque munita castris illis, quibus a sanctissimo Iacob uisis, exclamauit, Castra Dei sunt haec. Putas ne deesse posse munitiones in castris Domini? Irrugiant daemones, irrumpant, ut lubet, sectae & haereses, improbique illius insultent ciues, perstat inuicta. Nam in Christo cum fixas alte habeat radices, qui uniuersorum dominus est, quid has mundi tenues pertimescet iniurias? quis me, inquit, ad ciuitatem illam bonis omnibus refertam deducet illaesum? O quis me adeo insigni robustoque fulciet animo, ut uel in intimos hostium irruam cuneos, Idumaeorum nimirum sanguinariorum uexantiumque in innocuis praeaeque uitae hominibus Deum?

{60.12} Nonne tu Deus qui repulisti nos? & non egredieris Deus in uirtutibus nostris?

Imo quae tua est immensa erga tui cultores facilitas & clementia, nobiscum una cum nostris copiis egredieris ad praelium. Tu enim qui iampridem nostris offensus sceleribus, nos prorsus repuleras, ac tanquam hostes, ut eramus, abieceras, ille es qui tuae recordatus misericordiae, me in urbem illam munitissimam introduces. nobiscumque nostros ad debellandos insidiatores armatus exhibis. Caeterum si absque interrogatione hunc uersum legi posse opineris, sunt quibus tuam fulcis opi-
[opinionem]

{pdf 478, p. 231}

-nionem. Nam ex Hebraeo sic quidam uertunt: Certe tu Deus, qui depuleras nos, & non egrediebaris cum exercitibus nostris, modo egredieris. Paraphrastes uero per interrogationem legens. Nonne, duplicat hoc modo: Nonne tu Deus qui auxilio tuo longo nos tempore destitueras? nonne tu Deus nunc egredieris in praelium nobiscum, & dux eris exercituum nostrorum? Quare

{60.13} Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

Opinor hic quidem, ut erat perspicacissimo uir ingenio ac spiritu, uatem non absque animi dolore & praeuidisse, & quae hoc in uersu dicere uoluit, mandasse literis. Praesens enim uir pius, quam uanum, quam futile, quamque elumbe futurum esset in Dei Ecclesia quorundam patrociniū, moresque difficiles & dolosi, qui cum religionis tranquillitati autoritate insignes consulere & possint & debeant, nihil tamen minus agunt. Siquidem cum diriorem aliquam perturbantium pacem imminere senserint procellam aut metu percussi, aut sua solita delectati tum ignauia, tum doloitate, sese clam subtrahunt. Unde delusa innocentia, praeterquam quod absque defensore a nefariis male habetur hominibus, in illud cogitur, rei euentibus edocta fractaque, interdum erumpere querimoniae plenissimum, Vana est salus hominis. Imbecille, ne dicam perfidiosum, humanum est perfugium. Flaccida omnino est mortalium uirtus ac robur. Da igitur tu o qui potes, nobis nostris in tribulationibus auxilium, simulac ne unus quidem est inter homines, qui non sua diligentius curet commoda, quam amicorum, atque eorum quidem qui ideo a peruersis uexantur hominibus, quia boni sunt, quia uirtutibus praediti, quia morati, quia pro te, tuoque honore ac religione millies in die uno emori malunt, quam nefariis illorum assentari moribus, turpissimamaque atque adeo ambitiosissimam eorum probare vitam. Quare nos huiusmodi auersati hominum spectra,

{60.14} In Deo faciemus uirtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

Quanta hic affici debent laetitia crucis aemulatores, quorum ea est in malis institutio & consilium, ut nihil ex sese, quod laude dignum admodum sit, agi posse existi ment, sed omnia ex Deo. Hac enim imbuti persuasionē, quicquid contingat, inferaturque iniuriarum a daemone, a mundo, a priuatis item domesticorum insidiis & fraudibus, in Deo fixi manent, ab eoque felicissime dependent, nihil interim in terris arbitantes, quod idem uanitati non sit summe obnoxium, idcirco & debile & caducum. Iacto itaque hoc in schola fidei fundamento, perfectissimam in Deo solo esse quemadmodum sapientiam & bonitatem, ita uirtutem, fortitudinem, pronamque subueniendi suis uoluntatem, censendum erit: quibus sane tam excelsum indutum armis numen, adeo funditus nostros conculcat aduersarios, ut in nihilum omnino quemadmodum quotidianis ac frequentibus intuemur exemplis resoluantur. Cui propterea honor sit & potestas in secula seculorum, Amen.

PSALMVS LXI. Vincenti. Super canticum Dauid, seu super instrumentum musicum.

{61.2} Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meae.

Quando, aut quo tempore, quoque in periculo constitutus Dauid hunc composuerit psalmo, fatentur interpretes se ignorare. Quare ne plus quam par est, in dubiis torqueamur, illud compertum, uatem summa in angustia animi positum, hanc Deo, miserorum perfugio, obtulisse precationem. Et quod deprecationem prius, orationem postea interserat, nihil aliud est, quam ex repetitis eiusdem sensus uerbis maiorem uelle

exprimere indigentiam & calamitatem. Superflua ea est cura, qua hic hi afficiuntur, qui in uocum huiusmodi partitionibus uane admodum immorantur. Ait igitur uir ille sanctissimus, qui omnibus ferme suis in actionibus ac pressuris, Christi atque eius sponsae typum prae se tulit, Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meae. Sunt ne haec hominis parua affecti perturbatione, an maxima illa quidem? audi, inquit, succurre, subueni, fac ne meae suo frustrentur desiderio lachrymae. Nam

{pdf 479, p. 231v}

{61.3} A finibus terrae ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.

Interpunctum hic secus Hebraei collocant, quam noster interpres, apte id quidem. Ab ima hac, inquit, terrarum regione, quae longo a coelo dissidet interstitio, ad te, qui excelso in solio sedes, clamaui, clamoque, ac quanto possum animi ardore suspiro. Nam non me latet, quam liberaliter me alias in anxietate animi constitutum erexeris, in locumque tutissimum, tanquam in rupem undique praecisam, ad quam tamen meis pertingere uiribus nequaquam poteram, perduxeris. Quod enim noster interpres uertit, In petra exaltasti me, id Hebraeis perinde est ac, rupem in aeditiorem, quam ut eam possim conscendere, me subduxisti. Unde Felix: In rupem altiore ne diriges me. Quanquam certe mihi quidem hic nescio quid luminis effulget, cum in mentem uenit, Christum petram esse, robur scilicet nostrum, fidamque stationem ac refugium. Ad hunc sane lapidem e monte excisum sine manibus, cum ab importuna carnis illecebra dstringitur anima, uexaturque a mundo, aut ab improborum hominum arctatur iniuriis, fiducialiter recurrit: ubi sane collocata, placidissime sic suum alloquitur sponsum: In petra exaltasti me, &

{61.4} Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici.

{61.5} Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula, protegar in velamento alarum tuarum.

Non contenta anima suum uocasse amatum, petram, nempe arcem tutam, atque hostibus inaccessam, eundem ipsum fortitudinis turrem, subindeque tentorium, atque alarum receptum, quasi illi subblandiens appellat. De quarum sane uocum significatione pluries in superioribus a nobis est dictum. Porro hic Selah addit, quo quanti faciendus sit Dei fauor animaduertamus, postquam tam uariis, eisdemque suauissimis, ab anima appellatur uocibus. Quid turre in aedificiis excelsius? quid tam tutum, quam in ipso ducis diuersari tentorio? Quid amabilius, suauiusque audiri potest, quam sic nostram a Deo defendi fouerique salutem, ac solent pulli implumes sub matris sedulae alis protegi, atque a grandioribus muniri auibus? Si quidem in ualle hac ima atque coenosa miseriarum, sexcentisque inundata sordium paludibus, ac infinitis obiecta periculis, immorari nos piget, pudetque, en turris fortitudinis, atque innocentiae, cuius aditus & ascensus tam patens est & commodus, ut uel ipsis claudis & uaricosis obuius sit & facilis, si ab externis molestiis, quibus multifariam uita haec afficitur mortalis, impetimur, si in nos coniurato ueluti agmine diri insurgunt oblocutores, si inuidi, si nefandissima delatorum illuuiis & uulguis insidiatur. En arx munitissima, leuioribus tantummodo

peruia animis: en tentorium refrigerii, en alae, en umbra illa saluberrima, e qua supercoelestis afflat spiritus, odorque gratissimae spirat suaueolentiae, quo languidae recreantur animae, ac uim sumunt, respirantque in Deo. Porro, deduxisti me, aut uacat omnino, aut superiori necti debet uersui. Sequentem enim sic incipiunt Hebraei, Quoniam fuisti spes mihi,

{61.6} Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam, dedisti haereditatem timentibus nomen tuum.

Solidissimae haec sunt uerba fidei. Iam, inquit, mi Deus, praesentio te, quicquid a me oratum est, non negaturum. Simili quidem armata uirtute, & accensa ignoratio, cor hominis imperturbatum efficit, atque in sapientissimo Dei ordinationis consilio quiescere facit. Quae autem sint ea quae suis in precationibus, familiarique cum Deo congressu efflagitet anima, breuibus exprimit propheta: nempe uitae aeternae, hoc est, ipsius Dei haereditas & possessio, quae cum omnibus exposita sit, his tantummodo qui Dei nomen timent, summissequae uenerantur, atque propterea in eius censentur sortem, contingere decreuit coelestis pater. Quali uero status ille felicissimus diuinae haereditatis futurus sit, temporarius scilicet, uel ne, adiicit spiritus inquires:

{61.7} Dies super dies regis adicies, annos eius usque in diem generationis & generationis.

Iam de aetate regis Israelis, mortalis nimirum hominis, ac non secus in terris du-
[duraturi]

{pdf 480, p. 232}

-raturi, quam durat flos in pratis incisus, minime id dici arbitror, quod uidelicet illius anni in diem generationis & generationis prorogandi fuerint. Periphrasis quippe est, qua aeternitas significatur. Aliud itaque seculum, quod sempiternum sit, aliusque rex, cuius diebus dies alii atque iterum alii adiciantur, quaerendus est, cuiusque haereditas aeterno duratura sit aeuo: hunc Christum Dei filium esse quis ambigit? De quo quidem regno sic duos ultimos psalmi uersus interpretatur Chaldaeus: Sedebit in secula in conspectu domini bonitas, atque ueritas a domino mundi custodiet ipsum. Idcirco laudabo nomen tuum in secula, cum reddam uota mea in die redemptionis Israel & in die qua ungetur rex Messias, ut sit rex. Itaque habita haereditatis mentione, ne illam ex eis esse rebus, quas passim inhiant homines, suspicaremur, statim subdidit, aeternam eam esse, cuiusque dominus aeternus sit & immortalis: hisce enim circumlocutionibus de Christi loquentes diuturnitate, uti consuescimus. Quicquid tamen de illa dixeris, ut inquit August. minus dicis: sed aliquid necesse est dici, ut sit unde cogites, quod dici non potest. Verum sordidos purissima nequaquam admittit conceptus diuinitas: in his enim peruestigandis e uulgo hominum exire necesse est. Vide igitur, & castissimo contemplare intuitu, quid de nostro concludat rege spiritus.

{61.8} Permanet in aeternum in conspectu Dei, misericordiam & ueritatem eius quis requiret?

Stat, inquit, rex iste noster aeterna, immobilique coram Deo, Deus ipse, generatio ne, ubi praesto est, ut ait August. ad miserendum omnibus. Verum tantae illius beneficentiae copiam, ut est misericordia, ac qua constantissime quae pollicitus est seruat, ueritas, intelligere, quemadmodum hic asserit uates, quis idoneus? quis in terra hac caliginosa diuersans, in qua innumerabiles insunt errores, disquirere illa unquam poterit? Nemo sane homo est: sed qui puriori sunt animo & miti, facilius ad ea tentanda, quae nec ipsis beatissimis quidem diuinae prouidentiae ministris plene innotuerunt, euolant, quam qui turpi & superbo. Atqui ut cum meo sanctissimo gentili quod uerum est concludam, non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de coelo. Iam illud non omittendum, quod hic Hebraeorum interpretes transtulerunt, Misericordiam & ueritatem praepara, custodient illum. Et est uatis, felicissimum Ecclesiae statum praeuidentis, ad Deum precatio, simplexque ad illos qui illius uices in terris executuri erant, admonitio. Praepara, inquit, o Deus regnum, qui ab aeterno tibi coaeternum praeparasti regem. Praepara regnandi modum & rationem, quam in misericordia potissimum ac fide consistere, in te o beatissimum lumen animae praeuideo. Haec sane custodient illum, nempe regem, qui inter malae fidei homines habitaturus est: alioqui certe partibus illiusmodi regno omni necessariis, a iudiciis ac tribunalibus eliminatis, secedet rex, a mundoque effugiet. Etenim felicissimi istiusmodi regis misericordia in primis ac ueritas regnum parient, a quibus quidem, tanquam a duabus inseparabilibus sororibus, omnia illa quae reipublicae Christianae moderatoribus necessaria omnino erunt, proficiscentur bona, pax uidelicet, iustitia, charitas, aequitas, ac sancta in rebus gerendis prouidentia: haec enim a gubernandi ratione haudquaquam dissocianda sunt. Aliter uero si contingat, Christianum ne illud unquam censebis iudicium, a quo id longe semotum est, quod praecipuum suo inesse regno decreuit Christus? Verum quaecunque agant, acturique sint homines, mea haud multum interest: ego enim abs te edoctus, mi Deus,

{61.9} Sic psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi ut reddam vota mea de die in diem.

Sic, ea scilicet fide, quam te coram professus sum, animatus, tibi metra omnia mea, tuum sanctissimum nomen, regnumque, cuius in misericordia & ueritate uim omnem gubernandi esse uoluisti, celebrantia, & dicabo, & cum laudum gratiarumque actionum cumulo consecrabo, atque eo sane modo uota omnia mea desidientiaque te tamque religionem extollendi dilatandi ue, atque uel usque ad extremos orbis incolas transportandi, quotidie, quoad uixero, tibi uniuersorum regi gratanter nuncupabo, persoluamque. Cui laus sit perennis, quemadmodum perenne est regum, in secula seculorum Amen.

{pdf 481, p. 232v}

PSAL. LXII. Vincenti. Super Ieduthum psalmus Dauid.

{62.2} Nonne deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.

Mirum quam uarie sese torqueant interpretes in re prorsus abdita, ut sunt fere omnes psalmorum inscriptiones: quorum nonnulli, quo aptus (utinam non inepte) suas

concinnent diuisiones, causas nescio quas sibi effingunt, ac, ut cum rubore dicam, quamobrem uates illos, qui omnino absque titulo sunt, uel quo tempore composuerit psalmos, tanquam res ludicras tractarent, somniant. Quam satius proculdubio, magisque utile foret legentibus, suam ingenue hac in re tanta fateri ignorantiam, quam opinionibus plerunque insulsis ac friuolis ingenia obruere liberalia. Quod sane a quibusdam expositoribus modestissime fieri uideo, qui cum certam inscriptionum rationem neque a proprio ingenio, neque ab interpretibus Latinis, neque ab ipsis quoque Iudaeis reperirent, illis omissis, ad explanationem psalmorum sese simplicissime contulerunt. Huiusce omnino generis ii est psalmus, quem nunc ad extollendam animae fiduciam in Deum exponere cupimus: faxit Deus ut ea, qua convenit, animi puritate & castimonia, tam suauem animae affectum & sentiam, & stylo persequar. Caeterum Ieduthum nomen fuit se instrumenti musici censet Felix, idem Rabbi Salomon, ad cuius harmoniam hunc psalmum decantari solitum opinantur, Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Daud quidem, utpote, quod pluries dixi, typus cum Christi, tum illorum qui ad Christi corpus attinent, suis in aduersis se semper abiectum pusillumque & iudicauit & fassus est. Verum cum se Deo curae esse, tanto scilicet domino ac regi cogitaret, se tutum omnino reputans, in uerba amoris ac summae in Deum fiduciae prorumpere consueuerat. Nam cum uariis saeuissimisque ob persecutionum immanitatem premeretur aduersis, atque animi permotionibus, adeoque plerunque in diuersos tum irae tum ulciscendi sese, tum desperationis quodque distraheretur affectus, ut pene ab ingruentibus obrueretur malis, ad consuetum idemque tranquillissimum Dei perfugium recurrere solitus erat. Ab una enim parte tanquam in bilance suam appendens miseriam, ab alia Dei opem & misericordiam, sic seipsum alloquitur intra se: Nonne meam Deo, quaecunque accidant, subiectam esse animam decreui? Vnde igitur tantae animi commotiones? unde tempestas? Certo enim scio meam salutem non ab armis corporeis, non a meipso, non ab hominibus caeteris natura uanis & fallacibus pendere, sed a Deo. Hebraei uersum absque interrogatione legunt. Sic Felix: Certe ad Deum respicit anima mea, ab ipso salus mea. Alii uero, quod & ipse approbat Fel. vertunt, Ad Deum silet anima mea: id est, cum silentio & patientia Deum, eiusque opem praestolatur. Vnde sic reddit Paraphrastes: Merito Deum patienter expectat anima mea, ab ipso enim proueniet salus mihi. Causam porro suae exprimens fiduciae ita intulit:

{62.3} Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius.

Iam me, inquit, sua in fide tam firmum esse iussit, ut impossibile plane uideatur, me multum posse amplius labascere & nutare. Perstabo igitur in eo qui meum est robur, mea rupes, mea arx, meum propugnaculum, in eiusque cultu & religione, ut inuitis hostibus perseuerabo. Verum

{62.4} Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos tanquam parieti inclinatos, & maceriae depulsae?

Apostrophe est, atque in hostes summa armata fide insultatio. Sed suam causam attenuat uates, seque ruinoso parieti, impulsaque maceriae seu sepi, ut legunt Hebraei comparat: & est sensus: Quo uestra, o perfidissimi omnium, progressa est impietas, ut

tanquam effrenatae belluae in hominem irruatis innocentem? Quo uos (malum) diuinorum protraxit obliuio iudiciorum, ut uos, uos, inquam, uniuersum meum in exitium coniurati, in inferenda mihi morte properetis? An uos latet, quod in parietem rimosum, iamiamque cadentem, aut maceriem sepemque dissolubilem crudelissime desaeuitis? Atqui notanda est hic maxima in uate, in hisce mutilis

{pdf 482, p. 233}

uerborum concisionibus, & admiratio & dolor. Interficitis uniuersi uos? quasi dicat, Et amici & inimici una meam in ruinam conspiratis? Verum in quem uestra fertur rabies? in parietem nunc nunc casurum? in maceriem plane labilem? in sepem ipsis etiam grandioribus animantibus facilem ac peruiam? Egregium sane facinus, dignumque quod ad posteriorum memoriam mandetur literis. Caeterum non praetermittendum, huius uersus literam & sensum Hebraeis secus esse, Sic illi: Usquequo cogitabitis prauitates super uirum? occidemini omnes uos sicut paries inclinatus, maceria expulsa. Ex hac sane litera Hebraeorum uidere licet uerbum, interficitis, similiter & reliquas uersus dictiones ad hostes referri, non ad uirum iustum, quo plane perspicuum omnibus fiat, mala illa quae a perniciosis inferuntur hominibus, diuino saepenumero in eorum exitium reflecti iudicio. Etenim uerius id est, quam quis inficiari debeat, malignorum hominum consuetudinem & mores, tanquam parietem esse caducum, & rimarum plenum, qui proxime praetereuntes, ni cauti sint, atque alio diuertant, subito casu opprimit & ruina. De huiusmodi ego quidem hominum genere a uate illo dici arbitror, quod parietem perfodient, ut educant eum. Verum si cui magis nostra arridet litera, Chaldaicam secum facere gaudeat, quae sic habet: Quousque tumultu (ecce irrationabilia peruersorum hominum consilia) irruitis in uirum sanctum, & fecistis seruire uos omnes interfectioni? In caeteris uero cum Hebraeis consentit.

{62.5} Veruntamen precium meum cogitauerunt repellere, cucurri in siti: ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.

Precium suum, uocat propheta suum honorem & existimationem, e qua ut illum deturbarent improbi, conspirauerant. Felix sic: Propter exaltationem eius inierunt consilium, ut expellant: hoc est, ut efficiant ne exaltetur. In hoc enim tot incumbunt uiri athei, ne boni ad dignitates asciscantur, enitunturque tum ui, tum mendaciis dolosisque inuentis, fraudibus, periuriis, ut quod moliuntur miseri, etiam cum iniuria Dei maxima, atque eius religionis damno adipiscantur. Interim uero purissimus probi uiri animus haec uidens ridet, tantumque abest ut sua a modestia discedens, ob rem tam friuolam irascatur, ut etiam cum magistro suo ambitiosorum huiusmodi hominum & iniquorum salutem sitibunde expetat & quaerat. Hinc est proinde quod hic attexit uates: Cucurri, inquit, in siti. quanquam Hebraeis alia est litera & sensus. Diuus enim Hieronymus, Placebunt sibi in mendacio, uertit. alii item ex Hebraeo, uel uolunt uel affectant mendacium. Quocirca unde noster hauserit interpretes dictionem, sitis, me latet omnino. Vult uates perfidiosorum faciem huiusmodi uerborum circumlocutione describi. Cogor sane hic, quod saepe facio, integerrimi iuuenis, fratris mei cineres, hoc in sanctissimo Casini templo, in quo nunc & ego ad sepulchrum mei patris Benedicti, & dies & noctes, meos moerens tristisque reputo annos, exoculari dissuauiarique: qui cum ut candens liliu e spinis illis, quae hic a uate diligentissime deteguntur, emergere uideretur, miris

indignisque tanto iuvene affectus est iniuriis: quarum quidem atrocitate & saeuitia diu afflictus exagitatusque, tandem huc, diuina (credo) id operante prouidentia, diuertens, in purissimo Benedicti sinu, purus ipse ac placidus, placidissimam efflavit animam, pro illis interim diuinam implorans ueniam, quorum lima scalproque expolitissimus factus, recta ad aeternum profectus est patrem, ad quem ego, eo quo ipse modo profectus est, me profecturum spero. Caeterum quomodo hi mendacium affectarint, subsequenti aperitur hemistichio: Ore inquit, suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Adblandiebantur, inquit, mihi uultu, corde autem pessima machinabantur. O perditissimos mores. Tam quippe scelerata ea uisa est uati consuetudo, ut haec enarrans, ab ingentique suspensorum cumulo interruptus, Selah tanquam sui doloris testem interposuerit.

{62.6} Veruntamen, quoquo modo perverse malitioseque se se habeant huius generis hominum vita ac mores,

{pdf 483, p. 233v}

{62.6} Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.

Iterum hic, subiecta esto, Hebraeis est, sile, ut in principio psalmi diximus. Item, patientia mea, ipsi legunt, spes mea: quod quidem uersu, ut in poetis fit quoque ethnicis, intercalari magis explicat dicens:

{62.7} Quia ipse Deus meus, & saluator meus, adiutor meus, non emigrabo.

Seu, non elabar: non in iam concepta animo fiducia titubabo: ut fere idem si Hebraeis, quod in superiori dictum est uersu, non mouebor amplius, eo excepto quod in primo addunt uersu, multum: non elabar, scilicet multum: hic autem simpliciter, non elabar, seu non titubabo, aut nutabo. Verum neque dictio, emigrabo, a mente spiritus abhorret: nam aequae est ac si dicat, utcunque insultent in me improbi, non a iustitiae proposito, ueritatisque confessione, ut solent meticulosi, emigrabo: imo res hoc meas atque actiones diligentius tum perscrutabor, tum eas esse aliquid existimabo, quo illis a nefandissimis cernam detrahi oblocutoribus, quantoque illi in me dirius incruduerint, tanto ego quidem laetius querimonias meas omnes ad Deum referam. Siquidem

{62.8} In Deo salutare meum, et gloria mea, Deus auxilii mei, et spes mea in deo est.

Vide summam perfectionis animae, quae suam salutem Deum, suam gloriam, suum robur, suam spem esse praedicat. Mirum si haec omnia in te esse sentiens, aliquid tibi ad nanciscendam animae beatitudinem deesse arbitraris. Diffinitio plane haec est fidei, cuius uirtute ac medio gratis a Deo iustificatis, eo loci facile peruenire nobis integrum est, ut cum Deo etiam in antro hoc tetro corporis constituti, perpetuo conuersemur. Quid hac mansione felicius? Quo nostra omnis tendit uoluntas? quo tandem studium, quo nisus, nisi ut continenter cum Deo simus? Spes itaque nostra in Deo tantummodo sita sit, & sat est. Eam ob rem

{62.9} Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra, Deus adiutor noster in aeternum.

Persuavis sane uatis admonitio: non contentus enim suam praedicasse fiduciam, alios subinde ad idem faciendum hortatur. Sperate, inquit, quaecunque accidant aduersa, in Dec, o populi. Effundite coram illo corda uestra: hoc est si quid uos premit aut angit, laxatis dolori habenis, illi, quicquid illud est, aperte, effundite, reserate: nanque ipse Deus est noster, idemque adiutor in aeternum, protectio, salus, uita. Iam illud porro dicendum, in Hebraeo, omnis congregatio, non inueniri, sed sic tantummodo, ut uertit Felix, Sperate in eo omni tempore. postea subiungunt. Populi effundite coram illo cor uestrum. Caeterum per lachrymas cor effunditur, ut diuus inquit Augustinus. Unde non absque ratione clamat Salomon: Punge cor, & producet scientiam, nempe sui cognitionem, qua nil peccanti salubrius contingere potest, Idcirco diapsalma huic connectitur uersui.

{62.10} Veruntamen uani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de uanitate in idipsum.

Dictio quam noster transtulit interpres, ueruntamen, Hebraei habent, certe. Idem quoque Euthymii interpres. Atqui ut sensus dilucidior huiusce habeatur literae, eam quae Hebraeis est, discutiamus. Sic Felix: Certe uanitas filii Adam, mendacium filii uiri in stateris, ut ascendant ipsi magis uanitate simul. Adeo, inquit, inanes sunt filii Adae, id est, homines e terra prognati, e coelo autem nequaquam per gratiam, ut si in statera ipsi simul omnes cum uanitate ac nihilo ponderentur, ascendent illico tanquam res, quam ipsa sit uanitas, leuior. Inuenientur, inquit, inanitate ipsa leuiores. Quare elegantissime hanc sic ponit similitudine Paraphrastes: Videte ne spem uestram in ullo ponatis homine: sunt enim ipsissima uanitate uaniores tam plebei, quam principes (filii Adam, filii uiri qui sint, hic uides) quod palam fieret, si appenderentur in bilance cum ipsa uanitate: plus enim ponderis inesse deprehenderetur uanitati ipsi, quam omnibus illis in altum tanquam re leuissima sublatis. Bellissimam profecto humani seminis conditionem.

{pdf 484, p. 234}

Sed nos stultos & excordes, qui in re tam leui nostram constituimus fiduciam, idque interdum diligentius, quam Deum uel amamus, uel metuimus, cui si una in statera cum uanitate collibretur, ipsa praeponderet uanitas. Caeterum, quod alias admonuimus, dictionem quae in codicibus est Hebraeis, simul, una, noster uertit, in idipsum. Idcirco sic nostram possumus explanare literam, quo nihil aliud praetendere uideatur [text shows begin bracket] mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de uanitate in idipsum: uel, ut nonnulli ex graeco transferunt, ut fraudem faciant in stateris ipsi ex uanitate simul [end bracket] quam id omnino, quod cum uanissimi, nulliusque ponderis sint homines, se tamen, ac si alicuius essent aestimationis & precii, audent tanquam statera aliqua aut bilance pendere: & id simul omnes, qui nondum ad ueritatis agnitionem introducti, in seipsis diiudicandis illorum seruant morem, qui quemlibet suis in distrahendis statera rebus defraudant facile. Cum corruptam habeant, inquit quidam, sedem iudicii, instabilia eligunt pro stabilibus, mala pro bonis. Per stateras,

inquit, iudicia ipsa intelligit. Itaque cum uanitati condita omnia, nedum homines, obnoxia sint, imo cum ipsissima sint uanitas,

{62.11} Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: diuitiae si affluent, nolite cor apponere.

Vide quomodo hic strictim res illas fere, quibus potissime nixum genus hominum turgidum fit & elatum, uanitatem esse demonstrat. Iniquitas sane, seu calumnia, ut uertit Fel. uanitas est: uanior adhuc est rerum copia male partarum, nempe usuris, falsis delationibus, iniuriis, interuersisque contractibus, cauillosis furacibusque ad testamenta irruptionibus congestarum, quae omnia sub rapinae appellatione intelligi uult spiritus. Quam pauide interdum timeo, ne nos, nos inquam qui a mundi uanitate ad solida acciti sumus bona, in illorum numerum censeamur, qui ad hunc se iactitant modum in Esaia: Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. In iniquitate. Hebraeis sonat, in re male perfidioseque parta: rapinas uero, uiolenter atque cum iniuria. Verum si diuitiarum cum labore aequoque studio acquisitarum, aut a progenitoribus relictarum tibi adsit copia, id tanquam diuinum quoddam coelitus emissum fer Deo acceptum, tantum abest, ut omisso interim donatore, in ipso conquiescas dono. Quid hac posset esse re uanior? Si affluent, inquit, diuitiae absque cuiusquam iniuria partae, si florescunt, si adsunt copiosae, nolite animo illis adeo affigi, ut munificentiae largitoris obliuiscamini. Esto, diues ualde es, diuitiis nihilominus perinde utare, ac si nihil ad te spectarent: eas utique prout sunt, existimato, fragiles scilicet, caducas, ac uanitate ipsa uaniores. Non in istiusmodi igitur rerum pusillitate uestrum immoretur cor, mortales, sed in Deo potius, re tanta nimirum, atque omnium maxima, spem uestram ponite. Quid?

{62.12-13} Semel locutus est Deus: duo haec audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.

Iam hic uates psalmum concludens, duo prius admonitos esse uoluit homines, quibus sane totius fidei summa consistit. Alterum enim, quo robur in Deo summum inesse ac fortitudinem, qua seruare nos possit, arbitremur: alterum uero, misericordiam & bonitatem, qua uelit: additque Deum aequissima cuilibet repensurum, prout in uita actitarunt, compensatione, non ea quidem humana, atque ab humano proficiscenti iudicio, falsa scilicet & corrupta, sed iusto librata pondere, ut me ritus quisque fuerit. & id sane a spiritu commode ualde additum puta, quo nostram a mundi uanitate atque amore deterreat mentem. Semel, inquit, locutus est Deus: hoc est, irreuocabilis diuina est lex, atque immutabilis. Stat fixum quicquid sancit Deus: e quo quidem duo haec cordis, in quo sedes est fidei, hausi auribus, potentiam uidelicet in Deo esse maximam, & bonitatem. Idem ferme de Deo olim testatus est Iob inquiens: Semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit. Haec quantum ad nostri interpretis literam attinet, sint dicta: uerum longe alius uidetur esse nonnullis ex Hebraeo sensus, ideo & litera alia. Semel, inquiunt, locutus est Deus, bis id audiui: hoc est, & semel & iterum, saepenumero scilicet, in le-
[lege]

{pdf 485, p. 234v)

-ge & prophetis, caeterisque diuini oraculi interpretibus locutus est, & id, inquit, audiui, & sic esse, ut locutus est, persuasissimum habui, quod robur in Deo est. Paraphrastes tamen fere cum nostro conuenit. Ita ille: Vnum quiddam locutus est Deus, sed saepenumero illud audiui, solum Deum esse qui possit omnia. Chaldaeus etiam, bis, cum uerbo, audiui, coniungens, hunc affert sensum: Legem unam locutus est Deus, & bis illam audiui de ore Mosis scribae magni. Quicquid igitur huc attuli, uatis spiritui seruire existimo: eapropter quaecunque ex his, quae suo quisque magis satisfacere animo uiderit, ea absque errore sumere poterit. Tantum illud fatendum ab omnibus, Dei consilia immortalia esse & aeterna, & quicquid ulterius in ipso est, siue sapientiam, siue bonitatem, siue clementiam, siue quibus cuncta ordinatissime moderatur, & fortitudinem & prouidentiam, contemplari libeat, aeternum est & inuiolabile, quemadmodum ipse aeternus est, & supra omnem uitam uiuens, impartiensque caeteris, unde uitam sapientissime instituant. Cui propterea laus sit & perennitas in secula seculorum, Amen.

PSAL. LXIII. Psalmus Dauid dum esset in deserto Iudae. /

{63.2} Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.

Volunt interpretes, Dauidem in extrema animi angustia positum, in deserto Ziph latitantem, quae regio ad Iudae fortem spectabat, hunc psalmum composuisse. Regionis enim, in qua tantus delituit uir ob Saulis metum, qualitas apte admodum hic depingitur, cum terram illam desertam, inuiam & inaquosam, ipse appellat uates, quo hinc uidere liceat, eo nonnunquam desperationis deuenire posse animam, propter saeuitiam persecutionum, ut cuncta illi arida uideantur, inculta, horrenda, meticulosa, prorsusque auia & inhospita. Vastissima quidem solitudo cum haec sit uita, nihil in ea facile reperies, quod animam, quae coelestibus assueta rebus horret omnia quae gustum non prae se ferunt diuinum, satiet, ac laetam reddat. Et id potissimum prouenire experimur, cum ingenitis mundo per mihi uisum est, si sic afflictum hominem, coelesti quoque priuari gustu contingat quam dura plane tunc apparent omnia, quam aspera, quam siticulosa, quam inamoena. Veruntamen praeteritarum haudquaquam immemor consolationum, se ipse consolari ad hunc fere modum solet: O Deus, Deus, inquam, meus, sine quo nulla mihi potest esse pax aut uita, ad te in ipso statim mane, anteaquam dies emergat nouus, suspiro, clamo, a malaque quaquauersum exagitatus fortuna, suspicio, uigilo, atque instar cerui ob aestum anhelantis,

{63.2-3} Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, in terra deserta, inuia & inaquosa.

Hucusque protenditur Hebraeis uersus, unde lucidiorem prodire sensum perspicuum est. Multifariam dicit se Deum appetere & desiderare, ob multas uariasque quas secum fert mundus, molestias & curas. Ait igitur: In te, mi Deus, qui quamuis ardentem sedare soles sitim, mea sitit anima, ac suauissimo exanimatur ardore. Id anima, id corpus, id caro ipsa, alioqui suae salutis ignara, atque in iustitiae itinere mira in modum tarda & somniculosa, multipliciter, quia multis maculata est notis, expetit & efflagitat, in hac

praesertim (heu dolor) terra uitae inuia, turbulenta, aeternaque uiuae aquae indigentia laboranti. Sunt sane multa in mundo quae sitim, nempe appetentias animae uarias extinguere polliceri uidentur, sed augent potius, cum nostra ex his sedari cupimus desideria, quae sitim magis ac siccitatem secum afferunt, quam humorem & succum. Istiusmodi enim sunt diuitiae & uoluptates qua cum animae in Deo ebraiae horri soleant esse & nauseae, ita rerum illarum appetentioribus aridissimo, insatiabili tamen atque aestuoso solent esse oblectamento & siti. Et quemadmodum certe terra haec infelix, deserta fit improbis & contaminatis: hoc est, deserta a Deo, inuiaque, in qua diuinum ad auram post meridiem non spatietur numen: atque inaquosa, absque scilicet diuini gustus suauitate, fonteque gratiarum uiuido & perenni: ita piis animis deserta quoque est, a mundo nimirum, in-
[inuiaque]

{pdf 486, p. 235}

-uiaque illis omnino fit & infructuosa, propter rerum earum, quas mundus ipse appetit, inopiam. Haec est perfectissima crucis imago, in quam irreuerberata intuens acie amoris anima, suum secum trahit socium, nempe carnem hanc mollem & fragilem. Quocirca ut inflammatiorem suum ostenderet erga Deum affectum vir sanctus, suam asserit animam cum carne simul ad vitae fontem sitivisse ac suspirasse. Proinde additum est,

{63.3} Sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam.

Hoc, inquit, modo ac ratione, in sancto tranquilloque uitae statu, quem minime assequuntur improbi, tibi apparebo, te cernam, te, quem in tentationum persecutionumque caligine ne per transennam quidem uidere poteram, large lateque contemplantor: atque hac sane uia ac speculo, tuam qua cuncta concutis intuebor potentiam & gloriam, e qua nos a mundo, mundique amatoribus despecti, planeque derisi, tuae tamen consolationis ubertate repleti, in tutoque collocati, tanquam scintillae ab ardenti demanamus igne. Non mediocris quidem est Dei laus & gloria, cum suos a prauis male habitos, atque ita saeue diuexatos ut in cineres pene collabi uideantur, quasi porrecta manu, e malorum profundo extrahit, mundoque tanquam perfectissimae lucis sydera ostendit, O felicem acerbitatem, felices calamitates, quae nostros adeo exacte collimant animos, ut e terra hac eos tetra lucidissimos, ueluti e durissimo inertique saxo, ignes emicantes fas sit dicere. Caeterum dictio, multipliciter, etsi in codicibus Hebraeorum non inuenitur, sed simpliciter, Concupiuit te anima mea, suum tamen & ipsa habet sensum & decorem, qua nempe dilectionis castaeque sitis immensitas demonstratur. Theodotion uero, quamsaepissime, transtulit. Dictio rursus, in sancto, Hebraeis est, in sacrario: seu, ut reddit Paraphrastes, in loco sanctitatis, quae Ecclesia est, aut cor hominis ui fidei reformatum in Christo, qui huiusmodi oblectatur domicilio, ut cor est a uisibilium rerum amore euulsum, diuinaeque consecratum religioni.

{63.4} Quoniam melior est misericordia tua super uitas.

Hic uates uirtutem diuinae erga se misericordiae considerans, quomodo scilicet immensa adeo semper fuerit, lateque exundans, ac uel in ipsis desperatissimis rerum

euentibus, cum nihil minus expectarent homines, praesto extiterit, sibi que iam perdito praeter spem omnium effulserit, illam non iam uitae uni aut alteri, sed multis, si id uni contingere posset homini, anteposit. Nec sane id est insolitum animis ferendo Christi improprio assuetis: siquidem cum Dei misericordiae finis sit uita aeterna, qui non mille corporeae huius miseriae uitae pro illa assequenda libentissime impenderent? Utcunque, inquit, se res habeant humanae, quocunque in loco exilem, a quibusuis affligar, in tua contemplanda bonitate & clementia, qua tuos gratis protegere solitus es, totus ero. Nam certe tua erga homines benignitas, infinitis praeponderat uitae huius commodis: eapropter quoniam quae rependam, quae tam excelso digna sint munere, in me esse non uideo, illud tamen utcunque referam,

{63.4} Labia mea laudabunt te.

Te lingua, te animo, quantuluscunque ille sit, laudabo, tibi que gratias agere ne horulae quidem momentum desistam.

{63.5} Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas.

Ut meus, inquit, est mos, quandiuque uixero, ubi ubi egero, te celebrare institui, ac ut caeteris id quoque notum fiat, puras ad te, atque in tui nominis honore palam extollam manus, indicium sane flagrantis mei in te amoris ac fidei. Sic, dictio, antiquum eum fuisse morem uati ostendit: quod bene intellexisse Paraphrastem auguror, cum ait: Hic mihi erit mos agendi gratias tibi, ut cum ueneratione nominis tui, ad omnia quae facturum sum, manus admoueam. En uotum illud solenne, quo se homines e purissima fontis lotionem egressi, insolubili constringi nodo non ignorant, ut Deum uidelicet, quicquid sors euehat humana, continuis efferant laudibus, sacrisque celebrent panegyricis. Atqui in istiusmodi oc-
[occupata]

{pdf 487, p. 235v}

-cupata mens curis, quomodo facile ad ea cogitanda aut amanda quae mundum referant dilabatur?

{63.6} Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationi laudabit os meum.

Vide quid bonorum crebra secum afferat diuinae laudis cogitatio. Ex ardenti, inquit, te laudandi affectu ac nisu non secus fiet pinguis anima, ac solet corpus adipe pinguiue abdomine pinguescere tum, cum labiis exultationis laudabit os meum: id est, cum labiis, exultatione, sanctoque tripudio plenissimis, tuas decantabit laudes os meum. Adipem & pinguedinem pro summa supernarum deliciarum suauitate hic poni existimes: tropus is est in scripturis creber, ut alias adnotauimus. Ineffabilis plane ea est suauitas, qua anima ex humo, uti a tenero cespite uiola, elata afficitur, cum in diuinis occupata laudibus tota, quanta est, in amati amore emoritur. Quod quidem non absque ratione a me hic dictum esse uelim, ob tardam quorundam in celebrandis diuinis, ut uocant, officiis oscitantiam. Id semper cum in omnibus tractandarum rerum causis

rationibusque cogitandum, quis is sit qui cum loqui aut res tuas tractare intendis, tum praecipue in hoc, de quo loquimur, laudandi Deum & modo & ritu, ne dum labiis tantummodo Dei nos auribus satisfecisse opinemur, cor, tanquam leuioris armaturae equitem, hinc inde excurrere sinamus. Verum utcunque id esset tolerandum, si os saltem & lingua, quibus Deo potissimum in templis occinuntur laudes, pura essent atque integra: hoc est, quae a scurrilibus obscoenisque abhorrerent colloquiis, a calumniis, ab infamia, a delationibus, dissidiorumque sationibus, ac mortiferis demum temperarent oblocutionibus. Etenim actiones omnes, quae ad Dei spectant cultum, purae esse debent, candidae, ardentes, uiuentesque in Deo, non hisce in rebus, quibus foedari solet animus ac mens: quae cum syncera flagransque in sancta esset uatis anima, uide quid de se spondere audiat.

{63.7-8} Sic memor fui tui super stratum meum, & in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.

Amor enim diuinus nulla temporum intercapedine, quo minus semper ardeat, interciditur: siue is qui afficitur, uigilet, siue dormiat, siue aliud aliquid actitet, suo semper cum amato conquiescit, dormitque beatus. Verum coelestes modo flammam admittere, quas in aliud statim flammam genus commutes, id leuissimi animi indicium est, ne dicam ingratis, planeque sui dissimilis & superbi. Cum igne quidem diuini amoris, alterius amoris ignis, ut ille est qui in mundanarum rerum felicitate, tanquam efferatus rex debacchatur, coire haudquaquam potest. Quocirca ne tam delicata e manibus excidat suauitudo, illud in primis curandum, quomodo continue pausetur in animae medullis fax illa, qua accensa, ardet tota, fitque unum prorsus cum amato, in tranquillissimo conscientiae diuersorio. Unde non iam amplius in se, sed in illo potius quem supra se diligit, uiuens, illud merito cum sapientissima uatis anima concinere & uult, & potest: Sic, hoc est, tua o Deus flagrantissima accensus amoris flamma, memor fui, eroque tantisper dum uixero, tui super lectum strati mei, eo nimirum tempore, quo in somnis a uaria phantasmatum incursione atrocius impetuntur homines, atque inertes perlanguescere solent mollitie & torpore plerique: identidemque in ipso primae lucis exordio sic in somnis assuetus de te cogitabo, in te expergiscar, teque animo uoluam reuoluamque libero & sincero, propterea quod semper, uel a meis ipsis primis infantiae annis, fuisti adiutor meus. Incrudescat, opto, rerum tristium caligo & nox, memor ero nihilominus tui: contra uero laeta mihi arrideat fortuna, suoque me illo copiae cornu uel usque ad satietatem impleat, non ob id tamen insolentior factus, tuae immemor ero fidei, imo eo tenacius mihi illam inhaerescere faciam, quo periculosiori subiectus est ruinae, qui a prospera nutritur fortuna, quam qui ab aduersa iactatur. Caeterum licet dictio, Sic, apte admodum, ut uides, quadrare huc possit, tamen neque a Graecis, neque ab Hebraeis legitur, sed, si, uel, certe, ut reddit Felix: Certe, inquit, memor fui tui. Verbum porro, fui, a caeteris Hebraeorum interpretibus, ero, transfertur, ut sit tempus pro tempore. Et est illud notandum, Quia fuisti adiutor meus, prin-
[principium]

-cipium sequentis uersus Hebraeis esse. Unde sic Paraphrastes: Fuisti enim auxilio sepissime [sic, saepissime, 1585] mihi, quare ueluti umbra alarum tuarum contectus, securus posthac exultabo. Quod noster sic reddit interpres,

{63.8} Et in velamento alarum tuarum exaltabo.

De hoc tropi genere, nempe alarum, tum alias, tum in psalmo quinquagesimo septimo copiose diximus. Ex sedula quippe illa de Deo meditatione, quae die noctuque purae insidet animae, illud in primis oriri compertissimum habemus, quod anima in diuino requiescens amore, credit se, quaecumque contingant, fidissimis Dei alis contegi & foueri. Quocirca eo maxime tempore, quo maiori afficitur aerumna, ad amoris alas confugiens, ita suum alloquitur tutorem:

{63.9} Adhaesit anima mea post te, me suscepit dextera tua.

O efficacem certe fiduciae uirtutem. Immensae quidem suauitatis plenum illud esse Esaiiae quis non uidet? anima, inquit, mea desiderabit te in nocte, sed in spiritu meo & praecordiis meis de mane uigilabo ad te. Vide coniunctissimam cum Deo animae copulam. In spiritu, ait, meo. non id porro satis uisum, addit, in praecordiis meis mane, illucescente scilicet grata, applaudenteque coelo, uigilabo ad te. quod plane idem est, quod hic de se asserit uates, dicens: Adhaesit anima mea post te. I prae, inquit, mi solertissime dux, ego pone te actutum sequar, tibi adhaerebo, a te me nulla unquam quamuis acerba diuellet calamitas. In me enim iniquissimo tanquam Marte, improborum concurrunt agmina, ego uero tuis insistens uestigiis, post te curram: siquidem alias similibus in controuersiis cum mundo, me suscepit dextera tua, nempe tua uirtus, tua bonitas, tua misericordia: suscipiet & (spero) in posterum.

{63.10} Ipsi vera in vanum quaesierunt animam meam, introibunt in inferiora terrae.

{63.11} Tradentur in manus gladii, partes vulpium eorum.

Ecce numinis in oppressores innocentiae & uirtus & ultio. Etenim suis frustrati uotis improbi, turpissima affici solent confusione. Ipsi, inquit, incassum meum expetiere interitum, imo in obstrusa illi citius loca terrae, penitusque latentia retrudentur, quam me a coelo, unde mea est cum Deo uita, deturbabunt. Ad infernas quidem corruent tormentorum regiones, puniendi una cum tetrus illis spiritibus, hi qui meam sitiunt infamiam & mortem: interea uero neque in hac uita quidem diuinam effugient ultionem: nam in gladii manus, id est, in uim atque aciem hostilis gladii traditi, occisique & insepulti, in praedam belluis ferisque truculentissimis, quae humanis uescuntur carnibus, infelicissimo dabuntur spectaculo. Simili nonnunquam locutionis genere utitur uates ac tropo, quo nos minime lateat, quam saeua certaue malorum hominum perfidiam superne maneat ira & uindicta. Illud non silendum, in uanum, Hebraeis quibusdam esse deuastationem: unde sic Felix, Et ipsi ad deuastationem quaerent animam meam. quam dictionem ipsemet exponens, pro, cum strepitu, accipit: qua sane quorundam perfidiosorum bellissime effigiatur imago qui cum innocuum quempiam traducere decreuerunt, nihil non machinarum, dolorum, patentium quoque iniuriarum admouent, quo maiori id strepitu, uulgiue tumultu, quod odioso conceperunt animo,

obtineant. Verum quia foedae eiusmodi conspirationes ad unum, qui illarum dux sit & caput, referri solent, in illum uates futurorum nimirum temporum praescius, tanquam de Saule loqueretur, inuectus sic intulit: Distrahant, seu, ut uult Campensis, proscindant (nempe ipsi conspiratores) illum super gladium. Ad hunc quippe modum hanc legunt literam Hebraei, quam noster uertit interpres: Tradentur in manus gladii. Verum huiusmodi, letali ueluti immisso in turpissimum illum sectarum altorem iaculo, seuera contentus imprecatione uates, ad omnes simul coniuratores sermonem uertit, dicens, Partes uulpium eorum: quod expressius ab Hebraeis redditur, Portio, inquiunt, erunt uulpium, ferarum scilicet crudelium, & quod illorum conuenit fraudulentiae, mire dolosarum. Is enim naturaliter mos est uulpi ingenitus, ut crudelis sit & dolosa. Quocirca sapientissimus magister Christus, saeuitiam simul & fraudulentiam Herodis ostendere uolens, illum appellat uulpem te, inquit, & dicite uulpi il-
[illi]

{pdf 489, p. 236v}

-li. Eant igitur dolosi omnes, atque una cum suo duce factioso crudeles, quemadmodum comminatus est spiritus,

{63.12} Rex uero laetabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.

Pulcherrima certe mysteriorum omnium, quae in oda hac plane diuina occulunt connexio, nempe in Christo, qui hic a uate per antonomasiam rex appellatur, & qui cum in terris esset, nobiscumque nostri similis commoraretur, nunquam eousque a persecutoribus diuexari potuit, quin in patris prouidentia & bonitate copiosissime iucundaretur. Enimuero hunc esse crucis finem decreuit Deus, pacem nimirum animi, ac gaudium in spiritu sancto. Rex igitur ille uniuersorum Christus Iesus, atque hi omnes qui ad ipsius regnum, quod in moderandis animi appetentiis, brutisque subigendis sensibus maxime positum est, per gratiam asciscuntur, utcunque infremant impii regnentque in mundo, laetabuntur in Deo, ac per Deum in crucis ignominia laetissimum in modum exultabunt. Ad haec, ne diutius in peruestigandis eorum moribus, qui ad Christi regnum attinent, immoremur, pulchre a spiritu attextitur, omnes qui iurant in eo, hoc est, qui in Christi uerba & legem ex animo iurant. Quem quidem sensum una duntaxat dictione expressit Felix, adiuratus, inquit, id est, qui se iuramento Dei uerba seruaturum obligauit, at in baptismo de more fit. Cui tamen pollicitationi aliud additur a nonnullis in coenobiis iusiurandum, cum profitentur ingenti cum obtestatione perfectiora: quod quidem promissionis genus pium ualde est, si in Deo fieri contingat. Alioqui iurare lingua, mentem uero iniuratum gerere, seu iuratum animum & linguam eiurare, periculosissimum periurii genus est, parum uero a plerisque mortalium animaduersum. Totus enim, mi lector, expauesco, cum in mentem mihi uenit illud a Sancte Barbarico Veneto, patritio sane integerrimo, atque eruditissimo Iurisconsulto, mihi olim dictum: Vereor, inquit, ne statim is periurus efficiatur, qui monachum profitetur. Sed uir ille alioqui prudentissimus, humanarum uirium imbecillitatem demensus est, non Dei gratiam atque opem. Iuramentum igitur quod in Deo fit, sanctum esse debet, firmum, ratum, uerum, inuiolabile, quoque Deo ipsi soli rata tribuitur ueritas. Per nomen, inquit Moses, illius iurabis: id est, ipsius duntaxat nomini ueritatem

tribuito: quod qui agit, nihil Deo dignius augustiusque esse confitetur. Idcirco pulcherrima claudit antithesi psalmum propheta dicens, Laudabuntur omnes qui iurant in eo, hoc est, uere. Subinde alterum subnectit membrum, Quia obstructum est os, seu, obstruetur os, ut uertit Felix, loquentium iniquis falsa scilicet, maledica & iniusta, ut plane sunt haeretici, hypocritae, adulatores, inuentoresque malorum, & duplices, orbis uidelicet uniuersi contaminatio. Aperta enim debent esse omnia in Christiano uiro, nuda, ingenua, syncera, & quae simplicissimam Dei naturam referant. Cui laus sit perennis honosque in secula seculorum, Amen.

PSAL. LXIII. Vincenti Psalmus Dauid.

{64.2} Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, a timore inimici mei eripe animam meam.

Omissis somniis, quibus conantur nonnulli, cur quilibet compositus fit psalmus, exponere, hic dicendum, Dauidem suis in aerumnis ac persecutionibus, longissimis illis quidem & acerbissimis, uario psalmorum fuisse delectatum poemate, subindeque suum hisce sedasse moerorem & luctu remediis. Illud certe mirum, tantum uatem tam moleste perfidiosorum hominum linguas atque oblocutiones tolerasse, in illosque tam acerbe in singulis fere psalmis inuictum fuisse. Verum duas ob rationes id factum puto, tum quia seruatoris uniuersi typus cum esset, calumniasque ac falsas re ipsa quotidie experiretur delationes ac rumores, ea tamen omnia, etiam diriora, in Christum omnium innocentissimum suo a populo congerenda praeuidit, & ut rem nefandam Deoque indignam execratus est, tum

{pdf 490, p. 237}

quod optime nouerat quanti quamque immensi periculi simul & dispendii bonis, nondum tamen in fide solidis ac firmis, allaturum id esset uirus. Proinde futuros maledicos & delatores, a maledicendi falsaue deferendi consuetudine quasi deterrens, tam crebro in perniciosos eorum mores inuehitur, ut hoc in psalmo uidere licet, in quo turpissimam inuidorum obtreptatorumque, & delatorum faciem ac naturam, elegantissimo depingit poemate. Sed prius, ut summa praeditus erat fide, suam Deo commendat causam, clamatque: Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam. Cuius sane subiecti illius fuerit precatio, apte admodum exprimit Paraphrastes. Audi, inquit, Deus uocem commemorationis calamitatum mearum, ut contra minas, quibus hostis me terret, tuearis uitam meam. Inimici, singulari numero, pro inimicorum positum, qui frequens est in psalmis hebraismus, arbitror: quanquam nil uetat, quo insignem aliquem oblocutorum ducem, ad quem execrandi istiusmodi lues recurrere tuto soleat, notari a uate existimem. Nulli dubium, abiectissimum istud genus hominum atque colluionem, non tam temere in proborum uitam ac nomen saeuaturam, nisi ex primatibus, qui foedissimos illorum mores & libenter ferrent, & astutissime alerent, inuenirentur: solent enim hi prudentes, si Deo placet, homines, istis abuti malleis ad contundendam innocuorum uitam & famam. Quare non absque immenso animi dolore id a uate prolatum iudico: A timore, inquit, inimici, nempe perfidiosorum meam in uitam conspirantium altoris, eripe animam meam. Si hi, quorum pestes huiusmodi a mundo auferre interest, pestes ipsas fouent

& amplexantur, ad quem (malum) meas referre debeo querimonias? a quibus ius exigere? cui metum, cui meam exponam miseriam? Tu igitur, qui haud semel quidem

{64.3} Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem,

Protege etiam nunc me, ac, quae tua est bonitas, meam abs te datam tutare innocentiam. Protexisti, tum Graeci tum Hebraei Protege habent, seu absconde: & est clarior sensus. Unde sic totum hunc uersum reddit Paraphrastes: Absconde me a multitudine prauorum secreto consultantium aduersum me, & a conspiratione sceleratorum. Caeterum quid sit, a multitudine operantium iniquitatem, breuibus interpretatur Felix: A congregatione, inquit, tumultuosa. Nihil sane agunt seditiosi, quod tumultuosum idem non sit, planeque iniuriosum, ac bellorum plenum: quorum quidem artibus adeo nonnumquam pax conturbatur orbis et confunditur, ut uerso rerum ordine, nefandissimos quosque regnare uideas, probos autem calcari & absumi: qui certe cum modestissimi sint, & Dei religionis, quae concordia nititur, studiosissimi, uel sexcentis lacessiti iniuriis & contumeliis, silent, atque ne in domo Dei, pacis nimirum domicilio, scismata excitentur ac dissidia, taciti tolerant. Illi uero insolentiores facti,

{64.4-5} Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum (rem amaram) ut sagittent in occultis immaculatum.

Quia exacuerunt, noster uertit interpres: Hebraei autem, qui. utrumque tamen prae cedentibus conuenit. Atqui maledicentium linguas acuto comparat gladio, cito scilicet penetranti: amarulenta uero illorum uerba, sagittis dolose e tenso arcu contortis, quibusque hostes, ut inquit Campensis, capitales peti solent. De istiusmodi linguarum tropis & similitudinibus, in aliis iam diximus psalmis. Tantum illud addam, uix me unquam schematum huiusmodi sensum assequi potuisse, nisi longo usu atque experientia, quid sibi uellet uates, re ipsa perdidicissem. Qui non tentatur, quid scit? nihil omnino. Vide igitur quid boni & iucunditatis secum afferat amabilis crux Christi. Iam illud non praetereundum, rem amaram, per parenthesim ab aliquibus legi, ut quaedam sit doloris simul & admirationis interiectio, ut nonnumquam malum, nefas, scelus, pro dolor, & id genus alia ponere consueuimus. Caeterum, Ut sagittent in occultis immaculatum, idem plane est, quod in alio conquestus est psalmo, dicens, Ut sagittent in obscuro rectos corde: id est, ut illos ex insidiis adoriantur, qui recta in Deum incedunt, illique per amorem, abie-
[abiecis]

{pdf 491, p. 237v}

-cis interim mundi curis & occupationibus, inhaerescunt. Ad haec

{64.6} Subito sagittabunt eum, & non timebunt, firmauerunt sibi sermonem nequam.

De improuiso, inquit, uenenata contorquebunt iacula, diras nimirum calumnias, & accusationes tumultuosas in eum, nempe innocuum, et non timebunt. Heu rem pene

incredibilem. Verum ne est, iniquum adeo & nefarium inueniri hominem, qui natura simplices & imbelles, ut sunt plerique in terris Dei amici, non uereatur laedere, eosque a tranquillo uitae statu deturbare? Id prorsus contra naturam uidetur esse, & nihilominus qui id peragant interpide atque impune, inveniuntur: atque hi quidem non in antris inter feras, aut nemoribus, sed in ipsis quoque nobilioribus, magisque cultis orbis locis & tectis. Deo enim semel per impotentiam animi contumaces effecti, nulla re alia oblectari uidentur, quam ut a mundo Christum auferant. Callide illi quidem firmauerunt sibi sermonem nequam. Sermonem nequam appellat uates rem illam tristem & amaram, de qua supra locutus est, dicens, Intenderunt arcum (rem amaram.) Caeterum, ut iam diximus, sermo, seu uerbum, Hebraeis est, res, factum, negocium. Unde alio in psalmo. Verbum, inquit, iniquum constituerunt aduersum me. Calumnias hic igitur, dolosasque conspirationes iampridem meditatas, demumque turpissimo sancitas foedere & confirmatas intelligit. Solent enim perfidiosi homines in alicuius interitum conspirantes, caute admodum suas sigillatim perfidiae eousque exequi partes, quoad tempus idoneum diuque expectatum sparsas in unum colligendi firmandique insidias aduentarint. Tunc sane non hominum quidem ratione utentium commotam iram conspiceres, sed porcorum grunnientium potius, tumultuantiumque strepitum in Christum, hoc est, in puras animas, atque in his rebus quae ad mundum attinent, incautas & simplices. At aliam illorum contemplare amentiam & stupiditatem.

{64.6} Narrauerunt ut absconderent laqueos, dixerunt, quis uidebit eos?

O corda certe a numine derelicta. Cui, quaeso, narrauerunt? Sauli, inquit interpres Hebraeus, id est, coniurationis duci, cui ob magnam in uulgo auctoritatem & potentiam, obesse aliis integrum est. Narrauerunt illi itaque, quam caute, quamue latenter, ne resciscat mundus (de Dei uero notitia nulla illis cura) composuerint laqueos, fallacias scilicet ac dolos. Quis, inquiunt, uidebit eos? quis adeo callidus est, qui tam apte absconsas detegere ualeat insidias? Post multa, inquit Paraphrastes, ultro citroque habita uerba, abscondere decreuerunt laqueos ea arte, ut neminem fraudem illam deprehensurum sibi persuaserint. Verum

{64.7} Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio, accedet homo ad cor altum.

Vide anxium in improbis excogitandi iniqua animum, simul & uanum irrequietae machinationis exitum. Varios, inquit, nocendi modos, ut solent daemones, studio omni & diligentia peruestigarunt: uerum a meditata anxieque peruestigata malitia deficientes, nihil obtinuisse uisi sunt, quamlibet alto ac profundo id machinati fuerint corde. Siquidem principium sequentis uersus, Ascendet homo ad cor altum, huic finis est Hebraeis, qui sic habent: Inquirunt praua consilia, toti sunt in inueniendo, & intimo cuiusque, & corde profundo: hoc est, consilii iamdudum praemeditata, & quae unusquisque corde gerebat profundo & secreto, summa ui perficere nixus est: sed letali ex insperato a Deo percussi sunt uulnere: atque hoc sane modo

{64.8} Exaltabitur Deus.

Incomprehensibili quidem ratione interdum & consilio id in diuina contingit mente, ut sceleratis quorundam conatibus parere uideatur Deus, hoc est, illorum timere audaciam, cum extemplo illam non reprimat & refringit: uerum a nimia aliquando illorum prouocatus arrogantia, atque usu in malis diuturno, euigilare tandem solitus est, & qui nuper tanquam abiectus & subditus, ad peruersas improborum actiones conuiuere uidebatur, insperato in medium prosilit, magnumque, ac mire tremendum sese exhibet uindicem, cum aut punit male acta, aut ne agantur sapientissime coercet. Quod uero nonnulli hunc uersum interpretantur de

{pdf 492, p. 238}

profunda diuinorum consiliorum in homine indagatione, quae quanto in his peruestigandis profundius sese immerserit, tanto altius Deus ab humano se separat sensu, & exaltatur, casta admodum interpretatio est, sed quae nihil hic ad rem. Nam de excogitatis in hoc loco, diuque anxio & profundo meditatatis animo dolis, atque in bonorum perniciem insidiis a Deo nihilominus perfringendis loquitur uates. Idcirco infertur,

{64.8-9} Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

En oblocutorum proditorum quomodo fere sint sine ictu tela. Egregios sane sicarios, quorum uulnera puerilibus comparantur uulneribus. Quis tam fortes non uereatur hostes? Heu proiectam graeolenti e sentina nauseam. Sic ego quidem perfidiosorum hominum turbas, conuentusque malignantium appellare solitus sum, faecem scilicet mundi ac nauseam. Sagittae, inquit, illorum, id est, uulnera ex insidiis in solidum immissa animum, haud dissimilia erunt plagis quae a pueris infligi solent, nempe debiles & absque cruore. Quid? ipsae eorum linguae & maledicae, tam dolosae, tam arrogantes, quas modo ut gladium exacuerunt acutum, en quomodo infirmatae, elinguesque, ut sic dicam, factae, in mutuas, aequissima Dei prouidentia, conuersae sunt dilacerationes & morsus, in se ipsae refractae relapsaeque prorsus euanuere. Et id secundum nostram dictum sit aeditionem, quae tamen alia est Hebraeis, quam diuus Hieronymus sic transtulit: Sagittabit eos dominus iaculo repentino, inferentur plagae eorum, & corruent in semetipsos linguis suis. Idem ferme Felix. Alius uero ex eodem fonte sic: Sciet illos Deus sagitta subito, subito erunt plagae eorum, & facient impingere seipsos linguis suis: ut hic sane solitam diuinae ultionis ratione & morem nos, qui maledicis linguis ob probitatem uitae obnoxii sumus, animaduertamus. Illi enim, quanto ualent nisu, letales in nos intorquere conantur sagittas, calumnias uidelicet diras & mortiferas: Deus uero sapientissimus rerum moderator, in illorum ignominiam ex improviso, cum nihil minus timeant, eadem ipsa maledicentiae spicula retorquere consuescit, atque adeo, ut meriti sunt, et saeue et acerbe, ut cernentibus horrore futuri sint et terrori. Quocirca a spiritu additur,

{64.9-10} Conturbati sunt omnes qui uidebant eos, & timuit omnis homo. Et annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt.

Contremiscent, inquit, stupebuntque quicumque eos tam male habitos, tamque rabiose mutuis inter sese ferocientes uulneribus aspexerint, dicentque, haec sane diuina fuit ultio, haec Dei operatio & iustitia. Quis haec hominum aut tentasset aliquando, aut tentata unquam perficere potuisset? fuit id quidem diuinae potentiae indicium & argumentum. Hunc porro sensum sic exprimit Paraphrastes: Admirabuntur quicumque uidebunt, & commemorabunt hoc opus Dei aliis, qui & alia eius opera, hoc exemplo docti, maiore prudentia expendent. Eam ob rem

{64.11} Laetabitur iustus in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

Visa itaque diuina in improbos seueritate, iustissimus quisque, qui antea acerbissime a uirulentis illorum linguis adeo suffocabat, ut uix, quemadmodum solent grauissimo aliquo onere oppressi, respirare poterat, exhilaratur, spiratque libere, atque in Domino hilarem in modum laetatur & exultat. Tu uatis copiam, uerborumque ubertatem admirari ne desinas: nam & iustus, & qui sperat in Deo, & qui puro uiuit corde, idem plane est, idemque significat, hominem scilicet tam exacte a Dei manu formatum, ut quaecumque obganniant delatores & maledici, robusto ferat animo, uiuatque in Deo: cui, quaecumque in se bona esse intuetur, gratissime ea refert accepta, in seculorum secula. Amen.

PSAL. LXV. Vincenti. Psalmus Dauid. Canticum.

{65.2} Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur uotum in Hierusalem.

Ut lubet, nonnulli hunc psalmum praedictionem quandam captiuitatis Babylonicae extitisse afferant, siue, ut aliis visum est, precationem ad Deum pro

{pdf 493, p. 238v}

pluuia, siccis frugibus, satisque exustis imploranda: nos Sion, sanctaque Hierusalem, quae est ecclesia, uaticinium fuisse certi sumus. Nam Sion mons una cum nobilissima illa ciuitate, fidei imaginem adumbrabat: alioqui cur illud de prophetarum interfetrice dic queat, quod scilicet pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur, non uideo. Haud mores quidem turpissimi Iudaeorum tam sanctum ecclesiae statum prae se ferre poterant, sed cultus & religio: quem admodum etiam nunc, si quid a fide alienum peragunt homines, ad futurae uita candorem perennitatemque spectare minime arbitrandum est, sed illud tantummodo quod rectum est, ac fidei consentaneum: cuius uis ea tota esse uidetur, ut abiecto mundo, spretisque carnis oblectamentis, ac ipsis quoque delicatis uitae commodis, toti in diuinum feramur amorem. Tunc quidem haud secus ad Sion, futuramque Hierusalem nostras pertinere animas, & speramus, & religiosissimis assequi posse coniecturis auguramur. Quocirca huiusmodi solida affecti persuasio. ne & gaudio, hanc plenissimam diuinae laudis odam una cum uate canere haudquaquam dubitamus: Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur uotum in Hierusalem. Tametsi enim dictio, Hierusalem, addita sit a Graecis, sensui tamen minime illam obesse iudico, qui talis est: Cum laudes illae omnes, & uota quae praeter fidem, tua ab ecclesia, sanctisque ritibus abhorrent, turpissima sint, & quae nihil ad te pertineant omnino: ita in Sion, in noua Hierusalem, in sanctorum communione &

conuentu quae fiunt, castissima sunt, integra, uera, & quae te mirifice oblectant. Hic rursum uides coniuncta cum diuinis laudibus, ut alias admonuimus, uota. Caeterum aptissimus locus, Sion nimirum, mons sublimis & mysticus, in cuius fastigio gratissimae numini laudes persoluuntur, cor hominis est, nempe humanus spiritus, & mens Deo per fidem eousque unita, ut nihil iam amplius cogitare ualeat, quod aut Deus non sit, aut ad Deum pertineat. Id dixisse uelim ob facilem, ne dicam turpem quorundam opinionem, qui se satis Deo fecisse opinantur, si illius celebratis de more in templo laudibus, cor diuinarum rerum capax foedissimis in occupationibus ac curis diuagari permittunt. Animus quippe sordidus, elatus, in satiantoue tum libidinum tum odiorum aestu intentus & dissipatus, quomodo purissimas Dei laudes, immenso absque terrore & metu celebrare audebit? Vide igitur o tu qui sanctorum ordinum candidatus, mundissimis te perpetuo deuouisti ritibus, ne pro laudibus blasphemias Deo impingas. Vide, inquam, an syncere illud quod a spiritu infertur, atque ex animo rogare queas:

{65.3} Exaudi, inquit, orationem meam, ad te omnis caro ueniet.

Illud plane non omittendum (quod nostra e re, quam modo diximus, ualde esse coniectamus) Hebraeis esse, tibi silet, quod noster uertit interpretes, Te decet. Unde diuus Hieronymus sic transtulit, Tibi silet laus Deus in Sion: id est, tuis in concinendis laudibus, tranquillo opus est corde, atque a rerum externarum incursione silenti & quieto. Porro quia Hebraei principium huius uersus, Exaudis, seu exaudies habent, nobilissimae mihi illius, qua templum consecrauit Salomon, orationis in mentem uenit, in qua illud inter caetera auditu iucundissimum legitur: Si quis, inquit, cognouerit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in coelo. En cuiusmodi generis illum esse oporteat, qui a Deo exaudiri suis in precationibus efflagitat. Et ut quidem ea omnia quae in deprecatione illa scribuntur, populum tantummodo tunc praesentem spectasse uiderentur, secretiori nihilominus mysterio Christum, Christianosque ritus, atque ardentem ecclesiae portendebant fidem. Quocirca additum est a uate, Ad te omnis caro ueniet: id est, ad te, tuamque religionem, in qua tuae uerae audiuntur laudationes, uenient, certatimque current omnes regionum omnium homines, quamlibet duri ac carni dediti. Quid tam unquam dilucide Christi regnum, qui solus aeternum propositus est uniuerso terrarum orbi propitiatorium, adumbravit? Quod sane mysterium regem licet ingratisimum non omnino latui qui in dedicatione sua illa solenni, nescio quid altus praesentiscens, sic de gentium

{pdf 494, p. 239}

conuersione uaticinatus est: Alienigena, inquit, qui non est de populo tuo Israel, cum uenerit de terra longinqua, propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum) cum uenerit ergo, & orauerit in hoc loco, tu exaudies in coelo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia, pro quibus inuocauerit te alienigena. immensam certe Dei in peccatores facilitatem. Facies, inquit, omnia, pro quibus inuocauerit te alienigena: hoc est, abs te ob scelera alienari, suaque sponte euulsi ad te confugient, modo te, ut par est, inuocent, syncere scilicet, caste, pureque, ac fide praediti. Propterea igitur quod tu omnium exaudis preces, ad te omnis generis homines quantumuis uagi confluent. Quid itaque in peccati sordibus tandiu o mortales immoramini, simul ut omnibus

quamlibet nefariis ac profligatis dicto citius promissa est salus? Verum forsitan quominus id statim fiat, obstare uidetur quod

{65.4} Verba iniquorum praeualuerunt super nos.

Sed superuacaneus omnino is est timor: nam tu Deus uel ab ipso primo generis humani exordio, cuilibet sua serio execranti crimina, patrociniū late benigneque attulisti, afferes etiam nunc inuocatus,

{65.4} Et iniquitatibus nostris tu propitiaberis. /

Ecce diuinum illud propitiatorium, de quo alio in psalmo sic canit uates: Quia apud te propitiatio est. Hunc dominum Iesum esse & credimus, & nisi omnino plumbei sumus, experimur. Sed ut quae hic dicere gestio, clarius innotescant, illud dicendum uidetur, literam quae Hebraeis est, clariorem sensum reddere. Sic Felix: Verba delictorum praeualuerunt super nos. Alius item Verba prauitatum, transtulit. Quid uero dictio, uerba, significet, alius rursum ex Hebraeo sic reddit: Ratio scelerum nostrorum superaret nos, nisi tu Domine ueniam dares. Idcirco Paraphrastes, Grauiſſimae, ait, iniquitates nostrae superauerunt uires cuiusque nostrum, quare pro peccatis nostris ut ipse tu satisfacias necesse est. In alio quoque psalmo huiusmodi loquutionis genere usus est uates, cum ait: Longe a salute mea uerba delictorum meorum. Quae quidem uerba qualem sensum habeant, illic copiose est dictum. Illud enim uero non ignorandum, nostra adeo iam pridem in immensum creuisse peccata, crescereque quotidie, ut nisi Deus nostram ad subleuandam miseriam summe misericors, tum olim & hostia & sacerdos gratuito effectus pro impiis occubisset, tum impraesentiarum noua continue subueniret clementia, de semine prorsus humano actum esse quis dubitaret? Quod enim perditissimi animantium omnium extitissimus, id fuisset in causa, quod uerba delictorum nostrorum praeualuerunt super nos. Quod autem ab infinitis emundati sumus maculis, emundamurque indies, ab illo indubie prouenit, quod iniquitatibus nostris summus propitiatus est Pontifex, nempe Christus filius Dei uiuentis, qui non secundum legem mandati carnalis, ut inquit Paulus, factus est, sed secundum uirtutem uitae insolubilis, & qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes prius, pro suis delictis sacrificium offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel se offerendo. Vide igitur uirtutem mortis Christi, e qua nostrae omnis ratio beatitudinis ortum habuit, quam tantum sane abest ut nostro nancisci posse studio & labore tantummodo somniamus, ut etiam ea persuasionem illam amittamus. Id merum Dei donum est, quare

{65.5} Beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.

Ecce qua seruantur ratione, quicumque salutem adipiscuntur, nempe diuina ex electione, hoc est, ab impietate atque erroribus, gratuita Dei assumptione, qui nulla nostra prouocatus uirtute, sua nobis impartitur munera, quemadmodum improborum irritatus duritiae, atque in peccatis perseuerantia, suos illis subtrahit gratiarum radios. His itaque extra domini uineam ultro pigritantes, primi illi, utpote ante mundi constitutionem secreti ad hoc, ut sancti essent & immaculati [sic, immaculati], ut inquit Paulus, [Ephes. 1.4] in conspectu eius, in charitate, inhabitabunt in atriis Ecclesiae, in eiusque

conquiescent sinu felices, spem interim uiuam futurae beatitudinis in Deo fouentes, laetitiaque gestientes inenarrabili, ob suam per Christum uocationem,

{pdf 495, p. 239v}

qua ad fidem, summam nimirum aeternae adipiscendae uitae, asciti sunt. E nos itidem, qui in Christo sorte uocati sumus, ut inquit idem, una cum ipsis

{65.5} Replebimur in bonis domus tuae, sanctum est templum tuum mirabile in aequitate.

Puto hic bona domus Dei, quae est eius Ecclesia, non illa quidem esse quae a uulgo censentur, lautae scilicet beneficiorum mensae, agrorum uastitas, aut iumentorum numerorumque [sic, nummorumque] copia, sed ea potius quae Paulus Galatis scribens memorat, quae & fructus spiritus nuncupantur, charitas scilicet, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas: quae sane omnia copiosissime a diuo Benedicto in recensendis bonorum operum instrumentis pertractantur. In huiusmodi certe bonis opipare pellucibiliterque oblectari solent animae, quibus illa alia nauseae sunt bona & neglectui, quae uulgi hominum admirari consuescit & appetere. Infelicissima quippe omnium esset Ecclesiae mansio, si in his solum quae cum mundo communia sunt, fundata esset bonis, caducis scilicet, & quae a coelesti uitae ingressu arcent animas. Sane quidem sanctum est templum tuum, o Deus, firmum, aeternum, immutabile, idcirco mirabile in aequitate, in iustitia, ac qua maxime in tuis oblectaris, dilectione. Haec sunt igitur uera bona Ecclesiae, caetera uero horum sunt adminicula & asseclae: hoc est, eatenus bona sunt, quatenus Christi pauperum inopiae, compluriumque uirtuti subsidium comparant. Alioquin iniusto quae possidentur dominio (res enim Christianorum, pauperum sunt in primis) quis bonus bona dicat? Verum ut lubet, illi suo in saginario commarcescant, tu pietissime

{65.6} Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terrae, & in mari longe.

Pene in peruestigandis Ecclesiae bonis immerso mihi exciderat, aliam esse Hebraeis literam, alioque legi ordine in superioribus: siquidem uersus unus illis totus integer est usque ad, Mirabile in aequitate, ad hunc modum: Beatus quem eligeris, & tibi sociaueris, ut habitet in atriis tuis, ut saturetur bonis domus tuae, sancti templi tui. Postea uero alterum ita ordiuntur: Mirabile in aequitate, seu ut uertit Felix, Terribiliter cum iustitia respondebis nobis Deus salutis nostrae, spes omnium extremorum terrae & maris longinqui. Quare Paraphrastes disertissime, ut suus est mos, hos duos sic connectit uersus: Felix omnibus modis ille quem elegeris, & tibi propinquum feceris: Habitabit enim ille in atriis tuis, & nos una perfruemur elegantia domus Dei, & sanctimonia regii palatii eius. Dictu mirabile, cum simus peccatores, tanquam iustus exaudies nos Deus, autor salutis nostrae, qui spes omnium finium es terrae, & maris extremas incolentium. Vtriusque literae, nempe nostrae & Hebraicae, satis copiose a Paraphraste sensum percipere licuit. Magnus itaque Deus est noster, simulatque in eum quicquid intra orbis limites hominum continetur, aut ultra quoque ad extrema usque Oceani fluenta longe

lateque protenditur, sperare necesse est. Tu igitur te es, mi Deus, in quo solo spem nostram collocari oportet, mouens omnia, permeans, fouens, disponens, & ut ad particularia nonnulla tuae maximae signa potentiae descendam,

{65.7} Praeparans montes in virtute tua, accinctus potentia.

Stabiliens montes, uertit Symmachus: idem & Felix, atque adeo plerique ex Hebraeo. Tantam quippe molem montium e planitie usque ad nubes ascendere, nec quauis uentorum uni aut turbine dimoueri, summae potentiae Dei indicium est, qua veluti zona prae cinctus, omnem undique rerum omnium penes se retinet potestate, a ipsoque quicquid in terris regnorum est, dependet, gerendarumque rerum uim sumit ac legem. quocirca nonnulli, instruis montes transtulerunt. Nam cum Ecclesias suos mysticos habeat montes, nempe uiros in fide solidos, idcirco & dignos qui caeteris, uti colles agris, aut campis montes, praeponi debeant, hos admonet spiritus suam illa in administrandis Ecclesiae rebus & sacramentis auctoritatem a benignissimo Deo, qui accinctus est potentia, hoc est, qui undequaque potentissimus est, expectandam esse. Unde sic reddit Paraphrastes: Deus est qui sua propria potentia stabiles facit montes, qui omni ex parte cinctus est robore, & modis omnibus

{pdf 496, p. 240}

omnipotens. Quid propterea de illis censendum sit, qui neque docti, neque a Deo instructi, neque coelitus uocati & missi, sed turpi ambitu uenundati, audent sese in administratione rerum sacrarum ingerere (cum res sacras dico, animas potissimum intelligo) ac ut sic loquar, prostituere, alias diximus. Id uero in praesentia tantummodo de his uaticinari liceat, quod de suo quondam uaticinatus est proditore Christus: Melius, inquit, esset, si natus non fuisset homo ille. Nam certe cum quis Deo autore non intrat per ostium in ouile ouium, sed aliunde, nonne fur est? nonne latro? nonne lupus? nonne gregis dominici proditor? Hinc, opinor, tumultus illi fluctuum maris ac populorum, qui non absque ratione a uate hic memorantur, cum sic Deum alloquitur, ortum habent.

{65.8} Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius, turbabuntur gentes.

Hactenus unus Hebraeis uersus est, qui sic redditur, alio tamen sensu, sed ueriori, ut mea opinio fert. Sic Felix: Compescens fremitum marium, murmur undarum, & multitudinem populorum. Alius item ex Hebraeo dilucidius, ut ad ea quae dicta sunt, quae sequuntur conuenire clare uideas. Sedas, inquit, fastum marium, fastum procellarum eius, & fremitum populorum. Vides ne, te amabo, turgidum illorum animum, qui a Christo fures, id est, non legitime intrantes, appellantur, tanquam maris aestum intumescere? Perpendisne ex his quae metaphorice a uate hic dicuntur & obscure, illorum sonitum, atque in moderandis animabus strepitum & tumultum? e quo maximus hominum fremitus, utpote ab indomitis circumactorum belluis, tanquam ruptae aquae, quae e confragoso cliuo, saxoque praerupto delabi solent, auditur. Verum illud sic male suis a rectoribus habitis solatio esse debet & consolationi, quod dominus is solus est, qui mari imperat ac uento: id tantum a nobis expetit, ut se dormientem excitemus. O potentiam ineffabilem. Exurgens, inquit Marcus, comminatus est uento, &

dixit mari, Tace, obtumesce [sic, obmutesce]: & cessauit uentus, & facta est tranquillitas magna. En uides quomodo maris aestum sedat omnipotens. Vides, inquam, quamobrem a nobis & lachrymis & suspiriis experrectus, uastum undarum fremitum, atque ne diutius in amoenas Ecclesiae ripas debacchentur, dicto citius illarum fraenat impetum. Ob ea itaque a te, o Deus, tam mirifice sapienterque in tuorum gratiam acta, te uenerabuntur,

{65.9} Et timebunt qui habitant terminos a signis tuis, exitus matutini, & uespere delectabis.

Hic ampla Ecclesiae describitur iurisdictio, quam sic Deus in Esaia alloquitur, dicens: Ab oriente adducam semen tuum, & ab occidente congregabo te. Quare id quoque suauius prauidens magister, ita olim concionabatur: Venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraam, Isaac, & Iacob, nempe cum fidei cultoribus, in regno coelorum: filii autem regni (mira res) eiicientur foras. Sensus igitur, quicumque extremas terrarum oras incolunt, tua ob signa & portenta, mirifica illa quidem & stupenda, mouebuntur, tuamque ad religionem pauidi ac uenerabundi accedent. Eam ob rem, exitus matutini, hoc est, orientales plagas, & uespere, occiduas scilicet, delectabis: id est, ut Hebraica habet litera, cantare facies, prae gaudio nimirum inuentae lucis fidei. Quod porro sint qui signa in hoc loco interpretentur coelestia, nescio sane an huc apte quadrare possit. Nam (nisi prorsus hebes sum aut falsus) de signis ac miraculis Dei uerbo, per Christum atque illius discipulos aeditis, loquitur uates, quorum magnitudine, atque insolito mundo usu permoti complures, diuino actutum sese dedere cultui, ut fuse admodum in scripturis uidere licet. Unde aspera commollienda esse corda, ac glebas ueluti aridas & duras, ut signorum occanda irrigandaque Dei uerbi imbre prauidens uates, suisque solitis usus metaphoris, subiunxit:

{65.10} Visitasti terram & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam: flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum, quoniam ita est praeparatio eius.

Unus is est Hebraeis versus, alio tamen uerborum ordine. Sic illi: Visitas tellurem cum siticulosa est, ditas eam ampliter: riuus Dei plenus aquis fluit, facit feliciter prouenire triticum eius, quandoquidem sic instruis illam. Si ad feracem haec

{pdf 497, p. 240v}

terram, campumque irriguis opimum aquis referre lubet, quid his suauius? quid diuinam tam ubertim attestans prouidentiam ac uirtutem, audiri potest? Caeterum, Ita est praeparatio eius, seu, ut uertit Hebraeus interpres, sic illam instruis, ingeni tam uim terrae a Deo indicat, qua continuis grauida foetibus, inditum sibi a natura ordinem & fouet, & mirabili rerum serie enutrit, seruatque perpetuo. Porro, Cibum illorum, animantium omnium intellige. quare sic reddit Campensis: Curabis ut copiose proueniat e terra pabulum illis, quae degunt in ea. Multum adeo semper agris profuit sedula agricolatio, curaque, ac peruigil in deligendis temporibus agricolae prouidentia, quod scilicet cuilibet uel restibili uel nouali, uel ueructo conueniat semen, quoue tempore repastinationes fieri debeant, insitionesque, aut inoculationes, uel quo instrumento

etiam frondari possint arbores, surculari, decacuminarique, & ut commodius solis radiis pateant rami, qua concinnitudine fieri queat interlucatio. Quid cum ad pubescentes herbas ex udo fontis alueo euocantur aquarum ductus & deriuationes? Haec, inquam, omnia ut maxime hominum iuuantur opera atque industria, ita horum omnium autor est Deus effector. Ideo non ab re clamat uates, Visitasti terram, & inebriasti eam, scatebris nimirum gratiarum ac donorum: quae ut sane ampla in hac possint camporum cultura animaduerti, ita amplissima planeque immensa in pulcherrima Ecclesiae foecunditate apparent: quam quidem siti aestuque interire necesse est, nisi assiduas in illam deriuas uiuae aquae scaturigines: nam tota illius foecunditas a te pendet, uiuitque in te, ac per te alitur, crescitque, ac in te demum consummatur. Ideo, ne nimio periclitetur aeris ardore,

{65.11} Riuos eius inebria, multiplica genimina eius, in stillicidiis eius laetabitur germinans. /{65.11} Drench its streams, multiply its fruits, sprouting forth it will rejoice in its showers./

Perstat enim uates in rei agrariae similitudine. Oro, unde tanta diuitiarum dimanauit copia? unde Ecclesiae ubertas? Dei sane alueo ac flumine, quod repletum est aquis. Physon forsan, id est, quod circuit omnem terram Euilath, ubi optimum nascitur aurum. Ut uis illud appelles, is Christus est, e cuius latere, quemadmodum ex Adae Eua, formata est Ecclesia. Idcirco si sitit animus, si arescit mens, si ex inedia emoritur amor, perlanguescit spiritus, & collabatur intellectus, uiuidum Christi uulnere humorem hauriant: nam flumen Dei repletum est aquis. E Christi certe latere nostra omnis deriuata est salus, deriuatique sunt gratiarum riui: in cuius stillicidiis Ecclesia laetatur germinans, erumpitque in gemmas illas, quae eam tandem producent uuarum copiam, quae nulli aptae sint torculari, nisi illi quod solus calcare potuit Christus. Caeterum Hebraeorum litera metaphorae iam coeptae magis inseruire uidetur: nam Felix sic uertit: Sulcos eius inebria, seu humecta, aequa cumulos eius: hoc est, ut reddit Paraphrastes, glebas eius occa, imbribus lubricam eam redde, germiui eius benedices. Tu tamen, mi lector, perspecta uerborum huiusmodi proprietate, ad spiritualem haec omnia foecunditatem transferre assuesce. Quantum ad me attinet, scio arentem mei parui agelli campum, legis uomere, peccatique cognitione, arandum esse, atque contumaces illius glebas carnis mortificatione & interitu perfringendas: quo si postea spargendum est semen, illud e copiosissimo Dei seminario extrahendum est, spargendumque benignissima illius manu, ac deinde spiritus imbre irrigandum, subigendum, confouendumque, & ne germen mea syluescat culpa, intereatque immunditiae lappis obrutum & spinis, fidei rastro ac sarculo commolliendum atque expurgandum. Haec tamen unus atque idem operatur spiritus Christi sua in Ecclesia, cuius hic fertilitas ab eodem ipso spiritu mirabili depingitur artificio, cognito nimirum duntaxat illis, qui carnem suam crucifixerunt, ut inquit Paulus, cum uitiiis & concupiscentiis. Ad mollem quippe animam, effoeminatam, atque in mundi crassamento ambitiose lasciuientem, diuinarum rerum gustum & cognitionem ingredi non credo. Proinde sic suo in uolutabro relictis suis, ad te, o qui solus nostram hanc animae ariditatem ac sitim pluuiam tui sanctissimi spiritus temperas, irriguoque superiori & inferiori madefacis, atque uberrime foecundas & recreas, reuerto. Nam tu quidem solus, adaucta prius tua in Ecclesia fruge, adaucto spiritu, adaucto gratiarum cumulo, tandem

{pdf 498, p. 241}

{65.12} Benedices coronae anni benignitati tuae, & campi tui replebuntur ubertate.

Clarius Hebraei: Coronas, inquit, annum bonitate tua. effusam enim undequaque Dei gratiam in Ecclesia uult hic uates intelligi, & est sensus: Annum totum integrum rerum omnium prouentu, & eo quidem copioso, cingis atque ornas. Vnde Paraphrastes, Tanquam corona exornasti annum pro benignitate tua. Cupis ne, o amice, quid sibi uelit is annus ferax, cuiusque formae sit & abundantiae, non nescire? Audi Christum in Esaia sic declamantem: Ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, ut praedicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, ut praedicarem annum placabilem. O felicissimum certe annum: ut consolarer, inquit, omnes lugentes, & darem eis coronam pro cinere. Vides ne fertilissimi anni huius copiam & felicitatem? Quid si a nonnullis (sileam ne, an eloquar?) quid si, inquam, a nonnullis, interuerso rerum ordine, imo ui iniecta spiritui, non tantum uerbo & doctrina, quantum re ipsa quoque, praedicatur annum hunc uitae esse implacabilem & dirum, hoc est, id temporis prorsus esse uindictae, in quo contriti magis conterendi sint, captiui interimendi, & hi qui in luctu sunt, moerore alio consumendi? Cinerem, inquit, illis pro corona inspergamus. Heu filia Sion, quo tua progressa est fatuitas? Vlulate pastores, & flete super ariditatem gregis uestri. Certe non uideo, quomodo quae de illo dicuntur, cuius, ob potestatem, atque in administrandis ciuium rebus auctoritatem, uices te gerere iactitas, uita uero discrepas, de te dici ualeant, Et campi tui (hi tui sunt subditi) replebuntur ubertate: seu, ut legit Hebraeus, Et uestigia tua stillabunt pinguedinem. Verum quia id de te dicere nequimus, de benignissimo Dei spiritu dicere non uerebimur, qui ubicunque suauissima sui fauoris impresserit uestigia, ibi foecunditas statim, ac felicissima gratiarum erumpet ubertas: ibi rosae, ibi uiolae suum emittent odorem: ibi arua, ibi campi, ibi colles, uarii scilicet ecclesiae ordines diuina redundabunt munificentia. Sed quid in singulis immoror? ipsa quoque

**{65.13} Pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur.
{65.14} Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento, clamabunt, et enim hymnum dicent.**

Quanta nostrae est felicitas Ecclesiae, quanta foecunditas, quanta ubertas? cuius quidem mirabili similitudinum elegantia, in hoc psalmo delineatam esse dignitatem cernimus, modo cernere detur. Iam conspicimus illam, tanquam subactam uomere terram, a Deo amatam, irriguisque aquarum uiuentium fontibus repletam, idcirco mire auctam & fructiferam, Redolent quidem iam campi uario conuestiti florum decore, rident colles, egermant mala punica, saltusque innumeris onerati baccis incuruescunt, uernant omnia, ac tandem e uineis florentibus gratissima afflatur suaueolentia. Quid multa? ipsae quoque incultae solitudines, inhospitaque deserta & arenosa, iam culta fiunt, iam pinguescunt, iam fructus emittunt suauissimos. Neque porro ab exundanti hac passimque erumpenti gratiarum ubertate ipsa exclusa sunt pecora & oves, quae in herbis lateque porrectis uarii graminis ac florum pratis colludentes, densiori uestiuntur uellere, uallesque ui ingenti frumentaria redundantes, una cum omnibus

diuinae largitatis haudquaquam expertibus terrae partibus, Deo summo & maximo rerum effectori, quicquid felicitatis in se habent, referunt acceptum, applaudunt, gratulant, illique in hymnis & canticis immortales agunt gratias. Iam illud postremo dicendum uidetur, ultimum psalmi uersum clariorem prae se ferre sensum Hebraeis, quibus nulla est omnino de ariete mentio: sed ita hi habent, Vestient planities pecora, & ualles operientur frumento, iubilabunt, atque canent. Quanquam, arietes, dictione quaquam suo uacat mysterio. Nam in scripturis arietes pro principibus magistratibusque & doctoribus sumi solent, qui populorum duces sunt, quemadmodum illi ouium: induuntur igitur, nempe exultatione ac laetitia spiritus (modo ueri arietes sint) hoc est, mirandum in modum exhilarantur, & si suos uiderint subditos in opimis Dei pascuis ali & saginari, triumphant. O iucundissimam amoenitatem, sed paucissimis notam, etiam his, qui cum arietes esse deberent in grege domini, uerueces sunt pi-
[pigri]

{pdf 499, p. 241v}

-gri, ac rei nullius commodo utiles, praeterquam macello ac lanienae. At tandem, quo breuiter strictimque quae diffuse sunt dicta & uarie, colligamus, haec omnia in uno transiguntur corde. Nam nihil aliud Dei ecclesiam esse intelligo, quam cor unum atque animam unam cum Deo: quae sane unio id unum efficit, ut cum Deo unum prorsus, quotquot credimus, per Christum simus, qui huiusce unionis nodus est & caput, nos membra. Cui laus sit in Sion, ac gloria in Hierusalem, in secula seculorum. Amen.

PSAL. LXVI. Vincenti. Canticum psalmi.

{66.1} Iubilare Deo omnis terra.

Mos is est solennis illorum quibus nihil in terris, addo & in coelis, placere potest, quod Dei honorem ac laudem non referat: quod si quid in mundo hoc tetro & caliginoso fieri cernunt, quod aequitatem non sapiat, quodque Dei nomen ac religionem uel parum quidem deprimere uideatur, anguntur subito, moerent, cum Deique: ecclesia, nempe proborum hominum coetu & conuentu, tum indignas non cessant expostulare iniurias: sic contra in optima Donarum actionum messe, in populorum fide, atque in his quae ad diuinum spectant cultum, diligenti & feruore mirum in modum delectantur. Sed quid si praeter istiusmodi uniuersalem uiuendi ubique rationem, e qua mirabili afficitur quis gaudio, particulari se sentit coelitus ornari beneficio? quanto, Deus immortalis, perfunditur iubilo? quanto gestit tripudio? quanta afficitur animi consolatione? Ex quo quidem fit, ut sua haudquaquam contentus sit felicitate, nisi & eiusdem illud professionis caeteri resciscant uiri, quo omnes, nedum ipse, in orbe degentes uniuerso, ad id Deo referre acceptum, laudibus & his quidem immensis prouocentur. Vide quid agat charitas, quid fides, quid diuini honoris studium in anima. Atqui si quis unquam in terris extitit, qui huiuscemodi ardenti affectus esset instituto, is Dauid fuit, qui tum alias aliis in psalmis perpetuo proposito & consilio, tum potissimum in hoc quem modo exponere meditamur, quam flagrans diuinum exaltandi honorem in se habuerit, prae se tulit. Quorsum uero, aut qua de causa praesentem composuerit psalmum, se ignorare fatentur interpretes, illud interim confitentes, insignem aliquam atque insperatam populi uictoriam, tam iucundum praestitisse uati occasionem componendi canticum.

Magna profecto ea fuit uis gaudii, qua terram circumfusam omnem ad laudandum Deum inuitari cernimus.

{66.2} Psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius.

Alia haec est imago ecclesiae praeter illam, quae in superiori expressa est psalmo. Praeuidit enim excellentissimus uates, quod tam nobilis architectus, ut est Christus, quo amplissimam suae religionis aedificaret aedem, ex arctis aliquando Iudaeae terminis egressurus esset. Vix enim pauci inueniebantur ante Christum, qui ad sacra templi atque arcae mysteria accerserentur, & hi ex Iudaeis duntaxat: modo uero apparente diuinitatis radio, discissoque templi uelo, omnes ullo absque delectu, quicumque: in uniuerso passim degunt orbe, ad coelestia capessenda bona, non solum ad celebrandos externos ritus, ut illi erant Iudaeorum, ad mittuntur. Nemo quidem ab amantissimis humani seminis Christi brachiis atque amplexibus excluditur: sit aliquis quantumuis periurus, sit scortator, sit heluo, sit sexcentis interspersus uitiorum notis & maculis, totidemque obstrictus sit scelerum nodis & catenis, non solum a Christo, modo uelit, suscipitur, uerumetiam mouetur, inuitatur trahitur, donisque allicitur, ac tantum non cogitur. Quis hic igitur non gaudeat quis immenso non gestiat iubilo? Iubilare itaque omnis terra, hoc est, quicumque terram hanc, alioqui moeroribus obnoxiam, colitis, gaudete psalmum, dicite nomini eius: illi enim uestras dedicate odas, uestra cantica, uestras Musas. Quid, o stolidi, ingenia illa diuina, nempe ad peruestiganda simulque laudibus efferenda quae Dei sunt, nata, in encomiis, nescio quibus, laudum meretriculae, aut ingrati praecipis consumitis? Date, date gloriam laudi eius: nam Dei laus sola digna est gloria quae uestris celebrari debeat ingeniis o mortales. Hebraei legunt, Ponite glo-
[gloriam]

{pdf 500, p. 242}

-riam laudis eius: cuius is sensus esse potest, Existimate eius laudem, uestram esse gloriam. Verum si me interrogas, nihil aliud hic sibi uelle opinor uatem in tam ardenti uerborum congerie ac poemate, quam quod divina quantis potest laudabis et tripudio, celebrari debeat maiestas et virtus. Idcirco additur,

{66.3} Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua Domine. In multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.

Causam enim indicat uates, quamobrem extollendum sit laudibus Dei nomen, propter opera nimirum illius stupenda. Ait igitur, dicite Deo. Loquela istiusmodi ac stupor, quo anima ex assidua diuinorum operum consideratione solet affici, intus in spiritu est, quem purgatissimum esse oportet, alioqui nec admiranda, nec terribilia ea quae facta sunt a Deo, fiuntque Indies, illi uidentur: necesse est enim ut excellentia ea praedita sit, ut testimonium spiritus Dei, non spiritus huius mundi habeat in se. Tunc sane quiduis suis audet hauritque & gustat in contemplationibus absque errore, affabreque eruditur, atque in ea quae secretissimis assequitur coniecturis, penitus transformatur: tunc canit Deo, tunc illi dicit, mi Domine, quam terribilia omnia illa sunt, quam stuporis plena, quae tum primum in antiqua rerum molitione operatus es, in earumque conseruatione atque incremento continenter operaris, ea semper nouo alens nutrimento, complectens,

fouens, percurrens, prudentissimeque, e in nihilum redeant, temperans & instituens. Verum illud mirationem omnem superat, quod tu homo factus (quis hic rei magnitudine non obruitur?) bona omnia illa quae neque oculus unquam uidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, tecum ueniens e coelis attulisti, tuamque in Ecclesiam adeo copiose effudisti, ut ex terrena plane iam facta sit coelestis & deiformis. quare huius mundi sapientes etiam tanta haec iam demum uersantes animo atque intellectu, rerumque excellentia deterriti, te potentissimum sapientissimumque esse fatebuntur, quem antea mentientes, penitus imbecillem arbitrati fuerant. Solent, inquit Augustinus, mentiri inimici, ut potentiam cuiusquam imminuant. Quocirca Seruator in Iudaeos semel iusteque excandescens, ut erant meriti, sic de illis loquutus est: Vos ex patre diabolo estis, qui mendax est, & mendacii pater. Caeterum hunc hemistichium nonnulli de hostium subiunctione interpretantur eo ferme sensu, prout in psalmo decimo octauo abunde expositum est a nobis illud enarrantibus, Filii alieni mentiti sunt mihi. Utcunque ergo tibi, o potentissime, tua in religione uel hypocritae, uel in mundi rebus sese oblectantes, turpissime & uita & doctrina mentiantur, nihilo tamen minus

{66.4} Omnis terra adoret te, & psallet tibi, psalmum dicat nomini tuo.

Adorabit te, & psallet tibi, ex Hebraeis plerique reddunt: & est eorum, quae in superioribus uaticinatus est, assertio. dixerat enim, Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: nunc uero, Omnis terra adorabit te, & psallet tibi. tunc enim, Date gloriam laudi eius: modo autem, Psalmum dicet nomini tuo: ut idem omnino & id & illud prae se ferre uideatur. Eam quoque ob rem, utpote ex inflammato proficiscentem spiritu, atque in laudandi Dei studio prorsus occupatam, a uate hic interponitur Selah Itaque o uos quibus Dei curae est honor & religio, uos mites, uos mundi contemptores,

{66.5} Venite & uidete opera Dei terribilis in consiliis super filios hominum.

Ab hac quidem tam alta diuinarum operationum inquisitione abigi debent & sues & canes, hoc est, in uoluptatum coeno perseuerantes, elati, immundi, tumidi, ambitiosi, liuidi, qui tanquam canes purissimae cuique actioni oblatrant. Verum uos, o quorum conuersatio in coelis est, uenite, accedite, & quam immensa, quam ue terroris plena sint Dei opera, considerate, simul & admiramini. Nam in consiliis terribilis ualde est, & tam sane potens, ut quem nequeat quamlibet excelsus in terris homo uel tantillum quidem aequare. Super uirtutem omnem humanam euectus est altissimus, attamen in tam tenui re & abiecta, ut homo est, admirandis suis illis semper usus est consiliis, & (sic uertit Symmachus) machinationibus nempe decre-
[decretis]

{pdf 501, p. 242v}

-tis illis aeternis, quibus mira prouidentiae ratione, in mortalium usus est instauratione & salute. Super filios Adam, uertunt nonnulli ex hebraeo, quo quid de tam gratuita Dei bonitate sperare deberet quibus hominum, non Iudaeus tantum, innueret: uolunt enim genus hominum uniuersum hic comprehendere. Proinde uolens uates diuina beneficia Iudaeorum populo, tanquam futurarum rerum umbra ac typo, exhibita recensere, duo

illa praecipua, maris uidelicet Rubri, & Iordanis diuina intersecti uirtute ac potentia, in medium adducit dicens:

{66.6} Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede, ibi laetabimur in ipso.

Historia haec aquarum suo ab alueo separatarum notissima est: notum est & mysterium, detectumque ab Apostolo, qui Corinthiis scribens asserit patres omnes mare transiisse, in Moseque baptizatos in nube & mari, hoc est, in aqua & spiritu. Vides ne terribiles admirandasque Dei operationes? Sentis ne ex Arabico illo sinu diuiso mirifica ecclesiae praeludia, atque aquarum uelo obnubilata exordia? Vis ne praeterea terrorem illum, qui in diuinis inest operationibus, cognoscere? Dixerunt, inquit, Aegyptii, Fugiamus Israel: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. O si animis usque adeo purgatis essemus, quo stupendam dexterarum Dei uirtutem in nobis agnoscere ualeremus. Obsecro, maiorine stupore dignum atque admiratione tum fuit, quando apertis aquarum undis, sicco traiecit mare itinere Iudaeus, an modo cum Christianus uirtute coelesti, a periculosissimis mundi fluctibus extrahitur? Illud porro indicio esse potest, utrum horum excellentius actum sit cum illi traiecto paruo illo sinu atque amne, uix pauci non absque sudore terram introiere promissionis, nos uero omnes ad eius ecclesiam ac religionem, uastissimo superato mundi pelago, & id facillime, per Christum asciti sumus. Quare ibi laetabimur, non sane quidem in opimis terrae illius frugibus, aut immensae magnitudinis uuarum racemis: sed in ipso, id est, in quo ipse in terris laetatus est, nempe in aerumnis, in afflictionibus, in pressuris, in cruce tandem, atque in altissimis inter haec animi contemplationibus. Talis quidem Christiani uita esset debet, in qua nimirum cum Christo nostra omnis esse debet oblectatio, gaudium, & finis tandem. Caetera uero, quae laetitiam nescio quam nobis polliceri uidentur, caduca omni non sunt, parumque Christiano uiro digna. In ipso igitur solo laetandum est,

{66.7} Qui dominatur in uirtute sua in aeternum, oculi eius super gentes respiciunt: qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

Ipse, inquit, in se existens, quippe qui uita est omnium, uel quae in coelis, uel quae in terris spirant, a se, propriaque uirtute, non ab alio, ut mortales solent reges, dominium habet rerum uniuersale & sempiternum: quapropter quaecumque agunt mortales, intuetur, diligentissimeque considerat. & certe qui eum peccando exasperant, atque irritant, non diu praestabunt caeteris. In semetipsis, illud signat, quod irritantes Deum, seu, ut uertunt ex hebraeo, desertores Dei, qui a semetipsis, a proprio scilicet tumore & ambitione, quasi dii sint, exaltari & quaerunt & nituntur, sua (quamuis diuersum sibi persuadeant) frustrabuntur conatu. Impossibile id plane uulgo uidetur, elatos istos e terra genitos posse aliquando a tam anxie quaesitis honorum sedibus deiici: ideo non absque ratione a spiritu additum est diapsalma. Impossibile id, inquam, semper uulgo uisum est, licet secus fieri quotidie uideat. Quod si tamen, quae est occultissima diuinae prouidentiae ratio, peruersos quosdam ac temerarios diutius bonis imperare cernimus, deiecti nihilominus iam hi sunt a Deo, hoc est, destituti & derelicti: quorum iudicium iam olim, ut inquit Petrus, non cessat, & perditio non dormitat. Ad haec, quis bonus putres huiusmodi non horreat fungos, aut illorum non detestetur dominium? Et Deo igitur, & praeclaris horri sunt ingeniis, ac tanquam Dei hostes despectui. Quis hoc

modo regnare uolet? uolunt tamen nonnulli, licet inepti, stulti, &, ut uerbis utar comicis, caudices, stipites, asini, plumbei, qui suis tantummodo contenti gradibus, quicquid sentiant probi, aut querantur, in semetipsis tam de se, suaque inepta gubernandi ratione, turpissime delectantur: modo enim regnent, nihil

{pdf 502, p. 243}

non tolerant. Caeterum quod noster uertit interpres, in aeternum, ab aliquibus uersum est, seculo, quod exponunt, toti orbi. Cum itaque eo se habeant modo ea quae dixi,

{66.8} Benedicite gentes Deum uostrum, & auditam facite uocem laudi eius.

Non uacat enim suo lepore & suauitate dictio, Nostrum: & est ac si dicat: Deum illum, non nostra iam ob scelera a nobis auersum, ut olim, non implacabilem, non terrifico circumfusum numine aut maiestate, sed placidum, sed placatum, sed nostras miseratum afflictiones, sed nostrum tandem totum effectum. O igitur populi, o gentes, laudibus huic nostro canite Deo, cultumque illi uerum, nempe in spiritu & ueritate, late adeo persoluite, ut quicumque uasto hoc in seculo degunt, illius per uos audiant laudationes. Mirum si in his quae hic dicuntur, immensum illud Dei patris beneuolentiae signum erga homines, quo suum in terras misit unigenitum, cognouisse Vatem dubites. Vix enim antequam Christus sese nostrae attemperans imbecillitati, ad subleuandam huc hominum descendisset miseriam, noster esse iudicabatur Deus, sed Iudaeorum tantum: uerum exorto postea iustitiae sole illo, cuius fulgentissimi radii uel usque ad inferorum noctem & caliginem (dictu mirabile) penetrarunt, noster omnino factus est. Hic, hic inquam ille est,

{66.9} Qui posuit animam meam ad uitam, et non dedit in commotionem pedes meos.

Animam nostram, & pedes nostros, habent Hebraei: unde Paraphrastes: Qui conseruauit nos in uita, nec permisit uacillare pedes nostros. hisce enim circumlocutionibus innuere uult Vates, amissam aut saltem periclitantem nobis per Dei clementiam restitutam esse animae uitam, quae Deus est. Nam nihil aliud in nos moliri daemones, atque illorum mancipia uidentur, quam ut nobis Deum auferant: quo sane ablato, non secus moritur anima, ac solet corpus destitutum a spiritu. Et quia mors illa, qua Deo interit anima per peccatum, fere ab internis motibus atque appetentiis principium auspicari consueuit, ideo a Vate est additum: Non dedit in commotionem pedes meos, nempe desideria atque affectus, quibus anima quasi pedibus fulata, quolibet diuagatur. non mediocre id quidem donum est Dei, pueros uidelicet in anima seruari affectus, alioqui propter naturae corruptionem spiritui rebelles, & ad contrectanda mollia ac lasciua, interdumque crudelia, eo maxime tempore, quo acerrime ab improborum iniuriis lacessitur, mirabiliter proclues. Voluisti, inquit, nos ab aduersa exagitari fortuna, non propterea quidem ut nos funditus deleres, sed

{66.10} Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Is finis calamitatum praeclaris est animis, eoque tandem a Deo in inferendis suis amicis plagis consilia diriguntur, ut cuius temperamenti sint experiatur, lateque omnibus innotescant: quemadmodum ea est intentio aurificis in depurando auro aut argento, ut id purius reddatur, non ut in igne pereat. Nam cum igne nihil fere uoracius inueniatur, illo tamen naturaliter eum more praeditum esse nouimus, ut quaeuis alia consumens, argentum atque aurum non solum non absumat, uerumetiam splendidius efficiat & defaecatius. Unde optimus ille aurifex sub timidos in fide roborans clamabat: Modicum nunc sic oportet contristari in uariis tentationibus, ut probatio uestrae fidei multo preciosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur. Verum ut exploratius nobis hac in re diuinum fiat consilium, additum est a Vate,

{66.11-12} Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.

Quid prae se ferat hic, laqueus, quid tribulatio in dorso, seu in lumbis, ut legunt Hebraei, ultima uersus particula demonstrat. Imposuisti, inquit, homines super capita nostra. quod expressius ab interpretibus Hebraeorum est redditum. Vnde Felix sic: Insidere fecisti capiti nostro hominem. Alius item clarius: Imponis uelut iumento homines capitibus nostris. Alius rursus: Fecisti equita-
[equitare]

{pdf 503, p. 243v}

-re homines super caput nostrum: id est, ita homines nobis praeponi uoluisti, ac si iumentis insiderent. Haec certe uidetur calamitatum omnium maxima, cum perinde homo homine crudeliter in imperiis abutitur, quasi bellua sit. Tumida nimium ea est impotentia animi & fera, uixque in ecclesia tolerabilis, magisque id adeo, quod iam per Christum mutata est rerum consuetudo. Nam filius hominis, uniuersorum scilicet dominus & rex, non uenit ut sibi obsequium in terris exhiberet, sed ut aliis ipse potius praestaret. Ea enim uis est amoris, hoc est, Christianae legis id robur est & summa, ut unus omnium in Christo & uniformis sit nodus. Quod si porro necessarii sunt magistratus & superiores, qui effluentem quodammodo in officio continere queant multitudinem, id ea ornatum esse debet moderatione imperium, ut Christianum appareat, lene nimirum, atque amoris plenum. Animantia ne rationis expertia putamus illos esse homines, qui nobis illa cedit sunt ratione, ut Christiano ritu gubernentur, non ut tyrannice crudeliterque opprimantur? Hi sane laquei sunt, eae tribulationes, maximae illae quidem, quas hic gemitibus (opinor) interceptus Vates exprimere magis uoluit, quam expressit. Nonnulli ex hebraeo, non laqueum, sed angustum, transtulerunt: alii item, in neruum: quae dictiones multum quadrare illi uidentur dominio, quod tyranni nomen potius, quam Christiani sibi arrogat, ut fere sunt iam (miserum) omnes etiam in religiosissimis coetibus principatus. Caeterum quod lumbos uertunt quidam, dorsi loco, ea uidetur ratio, quod qui lumborum defectione laborant, curui admodum, cum doloreque incedunt. Qua sane metaphora crudelem oppressio num sarcinam, a diro superboque magistratu subiectorum dorso atque humeris, tanquam lassis asellis, sub onereque deficientibus, impositam, intelligere nequitiam dubitemus. Chaldaeus catenas legit: quod quidem etiam ad ea quae dicta sunt bellissime conuenit. Nanque catenis deuinciri solent fugaces serui, aut indomitae ferae, non

homines ingenui, & qui mortem seruituti illiusmodi, quae Christianam pietatem non referat, anteponeere consueuere, quique ingenuam seruire seruitutem, ut sanctissima illa tyranno obiecit uirguncula, a Christi iugo didicerunt. Quid plura? ait,

{66.12} Transiuimus per ignem & aquam.

Nulli iam incognitum est, in scripturis ignem saepe numero pro persecutionibus tentamentique, ac uariis uitae periculis sumi: similiter & aquam seu aquas. quare is erit sensus: Ad eum enim miseriarum cumulum peruentum erat, ut per ignem & aquam transiuisse, hoc est, periculum omne subiisse nobis uideremur. adeo sub acerbissima calamitatum forcipe uolui & reuolui, incendium quam maximum est, atque obscurum aquarum profluuium. Verum tu Deus, quae tua est natura, contra morem hominum placibilis, ab edacissimo illo, illo inquam perfectionum igne, rapidissimaque tentationum periculis ingentium tum anima tum corporis illuione,

{66.12} Eduxisti nos in refrigerium.

Id est, in te, tuique spiritus consolationem, qui animarum uel in mediis ipsis tentationum undis, quibus illarum uires miserandum in modum remitti solent & incendi, periclitantium metuque exanimatarum refocillator es. Hebraei habent, Eduxisti nos in abundantiam, seu in terram spatiosam & latam: ut illi respondeat dictioni, quam supra, angustum, transtulerunt. Aben autem Ezra, in aerem interpretatur, a quo homo ab igne exiens refrigeratur: ab aquis autem respirat. Utcumque literam interpretentur, refrigerii uox apte hic poni uisa est, utpote quae miram in Deo suauitatem, atque amoris erga suos dulcedinem repraesentet. Caeterum quid aliud uita est bonorum in terris, quam continuus afflictionum aestus, ardor, ignis, lateque debacchantium malarum conflagratio? ac perennis rapidusque miseriarum torrens ac flumen? Quid porro de Deo animarum amantissimo cogitare par est, nisi quod pius sit, benignus, suauissimusque desolatorum consolator, ac moerentium periclitantiumque & pax & uita? Qua quidem persuasionem affectus uir san-

[sanctus]

{pdf 504, p. 244}

-ctus, ne ingratus omnino uideretur, uide quid de se pollicitus est:

{66.13-14} Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea, & loquutum est os meum in tribulatione mea.

Ecce sanctae animae de perceptis a Deo beneficiis gratissimus affectus. Alludens quidem ad ueterem sacrificiorum ritum, suam spondet fidem, atque ad praestandum quaecumque pollicitus antea fuerat propensionem ac studium, propheta. Quemadmodum enim sacrificiorum omnium, quibus tum litabatur Deo, nobilissimum erat holocaustum: ita in praesentia nihil fide praestantius offeri potest ab anima, cuius illud umbra fuerat ac typus, cuiusque partes expressius in subsequentibus enarrans adiicit:

{66.15} Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boues cum hircis.

Haec sunt praecipua, haec uota, haec iusta, haec pinguia illa, quae domum Dei ingredienti secum afferunt, amor scilicet, fides, mortificatio, atque suauius illud planeque necessarium cum gratissimo nominis odore ac suffitu, orationum pigmentum. Vide quid mysteriorum tum illa sacrificandi lex & consuetudo adumbraverit: uide, inquam, in quam tranquillum rerum statum tam laboriosus desierit mos. Neque porro summo uacat mysterio, quod se uates in superioribus redditurum deuouet, quaecumque olim in tribulatione constitutus distincte uouerat. Quae distinxerunt, inquit, labia mea. Distinguit, ait Augustus qui se nihil esse dicit, Deum omnia: & se eo egere, non illo se. Quem quidem purissimum sacrificandi ritum ac religionem, nescio an Cain ille sceleratus agricola intellexerit, qui sane recte, ut legimus, suum obtulit sacrificium: sed non recte distinxit, quoniam se subtracto, terrenis solummodo litauit rebus: idcirco ad illius munera, ut inquit Moses, non respexit Deus. O si, mi lector, iam tandem humanus excitetur torpor (torpor autem?) error potius hic erat dicendum. Quod si quidem uox ista erroris in Dei ecclesia (ad huc in area granum paleis commistum cernimus) audiri amplius non debet, nempe quae in Christo, quae summa est ueritas, fundata est, unde, te obsecro, per Deumque obtestor & adiuro, tanta uitiorum illuies? a quo fonte tam ampla terrenarum rerum dimanauit cupiditas, ambitio, luxus, auaritia, superstitio? Aut error is est, aut summa in hominibus infidelitas. Sed hic mihi tempero, & ad psalmum redeo. Holocausta medullata, Hebraei holocausta tantummodo legunt: seu. ut Felix, holocausta pinguium: pinguibus enim & selectis e grege armentis sacrificare consueuerant. Cuius sane moris autor fuit Abel, qui pastor erat ouium, quique, ut sacri habent annales, Deo obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Pinguia quidem omnia atque opima (non hic Epicurum Epicureosque, qui Liberum magis quam libros colunt, intelligo) in Christiano uiro esse debent: idcirco lautitiam istiusmodi in animae medullis, non in tarda crassaque mole corporis sitam esse uult spiritus: siquidem in cordis penetralibus haec omnia conspiciuntur, non in lucida, beneque curata ac rasa cute: ibi enim uerum est Dei templum, ibi ara, ibi uictima, ibi thus, ibi ignis, ibi summus ille pontifex, qui semel, ut inquit Paulus, in consummationem seculorum, ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit. Verum cum haec omnia mortalium plerosque, utpote in terrenarum rerum negociis explicandis ardentiores, quam in ueris intelligendis bonis occupatos, omnino lateant, breui facta sacrificiorum mentione, a propheta interponitur Selah: tantum illud interim efflagitante, quod nos, qui in lucidissimo Dei itinere nostra hallucinamur culpa, ad ea tandem contemplanda, quae continuum ueluti ros in suos instillare diuina non cessat bonitas, oculos aperiamus.

{66.16} Venite, inquit, & audite, quanta fecit Deus animae meae.

Hic mihi audire uideor omnium seruatore, sic suum alloquentem populum: Qui habet aures audiendi, audiat: id est, qui capaces sunt fidei, hi audiant, hi intelligant, hi toto hauriant spiritu, quae penitiori in animae conclau diuina tractantur colloquia. Conclau quidem istiusmodi intimus est animae affectus, nempe cor, atque animus. Ianua, fides: ianitores uero, amor & pax. Caeteri familiares, atque a se-
[secretis]

{pdf 505, p. 244v}

-cretis amici, sunt puritas, castimonia, mansuetudo, humilitas, feruor, & quae propius accedunt, synceritas & clementia. Pone illius uultum effigiauimus, qui sermonem illiusmodi, quem se Vates habiturum pollicetur, auditurus est. Quanta, inquit, Deus fecit animae meae, quam immensas in me coelitus effudit largitiones. Atqui ne uos diutius suspensos teneam, illud omnium maximum commemorabo, in quo mea in illum fides, illiusque in subleuandis miseris sollicitudo, aeternarumque promissionum firmitas & constantia, eximia nimirum illius dona perspicua sunt, illis praesertim, qui propter sedulum cum Deo congressum, uegetiores habent sensus. Itaque

{66.17} Ad ipsam ore meo clamaui, & exaltaui sub lingua mea.

Sub lingua, hic positum esse pro, in lingua, asserunt interpretes, illud alterius psalmi, haud huius dissimile citantes: Sub lingua eius labor & dolor. En fidei uis animae, quae ex pollicitationibus diuinitus sibi factis animata, nihil dubitat, quo minus quaecunq; rogare instituerit, exoret. Ideo, inquit, lingua illum mea laudibus, quantum potui, extuli. Copiosiore quidem istiusmodi periphraasi uult omnibus testatum esse, suas a Deo auditas esse querelas, propterea sanctissimum illius nomen a se laudatum. Continuo, ait Paraphrastes, animus meus, Lingua, eius beneficio respondens, laudibus extulit illum. Est ne id minimum inter diuina beneficia connumerandum, nostras a Deo exaudiri lachrymas? lachrymas dico, qui impossibile plane uidetur, ueras orationes quae Deo fiunt, absque lachrymis formari posse. aut illas quidem a peccatorum memoria atque amaritudine prodire necesse est, aut a diuino amore, cuius ea est uis, ut animam ad se e terris eleuet, sibi que uniat, ac secum illam sic in lachrymas colliquentem, contra rerum inferiorum naturam ardere faciat. Quis unquam id uidit, quempiam scilicet in aquae uiuae fonte aut anne positum inflammari? Talis enim diuinus est amor, qui cum ignis sit, quicquid tetigerit. igneum id actutum fieri oportet. O si mihi in his quae Dei sunt algidissimo, istuc contingeret incendium. O si istius generis in me ignem, ignem alium, nempe cupiditatum, extinguere experirer. Scio enim in uno eodemque cordis domicilio, utranque minime coire posse flammam. Quam longo sane interuallo me a sanctissimo semotum esse Vatis spiritu doleo, quem hic optime de se sibi conscium illud fateri audio:

{66.18} Iniquitatem, inquit, si aspexi in corde meo, non exaudiat dominus.

Periculosae hic se deuouere conditioni uidetur Vates. Nam quod homo a perpetranda re ipsa iniquitate se temperet, simulque & exhorrescat, magnum quidem uideri solet: at uero a corde conceptus omnes turpes omnino abegisse, nonne miraculo persimile? Quis gloriari potest se mundum habere cor? ille nimirum qui illud Pauli aureis scribendum literis, totumque illius ita obumbrans animam, a nullis flagitiosis cogitationibus extaret locus, audacter ostentat, Gratia Dei mecum. Quod autem interdum purissimas quoque proborum mentes aliquis nequam titillet affectus, non multum adeo turpe existimari debet, posteaquam id omnibus natura insitum uidetur, ob primi peccati mulctam, ut omnes aliqua, ut sic dicam extraordinaria tangantur peccati lege, tentiginesque nescio quas, uel amoris, uel odii, irarumque, libidinis aut dominandi, etiam inuiti patiantur. Hi

sane sentiunt. quaecunque illis aut a daemone, aut a naturae debilitate suggeruntur: uerum ea non aspiciunt, non attendunt, non illis assentiuntur, non ut molles naturaliter agere consuescunt, applaudunt: letale id esset omnino. Quocirca cum quis eo uecordiae processit, ut foedos illos animi motus libenter amplectatur, ex ipsisque oblectamenta uenetur, huius prorsus oratio fit in peccatis, tantum abest, ut Deum aequo illum intueri aspectu arbitremur. Scimus enim, aiebat caecus ille euangelicus, quo Deus peccatores non audit. Daudid autem quid? Non exaudiet me, inquit, dominus, si iniquitatem aspexi in corde meo. Periculosissima plane res est, inquinato quempiam animo cum Deo congregari audere, ab illoque id petere, quod his tantummodo dare solitus est, qui a turpi prorsus terrenarum rerum contagione immunes sunt & liberi. O quam nitidam, pureque defaecatam illam decet esse animam, quae

{pdf 506, p. 245}

uere, atque ea qua oportet fiducia & amore, diuinum illud precationis fulmen, Pater noster qui es in coelis, in cor patris eiaculari cogitat: a quo quidem ille, ille inquam qui cuncta solo nutu condita moueri facit, traiectus clamat, Vulnerasti cor meum soror mea, uulnerasti cor meum. Caeterum uolunt interpretes ex hebraeo legi posse, Et exaudiet: id enim diffinitionis tempus est, quo certo scimus inquinatos animos nequaquam exaudiri posse: illud uero imprecationis, ut exposuimus: in utroque enim nobilissimam sibi uindicat sedem fides. Qua quidem robustissima tanquam armatura circumdatus David (non illa quidem Saulis, qua indutus incedere haudquaquam poterat, sed illa de qua Paulus, Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo) subiunxit:

{66.19} Propterea exaudiuit Deus, & attendit voci deprecationis meae.

Propterea, inquit, quod iniquitatem, ut ipse dederat, non aspexi in corde meo, non alui, non dilexi, exaudiuit Deus, hoc est, attendit, auresque illas suas benignissimas, ad miserorumque clamorem apertas, ad meam inclinauit precationem. Idcirco

{66.20} Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam a me.

Nostras quidem non repellere orationes a Deo, ab illius prouenit misericordia: quae cum omnibus semper obuia sit, precationibus tamen & assiduis & feruidis, illius nobis conciliandus est fauor: quo sane impetrato, nihil tum sibi deesse existimet anima, licet cunctis careat uitae commodis. Nam quae bona in Deo sita sunt, (sunt enim omnia) felicissimo praedita sunt statu & aeterno: quae uero in mundo, caduca, misera & temporaria. Benedictus igitur sit dominus, sit laudabilis, sit gloriosus in secula, qui meam non reiecit precationem, nec sua me destituit benignitate. Amen.

PSAL. LXVII. Vincenti. In organis psalmus canticum.

{67.2} Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Cum multa et varia occurrant animae argumenta, quibus vel ipsa prima rerum molitione, diuinam queat admirari & bonitatem & potentiam, illud arctius uidetur, quod cuncta quae olim operatus est, operaturque quotidie in nostri gratiam, ea propria motus natura egerit, agatque continuo: hoc est, quia pius, quia bonus, quia misericors, quia in effundenda sua in omnes bonitate, liberalissimus. Ab hoc sane fonte, quicquid bonorum illorum, quae tum ad uitae praesentis commoda, tum ad futurae, quae in Deo est, spectant, nacti sumus, perpetuis tanquam riuulis copiosissime redundat. Quis certe tam immensa aliquando considerans in se exhibita a Deo beneficia, contraque suam animo uersans miseriam, atque ingratisimum in tam beneficum dominum morem & consuetudinem, non rei magnitudine indignitateque confusus, miserandum in modum obstupescat & obruatur? Verum huiusce imparis conditionis reconciliatrix diuina facta est misericordia, cuius ui intellecta, meticuloque insinuata animo, nullus homo est adeo, ut inquit ille, sine re, sine fide, sine spe, sine fortunis, ore, lingua, manu, uita omni inquinatus, qui dissipatum non interdum colligat animum, fateaturque salutem omnem mortalium in Dei sitam esse duntaxat clementia, quae uis ea sit, quae e coelo fidem, qua gratis seruamur, deuehat, atque in diffidentiae filios, ut eos uocat Paulus, gratuito effundat. Vnde non ab re praesentem incepturus odam Vates, ignitam sane, atque diuinarum rerum mire consciam, a misericordia sic illam orditur: Deus misereatur nostri & benedicat nobis: illuminet uultum suum super nos, & misereatur nostri. En quomodo istud diuini uultus lumen aliud ab illo sit, quod humanae insitum esse rationi asserunt nonnulli, feruntque aegerrime, si quis id nouum esse dicat, a Christo nimirum tenui illi rationi additum, & id per fidem, qua anima ad ea cognoscenda amandaque, & idcirco quaerenda illustratur, & accenditur, ad quae ne mediocriter quidem appetenda assurgere potest humana ratio. Prostrata quidem omnino illa fuit in primo homine, peneque extincta: quocirca suis illam in consiliis ac deliberationibus caecutire, prorsusque, uti solent absque olei fomento lychni, perlan-
[perlanguescere]

{pdf 507, p. 245v}

-guescere necessarium est: addita uero fidei luce, quae a Christo, tanquam ignis ab ignea silice, excutitur, splendidior fit, ac ad amplectendum illud, ad quod uix strictim quasi per transennam antea hallucinabatur, aptissima. Et ut multae sint nobilissimae diuinae bonitatis partes, illa mihi semper nobilior uisa est, & quam inter caeteras magis anxie efflagitaui, ne me uidelicet meis in manibus sineret, hoc est ne me ad rationis meae prostratae lumen, melius dicerem tenebras, solum incedere permetteret. Id aegre audiunt, scio, non pauci, qui naturae humanae rationique nimium tribuentes, uix fidem tolerant, Christumque confractae religionis instauratorem occultissima denegant impietate. Ego autem id lumen illud esse cum Ecclesia fateor, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, quodque a uate Dei uultus lumen appellari uideo: non illud rationis, ad bona omnia caecutientis. Nam per Christum, qui id lumen est de quo loquimur, suam uoluit in nos ueram sapientissimus artifex deriuare notionem ac lucem: alioquin ablato istiusmodi e terris radio, in densioribus forsitan, quam antea, ambularem tenebris: ideo non nisi maxima cum ratione hic ponitur Selah. Vide igitur Vatis sapientiam, qui alterius conditionis lumen, quam illud sit quod in homine ingentum esse nouerat, rogaturus, propriis abiectis omnino uiribus, ad diuinam recurrit

misericordiam, clamatque, Deus misereatur nostri, & benignus sit nobis, & sic ostendat uultum suum nobis,

{67.3} Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

Illud non omittendum, repetitionem particulae, Et misereatur nostri, non esse in hebraeo: uerum non officit addita sensui, imo etiam solitas, ardentis nimirum in Vate prae se fert scintillas: refert enim nescio quid, ea repetita, exaestuantis animae, probeque agnoscentis, quantum boni afferre soleat Dei misericordi: cuius effectus etsi praestantiores sint, quam quos humana queat mens cogitando assequi, illum tamen non inter mediocres collocari par est, ueram scilicet, qua itur ad Deum, notionem, ne homo natura labilis, atque ad ea plerunque sectanda, quae illi noxia sunt, procliuis, in rerum delectu caecutiat, erretque deceptus. Impartiatur, clamat Vates, nobis Deus suam misericordiam, ne in terra hac deuia, erroribusque refertissima, in eligendo uitae instituto, dicamus bonum malum, malum bonum, sed potius inter gentes istas impias et incultas diuersantes, ueram salutis nanciscamur notitiam, quae est in Christo Iesu, quem nobis salutem esse uoluisti, pacemque & uitam. In hunc sane sensum omnes conueniunt interpretes, non tam Latini, quam Hebraei quoque. Unde Paraphrastes: Ut cognoscamus uiam, qua itur ad te Deus: beneficium uidelicet illud redemptionis, quod impendisti uniuersis gentibus. Non hic dubium esse debet, felicissimum illius seminis aduentum, per quod benedicendae essent omnes tribus terrae, ut olim facta fuerat coelitus Abrahae promissio, a Vate praecognitum: qua subinde cognitione accensus, mireque illustratus, in illa fidei prorupit uerba: Ut cognoscamus in terra, terra, dico, ista infinitis obnoxia erratis ac lapsibus, uiam illam tuam, quam ab aeternis humano generi pollicitus es seculis, quamque omnium sparsim gentium salutem fore sempiterno sanxisti consilio, in Christo Iesu tuo unigenito: quem sicut tuum esse natum, tibi que coaeternum, atque unius tecum deitatis, potentiae, sapientiaeque uirtutis confitemur, ita nostram omnium eum salutem, redemptionem, iustitiam, uitam denique & beatitudinem fore expectamus. Itaque firma hac persuasione ac fide animati,

{67.4} Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Perpulchra hic a Vate fit uerborum sententiarumque connexio. etenim posita tanquam structurae spiritualis fundamento misericordia, erectoque benedictioni, illuminationis & cognitionis aedificio, uniuersus introducitur orbis, qui sanctam hanc domum, nempe ecclesiam per Christum fabrefactam, inhabitet. Maximam porro laetitiam denotant repetita illa adhortationis uerba: Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Salus enim uniuersalis cum

{pdf 508, p. 246}

sit, cur non etiam confessio? At uide, quibus ornanda sit bonis anima, antequam in purissimas illas confessionis laudes, quas hic memorat spiritus, sese ingerere audeat. Dei in primis illi opus est clementia, beneficentia postea, quam nouam appellari gratiam fas sit, qua ipsa adiuta, ad excellentissimum illud omnium capessendum fidei lumen admittitur: quo sane interlucente, uiamque ad suum cognoscendum benefactorem

praemonstrante, in reperti amorem accenditur, rapiturque in amatum, atque hinc tanquam a pellucido diuinitatis speculo, ad caeterarum rerum notionem peruenit, fitque actutum adeo unum quoddam cum Deo, ut nihil iam, uel in istis externarum rerum occupationibus, aut agere, aut cogitare, etiam si uelit, queat, quod diuinum non referat honorem. Putas ne animam sic cum Deo coniunctam (ut omnes certe debent) in terris diu manere posse? Censes ne uel minimum quidem illam inire posse cum mundo, cum carne, cum fastu & ambitione foedus? Heu animas frustra a Deo redemptas, quae ea se habent in corpore hoc moribundo ratione, qua se habent ipsa rationis expertia animantia. Illud etiam quod mihi hoc in loco succurrit non silebo, partes has scilicet spiritualis aedificii, quas nuper posui, non minus forsitan ad confessionem illam, quam sacerdoti probo & erudito fieri sancta decreuerit ecclesia, pertinere, quam ad ipsam, quae in diuinarum laudum gratiarumque actionum exercitatione uersatur. Nam anteaquam quis se sua audituro peccata sistat sacerdoti, nihil propemodum agit, nisi prius uentilata diligenter conscientia, & lachrymis & singultibus ab amaro corde profectis, remissionem a Dei misericordia delictorum suorum impetrauerit: cuius sane praecipuum illius uidetur esse donum, beneficentia, quam hic a Vate benedictionem nuncupari cernimus, & quam diuinae misericordiae effectum appellare possumus. Hincque aliud confestim emergit donum, diuinum illud quidem et necessarium, quod nimirum ex eo, quod ignorantiae caliginem ab anima abstergere solitus est, lumen uultus Dei nuncupare non inconueniens erit: is Christus est, lux sane animae ac uita: quo quidem operante, perfecta quaedam oritur in nobis tum Dei, quem peccando offendimus, tum nostri, qui peccauimus, cognitio, ex qua uera prodire solet confessio, atque integra conscientiae pax & tranquillitas: quae tunc digna fit, cui sacerdos, nempe ecclesia, sponsi nomine, Dei misericordiae, remissarumque culparum gratiam annunciet. Cuius id esse gratiae uidetur signum & indicium, benedictio illa quae a sacerdote, inuocatis singillatim sanctissimae trinitatis unius Dei personis, & quam diuinae effectum esse clementiae diximus, impenditur poenitenti. Confessiones uero istas tumultuosas, impraemeditatasue, & quae magis ex more fiunt, quam quod peccata displiceant, uix tutas asserere audeo: res enim est quae non mediocri indiget excussione & moerore, etiam si quotidie fieri contingat. Quotus enim quisque est, qui quam immensae grauitatis pondus sit, Deum offendisse, uel cogitare quantum sat est, uel dolere quantum debet, ualeat? Non, crede mihi, crebrae solummodo te mundant confessiones, sed uerae, sed purae, sed nudae, sed a consternato animo suapte sponte quae enascantur, & quae non minus a futuris, quam a transactis abhorreant sceleribus. Sic candor fidei, sic mores, sic casti ritus & caeremoniae in Dei Ecclesia seruari poterunt: quae quidem ut animas perfecte expurgatas sua in academia requirit, ita qui illas mundare nouerint, perfectos cum doctrina tum sanctimonia cupit esse sacerdotes, & eos quidem liberos, non uenales, non quaestuosos, non socordes, non illos qui, ut inquit Esaias, prae ebrietate absorpti sunt a uino. Oro, unde frequentes illae, quas generales uocant, confessiones cum uariis collatae sacerdotibus ortum habent, nisi quod aut sacerdotes parum probatae uitae sunt & doctrinae, aut ipsae actae confessiones mutilae fuerunt & fictae, aut etiam hi quos poenitentes appellamus, adeo imbecilles in fide Iesu Christi uiuunt, ut nullam suis unquam peccatis sperare audeant ueniam, nisi eadem pluribus, et usque ad nauseam crebro recenseant sacerdotibus? Id sane est nostro nos studio ac labori peccatorum remissionem, non diuinae acceptam referre uelle bonitati & misericordiae. Verum, ut ad psalmum redeamus, utcunque suis in iudiciis, ac uitae itinere plerique hallucinentur mortales, attamen

{67.5} Laetentur & exultent gentes.

Maxima certe est animae consolatio, cum meminit se sua in salute Deum, hoc est, rem tam sublimem, tam aequam, tam misericordem, tam reorum amantissimam, habere arbitram. Vide quibus ornatus esse debeat iudex uirtutibus: altum quippe illum esse oportet & sublimem, scientia uidelicet, ingenio ac probitate ne celsitudinem istam superbiae magnitudine, & fastu aestimandam ducas. Iustum item hunc esse uolumus, ne priuatos sui animi affectus & libidinem aequitati prae ponderare uelit. Pium quoque & propensum in miseros animum in iudice requirimus, non crudelem, non inexorabilem, non durum. Sed unum adhuc, quod perfectum, cunctisque numeris absolutum efficere queat iudicem, sibi deesse arbitrabitur qui talis est, nisi adeo culpas rei persequatur odio, ut illius miseratus sortem, hominem ipsum & diligat, & obsequiis iuuet. Hae penitus Christiani iudicis partes sunt: caeteroqui in iudicandis Christianorum causis, proferendisque culparum interdum etiam incognitarum aut fictarum mulctis, eo ferri impetu, quo solent capitales hostes ferri, id certe a mundo forsitan tolerari potest, aut, ut est superbarum mentium altor, laudari: de Deo autem istuc opinari, summum esset piaculum. His itaque omissis, uos gentes, uos publicani, uos peccatores terrae, uos qui prauorum obnoxii estis iudiciis & diffinitionibus in hoc mundo, laetamini, quoniam qui aeternum de uobis habiturus est iudicium, Deus est, qui cunctos orbi populos, nulla habita ratione uel patriae uel consanguinitatis, uel etiam priuat commodi aut amoris aut odii, ut solent homines, aequissime iudicaturus est. Quae sane res quo maiore perpendatur animi attentione, Selah interposito, ad Deum repente, cum uix aduertas, sese uertit Propheta, dicens:

{67.5} Quoniam iudicas populos in equitate, & gentes in terra dirigis.

Id est, ut interpretatur Paraphrastes, omnium qui in terra degunt, tu te ducet praebebis. Quis talem non libenter amaret pastorem & patrem? O normam certe ab aeterni patris corde in terram hanc aerumnosam delapsam, datamque mortalibus, qua alterius alter sufferre perdiscant miseriam, condocefiatque mutuas aequo expendere iudicio operationes. Hinc, opinor, Dei spiritu permoti mei ordinis patres, decreuerunt, sanxeruntque olim lege, ut illis potissimum diebus, quibus generalia congregationis haberentur comitia, & diffinitiones, quod Capitulum uocant, hic psalmus a choris summis decantaretur, quo scilicet Dei lumen hac inuitatum precatone praesto adesset iudicaturis: quo sane praesente, cuncta aiebant aequissime censeri, pacemque omnibus conciliari, praestari clementiam, uirtutes, dignitatem, magnitudinem, existimationem congregationi augeri: absente uero, atque a nobis auerso, omnia turbulenter fieri diffiniri, lites exuscitari, saeuitiam inferri, mala ocia, opprobria, irrisiones, contemptum religioni acciri. Sancte id quidem nostris a progenitoribus ordinatum, faxit Deus, ut eo quo decretum est instituto ac spiritu seruetur, reuoceturque, si quid ob quorundam ambitiosorum tumorem elanguit. Atque in hunc rerum statum, non tam monachorum ordine, quam orbe ipso universo restituto,

{67.6-7} Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.

Vide quomodo a Dei spiritu & benedictione, ecclesiae tellus sapientiae uomere subacta occataque, ac in liras diuini timoris stiua directa, irrigataque suauiissima misericordiae scaturigine & refrigerio, suum emittet fructum, alias trigesimum, alias sexagesimum, alias centesimum. Verum quid terram hic mysticam describo? illa, illa tellus, inquam, illa gignendis uepribus destinata, deposita, ut sic dicam, in dominos modo hi boni sint ac pii indignatione atque ira, copiosissimus reddet fructum. Quae quidem felicitas ut diuturna sit,

{67.7-8} Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terrae.

Solitum hic uatis spiritum, ardentem scilicet, atque in rimandis coelestibus acutum, demonstrat diuinarum uocum geminatio: quanquam sublimis illa quae a nonnullis affertur in hunc locum contemplatio, mirum mihi in modum arridet.

{pdf 510, p. 247}

Volunt enim uatem in tam sanctae odae termino mirabilem Trinitatis animo hausisse unionem ac mysterium, idcirco dixisse, Benedicat nos, hoc est, gratiarum suarum in nobis adaugeat cumulum, Deus pater, Deus item filius, qui propter humanam assumptam naturam noster factus est, & benedicat nos Deus spiritus: indeque, ne quid erroris in personarum distinctione oriretur, illico subiunxit, Et metuant eum omnes fines terrae. Unde sic diuus refert Hieronymus, Ter trinitas, eum unitas. Praeterea quod inter diuina interseri uideatur beneficia, Dei timor, id consulto a spiritu actum iudico: nam is est qui tanquam fraenum nostram continens in officio petulantiam, caute quae nobis credita sunt, a Deo seruari facit. Cui, patri scilicet, & filio, & utriusque spiritui, uni Deo laus sit & benedictio in seculorum secula. Amen.

PSAL. LXVIII. Vincenti. Dauid psalmus cantici. /Psalm 68. To the master. A canticle psalm of David./

{68.2} Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius, et fugiant a facie eius qui oderunt eum.

Mose enim a Deo, per cuius uerbum, ut in Numerorum libro legimus, figebant tentoria, & per uerbum illius proficiscebantur, admonito ut arcam cum multitudine transferret, id erat moris, quod ubi eleuabatur arca, ipse religiosissime diceret. Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te a facie tua. cum autem deponeretur, aiebat, Reuertere domine ad multitudinem exercitus Israel. Vmbra haec omnia, & mysteriis grauida, ut caetera erant Iudaeorum, extitere. uae quidem mysteria non minus Mosi quam Dauidi cognita. sub actionum illarum uerborumque ac rituum obiecta uelo, nobis qui ab arcae propitiatorio, qui Christus erat, diuina propius haurituri eramus, tradebant. Tunc sane mirabilis Mosi ueri illius propitiatorii, e quo Dominus opem populo per solitudinem peragranti se exhibiturum promiserat, lux ea innotuit ac uirtus,

de qua sic Paulus: Qui diffinitus est filius Dei in uirtute secundum spiritum sanctificationis. Ritus igitur ille deponendi rursusque extollendi per Mosem arcam, mortis Christi atque e tumulo reuiuiscendae, e qua nostra omnis ortum habet iustificatio, atque a malis redemptio, typus fuit. quocirca sanctissimus uir ille, ac solertissimus Dei exercitus imperator, ipsum alloquans [sic] Dominum, solitus erat dicere: Nisi tu ipse praecedas nos, non educas nos de loco isto. A quo quidem familiari Mosis habito cum Deo colloquio, illud primis emanasse fidei exordium non ignoramus, quam nobis persuaderi a spiritu patiamur, nostrum id iter uitae caliginosum ac tetrum, in perpetua tenebrarum mansurum nocte, nisi Christus uerum propitiatorium, in quo omnis habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, non umbratice, ut olim, super arcam sui sanctissimi Euangelii, quod nouum appellare testamentum libuit, suos de loco isto periculosissimo, atque irarum pleno, tanquam fidissimus ductor praecedens extrahat, moueatque ad amoeniores capessendas iustitiae semitas. Quod quidem iter iustitiae, nisi Christus a mortuis surrexisset, deuium prorsus ac uanum extitisset. Unde Moses penitus haec omnia quam caeteri e uulgo noscens mysteria, in ritu illo sustollendi arcam clamabat: Exurge Domine, dissipentur inimici tui. Cui subinde non minori affectus cognitione Dauid, ad ritumque illum alludens, sic suam exorsus est precationem: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum a facie eius. Mortuo quidem Christo & sepulto, tunc uniuersus uisus est orbis cum suo conditore occidisse. Etenim uis illa uitae, qua per fidem iusta effecta est anima, hoc est, mane illud sabbatorum quod illuxit in prima sabbati, adhuc cum uitae autore in sepulchro quiescebat: se uero suaque sponte e tumulo excitante, secum quoque emersit iustitia illa, per quam gratis iustificata est anima. Quod quidem optimus ille aduertens spiritualis aedificii architectus, aiebat, Christum mortuum esse pro peccatis nostris, resurrexisse uero propter iustificationem nostram. Unde non absque summo mysterio suam appellat resurrectionem Christus, regnum Dei, in Euangelio. Mira & illa quidem suae ecclesiae a persecutionum acerbitate liberandae, post crucis tolerantiam fuit imago: idcirco huiusce obstrusissimae rei mysterium detegens Paulus, ita de Christo edisse-

[edisserens]

{pdf 511, p. 247v}

-rens, Corinthios admonet: Etsi, inquit, crucifixus est ex infirmitate, sed uixit ex uirtute Dei: nam & nos infirmi sumus in illo (en nostra cum Christo crux & mors) sed uiuimus cum eo ex uirtute Dei (en a malis cum duce nostro resurrectio.) Sed & illud, quod huic secreto attexuit mysterio, iucundissimum: An non cognoscitis, inquit, uosmetipsos, quia Christus Iesus in uobis est? Haec itaque omnia sacer praenoscens uates, quasi e somno Deum excitans clamat, Exurgat Deus: iam nimium pene ad mortalium clamorem conuiuere uidetur. Dormit ne peruigil ille oculus, atque insomnis pastor? Iacet ne exanguis etiamnum sub saxo uitae autor? Semper ne molestissimis improborum morsibus obiecti erimus? Quousque aerumnosum id uitae genus protendetur? Exurgat igitur ille, qui cum uigilantissimus nostri custos sit, dissimulat tamen nonnunquam, quo nos magis necessariae crucis amaritudini assuefaciat, & sic dissipentur facessantque, tanquam dispalati milites & confusi, inimici eius. Fugiant, fugiant a diuino illius conspectu, uti solent tenebrae exorta luce, qui odio persequuntur illum, qui charissimam illius sponsam iniuriis afficiunt, qui in probos castosque in Deo

quiescentes animos turbas cent. Nam Dei regnum pax est & tranquillitas, non superbia, atque unde fere mala omnia originem habent, ambitio.

{68.3} Sicut deficit fumus, deficient: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

Dura nimirum haec est Vatis imprecatio, quam idcirco certius in mundo contingere cernimus, quod a Dei illam spiritu prolatam certi sumus. Sed illud horrendum, quod hi quos haec dira, aequa tamen ac sancta manet ultio, ita in malis obduruisse uidentur, ut quid tam periculosa sibi uelit comminatio, aut in qua maxime hominis parte posita sit, ignorent penitus. At uide, quam debilibus, improborum arrogantia & fastus, comparentur rebus, fumo nimirum & cerae ab igne colliquescenti. Vidisti ne unquam in rebus humanis rem ullam tanta cum celeritate resolui atque consumi, quanta excitatus ab igne fumus, aut cera flammis admota? Ita sane abeunt, imo uero etiam euaporant perfidiosorum hominum technae & insidiae, Deo in suorum auxilium aduentante, pro illisque, ut olim cum peccato & morte, pro suis decertauit, & uicit, decertante. Fluxae sunt res mirum in modum improborum & caducae: contra uero, quaecunque agunt pii homines, aut uersant animo, stabilia & aeterna, nempe quae in Deum, unde proficiscuntur, desinunt, qui aeternus est, & super omne illud, quod ab intellectu humano angelicoue comprehendi potest, excelsus & sempiternus. Fluant igitur, atque instar cerae colliquescant Dei hostes, &

{68.4} Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in laetitia.

Pulcherrima antithesi, Exultent in conspectu Dei, opponit, Pereant peccatores a facie Dei: hi enim cum suapte sponte nefarii sint, & duriores quam quia spiritus suauitate mitigari queant, a Dei semper uultu & gratia longe proiecti sat idcirco nulla solida affici possunt cordis laetitia, etsi pessimis in rebus, quemadmodum praedixit spiritus, exultare uideantur: Iusti uero, hoc est, scelera omnia quam uenenum exhorrescentes, in fideique iustitia, in qua summa inest mentis iucunditas, epulantes exultant, gaudent, triumphant, in eoque delectantur, quod digni demum habiti sint, qui pro nomine Iesu contumelias subeant. Quid felicius oro? Hebraei hunc uersum legunt per futurum, quae omnia cum praesentem tum futuram prospiciunt uitam. Quare, o uos, quorum conuersatio propter mundi. mundanarumque rerum despicientiam, in coelis est,

{68.5} Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

Hic plane quis is sit, cui laudes Musasque nostras & psalmos consecrare debeamus, deliniat spiritus. Dominus, inquit, nomen illi quod sic reddunt Hebraei: In Iha, seu cum Iha est nomen eius. quam dictionem uult Felix dimidium esse se Tetragrammaton, significareque redemptorem. Unde Paraphrastes sic reddit: Extollite illum qui pro uehiculo utitur nubibus, cui proprium nomen, seruator Deus.

Ex qua proinde Paraphrastae litera illud quoque notandum uidetur, quid significati afferat, qui ascendit super occasum, qui pro uehiculo, inquit, utitur nubibus: & est pene idem, quod in alio dictum est psalmo, Ascendit super Cherubin, & auolauit. Alii autem suo in idiomate relicta dictione haraboth, quam noster uertit interpret occasum, aiunt illam supremum coelum significare: quae sane interpretatio mire admodum ascensioni CHRISTI in coelum conuenit. Alii item haraboth, solitudinem seu eremum interpretantur, & erit sensus: O uos iusti, o uos, quibus dirigendarum animarum ad Deum incumbit labor, o qui expedito uiam cupitis ad beatitudinem calcare gressu, iter facite ei, nitidum scilicet, spatiosum, diligentemque a peccatorum dumis expurgatum: hoc est, id agite, in id incumbite, ut se homines peccatores agnoscentes, seruatorem efflagitent, optentque Dei uerbum, nempe animae pabulum ac uitam. Parate, inquam, uiam Domino, rectas facite semitas ei, qui tanquam sol, solisque iubar, paternae utique gloriae splendor atque imago, ab aeterno coelorum oriente ad obscurum caliginosumque descendens mundi occasum, in quo uasta est bonarum frugum solitudo, eremusque aspera, deuia, atque spiritus suauitati inaccessa, ad nos, nos, dico, in tenebris atque umbra mortis caecutientes, deuehitur, & qui, ne de certa illius uereamini protectione, ne ue ab improbis contemptui habeatur, in Iha suum habet nomen: id est, seruator omnium est, atque illi idem est cum patre ipso nomen. Quod porro a nonnullis ex nostris totus is uersus de Christi resurrectione, qui ascendens super occasum, hoc est, qui calcata morte felicissime ad immortalitatem reuixit, simpliciter exponatur, quomodo libenter audio, atque in his quae de huiusmodi dicuntur mysterio, maximo afficior oblectamento: ita operaeprecium uisum est, quem sensum Hebraeorum referat litera admonuisse. Utcunque enim tibi arrideat litera, id te non ignorare cupio, immensum hic illius, qui deuicta morte, excisaque illius origine, ac profligato hostium fidei exercitu, uiuus e sepulchro, tanquam cerui hinnulus mediis elapsus laqueorum tendiculis, exiliuit liber ac laetus, nomen simul & numen a Vate describi. Itaque cum tam potens sit, tamque insigni praeditus maiestate Dominus,

{68.5-6} Exultate in conspectis eius (turbabuntur a facie eius) patris orphanorum, & iudicis uiduarum: Deus in loco sancto suo.

Sic integer uersus est Hebraeis: tametsi, Exultate in conspectu eius, ad praecedentem pertinere uersum non me clam sit. quare ita hunc legunt uersum Hebraei: Pater orphanorum, & iudex uiduarum, Deus in habitaculo sanctitatis suae. cuius is erit sensus: Quamuis enim in coelo suae maiestatis habitaculo resideat Deus, proculque a nobis esse uideatur, pater tamen pupillorum est, & iudex uiduarum. Hebraeis enim totum illud Turbabuntur a facie eius, superfluit: uerum postquam re ceptum est, per parenthesim legendum esse censeo. Vos orphani igitur, & uiduae, id est, omnibus mundi huius commodis denudati, reiecti, irrisi, & qui iustitiae fame laboratis, propterea male ab improbis auditis, habemini que ludibrio ac probro, exultate in conspectu eius, qui amantissimus uestri pater est & iudex: non in conspectu mundi, qui perfidiosissime uestrae insidiatur innocentiae & pudicitiae. Non sane res parui aestimanda est, desolatam turbam, sanctamque afflictorum congregationem curae esse Deo, pientissimo uidelicet parenti ac uindici. Tanto quidem patrono ac domino, quid nobis, qui perfidiosorum passim conuentibus expositi uiuimus, pertimescendum? Vin scire cuius is sit sapientiae & uirtutis, quem tu tibi in patrem, o qui aerumnosam in angustiis agis uitam, elegeris?

{68.6-7} Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo, qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Maximae illud esse potestatis uidetur in Deo, ita sapienter humanas sibi conciliare mentes, ut una omnium plane mens sit, quae inhabitet in domo eius, quae est ecclesia, quae una est, quoniam una est fides. Idcirco id inter infinitae Dei potentiae signa ponitur, quod unius moris homines, hoc est, unius consuetudinis, atque

{pdf 513, p. 248v}

aequabilitatis uitae (quam unitatem spiritus uocat Paulus, inquit: Solliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis) in unum coire faciat. Coelestem profecto hunc esse statum ecclesiae quis non sentiat, si in ea, qua uocata est, spe una scilicet uocationis suae, ut inquit idem, permaneat? Ad haec, non minoris id quoque potentiae illius indicium est, quod in coelorum sublimitate, loco nimirum sancto suo, residet: hoc est, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis est. Sed illud forsitan maius ac fortius non ab re additum est, In fortitudine: cum illos qui longo detenti usu atque habitu prorsus in peccatis obduruerant, soluit, solutosque alio nexus genere, quam sit uitiorum, felicissimo illo quidem & perbeato, connodat, suaeque attexit ecclesiae. Verum illud omnium uidetur maximum, si rebelles, obstinatos, incredulos, penitusque profligatos, illos nimirum qui cum in profundum malorum deuenerint, contemnunt, nempe Deum, propriamque existimationem & salutem, quique in sepulchris, loco utique tetro ac foetido a Vate dicuntur habitare, ad se uocat, allicitque muneribus. Cuius sane rei, uide an daemones illi, qui apud Gadarenos in antris & sepulchris sua habebant domicilia, typus fuerint. Nonne, aiebat Augustinus, maius est iustificare impium, quam creare coelum & terram? Ideo quoque Vates asperam illorum ostendere cupiens consuetudinem, aspero usus est uerbo. Exasperant, inquit, hoc est, lacessunt, concitant, irritant, nempe Deum. Caeterum in sepulchris, Hebraei uertunt, in siccitate. Unde diuus sic transtulit Hieronymus: Increduli habitauerunt in siccitatibus: hoc est, fonte uitae derelicto, ad fidei frugem atque amoenitatem non peruenient, sed in arenosa uitiorum siccitate suapte sponte perdurantes, absque bonarum actionum fructu uitam uiuent miseriam: ut hinc perspicuum appareat, Dei domum, nempe Ecclesiam, in qua Deus inhabitat, sanctam esse, homines uero non sic cuncti. Sunt enim inter bonos respersi quidam, adeo morosis infecti moribus, ut ideo uiuere, a Deoque tolerari sua in Ecclesia uideantur, quo pii ex acuta illorum lima splendidiores efficiantur. Illud non omittendum, unius moris, Hebraeis esse solitarios, seu ut reddit Symmachus, monachos, id est, a mundi penitus amore secretos, ut sunt fere illi (modo sint) qui & habitu & uictu, animum a mundi prorsus uanitate liberum prae se ferunt. Alii item ex Hebraeo, unicos uertunt: quam quidem dictionem ad liberorum orbitatem referunt. Unde Paraphrastes fuse & eleganter rei huius sensum ita exprimit: Deus facit, ut qui paulo ante fuerant soli, sine liberis, nunc habeant domum familia plenissimam, & ex unicus personis, ut inquit Felix, facit magnam familiam. Quomodolibet literam interpreteris, hic uides (opinor) totum hunc uersum diuina undequaque scatere erga homines bonitate. Nam certe ubicunque locorum habitant boni, ibi amoenissima est paradisi, quae a fluuio illo, quod in quatuor diuiditur capita, ut scribit Moses, perpetua

irrigatur scaturigine: ubi uero mali, ibi infernus, ibi siccitas, ibi contritio, atque infelicissima bonorum omnium, quae uera bona sunt, ariditas atque inopia. De his enim illud merito dici potest, quod habitant in sepulchris: de illis autem, quos unicos, seu solitarios appellat spiritus, id quod sequitur:

{68.8-9} Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransieris in deserto, terra mota est: etenim coeli distillauerunt a facie Dei, Sinai a facie Dei Israel.

Idem ferme quondam cecinit Debora. Domine, inquit, quum exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, coelique ac nubes distillauerunt aquis, montes fluxerunt a facie Domini, & Sinai a facie Dei Israel. Olim enim Deus suam uolens mundo, praesertimque Iudaeis ostendere maiestatem, ac numinis praesentiam, terrificis id significare indiciis consueuerat, ut in Sinai monte, teste nimirum diuinae legis Dei digito conscriptae, uidere licet. Ecce, inquit, (aduentante scilicet Deo) coeperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem. & haud multo post: Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne. Verum haec omnia felicissimam CHRISTI mortem, atque e tumulto reuiuiscantiam

{pdf 514, p. 249}

portendebant, unde simulac Deus magna emissa uoce inter cruciatus, placidissimam efflasset animam, terra euestigio mota est, ut inquit Matthaeus, petraeque scissae sunt: post uero, in ipso e sepulchri claustro exitu, terraemotus factus est magnus. Praeuidens itaque Vates quae horrenda futura erant diuinitatis CHRISTI in resurrectione signa, illa sub typo illorum, quae in Sinai monte contigisse nouerat, obscure ualde adumbravit. Iam Deum cum suo populo egredi, est illi in aerumnis & angustiis praesto esse, atque suppetias ferre. Unde alio in psalmo queritur iusti anima, dicens: Et non egredieris Deus in uirtutibus nostris. Et est, ni fallor, ad longam illam in solitudine Iudaeorum peruagationem allusio, in qua diuinum cum illis numen in columna noctu ignis, per diu autem nubis proficisci consueuerat. Ideo a Vate est dictum, Cum pertransieris in deserto. quare sic Paraphrastes: Deus cum tu praeires populo tuo, & gradereris per solitudinem. atque hic Selah interiectum est, propterea quod res stupore plenissima detegatur. Deum scilicet sese facilem ac manifestum populo illi ingratisimo exhibuisse. Caeterum coeli distillationem, alii pluuiam, alii manna interpretantur. Nec suo quoque uacat mysterio & sensu, o Sinai & Israelis coniunctim meminit Vates. Etenim in monte Sinai Israelitas in peculiarem sibi populum & filium elegit. Vides ecclesiae in Christo electionem? Iam non illud praetereundum, ter Deus poni in hebraeo: unde sic Paraphrastes: Coeli sudauerunt propter praesentiam maiestatis tuae, o Deus: quin & hic Sinai contremuit, o Deus, Deus inquam Israelis. A facie igitur Dei, a praesentia numinis, a diuino illo Christi resurgentis aspectu, non tantum terra haec elementaliter terraemotu concussa fuit, sed uniuersus plane contremuit orbis, contremiscitque continue. Scinduntur autem non iam rupes amplius aut petrae, uerum hominum corda ad poenitentiam ascita. Sudarunt sane olim coeli, copiosissimisque ad diuinae maiestatis praesentiam perstillarunt aquis: modo uero nullus lachrymarum a consternatis emanantium animis statuitur finis. En quam felix rerum mutatio facta est per Christi egressum e sepulchro, in conspectu populi sui. En quomodo in salubre magis timoris

genus uersus est timor ille Iudaeorum horrendus, quo pene exanimati dixerunt Mosis: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne moriamur, & ait Moses: Nolite timere: ut enim probaret uos uenit Deus, & ut terror illius in uobis esset. Aspicias quomodo cuncta illis terrifica contingere? Vis ne modo amabilem istiusmodi timoris audire commutationem? Prae timore, inquit Matthaeus, exterriti sunt custodes (ecce Iudaeorum timor & facti sunt uelut mortui. Quid porro? Respondens angelus dixit mulieribus, dixit inquam animabus in inquirendo Christo anxiiis & studiosis: Nolite timere uos, nempe timore illo, quo facti sunt uelut mortui caeteri, sed eo quidem, quo uobis concilietur pax & uita: scio enim quod Iesum quaeritis (o felicissimam inquisitionem non est hic. Quid timetis? uitam ne inter mortuos quaeritis? surrexit enim, sicut dixit uobis. Adhuc ne res uobis dubia est? uenite, o Deo charae, & uidete locum ubi positus erat dominus. Quam suauis haec omnia effluunt cursu, illa uero difficili & duro. Verum unde tanta gratiarum dimanauit copia, o Sinai Deus, Deus inquam Israelis? scio, scio unde. Nam

{68.10} Pluuiam uoluntariam segregabis Deus haereditati tuae, & infirmata est, tu uero perfecisti eam.

Quid sit istiusmodi uoluntarium ros, & pluuias, cum alias a diuino hauserunt oraculo sancti Dei interpretes, tum ex illo Iohelis uaticinio: Et effundam, inquit, spiritum meum super omnem carnem. En igitur imber ille uberrimus & salutaris, cuius aquis irriguis mortalium corda madefacta, spontaneum Deoque dignum emittunt fructum. Haec est lex spiritus uitae, gratia & Euangelium, quo pure sancteque populis diuulgato, sancti spiritus imbre foecundatur ecclesia, fitque eius obsequium ac religio ultronea, aperta, libera, non coacta, uique e duris hominum cordibus ex torta. Sunt & qui uoluntariam pluuiam ad Deum referant, qui suapte sponte, utroque nostris minime prouocatus meritis, salutiferam gratiarum pluuiam e largissimo suae bonitatis fonte in nos effundere solitus sit. At in priorem tamen sen-

[sensum]

{pdf 515, p. 249v}

-sum litera quae est Hebraeis declinare uidetur. unde nonnulli sic transfert: Pluuiam liberarum uoluntatum rigas Deus, haereditatem tuam, & cum defecta est perficis eam. Paraphrastes uero simpliciter pluuiam copiosam reddidit: utraque enim interpretatio uberrimae diuinarum gratiarum effusioni conuenit. Solet quidem id genus imbrium, quo homines longo siccitatis aestu afflicti exhilarantur, sensim, placideque, ac sua omnino sponte distillare, non ui atque impetu, ut in tempestatibus fit, e coelo deiici: & est perinde ac si dicat, eam tuae haereditati profudisti pluuiam, uoluntariam nimirum, atque adeo opportunam, quod si illis optio daretur, eam ipsam, non aliam eligerent mortales. Caeterum Dei haereditas, ut non semel admonuimus, ex gentibus a mundo uanisque superstitionibus & cultu erutis, ecclesia est, quam hic nutantem, subtimidamque, dubiam, atque ob praeteritae uitae scelera pauefactam, & ut notat Fel. afflictam asserens uates, a Deo perficiendam, atque in iustitiae semitis stabiliendam praedicat. Mirum quam periculose, ante spiritus sancti donum, quod hic pluuiam appellat Vates, aegrotabant homines: siquidem a legis minis ac terroribus concussi exanimatique, tanquam phrenetici, per salebrosos desperationis errabant anfractus,

orbisque uniuersus uno ueluti facto uolumine in interitum properabat. Verum Deus sui figmenti sortem miseratus, spiritum sanctum suum placidissimo demisit illapsu, atque ita quicquid erratum fuerat, correxit, perfecitque, ac metum illum exitialem, in amoris dulcedinem & suauitatem conuertit: & id quidem, cum uoluntarie nos genuit uerbo ueritatis, ut essemus initium aliquod creaturae eius. Quocirca, o Deus, o numen, o inexhaustum gratiarum mare,

{68.11} Animalia tua habitabunt in ea, parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dictionem quam nostra habet translatio, animalia, cum Hebraeis sit etiam coetus seu turba, miror cur animalia potius, quam coetum transtulerit interpretes. quod si tamen illi animalium uox magis arrisit, quam hominum, fera transferendum erat, non animalia, ut notat Felix. Verum cum de fidelibus, deque illis qui in felicissimis ecclesiae pascuis alendi erant, sit sermo ac uaticinium, dictio animalia, non prorsus fortuito posita hic esse uidetur, atque inconsulto: nam creber in scripturis est usus, ut pii uariis nuncupentur animalium uocibus & nominibus: modo hi oues, modo equi, modo etiam boues, & id genus alia appellantur. Quid? si quem uiderit uulgius duriter sese in edomanda carnis petulantia exercitantem, ridentemque iniurias, atque ambitiosorum hominum pariter & inuidorum persecutiones animose contemptimque ferentem pro Christo, nonne asellum illum esse stolidum, aut mulum in onera contumacem & durum, proclamabit? In eiuscemodi tamen animantibus tota uis fidei posita est. Duri igitur in onera, oppressi, derisi, a mundoque contempti & expulsi, animalia ea dici possunt, quae spiritus in Dei haereditate commorari asseuerat, & quae sub una, & illa quidem tenui ac neglecta paupertatis uoce delineat, dicens: Parasti, haereditatem scilicet, gratiam, Euangelium, gustumque coelestium, in dulcedine tua, o Deus, non in terrore ac minis, ut quondam lex parata fuit Iudaeis. Sed cui potissimum tanta parata est felicitas, o altissime? Pauperi, hoc est, in his quae ad mundum attinent, nudo, iustitiaeque fame laboranti. Ergo esurientes imple bonis, & diuites dimittis inanes. Vis ne, mi lector, fusius etiam, quae sint ea quae uero pauperi praeparavit Dei benignitas in dulcedine et suauitate, non nescire? Audi:

{68.12} Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa.

Ecce praeparatio illa suauis, refertissimaque dulcedine, quam a Deo pauperi spiritu praeparatam legimus, Dei scilicet uerbum, ac praeconium fidei. Quam certe uerum illud est, quod pulchri pedes sunt euangelizantium pacem, euangelizantium bonum. Verum suauitas haec inaestimabilis, qua miro afficiunt spiritus oblectamento animae, inefficax plane est, nisi a numine uirtus ea suppeditetur, qua mens imbuta, non tantum sibi ipsa, quantum caeteris, illum animi conciliet ardorem, ut non iam uerbum illud, quod sparsim in populos disseminatur, appareat, sed merus ignis, & fax, & flamma. Quae pectora tam ferrea inueniuntur atque immitia,

{pdf 516, p. 250}

quae a Dei uerbo illo, quod a mente minime arroganti, aut ore uano, etsi deserto, sed a spiritu, a fide, a charitate proficiscens, pure in populos diffunditur, traiecta non

emollescant? Optimi profecto, ac plane rari, istiusmodi erigendi aedificii nostra hac aetate in terris apparere architecti, uere ad reuocandam pristinam atque adeo apostolicam praedicandi Dei uerbi rationem ac formam, e coelo elapsi, uiri quidem in spargenda Euangelii suauitate adeo mites & ardentes, ut nemo inueniatur tam alte in desperationis barathrum proiectus, quin his uel semel auditis, animum subito colligat, nouamque induat uitae faciem: ita uiuax est Dei sermo, atque efficax. Ite igitur quo coepistis spiritu uiri a Deo missi: nam dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa, tantum absit fucus. Cuperem certae meae professionis homines a tam coelestis satione non esse immunes, ne nihil tandem ad templi fabricam attulisse iudicentur. At pariant saltem calamo, simulac ore nequeunt, si quid, quod Christi maiestate dignum sit, parturiunt. Mutire in excubiis tam necessariis non licet. Sed ad psalmum. Psaltes enim ad antiquum Iudaeorum morem alludens, qui uictoribus e praelio reuertentibus cum choris atque instrumentis musicis occurrere soliti erant: quod sane munus epinicia pro uictoriis decantandi, aiunt mulieribus in primis demandatum fuisse. Unde illud est, quod Sauli, caeso Golia per manus Dauidis, e bello redeunti, egressae sunt obuiam mulieres concinentes, Saul percussit mille, & Dauid decem millia: ad illam, inquam, ueterem alludens consuetudinem, illud protulit: Dominus dabit uerbum euangelizantibus seu, ut hi uolunt qui ad mulieres id referunt, annunciatricibus. Quare sic ex hebraeo reddunt: Dominus dedit, quod annunciatrices de copiis maximis canerent. & quid canerent, subiunxit:

{68.13} Rex uirtutum dilecti, dilecti, et speciei domus dividere spolia.

En laus illa, quam de sponso canunt filii sponsae, nempe quod deuicta morte, rex merito appellari debeat uirtutum, hoc est, exercituum dilecti populi sui, multum inquam dilecti, quemadmodum ipse dilectus est patri. Et gratificauit nos, ait Paulus, in dilecto filio suo. Dilecti igitur simul & delecti ab aeterno patre, suo annexi sumus dilecto unigenito, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius. Idcirco cum tam care, ut cruor est Christi, coempti simus, quid causae est, quin dilecti, dilecti appellari debeamus? Quid? non solum enim robustissimi qui sunt in acie domini, atque in conflictu strenui et uictores, castra hostium diripere ualidi erunt, uerumetiam ipsi desides domi, atque absque labore & puluere belli, speciosi et elegantes, una cum caeteris domus, & nonnunquam copiosius quam illi, diuidet spolia. Hi sunt, ni fallor, qui ad Iesu pedes quiescentes, ad coelestes summa cum pace animi rapiuntur contemplationes, cum alii interim in domini uinea sudantes, totique in infirmioribus instruendis ecclesiae membris intenti, nihil non agunt quo Dei uerbum per uniuersum late orbem disseminetur. Atque his quidem duabus fidei partibus, summam perfectionis ecclesiae consistere non dubitamus. Verum secus hunc uersum legunt, uertuntque Hebraeorum interpretes, & in primis diuus Hieronymus, qui sic transtulit: Reges uirtutum foederabuntur, foederabuntur. quod ad Apostolos, apostolicosque uiros, ut sunt episcopi, caeterique Ecclesiae antistites & doctores, pertinere asserunt, quorum honori id oneris annexum esse uidetur, ut in subiugandis fidei hostibus unanimes, atque uno Dei uerbi telo armati, in ecclesiae castris diuersentur. Aliis item ex hebraeo quoque sic uertere libuit: Reges uirtutum fugient, fugient. quod de ecclesiae hostibus diuini uerbi fulmine exanimandis, adeoque praecipitanter in fugam agendis, ut uel ipsis etiam mulierculis domi ociosis, illos expoliandi fuerit facultas, intelligi potest. Unde sic Felix: Et habitatrix domus diuidet spolia. Sed altiori mysterio, species domus & pulchritudo,

est fidelium unitas, qui laetantur in messe, exultantque sicut uictores capta praeda, quando diuidunt spolia. Verum de his satis, cum prolixo quoque subsequens tractandus sit uersus, ob lectionis uarietatem.

{68.14} Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi eius in pallore auri.

{pdf 517, p. 250v}

Praetereo prudens quae hic de cleris a nostris dicuntur, sublimia illa quidem & diuina, sed quae nihil ad hunc uersum explanandum faciunt, cum dictio illa in codicibus emendationibus non inueniatur. Siquidem ea est in hoc loco Vatis intentio, ut atrae comparet nigredini mortalium miseriam: candori uero, a miseria liberationem. Cuius rei (opinor) fuit praeludium, quando resurrectionis Christi, nostrae omnis miseriae ob longum in peccatis usum contractae liberatoris, e tumulo nuncii splendidissimis mireque albicantibus uestiti indumentis apparuere. Quocirca sanctissimae quaedam mulieres cum timore simul & gaudio celeriter a monumento exeuntes, rem stuporis plenam caeteris enarrarunt discipulis, cum nihilominus antea, cum adhuc peccati negocium in purissima Christi carne ageretur in cruce, tetra omnia fuissent, luctuosa, ac moesta. Ex hebraeo itaque sic reddit Felix: Si dormiatis inter chytropodes, hoc est, ad focum desides. quod expressius ab aliis redditur: Cum iaceretis inter ollas, alae columbae obductae argento. Clarius adhuc nonnulli: Si etiam tanquam inter ollas desidentes atri sitis, iam eritis candidi uelut tecti pennis columbae. Fusius porro Campensis: Si hucusque inter fuligine obductas ollas iacuistis, et tam atri quam carbo facti estis, eritis posthac tam candidi quam alae alicuius columbae, etiam si argento exornata fuerit, & pennae illius eleganter admixtum habeant auri pallorem. Vide, ad quantum ecclesia candorem, e uitiorum fumo atque errorum fuligine eruta, promotam sit, quae niueis columbae pennis, plumisque argenteis fuluo intertextis auro comparetur. Quid elegantius in omni rerum artificio cerni potest, quam cum nitidissimum, purgato splendidoque distinctum auro, argenti uas facti, aut indumentum conspicitur? Ita nimirum ornata est Dei ecclesia, nempe fide, ac Dei uerbo, igne spiritus excocto, atque, uti solet purgatissimum argentum uase alchimico affabre depuratum, miro defaecato artificio. Atqui istiusmodi duabus suffulta alis ecclesia, adeo in altum euehitur, ut nullo remorata obice aut impedimento retardetur, quo minus in sinum patris fessa, una cum eius filio deuolet, conquiescatque, ulla absque perturbatione, in Dei amore. Atra enim nigerrimum in modum obducta est anima caligine ac fumo, cum in peccatis obuoluta, ad concupiscentiarum praefurnium, aut chytropas, ociosa sedet: uerum a diuino experrecta numine, uulnerataque ad uitam, tetrus illico exuitur corui illius pennis, qui egrediebatur, & non reuertebatur. ut inquit Moses, ad arcam: Columbaeque argenteis induitur plumis, quae uirentibus oleae ramum foliis secum asserens, ad arcam reuersa est. Vide quid Paulus de utriusque alitis asserat pennis: Sicut, inquit, est ueritas in Iesu, deponere uos secundum pristinam conuersationem ueterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Ecce corui nigredo: ecce animae fuligo ante Christum. Vult ne modo, ait, columbae e regione candorem attendere? Renouamini autem spiritu mentis uestrae, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate ueritatis. Verum unde haec (pro immensa dei bonitas) unde haec, inquam, tam

repentina ecclesiae albedo? unde candor? unde subitum istuc effulsit lumen? nempe ex eo, quod

{68.15} Dum discernit coelestis reges super eam niue dealbabuntur in Selmon.

Non ultra Hebraeis procedit uersus. Mirantur nonnulli interdum, cur tam uariis, tamue frequentibus utatur similitudinibus Vates. Hi nouerint, praecipuum id in poetis requiri, quod apte, uarie, concinneque sua perornent metra comparationibus & metaphoris. Ad haec, quid maiorem afferre solet rebus pertractandis notionem ac lucem, quam cum similitudinibus utimur? quibus quidem, tanquam ornamentis ac gemmis, totus is intertextus est psalmus. Etenim posita columbae candicantis similitudine, aliud item candoris genus copiosissimum adducit Vates, montis scilicet Selmon, qui proxime Iordanis ripas situs, niue ferme perpetua summo albicat uertice. Felix tamen nulla de monte hoc mentionem faciens, sic transtulit: Dum extendet omnipotens reges in ea, uelut niue dealbabis obscuritatem. Idem fere Campensis: Cum distribueris, inquit, o omnipotens, per

{pdf 518, p. 251}

uarias prouincias, qui regant eam (columbam scilicet) tu candidiorem reddes eam niue, quae hucusque uersata est in obscuritate. Ergo a pastorum perfectione, quos hic reges appellat spiritus, candor istiusmodi, qui niuem quamuis candidissimam superat, in subditis perficitur: quandoquidem obscuro & caliginoso antistite, nempe in mundi coeno ac uolutabro sese oblectante, aut indocto, aut, si docto, Dei timore uacuo, non candor quidem argenteus aut aureus obducitur ecclesiae splendor, sed caligo, nigerque fumus, & atra nox. A suis igitur superioribus stat, aut nutat religio: nitoreque aut nigritie ab eorum qualitate induitur Christi sponsa. Verum occultiori sensu montem hunc Selmon, quem caliginosum, seu, ut uult Philo, umbram offendiculi interpretantur, Christum esse suspicor. Nam quicquid candoris nacta est ecclesia, a cruentis Christi uulneribus, ac cruce ortum habuit, quae quidem gentibus stultitia, Iudaeis autem scandalum semper extitit. Crucem etenim Christi ueluti in conspicuo positam cernimus: ad illius uero gloriam, utpote profunda in caligine diuersantem, caecutimus omnino: ita prorsus humana est conditio. In hoc igitur monte obscuro atque umbroso, hi qui sua execrantur scelera, refrigerantur, illamque nanciscuntur animi pulchritudinem & candorem, quem in Dei religione esse conuenit, & qui passim omnibus ob praesulum integritatem conciliatur. Mons sane iste felix, est mons aureus, mons sanctus,

{68.16-17} Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus. Ut quid suspicamini montes coagulatos? mons in quo beneplacitum est Deo, inhabitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Miror si quae hic de feracissimo dicuntur monte, de alio dici monte opinaris, quam de illo, quem praeparatum in uertice montium, & ad quem confluere debebant omnes gentes, praedixit Esaias: is est Dei filius: id saxum illud est, quod e monte absque manibus excisum fuisse legimus. Vide itaque nostri montis fertilitatem: siquidem cum gratiarum omnium copia refertissimus sit, uariisque consitus uirtutum plantis, nonne

mons Dei merito dici debet? nonne pinguis? nonne coagulatus, seu superciliorum mons, ut uertit Felix, hoc est, in uaria assurgens iuga? nonne, inquam, ferax est, opimisque uberrimus pascuis? atque his omnibus, qui cum Vate illo Morastite sese ad montis domus Dei Iacob ascensum accingunt, obuius? Quid? nonne ille, de cuius nemoroso uertice audacissimus Abimelech cum exercitu praecidit ramos, quorum fumo atque igne, mille hominum cum praesidio turris Sichem extincti sunt? Verum haud omnium quidem est, quod de Corintho dixere antiqui, adire Selmon: quoniam mons Dei est, quem qui ex inquinato uulgo tetigerit, siue iumentum id fuerit, siue homo, non uiuet. Cum itaque bonis omnibus redundans sit mons iste, qui fit, o diuini expertes luminis, ut caeteros huic similes esse montes suspicamini? nam una est Ecclesia, unus Christus, unus mons, ad quem utique omnes, quibus sua curae est salus, confugere necesse est. Is solus est enim, in quo beneplacitum est Deo, habitare in eo, non ad tempus quidem, sed in aeternum. Siquidem Pater & Filius idem est Deus, idem amor, eadem uoluntas, numen, maiestas. Caeterum, Ut quid suspicamini, secus habent Hebraei. Sic Felix: Cur exilietis montes excelsi? illum montem dilexit Deus, ut inhabitaret ipse. qui quidem Felix, seipsum exponens, ita ait: Ut quid insidiosae intuemini montes altissimi aduersus montem quem dilexit Deus, ut inhabitaret ipse? Unde Paraphrastes: Quare inuidetis reliqui quantumuis cliuosi montes, monti huic quem elegit Deus? Montes porro excelsos seu cliuosos appellat Vates, rebelles angelos, atque horum simillimos, mundi huius sapientes, superbosque, atque, ut eos depingit Paulus, repletos omni iniquitate & malitia, contumeliosos, elatos, inuentores malorum, absque foedere, proditores, ac Deo tandem odibiles. Putas ne sua tunc tempora duntaxat deliniasse Apostolum, an nostra quoque similiter? Vtraque, opinor. Quid si nunc uiueret? aut (credo) scelerum magnitudine deterritus, sileret omnino, aut ad rauim usque clamaret, sese non omnia quae dicenda fue-
[fuerant]

{pdf 519, p. 251v}

-rant, dixisse, connumerasseque flagitia. Totus plane corruptus est orbis. Verum ne a monte sancto Dei declinantes, per loca deuia & inaquosa, id est, parum hominibus grata, diuagemur incauti, unde digressi sumus, reuertamur. Mirum quam fastidiose uera audiant homines.

{68.18} Currus Dei decem millibus multiplex millis laetantium: Dominus in eis in Sinai in sancto.

Ecce triumphantis Christi, quem montem Dei diximus, de peccato, atque adeo de morte & inferno dignitas. Nam, ut inquit ille, in multitudine populi dignitas regis: cuius sane multitudinis numerum, cum tam immensus sit, ut in ipso, quicquid credentium uspiam fuit unquam, eritque in posterum, intelligatur, quis aliquando recensere poterit? Omnium enim quotquot cum Christo resurreximus, conregnabimusque, sedentes in coelestibus, ut inquit Paulus, in Christo Iesu, pompa hic uictoriae describitur, non solum angelorum, ut nonnullos interpretari uideo. Porro curruum mentionem hic facit Vates, morem spectans triumphantium, qui curribus uecti aureis, insigni sese uisendos populis praebebant spectaculo. Ad haec, indiffinitum uolens intelligi numerum, diffinitis usus est uerbis: quod expressius ab Hebraeorum interpretibus redditum est. Sic Felix: Currus

Dei centena millia, duo millia angelorum. Alius uero: Currus Dei bis decem mille millis. Rursum alius accumulatus: Currus tui o Deus myriadum, ac infinitorum millium sunt. Paraphrastes autem sic totum integrum reddit uersum: Equitatus Dei centenorum est millium: habet & angelorum millia, quibus comitatus nunc huic monti adest Dominus, sicut olim Sinai, cum sanctimonia, ut plane illud, quod noster uertit interpres, in Sinai in sancto, ad tremendam illam, religionisque plenissimam, ac numinis Dei praesentiam referatur, cum tota circumquaque tubarum clangore, atque horrisono terrae moto, ac tonitribus perstreperet regio, descenderetque suo cum populo foedera. Is igitur idem ille est, qui in Sinai olim uertice, tam maiestate plenus apparuit, qui & nunc innumerabilibus myriadum laetantium millibus comitatus, tanquam triumphator e cruce, e bello, e tumultu candidissimis euectus equis, orbeque uniuerso subiugato, occisa morte, deletoque peccato, non Capitolium illud impium, Ioui dicatum, praeunte senatu ascendit, sed coelum, sed digniorem spirituum coelestium sedem supergressus, ad dexteram Dei patris uni cum suis simillimis, nempe cruci, contempto mundo mundique tyrannide, assuetis, collocatus est. Quocirca (ut te nunc alloquar, o altissime)

{68.19} Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus, etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.

Aperte hunc uersum de Christi resurrectione, seu post crucem exaltatione donisque spiritus, adducit ad Ephesios scribens Apostolus. Sed quod nos legimus etiam cum Hebraeis, accepisti dona, Paulo est, dedisti dona, sensu nimirum potius adducto, quam uerbis ipsis. Siquidem quo ex hominibus dona, hoc est, sanctas animas acciperet Deus, dona prius oportuit ut daret. quod quidem Paulus prudentissime superioribus attexit uerbis, asserens, quosdam apostolos a Deo datos, quosdam prophetas, alios Euangelistas, alios pastores & doctores, qui sane omnes eorundem minime donorum immemores, electos, per Euangeliumque acquisitos, uice munerum Deo offerrent: ille uero tanquam suae beneficentiae fructum, proborum animas quasi donaria sumeret. Ad haec Christus, ut asserit Augustinus secundum quod unus cum patre est Deus, dedit dona hominibus: secundum autem quod caput est Ecclesiae, accepit, sed in hominibus sed in membris, sed in his qui spiritus donis indigebant. Neque perinde diuinae incongruum est bonitati dicere Christum etiamnum largitiones ac dona a patre accipere, quando sui accipiam quoniam ipse caput est, ipsi uero uiua illius membra: nam quicquid uel bonorum a patre, aut ab homine, uel malorum quoque ab improbis suis irrogatur amicis, id sibi irrogatum putat. Verum quoniam dona istiusmodi spiritus adhuc in occultissimis diuinae prouidentiae recondita erant thesauris, anteaque Christus eo, unde nunquam

{pdf 520, p. 252}

discesserat, remigraret (nondum enim erat spiritus datus, quia nondum Christus erat glorificatus) necesse plane fuit, ut hinc ex hoc mundo, ut ipse aiebat, transiret ad patrem. Idcirco suos consolans discipulos, incredibilem in modum ob suum a mundo abitum afflictos, solitus erat dicere: Nisi ego abiero, paracletus non ueniet ad uos: si autem abiero, mittam eum ad uos. Profligato itaque mundi principe, o lumen meum ac uita, imisque istis relictis tenebris, ascendisti in altum, accepisti dona in hominibus, qui sumus nos, quos tu tibi, ut tua in coelis dona essent, in terris per tuum sanctum uerbum

atque Euangelium, e quo amor ac fides egerminarunt, praeparasti. Nonne aureo tuo ore illo, quo condita omnia in lucem edita sunt, dixisti: Cum exaltatus fuero a terra, omnia (ea dona) traham ad me? Verum tu prius, in ipsaque triumpho pompa ac gloria, captiuam duxisti captiuitatem, tua nimirum dona, nempe electos, per turpissimam Adae praeuaricationem, sub daemonum concupiscentiarumque imperio pressos: hinc, tanquam uictoriae testes, tecum duxisti solutos, ac plane liberos: illinc uero pone aliam catenis onustam captiuitatem, hoc est, quicquid miserrimum hoc Adae genus captiuum fecerat, scilicet diabolus, peccatum, mortem, infernum, currum sequi triumphalem praecepisti. O laetum spectaculum. Vide quam manifeste donorum huiuscemodi munificentiam, belli item, uictoriaeque & triumpho imaginem describit Paulus: Donauit, inquit, nobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Quod donarium unquam uisum est tam nobile & copiosum? Vis ne dirum cum tenebrarum principe audire congressum? Et ipsum, inquit, tulit de medio, affigens illum cruci. Difficile illud sane fuit certamen, & cruentum, sed felix omnino subsequuta est uictoria, & triumphus. Et expolians, ait, principatus & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso. En igitur quomodo secum captiuam duxit captiuitatem Dei filius, ducitque continue. Quare non frustra a Paulo fuit dictum: Deus semper triumphum suum agit per nos in Christo Iesu. quid illud? Et captiuam, inquit, ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo, Ita nimirum nostra hac etiam tempestate triumphat Deus in Christo per Ecclesiae ministros atque antistites, si boni sunt, haud secus, ne forte triumphum illum esse Deo dignum opineris, cum quis sibi subditos adeo acerbe atterit, atque iniuriis affligit, ut plane nullum suum esse dominium arbitretur, nisi imbelles opprimat, atque de illorum contumeliis triumphet. Vilissimus is est animus, ne illum interim impium appellem, atque a Deo alienum. Caeterum, Etenim non credentes inhabitare dominum Deum, Hebraeis est, Insuper etiam rebelles, seu defectores, ut inhabitet Iha Deus. Iha porro dictionem, partem esse tetragrammaton, quam seruatorem interpretantur, in superioribus diximus. Unde sic sensum reddit Paraphrastes: Quin & rebelles plurimos, & Dei penitus ignaros, in gratiam recepisti, ut uere dici nunc possit, habitare inter homines te seruatorem Deum. Quare

{68.20} Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Sunt uoces hae laetitiae, Christum ad coelos usque laudibus efferentium, qui perpetuis tanquam epiniciis in ecclesia propter assiduas proborum uictorias exultantes, audiuntur. Idcirco additur, die quotidie: hoc est, de die in diem, ut ex graeco transferri potest: seu ex hebraeo simpliciter, quotidie, aut per singulos dies. Laudandus itaque dominus Deus, qui cursum hunc uitae nostrae, atque iter, curru illo suo triumphali adeo, si quid scabritiei inerat, explanauit, ac tutum fecit, ut nihil in eo, quod prosperum idem num sit ac fortunatum, remanserit. Ipse, ipse inquam saluationum omnium nostrarum autor est, & effector. Sunt qui uocem, quam noster transtulit interpres, salutarium, Hebraeis Iesuoth esse asserant, qua totius Trinitatis opem mortalibus collatam signari opinantur: unde ex nostris sic quidam, Cum uideris Iesuoth, id est, salutare, in psalmis, assurge ad laudandum patrem & filium & spiritum sanctum, nostrae salutis autores, unum & idem, omnipotens, salutare. Caeterum in hebraeo nulla

de itineris prosperitate fit mentio: sed ea illis est litera, quae solitos in Vate affectus, nempe concitos atque ardentis, ostendit
[ostendit]

{pdf 521, p. 252v}

-dit. Aggrauabit, uertit Felix nos Deus salute nostra: hoc est, ut se ipse interpretatur, pro onere imponet nobis salutem. quod ex eodem alio fonte clarius reddidit: Gratiae, inquit, domino Deo quotidie, qui nos salutaribus beneficiis obruit. unde Paraphrastes: Tam est in nos beneficus, ut onerare nos uideri merito possit. Diuinis, inquit, obruimur donis, oneramus, ad summumque explemur. O certe rem multa animaduersione dignam: quare non immerito huc interiectum est Selah. Praeterea non contentus Daud, & semel, & iterum in uno eodemque uersu nomen Dei amabile posuisse, etiam atque etiam idem in sequenti, more suo, non absque tamen diuinitatis, sanctaeque Trinitatis mysterio, inculcat:

{68.21} Deus, inquit, noster, Deus saluos faciendi, et Domini Domini exitus mortis.

Deus saluos faciendi. ex graeco simpliciter uerti poterat, Deus salutis: uel, in salutem, ex Hebraeo: uel etiam, salutem, hoc est, ut interpretatur Paraphrastes, omnimodae salutis autor. Alii etiam auxiliorum uertunt, quo uerissimum illud Dei in Osea apparet: Perditio tua, inquit, ex te Israel, ex me tantummodo auxilium tuum. illud quoque, domini, domini, suo non uacat mysterio. Volunt enim primam dictionem, quae puram Dei naturam ac substantiam praeferat, nempe tetragrammaton, Hebraeis esse: alteram uero Adonai, quam diuus Hieronymus ex more Deum transferre solitus est: illam autem, Dominum. Quocirca is erit sensus, quod Deus ille, qui per se est, uiuitque in seipso, atque in se manens, & uitae & mortis, tanquam omnium dominus, imperium possidet, quemadmodum mortalibus seruandis est autor, ita ut mors exeat, longeque a suis propellatur, illius bonitatis proprium est. Ad Deum itaque salus, ad Deum uita, ad Deum tandem attinet mortem procul effugare, expellereque a suis, qui interdum in morte deseri uidentur: nanque eo aliquando artificio ad crucis gloriam sensim promoueri uult Deus suos. quanquam hic mihi nescio quid subodorare uideor mysterii, felicissimae uidelicet resurrectionis Christi, qui e mortis uinculis egressus, ad immortalem accitus fuit uitam, quo & nos cum ipso, abiectis prius mortalitatis exuuiis, dirutoque molis huiusce corporeae obice atque impedimento, introducemur beati. Hic igitur nostrae ad incorruptionem reuiuiscendae fit mentio, cuius autor, atque, ut inquit Paulus, primogenitus, fuit Christus: primogenitus, inquit, ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.

{68.22} Veruntamen Deus constringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Capita hic uocat spiritus, peruersarum sectarum principes ac duces, quos una cum perseuerantibus in delictis suis confractum iri uaticinatur. Hebraei tamen caput uertunt singulari numero. Nam certe sublato e medio seditiosorum duce, seditio, ut in praeliis fit, actutum residet. Quid de illis opinandum, in quorum ore illud est frequens & tritum:

Si uis regnare, diuide, hoc est, seditiones excita? haudquaquam Christianorum mos is est. Vide quid dicat: Etsi, inquit, Deus saluos faciendi, non interimendi Deus sit, ueruntamen iustus est. Eam ob rem caput illud superbum, ducemque sceleratum inimicorum suorum, nempe factiosae, ac tum in Deum, tum in homines iniuriosae multitudinis altorem percutiet, perpetuoque denudabit opprobrio, quemadmodum denudantur foliis arbores, aut riui alueus, ut inquit Esaias, a fonte suo. Verticem capilli, more Hebraeo pro capite posuit hoc est, illius nudabit caput, prorsusque, quo uulgo notum fiat, glabrum reddet, Paraphrastes autem sic interpretatur uersum: Proculdubio, inquit, Deus uulnerabit caput inimicorum suorum, findet caput eius, qui perdurat in peccatis suis obstinatus. A capite igitur, a principe, ab ipso uulgi uertice ortum fere habet quicquid delinquit multitudo. Sed

{68.23} Dixit Dominus, ex Basan conuertam, conuertam in profundum maris.

Vide aptissimam similitudinem in diuino describendo, in sceleratum seditiosorum caput & ducem, iudicio, quem Og regi Basan, Pharaonique Aegypti, impiissimis nimirum regibus ac saeuis, comparat Vates. Dixit itaque Dominus, sic de-
[decreuit]

{pdf 522, p. 253}

-creuit. (Mos est prophetis, si quid serio dicturi sunt, & quod summam indubitatumque exposcit fidem, huiusmodi locutionis genere praefari: Haec dicit dominus.) Sic igitur ab aeterno loquutus est Deus: sapientissimo, atque eo quidem omnino modo, & robore, meos tutabor subditos, conuertamque de graui impiorum iugo in libertatem, quo ex Basan olim occiso rege, deletoque illius exercitu, populum eripui meum, illique inimicorum bona ac fortunas diripiendas tradidi: uel eo quo antea fluctibus obruto Pharaone, mare siccis peruadarunt pedibus. Is enim sensus, ne nouus coactusque uideatur, e litera quae est Hebraeis, formari potest. Siquidem, de profundis, seu profundo maris, hi uertunt: non, in profundum, ut nostra habet editio. Proinde ex illis quidam sic transtulit: Restituam a Basan, restituam a profundo mari: hoc est, populum meum afflictum, atque a tyrannis oppressum, e malorum immensitate atque profundo, in liberiores uitae statum restituam, deletis interim profligatisque meae religionis hostibus quos tam seuerè, ut meriti sunt, percutiam & uulnerabo,

{68.24} Ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Dira sane, sed aequa nihilominus, ac digna sceleratis impiorum ausibus ultio. Adeo, inquit, inexorabiliter illos feriam, ut pes tuus conspergi illorum possit sanguine, linguaque canum tuorum lambere illum, &, si libuerit, bibere ualeat. Ab ipso, ad improborum altorem referunt: unde sic suis in annotationibus scribit Felix: Ut pes tuus, & lingua canum tuorum intingatur in sanguine, qui effluet ab inimicis, & ab ipso principe eorum. Nonnulli uero ad Deum illud referri existimant, & dicunt: Ex inimicis ab ipso, Deo scilicet interemptis. Vide an horum omnium typus Achab ille impius, uenditusque, ut faceret malum in conspectu domini, fuerit: cuius sanguinem, ut est in

tertio Regum, cum in praelio occubisset, linxerunt canes in Samaria. Verumenimvero tuae partis homines, pii nimirum, ac religionis susque deque studiosi,

{68.25} Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

Melius uertisset interpres, si gressus, aut incessus, aut etiam, ut interpretatur Campensis, successus uertisset. sic ille: Viderunt pii hos successus (nempe ultionem sumptam ex hostibus, opemque illatam oppressis, atque omnia demum, quae hactenus in triumphali pompa pro diuino asseruit honore spiritus) & agnouerunt eos esse abs te. Successus, inquam, illos esse agnouerunt abs te, qui Deus meus es, & rex meus insigni sanctimonia praeditus. En quanto hic mentis ardore affectus fuit Vates, quanta ui fidei, quanta amoris: quod sane ex repetitis uocibus illis a corde mirum in modum coelesti exusto incendio manantibus copiosissime de monstratur, Deus, Dei mei, regis mei, & qui est in sancto. Quid sibi haec uolunt? Viderunt, inquit, felices animae illius incessus, atque inter illos, qui pie casteque uiuunt, uestigia & successus: quia Deus meus est, mea uirtus, mea sapientia, meus amor, illeque, cuius domicilium sanctimonia est ac puritas, tantum abest ut in sordido diuersetur animo sanctus sanctorum. Idcirco

{68.26} Praeueniunt principes coniuncti psallentibus in medio iuencularum tympanistiarum.

Pompa hic gaudii spiritualis ecclesiae narratur, cuius internae laetitiae signa illa sunt solennia, quae in cantorum numero concinne admodum perornato, distinctoque uariis cantibus atque instrumentis musicis, palam apparent: addo & templorum insignes uariatosque apparatus, ac sonoros illos, atque ad numerum dispositos, altisque e turribus auditos ex aere strepitus & tinnitus, quibus non parum exhilarari solet multitudo. Gestire tum gaudio uidentur omnia. Verum nihil prope modum haec ad diuinum cultum, si, Quamobrem ea a patribus instituta fuerint, ignoret uulgus. quanquam certe in ecclesiae exordiis tum, cum pietatis summam in animo potissimum sitam esse definirent homines, arderentque omnia ullo absque externo adminiculo, istiusmodi templorum ornat in usu num fuisse suspicor. Patres tamen quemadmodum sanctissimi illi quidem fuere uiri, sic sanctissime nostrae consulentes ignauiae, hosce longo quasi postliminio reuocarunt ritus, antiquissimos sane il-
[illos]

{pdf 523, p. 253v}

-los, quippe qui ante Christi accessum ad homines extiterint, quorumque morem Vates hic breuiter ob oculos ponere studuit: usqueadeo tamen, quod si quid intus mysterii delitesceret, a candidis discuteret ingeniis, ac puris animis. Qui quidem mos is fere fuit. Nam ornato templo, aut arcae loco, cum gratias Deo ob insigne aliquod beneficium agere instituissent, cantores in primis anteire iussi post primarios tamen multitudinis uiros) suauissimo rem inceptabant concentu. hi postea qui musicis modularentur instrumentis. Sed his omnibus interiecti puellarum chori, tympana, honestissimis corporis motionibus, grauique ad numerum passu, atque inuicem gyro ac nexu, pulsabant. uulgus deinde. Vides ecclesiae decorem? uides quo illae spectarunt umbrae?

uides diuinum in celebrandis Dei laudibus, & ordinem, & ritum? In re enim spiritus primi esse debent praesules & pastores, caeteri deinceps: alioqui quo exordio, aut quo unquam ordine aut modo, diuinas illas celebrabit uulgus laudationes, quas tum ore, tum mysticis purarum mentium instrumentis, ac castimoniae tympanis atque organis celebrari oportet, nemine, ut sic dicam, anteaambulone, qui & uita & doctrina, tanquam sanctitatis signifer, anteat? Obsecro, quid roboris imbecillium animis afferre potest praesul, aut nulla praeditus sanctitate & doctrina, aut doctrina solummodo absque spiritu? Docti sunt & daemones, sed nulli tamen sunt usui pietati. Quid porro cantores hic positi (in longum iam nimium procedere psalmum uideo) una cum psallentium uirginum choris prae se ferant, tu, cui integer est animus, nempe a mundi uanitate liber, tecum discute. Mihi sat fuit rei summam, ut olim Mercuriales statuae uias indicabant, praemonstrasse. Praecesserunt igitur principes, ut uertit Felix, postea psallentes, in medio uero puellae tympanizantes. Idcirco uos ea imbuti, qua antiqui erant, fide, atque animi candore, o patres, o praesules, o qui audacter ad animarum rectione, difficilem illam omnino, acceditis, una cum grege a uobis in sanctitate & iustitia instructo, non odiis, iniuriis, aut pessimo vitae exemplo dissipato,

{68.27} In ecclesiis benedicite Deo domino de fontibus Israel.

Quae sint istiusmodi ecclesiae, expressius ex hebraeo referunt. In coetibus, aiunt, laudate Deum. alioquin una est Ecclesia, una columba, una unico Dei filio sponsa. Agitedum, inquit, diuinum, ubi quamplurimi ad id conueniunt, nomen cultumque extollite: purum enim Euangelium, non fabulas, non errores, non uestra somnia edocete, clausisque amoris, ac iustitiae malleo uim fidei rudibus subditorum auribus infigite: & id in Ecclesiis, hoc est, in locis ubi habitat Christus, atque eius spiritus. Caeteri autem hominum conuentus, conuenticula magis impia dici debent, quam plebs Dei, populusque acquisitionis, et gens sancta. Odiui, inquit Dominus, ecclesiam malignantium. Qui porro sint, qui ad ueram spectent Ecclesiam, in sequentibus aperit Vates, dicens: De fontibus Israel, nempe illorum qui e Dei populo originem traxerunt: nam pro origine fontem dixit, utpote qui sit omnium, caeterarumque aquarum origo & principium. Unde Felix uerrit, de scaturigine. quanquam fons ipse aeternus, unde effluxit Ecclesiae decor, ac uirtus fidei, Dei gratia est, ex qua illud suauissimum, tanquam riuus, emanauit uaticinium: Haurietis aquas in gaudio de fontibus seruatoris. Quae tamen gratia cum ab uno exeat principio, qui Deus est, ob uarios nihilominus effectus, multiplicesque deriuationes & scatebras, plurali usus est uoce quare is erit sensus: In Ecclesiis, id est, in conciliis iustorum, & congregationibus, magna Dei opera, exquisitaque, in omnes uoluntates eius, laudate: laudate, inquam, dominum, o uos, qui e Dei populo, tanquam e uite propagines, aut e plantario surculi, originem ducitis: ibi enim uiuae aquae sunt, ibi pax, ibi Deus,

{68.28} Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephthalim.

Duo hic mihi magno uidetur agere artificio Propheta. Primum quidem ad historiam tribuum istiusmodi, quasi aliter agens, prudentissime alludens, Christi, sanctaeque eius Ecclesiae mysterium detegit. Postea uero, cuius uirtutis hi esse debeant,

{pdf 524, p. 254}

qui aliis praeesse efflagitant, obscurior quadam uocum ratione indicat. Benjamin quidem tribus, minima omnium tribuum fuit, eo maxime tempore, quando ob stupratam Leuitae cuiusdam uxorem a Gabaonitis, pene tota a caeteris tribubus deleta fuit. Proinde Benjamin paruulum, non adolescentulum, hic legunt Hebraei. & quod noster uertit interpres, in mentis excessu, hi habent, dominatur illis. Vnde sic Felix: Ibi Benjamin paruulus dominatur illis. atque id dictum uolunt propterea, quod regno multis postea annis floruit. Quamobrem autem tribuum solummodo Benjamin, Iuda, Zabulon & Nephthalim, mentionem faciat Vates, id non absque mysterio factum putant. Siquidem e tribu Benjamin Paulum, qui de Deo quasi in mentis excessu atque ecstasi locuturus erat, originem ducturum praeuiderat: e Iuda uero non solum Christum omnium seruatore, sed & eius consanguineos, ut fuit Iacobus iunior, Simeon, Iudas, & Ioannes. Zabulon autem ac Nephthalim erant in Galilaea, e qua non paruam discipulorum manum Christum uocasse legimus. quare in Actis, ut refert Lucas, ardentem ac uariam loquendi peritiam in illis admirantes Iudaei, dixerunt: Nonne omnes isti qui loquuntur, Galilaei sunt? Illud quoque ab angelis prolatum: Viri Galilaei, quid admiramini, aspicientes in coelum? Quod porro Petrus, Andreas & Philippus Galilaei fuerint, ex Bethsaida, suo in Euangelio testatur Ioannes. Vide igitur quam callide sciteque principes illos Ecclesiae, de quibus alio in psalmo sic asserit, Constitues eos principes super omnem terram, in medium adduxit Vates: nempe illorum adumbrans effigiem, qui nunc sacris praelati locis, eo supra modum laetantur titulo. Benjamin filium dextrae, interpretatur Philo, Iuda confessionem, Zabulon habitaculum fortitudinis, Nephthalim dilatationem: hae sunt nimirum partes, quas ad animarum antistitem spectare credimus: his sane demptis, non uideo cur Dei ouilis appellari quis pastor debeat. Ut sit igitur in primis illius dexterarum filius praesul necesse est, de qua sic Salomon: Partes dexterarum nouit dominus, uel eius quoque, qua se amplexandam a sponso praedicat sponsa: Dextera, inquit, illius amplexabitur me. qui enim istiusmodi obstrictus est nodo & complexu, totus in Deum per amorem translatus est, hincque illa emanat intrepida, quae fit ad salutem, confessio: quae ut eo, quo modo fieri debet, efficiatur, bene forti animo, non meticuloso aut dubio est opus: ut ferme absque Zabulon sua in confessione mutire Iuda uideatur. Tribus his itaque perfectissimis perornatus gradibus antistes, arctissimisque mundi erutus impedimentis, nempe auaritiae, libidinis, odiorum, superuacaneorumque curarum, ambitionis, atque malarum rerum omnium altricis ignorantiae, in campo dilatatur fidei, quae est in Christo Iesu, in quo thesauri omnes insunt sapientiae, ac sanctitatis: hisce enim merito committitur a Deo doctrina spiritus, atque animarum curatio. Unde additum est,

{68.29} Manda Deus uirtuti tuae, confirma hoc deus quod operatus es in nobis.

Hic mihi intuere, quam egregio coelitus dignentur cognomine ueri Ecclesiae patres: hos Dei uirtutem esse, per quos aeternus pater sua impartitur dona hominibus, asserit spiritus. Manda, inquit, synceris illis pastoribus, qui dexterarum tuae, per quam uirtutes operari consuescis, sunt filii, ut tuum alant gregem, ut pascant, ut dirigant, ut ad aquas refectionis minent. Etenim tua suffulti manu, instinctique spiritus suauitate, quomodo sua illa abutentur autoritate, ut nonnullos, etiam ex his qui mundo mortui uideri uolunt,

abuti cernimus? Quam ualde execrandus est pastor, qui in moderando Christi grege, pro uirga, duro utitur fuste, aut gladio: pro amore, odio: pro beneficiis, sua tantummodo quaerens commoda, maleficiis. Verum tu domine, quod hucusque in tuorum operatus es gratiam & salutem, nostris haudquaquam offensus delictis, confirma, stabilique factum esse decreto tuo, ut praeponantur ouili, qui ueri sint pastores & patres, non mercenarii, non lupi, non tyranni: hoc sane exorato, tranquilla omnia, quae nunc commota uidentur & confusa, succedent: tunc pax, quae nulla nunc est: tunc charitas, quae penitus refrixit: tunc pietas, quae fere ignoratur: tunc suus decoloratae restituet sponsae uigor, ac natiuus color, & gratia. Tunc, inquam,

{pdf 525, p. 254v}

{68.30} A templo tuo in Hierusalem, tibi offerent reges munera.

Totam hic pene ueram describi ecclesiae effigiem & pulchritudinem uideo, quae in eo maxime posita est, ut uerum Dei sit templum ac domicilium: a quo illud in primis requiri oportet, ut totum, quantum est, uisionem referat pacis (haec est Hierusalem) ac radiis a iustitiae sole, qui Christus est, emicantibus resplendeat. A pacato itaque ecclesiae statu & splendido, pacati illi reges, quos supra Dei uirtutem appellari diximus, suis cum muneribus, quae sunt piorum animae, uirtutum odoramentis insignes, prodire solent, O felicem animarum statum, si illis hi contingant patres, qui & uita & doctrina eam prae se ferant sanctitatem, ut dii merito in terris haberi possint, non homines, infinitis animi aegritudinibus ultro obnoxii, Interim uero tu o Deus,

{68.31} Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in uaccis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Volunt interpretes Latini, malos principes & antistites hic feras arundinis appellari, nempe crudeles & diros, qui in umbra calami, ut inquit Iob, in locis humentibus dormientes, ad omnem uentum doctrinae mouentur, uertunturque eam in partem, ad quam maiori impelluntur animi permotione. quos & coetum taurorum in uaccas populorum, hoc est, in subditos debacchantium, ut eos tandem a probitatis instituto & proposito, licet Dei uerbo, tanquam igne argentum, probatos excoctosque, deturbent, uocare libuit: quos omnes a seuerissimo Dei ore increpandos uaticinatur Vates. Verum litera Hebraea alium signare sensum uidetur. Sic fere illi: Dum increpas turbam lanceatam, coetum ualidorum inter uitulos populorum, efficis ut deiecti uectigalesque facti, argenti tributa pensitent. Ex quo in primis illud uidere est, neque feras arundinis, neque uaccas in Hebraeo legi: alio item sensu argenti dictionem poni, quam nostri reddunt expositores. quare sic Paraphrastes: Vasta multitudinem lancea armatam, & turbam eorum, qui robustiores habentur inter potentium filios, qui & uitulorum more lasciuiunt, donec facti supplices, tributa tibi pendere cupiant. Quid tanta?

{68.31-32} Dissipa gentes quae bella volunt, venient legati ex Aegypto, Aethiopia praeueniet manus eius Deo.

Iam longis veluti periodis expleto cursu, laudes diuinas in psalmi calce, tanquam excursu stadio, mirisque interiectis de gentium ad fidem concursu uaticiniis, strictim

accumulat Vates. Legati, principes uertunt Hebraei, seu praestantiores, seu, ut uult Campensis, optimates. Verum nulla ex his uocibus ambiguitas. Clamat dominus in Esaia: In die illa erit altare domini in medio terrae Aegypti, & titulus domini iuxta terminum eius: & erit in signum, & in testimonium domino exercituum in terra Aegypti. Clamabunt enim ad dominum a facie tribulantis, & mittet eis seruatorem. Vides Aegypti accessum ad fidem, de quo tanta cum laetitia praedicat Vates? Huic porro regioni contermina est Aethiopia, quondam propter religionis cultum, addo & circuncisionis obseruantiam, nostris ab autoribus celebrata: cuiusque regnum Candax mulier tum uiribus tum diuitiis potentissima, ea maxime tenuit tempestate, qua primis florentibus ecclesiae exordiis, eunuchum Hierosolymas cum muneribus delegauit quod sane fidei signum in regina illa iam antea a nonnullis ex diuinorum oraculorum interpretibus praedictum fuit, sed illud in primis Sophoniae: Ultra flumina Aethiopiae, inde supplices mei filii dispersorum meorum deferent munus mihi. Caeterum celebris admodum in Alexandria Aegypti uiguit olim Christianorum schola, ut refert Philo. Quod uero postea tam uastae atque eximiae regiones a fide descuerint, occultior res est, quam ut ab humano comprehendi possit ingenio. Quid si nos eadem rebellionis poena, ob nostram in Deum ingratitude, aliquando, ascitis in ecclesiam aut Parthis, aut Sarmatis, mulctari contingat? Cum enim uideo totum pene orbem a uera defecisse religione, cur nostrae non timeam ignauiae, ne dicam perfidiae, & impietati? Porro ne multum in excutiendo ab illis uocibus sensu, Aethiopia praeueniet, manus eius Deo, laboremus, expressius reddunt Hebraei,

{pdf 526, p. 255}

Aethiopia curret manibus suis, hoc est, manibus onustis donis ad Deum: uel, ut reddit Paraphrastes, Aethiopia festinabit porrigere manus suas Deo. Causam subinde addidit: Et foedus inire cupient cum Deo. Idcirco igitur cum nulla sit tam a nostro secreta orbe regio, quae diuino non sit illustrata lumine,

{68.33} Omnia regna cantate Deo, psallite domino.

(Hic Selah interponitur, quo de Gentium hic fide uaticinium fieri aduertamus)

{68.33-34} Psallite Deo, qui ascendit super coelum coeli, ad Orientem.

Inidenti coelis coelorum, uertunt Hebraei, ab initio, seu, ab aeterno: seu etiam, ne nouum nos fingere Deum insimulemur, a tempore quo conditi sunt. Atqui hinc Dei cum potentiam, tum deitatem, numenque uerendum & aeternum, uidere licet, qui coelis, tanquam equo aut currui insidens, illos aeterna moderatur prouidentia. Verum alios hic mihi contemplari coelos fas sit, quibus suauissimus insidet sessor Christus: hae sunt enim castae, purae, riteque in fide Christi eruditae cogitationes, nempe illorum, qui non iam sibi uiuentes, sed ei in quem per amorem transfusi sunt, ad mundi plausum minime pertinent, sed suam conuersationem in coelis esse multis indicant argumentis: imo ipsi animati coeli sunt, in quorum mentibus diuinus amor suum uoluit esse diuersorium. Ita profecto sanctissimi fuere Apostoli: ante illos Prophetiae: sunt & nostra quoque (opinor) aetate, sed rari, sed incogniti, sed suo contenti habitatore occulti, uolentes interim animo, dieque noctuque quietissimo pergustantes raptu atque ecstasi sui amati

triumphum, in quo onustus trophaeis ascendit super coelum coeli, ad Orientem, Deus ad Deum, a quo rerum origines, ac naturae suam sortitae sunt uim, ac formam. En coelorum animatorum deliciae, en diuitiae, en uoluptates, en uita animae, in quibus uertuntur polis coeli isti Deo gratissimi. O nostram certe detestabilem uitae rationem. In quibus, obsecro, curis, tam breuem consumimus dierum cursum? Non ab re est quidem, quod hic Vates tam anxio inculcat affectu: Cantate Deo, psallite domino, psallite Deo. Nonne id tibi uidetur uelle dicere: Deus te totum requirit, atque omni tempore, o homo? Verum res haec dura admodum, ac plane impossibilis semper uisa est animis nondum ab amore mundi semotis. Quocirca ne unde excelsa istiusmodi animae perfectio oriatur, ab Oriente scilicet illo, de quo sic praecursoris pater: Visitauit nos Oriens ex alto: nos lateat omnino, additum est,

{68.34-35} Ecce dabit voci suae uocem uirtutis, date gloriam Deo.

Videre hic licet a quo emergat fonte uis animi, ac desiderium celebrandi Dei nomen: quae sane res cum duabus constet partibus, altera quidem in interiori animae affectu atque amore posita est, altera uero in promulgando, uoce oris externa, nec minus uita ac moribus, Dei uerbo. Vtraque tamen inefficax sit oportet, nisi alterius generis uox, uocum omnium concelebrantium Dei honorem, moueat, accendatque gratiam, & sonum. Ea quippe est, de qua alio in psalmo sic disserit Vates: Vox domini in uirtute, uox dicentis, ut uaticinatur Esaias, clama. Muta igitur nostra omnia sunt desideria, quamuis uocalissima appareant: muta suspiria, mutae uoces, quae ab aeterna Dei uoce, a qua uirtus omnibus suppeditatur rebus, non inflammantur, ab eaque uim sumunt & efficaciam. In uirtute quidem positum est regnum Dei, non in sermone atque eloquentia: unde non absque altissimo rerum mysterio praedicaturis Christi discipulis apparuerunt, ut inquit Lucas, dispartitae linguae tanquam ignis. Cuius porro generis ille extiterit ignis, mox explicat. Et repleti sunt, inquit, omnes spiritu sancto. Frustra itaque ad populos nuncii delegant euangelici, nisi illorum uerba eo incenduntur igne, qui audientium corda moueat, concutiat, accendat, perterrefaciat, comburat tandem. Vis ne tuos inflammare auditores, o doctor, o antistes, o diuini uerbi praedicator, o qui belle tuos tibi uideris proferre animi conceptus? Inflanmeris tu prius, atque ita & tu, & qui te audiunt, uno accensi spiritu, date gloriam Deo, non uestrae eloquentiae, aut praeparationi. Quod si etiamnum a nonnullis, quo uitae genere & ratione id assequi possint, ignorati contingat, illud, ne nimius sim, tantummodo dicam: nullam tam arduam rem

{pdf 527, p. 255v}

esse & difficilem, quin uitae puritate, atque in Deum fide, assiduis adiuta precibus, exoretur. Caeterum quam hic gloriam intelligi uelit spiritus, Hebraeus explicat: Tribuite, inquit, fortitudinem Deo, id est, uirtutem rerum atque efficaciam, illi assignate, non uobis, non uestro ingenio, non sanctitati. Siquidem

{68.35} Super Israel magnificentia eius, & ueritas eius usque ad nubes.

Quam demum excelsus sit Deus, quam magnificus, quamue suis in pollicitationibus constans, id mirabili in his relucet gratia, quae in populi sui salutem, qui uerus est

Israel, operatus est, operaturque assidue. Splendor itaque Dei, maiestas, gloria, uirtus, potentia, non tantum usque ad nubes istas uisibiles, coelosque ipsos ordinatissima pulcherrimaque factos ratione & decore, pertingere uisa est, uerumetiam ad aliud quoque nubium genus pertinere credimus, de quibus illa est Dei iussio in Esaia: Mandabo nubibus meis, ut pluant super eam imbrem. quam rem in sequentibus aperit spiritus, cum inquit:

{68.36} Mirabilis Deus in sanctis suis.

Ecce de quibus loquebatur nubibus asseueratio, de sanctis scilicet animis, pureque in Christo degentibus, & qui cum se aliquid esse non ignorent, attamen id totum Deo, eiusque uirtuti ferre acceptum minime dubitant. Eam ob rem a Vate infertur

{68.36} Deus Israel, ipse, non homo, non uis humana, non angelus demum, quantumuis supremus, atque diuinae proximus uisioni,

{68.36} Dabit uirtutem & fortitudinem plebi suae.

Quae est Ecclesia in Christo, nempe fidelium unio, & communicatio, qui ob innumera accepta a Deo beneficia, non cessant clamare quotidie, dicentes:

{68.36} Benedictus Deus. Amen.

PSAL. LXIX. Danti aeternitatem. Super lilia Dauid.

{69.2} Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquae usque ad animam meam.

Lilia, in titulo, ne in superfluis desudemus, uult Felix instrumentum fuisse Musicum, quo psalmus iste mire diuinus decantari consueuerat tamen de liliis quoque alias diximus. Ad psalmum igitur declarandum nostra omnis uis ingenii, ac si quid est spiritus, sese accommodet. Sublimia ualde in hoc insunt sensa, utpote de Christo Dei unigenito copiosissime disserente. Quocirca illud in primis a candido impetrare lectore mirum in modum efflagito, ne meo hoc in labore dictionem quaerat, ut fere nunc fit, supra modum elegantem: sed id magis, an sensus illi, quos e psalmis exprimere cogito, ac naturali quodammodo stylo mandare literis elaboro, hi sint, per quos diuinum queat laudari nomen. Nihil sane aliud in hoc meo feriatus ago ocio, quam ut Deum tum animo, tum calamo sanctissimum illius nomen extollere gestiente, placem, beneuolumque mihi reddam: hoc enim impetrato, rumpatur ut uis mundus, atque in me irrugiat, beatus sum. Quod hic psalmus de corporea Christi praesentia, aerumnis, cruceque, & post crucem gloria, ex uersibus & ab ipso, & a suae legis interpretibus citatis, uaticinium fuerit, manifestior res est, quam ut multis probetur. Ipsum igitur in afflictionum aquis pro me periclitantem, meumque ferentem onus, ac pene detrectantem, non absque lachrymis audire mihi uideor. Heu, unde haec tam anxia pro te, o homo, tui seruatoris & cura, & sollicitudo? Meae enim miseriae hae partes sunt, non tuae, o uita omnium, o salus, o quies aeterna. Proinde sicut tam uastum aerumnarum pondus, quod tu ultro pro me subiisti, meum est, ita meus moeror, meus luctus, meus clamor, metusque meus esse debet, qui peccaui, non tuus, o omnium innocentissime. Clamas tamen, ac tanquam

unus ex nobis in altissimum calamitatum e sublimi iustitiae ripa deuolutis stagnum ac gurgitem, ingeminas: Saluum me fac Deus quoniam intrauerunt aquae usque ad animam meam.

{69.3} Infixus sum in limo profundi, & non est substantia: veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.

Hic calamitatum humani generis cumulum atque acerbitem considerare non pigeat. Siquidem in illis exprimendis, non contentus Dei filius dixisse, se aquis

{pdf 528, p. 256}

(aquae enim in scripturis nonnunquam aduersitates sunt) obrutum: adiicit, profundum limum & tenacem, & illum quidem in profunda maris altitudine, ac procellosa. Irreuocabilis is plane lapsus uidetur, cum quis in eam corrui, uadum quaerens, amnis profunditatem, quae tam limosa sit, ut nullus illi firmandi pedes, stabilis extet locus. quod enim noster uertit interpres, Non est substantia, sic uerti potest, Non est super quod stetur. Unde ex hebraeo ita fere: Haereo in profundo luto, ubi solum nullum est. Paraphrastes uero: Demersus sum in lutum, quod fundo penitus caret. Quantumuis enim sedati sint amnes & tranquilli, nisi solidus sit fundus ac stabilis, uadari tuto nequeunt. Caeterum idem prae se ferunt uerba illa: Intrauerunt aquae usque ad animam meam, quod, ad os usque peruenerunt: quibus ad interanea, ubi sedes est uitae, illabentibus, suffocari hominem oportet. Vide igitur in quantam perditionis altitudinem coniectus erat homo, anteaquam Deus homo fieret, qui suam, quid suam aio? qui meam potius detegens miseriam, atque animi anxietudinem, clamat iterum:

{69.4} Laboravi clamans, raucae facta sunt fauces meae, defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum.

Sane quam magni id est periculi indicium, cum quis eousque uociferando, opemque implorando defatigetur, ut prorsus irrauciat & deficiat: quod sibi hic contigisse asserit Christus. Idcirco alio in psalmo sic suum exponit moerorem: Lingua mea adhaesit faucibus meis. Ita sane animam, quae suum non ignorat periculum, agere necesse est: tota enim cum uita haec sit torrens quidam rapidissimus, limosus, passimque periculorum plenus, ac mire profundus, quis se tutum arbitratur? quis non exanguis tam certum aggredi audet interitum? Quis cum uadandum sit flumen uoraginosum, turbidum, incertum, limumque simul cum saxis atque e ripa euulsis arboribus conuoluens, non horrebit? Mirum si tum iocis ac uoluptatibus indulgendum esse censeas. Quid illud? o nostram omnino execrandam stupiditatem: cernimus enim Dei filium pro nobis in uastissimo perturbatione periculorumque fluitare pelago, atque opem uel usque ad raucedinem efflagitare, & nos e littore uitam nostram sic in alto iactari, peneque obrui, siccis intuemur oculis. Vide quid pro te, o homo perinde atque pro se, dicat tui amantissimus Christus: Defatigatus sum, inquit, clamando (sic reddit Campensis) exaruit guttur meum. Destituerunt me oculi mei, dum expecto aduentum illius Dei, cuius auxilium expertus sum toties. Sub haec

{69.5} Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis: confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: quae non rapui, tunc exoluebam.

Hucusque Hebraeis integer est uersus. En limosum uitae huius miserae profluuium: en instabiles undarum fluxiones, in quibus integerrimi interdum uiri periculosissime fluctuant, metuque exanimantur: nempe confusa perfidiosorum hominum multitudo, ac fluxa fides. Quam uero copiosi hi sint, e proposita a Vate similitudine coniectari potest. Multiplicati sunt, inquit, super capillos capitis mei: hoc est, multi usqueadeo sunt improbi, ut crines mei omnes capitis superent. Solemus enim cum ingentem & plane indiffinitum significare uolumus numerum, crinium aut arenarum uti similitudine. Verum tam delicata est hodie nostrae aetatis conditio, fictaeque probitatis persuasio, ut prope modum insaniant ira nonnulli, si quis ingentem esse simulatorum numerum queratur: malunt quippe suam tegi silentio turpitudinem, quam deprehensi, uel unica tantum uocula reprehendi. Utcunque indignentur, me minime falli posse arbitror, si omisso hominum metu, qui antiquus meus est mos, cum Dei filio expostulem, ita in immensum creuisse illorum, qui Christum gratis affligunt, copiam, ut omnem prorsus excedant numerum. Confortati sunt, Hebraei habent, corroborati sunt, seu inualuerunt. Unde Paraphrastes: Totis, inquit, uiribus conantur subuertere me. Cuiusmodi uero illorum fuerit uis & conatus, in sequentibus aperit Vates, inquires: Quae non rapui, tunc exoluebam: hoc est, de illis dare poenas cogor, quae nunquam admisi. aequae enim nonnulla restituere remunerareque me impellunt, ac si, quae illorum sunt, rapuissem. Id sane tum uatem alium praeuidisse

{pdf 529, p. 256v}

censeo, cum Deum iniquitates omnes nostras in Christo posuisse asseruit. Quid unquam peccauit Christus? quid deliquit, ut tam dire omnium subire criminum mulctam coactus fuerit? Atqui uersus huius particulam tanquam de se scriptam, ut totus plane est psalmus, benignissimus citat in Ioanne Dominus: Ut impleatur, inquit, scriptura: Odio habuerunt me gratis, id est, absque causa. Ita profecto fuere proceres illi synagogae religiosissimi in Christum, cui pro beneficiis, & his quidem admirandis & multis, calumnias, cruciatus, & mortem tandem rependerunt: praeludia nimirum, & praedictiones futurae illius Ecclesiae, quae puritatis nutrix est atque innocentiae, in quam de more saeuire soliti sunt improbitatis alumni, nempe oblocutores, dolosi, duplices, impurique quadruplatores, & infames haeretici, quos omnes suos uocat hostes Christus in hoc psalmo. Veruntamen,

{69.6} Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea a te non sunt abscondita.

Mos est enim illi, qui falso accusatus quaecumque obiiciunt delatores diluere nititur, ut suae multifariam adductis innocentiae indiciis & testibus, tandem ab humano inauditus iudice sese ad Deum conuertat, clametque: O Deus, simulatque nostrates corrupti sunt iudices, ad te, quem nihil, quamlibet obstrusum & secretum, latere potest, cuique mea omnis stoliditas animi, atque peccata, quae hi mea esse uolunt, idque iurant & obtestantur, notissima sunt, confugere decreui. Similem fert morem seruasse hic

Christum uideo: etenim inauditus, eiectus, irrisus, consputus, in manusque carnificum tanquam perditissimus latro a timido illo traditus iudice (cum ultro errat iudex, occidit Christum: de quo illud miserandum narratur spectaculum, in quo Barrabam homicida & seditioso e carcere soluto, innocentissimum agnum Iudaeorum tradidit uoluntati ac libidini, crudeli nimirum & sanguinariae, ut crucifigeretur quo se uerteret? cui stultitiam? cui delicta illa horrenda, quorum tanquam repetundarum reus accusabatur, quae tamen sua esse uoluit, cum nostra essent, expurganda committeret, nisi patri? qui totam filii gloriam in terris e cruce pendere maluit, atque iniuriis, quam e uulgi plausu, falsoque principum fauore ac gratia. O doctrinam certe nostris erratis necessariam. Caeterum secretissimum hic mihi detegi mysterium fateor: iam tum enim quidem primum a Vate praeuisum fuit, Christi crucem scandalum fore Iudaeis, gentibus uero stultitiam, sed utrisque salutem & uitam. Nam certe quidem, quod stultum est Deo, fortius est hominibus. Idcirco hic Christus absolutissimam suam in Deo sapientiam insipientiam appellat: mortalium uero crimina & peccata, sua: quippe qui omnium reus factus ac praes, omnium languores in ligno, unde morbus omnis animarum ortum habuit, perferre uoluerit: ut eundem plane fuisse & medicum & aegrotum non ambigeremus. Sed uide aliud clementiae genus:

{69.7} Non erubescant, inquit, in me, qui expectant te domine, domine virtutum: non confundantur super me qui quaerunt te, Deus Israel.

Non tanto quidem afficitur moerore uir sanctus, ob persecutiones quas ab improbis patitur, neque tanta tenetur cura propter insidias calumniasque sibi paratus quanto flagrat studio, ne in fide simpliciores a secundis improborum successibus deterreat. Solent enim infirmiusculi, probi tamen uiri, si quem uiderint ex sanctioribus acerbè nimium uexari, atque subinde a quibusuis suppeditari, nec inueniri cui curae sit innoxiorum defensio, nutare in fide, atque eo interdum adduci, ut cum sanctis consuetudinem habuisse propemodum erubescant. Vide quam consternato animo ac dissipato, ob Christi necem, duo illi discipuli ab Hierosolymis Emaus cogitabant: sperabamus, inquiunt, quia ipse esset redempturus Israel. En quomodo a spe firma salutis, propter persecutiones ac crucem magistri, excellentia mi descuerint uiri. Quid infirmiores tum egisse arbitramur? Ne id igitur contingat, orat Vates, orat Christus, orat Ecclesia, orat nondum secretum a paleis granum, clamatque: Ne, quaeso, mi Domine, Domine, inquam, qui cunctis & terrenis & coelestibus imperas agminibus, meum propter infortunium pudefiant hi, qui te firma praestolantur fide: non confusione, aut animi desperatione, ob meas, quas

{pdf 530, p. 257}

ab improbis tolero, persecutiones, afficiantur: idcircoque a proborum consuetudine abstineant, quotquot tuam ambiunt amicitiam, o Deus Israel, illius scilicet hominum multitudinis & dux & custos, qui spreto mundo, a te, ne in istiusmodi rerum ambagibus ac maeandris misere oberrent, diriguntur.

{69.8} Quoniam propter te sustinui opprobrium, cooperuit confusio faciem meam.

Ecce cur patitur Christus, tum causa, tum ratio: nempe iustitia, ac Deus. En summa felicitatis animae, en arrha salutis, en prisci foederis cum Deo sanctio, pro Deo utique, proque eius tutanda religione, sceleratorum iniuriis expositam esse innocentiam. Adeo, inquit, impiorum calumniis & irrisionibus obnoxius fui propter te, hoc est, tua causa & iussione, ut uix ui faciem attollere potuerim. Quid? ad tantam enim peruentum est miseriam, quod etiam

{69.9} Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meae.

A fratribus, inquit, meis, & his quidem uterinis, eodemque lacte mecum enutritis, alienus spuriusque reputatus sum, non minusque ab illis male habitus, quam male habeor ab ipsis meis hostibus & aduersariis. Heu falsam fratrum fidem, heu feros mores. Me, inquam, innumeris afficiunt iniuriis meae matris filii,

{69.10} Quoniam zelus domus tuae comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Apertior adhuc infertur causa, quamobrem persecuti sint Christum Iudaei: ob coelum nimirum Dei honoris, qui in ea maxime deprehenditur domo, quam, quoniam diuinae consecrata est semel religioni, negotiationibus amplius, aut turpi quaestui seruire minime fas est. Proinde iustissima fuit Seruatoris excandescencia, quando perspecta templi ob nundinas corruptela, factoque de funiculis flagello, omnes eiecit, oues quoque & boues ui exclusit, subuertitque nummulariorum aes ac mensas, dicens: Auferte ista hinc, o perfidi mentitique sacerdotes & Scribae, iam pridem uestram ob ambitione & auaritiam coelo infensi, et nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. Abite, inquam, e domo Dei, qui Deum mille interuersis dolosisque & fraudulentis inhonoratis contractibus & uersuris, auarissimi decoctores: in domo quippe Dei diuina tractari debent, non prophana, non turpia, non ita auara & inaequalia, ut qui praesunt, in delitiis uiuant, qui uero subsunt, inedia contabescant, & pereant. Zelus in hoc loco sancta est aemulatio, flagransque spiritus permotio, qua quis ob diuinum neglectum honorem ualde excandescit: quam commotionem in Christo tum fuisse senserunt apostoli, cum uisa institutorum pecorumque e templo eiectione, recordati sunt, ut inquit Ioannes, quia scriptum erat: Zelus domus tuae comedit me, hoc est, me absorbuit, seu, ut quidam ex Hebraeo uertunt, torquebat me. quocirca causam tam iustae commotionis subiungit illico, dicens: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. cuius sensum sic exprimit Paraphrastes: Quia summo studio conatus sum tueri maiestatem tuam, idcirco probra, quibus probrose affecerunt te, tam me habent male, quam si ipse ego probris illis affectus essem. Vides ardentem Christi erga diuinum honorem animum? uides flagrantem illius affectum, o tu, cui nihil in terris tam charum est, quam proprium commodum & celebritas? uides qua de causa fleuit innocens? conquestus est clementissimus? nempe propter mortalium impietatem, procliuitatemque in Dei iniurias, ob quas diluendas nihil non contumeliarum a suis perpressus est impatibilis & immortalis. Quantum hic nobis flendum esset, qui tam longe ab istiusmodi humanitatis officio extorres sumus. Debemus certe, ut inquit Paulus, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere, quemadmodum Christus sibi non placuit, sed sicut scriptum est, Improbria improbrantium tibi, ceciderunt super me. Exemplum sane id

est mirabile in oculis tum nostris, tum illorum, qui libenter praesunt caeteris. Etenim subditorum peccata, aut paterno corrigenda sunt affectu, aut tegenda omnino: atque id omne summo cum praesulum moerore & luctu: non crudeli exasperanda traducendaque imperio, ac cum impudentia, gaudio & tripudio, ut a nonnullis fieri nonnunquam cernimus, quibus maxima ingenii esse solet acrimonia tum in spar-
[spargendis]

{pdf 531, p. 257v}

-gendis disseminandisque in uulgus subditorum erratis, tum in confingendis nouis, quae propria daemonum ars est, atque acuitas. Haud ita quidem agebat Christus, quod si non credis, quid in sequentibus asserat, animaduerte.

{69.11-13} Et operui in ieiunio animam meam, & facta est in opprobrium. Et posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam. Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum.

Volens amantissimus nostri Iesus, suum erga peccantes ostendere moerorem, his utitur uocibus, quae ingentem inter homines prae se ferre animi dolorem consuescunt, nempe, luctus, ieiunii, sacci, opprobrii. Quid homine sic affecto tristius? quid lugubrius? Illud notandum, in principio literae uocem Fletus, Hebraeis esse. quare sic Fel. Et fleui dum esset in ieiunio anima mea. Campensis fere idem: Si quando, inquit, fletu & ieiunio affligebam me, ipsi probro uerterunt id mihi, Caeterum per cilicium, saccum, culeum, cinerem etiam, & ieiunium, in scripturis luctuosum hominis statum intelligi uolunt doctiores: symbola quippe sunt hae uoces poenitentiae, unde illud quoque alio tropo in Iob legitur: Saccum, inquit, accinxi super cutem meam, & infixi in puluere cornu meum. [Version of Job 16.16 found in 16th cent. texts.] Quocirca alio in psalmo suum exprimens dolorem Christus propter hominum scelera, ita ait: Contristatus sum in exercitatione mea. O felicem luctum & moerorem, cum pastor pro errante atque infirma luget ouicula, non triumphat super contritionem gregis. Luxerunt, inquit quidam, sacerdotes, ministri domini, dicentes: Parce domine, parce populo tuo. Iam illud considerandum, quomodo inter moeroris indicia, quo afficiuntur hi qui in luctu sunt, derisiones, atque opprobria, quae in pios a petulanti iaciuntur uulgo, praecipua esse uidentur: sed illa omnium maxima, si a primatibus & pastoribus, unde dolor atque commiseratio expectari debet, proueniunt. Ideo non immerito hic queritur Christus, suum luctum pro peccatoribus assumptum suum cilicium, sua ieiunia, suum moerorem, uerti sibi uulgo in derisionem ac fabulam: e atque illis, qui in portis urbium aut templorum, ubi optimates considunt, resque diffiniunt, ubique frequentia hominum conuenticula fieri consuescunt, ut plurimum diuersantur, addo & conuiuantibus atque ebriis, cantilenas uersusque mordaces componendi occasionem praestitisse. Sed ne potum hic omnem uini moderate sumptum reprehendi existimes, clarius a Paraphraste res sic tota exprimitur: Pessime loquebantur de me, sedentes in porta, primores ciuitatis: carmina componebant de me, qui potabant uinum in tabernis. quo heluones comedonesque turpissimae uitae homines intelligere spiritum non dubitemus. Verum tu uide, quae nostrae dirigendae sint curae & studia, cum ab istiusmodi probitatis lue & pernicie maledictis impetitur, uel eo

maxime, si cum illa hi, qui in portis & exedris sedet conspirare uidentur: uide, inquam, quid de se perfectissimae iustitiae asserat artifex

{69.14} Ego uero, inquit, orationem meam ad domine, tempus beneplaciti Deus: in multitudine misericordiae tuae exaudi me, in ueritate salutis tuae.

Sic perpetuant hunc uersum Hebraei. Eclipsis plena haec est reticentiae, qua maximo in dolore uti consuescimus: ex frequentibus enim suspiriis, uisque singultibus, uocis organum interceptum abrumpitur, conciseque ea quae dicenda sunt, profert quare is esse sensus uidetur: Dum me irriderent impii, & tam pium meum ludibrio haberent fletum, ego interim orationem meam ad te Domine, scilicet direxi: quod sane tempus a tua manat uoluntate. Quod nos legimus, tempus, Felix habet, tempore. unde sic ille: Tempore beneplaciti, Deus, orationem scilicet meam direxi. Paraphrastes autem alium, haud multum tamen huic dissimile, adducit sensum. Ego, inquit, contra haec omnia, nihil aliud quam precatione mea apud te hoc egi, ut cito adueniat tempus, quo tibi libeat succurrere mihi. Id esse uidetur Christiani omnino animi officium, improborum iurgiis & maledictis, orationes, non iurgia aut maledicta opponere: alioquin hinc atque hinc quaquauersum mutuis insanientibus inter sese odiis atque iniuriis hominibus, tranquillissimus ecclesiae status confunditur, atque in immanes quosdam sensim transitur mo-
[mores]

{pdf 532, p. 258}

-res & ritus, quos belluinos magis, quam Christianos appellari consentaneum erit. Verum simulatque passim ferme emergunt pericula,

{69.14} In multitudine misericordiae tuae exaudi me, in ueritate salutis tuae.

Iucundissimum id est quod hic dicitur, Secundum immensam misericordiam tuam, inquit, quae tam late patens est atque ampla, ut omnes amplectatur, exaudi me, ferque opem ac salutem, quam ueram certamque esse non ambigo: id enim, in ueritate, significare uolunt, praeter illud quod ad aeternas Dei pollicitationes spectasse Vatem censeo. Unde Augustinus: Misericordia, inquit, dimittendo peccata, ueritas reddendo promissa: hae duae quidem sunt alae, quibus arcae olim propitiatorium mira obumbrabatur religione: quibusque ornati esse debent in primis hi, qui in Ecclesia communicato cum Deo nomine, patres nuncupantur. In ueritate igitur tua, qua certissimam mihi impartiri pollicitus es salutem, me adiuua, muni, tutate.

{69.15} Eripe me de luto, ut non infigar.

Non immergar, uertit Felix: per lutum enim, cuius superius mentionem fecit, dicens, Infixus sum in limo profundi, uitae incommoda, & angustias, significari diximus. quibus omnibus singillatim omissis, ad totius rei caput, quod est perditorum hominum odium, transit, dicens:

{69.15} Libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquarum.

Odit sane proborum uitam mundus, odit daemon, odit homo ille, de quo queritur Salomon, quod prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat quocirca suorum ignorantiam & ignauiam pungens Christus, sic suos alloquitur discipulos: Nolite mirari si odit uos mundus: scitote, quoniam priorem me odio habuit. Ergo qui Christi sectatores appellari efflagitant, cur mundi odia pertimescunt? Cur aquarum profunda, quae sunt inextricabiles humanae uitae aduersitates & molestiae, pauidi, Deo duce, qui ante nos intrauit, uadumque complanauit, ingredi reformidant? quod si tamen cum hic, tum alias Dei filium pericula timuisse, atque proinde opem, ne periret, a patre implorasse, legere contigerit, id putes uelim, non sibi omnipotentissimum timuisse, sed nobis, sed suo figmento, quod uitro fragilius esse nouerat pene dixi, uoluerat quo omnibus sub peccato conclusis, ipse omnium misertus, omnibus clementiae sinum aperiret. Vide, homo, quomodo tuo in hoc pauore constitutus, uarias flagrantisque inculcat translationes Dominus Iesus.

{69.16} Non me, inquit, demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.

Viam enim illam necessariam, qua itur ad Deum, angustiarum nimirum & ad uersitatum, quo nostrae consulat teneritudini, limum appellat, lutum, profundas aquas, tempestatem, marisque altitudinem, ac puteum, cuius os terrifico pateat hiatu. Caeterum, urgeat, Hebraeis est, obfirmet, seu, ut uertit Felix, claudat, aut constringat. quod uerbum fusius pertractat Campensis, dicens: Neque concludat me puteus operculo suo. Quod quis enim in profundum cadat puteum, periculosum admodum uidetur: sed illud spe absque ulla exeundi periculosissimum, si graui obfirmetur operculo putei os. Infigar, ex Hebraeo uerti poterat, immergar, seu obruar, ut dixi. Ne inuoluat me, reddit Paraphrastes, fluctus aquarum: neque absorbeat me profundum. Ideo

{69.17} Exaudi me domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Cum homini inter angustias sese torquenti in mentem uenit, quam benignus sit ille, atque misericors, qui miseris suppetias ferre consuescit, nulla est mundi iniuria, quam toleranter, sedatoque non amplectatur animo. Verum interim tam felicissimum bonum & munus, ut Dei est clementia, ardentissimo non cessat implorare desiderio, affectuque quodammodo urgere, ut in repetitis concita-
[concitatisque]

{pdf 533, p. 258v}

-tisque eiusdem sententiae uerbis in hoc psalmo uidere licet. Quid his uocibus concitatus Exaudi me domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me?

{69.18-19} Et ne auertas faciem tam a puero tuo, quoniam tribulor velociter exaudi me: intende animae meae, & libera eam, propter inimicos meos eripe me.

Quem non mouerent tam lachrymabiles doloris notae? quid non exorarent? Nonnulli ex Hebraeorum interpretibus dictionem, miserationum, quam noster interpres, quo modum in Deo multiplicem significaret miserendi, plurali uertit numero, humanitatem, qui habitus est animi ad misericordiam pronus, uertunt. Respice in me, melius secundum Hebraeos transferri poterat, responde mihi: hoc est, meis uotis annue. Idcirco haud multo post adiecit, Intende animae meae. Caeterum, ne auertas faciem tuam, idem praetendit quod, ne faciem tuam a seruo tuo indignabunde, ut solent offensi & irati, auertas. Moueat te, inquit, tua ingenita illa ab aeterno bonitas: moueat clementia, moueat fides, qua tuos non diutius in miseriis perseueraturos promisisti. Moueat & illud, quod seruus tuus ego sum, & is quidem, qui tibi a puero, uel in mediis ipsis mundi blanditiis, addo & iniuriis, obsequens fui. Moueant te tandem inimicorum meorum blasphemiae, iunctaeque cum impietate contumeliae ac probra. Ad quem, oro, mortalium mihi erit confugium? Vae mihi, si in aerumna aliqua constitutus, in hominem natura fallacem & ingratum aspexero: non est enim inter illos quibus mea doleant aduersa: derident potius me omnes, subsannant, urgentque, ac miseriam miseriae coaceruant. Maledictus itaque sit homo ille, qui confidit in homine: siquidem, quod ad me attinet, circumspexi, & non erat auxiliator: imo subsidii loco, dederunt in escam meam fel, crucem nimirum & mortem. Verum quid tibi meas omnium cognitori singillatim enarro calamitates?

{69.20-21} Tu scis improprium meum, & confusionem meam, & reuerentiam meam. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improprium expectauit cor meum, & miseriam: & sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni.

Certe, mi lector, si in te naturalis saltem esset animi sensus & communis, hisce miserandis auditis filii Dei querelis, perspectoque dolore, quem pro te non repugnanter tuus subiit conditor, doleres saltem te non, quantum par est, dolere posse. Caeterum confuse parum reddita haec est litera: quocirca, ut clarius fiat sensus, Hebraeorum consulamus interpretes. Vacillans plerumque: litera, & inconsulto uersa, seu potius a scribis transcripta, raro sensum cohaerentem, sibi que: constantem exprimit. Sic itaque Fel. Tu cognouisti opprobrium meum, & confusionem meam & ignominiam meam: coram te sunt omnes tribulantes me: opprobrium contriuit cor meum, & afflictus sum, & expectaui commiserescentem, & non fuit: & consolantes, & non inueni. Idem ferme caeteri ex Hebraeo. Unde Paraphrastes in nostri utique, quibus probris, quo pudore, quaque ignominia afficiant me hi tanto numero persequutores mei. Assidua contumelia fregit animum mihi, & aegrum fecit totum me. Expectabam qui misericordia motus consolaretur, sed nullus ad uenit: aut qui aegrum animum nonnihil recrearet, sed nullum inueni. Porro quid sibi uelit dictio, reuerentia, in nostro interprete, non intelligo, atque magis adeo id, quod neque Hebraei neque Graeci reuerentiam legunt, sed ignominiam, ut etiam in Hieronymi translatione uideri potest. Verbum uero, expectauit, an ita ut exponunt nostri, huc quadret, uiderint alii: nos enim literae illi, quae germanum uidetur referre sensum, non inuiti adhaeremus. Sed unicuique suus inest

gustus, tantum meum simpliciter affero. Videor mihi certe uidere amantissimum nostri Iesum in immensos coniectum cruciatus, non nouos alios, ut ipsi asserunt, expectasse, sed consolatorem potius, & condolentem: quanquam res secus atque debuit accidisse uisa est. Ideo in incepta perseuerans querimonia, sic suum testatur dolorem:

{69.22} Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

En quo processit Iudaeorum crudelitas atque efferata mens, ut Christo, nempe

{pdf 534, p. 259}

uitae omnis auctori, in cruce sitiendi & moribundo, pro extremo, quod concedi solet etiam piratis in equuleo morituris, solatio, fel aceto temperatum porrexerint: indicium quidem amarissimi illorum animi in Dei filium: indicia inquam & certissimae rerum illarum, quae sequutur erant, praedictiones. Oro, quid unquam suauius, amoeniusque uisum est in terris, quam Christi iugum, atque eius religio & cultus? contra uero, quid amarius, quidue austerius, quam ea, quae a non nullis tam felici ac leui addita sunt, addunturque continue oneri? Verum feruidis in Deum animis etiam illa, quae acerbissima uidentur & dura, amoenissima sunt & grata. Est & aliud amaritudinis poculum Christo animam in poenis agenti, hoc est, innoxio cuilibet a mundi malis oppresso, propinatum, cum illis quidem ipsis, quibus propter asperam grauemque persecutionum aut peccatorum interdum molem, qua misere arctantur, consolationis uerbum & suauitatem admoueri par fuerat. uerbum iniquum, uerbum asperum, uerbum desolationis & ruinae impingimus. Heu crudos animos, dignosque qui scopulis magis ac duris imperent cautibus, quam hominibus. Vide mi lector, quomodo istiusmodi poenae genus in ultima suorum cruciatuum enarratione, tanquam omnium atrocissimum, seruauerit Christus. At iam quid his, aut horum simillimis imprectetur spiritus, consideremus.

{69.23} Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.

Mensae uocabulum maximo est usui in scripturis, qua non tantum cibus & potus signatur corporeus, quantum aquae sapientiae refectio, Deique uerbum, ac in qua coeleste diuini gustus manna semper praesto est, lex. Unde in alio psalmo ita de se loquitur Vates: Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Verum haec mensa, is cibus, hoc symposium cum sit perfectorum, mundi uoluptatibus addictis fit saepenumero in laqueum & ruinam, dum lucem quae passim a scripturis, tanquam a sole radii, emicat, tenebras appellant et caliginem. Quare obcaecati miseri cum nihil certi suis in consiliis atque actionibus statuere ualeant, huc atque illuc distracti dissipatique, uelut amentes impelluntur: hincque illa potissimum, quae in sapientioribus plerumque huius mundi hominibus insunt mala, nempe ambitio, fastus, superbia, ac iuncta cum Dei neglectu arrogantia, ortum habent: quocirca mirum minime id esse debet, si suis in iudiciis ac diffinitionibus tanquam caeci oberrant, in ipsoque hallucinantur meridie: nam mensa ista facta est illis in laqueum & praecipitium. Mensa itaque duplici illis ratione exitio esse solet: aut illa quidem, quae Dei uerbo ornata est: aut illa, quae epulis & comotationibus onerata, quo prorsus unde gaudium & laetitiam haurire opinantur, moerorem hauriant, luctum, confusionem: quae quidem illis ea apta

est retributio, cuius hic meminit Christus: Par pari, inquit, redde illis, o pater: ut qui mihi sitiendi fel aspero commiscuere aceto, ita suae illae delitiae, atque oneratae luxu atque ambitione mensae, sint eis in perniciem, atque pro allata mihi amaritudine, in compensationem. Huic quidem sensui litera quam habet Felix, qui non retributionem, sed pacifica uertit, inseruire uidetur. sic ille: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & pacifica in scandalum. hoc est, ut ipse interpretatur, ea quae solent expectare tanquam pacifica, revertantur in offendiculum. Insuper

{69.24} Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.

Dirarum plena haec est Vatis imprecatio, & praedictio. Siquidem in scripturis, dorsum incuruari, seu nutare lumbos, ut hic legunt Hebraei, est falsis deprimi doctrinis & opinionibus, in uanitateque sensus ambulare, ut quondam gentes ambulasse queritur Paulus: Hi enim, inquit, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienant se a uita Dei per ignorantiam, quae est in illis propter caecitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis in auaritiam. En quomodo miserrime isti omnium obcaecati incuruatique, suapte culpa a Deo in omnem tradi uitae turpitudinem sinuntur. Putas ne uatem Esaiam de istiusmodi hominum illuie, qui Christum potauerunt, potantque etiam nostra aetate poculo amarissimo & acido, praedixisse?

{pdf 535, p. 259v}

Excaeca, inquit, cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte uideat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat. Dura certe retributio, sed illis debita, de quibus sic loquitur Ioannes: Cum tanta signa fecisset coram eis Iesus, non credebant in eum. Quid non coelestium etiamnum conspicimus signorum? quanta beneuolentiae diuinae indicia? quanta charitatis? quanta patientiae? attamen sua, haec omnia amoris argumenta, nonnulli superant malitia, atque in sceleribus obstinatione. Quare domine ut meriti sunt,

{69.25} Effunde super eos iram tuam, & furor irae tuae comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

Sit palatium eorum desolatum, uertit Felix. Omne hic genus poenarum illis contingere precatur, cum Dei indignationem, iraeque furorem in eos effundi rogat, instatque, quo omnimodam intelligamus illorum extinctionem, ne quis ex eorum posteritate relinquatur, qui illorum aedes inhabitet. Adeo, inquit, eos, eorumque progeniem funditus dele, ut illorum prorsus solitariae reddantur domus, & palatia, palatia (inquam) tanta cum pauperum ruina & calamitate structa. Huic adstipulatur uaticinio Seruator, qui ex calamitatibus illis, quae sanctae obuenturae erant ciuitati, deterreri cupiens Iudaeos, terrificum illud protulit dicens: Ecce relinquatur domus uestra deserta. Vis ne quis sit furoris domini effectus non nescire? audi quid in Vate illo comminetur: Ecce, inquit, furer meus & indignatio mea conflatur super locum istum, super uiros, & super iumenta, & super lignum regionis, & super fruges terrae, & succendetur, & non extinguetur. Alio item in psalmo sic orat Vates: Effunde iram tuam in gentes, quae te

non nouerunt: hoc est, adeo omnem tuam effuse in eos euome indignationem, ut nihil, quemadmodum in uase funditus euerso fit, reliquum remaneat.

{69.27} Quoniam quem tu percussisti persequuti sunt, & super dolorem uulnerum meorum addiderunt.

Subdubius huiusce uersus est sensus, propter lectionis uarietatem. Felix, Et super dolorem uulnerum tuorum narrabunt, transtulit. Idem ferme caeteri ex Hebraeo: cuius is sensus uidetur esse, quod nefandissimi illi ad tantam animi deuenere immanitatem, ut cum derisione & gaudio, de illis qui propter Deum uulnerati fuere & afflicti, mutuo commentantes enarrauerint. Siquidem piorum poenis quamlibet acerbis, nunquam satiantur improbi: nihilque iucundius in uita ducunt, quam probitatis studiosos molestiis excruciaci cernere. Unde sic Paraphrastes: Quem tu percusseras ipsi persequerentur, & grauitatem uulnerum, quibus tu uulneraueras me, aliis cum uoluptate narrabant. Alii uero Kimhi Hebraeum sequuti, illum habere sensum opinantur, quem uersus ille alterius psalmi habere uidetur: Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum: hoc est, derelictum a Deo insectamini. Obsequium id ingens erit Deo & religiosum, si uulnera uulnerato, molestiasque molestiis illi addiderimus. Quam iucundum profecto id est, nostram uidere hostem a Deo percussum, fugatum, afflictum. Ita cum risu suam inter sese exponunt animi saeuitiam in illum, quem destitutum a Deo arbitrantur. Sed errant improvidi: siquidem integerrimos quosque uiros a Deo tum percuti existimamus, cum tandiu cum mala conflictare fortuna sinuntur, quatenus ad melioris uitae usum collimentur, perficianturque in illo, ad quem utique nullo alio itineris genere, praeterquam crucis, peruenire posse arbitrantur, atque ita esse triumphant. Verum inexpiabile ferme ab illis committitur scelus & flagitium, qui sic quassatum e manu Dei calamum, quod uetat fieri spiritus, conterunt. Quid tali monstro inhumanius? At tu domine completis iam tandem Amorrhaeorum iniquitatibus, simul ut se a uulgo ignorari opinantur,

{69.28-29} Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam. Deleantur de libro uiuentium, & cum iustis non scribantur.

Hic quidem est finis illorum, qui Christum in electis amaro potant felle quae sane crudelitas etiamnum a Christo immortalis iam facti, dirior, magisque amara ducitur]

{pdf 536, p. 260}

-citur, quam illa tum fuit aceti potio, quam sibi in cruce pene exanimato, a minus quam hi sunt impiis porrigi sensit Iudaeis. Ne igitur impurissimi isti diutius, mi Deus, in te debacchentur nebulones, bonorumque suorum omnium cum naturae, tum rationis & ingenii ridicule asoti, sine eos labi de scelere in scelus, de iniquitate in iniquitatem: atque ita a tua exclusi iustitia, quam fidem esse non ambigimus, de uitae libro, in quo saluandorum duntaxat numerus aureis indelebilibusque inscriptus est literis, expungantur. Librum hic uitae, seu uiuentium, breuiter, ne fusius quam par est diuagetur oratio, aeternum Dei est propositum, quo uocatio simul & iustificatio connixae eam in nobis excitant cognitionem, e qua nostrae animatae mentes, illud

persuasum habent, quod quos semel praesciuit Deus, hos & praedestinavit conformes fieri imaginis filii Dei. Quae sane indelebilis est saluandorum conscriptio in Dei libro, ex quo impossibile est expungi oblitterarique illius nomen, qui semel digito Dei scriptus est. Quocirca Christus discipulorum animis certam salutis persuasionem infigi cupiens, aiebat: audete, quia nomina uestra scripta sunt in coelis: hoc est, gaudete, quoniam certissima uestra est salus quod uero reprobis de felicissimo illo codice deleri dicantur, eum habet sensum, quem caute admodum subiunxit uates: Et cum iustis, inquit, non scribantur. ut omnino idem sit, impios e libro uitae tolli, quod, cum iustis non scribi. Dele, inquit, eos de libro uitae, facque cum iustis haudquaquam scriptos esse cognosci, idcirco tanquam sua sponte perditos & deploratos ab omnibus uitari. Sic quidam: Hi, ait, facile ex uerbis & factis se num esse adscriptos in librum praedestinatorum ad uitam, declarant, quandoquidem uocationis suae & iustificationis signa non apparent. Puto quidem de his dici, qui nullo stimulo aut futuri iudicii, aut conscientia propria deterriti, semper mali sunt. Ego autem (ut quis sim ingenue fatear, non enim crucis ignominiam erubesco)

{69.30} Ego, inquam, sum pauper & dolens, salus tua Deus suscepit me.

En quo traxit uniuersorum dominum pro te, o homo, charitas & beneuolentia. Nihil unquam tam commiseratione dignum uisum est, quam pauper & aerumnosus ab omnibus calcari. Sic fuit Christus in terris, sic uixit, sic tales adamauit Rex regum delicias. Ut igitur desolatum seruum ad sese traheret, felicissimaeque aeternorum bonorum ditaret copia, se eiusdem fuisse sortis cum illo praedicat dicens: Ego pauper factus sum, ut tu, ego dolens, ego imbecillis, ego ille, cuius anima tristes facta est usque ad mortem. Sed te omnium ingratisimum merito perfidiae damnare possem: nam si quempiam saltem circumspectans condolentem uidere cupio expectoque, nemo homo est: si consolatorem, tantundem. O ingratum hominem: siccine meum mihi rebelle factum est figmentum? nulla ne in terris relicta est charitas? O principes, o synagogae proceres & optimates, semper ne uestro a conspectu lacera inauditaque exhibit innocentia? semper ne irrisioni uobis erit pauper, miser, dolens? Non est qui audiat, non est qui uel oculum uertat, etsi laborauerim clamans, raucaeque factae sint fauces meae. Me certe insipientem, qui cautes aut rupes ad commiserationem flecti posse arbitratus sum. In te igitur, o uere, purissime, amorisque inexhausti & charitatis altor peruigil & indefesse, meum omne sit perfugium & solatium, postquam surdi facti sunt homines, & illi quidem (malum) e quorum uisceribus, ob religionis umbram, sub qua laute pollucibiliterque otiantur, summam expectari par fuerat clementiam & humanitatem. Verumenimvero quid frustra praestolor? En iam salus tua o Deus, non tua o homo, suscepti me, amplexataque est aerumnosum. Quare

{69.31} Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude.

Sollemnis est Vati consuetudo & mos, ut enarratis longis quasi periodis Dei tum in se, tum in omnes generatim uita integros beneficiis, psalmum diuinis concludat laudibus, ut in hoc uidere possumus. Ob reportatam, inquit, salutem, spiritualibus hinc inde resonantibus gratiarum actionum canticis, illum magnum, immensum, superque laudem omnem superiorem & excelsum, praedicabo. Gratius id qui-
[quidem]

{pdf 537, p. 260v}

-dem erit Deo, quam si bouem obtulero, aut uitulo cornua producente & unguas, litauero. Sic noster interpres:

{69.32} Et placebit Deo super vitulum nouellum cornua producentem & unguas.

Non uitulum nouellum legunt Hebraei, sed, bouem & uitulum. Asserit enim (quopiam Euangeli considerare queas imaginem) ardens Dei laudandi studium, sacrificiis illis antiquis longe praestare, proindeque diuino gratius esse conspectui. Atqui sententiae istiusmodi Vatis diuus succinens Augustinus, sic ait: Sacrificium laudis gratius erit, quam sacrificium uituli Alius rursum ex nostris: Laus puri cordis plus placet, quam mactatio pecudum. Quocirca Christus huiusmodi cruentum sacrificandi ritum abolendum esse sciens, sic apud Samaritas mulierem futurae ex gentibus Ecclesiae effigiem adumbrantem alloquitur: Venit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate: nam & pater tales quaerit, qui se adorent. En quomodo tantus sacrificandi labor & sudor, in tantillum animi candorem & puritatem desiit. Vitulum cornua producentem & unguas, seu, cornutum & unguatum, ut uertunt nonnulli, uitulum appellat selectum robustumque, atque subinde (modo per latos allego-riarum campos spatari haudquaquam animus est) idoneum ad sacrificium. Cum itaque nudus aeterno patri gratus sit animus, hoc est, a mundi amore atque crassitie penitus abhorrens, atque eorum quae ad carnem spectant, plane indigus,

{69.33} Videant pauperes & laetentur: quaerite Deum, & uiuet anima uestra.

O uos (inquit Christus) qui mecum in curriculo hoc uitae miserando permansistis in tentatione, quique mundo infensi estis, & odiosi: uos qui ditissimam illam, quae in spiritu est, elegistis pauperiem, qui neglecti, qui irrisi, qui desolati, uitam meae haud absimilem agitis: uos dico, quibus oculi dati sunt ut uideant, uidete quid mihi gloriae per tentationum laborem paratum sit a patre meo: uidete per me, quo uobis eundem sit, Non me quidem unquam pater in aerumnis deseruit: ita neque uos, quos mecum per gratiam unum esse uoluit, deseret. Videte, perpendite, contemplantini, quaerite uia fidei Deum, quae uita est animae: quo sane inuento, ea uiuetis uita, quae abscondita est in illo, proinde illis tantummodo cognita & parata, qui tametsi in mundo sunt, de mundo tam en non sunt. Ne uereamini,

{69.34} Quoniam exaudiuit pauperes dominus, & uinctos suos non despexit.

Id nimirum benignitatis indicium in Deo nouum non est: siquidem uel ab ipso primo mundanae pulchritudinis initio semper exaudiuit pauperes: & uinctos suos, hoc est, sub impiorum pote state & tyrannide, illius ob nomen detentos & pressos, non despexit, sed benignissime exemit. Propterea

{69.35} Laudent illum coeli et terra, mare, & omnia reptilia in eis.

Soluto quidem a catenis cum peccati, tum mortis, homine per Christum, quibus miserandum in modum uinctus tenebatur, non solum ipse, atque illius custodes an geli, tam amplum mortalium generi congratulari debent beneficium ac donum, uerumetiam condita omnia, quae corruptioni obnoxia, ut inquit Paulus, ingemiscunt adhuc expectantia redemptione filiorum Dei, quae est Ecclesia per Christi sanguinem acquisita: cuius imaginem a Vate hic in spiritu praeuisam fuisse persuasum habeo. Vidit enim uir sanctus affore aliquando, quod diuini uerbi semen per uniuersas late orbis regiones spargendum esset, quibus imbre spiritus foecundatis, atque in uariam pulcherrimamque frugum copiam erumpentibus, is nasceretur orbis decor & elegancia (haec est fides) qua nixa Ecclesia, ex uario confusoque & dissipato mortalium concursu, quae tamen una esset Dei sponsa, formaretur. Idcirco quo diuini muneris excellentia profundiori consideraretur sensu, & coelestia, & terrena. & quae maximis ornata sunt insulis, maritima, ad supernas cognoscendas laudandasque operationes inuitat. Laudent, inquit, illum coeli, laudet terra, laudent maria omnia, & quaecunque in eis natant, ac vivunt.

{69.36} Quoniam Deus saluam faciet Sion, & aedificabuntur ciuitates Iudae, & inhabitabant ibi, & haereditate acquirunt eam. Because God will make Zion safe, and the cities of Judah will be built up, and they will dwell there, and they will acquire it by inheritance./ {pdf 538, p. 261}

Ecce palam Ecclesiam, magni nimirum Dei speculatricem, saluatum iri praedicat, templaque erigenda. templa autem? ciuitates, imo uero ipsas potius integras regiones, uiuis moenibus & parietibus exaedificandas. Clamat Esaias: Aedificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. Muri itaque Ecclesiae, sanctorum sunt animae: ne tu aliquando baptismi spe solum tumidus, aut ordinum & tonsurae praerogatiua elatus, te ad Ecclesiae structuram absque sanctitate pertinere somnies. Putamus ne Apostolum temere atque imprudenter illud Ephesus indicasse? Estote, inquit, imitatores Dei sicut filii charissimi. Atqui illud sane tunc Paulum spectasse arbitror, quod a sapientissimo Ecclesiae suae architecto dictum audierat: Estote, ait, perfecti, sicut pater uester coelestis perfectus est. Iam quid hic non diuidunt de perfectionum gradibus diuisores rerum acutissimi? Diuisiones certe, atque in diffiniendis rebus sacris partitiones non reprehendimus: sed eousque tamen, ne inconsutilis Christi tunica turpissimis pateat scissuris. Illud tantum dicam, perfectionem iussam esse Christianis a Christo, quando dixit, Estote perfecti. Diuidant modo ut lubet perfectionem, atque in frustra secent qui uolunt: is finis est noster. Qualis uero haberi possit in hoc mundo, aut quae sint ea, quae ad assequendam istiusmodi perfectionem, propter quam Dei imitatores efficimur sicut filii charissimi, si interrogor, dico fidei esse atque dilectionis unitatem, quibus quidem tanquam columnis ac fundamento, sustentata Ecclesia, mirabilem coelestium rerum gustum, quae est Dei haereditas, ac post puluerulentum uitae huius cursum & laborem, retributio, etiam in terris (res mira) praegustat hauritque in Deo. Quare a consueta mentis fiducia minime discedens Vates, intulit: Et inhabitabunt ibi, & haereditate acquirunt eam.

{69.37} Et semen seruatorum eius possidebit eam: & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

Omnes enim, quotquot diuinae consecrati sumus religioni & cultui, qui mundissimus esse debet, speciali praerogatiua Dei serui nuncupamur: alioquin omnia seruiunt illi. Verum ardentiori qui uixerunt fide, ut sanctissimi fuere Apostoli, atque etiam modo, si qui sunt qui idem cum ipsis seruant tum uitae, tum fidei institutum, praeter seruitutis appellationem, amicorum quoque nomine felicissime dignantur. Horum itaque, illi qui credunt Euangelio, quique abiectis uariis peregrinisque, ut eas uocat Paulus, & doctrinis, & persuasionibus, uni adhaerescunt Deo, semen & filii merito dicuntur, nempe ex illorum labore & praedicatione in spiritu prognati. Ac ne diutius in discernendis Dei seruis quispiam occuparetur, additum est illico: Qui diligunt nomen eius, hoc est, qui ei nomen atque honorem unice & caste supra omnem alium amorem, & amant, & colunt. Amor igitur uia ea est rara, qua ad Deum itur, qui finis animarum est, ac summa felicitas: ad quem qui semel ingressi fuerint, perenni cum eo commorabuntur quiete & beatitudine. Cui honor sit perennis, ac laus in secula seculorum. Amen.

PSAL. LXX. Psalmus Dauid ad reminiscendum.

{70.2} Deus in adiutorium meum intende.

[The text points to the repetition from Psalm 40, verse 15 on.]

Inscriptio huius psalmi atque argumentum, cum idem omnino sit cum inscriptione & argumento quadragesimi psalmi, a quintodecimo uersu exordium sumendo, supervacaneum uidetur eandem cum tituli tum argumenti sententiam atque psalmi expositionem repetere. Tantum illud dicam, non posse animum in Dei religione enutritum non dolere & ingemiscere, cum quam foede olim prolapsus sit, labaturque continue a uia iustitiae, atque adeo a Deo, in turpissimas impuritatis lacunas, reminiscitur. Quid cum recolit immensa Dei beneficia in se collata? contraque suas in Deum offensiones, atque ingratis pro meritis compensationem? heu quanta illi lachrymarum offertur occasio, quanta suspiriorum, quanta gemituum? Flet igitur suam ingratitude, flet amissam gratiam. Flet etiam idcirco, quoniam quantum par est, flere se haudquaquam posse conspiciat. Ad haec, putasne illum, qui in maximis, & his quidem continuis, ut ea est uitae huius

{pdf 539, p. 261v}

conditio, se prouolutum periculis intuetur, posse absque animi trepidatione miserrimum hunc uitae statum transigere? Si transigit, aut insanus omnino est, aut a Dei luce destitutus. Aiunt enim ex antiquioribus quidam, psalmum hunc tanquam quadragesimi epilogum a Vate frequentatum, utpote qui suarum crebro culparum reminiscens, futura non minus extimesceret pericula, quam praeterita non satis caute praeuiderat. Hinc, credo, usitatus ille demanauit mos & ritus apud clericos, ut quoties laudum una, quae quotidie septenario replicantur numero, incoeptanda erit, toties psalmi huius initium usurpent. Sapienter id quidem: nam diuino impetrato subsidio, cuncta quae uel agere, uel orare instituerit Christianus, optime succedere necessarium erit. Verum illud interim non ambigendum, diuinam nulli unquam istiusmodi contigisse gratiam atque opem, nisi cui pura esset mens, sedatusque animus, ac a turbis semotus. Iam illud quoque notandum, quartum uersum, qui tertius Hebraeis est, sic a Felice legi:

Reuertantur super uestigia confusionis eorum, qui dicunt, Euge, Euge: id est, qui me odio persequuntur, obseruantque, quo meum uulgo traducant nomen, famamque commaculent & uitam: uerum impurissimi uilitigatores in idem ipsum prouant infamiae, & confusionis damnum, quod mihi inferre moliuntur: atque hoc sane modo, in execrandis confusionis eorum uestigiis, tanquam sues in uolutabro uoluantur, reuoluanturque inquinatissimi. Porro Euge dictio, exultantium uox est, & maximo gestientium plausu. Alii ex Hebraeo uertunt, uah, quae uox est insultantis. Nonnullis etiam Euax significantius uerti posse arbitrati sunt, quae dictio tamen eiusdem ferme est significati, cuius est Euge. Quicquid ex his uerteris, procacem seditiosorum impudentiam & insultationem in prostratam ostendit innocentiam: a quibus tanquam letalibus. Cerastae cornibus, aut Dipsadis morsu, nos, qui libenter improbis odiosi sumus, eximat Christus: cui cum patre sit laus perennis. Amen.

PSALMUM LXXI.

{71.1} In te domine speravi, non confundar in aeternum.

Neque a diuo Hieronymo, neque a caeteris, quod sciam, Hebraeorum interpretibus aliquis huic psalmo inscribitur titulus: quem autem in latinis codicibus a Graecis absque dubio sumptum legimus, inter somnia ponendum esse quis non iudicet? Somniis igitur omissis, quae in psalmis requiri oporteat, at uenerabundi inuestigemus. Psalmi huius argumentum cum multis commune esse perspicuum est: sed cum illo maxime, cuius initium eisdem plane constat cum uerbis, tum maxima ex parte sententiis, ac sensis. Tametsi enim in nonnullis uocum duntaxat uarietate discrepare uidentur, eandem tamen referunt intelligentiam. Illud compertissimum, Vatem tanquam Christi typum, uenturas contra Ecclesiam suis praesentibus aerumnis praesagiisse, deplorassequae iniurias & persequutiones: sub indeque diuinam sibi precationibus conciliasse beneuolentiam, opemque spe fultum orasse, ac tandem, ut flagrantissimo erat spiritu, exorasse, atque proinde laudum uota Deo ipsi liberatori nuncupasse. Sed suo in primis more a spe suam auspicatur orationem, utpote totius perfectionis animae neruo & robore. Alioqui certe parte hac ab anima illa maxime remota, cui id est propositum, ne turpe aliquod cum mundo foedus ineat, idcirco maximis eam affici incommodis atque iniuriis oportere, totum illud suum consilium uanum esset, prorsusque imbecille, & nihili. Ait igitur:

{71.2} In te Domine speraui, non confundar in aeternum: in iustitia tua libera me, & eripe me.

Ne sinas, inquit, spem quam in te collocaui, suo frustrari fine. Non, oro, tanquam res uilis, tibi que odiosa, tuo a conspectu confusus abigar: quin potius propter tuam, qua perfectissime bonus es & misericors, me a malis exime, iustitiam.

{71.2} Inclina ad me aurem tuam, & salua me.

De hoc loquendi tropo, quo procerae qui sunt staturae, se, ut commodius illos audiant qui summis, uoceque loquuntur tenui, incuruant, in psalmo supra memorato abunde

est dictum. Insignis quippe illa est laus in Principe, cum ipsos quoque publicos onerarios, qui se alloqui cupiunt, non auersatur baiulos. Pu-
[Publica]

{pdf 540, p. 262}

-blica quaedam res est Princeps, qui expositus cum sit omnibus, tanquam in terris Deus est. Deo autem quid communius? quid magis cunctis obuium? An uero delicati isti nostrates Principes & Praelati, qui nihil tam refugiunt, quam subditorum congressum & commodum, nihilque tam impense amant, quam carnis commoda & delicias, suum ut decet peragant munus & officium, sciunt hi, qui ne plerunque fastidiosos illorum mores, mollemque animum & effoeminatum offendant, cum illis congredi non audent: idcirco maximis interdum a magistratibus afficiuntur damnis & iniuriis. Non uult (inquit a cubiculo puer) curis onerari dominus, quiescit, cum uxore iocatur, ludit. Turpe id prorsus, atque in sui domini contumeliam dictum. Hunc itaque mollissimum obiter carpens morem Propheta, a Deo, nempe uirtutum omnium exemplari, facilitatem illam quae in sapienti principe esse debet, exorare nititur. Inclina, inquit, o tu qui altissimus es, ad me, paruissimae qui sum staturae, aurem tuam, & serua me.

{71.3} Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, ut saluum me facias: quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.

Vt saluum me facias, Hebraeis est, mandasti ut seruares me: nam petra mea & arx mea es tu. Unde Paraphrastes sic liberius rem transtulit: Sis mihi instar rupis munitissimae. Causam uero? ut iugiter tuto obambulare possim: decreuisti enim seruare me, cum petra mea sis, & munitio mea. En quam facilem & popularem se praebet Deus inuocatus. Putasne forsitan altissimum, unum e nostratibus esse pastoribus & magistratibus, qui uim totam suae magnitudinis in eo positam uideri uolunt, ut grandes solummodo appareant, & incircumscripti? Quis ex illis, qui graciliori sunt animo & timido, tam uastam molem alloqui unquam tentaret? Iam illud permultis dignum uidetur lachrymis, cum illi, a quibus tutelam sperare debent homines, & defensionem, suis referunt ciuibus exitium. Nonne cum audis a uate dici, Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, ut saluum me facias, id cuilibet ex primatibus ab uno quoque nostrum dici posse tibi uidetur? Esto mihi, inquit, in Deum protectorem: non in lupum, non in lanium, non in hominem natura iniurium, contumeliosum destructorem. Et in locum munitum, non in locum ruinae, in locum instabilem, deciduum, periculosum. Ut saluum me facias, non ut perdas, non ut mactes, non ut ueteratorie crimineris, traducasque, atque humi figas. Quid? surdis ne a spiritu canitur? Canit quidem: idcirco ad te, o qui licet in excelsis habitas, debilia tamen & caduca non aspernaris, confugio. Quare

{71.4-5} Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui. Quoniam tu es patientia mea domine, domine spes mea a iuuentute mea.

Iniqui, Hebraei legunt uiolenti. Dictionem uero, legem, neque graeci neque hebraei codices habent, sed simpliciter ab utrisque redditur, de manu peruersi, seu, agentis iniqua. Quoquo modo uerti literam contingat, extremam quorundam improbitatem

intelligi uult Vates: & est numerus pro numero, ut est usitatus loquendi modus, apud Prophetas maxime: nisi insignem malis scelestum quempiam intelligere, sibi caeteris infensorem, latenter pungi a Vate: quod sane uerisimile uidetur. Achitophalem hunc fuisse arbitror, seu Idumaeum illum proditorem Doech: alterius enim proditione & dolo nihil non egit rex, quo Dauid tandem post exilium, diutinamque in confragosis montium locis atque antris fugam, interficeret: alterius uero consilio filius ipse, regnandi cupiditate. Vide quo interdum saeuitiae prolabatur peruersarum mentium rabies atque ira, ut non tantum principes, aut ex primatibus leuiori qui sunt animo furere, atque in ciues ipsos innocuos insanire faciant, sed & ipsos quoque liberos, tanto cum uitae incommodo & labore educatos, in parentes instigare audeant. An uero Doech perfidia, aut Achitophelis astutia, uel Iudae etiam Iscariotis auaritia reprehendenda fuerint magis, quam principum illorum & sacerdotum leuitas, ac iuncta cum inuidia crudelitas, non audeo definire, ne uetera illa comminiscens, praesentia taxare uoluisse me arguant hi, qui utriusque partis munus diligentissime actitare soliti sunt, mimi nimirum in hac miseranda uitae tragoedia, & frequentissimi, &

{pdf 541, p. 262v}

acuti, & qui significantissimis notantur hic uocibus, uiolentiae scilicet & iniquitatis. & est sensus, ut elegantissime illum exprimit Paraphrastes: Mi Deus, inquit, eripe me a tyrannide impii, e manu iniqua agentis, & uiolenti, quia tu fuisti semper spes mea domine Deus, & fiducia mea ab ipsa infantia usque in aetatem hanc.

{71.6} In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meae tu es protector meus.

Haec fere omnia in psalmo uigesimosecundo explicuimus: id tantum replicare non grauabor, quod mirum in modum mortalium subleuatur miseria, si se quilibet Deo, etiam in ipsis materni uteri latibulis, curae fuisse sibi persuaserit. Sed illud non omittendum, principium sequentis uersus huic Hebraeis finem esse. quare sic Fel. De intestinis matris meae tu extrahes me, in te laus mea semper. Alius idem ex eodem riuo: Tu de uisceribus matris meae secreuisti me, hinc omnem laudem de te consummo. Maximopere quidem animo minime ingrato delectatur Deus. Quocirca quid tum Deo, tum hominibus potest esse iucundius, quam anima in referendis beneficiis, aut saltem in habenda gratia liberalis & prompta? Atqui hinc generosum quoddam oriri solet desiderium, ac compensandi amici meritum, uoluntas, sed in primis Dei, qui cum donorum uastum quoddam sit pelagus, caeteri latentes uix tubuli sunt & cuniculi. Quare cum in donorum exhibitione nulla sit inter Deum & homines proportio: illud tamen, ut suum proprium, gratus sibi arrogat animus, ut quicquid est, id totum esse Dei laudem, atque illius nominis celebritatem cupiat, perficiatque, si potest: quandoquidem laus, qua diuina delectatur maiestas, non tantum ore fit, quantum perpetuo purgatae uitae tenore atque instituto, licet is mutus omnino sit qui laudat. Verum noster interpret sic integrum reddit uersum:

{71.6-7} In te cantatio mea semper, tanquam prodigium factus sum multis & tu adiutor fortis.

Tu fiducia mea fortis, uertit Fel. qui & se ipse exponens infert: Super te sustentatus sum, ueluti nimirum paries cratitius ruinosus, aut uitis decidua, quae robustis fulcitur pedamentis ac fulcris. Tanquam prodigium, inusitatumque portentum, semper in terris uisa est perfectorum uita, quemadmodum fuit Christi: ideo a mundanarum rerum amantioribus ostentui habita & irrisioni. Unde non ab re clamat Paulus, se factum esse cum suis spectaculum mundo, & angelis & hominibus. Nos, inquit, stulti propter Christum. En quomodo piorum sapientia, tanquam stultitia a mundo existimetur. Mirantur sane improbi, & qui tam foede pertinaciterque in peccatis induruere, ut plane illis impossibile uideatur, mortalem in terris hominem & fragilem, se posse diutius a carnis inquinamento temperare. Excellentissimum id est uitae genus. Consentaneum quippe est, ut nitidum miretur laeuorem in unione porcus, hoc est, auarus, libidinosus, intemperans, superbus, ambitiosus, propino, asotus, candidam probi uiri uitam, nempe liberalem, apertam, pudicam, continentem, humilem, humanae gloriae contemptricem, ac bene sobriam, non tanquam rem honore dignam, sed uti sui dissimilem tum admirantur, proque insolito habent prodigio, tum criminantur, pessimisque incessunt contumeliis & maledictis: ut purissimae uitae Christi contigisse legimus, qui alio in psalmo sic de se loquitur: Omnes uidentes me deriserunt me: hic uero, tanquam rem prorsus prodigiosam, fugerunt me quamplurimi. Verum tu Deus firmissimo me spei communiuisti solatio, quare

{71.8} Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam.

Aptissime Repleatur huc uerbum attexitur, quo redundans laudandi Dei studium intelligamus. Unde sic Paraphrastes: Pleno ore laudabo te, & omni tempore maiestatem tuam cantabo. Magnitudinem tuam, puto additum a Graecis uberioris intelligentiae causa: alioqui simpliciter uertendum erat, ut uertit Felix: Replebitur os meum laude tua, tota die laude tua. Volunt, inquit, aduersarii, dirique crucis hostes, ut tuas ad laudes obmutescam, cessemque a sacrosancti tui uerbi confessione, ac uitae integritate, quae praecipua tui honoris laus est & celebritas. Tu contra, os meum, ob id nimirum mihi datum, ut tuum laudibus efferam nomen & cultum, ui adimple fidei, atque eo ardoris ambure

{pdf 542, p. 263}

incendio, ut plenissima atque imperterrita te confiteat uoce, subindeque inclamet,

{71.9} Ne proicias me in tempore senectutis, cum defecerit uirtus mea, ne derelinquas me.

Parum id quidem esset, in utero quempiam materno absque naturae uitio conceptum, in lucem feliciter edi, atque, ut de se in superioribus testatus est Vates, lubrica transcurra adolescentia, uirilem sub Dei custodia attigisse aetatem, si eo maxime tempore, quo pacatius tranquilliusque uiuendum est, quod & proprium sibi senilis aetas uindicat, in aerumnis bellorumque tumultibus uiuere illi contingat, atque foedioribus plerunque coinquinetur uitiiis & peccatis, quam cum feruida esset aetate. A Deo itaque petendum erit, ne suam illam felicissimam erga omnes protectionem, quae nemini nisi uolenti, ulla

unquam deest aetate, grandaeuis iam factis subtrahat: nam nihil potest esse turpius sene intemperato, atque illo quidem qui in his uersatur, quae in iuvene reprehendenda omnino sunt, & execranda. Ita sane nihil unquam salubrius delectabiliusque in rebus tum publicis tum priuatis expertus est orbis, sene uiuido, perspicaci, atque rebus in agendis temperato, prudenti, & religioso. Verum illud dubium, an Christus, qui iuuenili ferme decessit aetate, se a patre senectutis tempore seruari rite petierit. Hic mihi firmam Ecclesiae fidem in tuere: quandoquidem Christum pro senescente ecclesia, in qua periclitatura ferme erat charitas, hoc est, uis omnis uitae & salutis, orasse patrem credimus. An uero in illud modo peruentum sit uitae genus e quo iratae excesserint uirtutes, consenuerit fides, ac pene exoleuerit Dei religio, qui purgatorii sunt iudicio, & uident, & se in id aetatis incidisse lamentantur, in qua tutissimo debacchantur imperio luxus & ambitio. Orat hic igitur Christus pro sponsa in hunc fere modum: Ne meam, oro, contempnas senectutem, o Deus: scio equidem aucta omnia consumi atque de nasci: sed in his tantummodo quae ad corpus spectant: caetera uero quae fidei robore connituntur, repubescere in dies magis necesse est, & renouari. Quocirca cum ob diras diutinasque improborum iniurias, meos affligi destituique uiribus contigerit, ne tunc me, quaeso, hoc est, illos, quos ut mei essent, sanctissimo tuo attraxisti spiritu, proicias, longeque a te propellas.

{71.10-11} Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.

Dixerunt mihi, idem est quod, de me conspirantes loquuti sunt. Qui rogo? hi nempe, qui meae insidiantes uitae, quicquidue ago obseruantes, facta inter sese coniuratione consultauerunt, dicentes: Abiecit eum Deus, quo se uertet miser? En apta perdendi illum occasio. Ipse enim cum imbecillis sit ex sese, ab amicis uero derelictus, infensus omnibus, grauis, atque adeo tandem ab uniuersis destitutus, quid, quo minus tam debile confringi queat uas, obstare poterit? Eum, eum, inquam, o qui impudentiores estis, persequimini, instate, atque usque eo urgete, ut comprehendatis: nam qui illum nostra e manu eximat, inuenitur nullus. Heu perfidorum insaniam. Censendum ne est, amantissimos liberorum parentes moestos teneri infantis non audire uagitus? non lachrymas? non clamores? Quam propensior certe affectu in nos diuina mouetur clementia, quam solet in filios nutrix anxia, aut mater. Verum utcunq; sua in impietate perdurent impii,

{71.12} Tu Deus ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum respice.

Frequentia quidem iniuriarum, simul & periculorum instantia, huiusmodi rogandi Deum in anima parere studium consuevit. Deus, inquit, ne elongeris a me. Vidisti ne unquam hominem malo aliquo exitiali affectum? non contentus is quidem semel atque iterum cum medico, ut fit, colloqui, atque ab eo uisitari, rogat ne se unquam deserat, ne discedat, imo ut praesens coram adsit continue. Vides anxium in aegrotante membris studium? quid si animo? quid si sordida atque aestuanti, tanquam febre, torquet conscientia? Ni prorsus quidem in malis induruerit, decreueritque tanquam phreneticus non admittere curationem, apud diuinam instabit clementiam, rogabitque & lachrymis

& suspiriis, dicens: Deus ne elongeris a me: Deus in auxilium meum respice, festina, atque misere aegrotantem inuise. E contrario autem,

{pdf 543, p. 263v}

{71.13} Confundantur & deficiunt detrahentes animae meae: operiantur confusione & pudore, qui quaerunt mala mihi.

Ecce morbus ille, cuius ui maxime atque incendio, infirma adhuc in fide anima conficitur: nempe detractoris rabies, & uirulentia. Quid non perturbat inquietissimum istuc oblocutorum genus? Hebraei tamen non detrahentes, sed aduersantes animae meae, reddunt. Verbum item, deficient, consumentur transferunt. Idem Symmachus. Quare is erit sensus, ut reddit Paraphrastes: Pudefiant & absumantur qui aduersantur mihi. Qui uero hi sint, qui facile probis aduersantur, sequenti explicant hemistichio: Qui quaerunt mala mihi. Caeterum dictio quam noster fere uertit interpretes, reuerentiam, tum Graecis tum Hebraeis est pudor, ignominia, confusio, seu ut habet Campensis, infamia. Illi, inquit, me prorsus a uia uitae, quae ingenua est, libera, atque honoris plenissima, auertere connituntur: tu Deus illos eadem, quam mihi inurere satagunt, infamiae nota, quae est, totum te meum bonum amisisse, affice, confundeque cum ignominia tam turpes illorum ausus, atque in nostram meditata perniciem, quod omnium malorum maximum est, allide consilia: hi enim, qui turpissimus daemonum atque perfidiosorum hominum mos est & consuetudo, quaerunt mala mihi: tu contra, bonum ac uitam, quae in te est, quaque beati efficimur, & quaere, & elargire. Illi itaque ut uolunt habeant,

{71.14} Ego autem semper sperabo, & adiciam super omnem laudem tuam.

Vide quam suam libenter in Deum spem iactet uir iustus. Iam non semel diximus, id potissimum telum esse, quo exterrefacti daemones in fugam uerti consuescunt. Adeo gratissima Deo semper fuit animae uirtus ac deliberatio, qua illo tantummodo nixa, a nulla alia dependet re quamuis sublimi & diuina. Ego, inquit, meis in periculis & aerumnis non hodie solum, aut eadem ipsa hora, qua nulla urgeor tentatione, spero: sed semper, sed omni tempore, sed tunc potissimum cum plane destitutus uideor & neglectus. atque ita tuis, ut sic dicam, obrutus beneficiis, adiciam & ego super omnem laudem tuam: hoc est, ardentiori quam antehac unquam studio tuis in celebrandis laudibus incumbam. Ita enim hunc uersum interpretantur Hebraei: Augeam, inquiunt, omnem laudem tuam: seu, adiciam ad cunctas laudes tuas. Insuper

{71.15} Os meum annuntiabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum: quoniam non cognoui literaturam.

Hucusque uersus est Hebraeis, licet aliis uerbis, sensuque alio. Nam dictio, quam noster uertit interpretes, literaturam, Hebraeis est, numerum. Certe, inquit Felix, non cognoui numerum, nempe laudum. Caeterum notant quidam dictionem, quoniam, superesse, seu pro certe positam, ut reddi a Felice diximus. Sensus igitur is esto: Mi Deus, os meum tuam indefesso quotidie studio laudabit, qua summe bonus es, & in omnes beneficus, iustitiam, salutemque mihi immeritissimo alatum praedicabo: nam tot tuae in me extant

benignitatis indicia, ut numerum ignorem. Alii quoque, modum uertunt pro numero. Illud plane huius est consimile in alio psalmo: Annunciaui, inquit, & loquutus sum, multiplicati sunt super numerum. Quid uero sibi uelit Graecis in hoc loco *pragmateias*, quid ue somnient nonnulli ex huius uocis interpretibus, diligens iudicet lector. Maxima mihi animae illius in mentem uenit perfectio, quae diuinis se sentiens, & his frequentissimis ditata muneribus, obstupescit, seque idoneam, quae tam numerosum donarium mente assequi possit, non arbitratur: contra nimirum quorundam morem, qui cum humili & abiecto sint animo, non minus summis stricteque de coelestibus cogitare soliti sunt, quam de terrenis, & illis quidem quae mundum magis referunt quam Deum, atque eius religionem. Et quidem innumerabilia omnino sunt Dei in homines beneficia: idcirco ab his duntaxat cognita, si non numero comprehensa, qui tam excelsa sunt mente, ut omnem mathematicam excedant supputationem: quod proprium diuinae est naturae. Quid itaque hic agat anima? uide quid consilii capere instituat:

{71.16} Introibo in potentias domini, domine memorabor iustitia tuae solius.

{pdf 544, p. 264}

Scio, ait, tot inter uitae huius tentamenta, quid me agere deceat. quicquid unquam mihi aggredi erit animus, id Dei fretus uirtute aggrediar: & solam, solam in quam tuam, o domine, non hominis naturaliter imbecillis atque impuri, iustitiam inuocabo, illique, uel totus in me conspiraret mundus, adhaerebo. Verbum enim Memorabor, eandem hic prae se ferre significationem uidetur, quam alio loco expressius magis, quam quod sic se habeat litera, posuit interpretes: Hi, inquit, in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus. Nam illic nonnulli legunt, Et in nomine Dei nostri memores erimus: hoc est, ut interpretatur Felix, clamabimus, ut faciunt bellatores. Quod si tamen memoriae uerbum hic commode positum arbitraris, non id quidem inelegans, sed mire aptum. Siquidem a Paraphraste sic reddi uideo: In memoriam reuocabo omnibus, & celebrem faciam integritatem tuam, tuam inquam solius. Nam tu

{71.17} Deus docuisti me a iuuentute mea, & usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.

Causam hic reddit, quamobrem diuinae haudquaquam immemor iustitiae ac bonitatis esse debeat: nempe ob id, quod qui ab ineunte sibi aetate nunquam defuerit, ita illum in posterum non defuturum, persuasum habet. Vide igitur sanctae animae affectum. Tu Deus, inquit, me a puero, tum dico, quando tam suauissimum ignorabam praeceptorem, usque nimirum ad hanc, in qua nunc uiuo, aetatem, mirandas illas tuas erga electos operationes, quas caro prorsus ac sanguis ignorant, accuratissime edocuisti: hincque ego illas diligentissime pronuntiabo, palamque omnibus faciam, ut illa diuulganda sunt, quae immensa sunt praedita magnitudine. Quocirca, ut etiam ab ipsis meis semper egisti incunabulis, ita

{71.18} Et usque in senectam & senium Deus, ne derelinquas me, donec annunciem brachium tuum, generationi omni quae ventura est potentiam tuam.

Senectam & senium, perinde est ac si dicas, senectutem & canitiem, seu decrepitam aetatem. Tametsi enim de quocumque haec dici posse natu grandiori existimem, altiori tamen sensu atque intellectu, res quoque eo fere modo, quo superius Dei filium pro Ecclesia orasse diximus, indagari posset. Ne proicias me, inquit, in tempore senectutis. & erit sensus: Tu pater, quem me tuae caput Ecclesiae esse uoluisti, mihi in omnibus praesens, ac uel usque ad mundi interitum & consummationem, adsis fautor, quo cunctis etiam uenturis, nedum meae aetatis hominibus tuum brachium, uirtutem scilicet & potestatem inuulgare queam. Videtur enim nescio quid a nonnullis ex Hebraeorum interpretibus hic addi Sic ex his quidam: Quo annunciem posteritati brachium tuum, & omni qui nasciturus est potentiam tuam. Idem ferme Campensis. Felix quoque sic: Donec annunciem brachium tuum generationi, cuicumque uenturo potentiam tuam. Unde ambigendum minime est, potentiam tuam ex Hebraeo uersus huius finem esse, non sequentis initium, ut nos legimus. Verum cum non multum sensui officere uideatur, sua integra remaneat litera interpreti, quam sic reddit:

{71.19} Potentiam tuam & iustitiam tuam Deus usque in altissima quae fecisti magnalia, Deus quis similis tibi?

Clarius Hebraei: Iustitia tua Deus usque in excelsum, quoniam fecisti magna. Est sane mira ab inflammato animae affectu profecta exclamatio. simul & admiratio, illi fere similis, de qua alio in psalmo ita stupidus exclamat Vates: Magna est super coelos misericordia tua, & usque ad nubes ueritas tua. In sublimioribus enim occupata mens rebus, nihil de Deo, quod idem excellentissimum non sit, cogitare potest. Etenim siue in his quae ad admirabilem illius naturam spectant, siue in his quae ad purissimam eius carnem, uitaeque, cum apud homines diuersaretur, integritatem, siue etiam ad prouidentiam illam infinitam, qua cum omnia, tum praecipue homines, sapientissima gubernat ratione, uersetur, omnia illi diuina atque admiratione digna apparent. Quod quidem animo in turpitudinum coeno tanquam cum meretricibus uolutato, contingere haudquaquam potest Est & alius sensus, quem quoniam literae quam nos legimus apte accommodari posse uisus est, uel eo maxime, quod a nonnullis ex Hebraeo sic exponi uideo, in medium addu-
[adduci]

{pdf 545, p. 264v}

-ci non ab re erit: qui sane sensus, ut facilius elici possit, dictionem Donec, supra positam sibi asciscere uidetur. Petierat enim superiori uersu Propheta hoc modo: Deus ne derelinquas me, donec annunciem brachium tuum generationi, atque omni qui nasciturus est. Infertque subinde: Donec, inquam, potentiam tuam simul & iustitiam in sublime, subaudi, feram, qui fecisti magna. Ecquis igitur sicut tu? Propterea sic ex Hebraeo uerti poterat, ut uertunt quidam: Deinde (hoc est, simul ut posteris tuam annunciauero uirtutem) potentiam tuam & iustitiam tuam Deus, qua res magnas perfecisti, in altum extollam: quis similis tibi? Expressius item Paraphrastes, cum dixisset, Adsis mihi sicut hucusque, quoad indicauero brachium tuum meae aetatis hominibus, & uniuersae posteritati potentiam tuam: statim intulit: Et iustitia tuam Deus laudibus in altum extulero, qui designasti maxima: Deus quis conferendus tecum? Et

certe nihil unquam fuit, neque esse potest tam immense magnum, quod cum Dei magnitudine collatum, non minimum omnino appareat, & nihili Idcirco ipse de se apud Esaiam sic loquitur: Quis similis mei? Antea uero Moses in cantico post Aegyptiorum interitum: . Quis similis, inquit tui, magnificus in sanctitate? Ideo

{71.20} Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas, & conuersus uiuificasti me, & de abyssis terrae iterum reduxisti me.

En aliud admirationis genus. Mens quippe humana non potest non interdum incredibilem in modum obstupescere, mirarique, unde tam uastus ebulliat angustiarum in hoc mundo Oceanus. Verum cum quae mortalium naturae conditio agnata sit, recolit, ex hoc tenuissimo ad aliud sensim considerandum, & id quidem omnium maximum, transit stuporis genus, quod totum in meditanda diuinae beneficentiae magnitudine uersatur. Quantas, inquit, tribulationes, quam multas, a difficiles, quam plane diras ostendisti mihi: hoc est, experiri me fecisti, Verum tu mihi sedata ira placatus, conuersusque, me prorsus exanimatum recreasti, restituistisque me mihi, atque a malis, tanquam de profundo terrae hiatu, etiam atque etiam ex traxisti. Abyssus, ut alias notauimus, non raro Hebraeis est malorum cumulus, ac tetra miseriarum uastitas. Unde clamat Ionas: Abyssus uallauit me. alio uero in psalmo Vates, Abyssus abyssum inuocat: hoc est, calamitas calamitatem tanquam annulus annulum nectit, atque inuitat. O immensum contemplandi tuam excelsam bonitatem mare, mi Deus. Quicquid enim in terris spirat, in meum conspiras. Se interitum uidetur. Tu uero, qui naturalis tuus est mos,

{71.21} Multiplicasti magnificentiam tuam, & conuersus consolatus es me.

Expressius uertisset interpres, magnitudinem: seu cum Paraphraste, potentiam meam, non tuam, quo doni coelestis amplitudinem in se homo cognoscat. Illi, inquit, meum extenuare nomen, uitamque calumniis, ac ferro absumere adnituntur: tu contra, uim illam, quae me in te firmissime contineat, suppeditare non cessas: indicium sane tuae ad me conuersionis, quam cum contemplor, permaximo afficior gaudio & consolatione. Vide summae in beata anima uirtutem fidei: Conuersus, inquit, qui antea meam ob turpitudinem auersus fueras, consolatus es me. Succurrit hic mihi mulieris Cananae exemplum, quae diutius propter filiae morbum afflicta, peneque ob Christi, ut uidebatur, indignationem exanimata, a benignissimo tandem Iesu ad foemineum conuerso eiulatum & lachrymas, plenissima illa consolationis uerba audire meruit: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis.

{71.22} Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi ueritatem tuam Deus, psallam tibi in cithara sanctus Israel.

Ex Hebraeo prima uox redditur, quapropter: seu ut Campensis, quare. & est sensus: Quoniam tuam in me auxisti magnitudinem & uirtutem: quoniam conuersus consolatus es me, unde mea omnis profecta est salus, salutisque persuasio: idcirco te tuumque nomen laudabo, canamque tuam in pollicitationibus constantiam, mi Deus: & psallam tuum in honorem, cithara, o qui sanctum facis Israelem. Alias diximus uasa nonnunquam in scripturis pro rerum omnium instrumentis poni: quare

{pdf 546, p. 265}

uasa psalmi, instrumenta hic sunt musica, ut fere erant nablum, lyra, cithara, organum, atque huius generis alia, quorum modulatione & harmonia diuinae solitae erant laudes decantari. Caeterum, sancte Israel, a cunctis Hebraeorum interpretibus transferri uideo. Te, inquit, musicis laudabo instrumentis, o Israelis, populi nimirum dilecti, atque ad uitam asciti, sanctificator. Atqui eius quemadmodum uita est uiuax, ac uiuificans, ita sanctus, atque idem sanctificans, sordesque omnes suis ab amicis abstergens, dici debet. Itaque

{71.23} Exultabunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam redemisti.

Vide gratae animae institutum, quo se & corpore & animo (id est totum hominem in Dei amore comburi) diuinum laudare nomen pollicetur. Unde sic Paraphrastes: Exultabunt labia mea (instrumenta haec sunt inter alia prolationis humanae) ubi psallere coepero tibi: & anima mea multo magis, quam liberasti a malis omnibus. Exultando, inquit Felix, cantabunt. Porro siue de quotidiana liberatione, qua miseris uenit Deus suppetias, hoc uerbum, redemisti, intelligamus, siue de animarum redemptione, per quam nos CHRISTVS in cruce aeterno reconciliauit patri, cogitemus, utrunque purgatissimis suaue est animis. Anima igitur mea, o CHRISTE tuo cruore ac nece a peccati atque adeo mortis seruitute erepta, tibi, haudquaquam sibi aut mundo cantabit, exultandoque tuum sanctissimum laudibus extollet nomen.

{71.24} Sed et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, cum confusi et reueriti fuerint qui quaerunt mala mihi.

Videtur hic Vates conditionem uelle Deo ponere. Lingua, inquit, mea tuam laudabit iustitiam tuam, cum confusi & profligati fuerint quaerentes mala mihi. qui quidem loquendi modus uix ab anima in diuinarum rerum studio occupata prodire potest. Siquidem quaecunque illi accidant, ad laudes semper Dei prompta est atque hilaris. Idcirco litera, quae est Hebraeis, tutiorem praeferre sensum mihi uisa est, Sic Felix: Etiam lingua mea tota die loquetur iustitiam tuam: quoniam uerecundati sunt, quoniam confusi sunt inquirentes malum mihi. Qua sane lectione solennia hic quaedam esse, pro reportata uictoria, animae (ut sic dicam) epinicia definire possumus. Quamobrem elegantissime sic rem aperit Paraphrastes: Quin & lingua mea exercebit se sedulo in cantanda iustitia tua: erubuerunt enim & infames facti sunt, quotquot studuerunt incommodare mihi. Qui porro hi sint, qui, quomodo innocentissimis noceant uiris, malumque inferant, & quaerunt & machinantur, non semel hisce nostris interspersit commentariis Christi (ut opinor) spiritus, quem meo hoc in labore, quemadmodum in suo Dauid, scopum esse uolo & ducem. Cui propterea laus sit, atque honos, in secula seculorum. Amen.

PSAL. LXXII. Salomoni.

{72.1} Deus iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis.

Somniant, mireque caecutiunt hi, qui hunc psalmum de Salomone illo interpretantur, cui voluptatibus, tanquam bellacissimis hostibus obnoxio, pacifici titulum minime convenire arbitror. Ad haec, ut caetera quae de Salomone Bethsabeae filio intelligi absurdissimum esset, omittamus, quomodo a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum illius fuit imperium? Quando omnes gentes seruerunt ei? Qua porro uirtute Aethiopes, seu habitantes solitudines, ut nonnulli transtulerunt, quos Cabalistae aërios spiritus esse diffinierunt, eum adorauerunt? Vero igitur Salomoni, in cuius ortu illud e coelis fuit auditum, In terra pax, hominibusque bona uoluntas, totum hunc psalmum adscribi debere fateamur: non illi, cuius imperium breui admodum conclusum fuit termino, cuiusque filius impiissimus extitit Roboam: ipseque nefandissimis alienigenarum amoribus ac libidinibus adeo conspurcatus uixit, ut illius etiamnum dubia censeatur salus. Noster autem non tantum saluandorum hominum est autor, uerumetiam ipsamet salus, & uita. Quod sane Daud in spiritu praeuidens, hanc auere diuinam de ipsius Christi regno cuius summa est iudicium & iustitia, a pa-

[patre]

{pdf 547, p. 265v}

-tre habito, composuit odam: ad Deumque conuersus, sic suam orditur precationem: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Duas hic expresse in Christo naturas praenouit Vates: qui quidem Christus ea, qua aequalis semper est patri, ratione, rex est cum patre uniuersorum aeternus: ea uero qua in terris uisus est cum hominibus homo, quicquid imperii habuit, a patre habuit. Vnde, ut erat gratissimi animi filius, non semel professus est se patre minorem: propterea omne sibi iudicium a patre datum, datamque esse rerum omnium, tum earum quae in coelis essent, tum quae in terris, potestatem. Quid illud: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me patris? Ideo Vates illum regem, regisque filium appellans, & Deum, & Dei filium esse asserit. Caeterum iudicium atque iustitiam, nihil aliud hic esse diffiniunt, quam rectas moderandarum rerum rationes, ac ut reddit Paraphrastes, formulas, qui sic habet: Deus iudicandi secundum te formulas regi da, et aequitatis studium filio regis. Orat itaque Vates, atque cum eo mortalium multitudo, ut in Christo, in quo omnis inest aequitatis norma ac uirtus, hi penes quos hominum est imperium, iudicent, regantque populos, ac iusto moderationis aequilibrio res mundi expendant. Etenim Christo ad instaurandas orbis ruinas aduentante, coepere actutum nutare errores, magnaue parte eousque tolli, quoad eius humano prorsus consumpto genere, omnia integre subiecta illi forent, Deusque esset in omnibus, & nos qui ad uitam uocati sumus, in illum felicissima transiremus abitione. Reconditissimo itaque mysterio utriusque aduentus in hoc psalmo fit mentio: quasi que dormiens ab Ecclesia excitatur dominus, ad hunc modum:

{72.2} Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.

Iudicabit, uertit Hebraeus. Idem & cum Chaldaea translatione, graeca editio. Ut iudicet, legit Euthymii interpres, populum tuum. Idem ferme ex Hebraeo Campensis: ut uerba sint Ecclesiae orantis, quo terram hanc corruptissimam iam tandem miseratus, mittat quem missurus est, qui retracto ab erroribus mundo, duo illa e coelis secum deuehat luminaria, nempe iustitiam & aequitatem: quorum radiis illustratus orbis, in eam

refundatur formam atque imaginem, quam in Christi uita & doctrina, tanquam in aeterna cum patre idea, conspectura esset, indeque omnem bene beateque uiuendi normam extractura. Caeterum cum praeclarissimis ornatus esse debeat rex animi dotibus, illam in primis requirit spiritus, ut pauperes, afflictosque, & aerumnosos, ab opprimentium uiolentia atque astu eximat, reddatque quod sibi unusquisque ob uitae rationem meruerit. Virtuti enim suus debetur honos & praemium: iniquitati uero opprobrium, atque cum uituperatione mulcta. Et id sane est populos in iustitia & iudicio gubernari. Alioqui turpissimos quosque a contaminatis iustitiae ministris eo donari praemio, quod integerrimis debetur uiris, illosque praeteriri atque opprimi, quos honorari decuerat, summa est regionum religionumque perniciēs & confusio. Quocirca maximis ingeminandum est uocibus, ut nostri iam tandem misertus pater, sui unigeniti demittat in terris spiritum, quo iuste aequabiliterque iudicari possint homines, probique ab improbis secerni, ac caecis a magistratibus dignosci. Atque hoc sane modo

{72.3} Suscipiant montes pacem, & colles iustitiam.

Absurdum nimium esset putare, montes hosce petricosos suscipere posse pacem, aut colles iustitiam. Montes igitur hic sunt, quos postea in psalmi serie reges appellat Vates: colles uero, quos populos. Atqui moderandarum rerum is debet esse finis & terminus, ut pacem animi susceptam, in qua uis inest iustitiae & rectitudinis, transfundant reges, atque adeo caeteri & principes & magistratus, in populos sibi subditos. Nec sane pulchrius uestiri solent colles uel flore, uel fructu, quam uestiuntur decore omni uirtutum, sed in primis fidei in Deum, populi, cuncta iustitiae studiosis occupantibus, optimoque expendentibus iudicio & aequitate. Orat itaque uir sanctus, ut non sibi duntaxat pacem, quae a Iesu CHRISTI corde emanat, suscipiant Ecclesiae proceres, uerum ob id quoque quo populus laetari, sedereque ualeat, ut inquit Esaias, in pulchritudine pacis. Etenim

{pdf 548, p. 266}

ea praediti sapientia rectores hominum, quae a Deo est, non a mundo, insaniunt prope modum, nisi conciliatum sibi coelitus bonum, sentiant subditi, gustentque quam diuinum illud omnino sit, a temperatis iustisque gubernari superioribus. Quo circa non absque ratione additum est, Et colles iustitiam: qua sane a patribus tanquam a fertilissimis descendente montibus affecti delibutique subditi, suas omnes a deo iuste concinnant actiones, ut merito iustitiae cultores appellari debeant. Nihil enim populis tam exitiale esse potest, cum rerum summa penes illos est, qui in iudicandis diffiniendisque subditorum causis, humano raptantur sensu & consilio. Expulso quidem nostris a tribunalibus Christo, a quo omnis proficiscitur recte diffiniendi forma ac iudicium, quo se uertant patres? quo suas dirigent diffinitiones? quo iudicia? Poterit ne hoc modo sedere uir, ut inquit ille, subtus uineam suam, & subtus ficum suam pacificus? Nae quidem obsidionem posuerunt super nos. Verum utcunque nostrates hallucinentur iudices, o qui sub corruptissimo iniquorum desudatis iudicio, gaudete: siquidem rex ille aequissimus, regisque filius Christus, diuinus amor, pax orbis,

{72.4} Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.

Filios inopis, legit Felix: id est, illos qui sunt Christi, quos utique, utpote rerum omnium huius mundi egentissimus, crucis uerbo, atque efficacia genuit patri: hos quidem iudicio suo aequissimo protegit dominus, ac confuso prostratoque calumniatore, nempe mundo, diabolo, peccato, morte, peruersoque homine & inuido, benignissime tutatur. Caeterum, filios pauperum, idem esse secundum phrasim Hebraicam, quod pauperes, alias diximus. Et sunt plane idem pauperes populi, qui & filii pauperum, utique credentes: quo uerum illud esse non ambigamus, nullam uidelicet esse damnationem his, qui in Christo sunt. Cuius sane patrociniū, iudiciumque sua in Ecclesia exactissimum, ne temporarium citoque desitutum putarem, a spiritu est additum:

{72.5} Et permanebit cum sole, & ante lunam in generatione & generationem.

Id est, quandiu sol iste uisibilis, a quo luna, quemadmodum a Christo Ecclesia, lumen sumit, lucebit, aeterna erit Dei in suos protectio. Ecce, inquit, uobiscum ero usque ad consummationem seculi. In generatione & generationem, periphrasis est, qua aeternitas significatur. Sed litera, quae est Hebraeis, lucidiorem parit sensum quam nostra, quae ambiguum & obscurum. Sic Felix: Timebunt te cum sole, & in conspectu lunae: hoc est, quandiu reuoluentur tempora, quae nimirum e solis cursu, motuque lunae originem habent, CHRISTUM reuerbuntur in terris populi. Unde sic Paraphrastes: Reuerantur te, o rex, quoad sol lumen suum praebuerit mortalibus, & luna seculis cunctis. Quid sit porro in nostro interprete, Ante lunam, Chaldaeus aperit: Ante lumen, inquit, lunae orabunt coram te generationes generationum. Hic igitur uides CHRISTVM, qui heri & hodie, ut inquit Paulus, ipse & in secula, aeternum suae fore religionis defensorem. Id dictum esse uolo, ne afflicta ab improbis innocentia, eo interdum adigatur impietatis, ut Deum eo se habere modo, in probitatis defensione arbitretur, quo homines ferme ex more inconstantes, temporarii, & parum pii. Suo quippe tempore, atque cum maxime opus est, ad suos descendit dominus, consolaturque afflictos, dicens: Ego sum, nolite timere. Quid igitur pauidi in Christi fide nutamus?

{72.6} Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.

Haud dubium quin hic ad stupendum illud Gedeonis miraculum alludat Vates, in quo madefacto solummodo rore lanae uellere, area circumquaque posita, sicca inuenta est: rursus area rore imbuta, uellus absque imbre siccum apparuit [Judges 6.38-9]. Magnum id quidem fuit mysterium: siquidem in lanae tum uellus silenti tanquam ros descendisse illapsu uisus est Deus, cum nisi ad oues, quae perierant, domus Israel se uenisse fassus est CHRISTVS, reliquo interim in siccitate spiritus remanente omnino orbe. Verum postea in gloriam ascitus, tam largo gratiarum imbre, ingrato omissio uellere, relictaque in siccitate Iudaea, perfudit gentes, ut meri-

[merito]

-to dici posset, se sicut stillicidia stillantia super terram, ad omnium generaliter descendisse salutem auctorem uitae. Sunt qui typum huius roris in uellere, ad tacitum placidissimumque deiparae uirginis conceptum referant: tamen ex litera quae est Hebraeis, alium signari sensum iudico: eum sane, quod Deus eo soleat modo ad subleuandas suae sponsae aerumnas & oppressiones descendere, quo solet pluuia in detonsum, demessumque pratium descendere. Quid tum gratius? quid tam agricolis desiderabile, quam cum desecta prati herba recens superueniat pluuia, qua terra humefacta, ad noua concipienda germina temperetur? Felix enim, atque caeteri ex Hebraeo sic fere legunt: Descendet sicut pluuia super herbam resecatam: siue super tonsum, hoc est, ut ipsemet interpretatur, super gramen incisum: quod si non habuerit pluuiam postquam resecatum fuerit, arescet. Quare sic alius ex eodem fonte: Descendet aequitas & iustitia ad terram, sicut pluuia in desectum fundum, & sicut rorulentus imber. Hic uides quomodo nulla fit apud Hebraeos de uellere mentio. Veruntamen unicuique suae sint de uellere & rore Gedeonis meditationes, piae nimirum, & quae ad placidissimum mirabiliter exprimendum faciunt spiritus lapsum in uirginis uterum. Verum neque ego (opinor) reprehendi debeo, qui quae sit germana psalmi lectio, uerecunde admoneo. Utcunque sensum imagineris, illud compertissimum, fructum mirum in modum feracem, propter Christi descensum, mortalibus allatum. Quod sanctissima praeuidens Vatis anima, in spiritu exultans, clamauit:

{72.7} Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna.

Quasi uero antea copiosa non fuerit pax, haec dicit Vates. Nam Christus obrutum in peccatis mundum inuisens, oriensque ex alto, non solum pacem & iustitiam secum attulit, uerumetiam omne bonum, cuius homines forent capaces, abundantissime largitus est. Quod uero postea abolita sint, sublataque e mundo tam felicia Dei dona, ut est pax & aequitas, id hominum malitia factum est. Florebit, inquit, quae pene exaruerat, in illius aetate iustitia, summaque, usquedum luna sit, in terris erit pax. Cur non summa? cur non integra? cum diruto inimicitiarum, quae inter Deum & hominem intercesserant, pariete, uniuersus plane Deo per Christum reconciliatus est orbis. Ut illa enim pax, quam ob regnandi cupiditatem atque ambitionem saepenumero, etiam in ipsis sanctioribus Ecclesiae locis, nutare cernimus, excindi omnino queat: ea tamen quae in sanctorum animas per Christi spiritum, tanquam insitus oleae surculus, inserta est, aeternis nititur fibris & radicibus, ideo aeterna. Quocirca additum est a Vate, Donec auferatur luna: id est, pax ista animorum, ac, qua gratis iustificamur per fidem, iustitia, quousque luna suum seruabi cursum, fixo alte stipite in Deo, perdurabit. Etenim nulla tam saeua potest esse perturbatio & confusio, quae pacatam tranquillamque hominis conscientiam, a rectitudinis linea, aut pacis studio facile amouere possit: nam quae Dei sunt, ab eoque proficiscuntur, firma sint oportet atque aeterna.

{72.8} Et dominabitur a mare usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Vastitatem imperii CHRISTI, simul & felicitatem exprimit Vates, ad regnum nimirum Salomonis utcunque alludens, de quo sic legimus: Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna secum a flumine terrae Philistiim usque ad terminum Aegypti. Ipse

enim obtinebat omnem regionem quae erat trans flumen, quasi a Thipsach usque ad Gazam. Atqui in eo quod Salomonis regnum usque ad promissae terrae fines protendebatur, regnum fidei ultra Oceanum dilatandum praesagibat. Nam quod nos legimus, Et a flumine usque ad terminos orbis terrarum: quidam ex Hebraeo sic uertunt: Ab Oceano orientali usque ad extremos occidentia fines. Ex his etiam sunt, qui a mari usque ad mare, mare Rubrum intelligunt, & mare Palaestinae. Flumen uero Euphratem, qui ab Oriente exiens in mare Rubrum erumpit: idcirco Iudaeis adeo notus & celebris, ut ferme illum flumen absolute nominent. Et est ac si dicat, ab Oriente usque ad Occidentem. Quoquo modo sensum formes, regnum hic CHRISTI, quod & fidei, a spiritu designatur. Quod sa-

{pdf 550, p. 267}

-ne in sequentibus clarius adhuc exprimitur.

{72.9} Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent.

Amplam atque adeo extremam orbis regionem sub meridionali plaga constitutam, idcirco torridam, ac nimio calore obfuscam & feram, ad significandum uniuersale Christi regnum non absque mysterio huc adducit Vates: huius enim Hesperii sunt populi ad Occidentem, Indi ad Orientem: ad quos quidem in Christi fide mansuefaciendos, missum olim fuisse a Domino Thomam apostolum nonnulli affirmant. Mundum itaque uniuersum adoraturum esse aliquando Christum praedicit Vates: qui cum fere totus a Dei descuisset religione, additur a spiritu, Et inimici eius terram lingent: hoc est, uenerabundi pronique in terram illum adorabunt. Tangit enim morem antiquum adeundi reges, quem hodie quoque ab orientalibus seruari sunt qui dicant. Neque illud silebo, nonnullas nostra quoque aetate mulieres ab ultimis Oceani ripis in Italiam euectas, coniugioque principum dignatas, ad tantum animi tumorem deuenisse, ut neminem, neque sacerdotes ipsos & episcopos ad colloquium admitterent, nisi genuflexos, atque humi pronos. Quanquam non tam sexus imbecillis uanitas in hoc est reprehendenda, quam stoliditas illorum, qui cultum illum soli Deo debitum, animanti tam imperfecto leuissime prostituunt. Sed ad psalmum redeo. Omnimodam enim subiunctionem intelligi uult Vates inimicorum Christi: sub quorum nomine Amalechitas potissimum, Madianitasque, & Israelitas, homines nimirum feros, atque, ut saepissime experti sunt Iudaei, indomitos, hic tangi arbitror. Amalechitam enim lingentem interpretatur Philo. Qui sane populi Arabiae deserta incolentes, perpetuis quodammodo uexarunt Iudaeos incursionibus, typo quidem uerissimo eorum quae ab improbis perpessura erat probitas. Quid non audent in innocuos teterrimi isti Aethiopes, atque lingentes Amalechitae? Caeterum uide quomodo sanctissimi Vatis spiritui haud multo post succinuit Esaias: Venient, inquit, ad te curui filii eorum qui te humiliauerunt, & adorabunt uestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi. Quid illud? Locum pedum meorum glorificabo. Hinc opinantur quidam, illam prodiisse exosculandi pedes summi Pontificis consuetudinem: quae eo spectasse uidetur, ut scirent omnes, illi, cuius uices in terris gerit summus Pontifex, omnem deberi cultum & pietatem sic illi. Nos ad propositum reuertentes dicamus cum propheta, quod

{72.10} Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent.

Lusus is est poeticus, mireque divinus.

{72.11} Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei.

Felix Arabia, quae in littore sinus Arabici sita est, regionesque Aegypti, & quae ad mare Rubrum usque protenduntur, hisce nominibus significantur. Saba, seu Sabaea regio, a Saba ex filiis Cham sic dicta, in qua thus, ac uis omnis aromatum innascitur, Arabia felix est: harum itaque regionum reges, regi Christo munera suis e locis apportaturos praesagiens Vates, regionum omnium reges Christianae religioni obtemperaturos uaticinatur. Eam ob rem in fine uersus, quasi collecta dictorum omnium summa, intulit: Omnes gentes seruient ei. quod quidem apertissimum fuit praeludium, quando uix nato Christo, Persae illi felicissimi ab Eois euecti partibus, auri thurisque munere, ac myrrhae, diuinum in puero testati sunt numen. Tum sane primum oblatae sunt Deo primitiae gentium. Caeterum insularum nominatim mentionem facit Vates, ob illarum uastitatem & numerum: ut Cyprus est, Creta, Rhodos, & illae omnes, quae Syriae atque Iudaeae conterminae sunt: quae cum ad obsequium regum Hierosolymarum praesto essent, caeterarum omnium tum fluminum, tum marium fidem in Christum adumbrabant. Heu fidelissima quo erroris nuper prolapsa es Britannia? Angelico ne Anglia patieris priuari cognomento? Quantum tua attulit reipublicae Christianae exitii, non dico defectio, id durum nimium esset, sed imbecillitas, sed ab institutis patrum parum auersa mens? Dona adducent, quid sibi uellit, aperit Paraphrastes, qui sic totum

{pdf 551, p. 267v}

reddit uersum: Reges Tharsis (ea est Cilicia) & qui insulas inhabitant, munera offerant illi: reges Arabum & Sabaeorum tributa pendant.

{72.12} Quia liberabit pauperem a potente.

Nempe a tyranno, a diuite, a superbo & ambitioso eruet humilem, abiectum, suisque in oculis uilem, &

{72.12} Pauperem cui non erat adiutor.

Cuique nullum in terris, nec charissimorum quidem, extabat perfugium. O legem certe pro dilatandis regnis necessariam. Amplissimum, ait, Ecclesiae erit imperium, ad cuius sane pedes, uel ipsi potentissimi adorabundi procumbent reges, propterea quod qui illius erigunt cultum, effigiantque religionem, non tyranni sunt, non crudeles, non cupiditatibus curisque superuacuis, & affectibus obnoxii, non diri, non, quae natura daemonum est, inexorabiles, sed mites, sed iusti, & qui non opprimunt, sed liberant pauperem a potente. Vide summam Christianae pietatis, mi Lector, mecumque religionis nostrae deplora uulnera. Videns, inquit Matthaeus, dominus Iesus turbas, misertus est eis, quia erant uexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem. Mirum si hic audire cogitabas, quod uidens Iesus turbas uexatas, oppresserit illas. Heu male

fidam pastorum quorundam custodiam. Quibus iam nostrae concreditae sunt animae? laniis ne? Sed mihi hic tempero, & ad benignissimam domini Iesu in subleuandis a miseria miseris reuertor opitulationem. Nam utcunque in infelicem turbam insaniant improbi, Deus tamen

{72.13-14} Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum, et honorabile nomen eorum coram illo.

Aptius ex hebraeo: Miserebitur pauperis, seu attenuati & inopis. uel ut reddit Paraphrastes: Pius erit in pauperem & egenum. Chaldaeus quoque: Miserebitur super pauperem & squalidum. quo speciem illorum, qui in hoc mundo per Christum affliguntur, complecti animo hi possint, qui cum nullo misericordiae commoueantur affectu, uix hominem a bellua discernunt. Qui uero sint Christi pauperes, quoque indigentiae genere laborent, alias diximus. Et, ut neque hic de usuris superflue philosophemur, ex usuris, non legit Felix sed simpliciter sic transfert, Ex fraude. seu ut Chaldaeus, Ex calumnia & iniuriis redimet animam eorum. quanquam certe nil obstat, quin hic quoque de usuris, ut plerunque alias, mentionem facere uoluisse Vatem arbitremur, eo maxime quod, ab usuris, uerti a Campense uideo. Quod si ciuium singillatim calamitates recensere animus esset, quid usuris, quas homicidiis saeuitia praestare asserunt Canones, calamitosius? quid infelicius? A qua, oro, alia peste quamuis letali & dira, tam absumuntur homines, quam a nefandissimis usurarum uersurarumque contractibus absumi solent res & publicae, & priuatae? Iam illud obscurius a nostro interprete est uersum: Et honorabile nomen eorum coram illo. Felix sic: Et preciosus erit sanguis eorum in oculis suis. Idem Chaldaeus. quorum quidem uerborum sensus elegantissime exprimitur a Paraphraste, hoc modo: Nec temere fundi sinet sanguinem illorum, nempe ut rem sibi charam & preciosam. Nihil sane non preciosum atque honorabile in Dei oculis esse potest, quod syncera agitur fide ab his, qui infensi sunt mundo. Qualis uero sit honor ille, quo piorum ornantur a Deo nomina, alio in psalmo aperit spiritus: Et nomina, inquit, eorum uiuent in aeternum. De impiis autem: Nomen eorum delesti in aeternum, & in seculum seculi. Quid illud? Nomen impiorum delebitur. Quod autem suos sinat interdum Deus traduci in uulgus, infamariue, atque instar quoddam limi ab improbissimis conculcari obloquutoribus non multum mouere nos debet: talem enim scimus esse crucis effigiem. Impossibile plane est iusti uiri nomen, quantumuis a maleuolis male habitum, absque honore esse & gloria apud Deum. Siquidem ut nulla alia expectetur laus, perfidorum nunquam succumbet infamiae, sed lucidior indies, tanquam splendor in meridie, evadet tandem

{72.15} Et uiuet, et dabitur ei de auro Arabiae, et adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei.

Quod enim, & uiuet, ad pauperem, non ad regem referre debeam, litera quam

{pdf 552, p. 268}

ponit Felix, me hortatur. sic ille: Et uiuet, & dabit illi de auro Arabiae, & orabit pro eo iugiter. quod sane de iusti uiri uita, ac de coelestibus elargiendis illi donis & diuitiis,

quae sub auri Arabici nomine intelliguntur, sumi oportet. & quem quidem sensum Paraphrasten intellexisse uideo: Viuet, inquit. cum rege illo pauper, & participem faciet eum auri Arabici, & orabit pro eo assidue: nullo non tempore beneficus erit in eum. Sensus igitur: Non sane uir iustus sic in terra, ut dixi, male habitus, illo quo apud homines extinguet modo, sed uiuet: neque uiuet solum, sed regis beneficio, qui immensis eum preciosisque rerum thesauris, ut aurum est Arabicum, perornabit, diues erit: proque illo orabit tantus rex, benefacietque illi continue. Vide, te oro mi Lector, oppressorum pro Dei religione exitum, uide felicitatem, uide diuitias, nempe a benignissimo rege Christo erogatas. quid his beatius? Caeterum, mirum nisi hic amore colliquescas, audiens Christum patrem pro te orantem, modo ex illis unus sis, de quibus sic ille: Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Quod utique sanctissima Vatis anima praenosces, sic ipsum alio in psalmo alloquitur CHRISTVM: Exaudiat te Dominus in die tribulationis. Atqui oratio CHRISTI ad patrem aeterna est, quemadmodum aeterna est protectio, aeterna salus, aeterna uita. Quocirca additum est a spiritu: Tota die benedicet ei. Verum si cui magis hi placent interpretes, qui uerba haec omnia ad regem referunt, ut referre uidetur noster interpres, abunde habet quo suum sedet desiderium. Illud tantum aduertat, an eo sensu uerba inter se bene coeant.

{72.16} Erit armamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius, & florebut de ciuitate sicut foenum terrae.

Hi sunt effectus beneficentiae illius, de qua ea est asseueratio: Tota die benedicet ei. Stabile, inquit, non uacillans huiusmodi salutis erit fundamentum, atque adeo solidum & inconcussum, ac si in solido iactum esset montis apice. Porro coelestia cum sint in Christo dona, quid in terris illorum originem peruestigamus? Terrenis enim non satiatur anima, neque in his oblectatur, quae in imis fundata sunt rebus. Caeterum mons Christus est: montes uero, illi, de quibus in superioribus uaticinatus est Dauid, dicens: Suscipiant montes pacem. Verum omissa interpretatione uocis Firmamentum, hebraicam discutiamus literam, quae sic habet: Erit multiplicatio, seu pugillus frumenti in terra, in uertice montium concutietur uelut Libanus fructus eius. Diuus quoque Hieronymus: Erit, inquit, memorabile triticum. Nulli dubium, pro frumento firmamentum, a quo nescio huc translatum. Unde ex Hebraeorum interpretibus quidam sic totum reddit uersum: Tanta fiet in terra per montium uertices tritici uis, ut instar Libani fragorem reddat: in urbe germinent sicut foenum terrae. Lucidius adhuc Paraphrastes: Ex paucis, inquit, granis in terram proiectis, etiamsi in cacumine montium satio fiat, maxima proueniet messis, & excrescet frumentum illud in eam altitudinem, ut si uento agitetur, strepitum excitent aristae plenae, qualem altissimae Cedri in monte Libano solent. Florebunt insuper ciues, & multiplicabunt in ciuitate, quemadmodum herba solet in agris. haec Campensis. Rursus litera quorundam ex Hebraeo, quod & notat Felix, me cogit, de Eucharistiae cibo id dictum suspicari, & magis id adeo, quod uerba quae noster uertit interpres, in uertice montium, Chaldaica translatio expressius refert, in capitibus sacerdotum, Sed sat sit admonuisse: nunc ad reliqua enarranda diuinae beneficentiae ac maiestatis argumenta, ne nimii simus, uertamus animum,

{72.17} Sit nomen domini benedictum in secula.

Hic rursus se alio habet ordine litera, tum graeca, tum Hebraica. Sic ex Hebraeo: Erit nomen eius in aeternum. Idem ferme Euthymii graeci interpretes. Quae quidem litera a praecedentibus concinne admodum pendere uidetur. Erit, inquit, frumentum in terra in summis montium. nunc autem: Erit nomen eius in aeternum seu ut reddit Paraphrastes: Erit nomen eius celebre perpetuo. Ecclesiae hic enarrat summa: nam eo quidem tum prisca Iudaeorum spectabat religio, arca, templum, ritusque illi informes & caeremoniae: tum noster quoque in Ecclesia cultus & pietas, illo suum

{pdf 553, p. 268v}

dirigit consilium, ut Dei nomen sicut in coelis sanctissimum est, & supra omnem bonitatem immense bonum, ita in terris & uita & moribus sanctificetur, perpetuisque efferatur laudibus. Sanctimonia quidem, mansuetudine, pace, charitateque ac pura in Deum fide, sanctificatur Dei nomen: iniquitate uero, superbia, dissidiis, odiis, desperatione, ac mundanarum rerum amore, atque ambitione, deturpatur. Quoniam igitur, ut iam diximus, aeternus est dominus, aeternamque dat gloriam, ita in aeternum glorificetur, laudeturque in secula. Siquidem

{72.17} Ante solem permanet nomen eius.

Perstat, inquit, Christi Iesu nomen ante omne aeuum: nam cum aeternus sit patris filius, aeternis cum ipso regnat seculis, idem habens nomen ab initio ut Deus, quod modo in terris homo factus prae se tulit. Et uocabis (inquit angelus ad Mariam) nomen eius Iesum. quasi dicat, nomen illud aeternum in coelis, quo sane omnes ab aeterno seruari uoluit, unde Iesu nomen ante omne aeuum, aeternaque genitura adeptus est, idem fore in terris per te palam fiat, & credatur. Non ab re quidem haec a me omnia: nam quod noster uertit interpretes, permanet nomen eius, Hebraeis hynon uerbum est, quod, ut praelicetur interpretatur Felix, filiabitur uerti posset: hin enim, a quo uerbum istud originem habet, filium signat. Sensus igitur, at optime a Paraphraste redditur, is erit: Priusquam esset sol, ab aeterno filius nomen erat illi.

{72.17} Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae.

Illud fere hic mihi audire uideor, quod diuino ab oraculo pius olim audiuit Abraham: Benedicentur, inquit, in semine tuo (is Christus erat) omnes gentes terrae. Benedicentur, uertit Chaldaeus, in merito ipsius omnes populi. En quam breui, ut sic dicam, apophthegmate, unde omnis salutis ratio proficiscitur, dependetque, expressit Chaldaeus, nempe a Christi meritis. Quocirca clamat Vates, Omnes gentes magnificabunt eum. Hoc est, magnum illum beatumque prae omnibus, & felicem, a quo omnis mortalibus emanauit felicitas & beatitudo, praedicabunt, palamque dicent sese innumeris ab eo affectos esse beneficiis. Cum itaque is tantus sit, tamque omnibus beneficus & liberalis,

{72.18-19} Benedictus dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus: e benedictum nomen maiestatis eius in aeternum, & replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.

Ecce quam copiosis notis flagrantissimum suum erga Deum ostendit affecte diuinus Vates. Laude, inquit, dignissimus est Dominus: Dominus, inquam, ille qui tot modis olim suum fidissimum protexit seruum Israellem, & qui nulla alia adiutae ope, per se solus, suisque tantummodo nixus uiribus, magna mirandaque, ac cunctis inaudita seculis operatus est, operaturque indies. Itidemque laude omni dignum est nomen illud excelsum, magnificumque ipsius filii, qui aeterna illius est gloria, splendor, figuraque substantiae ipsius, per quem fecit & secula: quare tellus orbisque uniuersus illius replebitur numine & maiestate. Amen, Amen: hoc est, ita fiat: ita, inquam, fiat, ut uaticinatus sum. Atque ita, eoque spiritus ardore atque ecstasi, qua coeptae sunt,

{72.20} Finierunt orationes Daudis filii Isai.

Vult diuus Hieronymus particulam hanc esse psalmi finem, idcirco illi attexendam: quae tamen cum ambigua sit, ab omnibus ferme ambigue exponit, ac tam uarie & frigide, ut plane nihil eos dicere ausim affirmare. Verum quod interim magis ab aliquo dilucide quid de hac re sentiendum sit, proferatur, sensus quem affert Campensis firmior adhuc uidetur, sibi que constans magis. sic ille: Haec ut euenirent, summa fuit uotorum ipsius Daud filii Iesse. Nam cum Daud in caeteris omnino psalmis ardentia in Deum prae se ferat studia & desideria, in hoc mirum quam insolite deflagret transmigretque affectu atque amore in Deum, eiusque filium, quem in tetrum hunc terrae incolatum descensurum praeuidens, obnixè rogat ut ueniat, ut acceleret, ut iustitiam secum ueniens deuehat. Et sic secundi finis est libri psalmorum apud Hebraeos. Quorum quidem psalmorum auctori Deo laus sit atque honos in secula seculorum. Amen.

{pdf 554, p. 269}

PSAL. Asaph. LXXIII.

{73.1} Quam bonus Israel Deus his qui sunt recte corde.

Ecstasi plenus est psalmus, atque idem plane est cum multis argumentum. Miratur mundus, mirantur & ipsi interdum sanctissimi uiri, qui, ut inquit Christus, in mundo sunt, & de mundo non sunt, nutantque quandoque animo & dubitant, an illud Deo dignum censeri debeat, bonos scilicet continuis in hac uita affligi miseriis, malis uero omnia ex sententia prouenire. quis hoc credat? Cui iam est persuasum, consentaneum id in Deo esse posse ac laudabile, illum nimirum in quo error inest nullus, suos uelle amicos perpetuis in hoc mundo proteri calamitatibus, cum malaque conflictare fortuna? hostes uero tam immensis ditari uitae commodis, ut pene nihil aliud cogitare uideatur, quam ne minimo quidem detrimento afficiantur. O rem certe incomprehensibilem, prorsusque latentem, si sensum spectas humanum, nempe tardum, hebetem, fallacem. Secus autem hi, sensu qui sunt uegetiori, iudicant, qui a uulgi opinione semoti cum sint, rem altius contemplantur: nam etsi, quae est communis mortalium imbecillitas, in rimandis diuinae prouidentiae iudiciis caecutire, tantillumque a uero aberrare uideantur, at non ita tam en concutiuntur, a fide ue tam longe diuagantur, quin statim animum colligant, experrectique in Deo cernant, fateanturque, quicquid contingat sapientissimo id fieri iudicio, licet occulto, ac plane uulgo incognito. Quod si porro cum Vate illo ueteri interdum obstupescere, profunditateque diuinorum consiliorum deuicti

clamare coguntur, Quare impii vivunt? subleuati sunt, confortati sunt diuitiis, domus illorum securae sunt & pacatae, & non est uirga Dei super illos: nihilominus tamen, ut dixi, non ita destituuntur animo, quo minus quae de Dei ordinatione sentienda sunt, & sentiant, & cum Vate ardentissimos sui animi conceptus sic exponant: Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde. Pulchre admodum rectos corde Israeli attexit Vates: siquidem prioris subsequens hemistichion uidetur interpretatio: Israelem enim directum a Deo interpretatur: Philo uero, uidentem Deum. Vtraque tamen interpretatio huc belle quadrat. Etenim, ut sapientissimus asserit magister, Beati mundo corde (cor mundum, rectum appellare liceat) quoniam ipsi Deum uidebunt. Quantumlibet igitur felices sint prati in hoc mundo, bonique miseri & infelices, quam benigne, quam amanter se habet Deus erga illos, qui fide integra, rectoque, ut fuit Israel, animo, utcumque res cadant exterae, ab eo dependent. Tametsi enim interdum nutare aliquantisper uidentur, attamen stant fixi in Deo, tantum abest ut occumbant omnino. Principium huius uersus Hebraeis aliud est a nostro: idcirco alio modo sensum explicant. Certe, uertit Felix: alii autem, ueruntamen. Et est affectui humano diuinae obmurmuranti prouidentiae responsio, querentique, ac quodammodo Deum stupiditatis accusanti, quod improbos rerum omnium successi & commodo affluere sinat, probos uero miseria & aerumna. Cui spiritus: O insulse, quoquo modo res se habeant humanae, atque utuis Deus impios fouere uideatur, pios autem affligere: ueruntamen hi ut filii charissimi curae ei sunt, atque honori: illi autem fastidio atque odio. Intellego, o beate spiritus. Verum haec uidens, moerore quasi contabui,

{73.2} Et mei pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.

Vide animum Dei consilia parum caute peruestigare conantem: fatetur enim se improborum felicitate ita permotum, ut nihil abfuerit, quin a iustitiae probitatisque studio, quod per lapsum pedum, & effusionem gressuum signat, dilaberetur. Mihi id accidit absurdi, inquit Paraphrastes, ut cum mei pene oblitus essem, tantum non labi coeperint pedes mei: & quemadmodum accidere solet his qui per lubrica ambulant, effuso gressu collapsus fuerim. In causa uero fuit,

{73.3} Quia zelauis super iniquos pacem peccatorum uidens.

Maxima ea omnium uidetur tentatio, nihil ferme illis qui sancte vivunt succedere, intueri: improbis uero omnia, & quidem contra ipsissimos Dei amicos.

{pdf 555, p. 269v}

Eo enim interdum impatientiae perrupisse quorundam animos uidimus, ut cura pene Dei contempta, peruersorum uitam, in qua summa apparet pax & quies, sectari prope modum maluerint, quam sancte uiuentes uitam uiuere aerumnosam. Zelauimus, inquiunt: hoc est, iniquorum fortunis inuidimus, considerantes nihil non illis pacificum contingere. Et

{73.4} Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.

Neque graeci, neque hebraei codices, quod sciam, habent Respectus: [1585: et si non officit sensui] sed aut renuitio, ut Euthymii uertit interpres: aut uoluntas, ut alius etiam ex graeco: aut ligamina, ut plerique ex hebraeo. quorum omnium is unus erit sensus, ut elegantissime redditur a Paraphraste: Tota, inquit, uita, non solum fortunata illis omnia fuere, sed etiam in morte illis accidere solet, ut aetate defecti sine longo cruciatu extinguantur. Sicut igitur feliciter uixerunt, ita feliciter moriuntur. Quis talem (ut graecae dictioni faueam) renuat mortem cum moriendum est, in qua moriens ulla absque uiolentia & horrore, e uita demigrat? Porro difficultates illas terrificas, & longos cruciatus in moriente, ligamina, firmamentumque in plaga eorum, appellat Hebraeus: Abeunt, inquit, e uita scelerati isti felices: si tamen felicitas ea uera est, onusta peccatis conscientia quempiam emori. Sed de corporea membrorum per mortem abitione e mundo, placida sane & tranquilla, hic loquitur spiritus. Caeterum si dictio Respectus, interpretanda est, illum prae se fere uidetur sensum, quod iniqui in mortem nequaquam respiciunt, sed tanquam semper uicturi praesentem tantummodo prosperitatem attendunt, more nimirum belluarum, in quibus nulla inest mens & ratio, quarum ui futura praesentiscere ualeant. Illud etiam non omittendum, ultimam uersus particulam sic ab Hebraeis uerti. Vicens robur eorum: uel ut transfert Fel. fortis, robustus, scilicet est impius, cum moritur: & est mutatio personae. Utcunque uertant, illud compertum, quod

{73.5} In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.

In afflictione seu molestia hominis, uertunt Hebraei. quare sic Paraphrastes: A molestiis, quibus ex ipsa conditione homo fragilis obnoxius est, liberi esse uidentur. Solet enim Deus prauissimos quosdam eo interdum felicitatis in hoc mundo euehere, diuitiisque, honoribus, rebusque illis, quae non tantum bona, quantum bonorum simulachra atque imagines appellari debent, ditare, ut in terris fere pro diis habeantur: tum propterea quidem, ut perspicacium sublimiumque animorum, quae sit fides in Deum, appareat: tum quanti aestimanda sint bona illa, quae tam copiose uel ipsis profligatissimis Dei hostibus permittuntur, diuina edoceat sapientia: tum demum quo excelsius, magisque formidabile suum uideri possit iudicium, cum tam sublimes florentesque succidere decreuerit plantas. Nonne illud miraculo simile uidetur, cum caeteri omnes molestia aliqua insigni interdum, quam laborem & flagellum appellat Vates, ut sunt illa omnino, fames, inopia, frugum armentorumque iactura, mors pecorum, pestilentia, irae, mulctaeque principum, exactiones, & hae quidem grauissimae, bella, incursiones, depopulationesque, liberorum orbitas, atque id genus alia pene innumerabilia, affliguntur, illi rebus suis omnibus intactis laute admodum mundo hoc utuntur? O diuinae certe prouidentiae consilium plane secretum, atque ab intellectu humano semotum omnino. Verum uide quam indigne tam larga Dei manu abutantur ingratiissimi omnium. Quoniam quidem in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur,

{73.6} Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua.

Is tandem finis illorum est, qui in immoderata rerum opulentia, addo & honorum, lasciuientes, ut superbia tumidi eo perditionis dilabantur, ut toti, quanti sunt, iniquitate impietateque, nempe omni prorsus genere uitiorum tanquam ueste operiantur. A

superba enim mente atque ambitiosa, cum peccata omnia originem habeant, at duo tamen illa potissimum, contemptus nimirum Dei & proximi, ut sanies a putrido ebullit ulcere, ebulliunt. Quo ultra progredi posset uel ipse perditissimus daemon? Sunt tamen quidam etiam ex his forsitan, qui in templis habi-
[habitant]

{pdf 556, p. 270}

-tant, qui si non daemones in fastu uitae superant, aequant saltem, atque ultro pares illis fiunt. At uide, quam nefandum turpitudinis scelus, horrendum, ineffabile, prorsusque detestandum, diuino id permittente iudicio, superbae, tanquam merces debita, rependatur animae. nam quod noster uertit interpres, operti sunt iniquitate, Hebraeis est nonnullis, inuoluet nates iniquitas eorum. Hi sunt enim, ut clamat Paulus, qui alienati a uita Dei, quique desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis. Caetera uero tute cogita, mi lector, imo a mente abiice, ne purissimis hisce spiritus affectibus, tu nondum carne prorsus exutus carnalia immiscens, a rerum coelestium gustu arcearis: ad caeteras potius detegendas, quae in superbo insunt homine, uitae maculas, perge. Pene quidem ex his quae hic a uate dicuntur, adducor, ut superbum, eundem & impudicum, ne dicam exoletum, esse affirmem. Audi aliud insigne facinus superborum:

{73.7} Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.

Hic mihi illud Iob in mentem uenit, qui cum de felici improborum fortuna loqueretur, id inter caetera attulit: Iste moritur robustus & sanus, diues & felix, uiscera eius plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur. Alias diximus, adipem in scripturis, pro opimis, bonisque omnibus fortunae abunde refertis accipi: pro laetitia quoque & gaudio: quemadmodum iecur pro amore, & renes pro intimis animae cogitationibus atque oblectamentis sumi solent. Sensus igitur & uere & docte a Paraphraste exprimitur hoc modo: Vix apparent prae pinguedine oculi eorum: supraquam sperauerant omnia illis prospera eueniunt. Quod nos legimus Transierunt in affectum cordis: Hebraei habent, Transierunt cogitationes cordis: id est, modum illorum fortunae excesserunt, supraque quam unquam sperare potuissent & optare, assecuti sunt. Unde sic Felix: Transgressi sunt prudentiam cordis: hoc est, ut ipse se exponit, habuerunt plus quam cogitauerunt. Idcirco quoque transierunt in affectum cordis, nempe iniquitatem quodammodo uoluptuosam facientes, quicquid corde affectarunt, ulla absque controuersia perfecere. Quid tali felicitate infelicius? Neque id quidem satis, aliud habe impietatis genus:

{73.8} Cogitauerunt & loquuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso loquuti sunt.

Nequitia uitium est, quod caetera omnia complectitur, frugalitatisque opponitur. Caeterum, si dictionem Excelso, ad Deum referas, aptius in excelsum uertendum erat, ut Euthymii interpretem uertere uideo: ut sit sensus, peruersos illos obloquutores nec Deo quidem excelso pepercisse, sed in ipsum quoque maledicta congesse. Verum, de excelso, transfert Felix, ac caeteri ex Hebraeo fere omnes, quo hinc audacissimum

illorum morem consideremus, qui omnes contemnescentes, quasi omnibus superiores sint, quicquid in buccam uenerit impudentissime tum in Deum, tum in homines effutiunt. Quocirca a Vate commodum additur:

{73.9} Posuerunt in coelum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.

Id est: In omnes uenenatam exacuentes linguam, & superos & inferos uno eodemque contumeliarum genere conuoluunt. Atqui hic mihi impudentissimorum gerronum consuetudinem depingi arbitror, sed illorum maxime, qui dignitate aliqua praediti sunt. Mirum quam facile alienos mordeant mores. Dignitate quidem illa sua, tanquam clypeo muniti, quicquid lubet, licere sibi putant. De Deo itaque perinde loqui consuescunt, ac si illius essent in moderando uniuerso socii, De hominibus uero quid non blaterant? quem non criminantur? Iam illud quod pene exciderat, non omittendum: initium scilicet praecedentis uersus aliter ex hebraeo legi. Sic Felix: Dissoluentur, seu colliquescent, & loquentur in malo: hoc est, ab omni recta bene uiuendi ratione dissoluti dissipatique, quicquid malorum animo conceperint, ore proferunt, iactantque sese assecutos quaecumque in proborum uitam sunt machinati. Idcirco turgidi facti, in Deum, in subditos, in superiores, in aequales, nullo habito delectu, ab excelso arrogantiae fastu loqui soliti sunt.

{73.10} Ideo conuertetur populus meus hic, & dies pleni inuenientur in eis.

Periculum id ingens est pauorisque plenum, in membris potissimum Ecclesiae

{pdf 557, p. 270v}

nondum solide in fide Iesu Christi firmatis. Vide argumentum: Si piis male omnia succedunt, impiis uero bene, quis iam pietatis studiosus erit? edamus itaque, bibamusque cum illis, ut melius nobis sit. Sentis ne periculum? Idcirco, inquit spiritus, conuertetur populus meus, deficientque huc atque illuc distractus ab eo quod coepit, nempe iustitiae itinere atque instituto. Et sic (pro mulctam inauditam) a me auersis, dies pleni, pleni inquam mundi huius bonis ac oblectamentis, inuenientur in eis, perinde atque in illis ipsis improbis: quos sane a me ultro deficientes, in lasciuienteque mundi gremio, tanquam sues in coeno, uolutatos, meo aequissimo dereliqui iudicio. Verum, populus eius, non meus, uertunt Hebraei. Sic Felix: Propterea conuertetur populus eius concussus, & aquae pleni exprimentur illis Quid sit populus eius concussus, apte exprimit Paraphrastes: Propter, inquit huiusmodi fluctuabit populus Dei, nunc hoc nunc illud animo uersans: & haec ueluti aquae amarissimae pleno calice obtrudentur illis ut bibant. Quocirca sugentur ei ab improbis (ita ait Kimhi Hebraeus) aquae calicis pleni toxico. Cuius ui insaniens, in illa quae sequuntur facile prorumpit uerba:

{73.11} Quomodo scit Deus? & si est scientia excelso?

Quid mihi, inquit, obtrudunt uerba illa, quod scilicet Deus aequam de omnibus curam habet? quod uidet omnia? quod discernit? quod ut iuste, sic celeriter in excelso iudicat? Si ita res habet, & nihilominus peruersissimos quosque amplissimis mundi bonis,

honoribus, tranquillaque sinit uti fortuna, quomodo eum quae hic fiunt, scire, diiudicareue dicam?

{73.12} Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias.

Vides confusum in anima conflictum, quae, ut par est, non omnia diuino committit consilio? En, inquit, perfidi isti e terra nati quomodo turgidi sunt, improbi, fallaces, prorsusque athei ac profligatae uitae homines, attamen rerum omnium, tanquam effuso copiae cornu, lautitia abundant: quo enim improbiores sunt, hoc illis tranquillius res omnes fortunare Deus uidetur. Sunt ne ista aequi iudicis, ut Deus est, indicia atque argumenta? Pene quidem persuaderi mihi paterer Deum innocentia hominum offendi, simulac uideo proborum uitam tam male haberi in terris.

{73.13} Et dixi: Ergo sine causa iustificauit cor meum, & laui inter innocentes manus meas.

Sic sane intra me: Ergo si ita diuinum expectatur iudicium, mea omnino fide, qua me iustitiam adepturum sperabam, nequicquam fuit. Ergo mihi operam lusisse uideor, qui tam anxie, ut puro essem corde, elaborauit. Frustra & illud fuit, me iniquorum uita & consuetudine abstinuisse, fugisseque ad antra, solitariaque loca, te contaminarer, atque eadem cum ipsis inuoluerer uitae impuritate. Caeterum de puritate manuum, seu ablutione, alias diximus exteriorem uitam hominis significari: neque aliud inter innocentes manus lauare praetendi, quam puram uitae conuersationem prae se ferre quempiam. Quid mihi igitur, inquit, honoris attulit castam cum castis uixisse uitam? En tandem pro merito afflicti sum,

{73.14} Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.

Perseuerat adhuc suo in ancipiti exprimendo de Dei prouidentia iudicio anima, fideque dubia. Bene, inquit, serui, & flagellor: non seruit malus, & honoratur. quid itaque censendum, cum quotidie serui ego frugi officio fungens, quotidie uerberor, diesque singuli suo mihi exordio nonnihil afflictionis afferunt? Si interdum quidem scelestissimi isti incommodo uitae aliquo tangunt, aut illud breue est, aut serum omnino: ego autem ab ipso matutino diei tempore, usque ad uesperam, continuis obnoxius sum incommodis. Atqui prauus quidam apud nonnullos, huiusque non absimilis, in diiudicandis aliorum factis apparet mos, ut si quos e suorum numero, sibi uel amicitia, uel affinitate, uel patriae interdum communionem coniunctos peccare, & id quidem crebro & turpiter contingat, illorum statim obtegant delicta, eaque dissimulent, & si non malitia, affectu saltem humano & turpi, pro benefactis haberi uelint. Quorundam uero lapsus, in quos uel ipsi mo-

[moderatissimi]

{pdf 558, p. 271}

-deratissimi quandoque dilabuntur uiri, adeo celeriter seuereque & quaerant & puniant, ut neminem iam peccare discernas, nisi qui bonus sit. Unde ista, obsecro, orta est iudiciorum inaequalitas? alii enim in sortem quandam infelicem illorum, qui sic iniuste

suis a superioribus diiudicantur, referunt: ego autem prauum eorum potius superiorum animum, atque a Dei doctrina alienum, in causa esse iudico. Quod si Deus improbos non euestigio punit, aut ad eorum scelera conuiuere uidetur, proborum uero uitam & cito & assidue flagellis ab erroribus auertere, id aequissimo fit iudicio & necessario. Illi autem turpissimo et irrationabili trahuntur affectu. Aliud est enim flagitiosorum hominum peccata ad tempus, ut uel sic saltem respiscant, dissimulare, aliud malitiose tegere, & quia amici sunt, nutrire. Heu mores corruptissimos. Si sic se res habet, quo nostrum iam dirigendum erit probitatis studium? Pene hic dixi, iustam illam fuisse hypocritarum querelam in Vate illo: Vanus est, inquit, qui seruit Deo. Et quod emolumentum, quia custodiimus praecepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes. Eae sunt, mi lector, imprudentis animae querimoniae, quae in disquirendis altissimi consiliis, nimium curiosa est & procax. Verum quoniam ex illarum numero est, quae ad mortem peccare haudquaquam possunt, quia Dei semen in se habent, non ita dura efficitur ac contumax, quin statim deprehenso suae ignorantiae periculo, sese colligat, diuinoque illustrata lumine fateatur, quod in sequentibus fateri Vatem conspiciat:

{73.15} Si dicebam, narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

Vide uim lucis diuinae. Longe, inquit, a me sit ea, de qua hactenus tristis ac moerens tam multa questus sum, sententia. Nam certe, si induxero iterum animum, ut sic de Deo sentiam & loquar, ut hactenus loquutus sum, tuos absque dubio electos, nempe nationem filiorum tuorum reprobam, a teque alienam dicam. Quod sane impietatis genus inexpiabile uidetur. Quid tam tuae bonitati, mi Deus, ac, qua cuncta iustissimo ponderas aequilibrio, potest esse iniurium prouidentiae, quam probitatis studia frustra esse asserere, piorumque animas a te negligi? Haec itaque ac multa id genus alia stulte nimium atque imprudenter uersans animo,

{73.16} Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me.

Hebraeorum interpretes post dictionem Hoc, interpunctum collocant hoc modo: Cogitauit ut cognoscerem hoc: id est, quomodo relictis in miseria iustis, prauos exaltas, ditasque continue, ac de illis solummodo curam habere uideris. Verum ipsa rei difficultate deterritus, tantisper a uanitate illa mea animi, superuacuoque consumor labore,

{73.17} Donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum.

Sanctuarium hic uocat spiritus coelestium rerum cognitionem: etenim e sacrario illo antiquo templi, certa Dei oracula audiri fama erat. Modo uero e benignissimo Christi pectore, qui totius diuinitatis sanctuarium est, istiusmodi cognitionis lumen hauritur ab his nimirum, qui abstracti a mundi amore ac metu, cor ipsum Christi ingrediuntur, in quo omnis inest sapientia, pax, amor, quies, uita, & rerum non solum praeteritarum ac praesentium cognitio, uerumetiam futurarum praenotio. Inter quas illud quoque est, quod in Deo tanquam in emaculatissimo speculo, quae miseria eos maneat, qui in hoc mundo felices uulgo iudicantur, clarissime intuentur. Idcirco addit Vates, Ut intelligam

in nouissimis eorum, quem tamen sensum fusius & caeteri ex Hebraeo tractat Campensis: Tunc enim, inquit, intelligam rem ipsam, cum uidero quem finem habituri sint impii, qui hic uidebantur felices: & pii, quos hic opprimebant illi. Sed de impiorum exitu tantummodo hic loqui spiritum arbitror, ex his quae sequuntur:

{73.18} Veruntamen propter dolos posuisti eis, deiecisti eos dum alleuarentur.

Felix sic: Quippe in lubricis pones illos, deiicies eos in ruinas. Alius item ex Hebraeo, Attamen in lubricis posuisti illis: nempe eorum felicitatem. Rursum alius: In lubrico locauisti eos. Haec una idcirco congressi, quo quid sibi uelit in no-
[nostro]

{pdf 559, p. 271v}

-stro interprete, propter dolos, perspicuum sit: & est opinor similitudo ab his desumpta, qui in lubrica gradientes uia facile cadunt. Ita hi sunt, inquit, qui sua illa immodica diuitiarum luxuria nisi, nihil suis in studiis aut actionibus, quod firmum sit, statuere norunt. Quocirca subiungit Vates, Deiicies illos in ruinas, uel eo maxime tempore, dum alleuantur: hoc est, cum magis in altum elati uidentur. Succurrit & alius sensus, qui nostrae faueat literae, & est idem atque si dicat: Quoniam subdoli ex more hi sunt, fiduntque rebus sanequam dolosis, ut fere sunt res huius mundi, proinde tu aequissima compensatione imposuisti eis: hoc est, illos a propria uoluisti deludi fortuna, & falli. En

{73.19} Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.

Felix profecto haec est consilii in anima mutatio. Antea enim sui pene oblita, in illud prorsus obloquutionis in Deum proruperat, ut eum quasi stupiditatis, ac fere iniustitiae reprehenderet: discutere nimirum efflagitans, quo iudicio, qua ue lege aut prouidentia id fieret, ut boni continuis iactarentur infortuniis, malis uero ne tantillum quidem incommodi obueneret. Modo autem ad se reuersa, suamque cognoscens ad diuinam excutiendam caliginem tarditatem, haud amplius de diuina addubitat in iudicando aequitate: sed miratur, stupetque, quomodo hi, qui non ita pridem ut dii in terris habebantur, subito inuoluti infortuniorum nimbo, in extremam coniecti sint ruinam. Quo modo, inquit, facti sunt in desolationem? quam subita oppressi sunt calamitate? quis id unquam sperasset? periire omnino. Hem quo illa laeta abiit fortunae facies: repentino quippe horrore exterriti, in nihilum acti sunt. Quod enim nos legimus, Perierunt propter iniquitatem suam, Hebraei habent, Consumpti sunt a repentinis horroribus: quae quidem uox subitam inopi natamque prae se fert animi consternatione. Nihil quidem timidius homine in gremio fortunae enutrito, percusso tamen, atque in calamitatem aliquam acerbiorem obtruso: ut fere sunt hi, qui propter diuitiarum copiam, aut fauorem principum, supra modum tumidi fiunt. Verum,

{73.20} Velut somnium surgentium Domine in ciuitate tua, imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

Vide quam apta comparat similitudine Vates prauorum felicitatem illius somnio, qui iam euigilauerit. quid somnio huiuscemodi inanius? Dormiens enim somniis quidem, aut sopore oblectari potest: uerum postea experrectus cum fuerit, quo uana illa abiit oblectatio? Ita nimirum uanida omnino est humana haec felicitas, qua qui abutitur, delectatione se aliqua affici sibi uidetur. Interim uero e fortunae sinu, tanquam a mollissimo eiectus lectulo, sentit miser suam illam bonorum honorumque beatitatem & splendorem, quem hic imaginem uocat spiritus, nihil aliud extitisse quam fugacem somnum, ac rei simulachrum, non rem ipsam. Dormierunt, ait alio in psalmo, & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus suis. Desierunt igitur in umbram ac somnum (ut & nos quoque saepius uidimus, uidebimusque, quo sua sit Deo susque deque gloria) arrogantium diuitiae & deliciae. Desiere honores, desiit & splendor ille immodicus, atque autoritas in populis, tanquam imago inanis, & fugaci simillima somno: in eorumque locum irrisio, contemptusque morte ipsa acerbior, atque exhibitio, miro omnium consensu & plausu subintroiere. Verum id pene tolerandum, nisi post uitae huius somnum, eiecti explosique a ciuitate sancta Dei, in qua summa ueraque inest felicitas, non umbratilis, atque, ut illa est mundi, inanis, commonstrarent se nihil aliud uiuentes in Dei religionem introduxisse, praeterquam imagines ac rerum umbras. Caeterum, imagines eorum negliges, uertunt Hebraei: hoc est, eorum gloriam, quae uerius imago gloriae dici potest, quam uera gloria, tanquam rem nihili abii cies. Atqui incredibilem in modum, mi Deus, dum tam profundam iudiciorum tuorum caliginem contemplor, obstupesco, dementorque omnino, ipsa rei profunditate oppressus.

{73.21} Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt.

{73.22-23} Et ego ad nihilum redactus sum & nesciui, ut iumentum factus sum apud te.

{pdf 560, p. 272}

Hucusque duos legunt uersus Hebraei. Flamma haec cordis ab aestu illo animi irrequieto prodire solita est, cum quis secreta illa Dei rimari nititur, quae humanum prorsus fugiunt intellectum. Hebraei tamen non legunt, inflammatum, sed acetosum. Unde sic Paraphrastes: Interim uelut acore quodam macerabit se cor meum. Mirum quam uariis, atque eisdem ipsis quidem aptissimis, suo in exprimendo dolore atque affectu, similitudinibus, utatur Vates. En alia iterum secundum Hebraeos: Et renibus meis, inquit, compungar: hoc est, ut ipse exponit Felix, ac si sagitta acuta infixi esset in renibus (uulnus eo loci infixum letale esse solet) commouebor & stimulabor. Etenim cum renes pro affectibus uiolentis in scripturis poni cernimus, pro anxiis hic animae permotionibus, superfluisque imaginationibus, posse accipi opinamur. Quas quidem superuacaneas occulta omnino disquirendi curas, suae attribuit stultitiae uir sanctus. Nam quod noster legit interpretes, ad nihilum redactus sum, Hebraeis est, & ego stultus: seu ut Felix, ego autem insipiens, & non cognoui. quare Paraphrastes cum sic de renum uulnere reddidisset, Et torquebo me cogitationibus meis: intulit, propterea quod rerum ueluti omnium ignarus, haec non satis intelligere potuerim. Quid ultra? Ut iumentum factus sum apud te. Mirum admodum esset, si iumenta rationis expertia, ea quae Dei sunt peruestigare conarentur. Vide itaque cui rei aequiparetur homo in inuestigandis Dei iudiciis nimium anxius, amenti nimirum ac iumento. En quam acuto nostra confoditur telo arrogantia. Parendum certe est simpliciter numini, diuinisque

assurgendum summa cum ueneratione iudiciis: neque illa quidem peruestiganda sunt, quae suae solummodo esse scientiae decreuit altissimus. Atque eo sane modo mens hominis erudita, in Deumque transiens per uoluntatis unionem, quam format amor, in se deficit, atque ad nihilum, ut ait Vates, redigitur. nanque ea praeditus est Deus natura, ut quencunque suo sanctissimo inflammauerit amore, ita exurat, ut in sese felicissima transmutet conuersione. Tunc sane noxii omnes adeduntur affectus, renesque, hoc est, carnales appetentiae sopiunt in anima illa, quae penitus ex se exiens, in quietissimo Dei sinu obdormiscit. Deficit igitur in sese, propterea fit tanquam iumentum, fit demens, fit insipiens, fit nihil tandem, dum quadam deiformi tranquillitatis ecstasi & raptu se sentit cum suo semper amato requiescere. Idcirco subiungit:

{73.24} Et ego semper tecum, tenuisti manum dexteram meam.

Quare, perpetuae, inquit, tibi curae fui. Siquidem tu, tua benignissima me manu sustentasti, tremulamque dexteram meam, quo me a malorum profundo extra heres, apprehendisti, meamque increpasti timiditatem, dicens: Modicae fidei, ut quid dubitasti? Tu igitur solus, non homo, non angelus, non quiuis alius ex supremis tuae felicissimae uisionis consortibus, tenuisti manum dexteram meam,

{73.24} Et in uoluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.

Tuo enim, inquit, consilio, ac, quo perpetuo beatus es, proposito & uoluntate, quacunque mihi eundum esset, fidissimus ueluti comes affuisti, & me tandem tuis in bonis, quae tua est gloria, & tota animae felicitas, collocabis. Suscepisti, Hebraei legunt per futurum, suscipies, seu assumes. Unde sic Felix: In consilium tuum deduces me, & postea in gloria assumes me. O certe nunquam ab animo delendae Dei promissiones. O amor. Quid?

{73.25} Quid enim mihi est in coelo, et a te quid uolui super terram?

{73.26} Defecit caro mea & cor meum, Deus cordi mei, & pars mea Deus aeternum.

Vide hic perfectissimam diuini amoris ecstasin, de qua supra nonnulla diximus: cuiusque ea in primis uirtus est, ut amantem in se transmutet, exuatque non solum appetentiis illis cassioribus, quibus interdum cum magis ad coelestes adnititur congressus anima, turbatur & concutitur, uerumetiam placidissima quadam a rebus omnibus conditis defectione ac morte, ad se rapiat, stricteque adeo uniat, ut plane deiformis euadat. Ea quidem est quae hic dicit: Quid enim mihi est in coelo, quod tanti faciam, quanti te? quod mihi praeter te placere queat? quod te mihi irato non detester? non auerser? quid? nulla me satiat creatura, siue in coelis ea sit,

{pdf 561, p. 272v}

siue in terris. Omnia quippe inferiora me esse iudico, cum me in te per amorem euectum sentio, gustoque te super omnem suauitatem suauissimum, atque eum quidem in quo meus omnis conuiescit intellectus, amor, uoluntas, cor, animus, caro tandem, ac bruti hi sensus. Quid igitur in terra meam quaero tranquillitatem? quid in ea est, quod tecum

collatum non sordescat? non pereat funditus? non mihi displiceat? Putasne me aliud in coelis, atque in hoc mundi domicilio, posse amplius desiderare quod non sit Deus? Ex hoc plane desiderii aestu atque ardore deficit animus, deficit caro, conlanguescuntque simul meae omnes in me uires. Nam tu, non ego, non aliud quidpiam, deficientis cordis mei robur es, uirtus, atque is solus, quem portionem omnem meam, quem uitam, quem salutem esse & semper uolui, & nunc recentiori studio ac proposito tum uolo, tum interposito quoque iuramento decerno, statuo, delibero.

{73.27} Quia ecce qui elongant se a te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

Cum enim bonum animae sit Deus, quid, oro, putat se posse unquam assequi bonorum relicto Deo? Optima sane fuit improuidae animae doctrina, similitudo illa obmurmurantibus proposita de filio prodigo, suarumque rerum decoctore, pharisaeis. Quam male habuit infelix, simulac accepta a patre haereditatis portione, peregre profectus est a Deo in regionem longinquam. Quid, obsecro, imprudentissimus actitauit iuuenis a patre profugus? Dissipauit, inquit, omnem substantiam suam uiuendo luxuriose. Vide quid agat anima alienata a Deo, nempe suo in stercore, hoc est, suis in impurissimis putrescit affectibus. Ignara enim misera, quam periculosum sit a Deo uel digitum quidem discedere, suis in actionibus & consiliis adeo obbrutescit & stupida fit, ut morbum suum non sentiens atque egestatem, nihil tam quaerit in hoc mundo, quam quomodo foedissimis suis amatoribus, qui sunt in primis libido, superbia, fastus, crudelitas, atque horum omnium altrix ambitio, prostituatur, forniceturque a Deo, cuius castissimos dedignata amplexus atque oscula, tanquam infamis meretrix a regio abigitur cubili & contubernio. Idcirco in re probam tradita uoluntatem, in omne uitae scelus ac flagitium deuoluitur. quod sane est, quod hic a spiritu nostram ad cautionem dicitur: Ecce, inquit, qui a te procul recedunt, interibunt. nam tu, quae tua est in iudicando aequitas, eos omnes perdere consuesti, qui te sponso animae derelicto, cuilibet impudentissimo copulantur lenoni. Heu perditam animam. Adamaui, inquit, alienos, & post eos ambulabo. Verum illa, ut lubet, suos sequatur adulteros,

{73.28} Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam: ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion.

Perfectissima ea est animae quies, cum sponso Christo, quaecumque contingant adhaerescit, in illiusque sinu, qui totus amor est, emoritur. Bonum, inquit, solum id esse arbitror, arbitror autem? imo persuasissimum habeo optimum illud esse, me superuacaneis reiectis curis, falsisque contemptis rerum imaginibus, uniri Deo, in eo spem omnem meam, qui meus est dominus & Deus, collocare: atque hoc sane modo, mi Deus, tuas mirificas in me laudans operationes, cunctis illas, qui tuo sanctissimo ducuntur spiritu, annuntiabo. Caeterum de portis, in quibus conuentus habebantur, non semel in superioribus dictum est psalmis: quanquam in Hebraeo dictiones, in portis filiae Sion, non inueniuntur: sed tantummodo, ut enarrem omnia opera tua. In hisce quidem enarrandis occupari debent homines, uel in primis illi, qui religiosi appellantur: non in recensendis regnorum bellorumque tumultibus & dissidiis, dissidiosi ipsi, si qui sunt tales, & plus quam desides atque ociosi. Mirum quam longe, indignabundeque, ab

istiusmodi colloquendi ratione sese subtrahat sponsus. Cui laus sit semper, ac gratiarum actio in secula seculorum. Amen.

PSAL. LXXIII. Eruditium Asaph.

{74.1} Ut quid Deus repulisti in finem? iratus est furor tuus super oues pascuae tuae.

Siue enim de immani illa Hierosolymorum ruina & deuastatione, quae duce Tito futura erat, hunc psalmum uaticinium fuisse intelligas: siue de

{pdf 562, p. 273}

illa quae sub Pompeio Antiochoue, sub quo templum miris pollutum fuit contaminationibus, imagineris: siue etiam de saeuissima tyrannorum persecutione, qua afflicta fuit Ecclesia, a Christi nece usque ad tempora Constantini Imperatoris, asseras, non sane multum a psalmi argumento aberraueris: modo calamitatem aliam acerbiolem praesagiisse Vatem certo facias, quae adeo interdum crudeliter desaeuuisse uisa est, ut sponsae fidem nonnunquam iniuriarum cumulo pene obrui inspexerimus sponsum uero ipsum ad tam indignum suae dilectae uulnus connixisse, ac, uti solent obliuiosi, alio diuertisse. Eo quippe aliquando nostra deuenisse tempora, quid tempora? & mores & uitam cernimus, ut plane hi esse iudicaremur, in quos uaticiniorum omnium congeries terminaretur. Idcirco qui propiori adhaerescerent Deo spiritu, non fuerunt ueriti interdum cum illo, quem unice amarent, de his quae in mundo citra normam omnem aequitatis fierent, deque iniuriis in probissimos quosque illatis, expostulare ad hunc modum: Ut quid Deus repulisti in fine? iratus est furor tuus super oues pascuae tuae. Nescio enim an quicquam calamitosius esse possit, quam cernere pastorem in suum gregem iratum & crudelem. Caeterum pastor Deus est, nos autem oues pascuae eius. Verum persecutionum acerbiter id agere saepenumero experimur, ut illum quem misericordiam ipsam decentius appellari fas est misericordem, immitem immanemque pene, ac nostri immemorem clamitemus. Tametsi enim orbis fere uniuersus in Christi sponsam ferociat, ut ferocire tum armis, tum doctrina quoque & cernimus, & prae dolore contabescimus: num propterea tamen ita despondendus est animus, ut Deum ipsum, patrem nimirum omnium & pastorem, una cum mundo in suos conspirasse censeamus? Suntne haec solidae constantisque in Deum fidei uerba, an nutantis potius & turbat? ut quid Deus repulisti nos? ut quid oblitus es nostri? abiecisti ne perpetuo tua a cura miseros? afflictos? aerumnosos? sunt ne istiusmodi propriae pastoris partes, ut suos exterminet greges? Tu pastor, tu pater, nihilominus iratus est furor tuus super oues pascuae tuae? Quid tibi uis, mi Deus? quid cogitas cum ouiculas has debiles, tuas tamen, tuique sanctissimi uerbi, ac spiritus pabulo in pratis Ecclesiae altis, tandiu, ulla absque cura a mundi tyrannide, ab haereticis, ab hypocritis, ab istis demum falsis pastoribus illudi, discerpique, ac uti solent in laniena carnes unciatim concidi & uenundari, sinis distrahi? Vide uerborum efficaciam. Hebraei enim quo ardentiolem hanc animae querelam exprimerent, ita hunc reddiderunt hemistichium: Fumat naris tua in gregem pasui tui. Siquidem eum esse morem in ualde iratis cernimus, ut fere ignem e naribus spirare uideantur.

{74.2} Memor esto congregationis tuae quam possedisti ab initio, redemisti virgam haereditatis tuae mons Sion in quo habitasti in eo.

Is unus Hebraeis est uersus. Immensa haec est Ecclesiae consolatio, cum se recolit a Deo uel ab ipso rerum initio dilectam exitisse. Recordare, inquit, huiusce coetus hominum, quorum numerum tu solus aeterna computas ratione, e mundoque ut tui sint, eligis et secernis: quos tamen etiam antequam mundum ipsum conderes sempiterna tua uirtute, ac constantissima possedisti prouidentia, direxisti, iustificasti, ac tandem sanguinis precio tui unigeniti adeo integre tibi uendicasti, ut plenum liberumque in eos imperium, haereditario ueluti iure haberes: & id quidem in monte sancto tuo Sion, quae tua est Ecclesia, in qua uera certaue & tranquilla sanctorum est mansio, Possedisti ab initio, sunt qui ex Hebraeo uertunt, emisti pridem, seu iam olim. quae sane lectio ulla absque dubitatione Christi mortem, qua uniuersus a peccato liberatus est orbis, ostendit. Virgam item non sine ratione huc esse adiectam censeo. Siquidem ut funiculis olim, ita uirgis agros metabantur mensores. Quanquam Aquila sceptrum sortitionis transtulit, & est ac si diceret: Portionem illam hominum, quam tu tibi per gratiam ueluti haereditatem, immenso crucis baculo dimensus es, ac contra humanum morem (quis bona sibi haereditaria lege debita comparat?) & comparasti, & tuam omnino esse uoluisti, ne tua a memoria abiicias, ne spernas, ne auerseris. Contra potius,

{74.3} Leua manus tuas in superbias eorum in finem, quanta malignatus est inimicus in sancto.

{pdf 563, p. 273v}

Fere quod Hebraei legunt, in aeternum: nostra editio habet, in finem. Eleua, inquit, in sublime manum, quo fortius uulneres, prosternasque in aeternum superbissimos istos homunciones. Pro quam insolenter, quam maligne, quam perfidiose se habuit, etiam in ipso sacrosancto Ecclesiae sanctuario, atque in ipsis secretioribus sanctorum aedium adytis, tuus iste hostis arrogantissimus. In sancto, Hebraeis est, in sanctuario. Illud item quod noster uertit interpres, leua manus tuas, plerique ex Hebraeo reddunt, attolle passus tuos, seu, leua incontanter gressus tuos, ut uastes omnem inimicum. quorum uerborum sensum sic reddit Paraphrastes: Erige te in pedes, ut obuiam hostibus profectus, malis illos afficias nunquam finiendis: nihil enim non ausi sunt in templum sanctitati tuae consecratum. Nulli dubium, quod hic Vates ad templi conflagrationem duce Antiocho factam alludens, aliud destructionis genus, aliud incendium, aliam uim hostium uero Dei templo inferendam praeuiderit: nempe illam, qua boni passim mores exterminandi essent. Cessarunt ne modo, an potius inualuere odiorum flammae in templo sancto Dei? in sanctuario ipso? in locis diis consecratis? Quid de libidinum incendiis proferam? quid stupra? quid furta commemorem? At illud non silebo, etsi caetera, Dei honoris percupidos maiore affici animi moerore & luctu, ex incendio quod in Dei aedes (aedes Dei, aedes Christianorum appello) coniecit fastus, atque cum auaritia & libidine ambitio, quam si perenni cernerent deflagrari flamma orbem uniuersum, intacta fide, Deique cultu incolumi, ac religione. Heu benignissime Christe, quo nostra (tuam dicere erubesco) impudentiae processit congregatio, quam tamen possedisti ab initio? quo religio? quo mundus plane totus? Ubi iam spiritus? ubi ardor fidei? ubi nexus ille, cuius uirtute quicquid conditum est, quod ratione utitur, in te

durat, uiuitque, ac suum seruat statum, charitas? Leua, leua, inquam, iam tandem in altum letalius percussurus manum. manum autem? ensem potius atque hastam, in superbiam eorum, qui tuam constuprarunt sponsam. Quanta, mi Deus, malignissima ista improborum colluies in te machinantur mala.

{74.4} Et gloriati sunt qui oderunt te in medio solennitatis tuae. Posuerunt signa sua signa, & non cognouerunt sicut in exitu super summum.

Singillatim hostium audaciam enarrat Vates: quam quidem, non omisso templi ueteris, atque adeo synagogarum typo, ad Ecclesiae tempora referri conuenit. Vndique enim morum dissolutionem e superba nonnullorum uita dimanantem, iam fessi uidimus, & maximo cum dolore etiamnum uidemus, experimurque impiorum cineres, atque ossa haereticorum e sepulchris denuo excitari, reuiuiscere, atque in Dei templo uictoriae signa ac trophaea erigere. Quid, oro, immanius, deploratiusque audiri potest, quam improbos & flagitiosos eo uecordiae prorupisse, ut pessundato Christo, hoc est, calcata fide, paceque & innocentia e ciuium conuentibus non tantum eiecta quantum oppressa, in Dei Ecclesia, in templis, in rebuspublicis adeo insaniant, atque proborum fortunas, famam, uitamque inhient, ut nulla alia a re se gloriam nancisci uelle uideantur, quam ut Deum contempsisse appareant? Quare non immerito hic queritur spiritus: Et gloriati sunt, inquit, qui oderunt te. Sed forsitan id merito in ganeis, aut myropoliis, aut cruentis quoque in amphitheatris, uel inter collusores fieri toleramus: leuius istuc esset, etsi turpe: sed in medio solennitatis Dei contingere lamentamur: hoc est, ut interpretatur Campensis: Ipsis festis solennibus clamauerant tanquam uictores, non aliter quam pii solent prae gaudio cantare in honorem Dei, subindeque (pro audacia) erexerunt uexilla sua in trophaeum. Solent quidem uictores, urbe aliqua expugnata, aut arce, primis refixis signis, alia uictoris in sublimiori urbis loco figere, ex altoque clamare, ac uictoris nomen ingeminantes insolentissimum in modum ouare. Ita etiam, si quid in unaquaque agatur urbe aut republica, aut cui subiecti sint populi, intelligere cupimus, ex editioribus murorum locis, aut turribus, qua impressa sint nota uexilla suspicimus. Quare si ex illis cernis cruorem e cruce Christi effluere, hoc est, sapientiam, pacem, dilectionemque cuium mutuam, & pietatem, totum uexilli campum

{pdf 564, p. 274}

occupare, quid putas? Deus urbi illi praesidet. Si uero contra, haud cruore quidem Christi, sed ciuium innocuorum conspersa signa uideris: si superbiam, si dolos, si usuras, si odia, si fastum, si inuidiam, si ambitionem, si libidines & simultates, totum iunctis quasi manibus complecti uexillum inspexeris, illic absque dubio regnare daemones affirmato. Iam illud considerandum, quid sibi uelit in nostro interprete, Et non cognouerunt sicut in exitu super summum. Eum quidem signare sensum uidetur, quod qui prophanato templo impietatis signa affigere decreuissent, non intelligentes quam impium id esset res sacras polluere, in portarum illa exitu editiori in loco, quo conspicua essent omnibus, affixerint. Indicium nimirum leuissimae illius gloriae, de qua illud est: Et gloriati sunt qui oderunt te. Verum alium quoque praetendi sensum ex hebraeo, obscurum tamen & ambiguum, uideo. Sic Felix: Cognoscetur uelut adducens superius. Alius item ex eodem fonte: Nobilis erit sicut adducens ad sublime, et est

perinde ac si uertissent: Qui olim isthuc Dei templum aedificare instituisset coepissetque (is CHRISTVS est) utpote qui maximo id labore ac sumptu egisset, cognoscebatur ab omnibus, ac tanquam ille qui sanctum cuperet aedificium absolui, & usque ad supremum euehi fastigium, laudabatur: nunc nulla illi habita reuerentia & respectu, tam ingenti elaborata sudore moles uide uim crucis diruitur, aequae uel succinditur, ac solent syluae securibus ac malleis dirui ac succindi. Quare additum est a Vate,

{74.5-6} Quasi in sylua lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum, in securi & ascia deiecerunt eam.

In idipsum, quod alias significauimus, una uel simul, interpretantur. Caeterum huius uersus sensus ita fere a Chaldaeo redditur: Sicut, inquit, eminent qui securim eleuat ad decidendos ramos arborum, ita isti bipennibus & malleis omnia comminuunt. Hinc sane celerem iratumque animum in demolienda Dei religione, nonnullorum licet animaduertere. Verum sensus qui a Paraphraste nostro redditur, planior uisus est, ac minus obscurus. sic ille: Palam uidentibus cunctis (en quomodo interpretatur, non cognouerunt ascenderunt uastaturi templum tuum, non aliter quam syluam lignorum ingressi arbores truncare solent. Iam nunc id agunt, ut ianuas, & omnem penitus ornatum illius securi & malleis perdant. Nam dictio quam noster habet interpres, ascia, Hebraeis est, malleo, seu malleis: qua uoce duos ecclesiae ministros, ac saeuos in rebus publicis dynastas & magistratus, quorum saeuitia contundi solent atque atteri proborum fortunae, significari arbitror: quemadmodum bipenni, superbam eorundem consuetudinem ac dominium, quo templi ianua, quae fides est, rescindi consueuit, atque a postibus euelli. Hi sunt enim qui

{74.7} Incenderunt igni sanctuarium tuam in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui.

Omni genere libidinum, cupiditatumque flamma atque auaritiae, non solum parietes ipsos, ac ritus ecclesiae, & foedarunt & incenderunt (ut olim immanis ille Antiochus, qui in templo aram antiquo Iudaeorum cum extruxit, tum in ea ad rei sacrae contumeliam porcos immolari iussit) uerumetiam sacrarium ipsum Dei, ipsa fidei mysteria, claustraque diuinitatis & castimoniae, quae sunt purae animae, turpissimum in modum conspurcarunt, ac horrendo fermeque inextinguibili exusserunt incendio. Quo non prorupit illorum proteruitas? Cui aliquando aetati, cui sexui pepercit impurissima atque insaturabilis illorum libido? Pollutum est iam coelum, polluta tellus, pollutus aer, polluta condita omnia in terris. Quare.

{74.8} Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul, quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

Ea tandem improborum peruersa est uoluntas, ut non sit Deus: uel saltem, ut illius nomen ac religio e terris exulet. Certissimum sane id est desperatae mentis indicium, cum Deum atque eius legem non esse, quo liberius peccare possit, exoptat. Vide nefandam quorundam conspiracy. Dixerunt, inquit, in corde suo: hoc est, ex animo una omnes & consulto decreuerunt hoc modo: Quiescere faciamus a terra, deleamusque

ab illorum aris ac templis quicquid illud est, quo illorum colitur Deus. Omnes dies festos, Hebraei habent, omnia templa siue synagogas. Quibus quidem uerbis adducor, ut de Christianorum templis uaticinium esse existimem: alio-
[alioquin]

{pdf 565, p. 274v}

quin unum duntaxat Iudaeis templum fuit. Quam uero aetatem conspexerit tunc spiritus, ipse nouit. Praeteritorum quidem tyrannorum multitudo, forsitan & praesentium, id admonere uidetur, quod unaquaeque aetas, quid pro Dei honore contaminato queri posset, semper habuerit. Et quidem cum ego hasce atque harum similes uerso animo querimonias, aliud statim incendii genus, aliam direptionem, alios tyrannosque fuerit Antiochus, aut quam sit ignis iste uisibilis, seu arae dirutae lateritiae, uel templi marmorei, preciosissimoque uarietati musaeo, profanatio, uidere mihi uideor. Id profecto nefandissimum cum sit factu, illud scelus omne exuperat, utpote quod animas a Deo auferat, id muros solummodo, ac caeremonias. Verum illud nos solari debet, quod si incendunt sanctuarium Dei in terra, non incendunt in coelis, ubi Ecclesia fixas habet radices in Deo. Interea tamen maximo cum moerore animi,

{74.9} Signa nostra non uidimus: iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius.

Illud unum semper Iudaeis tum in Aegypto commorantibus sub tyrannis, tum in eremo, tum in caeteris suis aduersis, praecipuum diuinae fuit beneuolentiae signum & indicium, quod nunquam illis placatioris uitae statum quae portenderent signa & portenta, aut prophetae, qui a malis liberationem pollicerentur, defuere. unde illa est Dei promissio in Exodi libro: Signa, inquit, faciam, quae nunquam uisa sunt super terram, nec in ullis gentibus. Hac enim diuinae beneuolentiae nota contenti, quaecumque aduersa contigissent, aequo tolerabant animo. Verum postea sua sic exigente perfidia atque impietate, ab istiusmodi coelitus beneficiis destituti, desertos quoque a Deo, ac reiectos se opinabantur. Quocirca innumeris nonnunquam, atque his quidem amarissimis suam conquesti sunt sortem, & lachrymis, & lamentis, ut hic uidere licet. An uero in Christianorum coetibus signa illa antiqua appareant, de quibus sic olim suos alloquens discipulos disseruit Christus, dicens: In hoc cognoscent omnes, quod mei eritis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem: uix assequor coniecturis. Ergo amor nota illa est ac symbolum, quo quis an Christi discipulus sit, cognosci potest. Ergo minime uerendum est, eum ipsum hominem qui in charitate non sit, in Deo non esse, affirmare. Sit igitur quispiam quantumuis doctrina, aut politis perornatus moribus & caeremoniis, si charitatis gratia atque ornamento uacuis inuenitur, eundem ipsum Dei spiritu uacuum asseuerabo, idcirco ex legem, atheum plane ac perditum, Affligimur enim, uariisque & atrocioribus interdum, quam olim Iudaei, exagitamur aduersis. Sub haec morbis pene infinitis, tempestatibus, penuria, odiis, mutuisque discordiis & bellis obruimur, & adhuc signa liberationis apparent nulla, quia nulla est in nobis resipiscentia, nulla a delictis cautio, nulla circumspectio, nulla prorsus pax, ac tum in Deum tum in homines dilectio. Ea ob rem angeli pacis amare flentes nostram execrant malitiam. Caeterum, Et nos non cognoscet amplius, idem Hebraeis est, ac si dicas cum Paraphraste: Nec quenquam dedisti nobis, quam scire possit quando horum liceat

sperare finem, nisi mauis, cognoscet, ad Deum referre, & erit sensus: Olim Deus, ut pius solet pastor suas oues, nos agnoscebat, ditabatque sui sanctissimi spiritus donis, modo uero nos non cognoscet amplius, quippe qui acerrimi facti sumus illius religionis hostes. Verum

{74.10} Usquequo Deus improperabit inimicus? irritat aduersarius nomen tuum in finem?

Heu supreme atque altissime Deus, quousque adeo insolens is erit homuncio, ut te audeat contumeliis lacessere? te adlatrare? ac tuam in maiestatem blasphemus esse? Perpetuone id erit? sat sit quaeso, illum immanissime tuam hactenus in religionem iniurias congestisse. Irritat, blasphemabit uertunt ex hebraeo, uel huic consimile. quare sic Felix: Blasphemabit inimicus nomen tuum in aeternum? Quod qui agi is Deum prouocare uidetur. Idcirco eundem refert sensum utraque litera. Ad haec,

{74.11} Ut quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?

Volunt nonnulli sinum in Deo copiosam illius esse donorum abundantiam, dempta nimirum similitudine a piis patribus & amicis, qui, quo in obuios pueros aut amicos benigni appareant, sinu nonnihil donorum gestare soliti sunt. Rogat igitur Deum anima, ne largissimam suae beneficentiae manum e sinu, in quo bonorum omnium copia est, amoueat: hoc est, ne iratus ab elargiendis suarum gratia-
[gratiarum]

{pdf 566, p. 275}

-rum muneribus desistat. quod si ad tempus, ne id perpetuo faciat (sic, in finem, interpretantur) rogat. Manum tuam, & dexteram tuam, pro utraque manu interpretatur Campensis: sed alio sensu, ut plerique ex hebraeo. Sic Felix: Quare conuertes manum tuam? & dexteram tuam e medio sinus tui aufer. Quam ob rem, inquit, conuertes manum tuam a beneficentia? Cur cessas, ut solent ociosi atque inertes, qui nihil agentes, in sinum manum condere consuescunt? Aufer, aufer, inquam, manum e sinu, ut tuis protectis amicis, sceleratos istos in tuam religionem maledicos ulciscaris. In finem, non est in hebraeo: Paraphrastes tamen, funditus interpretatur. Quare, inquit, contrahis utranque manum instar hominis ociosi? Profer, quaeso, tandem eam e sinu tuo, & perde hos impios in te homines funditus.

{74.12} Deus autem rex noster ante secula, operatus est salutem in medio terrae.

En quomodo anima fidei stimulis excitata, ab incoeptis in Deum querelis pedetentim deflectens, in diuinae laudes potentiae resoluitur. Ecce, inquit, Deus rex noster ab aeterno: nempe potentissimus, atque idem ipse misericors, & beneficus. quid ueremur? Ipse, qui a prima rerum origine semper etiam in medio ipso terrae, hoc est, palam, cunctisque cernentibus, suis opitulatus est, deerit ne modo? Solent quidem illa, quae in medio urbium centro fiunt, propalam fieri: eapropter, in medio terrae, pro patenter

positum, exponunt ex hebraeo. Unde Paraphr. Certe ille, inquit, Deus rex mihi fuit a seculis plurimis, qui innumeris argumentis palam ostendit, in medio huius terrae uires sibi non deesse Quod porro hanc particulam de mortalium salute, quam Christus operatus est in Hierusalem, quam in medio orbis climate sitam esse affirmant, nonnulli interpretentur, pie id quidem, uerum alia in hoc loco uidetur esse spiritus intentio: ea nimirum, ut Dei amicos faciat ab antiquis collatis in patres beneficiis, diuinam erga omnes, ac patentem attestari & potestatem & beneficentiam. Quocirca per partes rem narrare incipit in sequentibus,

{74.13} Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis.

Memorable primum, ac plane stupendum infinitae Dei potentiae exemplum adducit uates, cum duce Mose Hebraeorum populus siccis transuadavit mare uestigiis: de quo sic Moses: Diuisa est aqua, & ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus a dextera eorum & laeua quod idem est, quod hic a uate dicitur: Tu confirmasti, corroborastique ui tua ac potentia maris undas hinc & hinc, ac si solidi extitissent muri: atque subinde capita hostium in ipsis contriuiisti fluctibus, obruto Aegyptiorum exercitu aquarum aestu atque impetu. Rex enim Aegypti in scripturis, Leuiathan, seu draco nonnunquam appellatur: idcirco & Aegyptii, dracones, ut in hoc loco intelligere possumus. Unde illa est Dei comminatio in Ezechiele: Ecce ego ad te Pharaon rex Aegypti draco magne. qui cubas in medio fluminum tuorum. Hebraei, secuisti mare, seu dissipasti, ut reddit Felix, transferunt.

{74.14} Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Aethiopum.

Draconis, Leuiathan uertit Felix, quod idem est: siquidem Leuiathan magnum esse draconem asserunt autores. Pro diabolo aliquando sumitur: hic uero pro Pharaone, ut diximus: cuius capita, nempe uires tyrannicas, seu illius proceres & duces, tanquam capita Lerneae Hydrae, a Dei manu contritos canit uates. Quomodo uero fuerit esca populis Aethiopum, ambiguum uidetur. Ex hebraeo sic fere uertunt: Dedisti eum in cibum populo deserta incolenti: uel, habitantibus solitudinem, ut uertit Fel. quae quidem omnia de feris, rapacibusque uolucris ut sunt naturaliter uultures & corui, qui cadauera ubicunque fuerint sequuntur, intelligi uolunt. quare sic Paraphrastes: Fregisti uires illius, qui similis uidebatur draconi maximo, & capita habenti plurima: obiecisti eum feris deuorandum, & coruis qui in desertis locis uersari solent, & uicitare cadaueribus. Viderunt, inquit Moses, Hebraei Aegyptios mortuos super littus maris. qui locus illiusmodi cruentis alitibus, ob cadauera a fluctibus eiecta, ut fuerunt illa Aegyptiorum, frequentatissimus esse solet. Ad haec,

{pdf 567, p. 275v}

{74.15} Tu dirupisti fontes & torrentes, tu siccasti fluuios Aethan.

Siue hic fontes, & torrentes aquas ui e saxo diuina erutas in deserto Sin per Mosen, quae largissimae egressae sunt, ut in Exodo legimus, ita ut populus biberet & iumenta,

accipiamus: siue generaliter fontium ac fluminum eruptiones e terra, miraculo nimirum ingenti & stupendo, intelligamus, errare nequaquam possumus: utrunque enim diuinam testatur potentiam & maiestatem. Porro Aethan locus erat, in quo olim, ut Moses ait in suo Exodo, e Sochor [sic, Sohot, 1585] egressi castrametati sunt filii Israel in extremis finibus solitudinis, non multum adeo a littore maris Rubri desitus. atque hoc sane modo de mari iterum exiccato mentione fecisse Vatem sub fluuiorum nomine arbitrantur quidam. Verum qui Aethan nomen appellatiuum esse ducunt, propius ad Vatis mentem accedere uidentur: ut diuus est Hieronymus, qui transtulit, flumina fortia: nam Aethan robusta, seu fortia interpretantur. unde alii ex hebraeo uertunt, flumina ualida, uel fluuios immanes. Paraphrastes autem, fluuios rapidissimos. quod de Iordane arefacto in transitu populi ad terram Chanaan, docte sane ac poetice Vatem cecinisse existimamus. quanquam nihil prohibet, quo minus haec omnia de uniuersalibus diuinae potentiae indiciis, ad particularia nihilominus alludentem miracula, olim populo illi durissimo & murmuratori exhibita, dixisse Vatem opinemur, quemadmodum & ea quae sequuntur.

{74.16-17} Tuus est dies, & tua est nox, tu fabricatus es auroram & solem, aestatem & ver, tu plantasti ea.

Aestatem & hyemem uertunt Hebraei: uerum non multum refert. Id perspicuum, maximam hic Dei in distinguendis moderandisque rebus conditis describi prouidentiam. Nisi haec malis omnia ad antiquum illud referri miraculum, quo densissima obuoluta caligine Aegypto, pars ea, in qua Dei populus commorabatur, lucida extiterit. A te, inquit, uicissitudo haec mirabilis dierum & noctium, lux item, ac sol iste siderum omnium pulcherrimus, emanarunt. Tu omnes terminos terrae firmos esse sanxisti, atque inuariabiles. Tu aestatem, tu uer ab hyeme, ordinatissima ac certa discreuisti ratione, iussistisque suum ab aeterno sibi praescriptum seruare ordine. Nec mirum sane: nam tu haec omnia in numero & mensura sapientissime effecisti. Omnes ferme ex hebraeo uertunt absque pronomine, ea. Sunt & qui auroram & solem, lucem seu luna, & solem uertunt: quod plane Felice sensisse suspicor, qui sic transtulit: Tu ordinasti luminare, & solem. Cum igitur tam potens sis dominus & terribilis,

{74.18} Memor esto huius.

Illud uindica, de illoque, quod statim dicam, seuerissimas poenas sumito. quid illud?

{74.18} Inimicus improperauit Domino, & populus insipiens incitauit nomen tuum.

Heu scelus inauditum. Nonne id per se ualde detestandum, dignumque animaduersione censebitur, profligatissimos scilicet homines in proborum existimationem & uitam conspirare ausos, nisi & te quoque, o domine, contumeliis afficiant, lacesantque iniuriis & conuiciis? Vulgus insipiens & stolidum improborum, qui suae sortis immemores, non solum hominem, mortales utique mortalem, ad bellum prouocare non sunt ueriti, uerumetiam te irritare non reformidant. Quid hoc furore insanius? homo ne nihili altissimum iniuriis lacesere attentabit? Atqui nihil aliud id esse opinor, quam, cum tam audax fit homo, ut Deo contempto, in id prorsus impietatis corruat, ut quicquid humanus suggesserit sensus atque affectus, illud data opera in diuini honoris

contumeliam, atque bonorum uirorum exitium sceleratissime impendat. Nequissimi hi appellantur homines, licet interdum sanctissimi uulgo appareant. Horum itaque peruersae haud immemor esto uoluntatis, o Deus: hos reprime, his fraenum iniice.

{74.19} Et ne tradas bestiis animas confitentium tibi.

Hebraei fere omnes transferunt, Ne tradas bestiae animam turturis tuae: hoc est, animam uiri innocui, imbellisque, ac suas simplicissime ingemiscentis aerumnas, ut solet turtur solitaria suo amisso consorte, ne bestiae dominio, tyranno scilicet impuro & crudeli supponas. Moab noster superbus est ualde, idcirco quid illi cum turture prorsus inermi, atque omni irae genere uacuae & humili? Qui sint

{pdf 568, p. 276}

porro turtures, confitentes scilicet domino, sequenti aperit hemistichio.

{74.19} Et animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.

Hoc est, puras animas, a mundoque derisas, despectas, afflictas, tuumque ob honorem & cultum, quae est fides morum pulchritudine perornata, contumeliis affectas, ac demum re omni mortali, atque affectione denudatas, etsi ad tempus, id exigente crucis lege, despiciere uidearis, ne perpetuo tamen ad illorum conuieas afflictiones. Nihil enim crudelius, quam a bestiis dilaniari. Bestia quippe est daemon. Bestia illius perfidiae imitator homo. Bestia tandem is est, qui cum multa pollicitus sit Deo, fregit fidem. Verum tu Deus tantae horum impietatis memor,

{74.20} Respice in testamentum tuum.

Vna haec esse solet miserorum consolatio, cum antiquarum illis in mentem uenit pollicitationum Dei, quibus testamento ueluti obsignato, ac foedere, se suis nunquam defuturum, uel a prima ipsa rerum constitutione promisit, pluriesque testatus est. Etenim non est mens tam stupida ac dura, quae cum horum meminit, ui fidei ac stimulis puncta, non ad ea speranda excitet, quae aeterno firma esse consilio in Deo, probo nouit. Respice igitur, non ad illa, quae nobis propter peccata quamplurimis debentur nominibus, sed ad inuiolabile, quod olim cum homine percussisti, foedus & pactum. Quid? nonne in testamento illo tuo amore plenissimo, quod tu e terris excedens corpore, rato sanxisti iusiurando, illud in primis notatum fuit: Ecce ego ero uobiscum usque ad consummationem seculi? huiusce igitur recordare sanctionis. Caetero qui tot inter rerum difficultates atque incommoda districtis, ad quem nobis erit effugium, cum omnes quae sua sunt quaerant? hoc est, nihil non agunt, quo suas expleant cupiditates ac libidines, non quomodo tua augeatur religio, & pietas. Non immemor itaque eorum, quae pollicitus es, in nostram conuiece oculos miseriam

{74.20} Quia repleti sunt qui obscurati sunt terrae domibus iniquitatum.

Clarius sic reddi posset etiam ex graeco litera: Quia obscurati terrae repleti sunt domibus iniquitatum. hoc est, hi, quos superius ob morum asperitatem ac saeuitiam

bestias appellare libuit, tuo destituti lumine, atque proinde obscurati caecique facti, terrenis adeo affixi sunt rebus, ut non solum iniqui uocari gaudeant, sed etiam illi, quorum domus omni prorsus iniquitatum redundet genere. Metaphorice enim, domus iniquitatum posuit Vates, pro summa iniquitatis copia & mensura, qua & ipsi, & ipsorum domus, tota nimirum familia, infecta sit, Verum alium ex hebraeo reddi sensum suspicor, cum aliam plane dissimilem a nostra intueor litera. Sic Felix: Quoniam repletae sunt obscuritates terrae habitaculis iniquitatis. Antra, inquit, speluncae & solitudines, in quibus Dei amici a uulgo abhorrentes sese abdunt, non ita obscurae sunt & subterraneae, quae tutae sint a conuentu malignantium & domicilio. Quo non prorumpit iniquorum furor? Certe eo nos malorum propter eorum insaniam deuenimus, ut inquit Paraphrastes, ut in teterrimis locis, & ueluti subterraneis & obscuritatibus plenissimis degere moesti cogamur: nec hae tamen domus ab iniuria & insultibus hostium immunes sunt. Quod porro credentibus erant olim speluncae, atque propter persecutionum immanitatem solitudines, idem nunc sunt coenobia & claustra. Verum illud cauendum, ne id asotis, mangonibus, alio ue modo ignauis & turpi egestate laborantibus perfugium nunc sit, quod ad proborum solamen & refrigerium inuentum fuit. Quod si tamen, o Deus, uilissimum id genus hominum ad piorum probationem nonnihil posse in mundo decreuisti, at saltem

{74.21} Ne auertatur humilis factus confusus.

Ne abs te, oro, quemadmodum a prauis iudicibus eiecti, inauditique sumus, confusi eiiciamur, indeque & a mundo, & tua insuper a praesentia, in qua omnis inest consolatio, & uitae solatium, repulsi desperatique, in aeternam obtrudamur mortem. Itane uero cum his, qui superbo atque arroganti supercilio, se tuo a sanctissimo spiritu destitutos prae se ferunt, destituimur & nos? Quid? si sic & amici & inimici uno impietatis exitu conuoluuntur, quis tuum laudabit nomen? quis cultum? Esto, impius, sacrilegus, patricida, testamentorum, conuentorumque & foederum uiolator, falsarius]

{pdf 569, p. 276v}

-sarius, atque huius generis alii te minime laudare possunt: num proinde & caeteri, qui ab illiusmodi sordido uitae instituto abhorrentes, male audiunt & affliguntur, non laudabunt? Scio Domine quod

{74.21} Pauper & inops laudabunt nomen tuum.

Te extollent, te, uel usque ad uitae effusionem, inuito mundo celebrabunt. Quare

{74.22} Exurge Deus, iudica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum qui ab insipiente sunt tota die.

Vide quo nitantur fine tot sanctae animae querelae, quae tametsi Dei iudicare reprehendere uideatur, non reprehendit tamen, uerum stupide admiratur, eaque non secus atque ipsummet Deum & colit, & ueneratur. Vide, inquam, quomodo suas cum mundo controuersias & lites, Dei esse asserat. Contende, inquit Felix, litigium tuum.

Impossibile quippe est animam diuini honoris studiosam in his, quae ad proprios attinet affectus & commoda, si illis ipsis rebus, quas quaerit aut expetit priuetur, uel si iniuriis afficiatur, multum angi: at ubi cernit Dei honorem periclitari, adeo immaniter affligitur, ut leuior omnino illi esset mors, & ea quidem acerbissima, quam sic male haberi in terris Dei religionem intueri. Idcirco quicquid iniuriarum ob laesum Dei honorem subit, pro Deo, illiusque causa id eam subire arbitrandum est. Causa igitur, pro qua male in mundo audire innocentiam contingit, Deus est. Unde non immerito hic clamat anima: Exurge domine, qui tuas ad iniurias dormire uideris, ac tuam ipsius causam tutare, consideraque, quam indignis a gente ista stolida atque impudenti, habearis contumeliis & probris: & id quidem (quod nequissimam illorum auget impietatem) quotidie. Te enim tuam non curante causam, quis curabit? quis in hac maxime perditissima aetate, in qua quod lubet audent nonnulli impune, pro ea in iudicio stabit? Clarius etiam ex graeco uertisset hunc uersum interpres, hoc modo: Memor esto opprobrii tui, quod ab insipiente fit tota die. Ex hebraeo item: Memento opprobrii tui ab insipiente tota die. Interpres enim cum neque ex graeco, neque ex hebraeo pure transtulerit, ambiguum fecit sensum, quem sic dilucide suo more expressit Paraph. In memoriam reuoca qua sis contumelia affectus a populo ad impietatem usque stolido, non semel atque iterum, sed assidue. Quamobrem

{74.23} Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum, superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

Non raro diximus, Deum pene obliuionis accusari, cum non aequo cito, ac nostra expetit praepropera in omnibus uoluntas, aut miseros a miseria eximit, aut impudentium hominum in bonos licentiam non coercet. Vide hic fiduciam animae, quae suos persequutores, Dei hostes appellat. Haudquaquam profecto mirum: nam qui alicuius sponsam uiolauerit, quomodo sponsum se habere amicum opinari poterit? Atqui ne diutius in peruestigando, cuius naturae hi sint, qui merito Dei hostes censi possint, quorumque blasphemiae, ac tum in Deum ipsum, tum in illius amicos obloquutiones, puniri debeant, torqueamur, additum est a Vate, superbos illos esse, atque arrogantes. Superbia, inquit, illorum ac fastus, non solum in humiles, tuique honoris percupidos tumide fertur, uerumetiam ad te usque ascendere arrogantissime conatur. Hi sunt igitur, qui tanquam seditiosi illi fabricatores turris Babel, aut similes perditissimo angelorum principi, te (pro scelus scelera omnia excedens) uitae aeternae erogatorem, odio contumeliisque incessunt & persequuntur. Nonnulli ex hebraeo fastuosi cordis morem efficacius exprimunt in uerbo, ascendit. Sic quidam: Fastus enim insurgentium in te uehementer crescit. Expressius rursus Paraph. Contumeliosa enim uociferatio eorum qui se opponunt tibi, assidue fit maior & maior. Fumi certe instar est superbia, qui alta & lucida, quanquam ipse obscurus sit & ater, naturaliter appetit, uerum in medio ipso turbulento suo conatu resoluitur in aerem, prorsusque euanescit, & amplius fumus non est. Ita est superbia, ita ambitio, ita fastus. Sed illud supra omnem mirationem admirandum, quod ab illius generis hominibus sumus iste demanat plerumque execrabilis, qui cum nobilissimum in rebuspublicis

ac templis obtineant locum atque ordinem, ea ardere deberent spiritus conflagratione, quae nihil nisi purgatissimam flammam atque ignem absque fumo in subditos deriuaret. Quod porro fumosus sit rex, aut princeps, aut philosophus, pene id tolerandum, cum mundo ipsi imperent, seu potius seruiant, qui fumosus est, & absque luce: at loca sancta cernere tam densa obnubilari caligine, ut habitantium oculos eruat, quomodo ferendum? quomodo non pertimescendum? Heu fidei naufragium. Verum utcunque Moab sua in superbia & arrogantia tumidus sit, atque insaniat, sua nihilominus Deo est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

PSALMVS LXXV. Effundenti sanguinem. Ne dissipis. Psalmus Asaph. Canticum.

{75.2} Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomen tuum, narrabimus mirabilia tua.

Omnia enim, quae in huius insunt psalmi inscriptione, fusius in superioribus sunt dicta, quam ut denuo repetantur. Etenim crebra unius eiusdemque rei repetitio, taedium magis afferre solet, quam oblectamentum, atque quod in primis hisce in commentariis requirimus, utilitatem, ac Dei honorem. Christus hic est qui loquitur, & qui se patrem cum suis laudaturum pollicetur: additque de futuro iudicio, in quo se horrendum fore impiis iudicem fatetur, nonnulla. Horum quippe omnium umbra tunc fuit Iudaeorum famosa illa captiuitas, atque e Babylone liberatio, in qua omni abiecto moerore & luctu, libere coeperunt, autore Cyro, diuinis uacare caeremoniis. Tunc sane Ecclesiae, a peccati iugo mortisque imperio per Christum asserendae, expressa fuit imago. Alioqui certe cor hominis uitiorum adhuc catenis innodatum, quomodo Dei religioni et cultui, qui natura igneus est, liber, & totus spiritualis, rite, ut par est, seruire poterit? A sensibus igitur exeundum est omnino, atque a mundo, illis qui libere in Deum per fidei confessionem, cuius hic adumbratur uirtus & efficacia, transire appetunt. Eiuscemodi quidem ornatus fuit Christus perfectione uitae ac doctrinae, quo nos ab omni bene uiuendi ratione alienos ad se (quae illius benignissima est naturam) traheret, transmutaretque, atque propterea ad suam formaret imaginem, ut certe formauit. Quam sane Ecclesiae perfectionem in se transferens Paulus, aiebat: Viuo iam non ego, uiuit autem in me Christus. Torpescunt hic (credo) nonnulli uel ex ipsis forsitan, qui ex aedita iam Christi nominis professione, quam non solum baptismi testimonio, ac iusiurando prae se tulere, uerumetiam alia insuper addita pollicitatione, qua syncerioris, quam uulgo fit, uitae genus se uicturos sponderunt, se tutos arbitrantur, dicuntque, haudquaquam id ab homine carnis onere presso, praestari posse. Quare sua tantummodo nescio qua contenti deuotione, ut uocant, testudinis similes sunt, quae a uenatoribus, aut aeris procella & tempestate perterrefacta, putat se tutam, si reducto in collum capite, ac pedibus in intestinos illos reuocatis ossium receptus, sese adeo ocludit, ut nihil aliud quam nudam domum prae se ferat. Sic illi amore exuti diuino, quaeuis accidant, in sese quanti sunt se contrahunt, de se praesumunt, se fruuntur. quocirca si quid sublimius dictum aut legunt, aut audiunt (nihil quod perfectionem referat contemplari norunt) obstupescunt illico, nec quicquam sublime in mortali corpore commoranti tribui posse opinantur: fatenturque, si non ore, at uita saltem, Christum Dei lucem frustra terras has tetras & caliginosas inuisibile. Propterea nec uere, nec absque mendacii culpa, id, quod in hoc loco ab animis pure in Deo uiuentibus dici audiunt, de se profiteri queunt:

Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomen tuum, narrabimus mirabilia tua. Hucusque Hebraeis unus uersus, quem sic reddit Felix per praeteritum: Celebrauimus te Deus, celebrauimus, & propinquum nomen tuum: narrauerunt mirabilia tua. Qui uero fuerint qui narrauerunt, aperit Paraphrastes: Commemorabunt, inquit, quotquot uiderunt quam miris modis nobis adfueris. Haud facilis quidem res est, hominem coelestibus dignatum afflatibus, Dei posse munera obtegere. Unde ex hebraeo non immerito illud est, propinquum, scilicet factum est nomen tuum: nempe ex dono- [donorum]

{pdf 571, p. 277v}

-rum frequentia, & beneficiis in mortales copiosissime effusis. Prope igitur Deus factus est nobis, ob gratias ac uim spiritus, quem secum oriens ex alto, utpote eundem eiusdemque naturae Deum, ad generis nostri instaurationem attulit. quod quidem mirabilia illa esse, quae hic a spiritu commemorantur, exponunt interpretes. Ait itaque sponsus:

{75.3} Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.

Etsi enim nonnullis ex hebraeo non tempus, sed coetum uel solennitatem, ut Felix, uertunt, non desunt tamen qui etiam cum nostro conueniunt. unde Paraphrastes: Ubi ego tempus statuero mihi. alius uero: Cum statutum tempus nactus ero. Hi quidem ad tempus, quo Christus accepta a patre potestate illa, de qua sic ipse in Euangelio loquitur, Data est mihi potestas omnis in coelo & in terra, spectarunt: alii autem ad piorum coetum, & Ecclesiam, qua, tanquam puro tritici grano a paleis secreto, ab improborum perfidia, atque haeresi diuulsa, ipse omnes summo exactoque libraturus [sic] esset iudicio: nempe malis mortem, & cruciatus, bonis uero seipsum, qui uita est sanctorum, atque aeterna felicitas, tribuens. Verum alius adhuc mihi succurrit sensus, non omnino ineptus, ut mihi uidetur, si tempus pro opportunitate accipiatur, qui talis est: Tunc equidem qui uniuersorum constitutus sum rex a patre, data occasione, atque diiudicandi a bonis reprobos opportunitate, aequissimo omnia decernam decreto. aeterna enim mihi haec est cum patre natura, ut siue suo in statu atque ordine perduret mundus, siue finem faciant uiuendi animantia, cuncta iustissima diffiniam lege, licet secus nonnunquam infirmioribus appareat animis. Tunc sane colliquescet mundus, pauebitque illius habitator homo. Quid? etiamnum simulatque iudicium est mundi,

{75.4} Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea.

Suo more Vates tropice, ne dicam poetice, rem obstrusissimam, quippe quae in spiritu transigitur, enarrat: nempe Ecclesiae, cordium nimirum fidelium in Deum progressum. Anteaquam enim hi in Deo per fidem stabiliantur, uariis illos concuti affectibus ac perturbationibus necesse est: postea uero, tanquam rudi lapides, hinc inde expoliti, scalproque edomiti, & quadrati, in nobilioribus aedificii locis coaptantur, sustentantque rei Christianae molem, & structuram, uti teretes solent aedificia columnae. Qua de a spiritu additur:

{75.4} Ego confirmaui columnas eius.

Atque hic Selah interponitur, quo quantum Christo fidei praestari par sit, perpendamus: qui sane Christus ut cum rerum omnium, tum potissimum suae Ecclesiae autor est & effector, ita instaurator, ac, uel tota dehiscat orbis machina, & tutor, & custos. Concussionem certe istam atque infelicem animorum colliquefactionem, non tantum sentiunt, quantum inuiti amplectuntur, atque in ipsa examinantur hi, qui turpissima actae uitae conscientia affecti, diuinum timent iudicium, exterritique contremiscunt. Verum non propterea ad reuocandos a prauitate gressus uel parum quidem animum inducunt. Hi igitur sic sua a Deo auersi culpa, derelictique e fidei sinu tanquam inutiles eiiciuntur quisquillae: illi autem qui licet in mundo sunt, de mundo tamen non sunt, ut asserit Christus, in aerumnis, in persecutionibus, in ipsis quoque uitae lapsibus, ac (quid stupendius?) in peccatis grauioribus, uegetiores spiritu in dies efficiunt, adeoque in Deo coalescunt & firmantur, ut merito Ecclesiae, tanquam columnae aedificiis, a Deo supponantur, fiantque illi de quibus hic dominus: Ego, inquit, non homo, non ars, non cognatio, non affinitas non pecuniarum uis, aut affectus humanus, illos elegi, confirmauique, ac meis in aedibus & cardines & columnas, & quicquid quo mea fulta est Ecclesia, inuenitur, esse uolui. Atque ita rebus concinne aptatis, sic meum coepi iudicium: & primum ab obiurgatione exordium sumens,

{75.5-6} Dixi iniquis, nolite inique agere: & delinquentibus, nolite extollere in altum cornu uestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem.

Nemo sane homo est in peccatis ita obduratus, cui non interdum lux aliqua e coe-
[coelo]

{pdf 572, p. 278}

-lo effulgeat: cuius radiis si non penitus illustratus, at saltem afflatus, suae admoneatur turpitudinis, & perculi. huiusmodi quidem lux ab amore illo uniuersali Dei, quo uult omnes homines seruari, atque ad cognitionem ueritatis peruenire, descendens, occultissima quadam ratione piis tantummodo cognita animis, uox Dei appellat. uocem certe desiderabilem, atque amoris plenam, nisi in cor adeo durum ac ferreum, quod hoc magis obrutescere consuescit, quo humanius a spiritu tractat, prolaberetur. Dixi, inquit, iniquis, incredulis, stultissimisque huiusce generis hominibus qui ueritatem Dei in iniustitia detinentes turpissimam degunt uitam: Nolite, uos obsecro, tam facile a iustitiae itinere declinare. Quid tandiu sceleri scelus, delictum delictis accumulatis? Nolite cornu istuc uestrum potentiae, qua quicquid lubet, id licere arbitramini, in Deum tanquam uexillum impietatis erigere. Nolite loqui de Deo tam superbe, tam contemptim, tam blasphemae. Quid ceruice bouum instar iugo obluctantium, erectam, distentamque, signum nimirum animi superbi atque indomiti, circumfertis? Quod noster uertit interpretes, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem, sic legunt Hebraei: ne loquamini ceruice erecta, seu cum ceruice elato, seu etiam in collo duro. Elati id supra modum animi indicium est, atque arroganter de se, spreto Deo, cogitantis. Caeterum in scripturis cornu pro regno interdum sumitur, pro honore, potentia, maiestate, & pro id genus aliis. Quocirca Iob fatebatur se cornu suum in puluerem deposuisse: hoc est, regium fastum, mundantque honorem, & pompa abiecisse. Vide hic gradum non mediocrem perfectionis Christianae. Quoties enim haec, aut horum similia mihi legere

contingit, occurrit statim animo reprehensibilis quorundam mos, qui cum uitam coelestem in terris profiteantur, iurentque se mundo, atque eius illecebris & deliciis penitus morituros, nihil tamen minus agit, sed aut mundum iam cognitum secum in Dei aedes afferunt, aut nunquam propter inedia, genusque uitae sordidum atque operosum, antea uisum, se inuenisse iactitant, vivuntque eo insolentiae modo, ac si in ipsis alti essent fortunae uiuarii. Nolite, oro, sic agere: nolite nostrum in exitium in uestrum autem ut lubet cornu id copiae, atque non alias gustatam pinguedinem e fundo haurire, sed abiicite potius, tanquam rem uobis, quid uobis aio? omnibus prorsus uitam beatam profitentibus, insolitam & onerosam.

{75.7} Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a deserti montibus.

Deest huic uersui ex hebraeo, exaltatio, seu aliud simile: & est sensus, ut elegantissime a Paraph, redditur: Neque ab oriente, neque ab occidente, neque ab Austro (is enim uentus a meridionali spirat plaga, ubi montes sunt ob nimium solis ardorem inculti & steriles. nam magnum desertum Iudaeae a meridie est, quemadmodum mare ab occidente cuiquam continget, quod solidum magnumque facere poterit illum, nempe cornu in Deum propter superbiam & ambitionem extollentem. Sunt qui non exaltationem addunt, sed defensionum. Unde quidam sic ex hebraeo: Neque ab ortu, neque ab occasu, non a deserto, aut a montibus aderit qui defendat: sed Deus iudex est, qui hunc deiicit, illum autem erigit. Quod noster sic uertit interpres:

{75.8} Quoniam Deus iudex est, hunc humiliat, & hunc exaltat.

Potest quidem homo potentia aliqua immensa fultus, atque, uti indomiti cornibus tauri solent, autoritate munitus, eo uecordiae adduci, ut non solum terram hanc putrem et inertem subigere enitatur, sed & coelum ipsum, ac Deum tandem lacescere non uereatur. Verum si ingratus omnino non est, pressumque humi animum aliquando erigere uolet, cernet statim quam longe a ueritatis scopo aberrauerit, quamue insulse in rebus illis spem, bonumque suum posuerit, quae nec bonae sunt, nec stabiles, nec parte aliqua sui similes: sentiet, inquam, nihil in rebus conditis, undecunque afferantur, inueniri posse, quod suam satiari queat dominandi cupiditatem, quod libidinem, quod auaritiam, quod crudelitatem: uerum Deum esse solum, qui hisce sedatis animorum permotionibus, animas bonorum omnium copia, pace scilicet, spiritu, conscientiaeque tranquillitate implere possit. Nanque in illius est arbitrato, hosce spiritu pauperes sic in altum uehere, ut deos faciat: illos autem, nempe fastuosos & diros, adeo e sublimi mundi gloria ad ima prosternere, ut plane & Deo & hominibus infensi, cum principe illorum daemone perpetuam in caliginem ac noctem infe-
[inferorum]

{pdf 573, p. 278v}

-rorum deiiciantur. Vides ne, o superbe, inopinatam diuinae potentiae commutationem? Deus, inquit Paraphrastes, iustus iudex: ille solus deponit, & ad nihilum redigit, & e contrario eriget in altum quencunque uoluerit.

**{75.9} Quia calix in manu Domini vini meri, plenus mixto.
Et inclinavit ex hoc in hoc, veruntamen faex eius non est exinanita: bibent omnes peccatores [sic: peccatores] terrae.**

Iudaeos, quoque cruentam in improbos animaduersionem signari asserunt. Verum alii, quod probabilius uidetur, uini lutosi aut spissi, transferunt. Siquidem a Deo, tanquam poculum omnibus propinandum, emergit mors, & uita: quae cum limpidissimae comparetur potioni, qua pii potari solent, mors contra spissae & lutulentae, quare prohi, quos hic spiritus peccatores terrae, hoc est, terrenis rebus penitus affixos, per antonomasiam uocat, cum unum tamen sit poculum, quia in Deo una est uoluntas, una Deitas, una prouidentia. Merum porro in Deo, est uinum gratiarum, quod turbidae supernatat poenarum faeci. Cuius crassamento epotati improbi, nihil quod syncerum sit ac purum agere permittuntur: quosque, etsi in omne genus facinorum proiectos suaque sponte perditos, sic tamen a Deo, sub nomine Hierusalem pungi, ad suiue cognitionem excitari uideo in Esaia: Eleuare, inquit, eleuare, consurge Hierusalem, quae bibisti de manu domini calicem irae eius, usque ad fundum calicis toxici bibisti, & potasti usque ad faeces. Ex hoc in hoc, Hebraeis solummodo est, ex hoc, nempe ex calice. unde sic quidam transtulit: Crater uino meraco plenus & adornatus in manu domini est, de quo fundet, & faeces eius sugent & bibent omnes impii terrae Felix item: Et redundare fecit ex hoc. quare etiam Paraph. Habet enim, inquit, dominus in manu poculum, in quo pulchre rubet uinum, sed cui plurimum est faecis ad mixtum: ex hoc porriget meracum piis, faecem uero noxiam exugere, imo epotare coget impios omnes, quantumuis degant in terra multi. Si, ex hoc in hoc, legas, duos intelligas oportet calicis istiusmodi effectus, qui ad bonos simul & malos attinent. Si, ex hoc, solummodo, quod ea quae sequuntur admittere uidentur, malos duntaxat amarissimo ultionis Dei calice epotandos dicit. Bibite, clamat dominus in Hieremia, & inebriamini, & uomite, & cadite, neque surgatis a facie gladii. Bibentes bibetis. Caeterum calix domini lex est, in qua inest spiritus & litera, quae quidem litera prae illo faex est, & toxicum. Bibant igitur, postquam sic uolunt, impii isti terrae suum sibi de manu domini uenenum, ac praesentaneum in fundo cyathi aconitum:

{75.10-11} Ego autem annuntiabo in seculum, cantabo Deo Iacob, & omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti.

Iam psalmum felicissimo claudit dialogo, nempe Christi & hominis, propheta. Sic homo: Ego enim, o benignissime, quicquid tuo a spiritu eruditionis hausi in hoc psalmo, futuris annuntiabo seculis, scribamque quae hic audiui: & quae scribam ad honorem Dei Iacob perpetuis tanquam Musis cantabo. Cui Christus: Et ego, a cuius manu uita est ac mors, cornua peccatorum, fastum nimirum, ambitiosamque tyrannidem & autoritatem perfringam: contraque efficiam, ut iusti cornua, nempe fides, spes, charitas, quibus debellantur frangunturque crudelissimi illorum hostes, superemineant, regnentque in coelis hi mecum beati. Amen.

PSALMVS LXXVI. Vincenti. In canticis psalmus Asaph. Canticum.

{76.2} Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius.

In Canticis, in instrumentis musicis exponunt interpretes, in primis Felix. Diuus Hieronymus, in carminibus transtulit. Caeterum Canticum est oda tripudii, qua uates ob continua diuinae beneuolentiae signa erga Iudaeos, suo congratulaturus populo, uel ob id maxime, quod Deus caeteris ferme neglectis nationibus, in Iudaea tantummodo & Hierusalem habitare uidebatur, narratque quid olim in suorum gratiam fecerit, facturuse esset in posterum tam beneficus dominus, Ibi, inquit, confregit potentias, arcum, scutum, gladium, bellum. Forsan hic Vates, quod nonnullos suspicari uideo, de insigni illa, Ezechia rege, uicto-
[uictoria]

{pdf 574, p. 279}

-ria & bello, in quo centum octoginta millia uirorum in castris Sennacherib regis Assyriorum ab angelo interempta fuere, uaticinatus est. Viderat enim sanctissimus uir in spiritu, nihil tam esse in rebus humanis uel felix, uel optabile, quam Deum habere propitium & amicum, ut Iudaeis tunc fuit, quos inter caeteras orbis nationes charius diligens, suo dignatus fuerat cultu & religione. Ibi arca fuit, ibi propitiatorium, ibi templum, ibi lex sacra, ibi quicquid gratiarum, quicquid fauoris & praesidii e coelo ab homine mortali expeti poterat, tam copiose a Deo suppeditabatur, ut nihil fere aliud curare uideretur, quam ut rebellem populum beneficiis obrueret. Haec igitur tam immensa, tamque humanum captum excedentia considerans Vates, peneque extra se factus in id prorupit canticum: Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius. Id, inquit, praecipuum est numinis donum quod inter Iudaeos cognoscitur Deus, eiusque nomen, magnum a nostro populo reputa. Nulli dubium, quod ubi est Dei populus, ibi habitat Deus, atque illius nomen sanctificatur. Quis sit modo locus, aut populus in terris, qui Deum cognoscat, atque eius immensum adoret nomen, puto Ecclesiam esse credentium a spiritu hic sub typo Iudaeae atque Israel deliniatam: nam ex Dei confessione, quae a fide oritur, Israel statim fit Iudaeus: hoc est, a confessione ad Dei transitur uisionem ac notitiam, unde amor, ex quo Christus, qui nostra est felicitas, emanat. Quod uero sint in Ecclesia homines, qui tanquam pecora uitam degant fidei rationisque expertem, subindeque nefariam & turpem, res magis fletu digna est, quam admiratione. Siquidem neque inter conuentum illum Iudaeorum tam celebrem, tam Deo charum, tam sacris ritibus ac caeremoniis insignem, homines in omne genus impietatis proiecti defuere. Non defuit tum quidem murmurator, non sacrilegus, non in Mosen atque Aaron oblocutor, non delator, non inter sacerdotes qui idola, hoc est, aurum, scortum, affines, ac proprium commodum ardentius coleret, quam nomen sanctum Dei Putas ne inter istiusmodi professionis homines quamuis mundo conspicuos, diuersari posse Deum, & coli? Notus itaque solummodo in Iudaea etiamnum est Deus: atque apud Israelitas illos, qui non in manifesto, ut inquit Paulus, sed qui in occulto Iudaei sunt, & circumcisio cordis in spiritu, non litera, commoratur altissimus.

{76.3} Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. /And his place has been made in peace, and his dwelling is in Zion./

In incepto perseuerans typo Propheta, de re seria praedicat. Nam quod nostri legunt, in pace, Hebraeis est, Salem, quae est Hierusalem. unde statim intulit, in Sion. Etenim pro nomine proprio appellatum posuit. Salem quidem interpretantur, pacem. Volunt

porro Salem ea fere tempestate dictam Hierusalem, qua loco illi in qua sita erat. nomen indidit Abraam, dicens: Dominus uidet. Felix sic legit uersum: Et fuit in Salem tugurium eius, & habitaculum eius in Sion. Et uere apud Iudaeos fuit eo fere modo Deus, quo solet esse tugurium in cucumerario, ut ait uates ille: ad tempus uidelicet breuissimum. unde simili usus est tropo alio in psalmo uates dicens: Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam. Ergo, ne nobis locum, nescio quem, in quo uelit nolit habitet Deus, somniemus, ubi pax non est, ibi neque Deus, neque homo diuini honoris cupidus, habitare unquam poterit. Pacem quidem, silentiumque a turbis profundum, atque ad speculanda coelestia? (haec Sion est) cor vegetum, diligit Deus: caetera quamlibet religioni addicta auersatur. Ibi,

{76.4} Ibi, inquam, confregit potentias, arcum, scutum, gladium, et bellum.

Vide hic Dei pro suis in hostes & uigilantia & fortitudinem. Est ne id mediocris potentiae indicium, inter tela hostium sic suos seruare Deum illaesos, ut a iam concepta per fidem animi tranquillitate ac pace, non deturbentur prorsus? Quocirca non absque ratione hic positum est Selah. Certe non est tam firmum cor, & stabile, quod in persecutionum frequentia & acerbitate, quae improborum sunt arma, non concutiat interdum, nutetque in fide. At Deus tamen (quid excelsius excogitari potest? [sic, no end parenthesis] sua in pacatissima perstans natura, ac pace illa, quae exuperat omnem intellectum, absque ulla sui immutatione, tyrannos illorumque minas, perinde infringere solitus est, ut solet uas uitreum infringi ab excandescenti, atque uehementer irato. Caete-
[Caeterum]

{pdf 575, p. 279v}

-rum potentias arcuum, legendum esse indicat graecus interpres: hoc est, sagittas, ac tela missilia. Unde sic Fel. Confregit uolatilia arcus: nempe iacula, aut spicula. Diuus item Hieronymus idem fere quod Felix. Horrendum sane id esset spectaculum ac dirum, militem uidere tota hac ui armorum, arcu scilicet, scuto, ense, galea, omnique demum apparatu bellico munitum, cum uiro quopiam nudo manum conserere, ac digladiari. Verum atrocius id iudicant sanctiores, cum pessimus in pacis amatores insanit obtrectator, nequissimusque omnium palpo, aut quadruplator uersutissimus, dolis nimirum armati, calliditate, simulatione, fallaciis, atque odio, furiunt. Dicto nihilominus citius sedas haec omnia, & tanquam munitiones bellicas perfringis, o Deus.

{76.5} Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis.

Hoc est, terribiliter conspicuus appares, cum e coelis, qui aeterni sunt montes percutere decreueris. A montibus praedae, legunt ex hebraeo unde Fel. Illustris factus es a montibus praedae, Diuus uero Hieronymus, a montibus captiuitatis. alius item, a monte praedonum transtulit. Quorum uerborum is erit sensus: Tu ferox in hostes magis, ac celer factus es, quam ullus solet leo, aut latro e montibus ad depraedandum accelerans, atque in uiatores saeue furens. Idcirco

{76.6} Turbati sunt omnes insipientes corde.

Rursum uertunt ex hebraeo: In praedam dati sunt robusti corde. quare sic Paraphrastes: In praedam dati sunt animo feroces. En quomodo hi qui nuper sagittis, arcu, ense, clypeo ac thorace onusti, minabundique incedebant, in praedam dati sunt, & id quidem a Deo innocuorum defensore, ac uindice. Heu inconsideratum uitae genus. Vide quid inferat spiritus:

{76.6} Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.

Somno, inquit, mortis oppressi interiire: neque ulli amplius potuerunt esse usui illis pristinum eorum robur & ferocia. Semel enim a morte interceptis, in somnum etiam quicquid uirium in illis inerat, resolutum est. Sic ex hebraeo: Dormitarunt somnum suum, & non inuenerunt manus suas cuncti uiri praestantes uirtute. Proinde sic reddit Paraph. Oppetierunt ueluti mortifero somno grauati, nec usui illis esse potuerunt, quantumuis uiri essent alioqui fortes, manus illorum. Iam illud supra modum incomprehensibile, quod homo qui semel animum ad tyrannidem admouerit, uitamque adeo ambitiose instituerit, ut nihil beatum esse ducat, quod arrogans idem non sit, ac plane iniuriosum, mortalium conditionis oblitus, quae in mortis somnum non secus, uel cum non aduertit, pedetentim delabatur, ac solet dormitabundus qui uiribus paulatim destitutus, uigoreque sensim amisso, in somnum tandem eum inuitus resoluitur, se immortalem esse in hoc mundo opinatur, cum tamen omnes simul homines uno ueluti facto uolumine ad mortem properare uideat. Heri enim nostris nos manibus hominem superbissimum, efferentemque sese supra illud omne quod est aut dici? Deus, sepeliuimus, conspeximusque nihil aliud esse uitam hanc nostram, praeterquam breuissimi soporem somni: hodie uero nos uti dii immortales in terris haberi uolumus, ac ui extorquemus. O insaniam. Heu quam lusciose ad tua caecutimus iudicia, o immense. Consimilem quidem, atque unam post aliis praetexentes abditorum euentuum rationem, quasi uelum nostris obducimus oculis prudentissimi, si Deo placet, homines: fallimur tamen. Siquidem

{76.7} Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt qui ascenderunt equos.

Te obiurgante factum est, o Deus Iacob, ut in equis & curribus confidentes, tanquam somnium, imo somnii umbra, euanuerint. Equi in scripturis haud rara pro fastu atque arrogantia sumi solent. Idcirco prohibuit olim Deus in lege, ne qui ex regibus equorum multitudinem aleret. Eam ob rem ex Aegypto equos educere, ut in libro Regum tertio uidere licet, consueuerant.

{76.8} Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.

Hoc est, cum tua coeperit ira feruescere, quis subsistere poterit? quis animum tuum iratum, mi Deus, effugiet? Tu quidem uehementer terribilis es, ac metuen-
[metuendus]

{pdf 576, p. 280}

-dus. Tu, Hebraeis bis positum maiorem auget admirationem, quasi diceret: Tu solus es, quo irato, nullus omnino est adeo imperterritio uiuens animo, qui non paueat, atque in fugam uertatur. Siquidem

{76.9} De coelo auditum fecisti iudicium: terra tremuit, & quieuit.

De coelo audire fecisti iudicium, uertit Fel. quod enim iudicium iniustum & letale e terra, nempe a mortali hominum tribunali in quempiam miserum prodeat, tolerabile id quidem, quippe quod ui pecuniarum, ut fit, aut principis gratia infringi queat. At e coelo, unde omnia quemadmodum perfecta, ita certa & inuiolabilia proficiscunt, sententiam promulgari audire, & homines, & elementa, & orbis ipse tandem uniuersus terrificè admodum contremiscunt, silentque taciti, & uenerabundi. Tunc dico,

{76.10} Cum exurgeret in iudicium Deus.

Qui hactenus dormire uisis est, dum tandiu regnare hypocritas & effeminatos, ut olim comminatus est. permisit, connixitque ad miserorum calamitates. Alio in psalmo sic Deum alloquitur Vates, quasique e somno illum excitans compellat: Exurge, quare obdormis domine? exurge Ex hebraeo nonnulli uertunt, cum exurgeres. Sed nihil obstat sensui, cum creber sit Hebraeis usus, tempus pro tempore, aut numerum pro numero ponere. Utcunque legas, illud comperti, iudicium id omne seuerissimum a Deo factum,

{76.10} Ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.

Nempe illos, qui tametsi in terra hac dolorum plenissima degunt, omni tamen abiecta uitae pompa, mansuetissimum in modum se totos diuinae consecrant religioni: quaecunque aduersa contigerint, leni tolerant animo, & miti. Horum quidem uitam & salutem tanti facere Deum experimur, ut pene illum ab omni iudiciorum genere uacare conspiciamus, donec probos ab improborum iniuriis ac persecutionibus diligentissime, quae est eius immensa circa suos custodia, asseruerit. Maximum id est ei beneuolentiae erga electos signum, ideo a spiritu hic addi tum est Selah. Quod porro ex sacrarum rerum expositoribus inueniant, qui duos hos uersus cum sequenti, ad iudicium referant uniuersale, non falluntur omnino, simul ut cernimus diuinas has odas innumeris grauidas esse mysteriis. Verum is plus quam ter beatus, cui tam obstrusae rerum coelestium caligines, prout sunt, inno tuere. Nos interim eo contenti sensu, quem simplicissimo tum stylo, tum animo persequi nos non semel diximus, ad altiora illa peruestiganda, hoc firmiori, ueluti iacto fundamento, praemonstrato, sublimioribus aditum aperimus ingeniis. Illud tamen molestissimum, permultos inueniri qui psalmos singulis ferme diei horis Deo tanquam debitam persoluentes pensionem, neque hunc neque illum inquirant sensum: sed sua in hoc, quemadmodum caeteris in rebus, contenti crassitie atque ignorantia, illum sectantur uitae modum, qui cum neque calidus, neque frigidus omnino sit, tum Deo, tum piis omnibus nauseam ciere solet ac stomachum. Sed ad psalmum redeo.

{76.11} Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.

Vix quidem quae hic dicuntur a nonnullis, scribere ausim: adeo dubia sunt, et a mente psalmi (ni falsus sum) remota. Quod sane genus interpretandi cui potius adscribi debeat, interpretis ne literae interdum ambiguae & confusae, an audenti quorundam expositorum ingenio, non definitio. Hi enim dum a ueteri nonnunquam aeditione discedere reformidant, ea psalmis assuunt, quae nec in somnis quidem coniectauit Vates. Idcirco nos consulto, cum aliter fieri nequit, Hebraeorum literam, omissa illa interpretis saepenumero obscura (spiritum uiri non damno) admittimus, ut in hoc contingit loco. Felix igitur sic hunc interpretatur uersum: Quoniam ira hominis celebrabit te, reliquias irae accinges. id est: furor ille hostilis atque ira, in tuum tandem, a te fracta, honorem cedit. quod quidem impiissimo Aegyptiorum tyranno accidisse legimus: Posui, inquit, te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narret nomen meum in omni terra. Reliquias irae accinges, seu alligabis: hoc est, si quid ultra bellorum prostrati hi hostes, ueluti reassumptis denuo uiribus, innouare uoluerint, tu illud praeteriti furoris residuum reprimes &

{pdf 577, p. 280v}

contundes. In Pharaone rursus uidere est, quid sibi hic uult spiritus: nam miser ille toties propter atrocitatem poenarum attritus, eo consternationis animi deuenit, ut Mosi diceret, ac fratri: Surgite, egredimini a populo meo, & abeuntes benedicite mihi. Vides Dei hostem penitus profligatum? Audi extremum illius conatum, ac tanquam confusae impietatis, saeuitiaeque atque irae reliquias. Iunxit, inquit, currum Pharaeo, & omnem populum suum assumpsit secum, & persequutus est filios Israel. Verum dominus, qui reliquias irae alligare solitus est, interfecit exercitum eorum & sub uertit rotas currum, ferebanturque in profundum. Timuitque populus dominum, & crediderunt domino. En quomodo in laudem cessit altissimi ira hominis. Qui quidem sensus quo maiori fulciat autoritate, Paraphrastae literam huc aduocemus: Honori, inquit, profecto tibi erunt, qui ira conciti temere contra te in praelium prodierunt. Peribunt enim, & si quid minarum hostilium reliquum fuerit, id tu uendicabis tibi, & te illi oppones, ne terreant tui. Quare, o qui suauissimo dignati estis Dei patrocínio,

{76.12} Vouete & reddite domino Deo uestro omnes qui in circuitu eius affertis munera terribili.

{76.13 } Et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud omnes reges terrae.

Omnes quos sciam Hebraeorum interpretes, Afferte munera terribili, seu formidabili, legunt: uel afferent, ut Felix. unde ex his quidam: Vouete & reddite domino Deo uestro, omnes qui in hoc coetu adestis afferte formidabili munera. Ei, dico, uestra nuncupate uota, qui uitam adimere potest principibus, ac omnes reges terrae, nedum stolidum uulgus, terrere Caeterum de uotis quae a nobis in primis requirit Deus in psalmis, iam alias diximus gratiarum esse actiones, diuinisque laudes, ac (poenitentiae dona esse affirmant nonnulli) continuam nostri cum animi tum corporis macerationem & sacrificium. De illis uero quae ab hominibus quotidie nuncupari cernimus, suas habet diffinitiones Ecclesia. Illud tamen dicam, periculosissimum id esse uotorum genus, ea polliceri Deo, quae postea aut seruare nequeas, aut nolis omnino. Nouit enim uniuscuiusque animus, quid humanus appetat spiritus, quamque integre quod uouit

reddat. De nonnullis autem dicam, qui sollemnissimo illi primo in baptismo, aliud in professione uotum addidere, & illud quidem cum iuramento, teste impressa altari cruce, teste complurium conuentu, teste demum cum purissimis sanctorum cineribus atque ossibus Deo. Memini quidem me amicum quendam meum uirum saneque doctum, atque a mundi uanitate penitus alienum, iocose reprehendisse, quod honorem sibi a patribus oblatum refutasset. Quid agis? aio. nunquid obedientiam in professione oblatam tu iuratus tam uilem habes, ut tua magis cures commoda, quam patrum uoluntatem? erras. Ille contra pene indignabundus, obortis tamen lachrymis, quasque me obiurgans ita respondit: Heu amice, quantum lachrymarum mihi illa affert interdum uotorum recordatio, cum ea me in baptismo, & in professione promisisse recolo, quae aut non reddo, aut non tam pie & sancte, ut par est, reddo. Quod si certo etiamnum recenti ueluti proposito & uoto, me id quod sum pollicitus, ratum facere contendo pro uiribus, conorque, in memetipsum tamen miserrimum in modum recidens, uideo in membris meis nescio quid reluctans contradicensque, ac plane quae promisi denegans, & confidenter abiurans. Pareo ne Deo atque Ecclesiae eo quo decet animo, seu ut meum exigit iusiurandum? quid cor? quid oculi? quid sensus hi bruti, licet iam decrepiti, in omnem prorsus impuritatem proni? quam uero sint a lapsu immunes, scit Deus, cuius id donum est. Restat pauperies, restat pro Christo nuditas, restat ultronea corporearum rerum, addo & affectuum inordinatorum despicientia. Nihil sane minus aut cogito aut ago. heu me miserum, heu quo me insaturabilis protrahit interdum habendi cupiditas. Si quidem desunt facultates priuatae, non deest tamen animus ad facultates, ad honores, ad delitias, ad superbam dominandi ambitionem. Quid? nonne uoto atque iuramento, quo me nudam cum Christo uitam uiuere obligauit, stultam ut facerem imposturam, quasi Dei oculis uelum obducerem, inter mei ordinis homines praelaturam, ut uocant, non tantum desiderauit, quantum impudentissime, uel usque ad ambitus praensionisque cul-
[culpam]

{pdf 578, p. 281}

-pam, quaesiui? Scilicet me liberum a paupertatis uoto illa adepta dignitate somniabam, fingebamque nullis parcendum esse, quae in meum cederent commodum & luxum, sumptibus, quia Abbas tandem essem. Sed utinam non ultra mea progressa fuisset amentia. Dicam? dicam profecto, nec meas dissimulabo culpas. Ad tantum enim aliquando deueni paupertatis odium, ut me non esse monachum optauerim, sed aut Episcopum, aut Cardinalem, aut saltem, modo liber essem a uoto, militem, ad summum quicquid sors attulisset. Verum a Christi spiritu admonitus atque informatus, & me uouisse gaudeo, & quae uoui me redditurum, quid aio demens? & Christum in me pro me redditurum certo scio. Illo itaque contentus uade: nihil aliud nunc cogito, quam ut illi meae probentur uitae rationes, illud interim uersans animo, tum mihi, tum caeteris sacra unda dilutis coelitus imperatum esse, Vouete, & ne Deo uerba dare uideamini, quae uouistis reddite. His dictis siluit. Tantum ineptam meam fuisse reprehensionem aduertens, illud addidi, beatam nostram fore rempublicam, si sic omnes agerent: hoc est, si nemo suapte sponte, emptisque suffragiis ad dignitates sese ingereret: sed uocatus aut uerecunde abnueret, aut inuitus accederet: alioquin obedientiam istam uoluptuosam quis non libenter amplecteretur? Absque fronte iam nostrae emuntur dignitates, danturque illis, qui eas quaerunt.

PSAL. LXXVII. Vincenti iuxta Ieduthun. Asaph psalmus.

{77.2} Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, & intendit mihi.

Post multas uariasque interpretationes, quas afferunt interpretes de uoce Ieduthun, tandem concludunt instrumentum fuisse musicum, quo usus est Asaph cantorum princeps in canendo hoc psalmo. nec absque mysterio quidem: nam Ieduthun interpretantur transilientem: &, ut aiunt, transcendens omnia, Deum quaerit, & inuenit. Quis porro hic non miretur? quis satis quae in hoc insunt cantico mysteria discutere unquam poterit? Christum enim hic uideo pro me incredibilem in modum consternatum, adeoque afflictum, ut non uereatur dicere, Renuit consolari anima mea. Idcirco uolunt doctiores hunc psalmum flebile quoddam fuisse uaticinium pro Christianis a Romanorum Imperatoribus, melius dicerem dissipatoribus gregis dominici, oppressis, ac supra uires attritis. Putas ne impraesentia quoque deesse, qui Dei religionis periculum animaduertens, haec secum: Nunquid in aeternum proiiciet Deus? Verum interim publice: Voce mea ad dominum clamaui, uoce mea ad Deum, & intendit mihi. Quid sit, intendit mihi, expressius reddit Hebraeus: Aures praebabit mihi. Magnae id sane fidei in anima est indicium, cum orans suam a Deo exauditum iri precationem persuasum habet. Alioqui certe anceps, quae Deo offertur, oratio, ancipitem prae se fert fidem: quae tum gratior est numini, cum constans magis est, &, uel in ipsis difficillimis persuasionibus certa. Vide igitur quam perfectum in se orandi modum exhibeat Christus: Voce mea, inquit, haud rauca quidem, aut ex fidei defectu exili & mussante, clamaui. Voce mea, inquam, ualida & constanti ad illum qui Deus meus est & dominus, clamaui, atque euestigio exaudiuit me. Clamabo, uertunt Hebraei: sed parum refert, hebraismus frequens est prophetis. Postea precationis seriem ac formam subnectens, ait:

{77.3} In die tribulationis meae Deum exquisiui manibus mei nocte contra eum, & non sum deceptus: renuit consolari anima mea.

Hucusque Hebraeis unus est uersus: sed longe alius. Sic Felix: In die tribulationis meae dominum exquisiui, uulnus meum per noctem defluxit, & non residuebit: noluit consolari anima mea. Permaximi id doloris signum est atque aegritudinis, cum uulnere recrudescente non remittitur dolor, Defluxit, inquit, uulnus meum, sanie nimirum atque atro sanguine: hoc est, meum aequae insanabile factum est malum, atque solet ulcus perpetuo suppurans, et semet exedens. Non suo tamen uacat sensu si legas, Exquisiui manibus meis nocte contra eum, seu coram eo. Solent enim qui extremo aliquo afficiuntur dolore, & oculos, & manus, indicium nimirum sum-
[summae]

{pdf 579, p. 281v}

-mae anxietudinis, ad Deum tollere. nisi malis secundum alium dubiae dictionis hebraicae sensum, manus, non uulnus, defluxisse intelligere, ut in his qui diriori aliqua affecti sunt perturbatione, contingere cernimus, qui laxatis inconsolabiliter manibus, plane se uiribus destitutos ac desolatos ostendunt, mouentque se continue, ut solent

spatici.* [sic] Quocirca quidam ex Hebraeo sic transtulit: Vacillabat totas noctes uirtus mea, & non quiescebat: & id quidem nocte, coram Deo, hoc est, attente, ac maxima animi permotione & dolore, qui ex more incrudescere noctu consueuit. Quam porro doloris uim ac desperationem quo intensius exaggeret, in calce uersus, tanquam cui nihil amplius addi posset, concludit: Renuit consolari anima mea. Omne, inquit, consolationis genus auersata est anima mea, nullumque admisit refrigerium, praeter illud quod a Deo opperiebatur. Ea propter humanis abiectis remediis, quae tam saeuo atque immani imparia sunt dolori,

{77.4} Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus.

Aspice quomodo suos sinit interdum Deus ita acerbe in diuersa distrahi & dissipari, ut nihil minus referant, quam constantiam. Quam uerum illud est, quamue tenaciter cordi imprimendum, Deum scilicet eum esse, qui deducit ad inferos (ecce animae desperatio) & reducit (ecce uis fidei.) Dixerat enim in superioribus Vates: Renuit consolari anima mea. Nunc uero animum colligens, sic suum solatur moerorem: Utcunque affligar, utcunque meum immedicabile sit uulnus, destituarque prorsus omnibus tum corporis, tum animi uiribus, atque inteream tandem perturbationum cumulo oppressus, adhuc in eum sperabo, adhuc diuinae haud immemor ero bonitatis, in illiusque memoria delectabor exercitaborque, ac proinde etiam usque ad spiritus defectionem memet excrucio. Vides sui pene dissimilem in amantibus quoque Deum nonnunquam animum? Delectantur sane in Domino, amant, moerent, anguntur, timent, sperant, ac tandem inter bellum & pacem positi, sese continuis macerant curis. Qui quidem mentis affectus ex Hebraeorum litera ardentius exprimuntur. Sic Felix: Memor ero Dei, & uociferabor: loquar, & anxietate inuoluetur spiritus meus. Diuus uero Hieronymus: Recordans Dei conturbabar, loquebar, alius autem, fremebam. Paraphrastes: Eiulabo ad illum. Sed & diuus Augustinus, garrui, e graeco legisse uidetur: quod quidem uerbum ex eodem alio fonte mitius reddidit, dicens: Argutabar, & meditatus sum a meipso. hoc est, sollicitus etiam usque ad procacitatem clamabam, cogitabamque quoniam pacto tantis ab aerumnis liberari possem: cumque solutionem, aut requiem inuenirem nullam, meus in sese plane defessus commarcuit spiritus. Selah propterea huc interiectum, nos ad id considerandum excitat, qui fit interdum, quod Deus suos adeo acerbe atteri sinat, ut pene animum despondeant, cum tamen illos ardentissime diligit.

{77.5} Anticipauerunt uigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus.

Narrat hic Vates per partes sui animi anxietatem, quae cum nimia est, omnem prorsus ab oculis eicit somnum. Praeuenerunt, inquit, oculi mei insomnes uigilias omnes noctis: hoc est, nullo detinebantur somno. quod clarius reddit Hebraeus: Tenuisti, ait, palpebras oculorum meorum, ne possim dormire: quae res sic me conturbauit, spiritumque exhaustit, ut ne loqui quidem amplius mihi integri esset. Quomodo id secus a me agi potuisset? Etenim

{77.6} Cogitavi dies antiquos, & annos aeternos in mente habui.

Heu meam ignauiam. Video sanctissimum hic Vatem: Vatem autem? Ipsum uideo mei amantissimum Christum sese pro me afflictantem, pauentemque, & mirum in modum ad patris iudicia contremiscentem: & ego infelix, qui peccaui, peccoque assidue, in utranque tutus aurem obdormisco? Cum sane cogito dies antiquos. atque anni aeterni in mentem mihi ueniunt, hoc est, quam irreparabili prouerit olim casu fulgentissimus ille omnium angelus semel peccans: quamue ingratis cunctorum animantium primus homo indelebile ferme peccauerit peccatum, unde ab amoenissimis irreuocabiler Paradisi eiectus fuit hortis. Quid Iudas? ille, inquam, Iudas, in quo se spes omnium finium terrae sperasse alio in psalmo fatetur, quo

{pdf 580, p. 282}

suis peruenit sceleribus? Nonne ad laqueum? nonne ad turpissimam, quam propriis sibi asciuit manibus, extinctionem? Cum haec, inquam, tum praeterita, tum adeo antiqua, ut pene aeterna uideantur, cogito, rimorque animo nullum diuinos effugere posse oculos delictum, insanio penitus, itaque uehementer conturbor, ut nullus omnino mihi restet sensuum usus, nutetque ratio, ac plane uigore omni ego destitutus, non homo iam uiuens, sed aut truncus annosus, aut statua aliqua inanimis appaream. Ad haec succurrit antiqua illa, ut mihi uidebatur, annorum felicitas, cum ego quidem in diuinam totus transformatus religionem atque amorem, ardebam desideriis pene infinitis, nullaue mihi iam supererat cura, nisi quomodo in amati amplexibus expirarem: nunc uero mutata sorte, amissoque illo, qui in me magis erat, quam egomet in meipso, totus mea in deploranda miseria & calamitate uersor consumoque: huc mens, huc animus, huc quicquid denique in me est uertitur.

{77.7} Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.

Rursus, exercitabar, Hebraeis est, loquebar, nempe cum corde meo, attente scilicet, eo maxime tempore, quo profundissimo res omnes detinentur somno. qua re additum est, nocte. Nox quippe cogitationum mater est atque altrix, quod alias notauimus, rationemque, quamobrem id fiat, attulimus. Scopebam spiritum meum: uentilabam, reddunt alii, seu excutiebam, sic apud me tractans:

{77.8-10} Nunquid in aeternum proiiciet Deus? aut non apponet ut complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem? aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?

Vide quo demum anxietas illa prorupit, qua in superioribus testata est anima, se omnem prorsus respuisse consolationem, se tristem, se miserandum in modum conturbatam cogitasse dies antiquos, atque annos aeternos in memoria habuisse. Sic intra se: Immutatus est ne immutabilis, ut non amplius, ut olim, suam nobis impartiat clementiam? uult ne perditos nos esse funditus? proiiciet ne nos omnino? aut futurum ne est, ut placatior fiat nunquam posthac? negat'ne nobis modo, quod superioribus semper praestitit seculis? periit ne in perpetuum ipsius clementia? ipsius bonitas? ipsius, qua seruat omnia, quae pollicitus est, fides? nonne quaecunq; sancit aeterna

sunt, proinde a generatione in generationem aeterna dilabentia serie ac prouidentia? haecine firma est confidentium in Deo pollicitatio? oblitus ne est tam cito suae promissae misericordiae? quid? tam ne imbecilles factae sunt illius miserationes, ut iram eius frenare nequeant? O nos & ter & quater miseros, si sic se habent res hominum. Quocirca non iniuria Selah huc interiectum esto.

{77.11} Et dixi: nunc coepi, haec mutatio dexterarum excelsi.

Tandem huc, inquit, perueni, ut dicerem: Iam plusquam satis dolore contabui, praeque amaritudine uix mei compos extiti. Quare nunc ad me reuersus, de Dei erga homines uoluntate mitius sentire occoepi, dixique: Haec certe rerum mutatio ac uicissitudo, a potentissima dextera excelsi prouenit. Me itaque stultum, qui Dei iudicis legem praescribere adnitor. Verbum Coepi, in Hebraeo non inuenitur: sed, expectatio mea haec, aut mors. Item, mutatio, non transferunt: sed, annorum dexterarum excelsi ut sit sensus: Cogitabam, haec mea est mors, is meus est interitus, simulatque uideo Deum me penitus abiecisisse. Verum memor ero annorum dexterarum excelsi: hoc est, facinorum, quae Deus praeteritis olim annis pro suis aedidit, ut uel sic meum ad spem pene collapsam erigam animum. Si uero, expectatio, arridet magis, is erit sensus: Cogitabam, haec mea est expectatio, ut tempus adueniat, quo, ut olim, dexteram suam exerat altissimus. Quem autem sensum sequutus sit Paraphrastes, ex illius patet litera. sic ille: Profecto, dicebam, ad mortem usque cruciat me haec recordatio superiorum annorum, quibus toties & tam manifeste adfuit omnipotenti dextera sua, is qui supra omnia est dominus. Ita igitur

{77.12-13} Memor fui operum domini, quia memor ero ab initio memorabilium tuorum, et meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor.

Ero, non Fui, uertendum erat unde Felix: Recordabor operum domini. Nihil enim

{pdf 581, p. 282v}

tam fortiter animum sub angustiarum onere laborantem erigit, quam uiua sedulaque consuetudine Dei beneficentiae in suos, cogitatio ac memoria. Ait itaque: Desperare ne debeo, quia peccaui? quia seduxit me mundus? quia a daemone, a carne, a falsis traducor fratribus? Minime id quidem omnium: nam meum ad refrigerium recordabor, quomodo se gessit Dei pridem cum sanctis suis, licet tentatis, ut ego, afflictisque, atque in errores prolapsis, prouidentia & bonitas. Peccatores illi quidem fuere: at uero tamen sic foedi, sic in tribulationum igne excocti, & plane a mundi plausu reiecti, irrisique, tua continue protecti sunt ope. Horum itaque haud immemor, quae rursus ab ipsa mundi origine miracula, signa, adinventiones, nempe consilia, studia, artesque, ut sic dicam, multiplices, quibus ad hominum salutem uti consuescis, aedidisti, sollicite meditabor, in illisque memet exercebo, & ad uitae huius miserae refocillationem ea uoluam animo, & reuoluam. Nam certe,

{77.14-15} Deus in sancto uia tua, quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia.

Stuporis sane immensi, atque admirationis plena sunt haec uerba: & est ac si diceret, exclamaretque: Hem Deus, quicquid cogitas, quicquid in rerum moderatione ac salute moliris, quae tua est uia, qua omnia tanquam uniuersorum uigor & uita, percurris, est in sancto: hoc est, sanctissime, summaque peragit aequitate & constantia. O uiam absque dubio sanctissimam. Tametsi enim, mi Deus, dura admodum tua illa sint flagella, quibus etiam usque ad interitum tui nonnunquam atteri uidentur familiares, iustus tamen es in omnibus uis tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis. Quamobrem, o uos qui tenera adhuc connitimini religione ac fide, uidistis ne unquam Deum alium tam sanctum & aequum, ut Deus est noster? quis inter diuos tam magnus? tam potens? tam erga suos, suos quidem? imo uero etiam erga hostes, & facilis & benignus? Certe, mi Deus, tu solus is es, qui miranda, stuporemque omnem excedentia operaris. Tu, uel ab ipsa prima mundi aetate, continuo ueluti gratiarum amne,

{77.15} Notam fecisti in populis uirtutem tuam.

Populis, inquam, uariis, diuersisque uitae institutis ac rationibus informatis. Sed in primis

{77.16} Redemisti in brachio tuo populum tuum filios Iacob a Ioseph.

Non absque mysterio, Iacob & Ioseph mentionem hic facit Vates. Iacob enim uir ille fuit, a quo tribus omnes originem traxere. Ioseph autem, quoniam patrem simul cum tota illius familia & liberis aluit in Aegypto, loco nimirum Dei religionis ignaro, Dei retulit beneficentiam, qui in medio etiam angustiarum aestu suos alere non desistit. quare interponitur hic Selah. Testis, inquit, ingentium istiusmodi facinorum fuit populus ille rebellis, quem mirandum in modum, cunctisque inaudito seculis miraculo, ex dura Aegypti seruitute liberasti. Tuae tunc quidem potentiae brachium, robur nimirum ac maiestatem senserunt coeli, senserunt elementa, rupesque aridissimae tuo exterritae imperio, copiosissimum praebuerunt aquarum haustum. Vidit haec omnia Aegyptus, & expauit. Ipsae quoque

{77.17} Viderunt te aquae Deus, viderunt te aquae, & timuerunt, & turbatae sunt abyssi.

Siue hic aquas Aegypti intelligamus, quae Dei iussu sanguineae facta sunt: siue illas maris, quae populo cessere transeunti, non errabimus, modo Dei potentiam elegantissima celebrari metaphora intelligamus. Adeo, inquit, celeris fuit illarum corruptio, harum uero cessio & fuga, ut plane Dei imperium extimuisse uisae sint. Senserunt quidem, tanquam animatae fuissent aquae, tuum imperium. Sensit, inquam (res mira) tam fluxum elementum te, o Deus, & timuit. Quid? ipsae profundissimae maris abyssi pauore exterritae, sua a sede motae sunt. Verum id totum non absque immenso tuorum horrore ac metu. Quis cernens hinc atque hinc aquas tanquam parietem conglobatas imminere, pone uero armatas hostium copias insequi, non timuisset? At hic quidem mirabile uidere mihi uideor mysterium, cum in mentem uenit, impossibile omnino esse ad felicissima terrae promissae, in qua habitat Deus, bona, posse aliquando peruenire hominem uia alia quam illa, quae

{pdf 582, p. 283}

maximis obducta tenebris, interruptaque maris undis, atque hostium armis obsessa, tota horret, Quis, obsecro, tam asperam non exhorresceret uitae semitam, nisi Moses, nisi Aaron, nisi fortissimus dux ille Aminadab, nisi tandem Deus, cuius praesentiam uiderunt aquae & timuerunt, animosissime anteirent? In mari sane, atque eo turbido & procelloso, Dei est via. Nam

**{77.18-19} Multitudo sonitus aquarum, uocem dederunt nubes.
Etenim sagittae tuae transeunt, uox tonitruum tui in rota.
Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae, commota est, & contremuit terra.**

Vide quomodo ab antiquis non discedens Aegyptiorum plagis, proborum salutem cum improborum interitu commiscet Vates. Nonne hic tibi ob oculos illud Exodi uersatur cum haec legis? Dominus, inquit, dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: pluitque dominus grandinem super terram Aegypti, & grando & ignis immixta pariter ferebant. Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit. Multitudo, inquit, sonitus aquarum. En uis illa imbrium, cum fracti aeris canales, tum aquas, tum grandinem, simulque e tetris nubibus emicantia ad terram usque horrisono conuoluunt strepitu fulgetra, uocem dederunt nubes. Ecce tremeficientes omnia tonitrus: e quorum mugitu sagittae illae fulgurum uagae, celerrimo erumpentes cursu, rotatuque ineuitabili, excelsiora feriunt loca. Nulla tum quidem pars coeli est, quae tam clara coruscationum lampade non illustretur. Idcirco terra omnis, nedum belluae & homines, suo pene euulsa fundamento tremunt, horrendumque in modum concutitur. Sunt ne haec diuinae potentiae indicia, an, ut arbitrantur mundi sapientes, necessariae quaedam aeris alterationes? Virtus ea (ni fallor) a numine procedit, non a necessariis coelorum motibus, aut daemonum, ut quidam opinantur, terroribus. Quod uero contra uim imbrium, aut tempestatum & fulgurum, quae crebra admodum hunc in excelsum cadunt montem, in quo placidissima mei patris conuiescunt ossa & cineres, erigantur in sublime cruces, fiantque supplicationes & uota, num propterea istiusmodi religionis ac fidei indicium censendum est placari daemones, etsi fugari dicunt? an illud magis, nempe Deum nostris offensum erratis, hisce fidei argumentis inuitari, rogarique, ne in nos, uti consuescit in hostes, tam dire res quoque inanimatas, ut meriti sumus, ferocire sinat? Nonne idem etiam pro bellis, pro discordiis, pro siccitate, pro lue & peste, agere soliti sumus? Sed, ut dixi, uia tua, o Domine, uia difficilis est, uia ardua, uia salebrosa. Et quidem

{77.20} In mari uia tua, & semitae tuae in aquis multis.

Via enim qua ad te itur, quaque res conditae peruestigantur, & utcunque intelliguntur, inaccessa pene est, atque innumeris conuoluta fluctibus, Semitae, inquam, tuae, quibus afflicta permeas corda, multis in aduersitatum aquis sitae sunt. Non sane quidem tuis in electis delicias serere consuescis, sed spinas, sed tribulos, sed lappas, sed crucis amaritudinem. Et tamen ad haec tam alta tuae prouidentiae consilia caecutimus, prorsusque caeci sumus: siquidem ab humano intellectu

{77.20} Vestigia tua non cognoscentur.

Occultissimo etenim modo mortalium salutem operari solitus es. Possumus certe multas, & has quidem uarias, cur id uel illud fiat, praetexere rationes. At uero attoniti, in rerumque omnino occultarum indagazione exoculati, in illud tandem deuenimus, ut uicti clamemus: Quis cognouit sensum domini? aut quis eius unquam uestigia, nempe consilia, atque in disponendis rebus tum ordinem, tum prouidentiam perscrutatus est? nemo profecto qui id appetat, inuenitur: uel si appetat, assequitur. Verum illud nobis, quam sol ipse, est compertius, quod

{77.21} Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Mosi & Aaron.

Crebra enim ouium in scripturis fit mentio, quo minime uulgarem in Deo esse erga suos custodiam contemplemur: qui quidem cum uniuersalis sit pastor, uult tamen sempiterno rerum ordine ac serie, ut sic dicam, primogenia atque aeterna, quemadmodum caeteras quoque res, ita homines suos in terris habere duces & tu-
[tutores]

{pdf 583, p. 283v}

-tores. Deduxit quidem dominus, ut hic canit Vates, tanquam oues, solerti scilicet cura, ex Aegypto Hebraeorum populum: uerum non absque ducibus & pastoribus. Alioqui quo uulgius rude atque imbecille, uel millies diuino ab oraculo admonitum, suum direxisset iter per mare? per solitudinem? per terram hostilem? Strenuissimus igitur datus fuit illi dux cum fratre Moses: quem cum ex aquis assumptum interpretentur, Aaron autem fortitudinis montem, animarum ductores bellissime adumbrasse non ignoramus. Aquas diximus nonnunquam in scripturis uitae huius afflictiones, aduersamque fortunam, atque interdum cupiditatum profluium praetendere. Da mihi igitur animarum ducem nondum ab aquis assumptum, hoc est, adhuc aduersis molliter reluctantem, in persecutionumque fluctibus fugacem, & foeminarum more eiulantem, aut in cupiditatum libidinumque uolutabro sese uolutantem, idcirco in fide euiratum, emoriar si quam uideris unquam ex ouibus sub tali pastore diutius in Domini pascuis, riteque educari. Qui eiusmodi sunt, aut Aegypti desiderio contabescunt miseri, aut contempto Deo atque eius religione, uitulum sibi pro Deo ex aureis uxoribus inauribus delicatissimi (si Deo placet) pastores conflabunt. Nihil enim in illis reperies quod elumbe non sit, effoeminatum, putidum. Mose itaque ductore opus est, atque Aarone, uiris scilicet in fide doctrinaque spiritus robustis, firmatisque in his quae solida sunt & perfecta. Non quidem in mundi saginario tanquam in amne fluitantes, aut turpissimis parentes affectibus, sui uult esse gregis pastores Deus. Quare si nonnullos inuenias istiusmodi, de quibusque sic dominus in Hieremia queritur: Pastores multi demoliti sunt uineam meam, conculcauerunt partem meam: parendum illis quidem est cum delectu, simulque dolendum, quod adeo in immensum nostra creuerint scelera, ut merito in nos illud dictum esse intelligamus: Effoeminati dominabuntur eis. [Isaiah 3.4] Qui uero sint illi, qui Mosen, aut Deum potius in terris referant, hos breuiter designat spiritus in Vate illo: Dabo, inquit, uobis pastores iuxta cor meum, & pascent uos scientia & doctrina. Caeterum doctrinam hanc, doctrinam spiritus esse arbitror, nempe illam, quae non tam literarum linguarumque cognitione nitatur, quam quae purissimis animae

contemplationibus ad Iesu pedes addiscitur. Cui laus sit atque honor in secula seculorum. Amen.

PSAL. LXXVIII. Eruditium Asaph.

{78.1} Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei.

Ingenti quidem animi intentione his opus est, quibus ab amico, seu a rege & principe praeterita exprobrantur beneficia: id enim ingratis contingere raro experimur. Verum ea quae a Deo fit exprobratio, non solum animum attentum requirit, uerumetiam eruditionibus refertissima est, ac doctrina, ut in hoc psalmo cernimus, quam maximis obiectus est mysteriis. Siue enim de defectione Hieroboam qui fuit de tribu Ephraim, quique contra Dei decretum affectauit regnum Iuda, psalmum compositum asserant expositores, siue aliam effingant rationem, illud in summa considerandum, diuina hic quaedam a Christo erga homines recenseri beneficia: quae quidem diligenter, ut par est, ab homine perspecta, maximam excitant admirationem, quippe quae Dei erga mortales quamlibet ingrattissimos tum bonitatem tum clementiam prae se ferant. Tantum siquidem momenti illa habere praesensit Vates, ut quicquid de illis canere instituisset, id Dei legem, vitaeque institutionem appellare non veritus fuerit. Audite, inquit, popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei.

{78.2} Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.

Obserua quid animus ad Dei iussiones exequendas inuitatus respondere debeat. Illud, opinor: Audiam quid loquatur in me dominus Deus. Qui non libenter audiat? Etenim loquetur pacem cum populo suo. Interim tu, o benignissime, aperi in parabolis os tuum, loquere propositiones, aenigmataque ab initio occulta quae fuerant explana. Quid hic significant parabolae seu prouerbia, in quadragesimonono psalmo exposuimus: nempe dictiones, quae grauissimis refertae sint sententiis: aenigmata uero, quae arcana paucisque nota contineant mysteria. Huiusmodi quidem loquutionis genere Christum in terris usum fuisse testatur Euangelium. Sed il-

[illud]

{pdf 584, p. 284}

-lud terrificum: Ideo, inquit, in parabolis loquar eis, quia uidentes non uident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. hoc est, indigniores sunt, quam ut eos apertiori erudiam doctrina, quemadmodum uos facio, quibus datum est noscere mysterium regni coelorum: illis autem non ita. Commemorabo, inquit Paraphrastes, quae fabulae uideri possint, nisi uere constaret superioribus seculis contigisse ea.

{78.3} Quanta audiuius & cognouimus ea, & patres nostri narrauerunt nobis.

Hebraeorum litera clarior est. Nam postquam Felix transtulit, loquar aenigmata, actutum alium sic incoepat uersum: Quae audiuius & cognouimus illa. Quo modo

uero ea, quatenus homo, atque cum eo caeteri, audierit, cognoueritque Christus, aperit dicens: Et patres nostri narrauerunt nobis, quasique per manus tradidere. quanquam istiusmodi locutionis genus, ut caetera quae in mente patris uersantur, unigenito tantummodo perspecta sunt, & quibus uoluerit ipse, etiam absque hominum ministerio, reuelare. Verum ut potuere res obstrusissimae detegi.

{78.4} Non sunt occultata a filiis eorum in generatione altera, narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia quae fecit.

Ex quo, ait, patribus Dei innotuit potentia, ac per donorum copiam munificentia, hi subito filiis eadem longa aetatum serie non occultarunt, narrantes nimirum Dei laudes, uirtutem, uimque stupendam prodigiorum, ac cuncta demum mirabilia, quae in electorum gratiam semper operatus est. Hebraei tamen alio hanc literam legunt sensu. Sic Fel. Non occultabimus a filiis eorum in generationem nouissimam. Et est gratissimi animi institutum. Audiuius, inquit, a patribus. Audiere & caeteri post eos filii, ac nepotes. Ita neque nos successuris eadem inuidebimus posteris, sed narrabimus Dei laudes, & miracula, signaque beneuolentiae patris ingentia & antiqua, non eos celabimus. Sic ipse filius ad patrem loquitur: Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.

{78.5} Et suscitauit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel.

Quanta mandauit patribus uostris nota facere filiis suis.

{78.6} Ut cognoscat generatio altera, filii qui nascentur & exurgent, & narrabunt filiis suis.

Et suscitauit: ex hebraeo, statuit, uertunt. Porro testimonium hic & legem non absurdum erit opinari illud esse, quod antea dixerat se enarraturum filiis, quod ipse a patribus acceperat: id enim a Deo tanquam lex aut testamentum priscis olim patribus fuit traditum. Unde illud est in Deuteronomii libro: Ne obliuiscaris uerborum, quae uiderunt oculi tui: docebis ea filios ac nepotes tuos. Vide legem de promulgandis Dei beneficiis sancitam. Ait itaque: Et statuit, sanciuoque legem filiis Israel, ut nota facerent filiis suis, ea quae ipse mandauit patribus, ne non scirent posteris, qui & ipsi suis enarrarent filiis, filii item nepotibus.

{78.7} Ut ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant.

En aenigma, en problema mundanae addictis felicitati inenodabile. Ecquis ex illis persuasum id habet, totam illorum spem, humanis interim abiectis praesidiis ac deliciis, collocandam esse in Deo: & eo quidem, qui sapientissimo suae prouidentiae consilio suos nonnunquam deserere uidetur amicos? Idcirco igitur crebram suae erga nos beneuolentiae memoriam inter nos esse uoluit: neque id solum, sed etiam pro lege, inuiolabilique testamento ac foedere decreuit esse, ut quemadmodum nos a patribus aeternam Dei erga homines semper extitisse accepimus charitatem, ita & nos filiis eandem ipsam nunc esse, & copiosorem, praedicemus: cuius uirtute excitati aliquando, suauissimis illius condiscant obtemperare mandatis. Et id propterea,

{78.8} Ne fiant sicut patres eorum generatio praua & exasperans, generatio quae non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus eius.

Et non fuit fidelis cum Deo spiritus eius, uertit Felix. Item, direxit, stabiliuit transtulit. Miraculi loco haberi potest, filios cernere morigeros, & sub bellacibus patribus & rixosis, quietos: ut olim patres fuerunt antiqui Iudaeorum in solitudine uasta illa post fugam Aegypti, de quibus sic queritur suos alloquens Dominus in psalmo: Nolite obdurare corda uestra sicut in exacerbatione secundum

{pdf 585, p. 284v}

diem tentationis in deserto, ubi tentauerunt me patres uestri, probauerunt, & uiderunt opera mea. Quanta enim fuerit in Deum illorum peruersitas & ingratitude, notior res est quam ut illam multis contra commentariorum legem persequar. Narrate, inquit, filiis ipsis uestris, illisque uel usque ad fastidium inculcate, quam beneficis semper antiquis fuerit coelestis pater: contra uero, quantum illi ipsi pertinaciter rebelles & contumaces: ne & ipsi suis fiant consimiles patribus, nempe generationi prauae & adulterae, cuique nunquam quod rectum est placuit, nec unquam ex animo mihi credidit, ut ex illis quae dicturus sum pernosci poterit. In primis enim

{78.9} Filii Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.

Filii Ephrem, sunt posteri illius, qui & filii Ephraim appellantur, qui fuit filius Ioseph Hos in hoc loco pro toto populo Israelitico sumi uolunt doctiores, ob id quod homines illius tribus, cui Sylo ciuitas contigerat, in qua sedes fuit arcae, idcirco & religionis, caeteris arrogantiores fuere. Quem sane tumorem atque audaciam non diutius dissimulans Hieroboam, qui ex illa fuit tribu, uel eo maxime quod eum constituerunt regem super omnem Israelem, nec secutus est quispiam domum Dauid, ut narrant historiae, praeter tribum Iuda solum, bellum mouit contra Abiam regem Iuda, nempe tribus a Deo electae ad regnum. Duo hic itaque tangit Vates: tum rebellionem decem tribuum, de quibus triste illud est Esariae elogium: Vae coronae superbiae ebriis Ephraim, & quae duce Hieroboam in Iuda tribum mouerunt arma: tum illorum calamitatem, in quam spreto Deo, atque eius religione, inciderunt: nam inito bello cum tribu illa duce Abia, perterruit Deus Hieroboam, & omnem Israelem qui stabat ex aduerso Abia & Iuda. Percussit ergo illos Abia & populus eius plaga magna, & corruerunt uulnerati quinquaginta millia uirorum fortium: humiliatique sunt filii Israel in tempore illo. Superbiae nimirum immensae illud fuit indicium, diuinas uelle pollicitationes de regno Iuda aeterno infringere. Vnde ante belli congressum Abias e montis apice sic hostes alloquitur: Num ignoratis quod dominus Deus Israel dederit regnum Dauid super Israel in sempiternum? Siue igitur ad bellum illud impium, siue ad bella alia contra alios intellexeris, a Vatis mente non eris alienus. & est sensus: Filii Ephrem intendentes, siue armati lanceis, ut uertunt ex Hebraeo, & arcu, hoc est, suis magis uiribus atque armis fidentes quam Deo, in fugam uersi turpissime occubuere. Quid mirum? factus est Ephraim, ut ait Oseas, quasi columba seducta non habens cor. Conuersi itaque in fugam sunt in die belli, quoniam

{78.10} Non custodierunt testamentum Dei, & in lege eius soluerunt ambulare.

Ecce totius indignationis Dei, atque irae contra homines, ratio & summa, Neglectus religionis. Fregerunt, inquit, foedus, corruerunt testamentum, legemque meam ultro auersati sunt. Quid scelestius inter homines committi unquam potuit, quam sacrosancta uiolare testamenta? pacta abolere? & leges demum urbium non servare? Nulla his quidem, qui sic agunt, statui potest mulcta, quae tam graue queas aequare crimen. Sunt tamen pactorum conuentorumque uiolatores, sunt testamentarii, falsarii, diplomatumque, & ut uocant, instrumentorum contractuumque corruptores, qui non solum a ciuium conuictu, ut lex iubet, non arcentur, poenisque afficiuntur, sed etiam (malum) de aliorum bonis & fortunis, tanquam de profligatis hostibus, triumphant, atque inter primates rerumpublicarum ambitiosissime collocantur, seu sese potius obtrudunt. Heu sortem miseram Israelitarum, quid nostra? Non foedus initum cum Deo in lege, in ritibus, in cultu, in religione, in baptismo, in uotis, in sacramentis, in fidei professione, seruauerunt: sed a lege, a Deo, a uita, a pietate, sponte sua auersi,

{78.11} Obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium eius, quae ostendit eis.

Deus, ait, illis, illorumque patribus tot tamque stupenda quotidie ostendit beneuolentiae signa, ut nonnulla ex grauioribus commemoraturus sim. Illi uero contra, omni abiecta illius memoria, nihil minus cogitarunt, quam ut grati essent. Ergo

{78.12} Coram patribus eorum fecit mirabilia terra Aegypti, in campo Taneos.

{pdf 586, p. 285}

Perstringit breuiter miracula aedita in Aegypto, cuius regia ciuitas Tanis fuit, agri sane fertilis & opimi. De illius regionis primatibus sic loquitur Esaias: Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. Prouinciae itaque in primis, & loci, in quo mira illa & uulgatissima sunt aedita portenta coram rege, ne dubiam rem afferre uideretur, mentionem facit.

{78.13} Interrupit mare, & perduxit eos, & statuit aquas quasi in utre.

Mira res, tam uastam aquarum molem arcte adeo coactam, ac si in utre collectae essent. quanquam non utrem, sed cumulum uertunt nonnulli. Paraphrastes uero: Stare iussit aquas natura sua fluidas, tanquam molem marmoream. quod idem est quod in Exodi libro legimus: Erant illis aquae ceu murus a dextris & sinistris. De diuisione autem maris sic loquitur Moses: Abstulit illud dominus flante uento uehementi, et urente tota nocte, et vertit in siccum.

{78.14} Et eduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis.

Dominus, inquit Moses, praecedebat eos ad ostendendam uiam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. Euidenti

ne unquam fuit summae Dei in populum illum dilectionis signum? Verum illa omnia nescio quid occultioris portendebant mysterii. Futurum quippe erat, ut Ecclesiae filii non solum maris aquis, uerumetiam nube gratiarum, atque igne spiritus baptizarentur. Idcirco sic de Christo concionabatur Ioannes: Ille uos baptizabit igni, & spiritu sancto. Qui sane ignis eousque sua in Ecclesia ardens erit, quoad eius quicquid antiquae uitae in eam protrusit Adam, exurat, subcrescantque illa quae nouissimi sunt Adae. de quo sic Vates ille: Si abluerit dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicii, & spiritu ardoris: & creabit nubem per diem, & fumum, & splendorem ignis flammantis in nocte. Hinc clamat Paulus, omnes in nube & mari baptizatos esse. Cui & illud quod sequitur mirabili respondet artificio:

{78.15} Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos velut in abysso multa.

{78.16} Et eduxit aquam de petra, & eduxit tanquam flumina aquas.

Bis repetit confractae petrae miraculum, e qua maxima aquarum dimanauit copia, quoniam bis aquis indiguit populus, & murmurauit contra dominum: & tamen petra illa quae erat Christus, iniuriarum prorsus immemor, illorum obtemperauit uoluntati, ne dicam libidini. Proscidit, inquit, petram alioqui sicca & aridam, in loco sterili atque infoecundo, ut sunt fere solitudines, quae tam copiosam uiuae aquae effudit abundantiam, ut non riuum aut amnem, sed fluuium, profundamque abyssum dixisses, De exundanti illius petrae beneficio ita loquitur Moses: Cum eleuasset Moses manum percutiens bis uirga silicem, egressae sunt aquae largissimae, ita ut populus biberet, & iumenta. Et quidem aptissimo usus est uerbo interpretis, adaquauit, quod proprie de armentis & pecudibus dici solet. Fuerint ne homines, seditiosissimi illi murmuratores, an pecora, uix diffinire ausim: ut nunc quoque de quibusdam non audeo, qui copiosissime e Christi latere epotati, ingratis omnium existunt, quibusque etiamnum nulla apparet in die nubes, aut fax in nocte, sed omnia illis in eremo hac uitae arida, & solitudine, obscura sunt, horrida, inamoena, meticulosa. Nullo quippe spiritus haustu affecti, sicciores quam ipsae sint cotes, effecti sunt. Ideo de illis, quod de iurgioso populo illo asserit Vates, non inconuenienter dici poterit,

{78.17} Et apposuerunt adhuc peccare ei.

Nihil his omnibus, inquit, facti sunt meliores, utinam non deteriores: utinam peccata peccatis addentes, non magis reprehensibiles extitissent, quam cum nullo affecti erant beneficio, Hem audaciam hominum. Vide quid inferat:

{78.17} In ira excitauerunt excelsum in inaquosa.

In solitudine, siue in torrido, uertunt ex hebraeo. Nescio quidem an id peccatum dici queat, an amentia potius & socordia, Deum audere contumeliis lacessere, atque ad iram prouocare. Quid istuc tandem est?

{78.18} Et tentauerunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.

{78.19} Et male loquuti sunt de Deo: dixerunt, nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?

Animabus suis, melius ex Hebraeo uertisset, cupiditati suae, uel, pro sua libidine: fere enim in hoc significato utitur interprete dictione anima, ut in superioribus psalmis annotauimus. Flagrarunt quidem intolerandum in modum desiderio edendi carnes in eremo filii Israel: unde uox illa diffidentiae audita fuit, Quis dabit nobis ad uescendum carnes? anima nostra arida est: nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Qua de re iratus dominus, percussit eos plaga magna nimis, uocatusque est ille locus, Sepulchra concupiscentiae: quae sane uox ad illa quae de cupiditate diximus, quamoptime quadrare uidetur. Caeterum uolunt tentationis hic uocem illud praetendere, cum manifesto quis Dei contemptu atque illius pollicitationum irrisione, uirtutis illius periculum facit: quemadmodum rebellis ille populus non semel Deum tentauit, cum alias in solitudine, tum in Raphidim maxime ad petram Oreb, cui nomen inditum tum fuit Tentationis ac iurgii, quia tentauerunt, ut inquit Moses, dominum dicentes: Est ne dominus in nobis, an non? quasi diceret uulgus illud uilissimum: Cur frustra, o Moses, tam magnifica de Deo praedicas? quo sua illa abiit de nobis cura, quam tu perpetuam fore nobis, nostrisque posteris toties pollicitus es? Das nobis ne uerba, an tanquam muta pecora per uastam hanc solitudinem temere uagari facis? Si nos amat Deus, quod uix credimus, cur aquae inopia nos tandiu affligi sinit? utinam in Aegypto mortui fuissetis. Poterit ne is, quem tu tam nobis beneuolum iactitas, & potentem, instruere conuiuium, in hoc praesertim deserto, in quo rerum omnium summa est penuria & egestas? usquequo blandissimis istis tuis nos lactas pollicitationibus? Stolidam profecto generationem & infidelem, ne dicam impiam. Scilicet,

{78.20} Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquae, & torrentes inundauerunt: nunquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?

Verba sunt (ni fallor) Vatis, populi murmurantis temeritatem reprehendentis, ad hunc fere modum: Nuper mirabilem Dei uirtutem in eliciendis e duro saxo aquis experti estis, quid iterum an queat lautam in solitudine parare mensam dubitatis? heu mentes caecas. Hunc sensum a Paraphraste afferri uideo, qui sic reddit: Miranda profecto caecitas illorum: qui enim elicere potuit illis uidentibus ex petra aquas tanta copia ut iustos fluuios aequarent, de illo dubitant, posset ne carnem praebere populo, quem sibi tam miraculose asseruit. Verum & qui haec uerba ad populum illum referunt, de quo id legimus, Ortum est murmur populi quasi dolentium prae labore contra dominum, audiendi sunt: uolunt enim mirabilem incredibilemque his uerbis populi illius exprimi impietatem, qui Dei uirtutem in excutiendis aquis e petra non ita pridem expertus, quasi quae facta fuerant irridendo, dubitat an sibi uelit Deus suis iterum in necessitatibus opitulari. Idcirco in amarissima illa, summaeque indignationis plena prorupit uerba: Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? quod quidem cum neglectu legendum est: quasi diceret, populo, quem suum esse simulat. Caeterum panem, non Man hic intelligit, quod iam pridem depluere coeperat dominus, sed cibum alium uulgarem: quare nonnulli cibum transtulerunt pro pane.

{78.21} Ideo audiuit dominus & distulit, & ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israel.

Quid sibi uelit interpres in uerbo Distulit, non satis mihi compertum est. Ex Hebraeo uertunt, iratus est, uel huic simile. Idem Symmachus. alii item e graeco, reiecit. Duplicem hic a Vate describi mulctam arbitror: incendii unam, qua extrema castrorum pars, cum de uiae labore conquererentur, absumpta fuit. Alteram, qua saeuiente, datum est nomen loci, ut diximus, Sepulchrum concupiscentiae. Ob id igitur commotus dominus grauissime excanduit, exarsitque mirum in modum ira in filios Iacob, ac mire admodum ipsissimos deuastauit Israelitas, nempe homines ingratisimos, ac sua culpa reiectos. Bis idem dicit in uno uersu, quo quanti momenti populi illius perfidia extiterit, non ignoretur. Cum audisset, inquit, Moses, iratus est, & accensus in eos ignis domini, deuorauit extremam ca- [castrorum]

{pdf 588, p. 286}

-strorum partem. Quid illud? Et ecce furor domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.

{78.22} Quia non crediderunt in Deo, nec sperauerunt in salutari eius.

Ecce tota exitii humani generis, non solum Iudaeorum, summa, & causa, defectus scilicet fidei. Quia non crediderunt, inquit, in Deo. Quam amplius hic patet campus Mosi (si quis tamen Moses in terris est reliquus, aut Aaron) de nonnullorum expostulandi Christianorum incredulitate. Vidimus enim nos omnes per Christum expoliata Aegyptum, Aegyptiosque una cum principe huius mundi ui aquarum deterritos, metuque exanimatos, atque a tyrannide, saeuoque animarum imperio eiectos, imo extinctos. Sensimus nubem aestum hunc carnis refrigerantem, ignemque inter errorum tenebras interlucentem experti sumus: manu item tetigimus, e saxo illo dudum nostram ob culpam durissimo cordis Christi, qui lapis est uiuus, undas, amnes, fluuios, Oceanum tandem gratiarum effluxisse, e quo & nos, & sensus hi nostri bruti, nempe iumenta spiritus fraeno obluctantia, epotati, mensa deliciis sacramentorum refertissima quotidie utimur, & nihilo tamen secius in fide nutamus, nihilque minus credimus, quam nos Dei curae esse. Quod si contendunt quidam, se fide nixos omnia in Deo posse: ubi, oro, illorum sunt fidei indicia? ubi fructus? ubi mutua, quod fundamentum est fidei, charitas? Nisi forte malint fidei fructus ac spiritus nuncupare, quos opera carnis appellat Paulus. Adhuc (crede mihi) uastam peragrant solitudinem ingrati Hebraei: adhuc Aegypti carnes desiderantur: adhuc vivunt murmuratores in Mosen & Deum. Non igitur ingrati illi homines, quantumuis alias experti essent Dei benignitatem, ex animo crediderunt Deo, neque illius sunt pollicitationibus confisi. Ergo occultissima ratione ab illorum tutela semovit se custos. Sed interim, quae est illius patientia, dissimulavit nonnihil iniurias

{78.23} Et mandavit nubibus desuper, et ianuas coeli aperuit.

Vides ne rerum exuberantiam in Deo? nonne hic tibi uidetur totum exhauriri coelum, atque quicquid bonorum in illo est, in perfidos nescio quos effundi? quid si boni essemus? Iussit, inquit, nubibus in sublimi supra eos pendentibus, easque, tanquam superne coelorum ostia reserasset, rupit:

{78.24} Et pluuit illis manna ad manducandum, & panem coeli dedit eis.

Stupenda res.

{78.25} Panem angelorum manducauit homo, cibaria misit eis in abundantia.

In enarranda miraculorum serie non suum seruat ordinem Vates: nec quidem opus est, modo quae acta sunt, non omittat. Panem coeli, frumentum coelorum uertunt ex hebraeo: qua uoce cibi illius dignitatem exprimere uoluit, Man uocans coelorum triticum, ac paulo post angelorum panem: non quod simili uescant edulio beatissimi illi spiritus, sed quia e coelis, ubi illorum est domicilium (quanquam hi corporum expertes loco circumscribunt nullo) descenderit. Sunt qui panem robustorum, seu heroum, seu nubium quoque, transferunt: quam quidem ultimam uocem ex eo quod dictum est, & mandauit nubibus desuper, aptius legi posse asserunt. Tamen, si res altius peruestiganda foret, lexque commentariorum permetteret, primam atque alteram spiritui magis prophetico conuenire dicerem, utpote robustorum cordium illorum, qui non iam homines, sed heroes, diique in terris, ob diuina fidei passionem, quae secum fert Christum, gratiam adumbrantes. Non Man igitur, sed quod Man respexit, intuendum esset. Quod sane non intellexisse antiquos Iudaeorum proceres in eremo, queritur Moses in Deuteronomio. Cibauit te, inquit, manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Idcirco Christus se signans, ita de manna apud Iudae os edisserit: Non Moses dedit uobis panem de coelo, sed pater meus dat uobis panem de coelo uerum. Panis enim uerus est qui de coelo descendit, & dat uitam mundo. Ex his tandem ob stupescentibus Iudaeis, & discipulis rem tota breuiter exposuit, dicens: Ego sum panis uitae. Christus itaque in Man illo ueteri quaerendus est, qui robustarum uerus est cibus mentium, atque angelorum, quos continue a Christo etiam ut homine purgari, perficique & illuminari scribit Areopagita. At quantae fuerit efficaciae cibus ille coelestis,

{pdf 589, p. 286v}

aperit Vates. Cibaria, inquit, misit illis in abundantia: hoc est, ad satietatem. Comedatis, inquit dominus, non uno die, nec duobus, uel quinque, aut decem, nec uiginti quidem, sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares uestras, & uetatur in nauseam. Nec falsus quidem fuit dominus: nam haud multo post, tam suauem angelorum cibum pertaesa gens illa iam Deo fastidita, submurmurauit dicens: anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Verum dominus non propterea a tam uilium hominum cura desistens,

{78.26-27} Transtulit Austrum de coelo, & induxit in uirtute sua Aphricum, et pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris uolatilia pennata.

De largissimo auium munere coelitus emisso sic loquitur Moses: Ventus egrediens a domino, arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra itinere quantum uno die confici potest ex omni parte castrorum per circuitum. Vnde infert Dauid:

{78.28} Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.

Tabernacula uocat conopoea, & papiliones, quibus usi sunt Hebraei in solitudine. Caeterum Auster, quem dominus transtulisse seu mouisse in coelis, ut uertit Felix, asserit Vates, a meridionali fiat plaga, Aphricus ab occidua. Ventorum hic ui euctas intellige coturnices, quarum donum non tantum celebrare intendit Vates, quomodo uidelicet allatae fuerint, quantum illorum impietatem detegere qui acceperunt, quique tot tamque innumeris affecti coelitus beneficiis, a murmuratione tamen atque oblocutione in Mosen & Deum non cessarunt.

{78.29-30} Et manducauerunt, & saturati sunt nimis: & desiderium eorum attulit eis, & non sunt fraudati a desiderio suo.

Nimia quidem accensi cupiditate edendi carnes, carnibus uel usque ad uomitum impleti sunt: nam quantum illorum effraenata appetiuit libido, tantum illis diuina obsecundauit indulgentia. quod est, quod hic dicit: Et non sunt fraudati a desiderio suo. Hebraeis tamen alius uidetur esse sensus. Sic Felix: Non habuerunt fastidio desiderium eorum, hoc est, ut ipse se interpretatur, non fuerunt alienati sua a cupiditate, in tanta nimirum carnum copia. Verum prior sensus aptior uidetur, ut ea sit quodammodo Dei ultionum maxima, cum impii quaecunque expetunt, assequantur. Heu rem flebilem, cum non sumus fraudati ab effraenatis desideriis nostris. Dimisit, ait alio in loco, eos secundum desideria cordis eorum. Non sane haec sunt tuae in nos beneuolentiae signa, o domine, sed irae, sed furoris, sed extremi nostri interitus & damnationis. Errone? Ex his enim quae in plebem illam murmuratricem acta sunt, mihi, si id contingat, subuereri cogor. Quid illa?

{78.30-31} Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues & electos Israel impediuit.

Immensam haec prae se ferunt uerba illius populi ingratitude, ac Dei ultionem. Quid ingratus, oro, quid turpius, ac magis detestandum, quam in medio ipso beneficiorum usu & copia, beneficiarium in benefactorem murmurare? Adhuc, inquit Moses, carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor domini concitatus in populum. Dauid uero: Et ira Dei ascendit super eos, occiditque pingues, robustissimos scilicet quosque, ac florem iuuentutis qui erat inter Israelitas prostrauit quam sane nobilium internecionem ostendere uoluit Moses, cum ait: Percussit eum plaga magna nimis quod enim noster habet interpres, Electos Israel impediuit: nonnulli uertunt, Iuuenes Israel humiliavit. Porro pingues in scripturis, pro potentibus honoratis, pontificibusque, senibus, atque omnibus his, qui in mundo alicuius numeri sunt ac nominis, usurpari solent. Quorum quidem si sua illi abutuntur pinguedine, typus fuit Agag res pinguissimus Amalechitarum, aut Aeglon Moabitarum. Putas ne uisa

tam immani suorum strage, reliquam uulgi multitudinem resipuisse? Num credo. Proinde uide quid infert spiritus:

{78.32} In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius.

Mira sane res est, & stupenda, cum ferrum ex limae dente rubiginem contrahit. His,

{pdf 590, p. 287}

inquit, omnibus nihil adhuc facti sunt cordatiores, sed quotidie peccata peccatis accumulantes, non crediderunt in mirabilibus eius. Nanque tot aeditis in eorum gratiam miraculis, totue effusis e coelo donis, neque sic sese diuinae credebant bonitati. Idcirco aequissimo Dei iudicio ad interitum properauere.

{78.33} Et consumpsit in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione.

Pertransierunt scilicet. Clarius tamen ex Hebraeo uertunt: Et consumpsit in uanitate dies eorum, & annos eorum cum horrore. Ad nihilum, inquit, redegit illorum uitam, atque annos horribiliter consumpsit. quanquam nec uocem festinationis, ab re positam arbitror. Siquidem uiros impios, suos non dimidiaturos dies, a coelesti audiimus oraculo. At iam ex his quae sequuntur, populi illius leuitatem, uisa ingratitude, consideremus.

{78.34} Cum occideret eos, quaerebant eum, & reuertebantur, & diluculo ueniebant ad eum.

Is mos est improbis, atque in peccato induratis, ut si quando ad iustitiae semitas per flagella reuocantur, tandiu peccati illos pudeat, pigeatque, quandiu fortuna aliqua aduersa afficiuntur: qua sane postea aut mitiore reddita, aut ablata omnino, ad ingenium statim redeunt, deteriores interdum facti, quam prius fuerant. Eo plane more usi sunt Hebraei in solitudine, quorum anxium in plagis animum aptissime exprimit Propheta, cum ait: Et diluculo ueniebant ad eum. hoc est, non expectabant diei lucem, sed die noctuque anxii & timidi, ad diuinum summo animi terrore confugiebant praesidium.

{78.35} Et rememorati sunt quia Deus adiutor est eorum, & Deus excelsus redemptor eorum est.

{78.36} Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.

Obserua illorum religionem qui timoris affectu ducuntur, non amoris. Etenim qui dilectione in Deum fertur, in fide sui semper similis est: qui metu, dissimilis: & quemadmodum in fide, ita in omnibus tum factis, tum dictis, inconstantissimus. Recordabantur, inquit, percussi eundem ipsum esse Deum in praesentia, qui & alias, fortem nimirum ac pium. Haec quidem afflicti fatebantur, uerum non ex animo: nam summis labiis religionem profitentes, mellitis quibusdam Deo ueris blandiebantur, aliud

sane quam quod in corde celabant, proferentes: quandoquidem sancta, religionisque plenissima, uerbis ostentabant.

{78.37} Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius.

Innumerae quodammodo fuere illorum pollicitationes in firmando cum Deo foedere, in scripturis: sed ne semel quidem perstiterunt bona fide in pacto, quod cum illo pepigerant. Corde quippe duro ac peruerso cum essent, qui pactis cum Deo initis sincero parere animo potuissent? Hinc credo concludi posse, mendacem, fictumque, ac simulatorem, nullatenus seruire posse Deo, atque illud seruare foedus, quod teste Ecclesia, cum Deo ipso animosissime percussit in baptismo. Sit ille quantumuis religiosus, si simulator est, & duplex, in illorum numerum censi debet, de quibus hic queritur Vates, dicens: Cor eorum non erat rectum cum Deo, nec fideles habiti sunt in testamento eius, foedere nimirum cum illo percusso, ac lege. Attamen quamuis illi essent, quales paulo ante fuisse diximus,

{78.38} Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos.

Quis hic imperscrutabilem paternamque diuinae largitatis copiam non miretur? quamlibet enim profligati sint homines, ac Deo rebelles, non propterea uti sues ab Ecclesia eiiciendi sunt. Siquidem tantus est aeterni patris in homines quamuis scelestos & nefarios, amor & beneuolentia, ut nemo sit, qui tam immensum bonitatis pelagus peccando aequare ualeat. En tentauerunt me, inquit, iam per decem uices. Illud quoque: Usquequo multitudo haec pessima murmurat contra me? Non sunt haec quidem, mi lector, uerba tyranni irati atque inexorabilis, sed amantissimi, licet commoti, animarum parentis. Ipse quidem non tam illorum merita, quam seipsum intuens, debita illis omnia non semel dimisit: idcirco illos funditus nequaquam subvertit.

{78.38} Et abundavit ut auerteret iram suam, et non accendit omnem iram suam.

{pdf 591, p. 287v}

Abundauit, ex hebraeo uertunt. Multus, seu totus, in eo fuit Deus. In quo? ut iram suam auerteret. In hoc igitur totus fuit Deus, ne irasceretur. quare sic uersum reddidit Paraphrastes: Maximo studio quasi uim faciens sibi, continuit iram suam: nec re ipsa ostendit, quam merito etiam furere posset in eos. Quid illud? (patris est clementissimi, qui contra filium iratus, ne nimium excandescens mulctandi modum excedat, quempiam, qui eum contineat, optare, assurgereque in uerba cunctanter tardeque, quo ex intuentibus quis manum reprimat) Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deileam eos. Vide rursus aliam ueri pastoris in Mose effigiem: Aut dimitte eis, inquit, hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Rident haec, scio, nostri temporis antistites quidam, qui quoniam tenuissimo afficiuntur spiritus gustu ac doctrina, quid non de hoc ardenti Mosis affectu & desiderio disputant? atque ne, uti res est, intelligat, in frustra adeo concidunt & attenuant, ut pene Mosen ficte cum

Deo locutum, ni prudens sis, asseras. Idem quoque de Pauli anathemate somniant. Suam itaque, ne ut meriti erant excandesceret, cohibuit iram benignissimus dominus,

{78.39} Et recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens.

Mirum si magnam ualde hic uim arbitrio concedas. Spiritus, inquit, in homine erraticus est, uagus, suaque sponte ad lapsus properans: ad innocentiam uero, propter naturae debilitatem, regredi, id iam suae non est facultatis, sed gratiae. Huiusce quidem mysterii typus fuit ouis illa euangelica, quae naturali suo impetu a reliquo aberrans grege pii pastoris opera, atque humeris, non suo conatu & uirtute ad gregem relata est. Potest quidem homo ex se a Deo discedere: in gratiam uero illius redire, atque illi reconciliari, iam eius est iuris qui offensus est. Unde clamat Salomon: Omnes qui ambulant in ea (nempe peruersitatis uia) non reuertentur. Spiritus igitur hominis, qui carni, atque illius appetentiis ultro obtemperat, illisque uelit nolit, obnoxius est, procul errat, sed non regreditur ex sese, idcirco fragilis est & caducus. Qua quidem re optime ab ipso rerum omnium effectore cognita, ad misericordiam facile tum motus est.

{78.40} Quoties exacerbauerunt eum in deserto, in iram concitauerunt eum in inaquoso.

Rursum, in inaquoso, in torrido, seu in solitudine, quae naturaliter aquis caret, uertunt Hebraei. Crebro inculcat Vates Deum, alioqui motibus huiusmodi animi uacuum, ad iram ob continuam populi illius impietatem concitatum: quae quidem ut patientius etiam nobis, in quos signa illa admiranda, quae connumerare intendit, directa erant, innotescant, nonnulla ex illis quae tum gesta fuere, subnectit, non eo tamen ordine quo acciderunt. Nanque in his recensendis, ut diximus, non tantum ea est cura Prophetarum, ut aut ordinem, aut numerum gestorum concinnat, quantum ut Hebraeorum impietatem arguat, qui Dei beneficia iniuriarum cumulo superasse pene uisi sunt. Plena quidem sacra est lex, quam toties, quam ex animo, quam malitiose Deum irritauerit in deserto uulgus illud seditiosum: rursus, quam saepe fregerit pactum, quo sese, quaecumque praecepisset dominus, observaturum astrinxerat. Exasperarunt igitur Deum multoties, multifariamque in eremo, atque illum (sic vertit Felix) contristauerunt in solitudine.

{78.41} Et conversi sunt,

Nempe a fucata illa sua a malis resipiscentia, ad ingenium, ad antiquam murmurandi consuetudinem, ad malum animum, ad impietatem.

{78.41} Et tentauerunt Deum, & sanctum Israel exacerbauerunt.

Quem multis nominibus colere debuerant, cum ob multa, tum quia is est qui uniuersam Israelis multitudinem, modo uelit, sanctam facit, spreuerunt, ad iracundiamque prouocarunt. Ex hebraeo, circumscripserunt, uertunt pro exacerbauerunt: hoc est, illius potentiae terminos praescribere. Unde Paraphrastes: Iterum tentare sunt conati, quam ipse potens esset Deus, & metiri potentiam eius qui sanctificat Israel: quaedam enim posse illum credebant, sed non omnia.

{78.42} Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis.

{pdf 592, p. 288}

En totius ingratitude ratio & summa, beneficiorum scilicet obliuio. Parum ne fuit illos a seruitute illa infami atque intoleranda Aegypti, tam ingemi miraculorum potentia (haec fuit manus Dei) eximi? Tam nobile tamen atque operosum facinus a memoria reiicientes, ne tempus illud quidem, quo erepti fuere de manu hostili, recordari poterant.

{78.43} Sicut posuit in Aegypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos.

Non sunt, inquit, recordati, quemadmodum manifestissima suae diuinitatis signa in eorum gratiam, per totam regionem Aegypti, etiam in campo illo amoenissimo omnium & fertili Taneos, ubi regia est Aegypti, portentosissime ostendit: atque in primis quando

{78.44} Convertit in sanguinem flumina eorum & imbres eorum, ne biberent.

{78.45} Misit in eos Cynomyam, & comedit eos, & ranam, & disperdidit eos.

{78.46} Et dedit aerugini fructus eorum, & labores eorum locusta.

{78.47} Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.

{78.48} Et tradidit grandini iumenta eorum, & possessionem eorum igni.

Hic rursus admonendus est lector, ne miracula eo, quo aedita sunt, ordine requirat: nanque ea uati nequaquam mens est: sed illa, ut duritiem populi, atque animum ferum, ex ui miraculorum metiamur: caueamusque, si sapimus, ne & nos, ut inquit Paulus, in id incredulitatis incidamus exemplum. Signa quidem huiuscemodi, cuius, quantaque uirtutis, aut quo tempore facta sunt, nil tam accurate scribit Moses in Exodo. Caeterum flumina, more hebraeo, pro Nilo, qui solus totam inundat Aegyptum, hic poni scias. quanquam te id latere nolumus, Aegyptum fossis quaquauersum Nili riuos recipientibus, intersecari, ut ubique nauigabilis sit. has fossas igitur, propter illorum latitudinem, atque aquarum fluxum, flumina appellari non inconueniens erit. quod sane ex hebraeo facile intelligi potest: nam quod nos legimus imbres eorum, illi riuos eorum habent. Porro Cynomyae uox, etsi huc quadrare uidetur, utpote quae sit muscarum omnium molestissima, ea tamen dictio Hebraeis nescio quid efficacius prae se fert, nempe omne genus muscarum & uolatilium seu insectorum commistum. quare ex hebraeo sic quidam uertunt: Misit in eos mistionem, & uorauit eos: & ranam, & uastauit eos. Ad haec, aeruginis dictione quid sibi uelit interpretes, non sat coniecto, cum uox illa Hebraeis sit bruchus, animal sane minutum, sed herbis mirum in modum infensum, ac locustis dissimile. Moros item Hebraeis sycomoros est, uel ficus simpliciter, quibus abundat Aegyptus, maxime ad Nili ripas. Aiunt tamen morum in Libya nasci, quae fructum fert, quem sycomorum appellant. In pruina, nonnulli lapides maiores grandinis interpretantur, idcirco quod ea in plaga de tempestate omnia late depopulante loqui uidetur Moses. Chaldaeus uero, carbonem ignis reddidit. Et tradidit, melius ex Hebraeo, conclusit: ut uniuersalem grandinis tyrannidem, ut sic dicam, in iumenta & pecora, intelligamus. Caeterum, possessionem eorum igni, sic uertit Paraphrastes: Quicquid

possidebant, carbonibus ignis, qui cum grandine permisti contra naturam fuerant, absumpsit. quanquam ex hebraeo, greges eorum, non possessionem eorum, uertunt nonnulli Quid in multis, inquit, immoror?

{78.49} Misit in eos iram indignationis suae, indignationem & iram, & tribulationem, immissiones per per [sic, repeated] angelos malos.

Quid hac exaggeratione pulchrius? quid ad demonstrandum iratissimi hominis affectum efficacius? Solet in primis Deus, si quid malorum irrogari cuipiam uoluerit, per angelos id malos exequi. etsi non me errare credam, si hic Vatem, communem dixero seruasse loquendi morem. Quaecunq; enim mala contingunt, ea a malo daemone, quippe qui malorum autor sit, inferri opinamur. Utcumque rem pensites, illud certum, has uerorum exaggerationes iusta in Deo iram exitisse atque indignationem, praedicare. Quare ita Paraphrastes: Ex calamitatibus, quibus affecit eos, colligi potest, quam serio illis iratus fuerit. Manifesta quippe erant irati Dei, imo vehementer irati signa, uexatio illa, & plagae, quales non solent ab hominibus.

{pdf 593, p. 288v}

quantumuis inimicis inferri: sed quales per angelos ab irato Deo immissos, ad flagellandos illos qui vehementer sunt scelerati. haec ille. Quis non paveret audiens Deum indignatione atque ira ardentem, nunciis qui mala inferre consuescunt, nostrum imperasse interitum? Certe tunc uisus est clementissimus Dominus toti irae laxasse habenas, ut in sequentibus quoque expressius tractatur. Ergo

{78.50} Viam fecit semitae irae suae.

Amplum nimirum erumpendae irae fecit aditum. Nullum tum passus est retinaculum Dei furor: effudit sese totus: adeo in omne genus facinorum proiecta gens illa fuerat.

{78.50} Et non pepercit a morte animarum eorum, & iumenta eorum in morte conclusit.

In pestem conclusit, legunt Hebraei, quae fuit quinta plagarum Aegyptorum, de qua sic Deus ad Pharaonem: Ecce manus meas super agros tuos, & super equos, & super asinos, & camelos, & oues & boues, pestis ualde grauis. Et mortua sunt, inquit, omnia animantia Aegyptiorum. Illud etiam, non pepercit, clarius forsan ex Hebraeo uerti poterat, non cohibuit. Quam sane hominum occisionem, eandem nonnulli esse uolunt, qua pecora peste interiere. Et sic ex Hebraeis uertunt quidam, irae suae iter faciebat, ut pestilentia cum ipsos homines, tum iumenta eorum inuaderet. Aliis item uisum est de decima edisseri plaga, quia actutum subditur:

{78.51} Et percussit omne primogenitum Aegypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

Fuit haec plaga caeteris acerbior: qua quidem saeviente, ortus est clamor magnus, ut inquit Moses, in populo Aegypti: neque erat domus in qua non iaceret mortuus.

Percussit itaque dominus omne primogenitum in terra Aegypti, a primogenito Pharaonis, usque ad primogenitum captivae, & omne primogenitum iumentorum: quod de occisis in agris uolunt intelligi: eam ob rem dictum tum fuit, manus mea erit super agros tuos. Nunc uero, primitias omnis laboris eorum interiisse asserit. In tabernaculis Cham, idem est, quod in domibus Aegyptiorum. Primus enim Aegypti habitator fuit Mizraim filius Cham. Unde in scripturis, quod nos legimus Aegyptum, Hebraei habent Mizraim, quae uox Aegyptum sonat. Et est cum indignatione pronunciandum, perinde ac si dixisset: In tabernaculis sceleratae Aegypti, quae tam sceleratum habuit autorem. His itaque in favorem populi sui gestis, Deus tandem decrevit tam funestis illius calamitatibus finem ponere.

{78.52} Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tanquam gregem in deserto.

{78.53} Et deduxit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.

Considera quam breuiter diuinam erga illos curam, atque hostium interitum perstringit Vates. Solet enim Deus tunc quidem, cum omnia desperata apparens. atque horrida, ut sunt pleraque in desertis locis, suis ire suppetias, ac non secus illos fouere & recreare, atque solet afflictos greges pastor sedulus. Quocirca non absque ratione hic dictum est a spiritu, quod migrare eos fecit tanquam oues ex Aegypto, suffocatisque in mari hostibus, securos eos, uti gregem consuescit pastor, deduxit per desertum. In spe, Hebraeis est, tuto.

{78.54} Et induxit eos in montem sanctificationi suae, montem quem acquisiui dextera eius.

Montem primo loco Hebraeis est, terminum, seu regionem, nempe Cananaeorum, in qua suum cultum, cuius maxima deberet esse sanctitas, erigi decreuerat. Is mons Sion est, quem propria ille uirtute & uoluntate (en felicissimum Ecclesiae fundamentum, Dei uoluntas: ne quis humanae plus quam par est attribuat dignitati) sibi asseruit, in regione nimirum Amorraeorum, quae montibus fere tota conspersa est. De terra hic promissionis loquitur, quam quid ni felicem, ac undequaque sanctitate insignem appellet spiritus, cum in ea futuri essent summi Dei sacerdotes, arca, lex, templum, ac sacra omnia? Nonne & idem modo de illius

{pdf 594, p. 289}

quoque sponsa, cui uetus illa praelusit religio, iactare possimus, quod sancta omnino sit, utpote quae Deo plena, nulla alia in sede commorari uelle uideatur, praeterque in sponsi sinu, in quo quicquid uirtutem, gratiarumque in terris esse potest, suum collocauit domicilium. Quam dignum factum est cor hominis.

{78.54-55} Et eiecit a facie eorum Gentes, & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis, & habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.

Hic enim mihi dicere uidetur spiritus, Iacob dilexit, Esau autem odio habuit. Fracti sunt rami, inquit Paulus, ut ego inserar. Verum illud me prorsus exanimat, cum quid de me futurum sit cogito. Vide, inquit, bonitatem, & seueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris. Hei mihi, quod non permansi in bonitate. Excidar ne ergo a fidei trunco? a uita? a Deo? Perpende, mi lector, quo modo fractis illis sterilibus Ammorraeorum ramis, insitus est Iudaeus: qui postea & ipse reiectus, amplum introeundi Gentibus formauit aditum. Putasne ultimos hos surculos excidi posse? non possint, attamen quae in mundo fieri contra foedus cum Deo initum uideo, subuereri me cogunt. Sed ad psalmum. Qua ratione funiculis messoriis, aut sorte, diuidebantur ab antiquis agri, alias annotauimus: nunc contis res illa praelongis, clauiculisque distinctis peragitur. Et est ac si diceret: Expulsis illinc impiis, immisit suos, qui illorum aedes tanquam haereditario sibi iure delegatas, inuicem partirentur: atque eo sane modo habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel, quod maximum fuit Dei beneficium, licet in ingratos collatum. Siquidem turgidiores ob id facti, spreuerunt benefactorem,

{78.56} Et tentauerunt, et exacerbauerunt Deum excelsum, et testimonia eius non custodierunt.

{78.57} Et auerterunt se, et non seruauerunt pactum, quemadmodum patres eorum conuersi sunt in arcum prauum.

De istiusmodi populo multa in Dei religione pollicente, sed nihil praestante, sic queritur Deus in Osea: Facti sunt quasi arcus prauus seu dolosus, qui nimirum ad eiaculanda spicula fabrefactus, acreque tensus, statim laxatur, fitque prorsus ad impellendam sagittam inhabilis. Ita plane fuere erga Deum Israelitae, ad seruanda percussa cum Deo foedera remissi & elumbes, cum tamen in promissis acerrimi extiterint sponsores: obruti fere beneficiis, non uicti sunt, sed acerbiores Indies effecti, suum, ut antea tum ipsi, tum ipsorum patres egere, tentauerunt exasperaruntque benefactorem, Deum illum quidem excelsum & potentissimum: tantum uero abfuit ut illius seruarent pactum & legem, quam se seruatuos olim sponponderant, terrificisque sese deuouerant diris, ut nihil minus tum cogitarent. Atque ita

{78.58} In ira concitauerunt eum in collibus sui, & in sculptilibus suis ad aemulationem eum provocauerunt.

Iam tandem suum ad finem peruenit errorum omnium maximus Dei obliuio. Simulatque enim peruersus animus huc atque illuc nefariis a permotionibus & consiliis diu raptatus est, in idololatriam tandem praecipitatur, qui finis est totius impietatis, atque in Deum odii. Ita (pro miserrimam animarum sortem) populo illi tam delicate a Deo nutrito contigit, qui diuinae oblitus beneficentiae, idcirco in reprobam traditus mentem, non semel in collibus atque excelsis lucis cum gentibus, diis factitiis & simulachris, Deo uiuo contempto, aras exemplo uicinorum pessimo construxit, litauitque, ac tum se tum liberos circa ignem summae impietatis argumento lustrauit. Ad aemulationem, clarius ex hebraeo uerti posset, ad iram. Vehementer irritauerunt eum, reddit Campensis. Eam ob rem

{78.59} Audiuit Deus & spreuit, & ad nihilum redegit valde Israel.

His, inquit, auditis indignatus est Deus, & si Israelem, populum illum tam charum & dilectum execratus, in uilissimam illum omnium conditionem, tanquam rem nihili proruere fecit. Spreuit igitur eum indignabundus,

{78.60} Et repulit tabernaculum Sylo, tabernaculum suum ubi habitauit cum hominibus.

Paulatim ad effigiendam in terris Dei sedem, regnum ac sacerdotium, descendit
[descendit]

{pdf 595, p. 289v}

-dit Vates. Reprobata quidem Sylo ob peccata populi, in qua arca fuerat, & religio: abiecto quoque ex eo loco regno, in quo impiissimus regnauit Saul de tribu Benjamin, ac scelestus ille Hieroboam, qui peccare fecit Israel: tribum Iuda, e qua suum aeternum stabiliret regnum, nempe e Daud, ex quo Christus, occultissima elegit prouidentia. Hem rerum uicissitudines. Nunquid, clamat Deus in Hieremia, spelunca latronum facta est domus ista? Ite ad locum meum in Sylo, ubi habitauit nomen meum a principio, & uidete quae fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. ac si diceret: Cauete ne id uobis contingat. Certe, inquit, faciam domui huic, in qua uos habetis fiduciam, sicut feci Sylo. Repulit igitur tabernaculum Sylo Deus, tabernaculum illud (quis id credat?) in quo ob sacra ritusque religiosos, uisus est familiariter inter homines conuersari,

{78.61} Et tradidit in captiuitatem uirtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.

Vocat hic spiritus arcam, & tabernaculum, Israelitarum uirtutem, seu robur, & pulchritudinem, propterea quod nihil tum fortius in terris fuit, ac pulchrius religione illa, in qua diuinum illud erat numinis praesentis indicium propitiatorium, e quo coelestia dabantur responsa. Haec tamen omnia in hostium potestatem deuenere. Nam commisso praelio, in quo triginta millia peditum in exercitu Israel desiderata sunt, capta est arca. Tum quidem religiosissima mulier Phinees filii Heli uxor, audito quod capta esset arca, aedito prius partu, prae dolore mortua est, sic de Sylo robore & pulchritudine ablata conquerens: Translata est gloria Dei ab Israel, quia capta est arca Dei. Et serio quidem translata fuit: nam in Sylo nunquam amplius relata est. Verum non diu, maxima cum ultione gentis illius quae illam ceperat, intra Palaestinarum Bethsamitarumque terminos diuagata, tandem in Gabaa apud Aminadab ingenti cum triumpho ac pompa collocatur. Interim uero in ipso tumultu bellico, in quo capta fuit pulchritudo Israel,

{78.62} Conclusit in gladio populum suum, & haereditatem suam spreuit.

{78.63} Iuuenes eorum comedit ignis, & uirgines eorum non sunt lamentatae.

{78.64} Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & uiduae eorum non plorabantur.

Vide durissimum illius belli exitum, in quo omnes Israelitae pene ad unum tum igne, tum ferro, occubuere. Atque optimo quidem, mea sententia, usus est uocabulo interpres, conclusit, quo illos ita arcte telis hostium circumuentos fuisse intelligas, ut nulla esset euadendi uia. Tam communis, inquit, illa fuit calamitas, ut uel ipsae tenerae uirgines & innuptae perierint indefletae. quis eas fleret, cum omnes omnino uiri aut capti essent, aut obruncati? Contra latinum loquendi usum, non sunt lamentatae, uertit interpres in passiuam significationem. Aptius diuus Hieronymus: Virgines eorum nemo luxit. non mirum, quoniam uiri omnes simul & mulieres interierant. Nisi malis secundum litteram Felicis interpretari, qui sic transtulit: Virgines eorum non nupserunt: seu, non fuerunt laudatae. ut ex hoc intelligamus, omnem tunc abfuisse laetitiam, atque canendi occasionem. Quid sacerdotes? nonne & ipsi una cum caeteris occisi sunt? Duo, inquit, filii Heli mortui sunt, Ophni & Phinees. Quid pater? nonne cum audisset arcam captam esse, e sella cecidit, & fractis ceruicibus mortuus est? Proinde nec uiduae illorum superstites uiuere, quae mortem coniugum de more flerent. qui uirorum mortem lamentarentur, quae simul cum maritis uiuendi finem fecerant? Plorabant, seu plorauerunt, uertunt interpretes. At iam deferuescente Dei ira, qui nullo unquam irrationabili commouetur affectu, suum miseratus est populum,

{78.65} Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a uino.

Suo more Vates rem seriam metaphoris explicat. Cum suis quippe Deus, & crebro, & anxie rogatus non subuenit, profundissimo detineri somno uidetur: cum uero lata ope succurrit, quasi illum e somno excitari opinamur. Quocirca haud paruo accepto incommodo in primo belli cum Philistaeis congressu, eo tempore, quo educta est arca in castra, clamauerunt Hebraei: Quare percussit nos

{pdf 596, p. 290}

dominus hodie coram Philistiim? quasi dicat, Cur dormit dominus? cur suis non subuenit? Verum postea, capta arca, occisoque Israelitarum exercitu, atque exusta Sylo una cum habitatoribus, cessauit Deus ab interuisione, sed iram in hostes uertens, quasque e somno expergefactus, ac suamet corroboratus uirtute, ut solent homines haustu uini optimi corroborari (non crapulatus, sed uociferans, aut exultans a uino, uertunt Hebraei) grauissimo illos uulnere afflixit.

{78.66} Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis,

Quod fuerit ulcus illud, quo, praeter murium copiam, qui totam deuastarunt regionem, affecti sunt uiri Azotii a paruo usque ad maiorem, e morbi remedio, ac uoto, non ignorari potest. Inierunt, inquit, consilium Gethaei, & fecerunt sibi sedes pelliceas: posteaque a diuinatoribus admoniti, anos aureos & mures conflantes, uotum Deo Israel nuncupauerunt. Podice quidem in dies magis computrescente, nulla illis erat quies. quod sane ultionis genus, utpote in occultiorems obscoenioremque partem corporis desaeuiens, opprobrium sempiternum fuit illis, eritque perpetuo. Tametsi enim diuina nonnunquam prouidentia nefarios moueat homines, atque in suorum exercitationem ac

multam exuscitet, eos tamen haudquaquam inultos sinit, ut hic uidere licet in Azotiis Israelitarum hostibus, quorum saeuitia Dei pene abolita fuit religio. Caeterum ipsi suo tumore dignas luerunt poenas, infames nimirum, & opprobriosas. Hac igitur ratione, atque occultissimo Dei consilio, uterque correctus est populus, ipseque merito antiquam spreuit sedem in Sylo.

{78.67-68 } Et repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephrem non elegit, sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.

Mirum si alicui nostram assignamus rei electionem, praeterquam Dei dilectio ni Electio quidem illa, qua suos sibi ab aeterno copulauit Deus, in illius amore sita est, ab eoque proficiscitur. unde non mirum id esse debet, si reiecto posthabitoque Sylo, in domum Aminadab introducta fuit Ecclesia. Quod autem abiecerit Ioseph, diuus sic sentit Hieronymus: Non ad hoc, inquit, repulit Deus tribum Ioseph uel Ephraim, ut in aeternum sperneret: sed noluit de ea suscipere carnem, eligens potius tribum Iuda, de qua beata Maria procederet, ex qua nasceretur ipse: ut dilectionis suae montem, id est, Ecclesiam, eleuaret. sic diuus ille. Cur uero illa atque altera reiecta tribu, tribum Iuda elegerit: nos stultos & superbos, qui tam obstrusam, neque angelicis spiritibus omnino cognitam rem, indagare posse confidimus. Elegit enim, quoniam dilexit. qua uero ratione aut causa illam dilexerit, si interrogor, audacter dicam, Nescio. Licet mihi centies, hic ultroneum Dei motum, ille praenotionem impingant, itidem nescio. Tu quis es, qui interrogas Deum? Quod porro Roboam de tribu Ephraim usurpauerit sibi regnum super decem tribus, affectaueritque illud Iuda, id Dei absque electione factum fuit. Sed ille, ut uir erat ambitiosissimus & impius, decretum pene Dei infringere adnixus est, Montem itaque Sion, in quo sua firmaretur religio sanctitate insignis, inter alios elegit montes.

{78.69} Et aedificauit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundauit in secula.

En alia similitudo. Vnicornis enim, siue monoceros, animal nullius cedens potentiae, inuicta prope modum est fortitudine: cuius cornu nobilissimum omnium est, utpote immensum, & medicamentarium. Ita igitur in Sion monte excellentissimum, unicumque, & omnium pulcherrimum ac robustissimum sui cultus templum, quod hic sanctificium, noua uoce, ob insignem rituum & caeremoniarum sanctitatem & candorem appellat Vates, sibi Deum aedificaturum asserit, cornu nimirum monocerotis persimile, quod inter caetera cornua magis robustum sit, & formosum. In Hebraeo tamen nulla fit de unicornem mentio, sed sic transferunt: Et extruxit sicut excelsa sacrarium eius, uelut terram, quam fundauit in aeternum, hoc est, quemadmodum extruunt coeli, ut interpretatur Felix: seu superbae atque excelsae regiae, & palatia, cuius fundamentum ut terra fuit, quae nunquam mouetur. Ea itaque mens est prophetae, ut sub

{pdf 597, p. 290v}

typo templi in Sion aedificandi, pulcherrimam atque adeo aeternam praedicet Ecclesiae formam. Caetera neque templum, neque in qua erat templum, Hierusalem, aeterna fuit, quae non semel una cum templo diruta, uix loci nomen retinuit. Quare sic Paraphrastes:

Extruxit similem altissimis regum palatiis aedem, maiestati suae dicatam, quam stabilem esse voluit, sicut terram, perpetuo.

{78.70-71} Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium. De post foetantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum, & Israel haereditatem suam.

Dilucidius ex Hebraeo uertitur. Sic Felix: Ab insequendo effoetas abduxit illum, ut pasceret Iacob populum suum. Diuus quoque Hieron. sequentem foetas, transtulit, Solent enim pastores, ut Dauid fuit a puero, solertiori cura & studio foetas oves, quam steriles, fouere et alere. Vult itaque Vates diuinam extollere bonitatem, quae se ab humili uitae genere, ut fere sunt pastores, ad regium euexerit fastigium, abiecta interim tribu Ephraim, quae in Deum tumida regnum affectasset. Semel enim Christus e piscatorio uocans lembo Apostolorum principem, sic illum alloquitur: Eris posthac piscator hominum. Ita fere idem nunc de Dauide dici posset, qui electus, ab ouiumque pastione euocatus ob id fuit, ut deinceps homines, nempe Dei plebem & haereditatem, quam hic Iacob & Israel appellat, pasceret, deque illa curam sumeret. Putabas ne forsantantum uirum ad regium sceptrum ascitum fuisse, ut uenationibus tantummodo ac libidini intentus, canes & parasitos aleret? scorta undecunque emeret? nec ab ipsis quoque turpissimis abstineret exoletis? Heu mores intolerandos. Nihil profecto dignius in terris inuenitur homine, ita in his quae Dei sunt, informato, quod oves Ecclesiae per pascua Christi opima educere nouerit: alere insuper in feracibus doctrinae pratis, uiuisque adquare sancti spiritus undis, ac placidis gratiarum riuulis abluere, fouere, immergere, & demum ad aram diuini amoris iugulare. Eae sunt quidem ueri pastoris partes. Neque illi, opinor, audiendi sunt, qui quorundam dominium quamuis commodum atque utile detrectant, illud solummodo spectantes, quod hi qui rerum potiuntur, in obscura nati sint familia, quique interdum ab aratro ac foenili ad primos gradus promoti, illis qui in aulis alti sunt regiis antepositi sunt. Durissima certe res esse uidetur. Verum ad id quod sunt, figendus est animus: non ad id, quod fuere. Quod si boni hi sunt, eaque ratione subditorum curant commoda, qua suos curasse populos, in ultimo psalmi uersu de se tanquam de alio loquens, testatus est Vates, nihil in terris salubrius: quippe qui neque in praeteritae uitae statu, neque in praesenti, quae sit mundi commoditas, ne summis quidem labiis degustarunt. Idcirco quicquid agunt, sanctum est, syncerum, & undecunque iustum, humile, ac subditis commodum. Contra uero suae si pristinae immemores sunt fortunae, nihilque in primis tam cupiunt & quaerunt, quam ut regnent mediastini, si Deo placet, elegantissimi. bonosque opprimant, ac saeue admodum imperent, quaerantque magis terrori esse subditis, quam uenerationi, nullam in terris luem tam exitialem mundo alioqui curis aliis infinitis atque infortuniis obnoxio, contingere posse diffiniunt sancti Dei uiri. Verum tu, o, quem Dei religionis adurit zelus, uide qua arte, quae ratione & prudentia, gubernandi sint homines.

{78.72} Et pauit, inquit, eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

Pro intellectibus, aptius es graeco, intelligentiis, uerti poterat. ut nihil aliud sit populum in intelligentiis manuum nostrarum gubernare & educere, quam quae gerenda sunt, ita

instituire, ut a ratione prudentiaque proficisci uideantur, non ab animo dissipato, indocto, & temerario. Ideo ex Hebraeo reddunt, Et in prudentia manuum eius minabit illos, more scilicet pastoris gregis amantissimi. Duo igitur regi, aut modo alio caeteris imperanti, sunt ualde necessaria. Alterum, quod hic a spiritu uocari uideo synceritatem, seu innocentiam cordis, quae praecipua sedes est Dei. Ab hoc enim fonte illa tam rara, mundoque insolita nascuntur bona: Pax mutua, in promissis fides, ueritas, constantia, aequitas, amor non tam sui, quam subditi. Patientia insuper ac mens tandem in eum, quicquid contingat,

{pdf 598, p. 291}

translata. quid mirum? nonne bona omnia in illo, qui puro est animo, inesse testatus est Christus, cum ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt? hoc est, mentis rationisque intuitu Deum uidebunt. Idcirco quaecunque cogitabunt, aut agent, Deum esse necesse erit. quare Dei spiritus ductu & persuasione, non tumore mundano, atque arrogantia, subiectis sibi hominibus imperabunt. Alterum uero est, quod in rebus agendis maximam uim habet: id prudentiam, ac iunctam cum dignitate atque existimatione auctoritatem appellare libeat: ut nihil plane agat princeps, aut magistratus, quod non sapidum sit, integrum, graue, ac maiestatis plenum. Hanc partem ab intellectu fidei luce irradiato proficisci opinamur: ideo uersum est ab interprete, in intellectibus seu intelligentiis. Sic egit sane Dauid, sic Christus: cuius uices hi gerunt in terris, qui aliis rite praeponuntur. Cui & laus sit perennis, in seculorum secula. Amen.

PSAL. LXXIX. Psalmus Asaph.

{79.1} Deus uenerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam.

Quae diuus Hieronymus de hoc psalmo opinatur, nos iisdem pro psalmi argumento uti non grauabimur. Psalmus, inquit, iste uocem continet Prophetae, captiuitatem terrenae Hierusalem deplorantis: quae captiuitas non tantum ad illam ciuitatem, quantum ad animam, quae saepe ciuitas scribitur, referenda est. haec ille. Quo uero tempore illa tam dira calamitas acciderit, qua Dei templum pollutum fuisse, sanctorumque cadauera insepulta iacuisse queritur Propheta, asserunt interpretes, Antiocho regnante, quem radicem peccati nominant, contigisse: sub cuius imperio sublatis sacris e templo, factaque ingenti ciuium clade, effusus est sanguis, ut in historia Maccabaeorum legitur, per circuitum sanctificationis, & contaminauerunt sanctificationem. Quae sane omnia a Vate praeuisa, atque hic, ut uides, lachrymabiliter decantata, nescio quid altius adumbrarunt, & quae quidem nostra quoque aetate, nisi prorsus plumbei sumus, uidere potuimus. Examinemus igitur quid sibi uult spiritus, quid Vates, cum tam lamentabiliter questus est, dicens: Deus uenerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam. Haec omnia profundissimo proferenda sunt singultu ab anima, quae idcirco in terris unita est corpori, ut aut diuinam cernat augeri religionem, aut excedat omnino de mundo. Cernit enim pristinam deferbuisse fidem, algere omnia, atque his in locis, quibus olim propria ignis fuit sedes, nunc cuncta gelu ac bruma cohorrescere. Vis ne clarius dicam? dicam profecto, etsi dicam mihi acerbam impingat mundus. Pridem enim syncerior quam nunc

est, fuit uiuendi ratio: tum dico, quando parua, aut nulla omnino erat inter Christianos ambitio, nullus proprius amor, nulla discordia, nullus cupiditati locus, auaritiae nullus, nullus libidini, obtrectationi, falsitati, nullus tandem Antiocho superbissimo, & tyranno. Sentis ne de quibus hic gentibus loquitur spiritus? haec quidem omnia tunc procul aberant: nunc uero uenerunt (de haereticis haec dicta esse, aut de colluue quorundam ex sese progenitorum, qui religionis candorem ineptis moribus ac uitae impuritate contaminant, alii asserant) uenerunt ne solum? sese, inquam, obtruserunt impudentissime in haereditatem tuam, in Ecclesiam tuam, in ipsissimum sinum tuum, o Christe. Ideo polluerunt templum sanctum tuum, quae sunt simplicium animae, inter quos tu miris ineffabilibusque diuersaris religionis mysteriis: cuius uis ea est, ut simplici fidei contenta testimonio, quicquid tumidum est atque elatum, aueretur. Posuerunt tandem Hierusalem in pomorum custodiam. Ex graeco melius, ut pomorum custodiam. Solent enim in pomariis custodes tuguriola quaedam paucis ex lapidibus, aut tabulatis, stipulis quoque, tumultuario magis opere, quam arte struere: quibus tecti, ne quis quid auferat, diligentissime obseruant. Illa quidem aedium speciem prae se ferunt: attamen rebus omnibus uacua nihil omnino esse deprehendunt, praeterquam lapidum congeries, aut harundinum confusissime congestarum cumulus. Sic contigit Hierusalem in ampla illa Antiochi uastatione, desertae penitus, nihilque

{pdf 599, p. 291v}

omnino prae se ferenti, praeterquam formam inanem ciuitatis, atque imaginem. Sic fuit olim nostra haec Ecclesia, pene a tyrannis atque haereticis desolata, dirutaque in his quae elegantiori sunt forma. Parum quippe fuisset uasa una cum Antiocho templi uniuersa, altare aureum, libatoria, phialas, mortariola aurea, & uelum, & coronas, & ornamenta gemmea abstulisse, corrasisque aurum, argentum, & uasa concupiscibilia, si pietas, si fides, si pax, si charitas suas in templis retinuissent sedes. Istiusmodi enim ablatis ornamentis, nulla potest esse in Ecclesia forma & effigies, licet altis fulta columnis, uel ad sydera usque sese bracteolis circuntecta aureis & gemmeis sustollat. Pomorum custodiam, diuus Hieronymus transtulit, acruos lapidum. Idem Felix: qui suam explanans literam addidit, in solitudinem, seu deserta: quae sane interpretationes sensui, quem modo posui, mire conueniunt. Sunt & qui sensum alium afferunt, nempe illius persimilem, de quo sic Esaias: Relinquetur filia Sion (haec est Hierusalem) umbraculum in uinea, & sicut tugurium in cucumerario. nam transacto tempore cucumerum, aut peponum, relinquitur tugurium, tanquam res inutilis & nihili. Ea tum fuit species Hierusalem. Sed quid ultra actum est?

{79.2-3} Posuerunt morticina seruorum tuorum escam uolatilibus coeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae. Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret.

Pene hic dixi, crudelius nobiscum actum esse, atque agi. Quod flumen iam est, ac torrens, quem in afflicta hac nostra (si nostra tamen est) Europa, sanguine Christianorum exundasse non uidimus? & eo quidem sicis telisque Christianorum effuso? Quocirca factus est planctus magnus in Israel, & ingemuerunt principes & seniores: iuuenes & uirgines infirmatae sunt, & speciositas mulierum immutata est. quid? ipsa sanctificatio eius desolata est sicut solitudo. Vidisti ne unquam tam tetrum

spectaculum? Obiecerunt insuper cadauera seruorum tuorum aibus deuoranda: carnes, inquam, sanctorum tuorum inhumatae datae sunt bestiis terrae. Quid crudelius unquam agi potuisset? Tanta itaque tum fuit humani sanguinis effusio, ut riuuli ex eo, aut amnes potius, per totum urbis ambitum diffluerent. Et sic sane uastata est pulcherrimae ciuitatis facies ac uenustas, adeoque excisa, ut ne quidem uespillones, qui mortuorum corpora, uel praemiis ingentibus inuitati, sepelirent, inuenirentur: adeo metu atque horrore plena erant omnia. Sed illud forsitan acerbius, quod

{79.4} Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Res sane crudelior est, quam ut exprimi possit, quempiam cernere calamitosum derideri. Quod certe inter homines bona animi perlanguescant, peneque interierint & pax & charitas, mirari quidem possumus & dolere, & ferre utcunque, simul ut rebus omnibus datum est, ut senescant aliquando. Verum ultra haec ab infidelibus atque domesticis hostibus derisioni haberi & fabulae, quis tam audax est, qui id toleret vivus? Quousque igitur acerbissima haec durabit inquietudo?

{79.5} Usquequo domine irasceris in finem accendetur velut ignis zelus tuus?

Erit ne, inquit, tua haec in nos ira perpetua? excandescet ne semper instar ignis, tuus huiuscemodi zelus? furor? excandescencia? Atqui uides quomodo iustam Dei ultionem zelum appellet Vates: nomen nimirum quod sibi olim, cum suam sanciret legem, non grauate aptauit. Ego, ait, Deus zelator sum, ignis consumens. Ducta haec uidetur metaphora ab illis, qui uxorii nimium sunt, quo quam ardenti se habeat Deus affectu atque amore erga animas, facile aduertamus, discamusque integram illi pro tam flagrantis zeli compensatione pudicitiam referre. Ita zelum diffiniunt scripturae, ut ira sit, quae ex nimio amore proficiscatur: ueluti cum parentes ob aliquam offensionem liberis succensent: non quod eis male uelint, sed eo ipso ostendunt, se erga eos amantiori esse animo. Ita uxoribus amantissimi agere solent mariti: modo zelotypia illa prudens sit, & temperata, & quae uiros non tam dire affligat, ut exangues reddat, aut ad innocuae plerunque uxoris

{pdf 600, p. 292}

occisionem pertrahat. Istud enim uitium non zelus uocari debet, sed amentia & furor. Ut uis igitur tua in nos aequissima sit irae motio, o altissime, nobis potius, qui haereditas tua sumus, qui templum, qui ciuitas, qui habitatio, qui serui, qui sancti demum tui abs te sanctificati nuncupamur, illaesis, a plagisque istiusmodi acerbissimis intactis,

{79.6} Effunde iram tuam in gentes, quae te non nouerunt.

Haud in nos, qui te non solum nouimus, verumetiam hanc a te nobis datam cognitionem, fide, sacrisque ritibus attestamus. In gentes illas impias excandesce potius,

{79.6} Et in regna quae nomen tuam non inuocauerunt,

Sed Belial magis: aut suis in expeditionibus, itineribus quoque, ac, ne quid inauspicato agant, in negociis omnibus uel sacris, uel prophanis, & magos et astrologos. Alias diximus, inuocare nomen Dei in scripturis, pro cultu & adoratione Dei accipi: neque enim rite quempiam inuocare quis potest, a quo salutem non expectet. Unde legimus, quod Enos filius Seth, coepit inuocare nomen domini: hoc est, ab illo coeptus fuit Dei cultus manifestior. Quantum ex animo consideranda hic esset, simul & timenda, dira haec Vatis imprecatio nostris regulis & magistratibus, qui deuorant Dei plebem sicut escam panis: uel ut hic dicitur,

{79.7} Qui comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt.

Maximam quorundam ostendere uolens truculentiam, eos dicit comedisse Iacob (id nomen ex more scripturae bonis omnibus conuenit) & locum eius desolauisse. Haec sane de Antiocho, cuius hic fabula agitur, uerissime dici nota est historia: nota & caeterorum, quibus summo semper odio fuit Christiana religio. Verum illud magis flebile & dolendum, quod ista, forsan & duriora, a Christianis regibus, & minutissimis quoque magistratibus atque urbium praefectis, saeuissime dimanasse cernimus. Vix enim primo dato nouo regi aut principi sceptro, illud primum ingeritur documentum, ut populos sibi subditos laceret, emungatque usque ad sanguinem. Ex qua saeuitia fit, ut etiam integrae regiones incolis uacuae reddantur. Exesis enim ciuibus & consumptis, desertae fiunt ciuitates, & regna. Illud tamen exploratissimum, ob populorum scelera, ut decreuit Deus, regnare hypocritas, & tyrannos. quod sane non latuit Vatem: quare quanto ualuit clamore subintulit:

{79.8} Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis.

Nullo quidem maiori impulsu ad plenam nostri cognitionem arctamur, quam cum affligimur. Vix enim absque aerumnis & cruce, an homines simus coniectare possumus. Puncti uero, quae pars in nobis est, quae exploratissima non appareat? Sed illud occultum omnino, praeteritorum ne reatum mulctam inferri causa, an praesentium: an parentum potius, an illorum quoque, quibus cum uiuimus, culpa. omnia haec obscura. Quo si interdum filios pro parentum delictis puniti cernimus, non id propterea factum putemus, quod quis ob ea, quae non peccauit, puniri debeat: sed illud magis, quam inuisa sit Deo prauitas, quam inultam ne sero quidem unquam sinat. Non absque causa haec dicta sint, propter eos, inter quos est Aben Ezra, qui sic legunt hunc uersum: Ne memor sis prauitatum antiquorum. Quoquo modo legas, illud perspicuum, nos pro nostris lapsibus, siue antiqui hi sint, siue recentes, poenas luere. Verum quia nemo est tam exacte purgans, quin de praeteritis sibi admodum timere debeat, hic una de regulis spiritus infertur. Noli, inquit, meminisse retro nostrorum peccatorum: ea dilue remitteque, ac si nunquam extitissent, tege. Cito, cito, inquam, tuae nos, anteaquam in peccatis moriamur, qui in peccatis nati sumus, praeueniant miserationes: uehementer enim attenuati sumus. Ideo

{79.9} Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos.

Et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Vides quam non remisse suas effundat lachrymas, cor moerens? Deus saluta-

{pdf 601, p. 292v}

-ris, ut saepe annotauimus, perinde est, ac si uertisset, Deus autor salutis nostrae. Quid postea sit, propter gloriam nominis tui, sic explicat Paraphrastes: Non tantum, inquit, habita ratione nostri, quam magnifici & maiestatis plenissimi nominis tui, libera nos a malis in quibus uersamur, remitteque peccata, non quia meruimus, sed ob id potissimum, quo tuum, qui sic gratis iustificas impium, sanctissimum extollatur nomen.

{79.10} Ne forte dicant in gentibus, ubi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris ultio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est.

Ecce querelarum summa, & finis illorum, quibus mitior solet esse mors, quam diuinum uidere calcari honorem & religionem, ne scilicet male audiant in Dei contumeliam a gentibus. Gentes hic Vates non tantum uocat barbaros & infideles, quantum turpis uitae Christianos, atque illos quidem, qui in fortunae gremio ociantes, quicquid simplicitatis in doctrina inest spiritus, fastidiunt, ridentque profuse, si ea nos in Deum fide armatos cernunt, qua obtecti illorum minas atque oppressiones tanti facere dicimus, reque praestamus, quanti muscam Elephas, aut si quis est in terris Polyphemus, aut Cacus. Sed illa est totius timoris nostri ratio, ne tuum sanctum nomen derisioni habeatur: audiamusque ab illis, qui te oderunt, ubi est Deus eorum, de cuius fiducia tam crebro gloriari consueuere? Sileant, sileant impudentissimi blaterones, quiescantque si sapiunt. Tu interim fac, mi Deus, ut sumptis de illis poenis, nobisque, ut maior fiat eorum calamitas & afflictio, cernentibus, palam fiat animaduersio, atque ultio sanguinis seruorum tuorum, qui tam indigne effusus est.

{79.11} Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum, secundum magnitudinem brachii tui posside filios mortificatorum.

Penetret, inquit Campensis, in conspectum tuum gemitus eorum, qui in carcere tenentur captiui: magnitudine potentiae brachii tui in uita conserua eos, qui morti destinantur ab hostibus. Magna profecto tum fuit persecutio illa Graecorum. Tunc sane (horrendum) tota urbs uisa est una cum ciuibus funditus excindi. Ideo non sine maximo animi dolore precatur Vates, eos saltem qui exterminio illi crudelissimo superuicturi essent, seruari in uita. Videor hic mihi certe uidere humanum genus sub daemonum tyrannide afflicto, & usque ad desperationem pressum, misereque peccatorum catenis innodatum, sempiterno mortis horrore destinari. Verum quid Christus interim? quid pastor gregis sui amantissimus? postquam enim suo frustrata est fine mors, ille zelantissimus suarum ouium custos, immortalis cum patre factus, sic eum alloquitur: Mi pater, intret in conspectum tuum gemitus compeditorum, qui nexibus plane indissolubilibus peccati ac mortis, deuincti sunt. Iam sat sit tot ciues ab hostibus truculentissime necatos, una cum suis ad tetram inferorum noctem descendisse. Cesset iam manus tua, imo, quod tuum aeternum est consilium, illos qui iam morti propiores

sunt quam uitae, ad te trahe, transmutaque in aliud uitae genus, quam ea est, quae infinitis obiecta aerumnis & periculis, mors uerius quam uita dici posset. Hi sunt, mi lector, etiamnum affectus in Christo, de quo sic Paulus: Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui & est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. quasi dicat: Cum ipse Christus Dei filius pro nobis mortuus sit, & surrexerit, sedeatque ad patris dexteram aduocatus noster & precator, mirum uideri posset, si alius quispiam eos, quos tanto fauore & charitate dignatur Christus, auderet condemnare. Filios mortificatorum, alii reddunt filios punitorum. Sed mens ea est Vatis, ut illos qui morti destinati sunt, Deo commendet: hos filios mortis appellant Hebraei. Et quod nos legimus, posside: illi habent dissolue, seu remitte: ut sit sensus, Dissolue illos qui morti destinati sunt.

{79.12} Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, improprium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi Domine.

{pdf 602, p. 293}

Clarius ex hebraeo, sic ex illis quidam: His autem inter quos uersamur, in sinum redde contumeliam, qua te affecerunt, septupliciter, hoc est abundantissime redde: septenarius quippe numerus indefinitam prae se fert copiam Hebraeis. Percutiam uos septies, inquit Deus in Leuitico, propter peccata uestra. Vide an forsitan huiusce tropi genere usus sit Deus, cum ait septuplum puniendum illum, qui occidisset Cain. Multiplicitatis igitur, perfectionis, uniuersitatis quoque symbolum est numerus istiusmodi, idcirco quieti consecratur. Sensus itaque is esto: Retributione omnino saeua atque ampla affice uicinos nostros, nempe illos, quibus cum uelimus nolimus, uiuere cogimur: in sinumque illorum reuice quicquid opprobrii moliti sunt in te. Sinus pro interiori animae parte sumi potest. Cor itaque illorum tanquam spiculum traiciat, quod tuam in contumeliam machinantur improbi: sic illis fiat, postquam sic uolunt: nam irritauerunt te domine.

{79.13} Nos autem populus tuus, & oues pascuae tuae confitebimur tibi in seculum, in generatione et generationem annuntiabimus laudem tuam.

Gratissimi haec animi sunt uerba, quae sic a Paraphraste elegantissime exprimuntur: Nos interim populus, & grex, cuius tu prouinciam pascendi sumere dignatus es, referemus tibi accepta omnia nostra perpetuo generationibus cunctis, & literis mandabimus, quam uere dignus es, qui lauderis ab omnibus. Qui semper laudabilis es in seculorum secula. Amen.

PSAL. LXXX. Vincenti erga lilia testimonii. Psal. Asaph.

{80.2} Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Ioseph, qui sedes super Cherubin appare.

De liliis nonnulla in psalmo, cuius initium est, Eructauit cor meum, sunt dicta. Quanquam et illud afferre possumus, lilia hic testimonii puras esse mentes in Deum, quae coelestis in terris sunt testes ueritatis, quia testimonium Dei habent in se. atque

haec quidem sunt, quae se oues Dei appellant, tenere nimirum in pascuis amoris enutritas. Psalmi argumentum fero idem est cum superior. Magnam profecto sanctissimi Vatis fiduciam in ipso statim exordioprehendere mihi uideor, cum Dei amicos ab ipso pasci Deo, tanquam oues a pastore, praedicat. Quid dulcius audiri posset? quid suauius? Itaque siue, regis, legere libeat cum nostro interprete, siue cum Hebraeis, pascis, miram diuinae bonitatis olet suauitatem. Ait igitur: ui regis Israel intende, qui deducis uelut ouem Ioseph, qui sedes super Cherubin appare. Is unus Hebraeis est uersus: & est maximi stuporis in anima Deo plena, argumentum atque exclamatio. pastor, inquit, o qui non segniori nos cura ac studio in aridissima uitae huius solitudine tanquam oues, ne inedia periclitemur, alere consuescis, ut quondam suum aluit in Aegypto una cum tota illius familia parentem, fame uictusque penuria laborantem Ioseph, ausculta quae dicturus sum. Tu, inquam, qui Cherubin sessor es uelocissimus, effulge, nobisque qui in tenebris caecutimus, conspicuus appare. Rem certe mirabilem, si quis ex illis, quae tum acta sunt in Ioseph uita, quanta semper fuerit Dei erga suos uigilantia atque amor, considerat: quomodo scilicet eum dominus adhuc puerum, mansuetum sane, nihilque, uti tenera solet ouicula, quaecumque mala inferrent fratres, recusantem, deduxerit, seruaueritque illaesum in puteo, in carcere, & quod admirabilius uideri posset, ab effraenata dominae libidine. O certe inenarrabile diuinae charitatis erga suos exemplum. Non potuit quidem adeo in purissimum ferocire iuuenem fratrum liuor, non carcer, non impudentissima mulier, non mundus ipse tandem uniuersus, quin rex quodammodo totius euaderet Aegypti. Vides ne Christum omnium innocentissimum, post plagas, post iniurias, post acerbissimas in tota fere uita contumelias & persecutiones, crucem tandem ascendisse, in qua tanquam in regali sede, cruento coronatus diademate, non iam Aegypti duntaxat, sed orbis omnino uniuersi regnum adeptus est? Caeterum fama erat, ac certus rumor, Dei praesentiam super arcam foederis inter duos Cherubin, unde diuina dabantur responsa, residere, Erantque omnes filii Israel per gyrum tabernaculi, in quo erat arca, sic a

{pdf 603, p. 293v}

Deo distincti. Ab Oriente suis cum castris erat, Iuda, Isacar, & Zabulon. A Meridie, Ruben, Simeon, & Gad: & hi omnes praeibant cum proficiscerentur. Ab Aquilone arcam comitabantur, Dan, Asser, Nephthalim. Ab Occidente, Ephraim Manasse, Benjamin, qui sequebantur. Ergo ante Ephraim, qui adiunctis copiis cum Manasse ac Benjamin succedebat in itinere, ferebant arcam. Idcirco addidit Vates:

{80.3} Coram Ephraim, Benjamin & Manasse, excita potentiam tuam, & ueni, ut saluos facias nos.

Doctissimus fuit in lege Daud, ideo mirabili rerum illarum ac rituum allusione rem narrat mysteriis plenissimam. Mirum quam uarie se torqueant expositores in disquirenda ratione, cur tres has tribus solummodo nominet Vates, omissis caeteris. Praeter id quidem, quod Dei praesentia ad propitiatorium accedere rogatur (quoties enim Deus ante tres illas tribus, quae pone arcam sequebantur, apparebat, tunc se omnibus praesentem, utpote ad propitiatorium propemodum uisibiliter reuersum, exhibebat) ea quoque Vatis est mens, huc Christum, cuius typus fuit Ioseph, a quo eae tres descenderunt tribus, in medium adduci. Interim uero uult excellentiam iuuenis

considerari, qui seorsim a caeteris positus, monumentisque hisce aeternis insertus, quanta fuerit autoritatis non ignoretur a posteris, cum ob plura, tum potissimum, quod in tanta omnium egestate, prouidentia Dei admirabili totum genus Iacob educauerit. Altius hic rursus res mihi esset, ni aliud agerem, peruestiganda. Pene fateor, ab his, quae in hoc mihi psalmo disquirenda occurrunt, obruor. Viderat enim Vates Deum sua in maiestate residentem super Cherubin, quam scientiae plenitudinem interpretantur, aeterna illa sua substantia eo uitae genere uiuere, quo in se manens uitae omnis autor est, atque inexhaustum creaturarum omnium exordium. Quis itaque intellectus? quae mens? quae cogitatio hominis rem tam obstrusam, inaccessamque, ac ipsis beatis animis incognitam, uel mediocriter quidem comprehendere unquam potuisset? Mirari utique poterant homines, intelligere uero minime. Quocirca clamantem huc introducit sponsam, sponsi amore perlanguescentem. O tu qui in plenissima scientiae cognitione te continens requiescis, stupendissimumque in modum in te manens, excelsus nimium uideris, deposita, ut sic dicam, parumper tua illa maiestate infinita, incomprehensibili, humanis inaccessa ingeniis, occulta, caliginosa, imo super omne lumen lucidissima, huic te mundo visendum praebe, ferque opem, ac demum, qui nostra ob scelera iandudum delituisti, appare: excita potentiam tuam illam, quam tum Aegypti, tum filii Iacob, dissimili tamen ratione, experti sunt, & ueni, ut pridem pollicitus es, quo nos afflictos, planeque a daemonum, prauorumque hominum tyrannide oppressos eximas, ut quondam a tetrus illis Aegyptiorum undis, plagisque letalibus tuum exemisti populum.

{80.4} Deus conuerte nos, & ostende faciem tuam & salui erimus.

Tu qui Deus ille es, qui quiduis etiam potes, nostra a te auersa corda ad te conuerte, in te dirige, per te ad te redeant, quae a te absque te diuulsa sunt, & remotissima. Quid? ostende faciem tuam hilarem, da fauorem, dic ut redeat tranquillitas. quid tandiu differs? Tuam exhibe mundo potentiam, & salui statim erimus. Solo enim & eo quidem minimo tui felicissimi uultus intuitu, ipsa reuiuiscit mors. Heu

{80.5} Domine Deus virtutum quousque irasceris super orationem serui tui?

Populi tui, legunt Hebraei Item illud, Quousque irasceris, efficacior illis ostendit uim ac sensum. Unde nonnulli, quoque fumabis, uertunt. Solet enim supra modum iratis fumus quodammodo e naribus exire. Vult spiritus intelligi, summam in Deo fuisse ac iustam ob mortalium scelera indignationem. Totus enim huiusmodi scatet affectibus Daud, qui passim ignem atque animi ardorem demonstrant. Domine, inquit, Deus, cui omnes quamuis potentissimi parent exercitus, cuique subsunt omnia, quousque tandem excandesces? nec admittes precationem populi tui, nempe miseri & oppressi?

{80.6} Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura.

Cibabis eos, ex Hebraeo legunt, quo eos, ad populum referre libeat. Item dictio, in mensura, copiosorem habet sensum Hebraeis, capacem scilicet mensuram si- [significat]

{pdf 604, p. 294}

-gnificat. quare sic Fel. Fecisti illos bibere lachrymas in maxima mensura. Nihil certe flebilius his uocibus audiri posset. Voluit enim Vates dicere, tantum prae dolore effusum esse lachrymarum, ut pro cibo ac potu, illis amarissimae atque adeo continuae extiterint lachrymae. Unde alio in psalmo sic suum aperit dolorem: Fuerunt mihi lachrymae meae panes die ac nocte. Quid ni, mi Deus, etiam usque ad amissionem oculorum fleam? Quandoquidem

{80.7} Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, & inimici nostri subsannauerunt nos.

Alio in loco sic suam cum Deo discutit calamitatem: Facti sumus opprobrium uicinis nostris, subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt. Idem ferme Paulus: spectaculum, inquit, facti sumus mundo, & angelis, & hominibus, nos stulti propter Christum. En totius subsannationis eorum origo, qui pie uiuere uolunt in Christo Quid non contumeliarum patitur Dei seruus? is dico, qui (non illos omnes Dei esse seruos iudico, qui serui Dei uulgo appellantur) quaecunque agit aut cogitat, eo dirigit, ut malit mori, quam quicquam cogitare aut agere, quod suum non referat dominum, Exposuisti nos, inquit, uicinatorum nostrorum maledicentiae, qui & nostri osores cum sint, de nostris rident malis. Quapropter tu

{80.8} Deus conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.

Repetit uersu quasi intercalari, quae superius dixit. Videor enim hic mihi uidere infelicem Adam conscientia perpetrati sceleris, tanquam a furiis actus, per Paradisi campos diuagantem, fugientemque a facie Domini, nec minus interim cogitantem, quam ut Deum per poenitentiam quaereret. Censes ne fugitium seruum dixisse, Deus conuerte me, & ostende faciem tuam & saluus ero? Quaesiuit ne ueniam qui abscondit se, ut inquit Moses, & uxor eius a facie domini in medio ligni Paradisi? Verum ille, qui in Cherubin residet, quid a se suum posset figmentum, probe nouerat. Proinde non longiorem Adae expectans fugam, eum statim ad se conuertens inquit: Adam ubi es? Quid (uetustiora praetermittimus) intuitus ille igneus, quo Petrus tanquam iaculo transerberatus, ab atrioque illo nefandorum hominum quamprimum egressus, fleuit amare? Quid Iudas? num illi defuit pastoris clementia? Non defuit quidem, alioqui quid sibi crebrae illae, & secretae, ne rescirent caeteri, in conuiuio illo extremo, admonitiones uoluerunt? Quid panis intinctus in paropside? Verum durissima ille durior silice in concepto perseuerans facinore, sese foras abripuit. En fuga a domino. En quo nostra nos aliquando auaritia & liuor impellit, quibus sane tanquam molestissimis exagitatus oestris Iudas, pientissimum prodidit dominum: quo scelere admissio, spe tamen ueniae amissa, laqueo se suspendit. Hos equidem uarios, mi lector, considerans diuinae uocationis effectus, deterreor penitus, cohorrescoque, illud amarissimo uersans animo, an frustra ego miser a clementissimo toties uocatus sim patre. Video quidem Petrum ad unum Christi nutum, mollem factum, atque uocationi citissimum praebuisse assensum: Iudam uero, nedum aspectu, sed uerbis, ac quae durum commouissent scopulum, admonitionibus inuitatum induruisse. Obruor hic penitus & confundor. Quam mihi sane serio, atque ex animo clamandum proinde est, dieque noctuque ingeminandum: Deus

(contremisco hic primum, nec quae sequuntur proferre audeo) Deus, inquam, noster (iam audeo & caetera, postquam noster factus est Deus) conuerte nos, aspectumque illum iucundum, quo a te auersus conuersus est Petrus, in nobis fige, & sic salui erimus. Poteris ne, o clementissime, te inuocantes, te quaerentes, te, quaecunque accidant, tanquam refugii aram amplexantes deserere? auersari? tuo a conspectu abigere? O moriar, si id mihi unquam persuasi. Illud non me praeterit (quod cum cogito, maximam in te esse vim clementiae, et in transfugas quoque dilectionis affectum, video) quod

{80.9} Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam.

{80.10} Dux itineris fuisti in conspectu eius, & plantasti radices eius, & impleuit terram.

{80.11} Operuit montes umbra eius, & arbusta eius Cedros Dei.

{80.12} Extendit palmites suos usque ad mare, usque ad flumen propaginem eius.

{pdf 605, p. 294v}

Nulli dubium, de uinea illa dici, de qua sic asserit Esaias: Vineam domini exercituum, domus Israel est, & uiri Iuda germen delectabile eius. Mens quippe fuit in Deo aeterna, uitem aliquando sibi dilectam plantare in terra Canaan: & eam quidem e Iudaeorum surculis, & malleolis. Verum hi a dumosa Aegypti tellure, ubi permultos iam antea annos plantati fuerant, radicitus extirpandi erant: quod quidem potentissima Dei manu actum fuit. Inde igitur euulsi, transplantatique in terra illa feraci, eiectis Cananaeorum plantis, in immensum creuerunt. Et sic operosa (ut sic dicam) agricolae industria erecta est uinea, munitaque praesidiis, utpote in cuius medio aedificata erat turris ac torcular. Itaque laeta adeo pampinis lasciuires coepit, ut totam, ut hic canit Vates, repleuerit terram, felices usque ad mediterraneum mare flumenque Euphratem extendens palmites, quod Dauid tempore contigisse nouimus. Nihil non egit Deus, quo sua tandem fructus, uinitoris nimirum finem, emitteret dilecta: sed frustra conatus est: nam diutius expectata, quod ipse apud Esaiam queritur, ut faceret uuas, fecit labruscas. Cuiusmodi uero eae fuerint uuae, quas solers expectauit uinitor, ipse idem suum deperiisse laborem & impensam querens, sic inquit: Expectaui ut faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iustitiam, & ecce clamor. Tota hic Ecclesiae descripta est imago: siquidem excisa Iudaeorum natione gens subintrauit ordine plane diuerso. Nanque tunc eiectis gentibus intrusus est Iudaeus: nunc uero, euulsa Iudaeorum stirpe, ascitae sunt gentes, qui sumus nos, qui ex immundis suibus facti sumus filii Dei uiuentis. Verum ad ueterem illam uitem reuertentes, perspicacioribus sinamus haec inquirenda ingeniis, quibus facile compertum erit uerba illa, Plantasti radicem eius & impleuit terram, nequaquam intelligi posse de Iudaeorum dominio, quod impleuerit terram, sed de Christi regno qui rex est uniuersorum. Quod porro, ut hic dicitur illud Davidis tempore suos extenderit terminos, quos palmites metaphorice nominat, usque ad mare Indicum atque Euphratem, deuictis Moabitibus, perspicuum est: quod uero totum occupauerit terrae ambitum, nemo unquam uel mediocriter eruditus asserere poterit. Iam illud, dux itineris fuisti in conspectu eius, de fauore illis exhibito in igne & nube in deserto, minime intelligi oportet, sed de gentibus tanquam spinis e terra illa, in qua transplantandi erant uineae surculi succisis. quare sic Paraphrastes: Repurgasti diligenter ruderibus eiectis superficiem eius. Alius ex Hebraeo: Scrobem praeparasti ei.

Et ut res euidentior fiat, uide quid de coelesti dicat uinitori Moses in Deuteronomio: Ipse consumet, inquit, nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per partes. Caeterum uineae magnitudinem atque excellentiam exprimere cupiens, illam, in metaphora perseuerans, montes umbra texisse dicit, ac cedros Dei, nempe altas & conspicuas, inumbrasse. Idioma est scripturae, ut quod egregium est, id Dei esse asserat unde alio in psalmo hunc seruat morem Vates dicens: Iustitia tua sicut montes Dei, hoc est, montes altissimi. Qui uero fuerint, sintque in praesentia montes istiusmodi, ac cedri, quae a spiritus refrigerio obnubilantur, tegunturque in Dei Ecclesia, nouit Christus, nouit eius mater a sancto obumbrata spiritu, nouit & uisio illa discipulorum, quando nubes lucida obumbravit eos. Caetera modo dicant alii, nos enim a commentariorum lege non disce dentes, ea omnia, quae a litera nimium diuagari uidentur, perstringimus, eo interim contenti sensu, quem diuus affert Hieronymus in hunc locum. Licet, inquit, uinea synagogam figurauerit, ad Ecclesiam tamen referenda sunt, quae a tenebris seculi ad coelestem dignitatem, eiectis uitiorum gentibus, fide fauente translata est. Verum o domine,

{80.13} Ut quid destruxistis maceriem eius, et vindemiant eam omnes qui praetergrediuntur eam? /{80.13} So why have you destroyed its walls, and harvest all those who are passing by the way?*

{80.14} Exterminavit eam aper de sylua, & singularis feras depastus est eam.

Ne quis hic de singulari sibi aliqua bellua philosophandum esse existimet, Hebraeis est, fera agri: quo quidem nomine, ut inquit Felix, omne genus animalis syluestris nuncupatur. Unde sic Paraphrastes: Et ferae omnis generis, quae in agris degunt, depascent eam. Diuus item Hieronymus idem ferme. Id quidem actum

{pdf 606, p. 295}

fuit, cum destituti a Deo Iudaei ob scelera, omnibus fere orbis gentibus diripiendi traditi fuere. Ecquae unquam res in agris tam late deuastari uisa est, quam uinea a custodibus uuarum maxime tempore derelicta? Ita nimirum Iudaeis contigit ingrattissimis. Ita & modo quotidianis, infelicissimis tamen, intuemur exemplis, quam foede, quam miserabiliter, quam absque pene resipiscentiae spe, in omne genus facinorum hi, qui sua se sponte a Dei subtrahunt tutela, praecipitantur. Porro apri syluestris nominatim mentionem facit, quoniam haec bellua inter caeteras, uineis magis infesta est. Idem de feris agri dicendum. Caeterum uineae custodiam, Dei scilicet fauorem, maceriem, seu sepem, ut uertunt Hebraei, appellat Vates, quam hic dirutam queritur. Ostendam, inquit dominus, uobis quid ego faciam uineae meae. Auferam sepem eius, & erit in direptionem. Diruam maceriem eius, & erit in conculcationem. Vide quomodo anima deserta a Deo rerum omnium prope modum iniuriis fiat obnoxia, cum apris, caeterisque uel nemorum, uel camporum feris, uitii sane, ac tum publicis tum priuatis demolienda traditur tyrannis. Veruntamen una adhuc extat salutis ratio, placatum numen. Quare ut id quamprimum fiat,

{80.15} Deus virtutum conuertere, respice de coelo, & uide, & visita vineam istam.

Vineam istam, cum indignatione simul & dolore legendum est: ac si diceret, uineam istam merito a te derelictam, luxuriantemque, inuise aliquando o Deus potentium potentissime. Redi, inquam, ad nos, atque de excelso maiestatis tuae solio fauenti respice intuitu, qui iampridem nostris offensus sceleribus, auersusque longe recesseras. Quis enim iacentem istam tuae haereditatis uineam subleuabit unquam, si nulli ea est tibi curae, qui illius dominus es & sator? Aper ne de sylua? fera ne? Quid? neque hi quidem, quibus tanquam pedamentis nixa esse deberet, tuae minori sunt exitio sponsae, quam est uiti aper ipse ferocissimus, aut ursus e nemore egressus, quem fames seu prolis amor a summis detraxit montibus in uineae depopulationem. Cui igitur tam arduum demandandum erit negocium, cum omnes quae sua sunt quaerant, non quae uineae, non quae sponsae, non quae Dei? Tu itaque, cuius res agitur, uide,

{80.16} Et perface eam, quam plantauit dextera tua, & super filium hominis quem confirmasti tibi.

Et perface eam, Hebraeis est, & plantulam seu hortum, scilicet uisita: quod ad superiorem refertur uersum. Illud obscurius, quid sibi uelit, Et super filium hominis quem confirmasti tibi. Volunt nonnulli, uineam domini, populum Israel, & filium hominis in hebraeo uocat idem esse, secundum morem scripturae, quae uniuscuiusque rei uocat filium illud, quod ab ea factum est, aut seruatur, aut aliqua ad eam spectet ratione, illud citantes in Esaia: Tritura mea, & filia areae meae. Nec est rarum in antiqua lege, Israelitas non tantum filium, sed filium quoque primogenitum appellari. Verum utcunque legas caetera, illud compertum, non Super, legendum esse secundum Hebraeos, sed, propter. Quare sic Fel. Et propter filium quem confirmasti tibi. & tum quidem de Christo Deo homine uaticinium esse non dubito, nixus maxime paraphrasi Chaldaica, quae sic reddit: Et super regem Messiam, quem confirmasti tibi. Atque hoc modo Vatis pro Ecclesia fidei plena erit precatio. Nouerat enim quam periculosus iactanda illa esset aduersitatum fluctibus, atque adeo assidue, ut pene a Deo, tanquam uinea ab agricola, deserta uideretur. Ait igitur: Quod uinea tua olim dilecta, sepe diruta & macerie, omnibus omnium ferarum morsibus obnoxia fuerit, iam id quidem meruit: uerum tu, qui illam spontaneo seuisti motu ac consilio, eam denuo uisita, excole, purga, & tandem, si non propter aliud, at saltem propter filium, quem ex illa, tanquam e uite gemmam pullulare, & nasci debere aeterno sanxisti decreto, & quem unxisti, confirmastique nobis in regem haudquaquam temporarium, sed firmum, & sempiternum, perface. Certe iam (quod sine lachrymis proferre nequeo) est

{80.17} Incensa igni et suffossa.

Heu desolata uitis: heu uuarum acerbitas, quarum gustu non nepotum solum-
[solummodo]

{pdf 607, p. 295v}

-modo dentes obstupescunt, sed acescunt animi, ac prorsus dementantur. Vnde, obsecro mi Deus, tam repentina rerum mutatio? tam irreparabilis ruina? tam dirum uulnus & letale, ut eam incendi, ab impiisque effossoribus subuerti patiaris? Iam causam uideo:

{80.17} Ab increpatione vultus tui peribunt.

En tota rei summa. Tua enim irritata scelerum cumulo bonitas, in furorem tandem atque ultionem, ut meriti sunt, desiit. Id quidem fecit tui uultus austeritas, ut uinea exusta sit, & effossa: quae si sic durauerit, nempe combusta, & radicitus euersa, pereant necesse est, quicumque hoc signantur nomine. Sunt qui uerbum, peribunt, ad subuersores uitis referant, ad hunc modum? Esto, uinea succensa est, atque effossa: illius tamen incensores, effossoresque, uinea tandem in pristinam reformata faciem. peribunt. Vterque sensus Vatis menti atque spiritui mirum in modum inseruit. Caeterum puto seueritatem atque iram patris tum uisam protrahi in longum, cum obruto peccatis mundo, qui opem ferret, non appareret. Is Christus erat, quem se missurum pater ait, ut prostratam erigeret uineam, imo quo nouam sereret, ut seuit, cruoreque proprio adeo ubertim irrigaret, ut illam perpetua efficeret uiriditate aeternam. Et de quo illud quod sequitur, additum videtur:

{80.18} Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis quem confirmasti tibi.

Iam tandem qualis sit filius, exprimit spiritus: nempe uirum dexteræ, imo uero etiam ipsam dexteram patris, per quam facta sunt omnia. Fiat, inquit, manus tua: hoc est, iam demum quaecunque pollicitus es de filio, re praesta. Appareat uis illa tua tandem potentissima, inaudita, insolita, planeque incomprehensibilis. Quis id humanis unquam asserat argumentis, ipsum Dei filium, patri coaeternum, eiusdemque naturæ & potestatis, posse aliquando hominis filium effici? & eum quidem despectum, ac uix ob uitæ tenuitatem, uulgi que improperia, & derisiones, hominem? Verum tam uili & abiecto exoriente filio, fastus omnis atque arrogantia corrui Aegypti: superbissimisque eiectis Cananaeis, dilecta insita est uinea. Quid nos? O profundissimum mysterium. Adeo sane arcte conglutinati sumus tibi, o Dei unigenite, ut a te excidi plane arduum sit. Tu uitis, nos palmites, proinde in te uiuimus.

{80.19} Et non discedimus a te, uiuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.

Discedemus a te, per futurum uertunt Hebraei: Graeci uero, discedamus. Aspice benignitatem Christi, qui non solum propterea in mundum uenit, ut collapsam errantemque restitueret uineam, uerumetiam ipsamet, quo arctior inter Deum atque homines esset nexus, factus est uitis. Nos itaque palmites, ille uitis, pater uero agricola. En quomodo prostrata, a ferisque depasta, restituta est uinea. Quod sane prudentissimam Vatis animam non latuit, ideo in illa fidei plenissima prorupit uerba: Non discedemus amplius a te, o Deus, quemadmodum populus ille discessit rebellis: idcirco tanquam palme a uite abscissus interiit. Ergo illis luxuriantibus ueluti pampinis detruncatis, uiuificabis nos, atque in te inserens uitam dabis perennem. Interim uero tua in religione & cultu, crudelissimis etiam inuitis e sylua apris ac feris, immoti prostabimus, tuumque sanctissimum laudabimus nomen, quod qui serio inuocauerit, saluus actutum erit. Vide quid de se huic succinens uaticinio asseuerat Christus: Ego, inquit, sum uitis, uos palmites: qui manet in me, & ego in illo. Nos uero interea non

discedemus a te, & uiuificabis nos. En uitis una suis cum palmitibus unio, atque eadem prope natura. Haec enim omnia unus atque idem operatur Amor. Verum quoniam a te dictum esse nouimus, o praeceptor, Sine me nihil potestis facere: ita & nos repensa fidei uice dicimus,

{80.20} Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.

Iam pulcherrimo uersu clauditur intercalari psalmus, in quo totam omnino beatitudinis nostrae summam uidere licet. Primum est enim, ut nos Deus iamdudum auersos conuertat. Deinde, ut sui nobis fauoris ac luminis faciem in hoc miserando uitae labyrintho demonstret. Postremo, ut peracto uirtutum cursu

{pdf 608, p. 296}

nos saluos faciat. quocirca ter hic a Vate intersertus est uersus. Magnum profecto id est doctrinae spiritus argumentum, uiam qua itur ad Deum non ignorari. Quod porro nos benignissimus ad se conuertat pater, quodque fauenti respiciat uultu, ac demum seruet, id omne acceptum referri oportet illius clementissimae benignitati, qui gratis seruat sperantes in se. Cui proinde laus sit atque honor in secula seculorum. Amen.

PSAL. LXXXI. Vincenti super torcular. Asaph.

Exultate Deo adiutori nostro etc.

Volunt nonnulli tunc psalmum a Vate idcirco compositum, ut in festo tabernaculorum, quod quintadecima die mensis septimi, September is erat collectis iam frugibus celebrabatur decantaretur. Unde est illud in Deut. praeceptum: Solennitatem tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area, & de torculari fruges tuas. quare in titulo torcularis mentionem fieri arbitrantur. Alii uero asserunt instrumentum fuisse musicum, quo Asaph cantorum princeps in hoc concinendo

**{81.2-4} Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob.
Sumite psalmum & date tympanum, psalterium iucundum cum cithara.
Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solennitatis vestrae.**

Sic Felix: Sumite carmen, pulsate tympanum, citharam iucundam cum Nablo. De Nablo & Psalterio alias diximus. Mos is erat Iudaeis, ut dies festos huiusmodi, ingenti tubarum clangore, uocibus quoque humanis uario commixtis instrumentorum genere, celebrarent. Inter caeteras enim solennitates, prima illa erat Azimorum, & Paschae. Postquam, quinquaginta transactis diebus, in memoriam datae legis alia celebrabatur, quam Pentecosten appellare libuit. Deinde tabernaculorum alia, de qua sic iussit Deus: Habitabitis in umbraculis septem diebus. Aliae deinceps erant rudi populo ad tempus praeceptae, quarum uarietate ac religione delectatus, disceret aliquando in Deum spiritu transferri: quod sane nunquam fecit. Id enim iam tunc quidem alium magis gratum spectabat populum, nempe gentium, quae totam uastam illam atque onerosam rituum ceremoniarumque congeriem, in unum duntaxat fidei cultum reducturae essent. Haec est Ecclesia Christi, quae suos mirabili rerum mysterio sub harmoniae uocibus

delitescere, ad extollendum Dei nomen adhortatur, clamatque: O filii, o qui, superatis Aegypti aerumnis, traiectoque sinu illo procelloso mundi, ad promissas uobis sedes properatis, exultate Deo, cuius uirtute seruati estis: iubilate, diemque festum in illius honorem agite, qui purissimo uiro Iacob nusquam non suis in aduersitatibus praesto adfuit. Quid? aliud, aliud carmen, aliud tympanum, lyra alia, aut cithara, & Nablum, sumenda sunt, pulsandaque, quam illa, quae mortuorum neruis animalium, seu ex aere fidibus, ad harmoniam aptari solent: uiuis id enim agitur instrumentis. Etenim in cordis secreto, quae Dei est sedes, gaudere opus est, exindeque in oris iubilationem per confessionem fidei erupendum, pulsandumque mortificationis tympanum, non tantum sensuum, quantum sapientiae propriae, propriique amoris, & iustitiae. Cui & suauissimi soni lyra, ac Viola, commodae scilicet conuersationis, minusque morosae consuetudinis gratia cum caeteris, ac tuba uerbi Dei iungantur, qua admonitae circumiacentes passim regiones, noua facta esse omnia in Christo intelligant, sciantque sabbatum domini aduentasse, quod illud domini aureis conscriptum literis secum attulit mandatum: Omne opus seruile non facietis in eo. Clangite itaque tuba, non rauca illa quidem, aut meticulosa, ut ignaui solent praedicatores, sed aperta, sed ingenua, sed uocalissima, in neomenia, nempe in nouilunio, quia noua facti sumus creatura in Deo. Is quippe dies insigni debet esse ornatus solennitate,

{pdf 609, p. 296v}

{81.5} Quia praeceptum in Israel est, & iudicium Deo Iacob.

Praeceptum in hoc loco idem fere est, quod iudicium, & testimonium, seu statutum, ut uertit Felix. Omnis, inquit Deus in Leuitico, qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis, ut discant posterii uestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Aegypti. Caeterum, quod alias admonuimus, siue Israel, siue Iacob, quod idem est, siue Ioseph in scripturis inuenias translate positos, ibi sanctos Dei uisos intelligi ne dubitaueris. Quod si porro tribum Ioseph, qui nullam constituit, a Deo negligi, ut in superiore psalmo uideri potest, legere contigerit, Manasse tribum atque Ephraim, ne tribum illi demus qui nullam habuit, intelligamus. Praeceptum igitur Dei aeternum est ac decretum, ut sanctissimum illius nomen atque honorem, in spiritus alacritate ac fide celebremus. Siquidem

{81.6} Testimonium in Ioseph posuit illud, cum exiret de terra Aegypti, linguam quam non nouerat, audiuit.

Statutum, inquit, illud celebrandarum solennitatum fuit in signum ac testimonium Ioseph, nempe uere credentibus, cum egressi e caliginoso mundi regno, in regnum claritatis filii Dei per aquam & spiritum fuerint introducti: tum dico quando primum Dei audita fuit lingua, non antea tam clare audita, quod est Euangelium Christi, optimum nimirum apportatae salutis nuncium. Ex quo summo exultandum est tripudio, non in huius mundi commodis, & lautitia, sed in spiritu, in Deoque ipso, qui perfectissimae autor est salutis ac uitae. Volunt quidam ex hebraeo, inter quos Kimhi uir apprime doctus & acutus, illud totum, Cum exiret de terra Aegypti, ad Deum referri, hoc modo: Cum Deus exiret contra Aegyptum, ut suos ulcisceretur (postea fit mutatio personae) linguam tum audiebam, quam ignorabam. Chaldaeus uero paraphrastes ad Ioseph e

carceris squalore eductum refert, quem sensum secutum esse Campensem uideo, qui sic reddidit: Ritum illum seruari uoluit a posteris Ioseph, in memoriam eius, quod feliciter uersatus fuerit ipse in terra Aegypti, quo cum uenissemus, linguam quam non didiceramus, audiebamus. Tum dico, quando benignissimus pater

{81.7} Diuertit ab oneribus dorsum eius, manus eius in cophino seruierunt.

Nulli dubium, quod Aegyptiorum lingua peregrina fuit Hebraeis, ideo inaudita, & incognita. A cophino, seu ab ollis, aut a furno recesserunt, ex hebraeo transferunt, ut sit sensus: Deus suorum humeros a gestandis Aegyptiorum oneribus, manusque a coquendis lateribus atque ollis uindicauit. Nota est historia in Exodi libro, quam duram seruierint seruitutem in Aegypto Hebraei. Oderant, inquit, filios Israel Aegyptii, & affligebant uidentes, & inuidentes eis, atque ad amaritudinem perducebant uitam eorum operibus duris luti & lateris. Non ab re quidem crebra fit in psalmis, atque adeo in caeteris prophetis mentio famosae illius ex Aegypto liberationis: siquidem nullum unquam exhibitum fuit dignius populo illi ingrato beneficium, quodque magis altissimis grauidum fuerit mysteriis. Totius enim Ecclesiae imago simul & electio in eo copiosius, quam in caeteris pene innumeris, adumbrata fuit. Illic quidem primum gratuita a mundi tenebris deprehenditur assertio, illic aspera uitiorum seruitus, illic baptismi, gratiarumque Oceanus: illic demum numen, siue inter maris fluctus eundum sit, siue in desertis locis peragrandum, suae semper praesto est sponsae. quam amplius patet hic campus animae sese oblectandi, corradendique ex Aegypto tenebrarum altore preciosissimam illam supellectilem, qua expoliati sunt uiri illi populi Dei oppressores. Verum huic ego quidem tam sanctae animae non tam inuidens contemplationem, quam meam execrans tarditatem, ad psalmum subtristis redeo.

{81.8} Inuocasti, inquit, me, et liberavi te, exaudiui in abscondito tempestatis, probavi te apud aquam contradictionis.

Diuus Hieronymus uir praeter sanctitatem ingenio felicissimo, atque in explican-
[explicandis]

{pdf 610, p. 297}

-dis Prophetarum sensis acutissimo, sic nos hunc locum exponens admonet. Prophetae, inquit, & psalmi ideo obscuri sunt, quoniam subito cum nescis persona mutatur. Hucusque enim locutus est propheta. Nunc subito inducit persona Dei loquentis ad populum, & dicentis: In tribulatione inuocasti me. Haec diuus ille. Qualis uero, quantus ue fuerit Hebraeorum clamor in Aegypto, illud inter caetera testari potest, quod Deus Mosen alloquens sic ait: Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui, propter duritiem eorum qui praesunt (uide hic tyrannorum faciem deliniatam) operibus. Quod autem inuocatus praesto tunc adfuerit illorum clamori, atque eos liberauerit, canticum illud diuinum a Mose compositum, Cantemus domino, rei totius seriem, modumque liberationis elegantissime aperit. In abscondito tempestatis, Hebraei habent, in abscondito tonitruum: quod sane ad tonitruum referunt, quo exterritus Aegyptiorum exercitus fugam adornauerat, dicens: Fugiamus Israel. De istiusmodi e coelis terrore, quo creditur Deus exterruisse Aegyptios, sic alio in psalmo loquitur Vates:

Vox tonitruui tui in rota. Paraphrastes uero sic rem absoluit: Ad ea quae in occulto postulasti ego tibi respondi tonitru, quo hostes tuos exterrui. Nam quod nos legimus, exaudiui te, Hebraeis est, respondi tibi. Prae timore quidem praefectorum, qui operibus luti ac laterum praerant, ne mutire quidem audebant Hebraei: idcirco in occulta cordis amaritudine ad Deum, quem liberatorem expectabant, sua dirigebant suspiria ac gemitus: quibus, ut hic inquit spiritus, tonitru, atque aliis istiusmodi e coelo signis, se afflictam illorum uitam cernere prae se ferebat numen. His itaque, ait, in tui gratiam, o ingrattissime, peractis, probaui te subito ad aquam contradictionis, an me amares: an fidem mihi, ut pollicitus fueras, adhiberes: an tui similis permaneres. Nihil minus tum quidem expertus sum: siquidem pro donis, acerbissimas rependisti iniuria: pro gratia, murmuraciones & contumelias: pro amore, odium. Haec est aqua, cui nomen iurgii datum fuit, propter murmuraciones populi in deserto Cades, cum populus murmurauit contra Mosen, dicens: Cur eduxisti Ecclesiam domini in solitudinem, ut & nos & nostra iumenta motamur? Quam hic mihi, ne de altis dicam, uerendum est, ne saluberrimae aquae baptismi, aquae pacis, aquae quae fluunt cum silentio, fiant mihi aquae contradictionis & iurgii cum Deo. Quid de suauissimo meo dicam Seruatore? an mihi in signum factus est, cui contradicatur? uidebo ne illum, qui fons salutis est ac uitae, positum esse in ruinam multorum, & mortem? Heu me ingrattum. Verum etsi me millies eiecerit, spreueritque, & demum occiderit, adhuc in illo sperabo, audiamque quid me admoneat, cum dicit:

{81.9-10} Audi popule meus & contestabor te. Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.

Selah ante hunc uersum positum, diuinorum nos admonet beneficiorum erga homines, rursusque hominum ingrattitudinis in Deum. Qua re animaduersa, mirum nisi prorsus insanias, iuresque nunquam tam iniquam te uidisse contradictionem, quam hinc muneribus Deum, illinc hominem iniuriis mutuo (ut sic dicam) rixari. Deus recens, Hebraeis est, extraneus. nam sequens hemistichius praecedentis est explanatio. Non adorabis, inquit, Deum alienum. Caeterum Deus recens fuit uitulus ille aureus ab Aaron opere fabrefactus fusorio, recens factus: atque illi quoque, quos impiissimus erexit Hieroboam, clamans: Ecce dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. De diis autem gentium, quos alienos uocat Propheta, notiores sunt, quam ut a me nominatim recenseantur. Innumeri hi erant, adeo solidum hominem turpissima inuaserat de diis persuasio & religio. Sed ad psalmum. Inducitur huc Deus contestans populum ut se audiat: si id quidem fecerit, bona illum usum fortuna, & prosperitate: sin minus, illum se suis, unde turpissime caderet, consiliis permissurum. Quid periculosius homini contingere posse arbitramur? Stupendissima sane res est, sitam sancta monentem non audiat. Audi, inquit, popule mi. Persancte tibi polliceor Israel, si mihi auscultaueris: au-
[audis]

{pdf 611, p. 297v}

-dis ne? Audio mi domine: quid istuc est? Num erit in te Deus nouus, neque unquam alium, ut nationes solent exterae, coles Deum, praeter me. Non tibi excidat quod

{81.11} Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti.

Enim dictio, ne sensus interturbetur, eradenda est. Sic Felix: Ego Dominus Deus tuus, qui exaltaui te de terra Aegypti. Ita fere caeteri ex Hebraeo. En quomodo crebro excellentissimi, atque stuporem omnem superantis miraculi, fugae Aegyptiacae memoriam refricat spiritus, quippe quod unum maxime sacramentorum omnium summam contineat, & perfectionem: modo non desint, qui excussa ab animo ignauia, atque a corde immunditia, castissimis sese ingerant ad illa contemplanda, seu potius peruestiganda, cogitationibus. Illud maxime cauendum, ne nouus inter nos quispiam inueniatur Deus. Siquidem quod unusquisque anxie nimium cupit & ueneratur, id illi Deus est. Quocirca meus potest esse, uel cum non aduerto, Deus, uxor, scortum, pusio, princeps, numus [sic], dignitas, mitra, pileus, codex ipse etiam legis diuinae, literatura, linguarum cognitio, tabula, catulus, addo & religiosissimae uestes cilicinae, perones, e saxoque cubilia, aut puluinaria. Quid? nonne & his addi quoque possunt digniora illa? propria consilia? propria sanctitas? iustitia? fides? dilectioque ipsa in Deum, ac miracula? quis id credat? Heu quam uaria sunt etiamnum idola, ac noui nuperrimique, nunquam alias, uel ab ipsis simulachrorum inuentoribus excogitati dii in terris. Cui nimirum rei amore nimio addictus es, ea tuus actutum fit Deus. Atqui purissimae naturae cum sit Deus noster, nullam aliam amoris alieni patitur commistionem & societatem. Quare in tua ipsa fide ac iustitia, amoreque, quo te in Deum rapi arbitraris, Deus ipse, ut finis quaerendus est, idemque amandus, & in primis, imo ipse solus adorandus. Alioqui tu in te permanens, de te oblectans, a teque minime exiens, de his quae in te diligis, tibi que adblandiris & applaudis, unum nouum conficis Deum: quo admissio, fides tua impietas efficitur: iustitia, inquinamentum: atque amor, error. Verum illud ex Dei ore prolatum maxima me afficit consolatione, meamque pene emortuam exuscitat fidem,

{81.11} Dilata, inquit, os tuum, & implebo illud.

Hoc est, aperi os tuum quantum potes, aperi cor, aperi si quid obiectum in te est, ac quicquid libuerit, postula. Hic mihi illud audire uideor Seruatoris: Quaecunque petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Nulla sane bonorum copia carere possunt, qui Deum amant. Vide facilitatem impetrandi a Deo rogata. Tantum, inquit, aperi os tuum, & sat est. Tritius illud est, quam quod multis commonstremus: nempe principem, aut amicum quempiam percupidum effuse elargiri quod petitur, sic effari solitum, Aperi os, quod reliquum est, sine mea me uti liberalitate. Peto igitur domine, atque os, quantum ualeo, & cor aperiens, clamo. Quid clamas insane super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus. Heu quis uicturus est, quando ista faciet Deus? Quid petis tandem? Te. nunquid aliud uis? te. Quem Deum in terris adoras? recens ne factum? te. Quid amas? te. Me igitur habe. nihil aliud uolo, mi Deus: siquidem qui te habet, omnia habet, neque illius ultra protenditur desiderium: nam uotorum omnium te amantium, tu finis es & quies, atque ea quidem, ultra quam nihil. Persta itaque, atque in foedere, quaecunque aduersentur, dura: neque ex illis unus efficiaris, qui non direxerunt cum Deo cor suum, & qui non custodierunt testamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare. Tum dico, quando me contempsit,

{81.12} Et non exaudivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi.

Nunquam, inquit, meis acquieuit consiliis populus meus dilectus, nec ipse Israel unquam sincero dilexit me affectu. Non desiderauit me, uertit Felix. Vtrunque enim maximam in Iudaeis arguit fuisse ingratitude, qui diuinis pene obruti beneficiis, nunquam sincere tam beneficum amarunt donatorem. Verum uide quam iuste par pari referat Deus his, qui salutaribus contemptis consiliis, propriis tantummodo raptantur affectibus.

{pdf 612, p. 298}

{81.13} Et dimisi eos, inquit, secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuationibus suis.

Soli quippe illi sunt Dei, qui illius ducuntur spiritu, non humano, nempe erroneo & uago. Etenim qui diuinis nituntur inspirationibus, nihil in rebus agendis tam horrent, quam suas sequi adinuationes, & ut hic legunt Hebraei, consilia. Unde sic Fel. Et dimisi eum, nempe populum, in prauitate cordis sui. Ambulent in consiliis suis, hoc est, in praeceptis corruant, postquam sic uolunt. Suas enim amant leges, ordinationesque ab effectibus propriis, non a meo spiritu formatas. Secundum eas igitur uiuant, nullo nimirum meo consilio adiuti. Hi quidem ut facile a probitate dilabuntur, ita superbiae non effugient notam. Quare permisi eos animo indurato insanire quantum uellent, & sua sequi consilia, qui nollent mea. In Salomone hac de re sic loquitur Deus: Comedent fructus uiae suae, suisque consiliis saturabuntur. ut plane nihil aliud sit fructus uiae nostrae edere, propriisque saturari consiliis, quam in praeceptis ruere, nullumque uitae modum sequi, & rationem. Veruntamen nunquam tam procul auersi sumus a Deo, quin semper aliquis pateat ad illius gratiam aditus ac perfugium. Unde sequitur:

{81.14-15} Si populus meus audisset me, Israel si in uis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: Et super tribulantes eos misissem manum meam.

Vtinam, uertit Felix, populus meus audisset me. Idem Paraphrastes: sed in secunda persona hos duos uersus legit. Vtinam, inquit, popule mi audisses. Optat hic Deus suas non negligi aspirationes & consilia, unde perfecta bene sancteque uiuendi proficiscitur ratio ac forma. Perplexa quidem omnia esse, atque inconstantia necesse est, dum nostra sunt. Idcirco hic queritur dominus, populum illum rectis uiae semitis contemptis, proprias, quae ad interitum ducerent, elegisse. Vtinam, inquit, durus ille auscultasset mihi populus, measque pertruisset uias. Ego enim ullo absque labore & negotio, suos statim deiecissem hostes, manumque meam in scelestissimos illius persecutores extendissem. Volunt nonnulli [sic, nonnulli] dictionem, forsitan, ironice positam: uerum cum neque in graecis, neque in hebraicis codicibus habeatur, superflua uidetur illorum expositio. Ex graeco sic uerti posset: In nihilo sane, hoc est, citra omnem laborem aut praemium inimicos eorum prostrauissem. At totius illorum perfidiae origo ea esse uidetur, quod

{81.16} Inimici domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula.

Videtur hic tota diuinae in homines excandescenciae summa & ratio describi: qui homines cum permulta Deo polliceantur, ea tamen nonnunquam vivunt fide, ac si nihil unquam polliciti fuissent. Quid hac stupiditate, atque, ut illud uocat Vates, mendacio impudentius? Olim enim Iudaei metu ingenti exanimati succlamauerunt in Mosen dicentes: Omnia quae praecepit nobis Deus faciemus, erimusque obedientes. An uero postea a promissis excesserint, nihil tam diligenter scribit Moses, quam ut illorum palam faciat leuitatem Quid nunc? quanta ego miser in baptismo, quanta in annorum accessione, quanta in professione, quanta in uotis, in sacramentis, & sciens & prudens, Deo, teste Ecclesia, pollicitus sum? Verum me millies una die mentitum esse Christo, & sensi, & meam detestatus sum perfidiam. Quam uero caste seruent ali, quae promissere, mea non interest scire. Pene tamen adducor, ut nihil propemodum seruari credam, postquam non amplius Christum in mundo (utinam saltem in locis sacratoribus) dominium habere intueor: sed mundum ipsum tanquam dissipatam rempublicam & laceram, suas exequi impietates, non tantum uideo, quantum non sine maximo animi dolore experior. At uero tempus eorum qui haec agunt, erit in seculum, aeterna eorum erit mulcta, aeterni cruciatus, aeterna miseria. Videtur Paraphrastes hanc ultimam particulam ad Dei amicos, non ad hostes referre. Sic ille: Populus autem meus felicia uidisset tempora perpetuo. Idcirco additum esse opinantur,

{81.17} Et cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos.

{pdf 613, p. 298v}

Omnia haec uerba ab Hebraeis per praeteritum subiunctiui temporis leguntur ita tamen quod, si populus meus audisset me, subintelligant. Sic Felix: Odio habentes dominum mentiti fuissent illi, & esset tempus illorum aeternum, & cibasset illum adipe frumenti, & de rupe melle saturassem te. Et est mutatio personae frequens in hoc Vate. Per adipem frumenti, frumenti florem ac medullam, seu simillam, hoc est, bonorum omnium copiam intelligit: quemadmodum per mel de petra, rerum delicatarum abundantiam. Moses quoque suo in cantico tropo eodem est usus, dicens: Et sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Mira sane illius fuit religionis ubertas, simulac e saxis ea demanasse dicantur, quae uix ui sub acto in solo ac miti, prouenire consuescit. Vehemens hyperbole est, qua mirum in modum nostra carpitur ignorantia, ad illudque unum tandem excitatur intelligendum, quod ibi deliciosissimus est paradysus, ubi est Dei timor, atque ad ea quae sunt fidei, auditus. unde non immerito dictum fuit a Deo: Si populus meus audisset me. Quae proinde hic lateant mysteria, dicant alii: nos interim Christum ipsum panem uerum de coelo datum ueneramus, atque ab illius ore, qui petra est, ac nostris in aduersis rupes, mel ac lac carpentes, audemus in cor eius, ubi misericordiae oleum inuenitur, commigrare, ibique castissimis anhelantes suspiriis ingemiscimus, raptamurque in illius amorem: sub cuius lingua, ut inquit sponsa, mel est & lac: cuiusque nomen, oleum late effusum esse praedicat Quid suauius? quid dulcius ex ore illo tam bonis omnibus referto audire unquam potuissem, quam cum mihi dixit: Remittuntur tibi peccata tua, uade in pace? Omnem quidem deliciarum copiam ex his domini mei uerbis distillasse persensi, sed tum maxime, cum illud totius iucunditatis ubertate plenissimum addidit: Dilata os tuum, & implebo illud. Cui ego: Audio domine, & uenio: tu uero interim trahe me post te, ut curam in odore unguentorum tuorum. Cui laus sit perennis in secula seculorum. Amen.

PSAL. LXXXII. Psalmus Asaph.

{82.1} Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat.

Compertior res est, quam ut quispiam illam ignorare queat, homines dignitate conspicuos altiori, quam humana sufferat conditio, quiddam in terris prae se ferre diuinum. Id proprium certe est Dei, atque ad ipsius pertinet maiestatem, mortis ac uitae imperium habere. Idcirco diuina eos lex, qui huiusmodi ornati sunt potestate, diuino dignatur nomine, deos illos appellans. Illud obstrusius: qui fit, quod tot millia hominum iugo naturaliter obedientiae reluctantium, unius aliquando pareant imperio saepissime tyranni, nihilque hominis in se habentis praeter effigiem, atque illam plerunque turpem et monstrosam? Magnum propterea Dei donum esse semper existimaui, liberos atque ingenue educatos homines stulto absque animi perturbatione parere posse superiori. Id quidem in nobis Dei operatur dilectio, qua suum semper ab aeterno dilexit figmentum. Nonne & ipse quoque in primis, cum salutis humanae fundaret exordium, tyrannorum hypocritarumque subiacuit iudicio tantus dominus? Qui tamen, quae incomprehensibilis est illius bonitas, tantis nequaquam offensus iniuriis, illos, qui huiusmodi generis erant, homines semper admonuit, ne tam se suis in imperiis ac iudiciis efferate haberent, quin Deum inter illorum conuenticula praesentem esse sibi persuaderent, qui in suis omnem cupit esse in iudicando iustitia & candorem. Quod sane Dei consilium non ignorans Vates, sic nostrates alloquitur iudices: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat. Reges, ut dixi, principes, iudices, magistratusque caeteri, atque adeo magis id, si animarum curatores sunt, ut fere sunt Episcopi, antistites, praelati, & id genus alii, dii in scripturis appellantur: qui si boni sunt, Deus inter illos, tanquam dux & dominus, imo tanquam unus ex collegis, ministris quoque, libentissime diuersatur: si mali atque improbi, in medio illorum est tanquam iudex, atque ultor illorum acerrimus. Atqui, in medio esse, frequens in scripturis usus est, poniturque pro praesente, ducem esse, principem, praefectum, dominum, atque non-

[nonnunquam]

{pdf 614, p. 299}

-nunquam unum ex illis, quibus cum conuersaris. Et ego, inquit, in medio eorum ero Deus: hoc est, dux illorum ero, imo familiaris, gregario cuique similis. Sensus igitur ut lepidissime exprimitur a Paraphraste, is erit: Deus astitit coetui illorum, qui prae caeteris potestatem in alios nacti sunt: in medio ipsorum iudicum, quae officii illorum sunt, admonuit illos. Volunt porro nonnulli duas in Christo naturas sub dictionibus, Deus stetit, adumbrari. Nam quod Deus sit, id compertum omnino: quod autem stet, aut ambulet, id iam non Dei est, sed hominis. Est igitur Christus Deus & homo, qui in Ecclesia, ut diuus fatetur Hieronymus, aliis stat, aliis sedet, aliis ambulat, aliis dormit, & cum ipse sit immutabilis, pro nostra tamen uarietate mutatur. haec ille. Cum ea itaque sic se res habeat,

{82.2} Usquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?

Eum quidem alicuius faciem sumere dicimus, cuius mores imitatur, aut uitam, tum sermone, tum habitu quoque, ut in comoediis fit, effingit. Eo igitur modo iudices peccatoris faciem assumere querimus, cum in peccatorum gratiam sententias proferunt. Ait itaque Dei filius: Quousque uos sufferam, o quos sicut deos in terris esse uolui? Usquequo iudicium pronunciat is iniquum? usquequo nulla habita ratione aequitatis, in impiorum gratiam, piorumque ruinam, sententias promulgatis? quando haec patiar? Iudicate, quid reluctamini? quid ius venditis?

{82.3} Iudicate egeno et pupillo, humilem et pauperem iustificate.

{82.4} Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.

Selah, quod pene exciderat, ante hos duos uersus interiectum nos admonet, quam execrabile sit istuc malum in oculis domini, nempe iustitiam a malis causidicis uenundari. quod si multi interdum re in eadem ac causa, iudices sunt, quanquam neutri alteros diligunt, impia tamen ac tyrannica uicissim collusionem in bonorum perniciem mutuas tradunt operas. Tu mihi, inquiunt, faueas, ego tibi. Cernis unde orbis fere uniuersi emerit interitus? Horum quippe coniuratio ita iustitiae nomen afflixit, ut pene in totum exoleuerit. His itaque a spiritu dicitur: A calumniis illum, qui alieno destitutus auxilio, impar suo est aduersario, defendite, illiusque patrocinium assumite. Conterite arrogantiam superbiorum, succurrite pauperi ac mendico, uiduasque & orphanos passim ab omnibus directos, ab impiorum ingluuie & ui asserite. Verum nihil ago.

{82.6} Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terrae.

Pene in illam quorundam adducor opinionem, qui scribunt, iudices rectos, atque aduocatos utentes legibus prout debent, meliorem uitam agere, quam hi, qui dicuntur religiosi, quique in eremis solis uescuntur herbarum radicibus: ob id credo, quod per eos pax orbis uniuersalis conseruatur, quemadmodum, si prauis sunt atque iniqui, adeo omnia commiscuntur & perturbantur, ut terrae fundamenta, quod hic canit Vates, hoc est, omnis humanae uitae ratio & modus, qui fide maxime nititur ac iustitia, nutent & quatiantur. Unde uero malum id ortum habeat, principium uersus aperit, quod scilicet nescierunt, neque quid quaque in re praestandum sit, considerauerunt. In tenebris, inquit, ambulant. Qui autem in tenebris ambulat, nescit quo sit eundem. Cupiditate quippe rerum mundanarum, atque ambitione exoculati, Dei iudicio in reprobam praecipitantur mentem. Quid enim luminis a lusciosis oculis, aut caecis omnino sperari queat, tu met qui legis iudica. Est & alia fundamentorum terrae commotio, cum Deus ita orbem contra deos istos terrae iratus concutit & turbat, ut quemadmodum reddit Paraphrastes, bases terrae tantum non uideantur. Eo quidem interdum res nostrae dilabuntur, atque adeo propter iniquas quorundam sententias atque imperia proteruntur, ut iratum Deum mundanam hanc machinam funditus uelle euertere suspicemur. Quid uero in causa sit quod, quid agi debeat, non uideant dii isti nostrates, haud raro a prophetis dictum fuit, sed illud potissimum a Hieremia: Omnes pastores, inquit, pascet uentus. Illud quoque: Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, aes & ferrum, uniuersi corrupti sunt. At

{pdf 615, p. 299v}

{82.6-7} Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.

Inculcat pietissimus dominus, crebroque istiusmodi deorum ingratitude atque incogitantiam arguit. Volui, inquit, ut pro diis in terris haberemini, iussique: ut meas in iudicandis, erudiendisque populis, uices ageretis. Quid? altissimi uos quoque ipsius filios non semel effectos esse pronunciaui. Veruntam en quia uos ut deos minime, aut a Deo natos exhibuistis, non ut dii amplius, filiique Dei, uiuetis, sed ut uilissimae plebis homines, aut, quemadmodum solent ut plurimum tyranni, moriemini. Citat hunc locum benignissimus Seruator in Ioanne, Iudaeos arguens, se nihil male dixisse, quod se Dei filium appellasset, cum nonnulli quoque simpliciter homines dii appellati sint in terris. Nonne, inquit, scriptum est in lege uestra, Ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos, ad quos Dei sermo factus est, & non potest solui scriptura, quem pater sanctificauit & misit in mundum, uos dicitis, quia blasphemus, quia dixi filius Dei sum? Diuus Hieron. uidetur dictionem illam uniuersalem, omnes, ad quoscunque, quibus corpus dedit Deus & animam & spiritum, referre: Aequaliter, inquit, omnes nascimur, & aequaliter morimur, aequalis omnium conditio est. Illud quoque, sicut unus de principibus cadetis, de angelis e coelo lapsis nonnulli intelligi debere arbitrantur. Verum de tyrannis potius dici uidetur, qui plerunque execrabili mortis genere, aut repentino absumuntur interitu. Iam & illud non omittendum, secundi uersus principium clarius legi ex hebraeo. Sic Felix, atque adeo caeteri ferme: Veruntamen sicut homo, seu sicut Adam (maiores id prae se fert contemptum) moriemini. O si id nostri serio perpenderent optimates: o si se aliquando pastores, patres, deos tandem, atque altissimi filios idcirco appellatos, ut re praestent quod dicuntur, reminiscerentur: o si. Quid ago? nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Eam ob rem, non subditorum forsitan populorum, sed illorum culpa, mouebuntur, ut continue mouentur, omnia fundamenta terrae. Quod quidem uniuersale orbis malum suis quo subtimens posteris Benedictus, sic de Abbate edisserit inter alia: Abbas, qui prae esse dignus est monasterio, semper meminisse debet, quod dicit, & nomen maioris factis implere Christi enim uices se agere in monasterio existimet. quasi dicat, uices Christi gerit, non tyranni aut ferae. Aurea profecto mei patris admonitio, ac digna, quae uice pictae tabulae aut statuae, superliminaribus domorum praesulum (iam cellulae esse desiere) affigatur. Quare simulatque omnia pene corrupta sunt uitae studia in mundo,

{82.8} Surge Deus iudica terram, quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus.

Tu ipse, o Deus, per te ipsum, non per impostores, noster esto arbiter & doctor. Tu, tu inquam, non illi, nempe diri, ac suo a nomine degeneres, quaecunque in terra hac nostra pene a te destituta aguntur, iudica: atque eo sane modo tu totius haeres uniuersi, ac dominus censeberis: non illi, qui a tuo minime spiritu uocati, sed ui atque ambitu intrusi, nihil antiquius habent, quam quomodo abiecto clementiae nomine atque humanitatis, suis in iudiciis ac finitionibus non te, sed scribas illos ueteres Iudaeorum ac sacerdotes referant. Vos autem qui haec legitis, illius qui pius est pastor, atque haeres a patre delegatus, haereditas sunt. Cui honor sit & laus in seculorum secula. Amen.

PSAL. LXXXIII. Canticum psalmi Asaph.

{83.2} Deus quis similis tibi? ne taceas, neque compescaris Deus.

Quaecunq̄ue opinentur alii, cur Vates istud composuerit canticum, nos interim nihil comperti habentes, dicimus Dei populum hic queri se a finitimorum impeti hostium bellis & iniuriis: idcirco illos, anteaquam uictoria potiantur, absumi, radicitusque euelli rogitat. Effigies haec est Ecclesiae, quae inter dum adeo saeue cum ab haereticis, tum a fucatis religiosis uexari contingit, ut fere a sponso negligi videatur. quare maximo quanto potest clamore, atque anxietate, ut hi solent qui in profundum aliquem puteum aut amnem delapsi sunt, orat, ex-
[exclamatque]

{pdf 616, p. 300}

-clamatque: Deus quis similis tibi? ne taceas, neque compescaris Deus. Mi Deus, inquit quis adeo, ut tu, qui Deus deorum diceris, potens est, atque ad ferendas suppetias facilis? ne igitur amplius taceas, ne dissimules, ne ad tam patentes conuieas turbas: hucusque enim tacuisti, uimque illam tuae potentiae infinitam compescuisti: iam, oro, qualis sis ostende.

{83.3} Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput.

Illud non praetermittendum, in primo uersu, quis similis erit tibi, in hebraeo non inueniri, sed sic tantummodo, ut uertit Felix: Deus ne taceas tibi, ne sileas, & ne quiescas. Hisce enim repetitis uocibus, insupportabilem omnino praetendit animi dolorem. Sed neque illud quod nostra habet aeditio, suo caret affectu: res quidem est, quae ingentem in anima ualde anxia commouet admirationem. Quis similis, inquit, tui? quis tam potens? tam certus? tam ab omni simulatione alienus? Ecce enim facinus plane intolerandum. Inimici tui perstreptentes, tumultuantesque, ac caput, tanquam te in pugna uicerint, extollentes, ira atque armis insonuere. Addunt & aliud manifestissimum in te odii signum. Nam

{83.4} Super populum tuum malignauerunt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos.

Isti, inquit, maligni, perfidiosique uilitigatores, nequissimum inierunt consilium contra populum tuum, nempe contra illos, qui idcirco mundo infensi sunt, quia de mundo non sunt. Etenim mundus quos suos esse non dubitat, amat, amplectitur, suisque ditat bonis: ut fere sunt fastuosi, arrogantes, inuidi, libidinosi: hi quidem cogitauerunt aduersus sanctos tuos. Absconditos tuos, habent Hebraei: hoc est, qui occulta illis ipsis arrogantibus ratione, tibi curae sunt, ac tutelae. Res quidem obstrusae spiritus sceleratis omnino obiectae sunt ingeniis. Sed quid tandem, longum post strepitum minarum & oblocutionum, cogitauerunt? quid machinati sunt? quid dixerunt inter sese?

{83.5} Dixerunt: Venite & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel ultra.

Adeste, inquit, o nostri coniuratores, atque ita illos uarie dissipemus disperdamusque, ut amplius gens non sint (sic Felix interpretatur) nec nomen iusti, aut memoria in terris amplius sit reliqua. Intereant funditus, qui nostrae aduersantur tyrannidi atque imperio. Videor hic mihi uerba illa audire regis Aegypti de Hebraeis: Venite, ait, opprimamus eos, ne forte multiplicentur. Siquidem tyrannis illa in primis est cura, ne boni multiplicentur: quare acerbissimae interdum in ciuitatibus audiuntur proscriptiones, exilia, neces, calamitatesque diuersae & crudeles. Opprimamus, inquit, illorum nomen, fortunasque diripiamus: alioqui quis nostris obtemperabit legibus? nudi certe nudis imperabimus parietibus. Haec sane, mi Lector, consilia sunt Aegyptiorum, quorum moribus atque insolentia tota iam corrupta est bene uiuendi puritas, nutat fides, ac lacera, uel usque ad secretissimum Dei thronum clamat innocentia, queriturque nullam sibi in terris sedem iam esse.

{83.6-8} Quoniam cogitauerunt unanimiter simul, aduersum te testamentum disposuerunt tabernacula Idumaeorum & Ismaelitae, Moab & Agareni, Gebal & Ammon, & Amalech, Alienigena cum habitantibus Tyrum.

Colluuiem hic narrat hostium populi Dei Vates, qui percusso ueluti foedere inter sese, in Deum ipsum conspirasse uisi sunt. Verum nihil prope agimus. nisi a spiritu edoctus unusquisque, qui sint inter nos Idumaei aut Ismaelitae, qui Ioseph emant puerum, qui Moabitae, qui Agareni, & id genus alii Ecclesiae hostes, prudentissime apud se discernat. Aliter certe tot inter hostes positi, & eos quidem qui nostro notati sunt symbolo, uix absque periculo tuti erimus. O infelicitas (clamat Hieronymus) non potest populus Dei tantam in bono habere concordiam, quantam mali habent in malo? Notat Kimhi Hebraeus, diuturnum hic praelium per dictionem Tabernacula, signari, quibus meridionales maxime populi, ut sunt Ismaelitae, Aedomitae, Agarenique ab Agar Abraham ancilla procreati, utebantur. Hi enim cum caeteris, qui hic a Vate con-

[connumerantur]

{pdf 617, p. 300v}

-numerantur, infestissimi semper extitere Iudaeis hostes: ut in praesentia sunt quoque inter nos, quorum umbra fuere populi illi ferales & indomiti. Idumaei quidem, seu Aedomitae, ab Aedom, qui & Esau, originem habuere: hostes nimirum acerrimi populi Israel, quemadmodum Esau fuit Iacob. Israelitae ab Ismael filio Abrahae prognati sunt, Moab & Ammon, unde Moabitae & Ammonitae denominantur, a Loth e duabus suis filiabus descenderunt. Agareni uero ab Agar, ut dixi, ancilla Abrahae, quam Ceturam esse, quam post mortem Sara in uxorem duxit Abraham, nonnulli opinantur. Et hi malunt a Sarra Sarraceni, quam Agareni ab Agar dici. Gebal siue Gebalitarum originem se ignorare affirmant doctiores: secus autem indocti, qui de omnibus disserere, etiam cum iniuria spiritus, non uerentur. Quod si tamen de Gebalitis aliquid suspicari fas est, non absurdum forsitan erit opinari posteros illos fuisse Hebal unius ex filiis Iectan, ut in decimo Geneseos capite uidere licet. Amalech item, ex quo Amalechitae, filius fuit

Eliphat filii Esau. Caeterum alienigenae. Hebraeis est Philistiin, qui perpetui fuerunt hostes Iudaeis. Tyrii autem olim confoederati cum Iudaeis, una postea cum caeteris finitimis populis a foedere desciscentes, iunctisque copiis cum rege Assyriorum eos admodum praeliis infestarunt. quamobrem additum est,

{83.9} Etenim Assur venit cum illis, et factis sunt in adiutorium filiis Loth.

Hoc est, & Moabitis atque Ammonitis. Hi itaque omnes uno animo, licet diuersis temporibus, in Dei populum, imo in ipsum Deum conspirantes, foedus sanxerunt, sanciantque continue, ac castra ad proborum exitium metati, nihil non agunt, quo probitas e terris excedat, aut una cum fidei exercitu in bello occumbat. Verum, o Domine, o, cui non tantum res coelestes, quantum quoque terrenae atque imae sunt curae,

{83.10} Fac illis sicut Madian & Sysarae, sicut Iabin in torrente Cyson.

{83.11} Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terrae.

Rursus:

{83.12} Pone principes eorum sicut Oreb & Zeb, & Zebee, & Salmana.

Selah ante hunc uersum positum nos admonet illorum quae nunc fiunt, quorumque imagines ea quae dicta sunt de gente illa Iudaeorum populo infensa atque odiosa, adumbrabant. Adeo uix credi potest piorum uitam non solum ab exteris, uerumetiam ab ipsis propinquis, atque eiusdem sanguinis, religionisque hominibus assidue uexari: ut non raro Iudaeis contigit. Caeterum Madianitae a Madian Abrahae filio descenderunt, qui iunctis sibi Amalechitis, atque aliis Iudaeorum nomini, atque eorum successibus inuidens, omni fere anno regionem illam militum incursionibus profligantes, ita illis molesti erant, ut in speluncis eos saepenumero sese abdere cogerent. Quos tamen Deus ita postea, Gedeone duce, metu exterruit, ut se mutuis confusi dispalatque contrucidarent uulneribus. Porro Sysara fuit dux exercitus Iabin regis Cenaanitarum, qui propter torrentem Cyson, Endorque fontem a Deo debellatus, actusque in fugam a Iael uxore Heber Cinei clauo capiti infixio interemptus fuit. Oreb uero & Zeb, Madianitae factionis principes in praelio capti a populo occisi sunt, quemadmodum illorum reges Zebee & Salmana a Gedeone. Qui quidem omnes facti sunt ut stercus terrae: nam de illis legitur, quod illorum corpora ab undis correpta, atque ad littus proiecta, sine honore inhumata iacuere. Unde sic Paraphrastes: Qui perierunt in Endor relictis ad stercorandos agros insepulti. Eodem porro fati genere periire

{83.12-13} Omnes principes eorum qui dixerunt, haereditate possideamus sanctuarium Dei.

Sanctuarium Dei appellat religionis cultum una cum tabernaculo atque arca foederis, quae omnia maximam conciuerant apud exteros in Iudaeos inuidiam. Quare gens illa impia utpote numine uacua, sic inter se: Iure haec quidem nobis contingunt haereditario, idcirco ui atque armis illa adeamus. Atqui haec forsitan a Moabitis, quo maius excitarent odium in Iudaeos, in castris iactabantur. Nam hi questi fuerant se a Iudaeis eiectos e terra sibi debita, cum Aegyptios fugerent. Eam ob rem Iepte Galaaditarum duci se contra eos ad pugnam cum exercitu praeparan-

[praeparanti]

{pdf 618, p. 301}

-ti, percunctantique cur Ammon contra Israellem arma mouisset, respondit: quia tulit Israel terram meam quando ascendit de Aegypto, a finibus Amon usque Ieboch, atque Iordanem. Et de his satis. Dei sanctuarium & templum, quod sibi lege quodammodo haereditaria poscunt impuri & flagitiosi, cedentium unitas est, de qua sic Paulus: Templum Dei sanctum est, quod estis uos. Ammon uero acerrimum Israelitarum hostem, e Loth tamen Abrahae consanguineo, nempe illius fratris filio descendente, populum turbidum interpretantur. Heu quam saepe Christi sponsa a propriis filiis, a familiaribus, ab ipsis quoque, quorum fidei a sponso peregre proficiscenti commendata est, affligitur & uulneratur. Verum tu o qui potes, simulac tam efferi sunt cum suis foederatis Ammonitae isti superbissimi, ut nullis quamlibet instructis cedant proborum copiis,

{83.14} Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.

En mulcta eis digna, qui spem suam perinde atque si imae res istae mundi aeternae essent, in fortunae uolubilitate firmare nituntur, Deum autem solidum bonum contempnunt. Hos itaque (postquam sic turpissimi illorum mores exigunt, neque aliquid quod firmum sit expetunt) rotae persimiles fac, ac stipulae, quae uento exposita huc atque illuc circumfertur: nempe inconstantes, uarios, atque in omnibus animi leuitatem demonstrantes. Ad haec

{83.15-16} Sicut ignis qui comburit syluas, & sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos.

Mirum quam excandescenti commoueatur affectu Vates in illuuiem istam hominum Dei sanctuarium dehonestare conantium. Hi quippe sunt magis, qui in Ecclesiae uisceribus laute ociantes, animantium more saginantur, quam qui extra positi, & ui & armis in bonorum coetus crudelissime debacchantur. Verum quoniam sterilissimae similes sunt syluae, aut absque fructuum decore nemori, monti quoque altissimo nulli usui apto: sic irreparabili ac concito ab humanis eos tolli uult spiritus euentu, quo sylua opaca densaque arboribus comburi solet immisso igni: aut mons nemorosus, uentisque ob altitudinem undecunque expositus, cuius cacumen flamma ingens aggressa, late omnia ullo absque impedimento depopulatur. Aspice quam aptis utitur Vates similitudinibus ad exprimendam Dei ultionem in hostes Ecclesiae, atque illius partis fautorum, ut fere sunt omnes, qui abiecta mundi gloria & ambitione, suam habent in coelis conuersationem. Non dici facile potest quantum hi mundi iniuriis expositi sint. Caeterum de affectibus illis in Deo horrendis, irae, furoris, & similium, iam alias diximus: hisce enim uocibus, iusta in illo peccata ulciscendi commotio arguitur. Nonne summo is exitio dignus censebitur, propter quem adeo offenditur Deus, ut ad iram furoremque prouocari dicatur? At tu uide spiritus suauitatem: uide, inquam, quo dirae illae demum tendant Vatis imprecationes.

{83.17} Imple, inquit, facies eorum ignominia, & quaerent nomen tuum domine.

Icti forsitan & confusi, te iandudum amissum quaerent, qui in lauta alti fortuna, ne tui quidem memoriam retinent. O necessariam uerberum assiduitatem, qua interdum uel ipsi perditissimi Dei hostes admoniti, ex hostibus fiunt amici, ex fugacibus seruis filii, ex hominibus dii. Perfunde, ait, illorum facies confusione & ignominia, fac eos parumper contemptibiles, fac odiosos, ut uel sic ab omnibus consputi, tui laesi nominis placationem quaerere compellantur.

{83.18} Erubescant & conturbentur in seculum seculi, & confundantur & pereant.

Nihil enim ardentissimae huic Vatis exaggerationi posse addi uidetur, adeo uas sibi ardentium affectuum mire ardens, ardentissimus fabrefecit spiritus. Vidisti ne unquam puerum ab aliquo iniuriis affectum, idcirco flentem, causamque suam parentibus interiectis singultibus exponentem? Quid tum pater? Tenelli quidem pueri aequae ad risum atque ad lachrymas facilis partes assumens, in offensorem sub ridens acerbis minacibusque inuehitur uerbis, exaggerat, urget, inculcat, excandescitque, & plagas nescio quas fictas infigere simulat: & haec quidem omnia, non

{pdf 619, p. 301v}

serio quidem, aut quod reuera leues illas alterius pueri iniurias ulcisci quaerat, uerum quo filium placet, uimque illi, qua in se sperare condiscat, insinuet. Ita nimirum interdum pro suis agit Dei spiritus, ne nimis iniuriosorum hominum persecutionibus remorati, quasque a pietissimo patre destituti sint, abiiciant animum, eoque immanitatis prolabantur, ut una cum illis Deum esse negent. Vide exaggerationem: Erubescant, confundantur, conturbent, pereant tandem. Quid his uerbis acrius? Verum id agit, ut resipiscentes Dei gratiam spontaneo reiectam consilio & uoluntate, tum quaerant, tum maximo animi conatu, ut res charae solent, inuentam retineant: atque eo sane modo correcti, mentis oculos longa peccandi consuetudine tanquam catachlysi obnubilatos aperiant.

{83.19} Et cognoscant quia nomen tibi dominus, tu solus altissimus in omni tetra [sic, terra].

Vtrunque enim populum, siue eum qui fide per gratiam seruatur, siue illum qui induratus suapte sponte aeternis tradendus est poenis, Dei nomen immensum, atque unice tremendum, in terris fateri necesse est. Sic Paraph. Ut sciant te esse illum, cui soli nomen est rei respondens, altissimo domino, in omnia potestatem habenti per uniuersam terram. In alio psalmo sic de se loquitur Vates: Psallam nomini domini altissimi, etenim excelsus est super omnes deos. Cui laus sit atque honos in secula seculorum. Amen.

PSAL. LXXXIII. Vincenti super torcular filiorum Chorrae, psalmus.

{84.2} Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum.

Videtur in hoc psalmo Vates eodem affici moerore, quo in illo, cuius initium est: Quemadmodum desiderat ceruus. Bellorum quippe tumultu & periculo, maxime contra filium, impeditus, diuinis haudquaquam poterat interesse caeremoniis & festiuitatibus, quae tum forte contigissent. At uero dies festos alios, ac sacra tabernaculaque alia & caeremonias, quam illae erant quae corporeis ornabantur ritibus ac pompis, animo pertractasse Vatem iudico, quando ad coelestium rerum cognitionem, quarum uetus illa religio umbra fuit atque imago, ascitus, exclamauit: Quam dilecta tabernacula tua domine uirtutum. non ultra primus protenditur uersus Hebraeis. Quam amabilia, inquit, sunt tua, o potentissime, domicilia, quam omnibus digna desideris: proinde quammaximo afficior dolore, me neque ad haec, quae hic manufacta sunt in terris, neque ad illa multo magia, quae tu in coelis una cum tuis aeterna habitas mansione, posse ea, qua tua decet peragi, occurrere religione. Possum ea quidem ardentem, ut die noctuque facio, desiderare: sed in ipsis meis moestissimum in modum perturbor, contabescoque desideriiis, uixque apud me sum. certe non dissimulanter

{84.3} Concupiscit & deficit anima mea in atria domini.

Vide quam ardenti praedita debet esse anima desiderio, quae coelestia appetit, ut prae desiderio atque amore deficere appareat. Id profecto diuinorum agunt appetentiae si uehementes sunt, ut animam pene extra corpus rapiant, tantoque afficiant ardore rem illam quam deperit obtinendi, ut tota iam sit in ea magis, quam in se: hoc est enim, quod hic gestit dicere propheta. Alii, inquit Hieronymus, desiderant possessiones, alii seculi istius delicias, alii apparere in Ecclesiis, & gloriam habere apud homines: mihi autem hoc solum desiderium est, uidere aeterna tabernacula, illa scilicet, ubi congregatio est, non uitiorum, sed uirtutum. De desiderio Cardinalatus, ad quem nunc plerique ne semidocti quidem aspirant, nulla a Hieronymo fit mentio, quoniam nondum suo tempore ordo is celebris inuentus erat. Ergo ea solummodo appetenda sunt domicilia, hi amandi conuentus, in quibus suam habet sedem spiritus uirtutum omnium, & gratiarum erogator: non mundus rerum alter illarum, quae nos prorsus numini reddunt odiosos, quarumque eae duae in primis conspicuae magis sunt, ac letales, discordia & ambitio: his enim feris e Christi uinea reiectis, quid non tutum? quid non Deo dignum? Idcirco subinfert Vates:

{pdf 620, p. 302}

{84.3} Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum uivum.

Id absque dubio inter nos qui queat dicere, inuenitur nemo, praeter illum, qui in Deum totus est raptus. Etenim miraculo persimile uidetur esse, si cor, & caro, alioqui spiritui rebelles, in id consentiant: sed ea est amoris uis erga Deum, & robur, ut cordis gaudium ab amore conceptum in ipsa quoque descendat membra, faciatque pene ex duabus dissimilibus naturis unum quoddam in terris coeleste, planeque beatum: & id quidem per Deum illum uiuum, qui uitae omnium autor est, sed praecipue animae, cuius ille uita est, quemadmodum sui ipsa corporis. Quocirca ipse de se sic suos alloquitur

discipulos Dominus apud Ioannem: In mundo quidem pressuram habebitis, in me pacem. En uita animae, pax scilicet in Deo.

{84.4} Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos suos: altaria tua domine uirtutum, rex meus, & Deus meus.

Hucusque tertius huius psalmi uersus legitur ab Hebraeis, quibus etiam non turtur, sed hirundo potius est. Suam enim causam hisce attenuat uocibus Propheta. Siquidem cum hirundini aut passeris is naturaliter mos sit, ut in hominum domiciliis suos struant nidos, labor tamen eorum saepenumero cassus redditur, cum ab incolis aedium deturbatur. Verum non propterea cedunt auiculae pertinaces, sed ab una eiectae parte, in alia nouum incoeptant nidi opus. Haud sic mihi, inquit, contingit, qui tua a domo fugatus, ab altari quoque tuo, a sacris, a religionis pompa, o domine exercituum, rex meus & Deus meus, longe propellor. Volunt nonnulli reticentiam, ut in magnopere moerentibus, fit, hic esse: ac si diceret, hirundo ne? passer ne sibi pullisque suis etiam iuxta altaria nidificare permittitur? quid ego? Heu sortem meam omnium miserrimam. Altaria ipsa tua ne uidere quidem possum, cum tamen te meum dominum, & eum quidem potentissimum, meumque regem, & Deum tandem esse uoluerim. Quibusdam uero uisum est, quod facta de passere ac turture mentione, suis in extruendis nidis, in quibus tranquille uiuant, sedulis & operosis, tranquillae olim uitae illi in mentem uenisse: proinde illud idem, quod in principio egit psalmi, exclamasse: Quam dilecta altaria tua domine, quam tranquilla religio, quam puri coetus, o domine uirtutum, rex meus, & Deus meus. Caeterum hic animus ab incorporeis rebus minime auertendus est. Altaria quippe ad inuisibilem illum cultum qui in corde transigitur, referenda sunt. Id circo additum est:

{84.5} Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te.

Ecce quomodo beatos illos appellat, qui suam cum Deo habentes mansionem, cuius fabricator amor est, perpetuam laudandi Deum adepti sunt occasionem. Nulla quidem felicitas cum hac comparanda. Quid ultra expetere debet anima? Quid in hoc satis per se arduo & inquieto uitae diuersorio in primis illi esse debet, si sui compos est, nisi ut illo in loco statuatur, in quo summa sit quies, pax, ocium, atque extollendi Dei nomen, dilatandique illius cultum & religionem, necessaria quaedam offeratur occasio? Is est sinus Ecclesiae, in cuius complexu, cruento nimirum & spinoso, extinctus est autor uitae: ob cuius necem uera omnibus, quae fide uiuit, restituta est uita. Obserua igitur quanta inest animae felicitas, quae in Ecclesiae gremio, quicquid occurrat, requiescit. Caetera enim uana sunt, & inquieta, ut in haereticis uidere licet: aut in illis quoque, qui cum ueros se Abrahae filios cultu nescio quo testentur, nihil minus tamen, quam fidem illam, qua nobis conciliatur pax animae, referunt: sed continuis agitantur bellorum discordiis, ac perpetuis ad tumulum usque odiorum oestris. quod sane ut digne perpendatur, timeaturque, Selah huc attexitur. Itaque non hi quidem beati, sed

{84.6-7} Beatus uir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in ualle lachrymarum in loco quem posuit.

{84.8} Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.

Quid sibi uelint hi uersus, non difficile admodum uidetur posse intelligi, si de

{pdf 621, p. 302v}

uiro illo simpliciter dici affirmemus, qui cum a Deo, ut par est, dependeat, uirtutum sibi gradus, quae sunt ascensiones quaedam in anima eo perueniendi, quo in ualle hac miseriae, loco nimirum quem sibi ad lachrymas elegit, prudentissime format. Verum litera quae est Hebraeis, aliud innuere uidetur. Sic fere omnes ex hebraeo: Beatus homo, cuius fortitudo in te est, semitae in corde eorum. hucusque est uersus. Postea alium ordiuntur: Transeuntes per uallem fletus, fontes ponent eam. atque in principium sequentis uersus e nostro, huic assuit, ad hunc modum: Etiam benedictionibus induetur doctor. seu, ut ex illo quoque fonte transferunt nonnulli, etiam cisternas amicitiae pluuiarum. Volunt studium populi aduandae domus Dei, & sollicitudinem, quam per semitas cordis significari opinantur, describi: hincque puteos ad refocillandam multitudinem passim etiam in ipsa ualle lachrymarum, & fletus, nempe loco siticuloso atque arenti, effodiendos, cisternasque, & piscinas, in quibus pluuiarum recipere aquae, diligentissime parandas: & sic illum, qui illud edocuerit commodum, omni ex parte, ut inquit Paraphrastes, diuinis muneribus, plebisque laudibus ornandum esse. Et qui tales sunt, uirtutum adeo cumulum atque incrementum accipient, ut apud Deum considerare in Sion uidebuntur. Vide quam immensis extollendus sit laudibus, si quis alicuius publici inuentor est commodi, qui cum Deo uno sedere loco appareat. Apparebit, inquit Felix, apud Deum in Sion. Verum alio excutienda est sensu litera, alioquin obscura & dubia, Illis igitur qui uallem hanc mundi, in qua nihil est quod fletum non moueat, transire parant, semitae in corde sunt: hoc est, diutius hic commorari minime expetunt, sed obnixae ad anteriora, ut ait Paulus, sese extendentes, de uirtute in uirtutem, de claritate in claritatem, tanquam Dei spiritu proficiscuntur. Et hi quidem uallem ipsam sic arentem & moestam, ponent fontes eam: id est, eam totam simul in dulcissimum conuertent aquarum fontem: nempe e crucis amaritudine suauitatem haurient spiritus. atque rerum omnium istiusmodi, sanctaeque huius philosophiae doctor est Christus, qui multis donorum ornatus gratiis & benedictionibus, e coelo tanquam gigas ualidissimi exiens, in suos quicquid gratiarum in se habuit, id totum fere profudit, ita ut iucundissimum sit illos intueri de uirtute in uirtutem, de fide in fidem incedere. Atque hoc sane modo tandem doctor ille eximius Iesus apparebit apud Deum in Sion, hoc est, in fidelium conuentu, in tabernaculis, non peccatorum, sed fidei, in quibus pax una cum castimonia suum habet diuersorium, commorabitur: foedas interim impudicasque superbiorum hominum habitationes execrans, atque, utpote in quibus omne inest malum, auersans. Ac demum, ne suis aliquando non praesto esse uideretur, sic in Propheta Patrem alloquitur:

{84.9} Domine Deus uirtutum exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob.

Ex his quae dicta sunt, non tantum accensus Vates, quantum dolore atque amaritudine animi, ob duas quidem res affectus, hanc interposuit orationem, simul & Selah. Ob

unam sane, quod tandiu a Dei domo extorris esset: ob alteram uero, quod in spiritu praeuiderat nullum fore, qui tam exacte, ut par est, diuinum huiuscemodi referret doctorem, quem benedictionibus onustum dixerat affuturum. Id muneris illorum proprium est, qui pascendis sponsae adolescentulis praeponuntur. Viderat, inquam, quam longe a Christi uestigiis oberraturi essent quamplurimi, & ex his quoque qui cum pastoris ac patris nomen sibi arrogent, nihil tamen minus quam patrem aut pastorem praestant: imo acerbissimis onerati maledictionibus, totam hanc uallem moeroris & luctus, turbidissimis opplent paludibus cisternisque dissipatis, ac grauius olentibus lacunis, quam sint cadauera inhumata, exundare faciunt. Quid autem sit in illis, quod tam tetrum exhalet foetorem, si interrogor, puto id esse superbiam. Quid igitur mirandum si hic clamat uiri iusti anima? Domine Deus uirtutum. Deus potentissime, Deus misericors, ex audi orationem meam. Ausculta quid cor amarum intra se cogitet, & desideret, o Deus Iacob.

{84.10} Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

{pdf 622, p. 303}

Se Christum uocat Daud, ob regiam unctionem: ad illum tamen respiciens Christum, in quo nos patrem elegisse, dilexisseque ante mundi constitutionem, asseuerat Paulus. In faciem. In, non est in hebraeo sed simpliciter, respice faciem Christi tui: hoc est, faciem moestam, ac prae dolore demissam miseratus intueri.

{84.11} Quia melior est dies una in atriis tuis super millia. Elegi abiectus esse in domo Dei mei quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Is unus Hebraeis uersus est. Dictio, abiectus, quanquam huc optime conueniat, aliam tamen in hebraeo habet significationem, nempe ad limen, seu ianuam sedere. Sic quidam transferunt: Malo ostiarius esse domus Dei mei, quam uersari in tabernaculis impiorum. Item Paraphrastes: Optarem magis accubare ad limen domus Dei, quam habitare in splendidis impietatis aedibus. Sunt porro ex nostris, Deum scilicet speciali religione colentes, qui hunc uersum in secularium, ut uocant. hominum execrationem, tanquam illorum habitatio, sit habitatio peccatorum, iactitant. Sunt & ex illis, qui in nos haec eadem: adeo mutuis nonnunquam nos inter nos dicteriis, impietatis arguimus, Pessimum id est morsuum genus inter Christianos. Ego enim, qui utranque uitam expertus sum, sic mihi persuadeo, nullam in terris impietatem tam execrabilem posse esse, quin per Christum queat abluui, ad cuius pedes, limen scilicet adeundi patris, malo equidem moestus sedere, quam mundi plausu per multa habitare secula in tabernaculis peccatorum ubiuis commorantium.

{84.12} Quia misericordiam & veritatem diligit Deus.

Illi uero qui peccatores appellantur, crudelitatem, tyrannidem, iunctaque cum perfidia, mendacia & dolos.

{84.12} Gratiam & gloriam dabit dominus.

Illi contra inexorabiles, damnum, infamiam, contumeliam, exitium. Caeterum, misericordiam & ueritatem, in hebraeo non est, sed ut uertit Felix, Sol & scutum dominus Deus. Alius item ex eodem fonte: Lux & securitas dominus Deus. Paraphrastes rursus: Est enim tanquam sol & clypeus dominus Deus. Dignae profecto istiusmodi sunt Deo denominationes, quippe qui Sol is sit, qui uitae lucem emortuis per peccatum animis infundit: clypeus autem, quoniam tela illa ignita, ut ea appellat Paulus, tum daemonum tum odiosorum hominum, a suis arceat. Atque eo sane modo,

{84.13} Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.

Quae sit innocentia in hoc loco, Felix ex hebraeo magis exprimit, sic uertens: Qui ambulant in perfectione. Quae rursum sit istiusmodi perfectio, uerissime reddit Paraphrastes: Qui ambulant, inquit, simpliciter. Nullum certe tam gratum potest esse Deo sacrificium, quam simplex desponsata fidei annulo uitae conuersatio. Ubi sancta est simplicitas, ibi Deus, ibi perfectio, ibi uitae Christianae summa ac finis. Ex qua quidem spiritus asseueratione illud absque dubio concludi potest, eos prorsus homines a Deo, qui simplicissimae naturae spiritus est, alienos esse, quos simulatores, ac duplices suis in rebus agendis esse cernimus. Etenim longe hi falluntur, qui arte, non spiritu, res Dei, uti sunt animarum, tractandas esse opinantur. Sensus igitur elegantissime a Paraphraste redditur: Non poterit, inquit, non facere benignitatis suae participes eos, qui ambulant simpliciter. Et quidem qui ambulat simpliciter, confidenter ambulat, ait Salomon. Contra uero, qui utitur mendaciis, hic pascit uentos. At tandem, quo rei summam absoluam,

{84.13} Domine uirtutum, beatus homo qui sperat in te.

Exclamatio est, ab animo in Deum ob illius magnitudinis considerationem raptu, exiens. Atqui si Hic, uirtutum, gratiarum cumulum intelligas, non falsus eris. Verum Hebraeis, exercituum est, quam dictionem noster fere interpret reddidit, uirtutum: qua quidem uoce potentiam Dei infinitam intelligi uult Vates. Et est quasi eorum, quae dicta sunt, epiphonema animae, mortales omnes cupientis ad diuinae religionis, quae spei maxime innititur, cultum acciri. Ait itaque: O quam

{pdf 623, p. 303v}

uere felices hi sunt, qui spem omnem suam in te, qui potentissimus omnium es, collocant. Quid illi postea, qui te neglecto, corporeis caducisque nituntur rebus? Infelicissimi illi quidem omnium, atque lachrymarum amne deflendi. Tibi autem laus sit aeterna, & gloria in secula seculorum. Amen.

PSAL. LXXXV. Vincenti filiorum Chorae.

{85.2} Benedixisti domine terram tuam, avertisti captiuitatem Iacob.

Opinantur nonnulli, odam hanc suauiissimam a Vate composita fuisse, quo posteris hi potissimum qui e Babylonica oppressionem, in qua turpissimam seruierunt seruitutem, liberandi erant, quid Deo pro gratianum actione cani posset, haberent. Doctiores tamen

ex praecipuis hanc esse existimant, quibus Christi charitas in homines, propter assumptam carem in mundo, aperte ostenditur. Etenim anteaquam Dei filius Christus Iesus homo factus uitam hanc, excepto peccato, miserandam & aerumnosam nobiscum ageret, mirum quam duris tenebamur uitiorum errorumque catenis innodati. Nulla unquam fuit capti uitas, ne ipsa quidem famosissima Assyriorum, cum illa comparanda, qua, tanquam fune colligati homines, sub mortis, nempe peccati aculei, iugo & uetustate premebantur. Nulla tunc erat quies, nulla, quae uera esset, consolatio, nullum refrigerium, adeo cuncta inamoena erant, aspera, dira nubilosa, atque uti solent inculti agri, peccatorum dumis obsita, & ob spiritus inopiam plane emortua. En tandem e summo ad terras delabens coelo, sicut in uellus consuescit imber, placidissimo nimirum illapsu, Dei filius, hunc uitae campum alioqui sterilem foecundissimis irrigauit aquis, conuertitque ad sese quicquid antea per peccatum auersum fuerat, O immensum amoris argumentum. Ecce igitur, clamat Vates, terram illam ob Adae lapsum maledictam, dirisque detestatam, tuis sanctissimis denuo exornans benedictionibus, instauras, inserisque, si quid malis ab agricolis abrasum fuerat. Tuae itaque bonitati & clementiae, non nostro studio, quod nullum erat, & merito, referri acceptum par est, quod Benedixisti domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob. Alias diximus uerum Israel & Iacob pios homines esse, quorum terram, Ecclesiam, in qua unum tantummodo esse debet cor ac mens. Haec est possessio Christi, idcirco ab ipso dilecta, & culta. Unde ex hebraeo sic uertunt quidam: Dilexisti domine terram tuam: seu, ut reddit Campensis, Reconciliatus es domine terrae tuae. Iratus quippe erat Deus mundo ob infinita, quibus plane obruebatur, scelera. Verum propriae motus, qua uel amarissima condulcescunt, misericordiae suauitate, reiectis prius illis, qui suapte sponte profligati fuerant, caeteris reconciliatus est. quocirca a spiritu infertur, Avertisti captiuitatem Iacob: nempe electos, qui, quoniam Dei semen erat in eis, ad mortem peccare non poterant, a peccati lapsu asseruisti. Siquidem

{85.3} Remisisti iniquitatem plebis tuae, operuisti omnia peccata eorum.

Ecce sanctorum dignitas, quorum delicta perinde atque si nunquam extitissent, obteguntur, Deique abstergitur manu, si quid contractum fuerat foeditatis. Quare beati hi a spiritu nuncupantur, quorum remissae sunt iniquitates, & tecta sunt peccata. Quid felicius audiri posset, quam si cui coelitus dicatur, Remittuntur tibi peccata tua? quod aequae certum esse intelligo, ac si illum propriis conscriptum in uitae libro intuerer oculis. Ideo non iniuria additum est huic loco Selah.

{85.4} Mitigasti omnem iram tuam, auertisti ab ira indignationis tuae.

Dilucidius ex Hebraeo, Continuisti omnem iram tuam: seu, ut uult Paraphrastes: Collegisti omnem iram tuam, quae sparsa fuerat in nos. Continuisti, ne in furorem erumperet, indignationem tuam. Tunc sane Deus suam omnem in sese collegisse compressisseque uisus est iracundiam, cum iniuriarum, quibus uel in ipsa statim prima rerum molitione affectus fuit, immemor dixit: Non ultra percutiam omnem animam uiuentem, sicut feci, Mittam enim quem missurus sum, hoc

est, meum delegabo filium, qui copiosissimis ornatus donis, homines adeo in aliam transmutet uiuendi rationem, ut pro iniuriis antiquis amorem mihi rependere condocefiant. Tunc demum illum iram deposuisse, nedum mitigasse, uidimus, cum proiecto fert tremendo iudicii sceptro, obtectaque maiestate, ac, ut sic dicam, uelato in se Deo nudus, atque instar coloni, ut ait Hieremias, absque diuersorio in terris apparuit Christus, proque ense ac fuste, crucem secum attulit. Deferbuit itaque Dei ira in homine illo tenui & despecto, quem nihilominus postea in immensum creuisse montem, in spiritu vidit Daniel. Verum quid nobis emolumentum allatum fuit propter sedatam iram in Deo? quid commodi, si denuo peccamus? si nouum in Deo excitamus furorem? Nos miseros. Unde tot etiamnum caedes? unde quorundam etiam illorum, qui religioni purius, quam e uulgo caeteri seruire uideri uolunt, uitae turpitudine? Unde odia? Sunt ne haec placatae in Deo contra nos irae indicia? Quid olim tranquillum sedatumque numinis animum irritauit? nonne impietas? nonne amentia? Nonne in periculis incogitantia, ne dicam inconsiderata despicientia, atque ultronea in interitum praecipitatio? Ob huiusmodi quidem facinora, sed leuiora forsitan quam nunc sunt, clamauerunt patres nostri ad te domine, clamauerunt, inquam, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Silebimus ne nos deterioribus oppressi malis? acrius afflicti? periculosius a mundo, a carne, a tyrannis, ab ipsa demum uolubilitate fortunae circumacti? Clamabimus certe, atque inculcabitur & nos,

{85.5} Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam a nobis.

Illud luce ipsa clarius, nullum prope nostrum esse ad assequenda coelestis nisum & studium, nisi Deus in nobis suum infundat lumen, corque alioqui stupidum atque iners moueat, auersumque a iustitiae semitis reuocet, atque ad se conuertat. Tunc sane uera animae ad Deum fit conuersio per gratiam, quam lumen esse animae diffiniunt. Caeterum salutaris noster, Hebraeis est, salutis nostrae. quare is sensus erit: in Deum, a quo quicquid salutis homo nanciscitur, deriuatur, conuerte nos: aliter conuerti, ut decet, non poterimus. Conuerte nos, inquam, atque iram illam tuam nobis debitam, tuo a figmento remoue.

{85.6} Nunquid in aeternum irasceris nobis? aut extends iram tuam a generatione in generationem.

Num perpetuo, inquit, tua in nos desaeuiet iracundia? num aeternus erit furor? nunquid tuam protrahes e progenie in progeniem ultionem? Pessime profecto res se haberent nostrae, si nostri nos in sordibus arbitrii a te proiectos marcescere sineres.

{85.7} Deus tu conuersus uiuificabis nos, & plebs tua laetabitur in te.

Cum interrogatione hunc legunt uersum Hebraei, quo superiori quoque conueniat interrogationi. Dixerat enim: Nunquid in aeternum irasceris nobis? Statim postea subiunxit, ut uertit Felix: Nonne tu conuerteris? uiuificabis nos? & populus tuus laetabitur in te? Alius uero: Nonne redibis potius, ac restitues nos, ut populus tuus laetetur in te? En quomodo e diuina ad nos conuersione, uita homini, quae ex fide est, conciliatur. Viuificabis nos, inquit, tu, non homo, non uoluntas humana, non arbitrium, non ipsa capax diuinitatis mens. Hincque plebs tua sancta, nempe ad te per te conuersa,

in te solo, non in suis meritis, ut solent hypocritae, solido perfundentur animi gaudio. Quam uerum illud est, atque in limine aedium superbiorum sesquipedalibus, quo magis conspicuum sit, inscribendum literis: Qui gloriatur, in domino gloriatur. Quare,

{85.8} Ostende nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.

Iam hic Vates rei illius, a qua mortalium conuersio exoritur, durisque insinuat mentibus uita, ac noua bene uiuendi inducitur forma, mentionem facit. Ea quidem e patris corde manans, misericordia appellatur: quanquam inter caetera, quae secum attulit filius Dei in mundum ueniens, in crucis uexillo impressam esse uoluit. Hic itaque Dei rogans sibi ostendi misericordiam Vates, Christum iam

{pdf 625, p. 304v}

tandem in terris apparere rogat. Idcirco statim intulit: Et salutare tuum da nobis. hoc est, salutem tuam nobis, quae tota in tui unigeniti uoluntate ac praesentia est posita, impartire. Interim uero,

{85.9} Audiam quid loquatur in me dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.

Is unus uersus est in hebraeo, in quo ego quidem (ni falsus sum) totius salutis nostrae summam uidere mihi uideor: quae in eo potissimum sita est, ut diuinis credamus pollicitationibus, unde solida dissipatarum mentium formatur pax & quies, ex qua sanctitas. Et haec omnia quidem per Christum, qui fidei nostrae autor est, & merces. Audiam itaque, hoc est, illis omnibus quae pollicitus est Deus (in me, non est in hebraeo) firmam adhibebo fidem: quoniam pacem tranquillumque animorum statum de plebe ea sua, quae se illi gladio amoris iugulauit, loquetur: loquetur, inquam, super sanctos suos, eos nimirum, qui per illius uerbum haudquaquam indurantur, & sordescunt magis, ut solent impii: sed sanctificantur, atque ad cor reuersi, in Deum curis caeteris omissis feruntur. Obserua Euangelicae praedicationis uirtutem. Immensa quidem in illa, ac plane incomprehensibilia promittuntur: tu tantummodo audi, crede, praestolare, & sat est. Quod certe per Dei uerbum sanctificari contingat animas, cui ignotum iam id est? Pater, inquit Christus, sanctifica eos, nempe qui conuertuntur ad cor, in ueritate. Sermo tuus ueritas est. O legem ad obtinendum Dei fauorem compendiarium & unicam. Etenim extra beatissimae huiusce legis inductionem caecutimus omnino, atque in bonorum delectu hallucinamur: in ipsius quidem gremio positus est Christus, qui lux mundi est ac uita. Unde igitur tenebrae? unde mors? a luce? a uita? Erramus si id credimus, neque adhuc quid loquatur dominus Deus audimus.

{85.10} Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra.

Sic Felix: Vtique prope est his, qui timent eum, salus eius. Haec, ni fallor, in eos dicta puto, qui cum se Dei cultores, exteriori cultu testatum esse cupiant, nihil minus tamen

agunt, quam ut uere id sint, quod uulgo ostentant. Nam cum Dei religio in eius maxime posita sit timore, ac iuncta cum trepidatione reuerentia illa, quae ab amore proficiscitur, hi suo solummodo contenti uitae fuco atque impostura, scelestiorem nonnunquam habent animum, quam illi, qui palam peccant. Vtcunque, inquit, uera Dei religio apud complures esse uideatur, attamen in his solum illam habitare certum est, qui Deum syncera colunt pietate, uerenturque ut patrem. quapropter Dei filius, qui solus gloria nostra est, ac uita, & in quo Deus habitat plenissime, inter nos homines diuersatur. Numinis quippe praesentiam appellat Vates gloriam, uti uere est: imo sola ea est, in qua nos gloriari iubemur. Sunt qui, in terra nostra, in Christo nostrae mortalitatis particeps interpretantur, in quo pater sit, quemadmodum ipse in patre, ac nos in illo. Quae maior gloria hac esse potest? Verum non me clam est, Dei praesentiam, nempe conditarum rerum gloriam, ubiuis gentium uixerimus, apud nos diuersari. Ibi dignitas, ibi sanctissimus uitae odor, ibi pax, ibi iustitia, ibi, quantumuis occulte in antris latitemus, & misericordia, & ueritas: quae omnia maiorem animae conciliant gloriam, quam si multimodis ornatus sis uirtutibus & scientiis, addo & magistratibus, absque Dei timore. Quocirca additur a spiritu,

{85.11} Misericordia & ueritas obuierunt sibi, iustitia & pax osculatae sunt.

Impossibile quippe uidetur, ibi uirtutum omnium cumulum deesse, ubi libenter habitat Christus, quo in mundo corporeae molis uelo, tanquam Sole tenui nube obducto, apparenteque, misericordia & ueritas obuiae uicissim factae sunt. Siquidem secum ille ueniens conduxit misericordiam, qua quaecunque olim promiserat uerissime praestaret. Atque eo sane modo iustitia quae ex fide est, paxque conscientiarum, mutuis sese amplexibus exosculantes, indissolubili conglutinatae sunt nodo. Pax quidem animi, iustitiae fidei indiuidua tum comes facta est. En quadriga, in qua e coelis euectus est Christus. En quam arcte connexae sunt, eo

{pdf 626, p. 305}

adventante, inter sese necessitudine uirtutes: quibus prius ad inuicem dissociatis ne illorum quidem nomen integrum audiebatur. Ad haec,

{85.12} Veritas de terra orta est, & iustitia de coelo prospexi.

Vide o tu qui ueritatem Dei, ut inquit Paulus, in iniustitia detines, quomodo te omisso, ueritas, nempe uera, non ficta, ut tua est sanctitas, e terra, hoc est, a peccatore terrenis cupiditatibus immerso, egerminauerit. quin ipsa quoque, quae in Deo est iustitia, quaque gratis iustificamur, e coelo abundantissime effluxit. ita uerbum, prospexit, interpretantur quanquam nil uetat, quin de benignissimo Dei intuitu in peccatores intelligamus. Etenim ipso nos placatis intuentem e coelis oculis, bona omnia, quae hic iustitiae nomine nuncupantur, accumulatissime nobis proueniunt. Volunt praeterea pii quidam expositores, de sanctissimo hic dici Mariae partu, e qua homine, uti solet e terra flos & germen, immaculatus prodiit Christus homo. Unde iustitia, ut inquit Augustinus, qua iustificarentur homines, e coelo prodiisse uisa est. Siquidem per Christum nostra omnis e sinu patris allata est purificatio.

{85.13} Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.

Ecce quomodo a diuino benignitatis fonte, terra haec nostra cordis, alioqui per se infoecunda, dat fructum spiritus, respondetque gratiae, quae e coelo tanquam ros purus, seu imber, lapsu in satis gratissimo, in agello animae continue depluit. Nulli dubium, quod nemo potest accipere quicquam, nisi ei datum fuerit e coelo. Quemadmodum igitur terra, quam uomere grauique rastro subigimus, non foecundatur, nisi Solis & pluuiæ adiuta beneficio, ac temperata: ita & cor hominis absque Dei benignitate & clementia, fit sterile & infoecundum. Nam (quicquid de se suisque uiribus philosophentur homines)

{85.14} Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in uia gressus suos.

Iustitia, inquit, Dei, hoc est, gratiarum immensitas, ante illum, quo nulla ei desit bonorum copia, ne'ue is erret, qui Deum timet, tanquam dux solers, ac fidus comes praecedet, atque illius firmabit in uia pacis uestigia. Pene homo quamlibet gratiarum sit diues copia, in iustitiae semitis puer est, nempe debilis, atque ad firmandos gressus incertus ac titubans, nisi Deus, ueluti nutrix, aut mater anxia, ad lapsumque pueri suspiciosa, illius pedes moueat, pedetentimque ad uiriles assuefaciat passus. Itaque iustitia illum, qui Deo charus est, praecedet, figetque illius pedes in uia, qua ad amoenam Dei habitationem iter est. Et est hic annotanda metonymia. Dicere enim uoluit, iustissimum quenque coram Deo ingressurum, feliciterque pedes in Dei itinere positurum, cum dixit per transmutationem, Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in uia gressus suos, nempe in uia iustitiae, pacisque ac fidei itinere. Quae omnia diuinæ beneficentiae dona sunt, atque iter, quo ad Deum felicissime transitur. Cui gloria sit in secula seculorum. Amen.

PSAL. LXXXVI. Oratio Dauid.

{86.1} Inclina domine aurem tuam et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego.

Oda haec feruidæ mentis affectum, cum omnium, qui abiectis humanis curis atque occupationibus, in Deum feruntur, ostendit, tum uel maxime Dei filii, qui unus Deus cum patre, ut inquit Augustinus [sic, Augustinus], unus homo cum hominibus, orat in forma serui, qui oratur a nobis in forma Dei: orat pro nobis ut sacerdos noster, orat in nobis ut caput nostrum, oratur a nobis ut Deus noster. Hactenus uir sanctus. Atqui hic uides quomodo diuina quadam immutatione, ac Dei in hominem, hominis item in Deum transitu, idem pene factus sit Deus & homo, creator & creatura, mors (ut sic dicam per excessum) & uita. Atque haec omnia quidem per Christum, quem dedit pateri (ut inquit Apostolus) caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. Quocirca idem pro nobis innocentissimus orat, qui &

innocentissimus pro nobis crucem, unde omnis orta est piorum innocentia, atque in Deum translatio, pertulit. Orat hic igitur pro impurissimo purus, pro inquinatissimo sanctus, pro facinoroso, coelestiumque diuitiarum egentissimo, ipse innocens, ac non tantum diues, quantum copiosissimus bonorum omnium erogator, clamatque: Inclina domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego. Vidisti ne unquam, mi lector, excellentissimum quempiam oratorem ingenti aerumnosae multitudinis agmine comitatum, uniuersalem pro sua re publica causam agere coram rege, aut magistratu? Se quidem unum ex illorum numero, qui miseri sunt, effingens, perinde aliorum exponit calamitates, ac si suae essent omnino, simulque cum caeteris mulctandus foret. Non secus quidem suis in purificandis tutandisque amicis, agit misericors Iesus, pro quibus sane, ut in hoc psalmo uidere est, se pauperem atque inopem, hoc est, re omni humana prorsus denudatum queritur. Ait enim: Tu o altissime, aurem tuam mihi, causam meam tenue, uoceque gracili, insusurranti potius quam exponenti, quo me clarius intelligas, inclina, & me tandem exaudi: quoniam flebilem in modum afflictus, ope omni humana destitutus sum.

{86.2} Custodi animam meam quoniam sanctus sum, saluum fac seruum Deus meus sperantem in te.

Duas enim huc affert rationes, quamobrem exaudiri debeat uir sanctus: caeteras postea. alteram quidem, qua se bonitatis ueraeque religionis studiosum: alteram, qua se Dei seruum esse fatetur. Quae duae in homine afflicto partes commiserationem, uel ipsis quidem hostibus mouere possent, nedum dominis naturaliter in frugi seruos beneuolis. Porro sanctitas in hoc loco, ut in plerisque aliis scripturae locis, pro sanctitatis studio & cura sumi debet. Unde Paraphrastes: Sit tibi curae, inquit, anima mea, quia candido sum erga te animo. Necesse quidem est eum ipsum, qui se ante Deum aliquid rogaturus sistit, purum omnino esse, ac sanctitatis appetentissimum: alioquin impuro animo, atque in diuino obsequio inertis, uix aliquando suum impartitur lumen iustitiae sol. Verum si Christum spectes, se sanctissimum, imo sanctitatis distributorem, parum dico, ipsissimam sanctimoniam se recte appellare poterit. Vide igitur quid dicat: Serua, inquit, mi Deus animam meam, quoniam nihil mihi antiquius est, quam ut innocens sim, ac sanctus: quoniam insuper seruus tuus ego sum, & is quidem, qui non aliunde mihi uindico fauorem, praeterquam abs te, mei curam habe. Quo alio niti debeo patrono? Te unice diligo, te efflagito, ubi supplico. Idcirco

{86.3} Miserere mei domine, quoniam ad te clamaui tota die.

{86.4} Laetifica animam serui tui, quoniam ad te domine leuaui animam meam.

Saxeus prorsus is esset iudex, qui huiusmodi non flecteretur pii pectoris precationibus. Duas rursus alias adducit rationes, cur flecti debeat aeternus pater. Misereat te, inquit, mei domine, quoniam ab omni horrens animi torpore, tuum assidue imploro subsidium. Ad haec: Exhilara, te obsecro, afflictam hanc animulam serui tui, quoniam ad te, quamuis in sublimi habitantem, uotis affectuque animi flagrantissimo pertingere elaboro.

{86.5} Quoniam tu Domine suavis & mitis, & multae misericordiae omnibus inuocantibus te.

Iam patris animum in homines ob scelera commotum, ab eius laude placare intendit, non fecte id quidem, & adulatorie. O mores, o aetatem plusquam aeream. Quid non adulationis prae se ferunt orationes mihi nuper, dum haec commentor, ad legendum oblatae? Stomachor, cum in illorum memoriam uenio, in autorem ne, quisquis is tandem fuerit, an in quorundam magis leuitatem, non dico, quibus uel falso, in ipsis uel usque ad nauseam laudatis, istiusmodi ab antiqua maiorum seueritate penitus degenerantia, chara sunt & grata. Quo, malum, tanta tam grauis consessus deuenit dignitas? Sed ad rem nostram. Suavis & mitis dictiones, quamuis in Deo optime conuenire uideantur, Hebraeis tamen sunt bonus & propitius, seu ut legit Felix bonus & propitiabilis. ut sit sensus: Quoniam natura bonus es, hoc est, ad elargienda munera facilis & liberalis, atque ad pec-
[peccata]

{pdf 628, p. 306}

-cata condonanda flexibilis, supraque expectationem omnem omnium misericors erga illos, qui tuum implorant auxilium,

{86.6} Auribus percipe domine orationem meam, & intende voci deprecationis meae.

Inculcat haec anima, cui mora omnis in Deo longa uidetur. Horrendum profecto id esse iudico, mala quotidie increbrescere, augerique aerumnas: tardum uero, seu nullum omnino extare subsidium. Id maximum sane est opus fidei, intoleranda propter Christum toleranter, imo uero gratanter ferre. Vide igitur orationis ardorem atque exuberantiam. Auribus, inquit, percipe orationem meam. Sufficere sane poterat dixisse, Audi. Aliam rursum addit exaggerationem: Intende voci deprecationis meae. Cur non solummodo, intende deprecationi meae, & non attexere, voci? Haec sunt, ut dixi, maxime anxii animi indicia. Sed iam ad effectum fidei exprimendum descendamus.

{86.7} In die tribulationis meae clamaui ad te, quia exaudisti me.

Haud immemor, ait, praeteritae tuae in me beneficentiae, uel tum quidem, cum poenas potius quam beneficium demererer, iterum uariis in angustiis constitutus clamare, tuumque: implorare auxilium audebo, sperans fore, ut quod e re mea esse iudicaueris, abundanter praestes. Certe

{86.8} Non est similis tui in diis domine, & non est secundum opera tua.

Neque dii gentium mortui, & manufacti, neque ipsi quoque, in quibus plerunque confidit uulgas, potentissimi homines, neque angeli demum, eadem qua tu, pollent fortitudine ac potentia. Non queunt hi omnes uitam dare, ut tu: non iustum quenquam facere, ut tu: non ditare uirtutibus, ut tu. Quis ergo tecum conferendus? Nemo omnino

est qui tua imitari queat opera, adeo longo a te, quicquid conditum est, dissidet interstitio. Et quidem, ut alia omittam, tuo excitatae spiritu,

{86.9} Omnes gentes quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum.

Apertissime hic Vates gentium uocationem praedicit, quae sane inter admiranda Dei facinora maxima omnium semper uisa est. Quis id unquam credidisset? quis, nisi Dei spiritus ductu, cogitationibus unquam assequi potuisset, filiis ab haereditate exclusis, facinorosos quosque, & hos quidem acerrimos Dei hostes, introductos, ascitosque ad ea percipienda bona, quae nunquam aut optassent, aut optare ausi fuissent? Sunt ne ista minimae potestatis indicia, an maximae? an infinitae? an captum omnem cum hominum, tum angelorum exuperantis? Omnes itaque gentes ubique per orbem dispersae, quarumque autor tu es, supplices ad te uenient, humique prostratae, tui sanctissimi nominis maiestatem concelebrabunt, atque ad coelum usque laudibus extollent. O immensurabilem certe Dei magnitudinem. Dicam, inquit, Aquiloni, da: & Austro, noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terrae. Non id quidem mirum, neque si te intueor, ualde magnum:

{86.10} Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus.

Caeteri uero umbratiles & imaginari. Quare, o tu qui potes,

{86.11} Deduc me domine in via tua, & ingrediar in ueritate tua. Laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Lucidius Felix ex Hebraeo: Doce me domine uiam tuam, ambulabo in ueritate tua: unias cor mei, ut timeat nomen tuum. Paraphrastes rursus: Doce me domine uiam, qua itur ad te, ut ambulem confidenter per eam. Verbum porro, laetetur, Hebraeis est, aut uni, aut excita, aut coge. De laetitia uero apud eos nulla fit mentio, quanquam suo & ipsa ornata est decore. Siue enim a diuino exciteris spiritu, siue tuum alioqui dissipatum cor uniat, siue etiam placidissimo traharis afflatu, semper tibi laetandum erit. Nullum quippe potest cum illo comparari animae gaudium, cum se sentit Deo pungi, excitarique ad intermissum iustitiae studium, atque Deo uniri. Confidenter, inquit, tutoque per iustitiae ac ueritatis semi-
[semitas]

{pdf 629, p. 306v}

-tas, in quibus sincere omnia fieri par est, ambulabo, si tu direxeris, si docueris, si excitaueris, si cor distractum uniuersis. Istuc certe in terris felicissimum est uitae genus, sic a Deo hominem instrui, ut nihil a uero fidei itinere deflectens, unitum semper habeat cor in Deo. Nam difficile omnino est animum in huius mundi curis immersum, uoluptatibus usque carnis affixum, posse in Deum, in quo tota inest perturbationum quies, transferri, atque in eo laetari. Sunt qui sic, Ingreddiar in ueritate tua, interpretantur: Non dubito quo minus mihi fidus itineris comes futuris sis: id enim promisisti: tua igitur confisus fide ingrediar. Verum uide quam prudentissime e solida

grauisque cordis laetitia, oriri iaciat timorem erga Deum Vates. Laetetur, inquit, cor meum, ut timeat nomen tuum. Obstupescunt hic opinor mundi sapientes, cum audiunt e laetitia metum nasci. Hi quidem, quid sibi uelint duae illae molae in lege domini, superior & inferior, ignorant penitus. Fac igitur, mi Deus, ut uniatur cor meum in te, ne huc illuc propter tentationum acerbiteriam distractum in fide uacillet: hoc sane impetrato in te gaudebo, te metuam, de te cantabo, &

{86.12} Confitebor tibi domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in aeternum.

En sancti cordis unio cum Deo. En gratiae animae promissio, ac uotum: cui nihil prius est, quam ut Dei nomen sanctificetur, colaturque ab omnibus passim, ubi cunque degant, nationibus. Vis enim ea est pietatis, ut tantum de alieno unusquisque gaudeat bono, quantum de proprio. Etenim cum uno uiuant corde, atque animo electi, unum eos uelle, unum expetere, unum prorsus diligere, atque eodem perfundi gaudio necesse erit. Quo circa cum uideris hominum coetum in uaria scindi consilia, uariaque appetere & amare, ibi per me fateri licebit, nullam esse pacem & unionem, ideoque neque Deum, neque boni cuiuspiam uestigium. Obserua itaque quid hic credentium multitudo, cuius unum tantummodo factum sit cor, de se aequae, ac si unus duntaxat esset homo, asserat. In toto, inquit, corde meo, non dissipato, in uariasque scisso, uti solent hypocritae, persuasiones, & qui immensis cupiditatibus obnoxii sunt, te celebrabo, nomenque tuum perpetuo, cum uerbo, tum uita ac morbus, magnificabo, efferamque, etiam inuito mundi supercilio, ad coelos usque intrepidus. Vellem profecto ex hac sanctae animae pollicitatione ac uoto, condocefierent hi, qui in templis se Deo laudes canere arbitrantur. Qui interdum, bone esu, tumultus? quae inter psallendum commiscentur turbae? qui strepitus uaque animae dilacerationes quae odia? quo simultates sacris, tanquam diuinum Selah, interseruntur psalmis? Glorificabo, inquit, nomen tuum, non proprium, non amicorum, non affinium, & id quidem quoad uixero:

{86.13} Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Infernus hic inferiori ne aut de limbo patrum, aut subterraneis inferorum tenebris modo philosophemur pro extremis periculis, in quae nonnunquam coniicitur anima, sumi debet. Unde Paraphrastes: Quoties, inquit, uersabar in periculis, etiam summis, tu me eripuisti, & animam meam ueluti ab inferis ad superos reuocasti. Idem ferme est, quod alio in loco de se asserit Vates: Domine, inquit. eduxisti ab inferno animam meam quod autem infernum inferiorem appellet, prosopopoeia est, mire admodum rei efficaciam exprimens. Caeterum misericordiam magnam in Deo uocat, ob magna hominum scelera, quae adeo in immensum creuerant, ut pene diuinam superasse clementiam uiderentur. ait itaque: Misericordiae tuae erga hominum genus immensae non parua quidem extant indicia. Quoties enim ego (ut pro omnibus semel dicam) extrema in pericula coniectus essem, tu me, tanquam ab inferis ad uitam restitutum, in segura collocasti fidei sede. Et ut quidem multa, quae infernum plusquam inferiorem prae se ferunt, omittam, illud molestissimum omnium non tacebo, quod

{86.14} Iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quaesierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo.

Aptius latina usus esset locutione latinus interpres, si coetum, aut concilium,

{pdf 630, p. 307}

aut turbam quoque, ut reddit Paraphrastes, uertisset, non synagogam. Ad haec, iniqui dictio, Hebraeis maiorem habet energiam, quam si simpliciter legas, iniqui. Superbi, uertit Felix. Alius, uiolenti, & est sensus: Violenti quidem homines, quique nullo rationis utuntur fraeno, ut fere est uulgas, in me conspirauerunt. Sed id parum forsitan uideri posset, nisi & ipsi quoque multitudinis primates, ipsi principes, ipsi pastores, meam mihi adimere uitam, aut saltem traducere, nulla habita tui ratione, moliti essent, Heu insaniam: non proposuerunt, inquit, Deum in conspectu suo, sed mundum. Id extremae profligataeque dementiae signum est, omni abiecto Dei timore, impudentissime peccare. Quod certe aliquando uiolentorum hominum turba, uirum quempiam bene moratum, odio, sicisque, ueneno, aut maledictis incessat, non est adeo incredibile, quin credi possit: at ab ipsis primariis hominibus, a magistratibus, ab ipsis denique multitudinis patribus, e quorum uita, tanquam a uirtutum omnium archiuo, suam caeteri sumere debent uiuendi normam, saeuitiam atque odium prodire cernere, quis, nisi ipsemet ipsorum experiretur immanitatem, unquam crederet? Sic sane male habitus fuit Christus in terris, non solum a uulgo naturaliter nouarum rerum cupido, uerumetiam ab ipsis synagogae dynastis, a pontificibus, a scribis, a sacerdotibus. Vide igitur perfectam crucis imaginem, o tu, qui Christum imitari cogitas. Hi nempe qui tales sunt, ut dixi, duri, crudelesque appellari debent,

{86.15} Et tu domine Deus miserator, & misericors, patiens, & multae misericordiae, & verax.

Piae quidem uocis memoria delectatus interpres, ter misericordiae, cum non opus esset, usus est dictione. Siquidem Hebraeorum interpretes fere omnes, una tantummodo contenti misericordiae uoce, sic totum transferunt uersum: Tu domine pronus es ad misericordiam, propensus in beneuolentiam, tardus ad iram, bonitate & fide effluens. Ad fidem, inquit Campensis, propensissimus es. Da mihi igitur Christianum ita, ut hic illum desiderat spiritus, affectum, sed cum primis principem ac praesulem, nihil illi ad Christianae uitae perfectionem deesse dicam, iuraboque Deum illum esse, non hominem. Secus uero, neque illi dominii sceptrum, neque huic animarum tutelam recte traditam asseuerabo. At suis hi, postquam sic uolunt, agitentur animi permotionibus ac turbis: tu domine

{86.16} Respice in me, & miserere mei, da imperium tuum puero tuo, & saluum fac filium ancillae tuae.

Neque Graeci neque Hebraei codices habent, imperium, sed aut robur, aut fortitudinem. Caeterum dicens filium ancillae, auget seruitutis conditionem, quae in uerna despectior esse solet, quam in simpliciter seruo. Sensus itaque erit: Tu qui auersus a me, tanquam iratus dominus, longe aberas, redi placatus, sedatoque me respice animo, ac uires

suppeditans serua me, non tam seruuum tuum, quam uernam despectum & miser, nempe filium ancillae tuae, non liberae. Hic mihi quoque hoc modo orare fas sit: Te Deum hic meum inuoco, beneuolo me intuere aspectu & iucundo, & ad me, qui procul ob peccatorum meorum foeditatem offensus abieras, redi. Da puero tuo animum, da uires, sui ipsius imperium, da robur, da tui fauoris, in quo omnis inest gratiarum uis & potentia, magnitudinem, ac serua filium ancillae tuae, matris nostrae Sion, quae est credentium Ecclesia, & quae tibi liberam seruit seruitutem. Non desunt qui hae ad Christum referentes, mundissimum beatæ Virginis partum a Vate praeuisum fuisse arbitrantur, quae, multis prius ultro citroque habitis cum Angelo uerbis, se ancillam tandem domini testabatur, dicens: Ecce ancilla domini. Sanctissima plane haec est opinio, Vatisque spiritu dignissima: atque adeo magis id quod statim intulit,

{86.17} Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me & confundantur, quoniam tu domine adiuuisti me, & consolatus es me.

Tota quippe uita Christi, conceptus, natiuitas, consuetudo, doctrina, crux, tandem & mors, mirabile fuerunt Dei beneuolentiae signum, non illud quidem cui contradicturi erant Iudaei, sed in bonum, sed cui par fuerat, tanquam bonorum omnium scopo, adhaerescere homines. Atqui signum olim Cain sceleratissimi-
[sceleratissimo]

{pdf 631, p. 307v}

-mo datum fuit in malum, hoc est, ut Dei indignationis atque irae, in illo indicium foret: contra uero Seruatori nostro in bonum, quo diuinae beneuolentiae atque amoris erga homines admonerentur hi, quos signauit Deus, ut inquit Paulus: Et dedit pignus spiritus in cordibus eorum: caeteri autem contabesceret, uidentesque obstupescerent. Ecce hic positus est, inquit senex ille sanctissimus in multorum ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur. Ait igitur: Mi pater, signum aliquod tuae erga me aede beneuolentiae, quod hostes mei uidentes pudore afficiantur, dicantque uicti, te meum semper esse consolatorem. Est ne, mi lector, mediocris ea Dei amoris erga nos significatio, cum ab improbis mille una die lacesiti iniuriis, perstamus intrepidi, nihilque minus in hoc mundo ueremur, quam ob sceleratorum hominum impudentiam & linguas, a pace animi, quam per Dei benignitatem adepti sumus, deturbari? Certe uerius illud est, quam quod multis illustrari debeat, quod qui Deo adhaeret, unus spiritus cum illo efficitur. Cui laus sit perennis in secula seculorum. Amen.

PSAL. LXXXVII. Filiorum Choraë, Psalmus cantici.

{87.1} Fundamenta eius in montibus sanctis.

Oda haec sane quam parua, sed non minus obscura, quam mirabilis, maximam praebuit occasionem expositoribus dicendi, & de his quoque a tametsi pia esse uidentur, nonnihil tamen a Vatis mente abesse deprehenduntur. Solidos certe deamat sensus sua in doctrina spiritus, non nutantes, non cum Iudaeorum risu indoctos & frigidus. Videtur hic mihi Vates illorum morem seruare uoluisse, quibus, cum praeclarissimi alioqui sint poetae, nonnunquam stricto argutoque poematis genere, ut sunt Epigrammata, luisse

libuit. Psalmum Cantici appellabant antiqui cantionem illam, quae instrumento incoepata esset musico, sed uoce actutum humana, secundo quoque loco, intercepta. Quem quidem morem etiamnum seruare templorum choros cernimus, tum alias, tum cum ad beatae Virginis canticum in uespertinis laudibus peruentum est. Mirabili plenus is est ecstasi psalmus: quare a sensibus, ut sic dicam, mihi exeundum est, si ad ea quae in illo obteguntur mysteria, mente saltem, simulac calamo nequeo, attingere cupio. Semel Dauid uenturae felicitatis in Christo atque eius Ecclesia magnitudinem cogitans simul & admirans, uictusque rei immensitate in haec de improviso prorupit uerba: Fundamenta eius in montibus sanctis. Vide ad quae alia referenda sit dictio, eius, nisi ad ea, quae prius sanctissima quadam ratiocinatione uoluerat animo propheta. Iam illud in primis dicendum, suo more Vatem e manufacta Hierusalem, quam in collibus sanctis, nempe Sion, Moriah, atque Oliueto sitam fuisse asserunt autores, ad coelestem, quae est mater nostra, ut inquit Paulus, transitum facere. Idcirco montes sanctos uocat ob praecipuam Dei religionem & cultum. Ibi quidem erat templum, ibi arca, ibi certissima dabantur a Deo responsa. Verum pene nulla illa uetus fuit sanctitas prae illa, qua per Christi praesentiam non tantum Iudaeam, quantum uniuersum terrarum orbem ornandum esse praeuidit Vates. Ait itaque: Fundamenta eius, nempe alterius Hierusalem, in montibus, non illis quidem terrenis, in quibusque crucifigendus est autor uitae, sed sanctis, sed puris, in coelis nimirum, ubi habitat diuinitas, iacta sunt. Etenim ex spe ac fide in Deum, eiuscemodi surgunt pietatis aedificia. Quare non absque ratione Ioannes sua in apparitione fatetur se uidisse ciuitatem sanctam Hierusalem nouam de coelo descendisse. Porro quam aliam ciuitatem putas expectasse Abraham, quando expectauit, ut inquit Paulus, fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor esset Deus? quod si certe rem diligenti perpendamus spiritu, nullum aliud beatissimae huic urbi statuemus fundamentum, praeter montem eum, quem eleuatum super omnes colles testatur Esaias, qui Christus est, pulcherrimi etiam huius aedificii fabricator. Unde quoniam fictor suum amat figmentum,

{pdf 632, p. 308}

{87.2} Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.

Quid ni tanti faceret Deus Sion, ut illam magis diligeret quam cunctas Iudaeorum ciuitates, atque habitationes, quando illa cunctis religionis obseruantis, legisque praeceptis, ritibus, caeremoniis, praeponenda esset? cuiusque tandem bases suum fore unigenitum decreuisset? O mirum nostrae urbis aedificium, cuius fundamentum Christus est, amor nimirum patris, atque uniuersalis ad omnes charitas. Quid, oro, structurae? quid aedificii ab huiusmodi sperare debeam fundamento? pacis primum, ueniae, placationis, clementiae, atque haec omnia, amor unus. Ecce quam breui assertionem, quales debent esse parietes Ecclesiae, tecta item & columnae, pene descripsit spiritus. Vix enim illum ad Ecclesiae structuram pertinere dixero, qui quamuis sexcentis illitus sit sacramentis, uariisque adornatus uirtutibus, coelestium quoque rerum gratiis ac donis illustratus, elato tamen sit animo, atque impuro. Sanctum quippe fundamentum, sancta requirit aedificia, ut eadem plane sit totius fabricae ratio & textura, quemadmodum unum esse uoluit Deus sui unigeniti in terris corpus, quod est Ecclesia cedentium. Unde non immerito exclamat Vates:

{87.3} Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.

Portae Sion (quod pene exciderat) pro tota ipsa ciuitate, atque illius munitione & robore sumi debet. quod & de portis inferorum intelligi oportet, quando, inquit Christus, portae inferi non praeualebunt aduersum te: id est, munitiones, machinae, artesque inferorum minime in te praeualebunt, etsi te quatent. Itaque suam Ecclesiam diligit Deus ardentius, quam unquam dilexit Sylo, in qua arca fuerat: seu Hierusalem, in qua templum: Hierusalem, inquam, illam ueterem prophetatum interfetricem, & de qua sic uaticinatur dominus Iesus: Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & circundabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem. De nostra uero sic: Et portae inferi non praeualebunt aduersus eam. Ergo merito gloriosa dicta sunt de te, o ciuitas Dei. Dixerunt quidem scriptitaruntque de te olim scriptores ueteres illi praeclarissimi prophetae, subindeque Apostoli, qui omnes te matrem illam coelestem, & sponsam a Deo ornatam appellarunt, quae illi filios ex omni passim orbe collectos pareres, non quidem semine humano, sed illius spiritu & uerbo, qui sponsus est, conceptos, quem admodum illius unigenitus e pura intemerataque conceptus est uirgine. Selah huc interiectum nos admonet, nihil unquam in terris fuisse, neque esse posse, tam plenum gloria & dignitate, quod inferius non extiterit Dei ecclesia, in qua ipse habitat rex gloriae Christus Iesus. Ex hebraeo quidam sic legunt: Gloriosa loquitur in te, o ciuitas Dei: nempe Christus sponsus, qui sic effari de sua sponsa incipit:

{87.4} Memor ero Rahab et Babylonis scientium me.

Ecce res nova, ecce praeclara illa et gloriosa, quae in te loquitur sponsus, o coelestis Hierusalem. Ecce tua a Deo, o sterilis, quae non paris, stupenda foecunditas. Quid? O inenarrabile Dei consilium, o mentem puris animis tantummodo cognitam. Ecce quomodo aceruatim concurrunt homines.

{87.4} Ecce alienigenae, & Tyrus & populus Aethiopum, hi fuerunt illic.

Sub nomine quidem memoratarum gentium, quae Iudaeis inter caeteras orbis nationes, hostes fuerant infestiores, & magis cognitae, totas per uniuersum late orbem sparsas intelligi uult gentes, quae ad fidem Christi, spiritu Dei cooperante, acceleraturae erant. Siquidem haud multis post seculis ipse dicturus erat: Ite in uniuersum mundum, & praedicate Euangelium omni creaturae Ait igitur: Memor ero etiam Rahab & Babylonis, hostium nimirum populi mei inexorabilium, quorum antea immemor fueram: eosque me agnoscentibus, fideque colentibus annumerabo, ut unum plane sint corpus cum his, quos ab aeterno, ut me agnoscerent, a mundo secreuit aeternus pater. Caeterum Rahab appellatiuum nomen

{pdf 633, p. 308v}

esse asserit diuus Hieron. quod superbiam interpretatur. quare nonnullis uisum est ex hebraeo transferri posse, Aegyptiorum. Idem quoque Chaldaeus, qui uice Rahab, Mezraim scribit, quae dictio Hebraeis Aegyptum sonat. Mizraim fuit filius Cham, a quo perinde originem atque nomen sortiti sunt Aegyptii. Rursus alienigenae, Palaestini, seu

Philistaei, Hebraeis sunt. quare is erit sensus: En nouum consilium, ac pene incredibile: Gentes mihi rebelles, atque hostili in me animo, ut sunt Aegypti, Babylonii, Palaestini Tyrii, Aethiopes, meos inter filios connumerabuntur. Hi quidem fuerunt illic, hoc est, ut uertit Symmachus, nati sunt in Sion, nempe per innouationem uitae: nam in Sion primum natus est Christus, ex quo pii suum nacti sunt ortum: hoc est, in Sion innotescere mundo occoepit fidei autor, atque subinde a discipulis illum annunciari uniuersus fere audiuit orbis. Ideo o Felix, atque adeo caeteri ex hebraeo sic uertunt: Hic natus est ibi. Paraphrastes item: Accurrent propterea, quod insignis ille natus sit ibi, nempe a prophetarum uaticiniis promissus, expectatusque ab omnibus & desideratus.

{87.5} Nunquid Sion dicet, homo & homo natus est in ea?

Ex hebraeo: De Sion dicetur, uir & uir natus est in ea. hoc est, unusquisque qui natus est ex spiritu & aqua, in ea natus est, nempe ut sit Dei filius, ac coelorum ciuis. Vir & uir, pro unusquisque ponitur, ne hic modo de duplici in Christo natura philosophemur. Etenim in Ezechiele legimus: Homo homo de domo Israel, qui posuerit immunditias in corde suo. Id est, quicumque ex Israelitis, quisquis is tandem fuerit, qui conceperit immunditias in corde suo. Digito itaque quasi hi commonstrabuntur, audientque in uulgus, Ille & ille natus est in ea. Nec mirum quidem: nam

{87.5} Et ipse fundauit eam altissimus.

Ipse quidem altissimus tam insolitae mundo renascentiae fundator fuit: ipse, inquam, non humanum ingenium, non sanctitas, quae nulla erat, illius strauit fundamentum, quae uis est spiritus in Deo. Etenim quis unquam sibi persuasit sese ex se uenire posse ad Deum, nisi a Deo tractus? Ipse igitur nobilissimae structurae fidei fundamentum est, progressus item, & consummatio: & qui

{87.6} Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum qui fuerunt in ea.

Felix sic: Dominus numerabit cum scribet populos: hic natus est ibi. Quid sit, numerabit, exponit Paraphrastes: Commemorabit, inquit. Alius rursus: In annales populorum referet, quod insignis ille natus sit in ea. Efficiet, inquit, dum recensebit populos, ut commemoretur, quod mirabilis ille & stupendus omnibus, in ea natus sit. Summa, ait quidam, totius scripturae est, Christum natum esse Ecclesiae. Caeterum scripturae eae Dei, in aeterna immotaque illius mente tanquam in libro exaratae sunt: in quo sane quotquot seruantur, hi enim uero qui in Sion ex fide Iesu Christi renascuntur, sunt scripti. Et id potissimum, quia insignis ille orbis instaurator in ea natus, felicissimae istiusmodi renascentiae autor est. Verum ne noster quoque suo fraudetur sensu interpret, sic dici posset: quo dominus narrabit, seu pronuntiabit, prout scriptum inueniet in scripturis populorum, hoc est, in libro uitae, in quo scripti sunt credentium populi, atque eorum principes in primis, qui sic praecipua a Deo nuncupati sunt electione, nempe Apostoli, ac doctores, qui & ipsi fuerunt, seu, ut melius ex graeco reddi posset, qui generati fuerunt in ea. Sed primus sensus mihi uerior uisus est, magisque spiritui, atque his quae sequuntur, conueniens. Hic additur Selah.

{87.7} Sicut laetantium omnium habitatio est in te.

Argutissimo incoeptum exordio epigramma, argutiori clauditur fine. O Sion, inquit, ciuitas Dei, habitatio est in te, non moeroris quidem, ut sunt pleraeque huius mundi aedes, sed gaudi, sed aeterni, ob sedatas conscientias, tripudii. Atqui bona istiusmodi omnia, in sinu Ecclesiae perdurantibus proculdubio in hac quoque uita, nedum in futura, contingunt. Verum non omnes qui sacra intincti sunt unda, sacramentisque initiati, in Ecclesiae gremio, in quo perfecta inest pax, & in quo

{pdf 634, p. 309}

spirituales audiuntur cantiones, chorique illi ducuntur coelestium consolationum plenissimi, qui ab amore profecti, in amorem tandem adeo ardentem combusti resoluuntur, ut plane nihil in terris, quod suum esse uelint, prae se ferre queant, praeter tenuissimos corporeae huiusce mortalitatis cineres, uere esse, & commorari, non adeo dicere. Nego igitur quempiam, quamuis alte in uirtutum apice collocatum, ut religionis nomine insignem, intra Christi ulnas, in quibus sita est mortalium omnium beatitudo, locum habere, si conscientiae stimulis punctus & discerptus, nullum sentit spiritualis laetitiae gustum: quem in eo potissime positum esse & ducimus, & aliquando experti sumus, cum quis ita unitus est Deo, ut quicquid Deum non referat, pacem scilicet, concordiam, dilectionem, mansuetudinem, pudicitiam, mundique neglectum, contemnat. Perfectissima quidem a suis expectat Christus. Quod si porro haec exacte nimium a me requiri putes, atque ob id in hunc tenuem Christi seruum excandescas, cur tuam interim non reprehendis ignauiam, o qui tua, nescio qua, contentus perfectione, nihil iam fari libet praeterquam, templum domini, templum domini, templum domini? Heu frigidus mei cordis (ne de aliis dicam) persuasiones. Certe extra Christi doctrinam ac uia, non est salus. Cui honor sit semper, & benedictio in secula seculorum. Amen.

PSAL. LXXXVIII. Canticum psalmi filiorum Chorae. Vincenti, super infirmitatem ad humiliandum, eruditium Heman Ezraitae.

{88.2} Domine Deus salutis meae, in die clamavi, et nocte coram te.

Duobus quidem cantoribus, Heman scilicet, atque ex posteris Chorae uni, iussum fuerat a regem ut hanc commiserationis plenam, alternatum, ad exprimendum Messiae infirmitatem, atque in terris cruciatus, occinerent odam. Volint Hebraei Heman, qui fuit inter Leuitas sapientissimus, ex sui nominis conscriptione, quae plane eadem est cum primis literis tetragrammaton, quae, ut exponunt Cabalistsae, Messiam significant, Christum omnino referre, qui se humiliavit usque ad mortem, propter mortalium salutem. Cuius sane mortis crudelitatem adeo moeste deplorat Vates, ut nullam penitus admittere uideatur consolationem: quod in aliis eiusdem argumenti psalmis minime factum esse cernimus. Illi enim laeto fere clauduntur fine, in hoc uero iacent omnia. Quod sane cum considero, meam non queo non maximopere execrari, ut sic dicam, incogitantiam, qui tam stupidus sim, ac mei ipsius obliuiosus, ut afflicto sub capite & cruento deliciari audeam, atque tam imprudenter meam instituere uitam coner, ac si ipse pro se, haud pro me, cruci affixus esset Christus. Quocirca cum haec, quae in hoc

psalmo, tanquam in crudeli tragoedia, dicuntur, commentari incipio, totus contremisco, quippe qui nullo adhuc me sentiam affectu permotum, qui uel minimam tam extremi doloris partem referat, quem pro me mei amantissimus subiit Iesus. Scribam tamen, illorum morem sequutus, qui quae ignorant scribunt. At non ignorat pro me, qui uice mei despectissimus omnium factus, clamat: Domine Deus salutis meae, in die clamaui, & nocte coram te. Dauid Kimhi Hebraeorum doctissimus, fatetur titulorum uerba & sententias incognitas omnino esse: praetermissis igitur incognitis penitus, minus incognita tentemus. Domine Deus, uide tenerum filii in patrem animum, atque affectum: uide, inquam, firmum Christi in orando propositum. In die, inquit, clamaui, nocte rursum a clamore non destiti: atque id quidem coram te, cui mei cordis arcana notissima sunt. Abiiciesne me filium tibi obsequentissimum? innocentem? absque ulla causa ab improbis afflictum? O certae salutis meae autor, meos exaudi gemitus ac suspiria.

{88.3} Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.

A cordis radicibus nimirum euulsam, confusam, meticulosam, atque ut sic loquar, exanguem. Tu excelse, tu supra omnem altitudinem immense, aures tuas illas ad audiendos humilium gemitus faciles & benignas, ad pauperem tenui spiri-
[spiritu]

{pdf 635, p. 309v}

-tu ac uoce suam enarrantem indigentiam, inclina, accedatque intrepide in conspectu tuo, alioqui formidabili, mea a consternato animo dimanans oratio.

{88.4} Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.

Infernus hic, ut alias quoque diximus, est sepulchrum seu fouea. Adeo se aerumnis atque aduersis oppressum fuisse fatetur, ut nihil iam ab his, qui mortui in sepulchris conduntur, dissimilis esset. Ad saturitatem, inquit, ac nauseam usque plena est tormentis anima mea: hoc est, in his ferendis impar prorsus facta, ad tumulum usque peruenit. Idcirco

{88.5} Aestimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo siue adiutorio.

Vltra non procedit uersus Hebraeis: & est fere idem, quod de descensu in foueam dixit: nunc illam lacum appellat. Anxiae nimirum animae indicium uerba haec sunt, & querimoniae: & est sensus, ut elegantissime exponitur a Paraphraste: Habitus sum, inquit, unus e numero eorum, qui iamiam corruturi sunt in barathrum: aestimatus non pluris sum, quam homo suis uiribus omnibus destitutus.

{88.6} Inter mortuos liber, sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt.

Liber tandem, inquit, a malis, quibus aequae exanguis inter mortuos iaceo, atque solent hi, qui uulnerati, prorsusque extincti iacent in sepulchro, quorum memoria iam extat nulla, factus sum. Vide quam late interdum querelis fraenum laxet homo in angustiis positus. Sunt qui uocem, liber, ad mundi referant negocia: ut sit sensus, se omnino liberum, propter mortem, a mundi curis & negociis: hoc est, se prorsus extinctum esse. Nam certe qui serio moritur, ab omni penitus mundi cura liberatur, eo sane modo, quo ab Apostolo dictum esse uolunt, tandiu Romanos liberos a iustitia extitisse, quandiu peccatis paruissent. Caeterum quod ait, quorum non es memor amplius, de uita hac intelligi oportet, cui nunquam restituendi sunt, ac si omnino a Deo abiecti essent. Unde illud est, quo queritur, ipsos de manu Dei repulsos esse. Ad haec,

{88.7} Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in umbra mortis.

Extrema aggregat mortis mala, quae profundo puteo, seu lacui, obscuroque loco & tenebroso comparat. Nec quidem, inquit, mihi solis lucem, alioquin omnibus communem, prae mentis confusione atque horrore, aspicere integrum est: in profundam omnino inferorum caliginem ac noctem coniectum me esse sentio. De umbra mortis alias admonuimus, declarauimusque, quid sibi uelit istiusmodi loquutionis genus. Mala quidem huius mundi perinde mortem comitantur, ac solet umbra corpus.

{88.8} Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me.

Heu turbidam, planeque confusam hominis mentem. Aspice ad quantam interdum adigatur desperationem, propter acerbitatem persequutionum, anima, ut Deum rem tam mortalibus salubrem contra se furere suspicetur. Super me, ait, confirmatus est furor tuus: hoc est, totam tuam in me adeo effudisti indignationem, ut nullum iam supersit malorum genus, quo me non afflixeris. Quaecunque enim mala, quae homini in carne posito contingere possunt, ea omnia in me proiecta esse uideo. Quis hic suam non exhorreat sortem? quis sibi hic non timeat, simulac innocentissimum Dei filium tam anxie suum exprimere moerorem audit? Non immerito certe a spiritu additur in hoc loco *Selah*, uel id magis adeo, quod statim subinfertur,

{88.9} Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi: traditus sua, et non egrediebar.

Conclusus sum, inquit Campensis, nec uideo quo pacto explicem me. Verba sunt animae, suam ualde exaggerantis miseriam, quae atrocior hoc esse solet, quo quis extremas in calamitates prolapsus, & amicis, & ipsis quoque intima sibi necessitudine coniunctis, despectui habetur ac nauseae. Quod sane Christo contigisse in terris, & scimus, & ut horrendum consueuimus spectaculum, execrati sumus, querimurque non eousque etiam nos in crucis suauitate profecisse, quin pro

Christi nomine atque amore, contumelias subire exhorreamus. Vide aliam domini tui afflictionem:

{88.10} Oculi mei languerunt prae inopia.

Prae inopia, Hebraeis est, prae afflictione, seu dolore, ut reddit Paraphrastes. Alii uero non inepte sic uerti posse arbitrantur: Deiecta est prae afflictione facies mea. ut fere idem sit loquendi modus cum illo alterius psalmi: Turbatus est a furore oculus meus. hoc est, facies mea prae amaritudine tabida facta est, et cadaverosa. Hae sunt quidem certissimae doloris notae, pallor, macies, languidi depressisque oculi et moribundi: ad haec, suspiria, gemitus, crebraeque atque anxiae ab imo extractae pectore uociferationes. Quare non iniuria additur:

{88.10} Clamaui ad te domine, tota die expandi ad te manus meas.

Ad illorum nimirum morem, qui ob diutinos uitae cruciatus, illo & oculos & manus, nedum uocem atque animum dirigunt, unde spem sibi salutis fore certam sciunt. Tota, inquit, die supplicabundus ad te protendi manus, dicens:

{88.11} Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?

An hic loquatur Christus, caue dubites. Sic Euthymius: Lege humanae naturae formidat Christus mortem, & rogat se diutius uiuere. Etenim persuasum habent sancti Dei uiri, nullam aliam ob causam expetendam sibi esse hanc uitam alio qui miseram & aerumnosam, nisi propterea, quod diutius in celebranda Dei religione uersari queant. Cernunt quidem, quam pauci inueniantur ex his etiam, qui ministeria in templis sibi arrogant, quibus propria magis non placeant commoda & deliciae, quam crux Christi, quae quoniam de more aspera est & cruenta, delicatos auersatur animos, ut plerique iam facti sunt ex nostris, nempe illis, qui mundum adhuc inter sepulchrorum cadauera expiscantur. Exoptanda sit igitur nobis idcirco via haec temporaria, quo diu in crucis arena ac teatro, pro sponsa, cum mundo, mundique tyrannide digladiemur, non ut ociosi carnis curam in desiderijs, ut inquit Paulus, perficiamus. Ait itaque: Num tuae erga mortuos diuinitatis specimen ostendere consueuisti? hi ne tua praedicabunt mirabilia, an uiui potius? medici ne iterum e tumulis excitabunt sepultos, qui tuas cantaturi sint laudes? Non ab re quidem inter caetera quae immortalitatem quodammodo mortalibus polliceri uidentur, medicum posuit Vates, remedium nimirum mundo saluberrimum, diuinum, quodque non tam naturae, quam Deo ipso optimo maximo cooperari cernimus. Sed

{88.12} Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & ueritatem tuam in perditione?

{88.13} Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis?

Qualem, te oro, misericordiam? qualem ueritatem? quam iustitiam, qua gratis seruas in te sperantes, de te cantabimus, si in morte, atque in sepulchro, loco nimirum

exanimatorum corporum, ac cinerum, nos dereliqueris? In tenebris ne? in terra ne obliuionis, mortuorum scilicet, quorum non es memor amplius, tua praedicabitur bonitas, quae naturaliter lucida est, ac sole ipso meridiano splendidior? in sepulchro quidem, in fouea, in lacu inferiori quis te laudabit? Viuens igitur, uiuens ipse confitebitur tibi.

{88.14} Et ego ad te domine clamaui, & mane oratio mea praeueniet te.

Utcunque ulla absque ope sub aerumnarum fasce, sub qua nihil iam praeter metum, horrorem, desperationemque, & mortem uidere licet, opprimi uidear, adhuc tamen in te sperabo, adhuc uociferans in ipso statim aduersitatum exordio, in ipso summo mane, anteaquam densissimis inuoluar tenebris, te lachrymis, atque gemebundis praeueniam deprecationibus. Id meum est consilium: quod sane cum a tua misericordia proficiscatur et uoluntate, non a mea uirtute,

{88.15} Ut quid domine repellis orationem meam, avertis faciem tuam a me?

Is certe piorum haudquaquam parentum mos est, filiorum preces negligere. Tu tamen omnium dementissimus, meam abiicis precationem, ac, quod me [sic, m upside down] acrius affligit, faciem tuam illam, in qua omnis inest uis spei & ueniae, indignabundus,

{pdf 637, p. 310v}

planeque iratus a me misero auertis. Quo igitur me uertam? ad quem meum erit perfugium? En

{88.16} Pauper sum ego, & in laboribus a iuuentute mea: exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

Longam hic narrat suam, uel ab ipsa infantia, miseriam: & est perinde, atque si diceret, in miseriis & cruce, uixi tota plane aetate. Sic illis, qui pie uiuere uolunt in Christo, contingere certum est. Non est, crede mihi, seruus maior domino suo: ita enim Christus, ut hic narrat Vates, re ipsa expertus est. Mirum si ignores, uix illum natum mundi persequutiones subiisse, sit ad Aegyptios fuga, sit cruenta illa puerorum occisio. quid illud? Vulpes, inquit foueas, qua se abscondent, habent, & uolucres nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Nulla unquam fuit hora, quin diris semper conuiciis atque iniuriis, affectus fuerit Christus. O si iam crudeles illae in Christum deferbuissent iniuriae. Ob uirtutes quidem, atque insolita mundo signa & miracula, indicium nimirum suae aeternae diuinitatis & potentiae, ex altari etiam in terris debuit: uerum perfidiosorum hominum contumeliis, falsisque delationibus traductus, ut omnes sunt probi, adeo afflictus fuit, ut hic nunc se pauperem, deiectum, & a iuuentute oppressum, clamitet: Ego, inquit, qui exaltari debueram, oppressus sum. Quid non conturbant improborum hominum linguae, ac malus animus? Iam illud non omittam, paululum diuersam hanc literam esse Hebraeis. Sic Felix: Pauper sum ego, & expirans prae excussione: id est, deficio, & emorior, propterea quod me a manu tua, atque ope excutis, longeque propellis. Sequitur: Tuli terrores tuos, dubitabo. Tuli, inquit, iudicii

tui, atque ultionis terrores, dubitauique ne forte sub onere deficerem. Quare sic Paraphr. Pertuli tales abs te mihi immissos terrores, ut propemodum succubuerim & desperare de salute tantum non coeperim. Alia item aliis ex hebraeo etiam est litera. Ita illi: Fero terrores tuos, dico, ne forte etc. hoc est: Tu in me adeo aggregasti terrores, ut exterritus dixerim, ne forte mihi sic & sic accidat propter iniquitates. Ex his uides, ni fallor, summe anxium ac desperantem in rebus aduersis animum, dum suus est, dum se tantummodo intuetur, dum absque Deo nescio quid se posse somniat: & tamen haec omnia in Christo uere fuisse propter nos, nempe ut nostrae consuleret ignorantiae, medereturque languori, & suam impartiret salutem, & credimus, & ualde gaudemus. Quod si quidem istiusmodi uerissimis in Christo non moueris terroribus & affectibus, nondum illius factus es membrum, nondum plene nosti, quid sit cum Christo commori, atque in ipsum, tanquam unius imaginis formam, transfundi. Christus hic igitur est, qui pro te, o homo, sic suis in enarrandis calamitatibus, imo tuis, rem totam exequitur.

{88.17} Super me transierunt irae tuae, & terrores tuis conturbauerunt me.

Quid signet, transierunt irae tuae, exprimit Paraphrastes. In me, ait, apparuerunt manifesta signa tui furoris. Quid? terrores tui, quibus mirum in modum conturbor, me exanimarunt, &

{88.18} Circumdede runt me sicut aqua tota die, circumdede runt me simul.

Parum forsitan esset si terror unus post alium diuisim succederet, calamitasque calamitati cederet: at omnes simul in unum concurrere, instarque praecipitantium aquarum in alicuius perniciem nullo facto interuallo convenire, id in primis intolerandi uidetur, atque humanis impar uiribus omnino. Quis id ferat, nisi aut Deus sit, aut Deo similis? Circumdede runt me, inquit, omnes simul, nempe terrores, atque horrendae commistae metu perturbationes. Et demum, ne quid miseriarum cumulo deesse uideretur,

{88.19} Elongasti a me amicum, & proximum, & notos meos a miseria.

Replicat, tanquam infortuniorum omnium summum, quod superius dixit: Longe fecisti notos meos a me. A miseria, Hebraeis est, in obscuritate, seu in tenebris. Sic totum reddit uersum Paraphr. Procul a me abire fecisti, si quis forte reliquus fuit amans mei, aut uicinus beneuolus: quin & familiariter notos abscondisti, & ueluti in tenebris, ne uideri possint a me, collocasti. Unde alius ex hebraeo sic transtulit: Notos meos obscuras. Vide quomodo perterrita anima, suarum calamitatum

{pdf 638, p. 311}

causam in deum reiiciat. Aufers, inquit, quicquid est consolationis, & addis quicquid est doloris & angustiae, itaque me arctari sinis, ut nihil tam pugnare contra me appareat, quam tu ipse. Idcirco acerbissimi tui in me furoris finem uidere posse, aliquando pene despero. Mirum quam effoeminate nostrae interdum sanctitatis asperitas sibi adblandiretur, nisi cum istiusmodi collata Seruatoris uniuersi querimoniis, illo non peruenisse erubesceret rea, quo innocentissimus omnium Christus ullo absque merito

perfectissime peruenit, nempe ad extremos, ob scelera haud quidem sua, sed aliorum, terrores & cruciatus. Quod si adhuc hi te non tangunt affectus, is saltem tangat, quando cruentus ex orantis uultu ac pectore (tetrum spectaculum) defluxit sudor.

PSAL. LXXXIX. Eruditium Ethan Ezraitae.

{89.2} Misericordias domini in aeternum cantabo, in generatione et generationem annuntiabo ueritatem tuam in ore meo.

Ethan, quemadmodum in superiori psalmo Heman, cantorum principem asserunt, Samuelisque nepotem. Cur uero uterque Ezraita dictus sit, ex scriptura non habetur, nisi quod putant sic appellatos illos esse, quod a Serah filio Iuda originem traxerint. Utcumque de nomine disputent, nos scimus robustum a doctioribus Ethan interpretari: quam quidem interpretationem Christo omnium robustissimo conuenire, non est qui in dubium uertat. Cuius sane regnum sub regni Daudis typo, in hoc psalmo mirando effigiatur mysterio. Siquidem aeterni patris bonitas, atque adeo de Christo pollicitationes, quae ueritas in Deo est sempiterna, ac gratia per Christum in Ecclesiae sinum immissa, hic praedicantur, urgeturque quodammodo Deus a fide promissorum, ut quod pollicitus est, adimpleat. Sed psalmi exordium a suauiissima misericordiae uoce auspiciatur sponsa, hoc modo: Misericordias domini in aeternum cantabo, in generatione & generationem annuntiabo ueritatem tuam in ore meo. Veritatem tuam, fidem uertunt, de quo alias admonuimus. Vide quid de se polliceatur. In aeternum, inquit, cantabo. Non quidem sponsae ignotum fuit, quam aeternus futurus esset usus misericordiae Dei apud sanctos. Nulla unquam fuit aetas, neque esse potest, aut poterit in futurum, quae ubertim diuinis non indigeat beneficiis, ac donorum gratiis. Cantabo igitur, doceboque posteros, innumeris te modis (sic misericordias exponunt) misericordem esse: dicamque illis, de tua haudquaquam dubitandum esse fide, quin praestiturus sis quaecumque olim pollicitus es. Pollicitus quippe es, teque aeterno obligasti foedere, ut homo cum miser esset, tu contra misericors, pius, ad ignoscendumque facilis, et gratosus: neque unquam tam perditum posse esse hominem, quin tu ab instituto seruandi ex aequo omnes absterrereris.

{89.3} Quoniam dixisti, in aeternum misericordia aedificabitur in coelis, praeparatio [sic, praeparabitur, 1585] ueritas tua in eis.

Dixi, legunt Hebraei, & aptius quidem mea sententia: etenim unus est cum superioribus contextus. Annuntiabo, inquit, & dixi, mihi que persuasi, tuam in aeternum duraturam clementiam, semperque incrementum recepturam, augendamque e posteris in posteros in infinitum, quemadmodum tua in coelis perstat aeterna ueritas, ac fides. Coelos quidem ipsos, alioqui mirabili & stupendo a te fabrefactos artificio, potius ruituros crederem, quam te a promissis discedere suspicarer. Vt enim hi firmi sunt & stabiles, ita tua est fides, o Deus. Praeparabitur, Hebraeis est, firmabitur. Idem Symmacho e graeco. Mirum quam indissolubili connexae sint nodo (is amor est) misericordia & ueritas: siquidem non exhiberetur, ut diuus ait Augustinus, in impletione promissorum ueritas, nisi praecederet in remissione peccatorum pietas. Verius illud est, quam multis a me probetur, uniuersas uias domini misericordiam esse, ac ueritatem. Illud non

omittendum, quod Felix sic reddit hunc uersum: Quoniam dixi, mundus misericordia aedificabitur: nempe ob Adae miseriam dirutus.

{89.4} Disposui testamentum electis meis, iuravi Daud seruo meo.

Haec sunt ipsa uerba Dei, ut sit mutatio personae, frequens nimirum tropus in

{pdf 639, p. 311v}

prophetis. Quid, inquit, de meis uerendum est promissis? Ego enim aeternum, infractumque cum meis percussi foedus, illudque, ne in dubium unquam uerteretur, cum seruo meo Dauide sanciu iuramento. Testamentum hic est foedus inter Deum & homines percussum, quo suum se ille filium e Daud semine missurum in mundum ad mortalium salutem astrinxit Deus, quoque nos suam in fidem reciperet, nos illum in Deum. Vtrunque enim perfectissime, ac bona fide adimpleuit Deus: nos uero in utroque periuri extitimus. Feriam, inquit dominus, uobiscum pactum sempiternum, misericordias Daud fideles. Illud obscurum, quomodo se dicat Deus tantummodo cum electis suum aeternum sanxisse pactum, & non cum caeteris. Ecquid firmum unquam cum impiis, perfidiosisque hominibus sanciri potuisset? In illorum quippe animos qui id seruaturi forent, tanquam in aes durum aut saxum, diuinum incidendum fuit pactum, stabiliendumque in aeternum. Qua de re illud quod sequitur intulit:

{89.5} Usque in aeternum praeparabo semen tuum, & aedificabo in generatione & generationem sedem tuam.

Selah hic ponitur, quo nos admonitos uult spiritus, perpetuam praedici hic seminis Daud successionem, quae est Ecclesia in Christo, in qua aeterno ueluti incremento coelestia coalescere deberent eousque munera, quoad Deus fieret omnia in omnibus. In quo etiam & nos (clamat Paulus) sorte uocati sumus, praedestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium uoluntatis suae, ut simus in laudem gloriae eius, nos qui speramus in Christo. Caeterum de promissione Dei qua uel ab ipso mundi exordio, se suum ad nos missurum unigenitum toties pollicitus est, plena est sacra lex: . quare nulla huc mihi hac de re adducuntur testimonia, & id maxime adeo, quia nulla mihi est cum Iudaeis disceptatio. Fidelibus enim meae professionis hominibus is meus desudat labor, non infidelibus. Ergo seminis huiusce, atque adeo throni regii perpetuitas, quam hic Dauidi promissam esse cernimus, Christi regnum adumbrabat, qui semen illud est, de quo alio in psalmo sic Pater: De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. De alio quippe semine, quam de Christo, istiusmodi asseuerare promissiones, nefas esset. Cum igitur perseueranter seruandum id sit cum Deo foedus,

{89.6} Confitebuntur coeli mirabilia tua domine, & veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

Mirabilia tua, uertit Fel. arcanum tuum, nempe Euangelium ab aeterno absconditum, impiis nimirum, atque a Deo auersis: his uero qui ex fide sunt, reuelatum, et per Christum tandem patefactum, quos & hic coelos uocat. Verum & de angelicis mentibus

haec dici posse arbitror, quae & ipse nostra ex instauratione secretissimo quodam modo ac ratione perficiuntur. Videntur enim beati illi spiritus nondum sua contenti posse esse, ut sic loquar, felicitate, pleneque gaudere, quoad sanctos in periculis diuersari intuentur: quocirca a Seruatore dicuntur laetitia affici super uno peccatore poenitentiam agente. Ideo quicquid diuina nobis confert misericordia, laudant, perindeque de illo laetantur, ac si in se collatum cernerent Etenim una futura est illis nobiscum in coelis mansio, perficiunturque quotidie per cognitionem multiformis sapientiae Dei, sacramentique istius, ut inquit Paulus, absconditi a seculis in Deo, ab Ecclesia, quae una est nobiscum cum ipsis in Christo, in qua quidem stupendas Dei operationes non cessant efferre laudibus.

{89.7} Quoniam qui in nubibus aequabitur domino? similis erit Deo in filiis Dei?

Merito quidem summi opificis ab angelis, nunciis nimirum illius & ministris, laudantur in Ecclesia operationes. Nam inter ipsos quamuis perfectissimis ornatos dotibus, quis cum Deo illorum conditore est comparandus? is enim rex, illi serui: is conditor, illi creatura. In nubibus porro positum, exponunt pro, in coelo, quod de supernis rursum spiritibus intelligi uolunt: quod & apertius sequenti exprimitur hemistichio. Quis similis, inquit, erit Deo in filiis Dei? Siquidem filii Dei in scripturis, pro coelestibus illis mentibus interdum sumi solent. Quis similis tibi, reddit Campensis, inter angelos quantumuis sint potentes?

{89.8} Deus qui glorificatur in consilio sanctorum, magnus et terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.

{pdf 640, p. 312}

Deus certe, inquit, est, cui nullus aequiparari potest. Nam ipse, etiam inter illos qui aliquid esse uidentur, ut sunt sanctorum coetus, terribilis est ac metuendus: inter illos, inquam, qui circa eum sunt, illique ministrant, suspiciendus est, ac modis omnibus laudandus. Verum ut etiam te alloquar, o immense,

{89.9} Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es domine, & veritas tua in circuitu tuo.

Hoc est, quae circa te sunt, uertas est & bonitas. Unde quidam ex hebraeo sic uertit: Domine Deus exercituum, quis similis tibi maiestate, fide ac ueritate, quibus latus tuum stipatur? Quemadmodum enim mundi huius tyrannis, impietate, auaritia, Dei contemptu & superbia, tanquam satellitibus, amata incedit: ita tu Deus maiestate, fide, misericordia, ac aequa in omnes dilectione tanquam uestitu deaurato circumdatus tuo in excelso sedes solio. Nam

{89.10-11} Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuae dispersisti inimicos tuos.

Inter Dei miracula, quae in Iudaeorum gratiam gesta olim fuere, illud quo erepti sunt ab Aegyptiorum seruitute in primis, quod iam centies diximus, habetur: idcirco frequenter in scriptura nostram ad mordendam ingratitude recensetur, eiusque pene in nobis obsoleta renouatur memoria. In nobis dico, qui tam prodigiosi exitus commodum atque utilitatem excellentius nacti sumus, quam illi forsitan, qui siccis pedibus turbidum illud traiecerunt mare. Iam illud mihi huius simile Esaiæ in mentem uenit: Nunquid, ait, non tu percussisti superbum? uulnerasti draconem? nunquid non tu siccasti mare, aquam abyssi uehementis? qui posuisti profundum maris ut transirent liberati? En quomodo prophetae uno eodemque accensi lumine, miracula illa antiqua commemorantes, nostram adumbrant Ecclesiam. Verum nos miseros, si nondum in nobis uulneratum esse superbum a uulnerato Christo sentimus, si concupiscentiarum aestum, fretumque horrendum libidinis ex animo deferbuisse nondum experimur. Quam uereor ne ad nostram haec scripta sint perniciem. Vide quid minetur Christus. Si, inquit, non uenissem, & loquutus eis non fuisset, peccatum non haberent. Utcunque uero superbia atque ambitio digniores mundi sedes occupent, attamen o omnipotentissime,

{89.12-13} Tui sunt coeli, & tua est terra: orbem terra et plenitudinem eius tu fundasti, Aquilonem & mare tu creasti. Thabor & Hermon in nomine tuo exaltabunt.

Aquilone & dexteram, seu meridiem, uertunt ex hebraeo. Siquidem orientem spectanti, ad dexteram fit meridies. Volunt enim his uocibus uniuersi molitorem Deum laudari. Caeterum Thabor mons celebris in Iudaea ad occidentem situs est, Hermon uero ad orientem. Quatuor his igitur orbis plagis, uniuersale Dei imperium intelligi uoluit spiritus. quanquam certe non absque mysterio celeberrimorum montium Thabor & Hermon mentionem hic fieri arbitror: in his enim Christum num semel signa suae diuinitatis edidisse legimus. In Thabor enim transfigurationem illam famosissimam Christi factam legimus: in Hermon autem uiduae filium a feretro experrectum, atque a mortuis ad uitam restitutum asserunt. Nam in Hermon Nain ciuitas est posita. Occulte igitur a spiritu, unde orta sint fidei rudimenta, admonemur. Ait itaque: in coelorum, tu terrae, tu rerum omnium, quae orbis machinam mirabili exornant pulchritudine, fundamenta iecisti. Tu gelidam septentrionis regionem, tu meridiem, tu orientem, tu occidentem, pulcherrimo condidisti artificio. Ex quo qui tuam contemplantur sapientiam, te laudandi, in tuoque sanctissimo nomine exultandi occasionem sumunt. Quid? Ipsi quoque notissimi in Iudaea montes, Thabor & Hermon, etsi inanimis & muti, sua tamen ipsa mole & vastitate, in nomine tuo exaltabunt. Nec mirum sane: siquidem in ipsis uita, tanquam aura suavis, e Christi ore spirare occoepit.

{89.14} Tuum brachium cum potentia, firmetur manus tua, & [exaltetur] dextera tua.

Ita unus est uersus Hebraeis, qui sic reddunt: Brachium tuum est cum fortitudine: corroboret manus tua, exaltetur dextera tua. Paulo secus Paraphrastes: Robustissima est, inquit, manus tua, & potentissima dextera tua. Mens est enim prophetae, diuinam omnibus praestantem celebrare magnitudinem & potentiam: iusti-
[iustitiam]

{pdf 641, p. 312v}

-tiam rursus, aequitatem, bonitatem, fidem: quibus sane rebus, quicquid conditum est, regit, atque innumeris afficit donorum largitionibus. Ideo statim intulit:

{89.15} Iustitia & iudicium praeparatio sedis tuae: misericordia & veritas praecedent faciem tuam.

En quomodo uerbo, praeparo, passim abutitur interpres. In hoc quippe loco, praeparatio, Hebraeis est habitaculum. Symmachus uero transtulit, stabilitas. Cui & adstipulatur Paraphrastes, qui sic reddidit: Iustitia & aequitate stabilitum est regale solium tuum. Vide igitur, quibus munitae esse debent rebus regnorum leges. Iustitia in primis atque iudicio, rebusque in ministrandis aequitate, ac prudentia, misericordia insuper & fide, quibus tanquam rotis currus in quo triumphat sua in Ecclesia Christus, fulcitur, sanctissime gubernant populi. Venales autem isti iudices & iniqui (si qui hoc foedo delectantur cognomine) & qui suis in iudiciis crudeles sunt & perfidiosi, ad ea quae hic dicuntur minime pertinent: cum Christo enim nulla illis est pactio. Proinde lachrymis decentius a piis comitandi sunt hominibus, quam adulatione & plausu. Sues quidem sunt, & canes. Caeterum quis talem non amaret regem, & antistitem, qui iustitia atque aequitate munitus, misericors esset, & in his, quae promisit, constantissimus? Contra uero, quis immitem unquam diligeret superiorem? quis fallacem? quis iniquum? quis suis in sententiis & diffinitionibus, propriis magis inservientem affectibus, quam legi Dei, cui semper, quemadmodum lictores solent magistratibus, misericordia & veritas, anteambulones sunt? Quamobrem

{89.16} Beatus populus qui scit iubilationem.

Et qui haec agnoscens, in his, non in mundi plausu sese oblectat, indeque laetandi occasionem uenatur, unde alii moerorem ac luctum. Quod gaudium, mi lector, cum hoc comparandum, cum anima numine obsignata, quae est arrha spiritus, se Dei dono & misericordia adeo purgatam agnoscit, atque ultra mundum se euectam non ignorat, ut plenis, quod aiunt, crateribus hauriat salutem a domino? quae in eo maxime posita est, ut eum iustum esse credat, atque ad clementiam facilem & liberalem. Hi nempe qui sic affecti sunt,

{89.16-17} Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exultabuntur.

Lumen uultus Dei, illius est fauor, ac lux spiritus. Iustitia uero ea est pars in Deo, qua gratis iustificati per fidem, spem assequendi aeterna animo concipimus. persuasumque habemus certissimas in coelis paratas nobis esse cum Christo mansiones. Ex qua quidem fide & persuasionem noster oriri solet amor erga eum flagrantissimus, qui illas praeparauit: ut nihil tam expetere libeat, quam omni abiecto mundi gaudio, in illo solo laetari, atque de condonatis noxis exultare: & id quidem omnibus diebus uitae nostrae. Atqui idem esse hic lumen Dei iudico, de quo sic alio in psalmo edisserit Vates: Signatum est, inquit, super nos lumen uultus tui domine, rarum scilicet atque insolitum,

fidei. Vel illud Esaiæ: Et ambulabunt gentes in lumine tuo. Præuio quidem spiritu Dei, plana fiunt omnia, amoena, lucida, admiranda.

{89.18} Quoniam gloria virtuti eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Tu quidem uirtutis omnis illorum ac roboris ornamentum es, & gratia: siquidem bonarum rerum omnium autor es, & dator. Ideo cornu nostrum exaltabitur, hoc est, superiores nos hostibus facies. Cornu inter alias in scripturis significationes, uires, seu potentiam prae se fert. Quicquid igitur hi possunt, a te, qui gloria eorum es, possunt, ut qui gloriantur, in te gloriantur. Et in beneplacito tuo, ac uoluntate, non in nostro arbitrio pene attrito, aut bona, quam uocant, intentione, nostra aliquid erit potentia & uirtus.

{89.19} Quia domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri.

Ratio quidem ac summa salutis in eo posita uidetur, quod nullo nostro nixi merito, a Deo solo, qui secundum propositum uoluntatis suae nostros in se asseruit lapsus et errores, manumque supposuit, ne prorsus post casum, in quem nostra

{pdf 642, p. 313}

corruius uoluntate, collideremur, tanquam teneri infantes a nutrice, pendeamus. Ipsi itaque soli acceptum referre liceat, siquid a nobis feliciter pugnatum est, qui rex noster uerus est, Israelisque sanctificator, nempe omnium, qui directi ab eo ideo sancti efficiuntur, quoniam ab ipso ad sanctimoniam asciti sunt. Quod noster uertit interpres, assumptio nostra, Hebraeis est clypeus noster, seu protectio nostra. Unde ex illis quidam sic transtulit: Apud dominum est protectio nostra, & sanctus Israelis rex noster. Utcunque legas, id non nescire oportet, Deum clypeum esse nostrum, protectionem, assumptionem, salutemque & uitam: quae summa est gratiae euangelicae. Unde non absque causa sic praesentem exorsus est odam Vates: Misericordias domini in aeternum cantabo. Verum ad promissiones Dei Dauidi factas excutiendas intendamus.

{89.20} Tunc loquutus es in uisione sanctis tuis, & dixisti: Posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea.

Nulli dubium quod de seipso haec dicat Vates, quem e turba delegit Deus, ut esset rex, de cuiusque familia nasceretur Christus, & quem potentem ob sui spiritus gratiam appellat Deus. Olim, inquit, per uisiones, occultosque spiritus afflatus loquutus es, o Deus, sanctis tuis, nempe Nathan, Samueli, nonnullisque aliis, quorum nomina tibi nota sunt, illisque dixisti: Summam auxilii mei posui in fortissimo illo, quem adolescentem adhuc exaltaui, delegique e populo. Itaque

{89.21} Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo unxi eum.

En quis sit potens ille, atque electus a Deo, exprimit. Et uere illum inuenit Deus, ut uocatio illa ex electione fuisse dicatur, non ex merito. Quid puer ille, & pastor, & pene a patre abiectus, commeruit unquam, ut rex a Deo institui, perungique debuisset? Inueni,

inquit, Daud, non ipse me. Nulla certe in ipso fuerunt merita, nulla ad regnum [sic, regnum, 1585] affectatio. Ego, ego illum inueni, atque sanctissimo mei spiritus oleo deliniui. Oleum id sanctum ad Christum referri debet, quo a patre unctus, rex uniuersorum effectus est. Typus in hoc, quemadmodum in caeteris, fuit filii Dei, filius Iessae, de quo sic loquitur Deus:

{89.22} Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confirmabit eum.

De electione Daud, promotioneque ad regnum, & unctione, addo & Dei manus confirmatione, qua supra alios euectus, formidabilis hostibus fuerit, cum alias in gestis Regum, tum potissimum in Samuelis libro fuse admodum scriptum est. Huic itaque quem inueni, quem elegi, quem unxi, in omnibus opitulabor, eumque mei subfulciam confirmaboque brachii robore, ac uirtute. Nonne hic tibi uidetur a spiritu dici, Illos qui non uocantur, non eliguntur, & qui ad regna & magistratus iniussu Dei accedunt, a Deo sperni?

{89.23} Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

Clarius ex Hebraeo legi posset: Non uiolentus esse poterit contra eum hostis, & filius iniquitatis non affliget eum. Tangit hic Saulis odium, & persecutiones, una cum suis adulatoribus, Daud: a quorum tamen insidiis diuina semper protectus fuit manu. Filius iniquitatis, Hebraeorum more, pro iniquo homine positum scias, quod alias notauimus.

{89.24} Et concidam a facie ipsius inimicos eius, & odientes eum in fugam conuertam.

Id non semel acto esse legimus, sed tum potissime, cum occiso Saule, fusi fugatique fuere hostes. Conteram, inquit, quotquot audebunt sese illi opponere, atque osos eius percutiam. Quod nostra habet aeditio, in fugam conuertam, Hebraei legunt, percutiam, seu caedam. Vtrunque tamen de suis hostibus inspexit Daud.

{89.25} Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Ecce quomodo fere semper ueritas & misericordia uno incedunt passu. Quod enim Deus erga eum fidelis in pollicitationibus fuerit, ab eius profectum est misericordia: alioqui quid bonorum homicidae atque adultero, nempe ingrattissimo & sanguinario homini, a Deo puritatis amantissimo praestari debuit? Haudquaquam igitur irritae factae sunt promissiones Dei ob illius scelera, quem antea inuenerat,

{pdf 643, p. 313v}

delegeratque, ac oleo sancto regio perfuderat. Quocirca, inquit, per me illius extolletur cornu, potestas scilicet atque imperium.

{89.26} Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.

Per manum & dexteram, dominium intelligit, quod ad finitimas usque maris regiones, ut erant Palaestini, ac Syri, prorogatum, ad Euphratem & Tigrim felicissime peruenit: quod sane tum fuit, quando non solum Palaestini, ut dixi, ac Syri, uerum etiam Moabitae, Aedomei, atque aliae conterminae gentes, illius agnouerunt imperium: tum dico, quando tota illi sancta est tributaria Mesopotamia, quam Syriam fluminum appellant. Verum haec certius de Christo dici par est, cuius imperium supra omnes late orbis regiones protenditur.

{89.27} Ipse inuocabit me, pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meae.

Tametsi enim de Salomone dictum legimus, Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: at quae hic tamen dicuntur, de Christo conuenientius, quam de mortali quopiam homine dici debent. Quod si pii omnes Deum in coelis patrem agnoscunt, illumque uenerantes inuocant, ut fecit Dauid, id quidem factum est per gratiam & adoptionem: Christus uero naturalis est Dei filius, illique coaeternus, consubstantialis, eiusdem uitae, roboris, prouidentiae, uirtutis. Et qui cum primogenitus sit patris ab aeterno ut Deus, ut homo tamen factus, est illi etiam primogenitus, ut eum uocat Paulus, in multis fratribus, ex mortuis, atque omnis creaturae, tanquam noui populi primitiae, ac ueluti is, qui primus ultro e tumultu exuscitatus ad immortalitatem, praecipuum quiddam atque electum, ut fere sunt primogeniti, in noua fidei creatura est factus, cuique data est omnis potestas in coelo & in terra. Idcirco additur,

{89.28} Et ego primogenitum ponam illum excelsum prae regibus terrae.

Cui unquam primogenito data fuit potestas in coelo & in terra, quo cunctos praecelleret orbis terrarum reges, nisi Christo? Iam illud superius dictum, Susceptor salutis meae: Hebraei habent, rupes salutis meae, seu firma salus mea. Mirum nisi hic laetissimum in modum gestiat anima, considerans ad quantam rerum potestatem euectus ille sit, cui iam per fidem unita, eo & ipsa aliquando sublimitatis peruenire sperat, ubi ille potentissimus omnium factus, cuilibet rei imperat et dominatur. Ecquid igitur in uniuerso conditum est orbe, quod animae, etiam in hoc mundo, Christo unitae, non dicto pareat? Flagrantissima res est amor diuinus, qui quaecunque uel leui tactu apprehenderit, in se actutum rapit, urit, transmutat, unumque secum efficit. Huic proinde dicitur:

{89.29} In aeternum seruabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi.

Aeternum, inquit, illius uolo esse regnum, aeternamque in regno misericordiam, & pactum tandem, hoc est, quicquid illi pollicitus sum, inuolabili a me seruabitur fide, Sic Hebraei: Et foedus meum erit ei firmum. Noster interpret suo more testamentum pro foedere reddidit. Obserua, Christi regnum in misericordia & ueritate, seu fide, fundatum esse. Quid ultra?

{89.30} Et ponam in seculum seculi semen eius, et thronum eius sicut dies coeli.

Dies coeli pro indefinito aevo posuit. Sic Felix: Et ponam in aeternum semen eius. noster uero, in seculum seculi. Sequens hemistichius praecedentem interpretatur. Christi quidem posteritati, qui sumus nos, aeterna promittitur haereditas, quoniam ipse aeternus est filius, per quem electi & ipsi facti sunt filii Dei, & hi quidem aeterni. Verum illud horrendum, ac metu plenum, quod sequitur:

{89.31-33} Si autem dereliquerint filii eius legem meam, & in iudiciis mei non ambulauerint, Si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.

Vide gratiae euangelicae dignitatem, uide sponsi in peccantes clementiam, qui in delictis quidem capitalibus, cum magis ad ultionem irritatur, non deserit, sed, quae est eius incomprehensibilia bonitas, e peccati sorde eleuans, peramanterque corrigens, flagella quidem admouet, sed salutaria, sed paterna, non tyrannica, & letalia. Sic contigerit, inquit, quod regni huiusmodi filii meam auersentur legem,

{pdf 644, p. 314}

secundumque mea non uixerint iudicia, quorum ui peccantibus poena, bene agentibus praemium constituitur: si, inquam, iustitias meas, caeremoniasque ac statuta, luxuriose uiuendo prophanauerint, praeceptaque mea non seruauerint, corrigam quidem eos, sed, ut solent oues errantes a pastore corrigi, uirga, uerberibusque, si opus fuerit, ut resipiscant, in eorum animadvertam transgressiones.

{89.34} Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in ueritate mea.

Non eum, inquit, mea fraudabo clementia, qui sic errauerit, neque meam fallam fidem. Sic hunc uersum legunt Hebraei: Pietatem autem meam non auferam ab eo, neque mendax ero in ueritate mea, sed stabilis quaecunq; pollicitus sum praestabo.

{89.35} Neque prophanabo testamentum meum, et quae procedunt de labiis meis non faciam irrita.

Rursus pro foedere testamentum vertit interpres: est sensus, ut reddit Campensis: Nunquam uiolabo pactum, quod est inter me & uos. Id enim quod semel loquutus sum, non mutabo unquam.

{89.36-37} Semel iurauit in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in aeternum manebit.

Iurant crebro homines, quia mutabiles sunt, atque in promissis nutabundi Deus autem semel, quia immutabilis. Immutabiliter, inquit, per sanctitate meam, hoc est per

memetipsum, quo nihil sanctius inuenitur, iuravi. Si Daud fallam, hoc est, absit ut eum fallam. Modus is est iurandi apud Hebraeos. Mentiri ne Daudi potero? absit ut illi mentiar: etenim firma erit, sicut illi pollicitus sum, illius posteritas, manebitque perpetuo.

{89.37-38} Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta, in aeternum, et testis in coelo fidelis.

Repetit fere idem, quod in superioribus asseruit, dicens: Et thronus eius sicut dies coeli: hoc est, aeternus erit, quemadmodum dies illi aeterni sunt. Unde angelus testis in coelo fidelis ad Mariam ita de Christo retulit: Regnabit in domo Iacob in aeternum, & regni eius non erit finis. Modo uero ab eodem spiritu, qui tunc in nuncio illo loquebatur, audimus: Et thronus eius, nempe regius, sicut sol, aut luna in plenilunio, quae tunc perfecta est, aeternus erit: quam quidem lunam una cum sole, diuturnitatis regni illius testem, & eum quidem fidelem esse uolo. Ut illa luminaria nunquam deficient ita nec regnum Christi, quibus tamen suo a motu naturaliter illis indito cessantibus, morteque nouissimo, ut eam appellat Paulus, destructo hoste, tum regnum tradet Deo et patri obsequentissimus filius. Sunt porro qui e graeco transferunt, inter quos est Symmachus, uice testis, contestatus: & sic esset personae mutatio. Ille, inquit, qui contestatus ac pollicitus est, se ea meo semini daturum quae dicta sunt, in coelo fidelia testis est, & mentiri non potest. Rursum, quod noster uertit interpres, luna perfecta, Hebraeis est, quasi luna firmabitur in aeternum. Diuinitatis quidem Christi perpetuitatem soli merito ac lunae aequiparari non inconueniens fuit, propterea quod inter uisibiles creaturas, nulla alia, quae diuturnior appareat, inuenitur. Alio in psalmo sic canit de Christo Vates: Et permanebit cum sole, & ante lunam, in generatione & generatione m. Selah, quo immensa hic tegi mysteria non ignoremus, huc attexitur. Caeterum Christus sol est, Ecclesia uero luna: haec enim a Christo sua accipit perfectionem, quemadmodum illa a sole suum lumen. Sed ad psalmum, qui deinceps querelis Iudaeorum grauidus, sic illorum incipit enarrare animi amaritudinem. Ea, inquit, omnia quae dixisti, sic se habere non dubitamus, certoque scimus te tuum non abnegaturum foedus.

{89.39-40} Tu uero, quasi horum omnium oblitus, repulisti & despexisti, distulisti Christum tuum, auertisti testamentum serui tui, prophanasti in terra sanctuarium eius.

Sic Felix: Tu autem dereliquisti, & abominatus es, accensus es ira cum Christo tuo: deuastasti foedus serui tui, prophanasti usque ad terram diadema eius. Quod nos legimus, sanctuarium, uox est Hebraeis, quae capitis ornamentum significat, quocirca diadema transtulerunt. Unde Paraphrastes: Violasse uideris foedus inicum cum seruo tuo. & ignominiose in terram abiecisse diadema illius. Et est, ut

{pdf 645, p. 314v}

dixi, querela Iudaici populi, rami quidem detruncati ab arbore: quibus omnia, maxime in captiuitate Babylonica, atque oppressione sub Antiocho, contraria Dei promissionibus uidebantur: tunc enim suum omnino populum abiecisse, regnumque ac Christum, Daud scilicet atque eius posteritatem, repudiasset, fregisset pactum, atque a uinea tam

dilecta amouisse maceriem ac sepem, uisus est Deus. Ideo in querimonia perseuerans sic intulit:

{89.41} Destruixisti omnes sepes eius, posuisti firmamentum eius formidinem.

Ut enim istiusmodi amarae, ut videntur, querelae a Vate, vice populi Iudaeorum a tyrannis oppressi, planeque de diuinis promissionibus desperantis, proferri uideantur: sic & ad Christianorum tempora, forsanique praesentia, aptari possunt. Certe non queunt, uel perfectissimi quidem uiri, non adeo interdum, ob conculcatam Dei religionem, deprauatamque Christianae uitae simplicitatem, etiam in his qui christianissimi uideri uolunt, excandescere, ut prope modum de Deo queri, deque illius pollicitationibus, subuereri, ac pene desperare iudicentur. Non pacato sane animo, Dei gloriam in terris obscurari, optimos quosque opprimi, iustitiam contemni, ac mundum tandem circa aras uersari, & nostram dementiam ab infidelibus derideri tolerant. Queruntur itaque, clamant, flent, & quasi iniustitiae Deum insimulant, ac fere ignauiae, qui ad suum tuendum honorem tam tardus sit, damnant. Tantum uero abest ut a pietate deficiant, ut etiam accepto spiritus lumine, in illa magis consolidentur. Vehemens id agere solet ab amore (si maxime in Deum, quem super omnia diligi oportet & coli, fertur) profectus dolor. Imago haec rerum in Christi morte expressa fuit, qui cum infinitas suae diuinitatis in terris prae se tulisset notas, traxissetque illicio, ut sic dicam, beneficiorum, uerbique lepore atque efficacia spiritus multitudinem, ita ut nemo iam, quin is Dei esset filius, ambigere potuisset, ignominiosissimo tamen mortis genere e mundo sublatus est. Dissipatum tum quidem fuit, uirgine excepta, quicquid fidei in terris inueniebat. Vnde illa fuit discipulorum in itinere expostulatio: sperabamus quod ipse esset redempturus Israel quasi dicerent, nihil hac de re actum est. Sed ut ad psalmum reuertamur, de populi deiectione aequae loquitur, atque de uinea solemus desolata, aut oppido, quod muris dirutis, omnibus peruium factum sit. Cuncta, inquit, septa illius demolitus es, proque uallo & propugnaculo, formidine illi, atque terrorem circumiecisti. Nonnulli ex hebraeo confractionem legunt, hoc modo: Posuisti munitiones eius confractionem: hoc est, munitiones eius funditus euertisti. Quamobrem

{89.42} Diripuerunt eum omnes transeuntes uiam, factus est opprobrium uicinis suis.

Datus est, ait, populus tuus pertranseuntium omnium libidini, ac depopulationi: neque id satis, sed & illius ruinae addita est irrisio, atque a circumiacentibus uicinis ludibrium. Exin, pro dolor, uisus es pene pro ipsis stare hostibus decertareque contra tuos, siquidem

{89.43} Exaltasti dexteram deprimentium eum, laetificasti omnes inimicos eius.

De istiusmodi tropo exaltandi manum alias diximus, & est perinde, quasi sic summam rei exprimeret: Quo grauius percutiant, hostium alioqui per se nos crudelissime urgentium dexteram in altum attollens, illis uires, nobis imbecillitatem suppeditas: ex

quo maxima illi affecti sunt laetitia, ac de prostrato populo tuo, consolatione. Hinc illis ferocioribus factis,

{89.44} Auertisti adiutorium gladii eius, & non es auxiliatus ei in bello.

Aciem, inquit, gladii populi tui aliter audacem & acutam, penitus retudisti, illumque in praelio ulla absque ope deseruisti, ac tandem, quod acerbiore illi addidit moerorem,

{89.45} Destruxisti eum ab emundatione, & sedem eius in terram collisisti.

Emundationem uertit interpres, pro magnificentia, seu splendore, atque ornatu: nam crebris ablutionibus emundari, maximum erat Iudaeis ornamentum, ac religionis signum. Illis itaque alludens ritibus Propheta, omnem sanctitatis famam & splendorem in Dei populo extinctum fuisse queritur, ut & Dei uiri queruntur nostra hac quoque aetate satis, propter quorundam e religionis cultoribus improbitatem, turpesque mores, exulcerata. Collisisti, ex Hebraeo legi posset, deiecisti,

{pdf 646, p. 315}

detraxisti: seu etiam ex graeco, confregisti: in idem tamen redeunt haec omnia. Euertisti, inquit, soloque aequasti illius regnum & quietem: & id quidem praemature. Nanque

{89.46} Minorasti dies temporis eius, perfudisti eum confusione.

Hoc est, anteaquam illius regnum adoleuisset, suumque perfecte assumpsisset incrementum, excidi illud prorsus, atque a medio tanquam innocuum puerum tolli uoluisti. Intempestiue illud quidem collabi tum uisum est. Quid? pro gloria antiqua illa patrum, ignominia perfudisti dilectum populum tuum? Heu sortem humanam. Vidimus etiam & nos, expertique iam millies sumus, quae hic a spiritu dicuntur, pigetque nostram ita in longum protrahi uitam, ut omnia quae ab antiquis patrum institutis degenerant, intueamur. Iam fastu omnia atque ambitione sunt plena, idcirco ludibrio & ignominiae exposita. Perfudisti nos, inquit, confusione, opprobrio, infamia, derisione. Verum (conuenientissime insertum est hic Selah)

{89.47} Usquequo Domine auertis in finem? exardescet sicut ignis ira tua?

Clarius ex hebraeo: Usquequo domine absconderis in aeternum? perpetuone id erit? semper ne furor tuus in nos, uti ignis feruere solet, feruescet? Quousque haec non uides? Quis id non intelligat, te tuis fauere hostibus, amicis uero aduersari? atque ne illis feras suppetias, alio diuertere? Ardebit ne haec perpetuo tua in nos indignatio? Vix credo. Tu potius

{89.48} Memorare quae mea substantia nunquid enim vane construxisti omnes filios hominum?

Ex hebraeo, Recordare quanti aevi sim: ob quid frustra creasti omnes filios hominum? quasi dicat: Memento quam breue sit humanae uitae spatium. Etenim nemo est, quem non mors celeriter absumat. Cum ita sit, cur in tot nos aduersa, alioqui cito morituros, coniciis? Da igitur in hoc breuissimo uitae cursu, ut respiremus, quieteque uiuentes tua fruamur bonitate, ne nos nequicquam nati uideamur. Ut quid homines creasti? num ut semper in miseria uiuendum sit? Cur sic genus abiicis humanum, quasi illud non crearis?

{89.49} Qui est homo qui uiuet, & non uidebit mortem? eruet animam suam de manu inferi?

Passim inferos pro sepulchro uertit interpres. Ait itaque: Sat sit malorum, quod tam breui & uili, utpote infinitis obnoxia miseriis, facti sumus conditione. Siquidem nullus homo est, quamlibet ualidus & robustus, qui mortis futurus sit expers & sepulchri. Omnes quippe morimur, ac tanquam aqua fluens ad sepulchra ferimur. Atqui supraquam dici potest istiusmodi cogitationum immanitate pii excruciiari solent animi, desperarentque interdum, nisi spei stimulis puncti, ad contemplandam futurae uitae tranquillitatem conuerterent. Quocirca Selah hic positum est. Interim uero praeterita Dei beneficia, simul & pollicitationes memorantes, ita cum Deo res suas digerunt, ratiocinanturque:

{89.50} Ubi sunt misericordiae tuae antiquae domine, sicut iurasti Daudi in ueritate tua?

Misericordias uocat promissiones tum ueteribus olim factas, tum nouissimi ipsi Daudi confirmatas de Christo, quem mundo seruatorem fore pollicitus fuerat Deus, qui suis in pollicitationibus seruandis constantissimus semper uisus est. Idcirco ait: Sicut iurasti Daudi in ueritate tua, quae falli nequaquam potest. Tunc enim, quando maxime totus periclitari uidebatur Dei populus, in id pene desperationis adducti sunt plerique, ut suspicarentur Dei promissiones de regni Daudi perennitate, quae in Christo expectabatur, fore irritas. Quis unquam a captiuis, traductisque toties, atque propemodum extinctis, id sperare fuisset ausus? Vrget itaque Deum a promissis, & his quidem iusiurando confirmatis, hoc fere modo: Melius quidem fuisset te nunquam nos tot exornasse tuae misericordiae signis, pollicitationibusque tam crebris admonuisse, quam post spem conceptam, abiecisse deseruisseque penitus. Quo illae abierunt promissiones? quo foedus? in uentum ne? Quo tandem iuramentum illud, quando tute Daudi astrinxisti, te bona fide illius posteritatis curam habiturum? Falsis ne illum lactasti pollicitationibus, o clementissime, an uerae illae potius extitere? constantes? infractae? aeternae? Ergo

{pdf 647, p. 315v}

{89.51} Memor esto Domine opprobrii seruatorum tuorum, quod continui in sinu meo, multarum gentium.

{89.52} Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

Iam tandem Vates, uel potius orbis seruator, quaecunque malorum in suos ab improbis irrogari contigerit, in se fieri confitetur. Quod porto in sinu meo, uertit Felix: seu, suscipio in sinum meum, ut alius ex hebraeo. Aquila uero, tuli, nempe opprobrium. Caeterum quae in sinu ferre consueuimus, ea nobis sunt cordi. Vates igitur ea se affici molestia ob populi Dei oppressiones asserit, ac si in se caderent omnino. Norma certe aureis conscribenda literis, ab illis maxime, qui primas in rebuspublicis ac populis nacti sunt sedes. Certe pastor, si uerus pastor est, gregis sui incolumitate & salute laetatur, aegritudine moeret. Quid pater in filiorum languorem & morbum? quanta interturbatur solitudine? quanta animi anxietate? Eodem plane malo quo affligitur filius, affligitur & ipse: sin minus, aut pater non est, aut pater est ferreus & crudelis. Ita animarum sunt praesules & custodes, quos sane a meo patre sic admoneri uideo: Ante omnia, inquit, non, dissimulantes aut paruipendentes salutem animarum sibi commissarum, maiorem gerant solitudinem de rebus transitoriis, atque terrenis & caducis, sed semper cogitent, quod animas susceperint regendas, de quibus etiam rationem reddituri sint. Pene nostrae aetatis praesules depinxit uir sanctus, quibus quidem tanta iam terrenarum rerum iniecta est cura & sollicitudo (sit ne in causa temporum conditio, an procliuis illorum animus in his tractandis, quae ad mundum attinent, me fugit omnino) ut nullo alio constare robore religio appareat Christiana, quam ut diues sit, & magnifica. Verum ego quidem in contaminatae huius aetatis corruptionem, id uitii genus reiicere solitus sum. Tantum illud cupio, ut cum Christo subditorum miserias ac lapsus, proprio in sinu gerant, condoleant, congemiscant, subleuent tandem. Eae ueri pastoris partes sunt. Porro, ut ad psalmum redeam, quod uetus habet aeditio, commutationem, tametsi de Iechonia, aut Sedechia, qui uice Dauid in populo regnarunt, nonnulli exponant, uerior tamen sensus ille esse uidetur, quem ab Hebraeorum litera accepimus, qui uestigia legunt, seu uestigiis. Idem diuus Hieronymus & Felix. Idem & caeteri, & in primis Chaldaeus, qui sic transtulit: Exprobrauerunt tarditatem uestigiorum pedum Messiae tui. Iudaei, qui in illa tunc aetate uixerunt, e suo certe sanguine sperabant Christum nasciturum. Unde intoleranter fere sibi irrogata ab infidelibus audiebant impropria, utpote qui in uenturum quendam sperarent hominem, et Messiam, cuius ne uestigia quidem pedum uisuri essent. Istiusmodi igitur erant gentium, in Iudaeorum ignominiam, ac Messiae derisionem, opprobria & contumeliae. Faxit Deus, ne inter nos quoque sint, qui rideant, si quis sanctissimis Christi inhaereat uestigiis. Abdo res habeant humanae, Deus est, inquit Vates, qui promisit: idcirco non poterit, quae pollicitus est, non praestare. Ideo

{89.53} Benedictus Dominus in aeternum. Fiat, fiat.

Hebraeis: Amen, Amen.

PSAL. XC. Oratio Mosis uiri Dei.

{90.1} Domine refugium factus es nobis a generatione in generationem.

De inscriptione huius psalmi, in psalmo secundo, quantum tum satis uisum fuit diximus. Caeterum breuitatem, addo & uanitatem huius fugacis sitae deplorat hic Vates, qui suo more ad tabernaculum foederis respiciens, uocat Deum refugii habitaculum, ad quod confugere debeant homines. Nam quod nostra habet aeditio, Domine refugium:

Felix legit, & alii fere ex hebraeo. Domine habitaculum refugii. & est ac si dicat: Non est id manu factum, quod frequentamus, tabernaculum, ad quod in primis, nostris in indigentibus, recurrere debeamus: sed tu ipse tuae es divinitatis mansio, tuorumque refugium ac sa-
[salus]

{pdf 648, p. 316}

-lus: & id quidem priusquam mundus, atque adeo omnia, quae in mundo sunt, in lucem prodierint. Nam

{90.2} Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, a seculo & in seculum tu es Deus.

Verissimum illud esse Pauli non ambigo, quo asserit nos ante mundi constitutionem a Deo fuisse uocatos, secretosque ad uitam. In mente quippe illa aeterna, cui omnia antequam fiant, iam facta sunt, semper, etiam ante orbis huius fabricam, est rerum omnium uita, idcirco & prouidentia illarum & cura. Volunt nonnulli montes quod in scripturis frequens est pro angelica hic poni natura, terram autem pro humana. Non obstat tamen sensui, si simpliciter de uastissima montium mole intelligatur, modo illud, quod sequitur, libentissime fateamur: A seculo, inquit, & in seculum tu es Deus: hoc est, non temporarius es Deus, sed aeternus, sed ille, ad quem subinde nostra omnium referenda est salus. Quare

{90.3} Ne avertas hominem in humilitatem, et dixisti, convertimini filii hominum.

Longe secus litera est Hebraeis. Sic illi: Tu redire facis hominem usque ad contritionem, & dicis, reuertimini filii Adam. ut si sensus: Tu Deus miseri Adae filios, nempe debiles & corruptos, ad mortem continue ducens, ad te, qui conditor eorum es, redire facis, dicisque: qui e puluere formati estis, corpore, moribundisque membris in puluerem redite: spiritu uero, quem uobis inspiravi, reuertimini. Reuertimini ad vitam, qui vosmetipsos ultro praecipitastis in interitum. Reuertimini ad me, vel sero, per poenitentiam, qui per peccatum praepropere nimium recessistis.

{90.4} Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quae praeteriit, et custodia in nocte.

Hucusque Hebraeis est uersus, cuius is erit sensus: Nostra enim uita tuam ad aeternitatem collata nihil omnino est. Nam mille anni nostrae aetatis sunt tanquam dies, qui iam praeteriit in oculis tuis. Sunt, inquam, ueluti noctis custodia, nempe trium horarum spatium. Antiqui enim noctes in quatuor partes diuidere consueuerant. Et quidem,

{90.5} Quae pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Hominum nimirum. Vide, te obsecro, humanae uitae inanitatem, quam umbrae somnium ex Graecis quidam appellauit. Vates uero: Rapuisti eos ut impetus aquarum: somnus sunt. Sic enim Hebraei uertunt ultimam uersus particulam, seu potius totum integrum uersum. Noster quidem interpret magis ad sensum respexit, quam ad uerba. Ex graeco tamen uertunt: Contemptus eorum erunt. quod quid sibi uelit, uix coniecturis auguror. Sunt & qui ex hebraeo transferunt: Facis instar nimbi eos defluere: somnus sunt. En quibus rebus comparatur uita humana, rapido nimirum amni, & fluuio: repentinae rursus nimborum praecipitationi, ac demum somno. Quis tam bellam non amaret uitae conditionem, quae fluxui aquarum, & somno, herbae insuper, quae cum mane uiuida sit & tenera, mutatur illico & resecata arescit, aequiparatur?

{90.6} Mane, inquit, sicut herba transeat, mane floreat, et transeat, uesperii decidat, induret et arescat.

Commodius enim uerba haec omnia per futurum legi possent, transibit, florebit, arescet, decidet: ut esset sensus: Vere quidem miseri sumus, quos aequae celeriter ex hac uita deiicis, quemadmodum e coelo nimbos deiicis, aut pluuias repentinas: nosque somno persimiles facis dictum factum euanescenti: atque herbae uiridi, quae uesperii resecata, indurescit subito & siccatur.

{90.7} Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus. {90.8} Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, seculum nostrum in illuminatione uultus tui.

Non dissimulanter fatetur Vates, uitae nostrae fugacitatem atque incommoda, nostris a peccatis originem habere: Desque iudicium uocat iram, & furorem, seu indignationem, ut uertunt ex hebraeo. Quod, inquit, tantis circumdati aerumnis, in die magis consumimur: quod aquae labentis more defluimus, quod somno simillimi lacti sumus, id tua ab irritata a nobis bonitate ac patientia prouenit. Nam no-
[nostrae]

{pdf 649, p. 316v}

-strae omnes positae sunt in conspectu tuo peruersitates, totumque illud, quod uiuimus, ante oculos tuos uersatur. Seculum nostrum, in hebraeo non est, sed, occulta nostra, quae ad peccata referuntur. Unde sic Paraphrastes: Peccata, quae nos pro occultis habuimus, & in adolescentia commisimus, ipsa luce manifestiora sunt in conspectu tuo. Illud obiter notandum, quid sibi uelit, in adolescentia, in Paraphraste. Dictio enim, occulta, quam noster uertit interpret, seculum, a nonnullis quoque ex hebraeo uertitur, iuuentutem nostram: hoc est, ut ipsi exponunt, peccata iuuentutis nostrae. Mens quippe prophetae est, ut non tam uitae humanae celeritatem defleat, quam ipsius celeritatis causam & originem, nempe peccatum, atque impudentissimae iuuentutis transgressiones, quae Dei omnino palam sunt oculis, qui, ut inquit Salomon, multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes uias hominum.

{90.9} Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus: anni nostri sicut aranea meditabuntur.

Hactenus Hebraeis est uersus, quanquam apud eos nulla est de aranea mentio, sed sic transferunt, uel in primis diuus Hieron. Consumimus annos nostros tanquam sermonem. Unde sic quidam: Sicut sermo qui non reuertitur, uno tantum momento manens dum dicitur, & simul desinens, ita est uita hominis super terram. Seu, ut alti: tanquam murmur leue, aures scilicet ad momentum percellens. Vide quanta abundat similitudinum copia diuinum hoc poema. Sic sunt res spiritus. Finiuimus, ait Campensis, annos nostros dicto citius. Heu quis iam hic rursus est, qui hanc tam breuem tanti faciat uitam, ut diuturnae illius, qua in se uiuens Deus, sua nos donat aeternitate, obliuiscatur? Heu falsam mortalium spem illorum, qui omisso Deo, uitae huic infelici, atque aura ipsa uelociori, toto incumbunt animo. Araneolis quidem hi haudquaquam dissimiles sunt, qui tenuissimas & caducas maximo labore (stulte id quidem) componunt telas. Toti hi quidem sunt in his texendis, quae stolidissimi illius animantis laborem magis spectare uidentur, quam quae digna sunt homine, qui superior est mundo, atque ad immortalia inquirenda conditus. O stupidos animos, quid in imis coelestia expiscari contenditis? Fortassis certe toleranda utcumque haec esset uitae breuitas, postquam sic nostris commeruimus peccatis at uanitatem, superuacaneasque addere breuitati curas, ut nunc fit, quis aequo ferat animo? quis stultissimas has nostras non irrideret occupationes? Vis ne quam in longum protrahi uix possint anni hominum audire?

{90.10} Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor: quoniam superuenit mansuetudo, & corripimur.

Dies, inquit, annorum nostrorum in ipsis, nempe diebus, seu hominibus, septuaginta sunt anni: ad summum uero in robustioribus octoginta: si quis postea longiorem uixerit uitam, ea amplius uita non est, sed labor, sed dolor, sed aerumna, sed uita morte ipsa grauior. Porro mansuetudinem, pro remissione, ac defectu uirium poni arbitror: nanque illis qui ad decrepitam usque perueniunt aetatem, perlinguescit ingenium, cessant uires, labascunt genua, fitque tandem corpus illud totum cadauerosum, effoetum, uietumque & semimortuum: atque hoc sane modo corripiunt ut senes, proque pristinis erratis dant poenas. Quanquam non me clam est, hanc ultimam particulam aliter legi in hebraeo. Sic illi uertunt: Quoniam cito recedit, at nos auolamus. Quare sic Paraphr. Abeunt uelocissime (decrepiti scilicet) & nos toti uelut alis assumptis auolamus. Poterat ne concitatoribus, uerbis uitae huius fugacitas exprimi? Illud quoque postremo addendum quod, amplius, in hebraeo non est, sed fastus. Fastus, inquit, eorum labor & dolor. Declinavit sane tanquam sol ad occasum illorum fastus, & nos tanquam aues e nido, quasi nunquam fuerimus, auolamus. Mira res.

{90.11} Quis nouit potestatem irae tuae? & prae timore tuo iram tuam dinumerare?

Subobscurus is est uersus. Caeterum, dinumerare, ad sequentem uersum attinet secundum Hebraeos, qui ita illum transferunt: Ad numerandum dies nostros sic notum fac, & offeremus cor sapientiae. Sed quanti ad praesentis uersus obscuri-
[obscuritatem]

{pdf 650, p. 317}

-tatem pertinet, uidetur dicendum, prae timore tuo iram tuam, ab Hebraeorum etiam interpretibus transferri: & erit sensus: Ut quis enim te timet, sic tua est indignatio. Quocirca sic is uersus cum sequenti, quem ita reddit interpres, exponi posset

{90.12} Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia.

Domine, inquit, simulac res nostrae tecum, ut iudicare possumus, ita se habeant, quis tuae irae uim nouit? hoc est, quis agnoscere poterit, quantum, quamue in longum protrahitur tua in nos excandescencia? pro modo enim quo quisque te timet, & ueneratur, tua uidetur saeuire ira. Etenim qualem te Deum sibi esse credit unusquisque, talem te illi exhibes. Si quidem ut iudex timeris, iudex illi eris: si patrem te esse credit, te patrem habet: si iratum, iratum: si placabilem, placabilem. Talis igitur unicuique es, qualem te sibi esse persuasum habet. Quapropter notum fac nobis uitae nostrae tempus, ne quantae, quamue longae irae tuae obnoxii simus, ignoremus: atque idcirco omissa stultitia cor nostrum sapientiae consecrabimus, cuius ea vis est, ut te bona omnia nostra sita esse, a teque pendere condiscamus. Ideo

{90.13} Converte domine. Usquequo? & deprecabilis esto super seruos tuos.

Quod enim de superioribus duobus uersibus dicunt expositores quidam, conanturque ab aeditione ueteri nescio quem sensum formare, non libuit scribere cum ob multa, tum quia adeo confusa uisa est litera, atque ab Hebraeis dissona, ut plane diuersum reddi sensum a Vatis animo & spiritu iudicauerim. Hinc est (credo) quod Vates parum nonnunquam sibi constare in psalmis a tardis lectoribus iudicatur, dum unam atque aliam plane dissimilem in uno plerunque uersu poni literam suspicantur. Hanc quidem peperit ingeniorum confusionem nostra haec a Graecis non ex Hebraeis translata aeditio, & id sane interdum paulum oscitanter: nisi mauis etiam in hac parte eruditissimorum hominum ignorantiam damnare. Ego enim quae doctissimis didici expositoribus, qui linguarum longo assequuti sunt labore ac uigiliis peritiam, absque inuidia communico. Fateor tamen me minima, uel nulla potius eruditione, addo & librorum copia instructum, ad has qualescunque accessisse commentationes. Qui enim feliciori nati sunt sidere, quibusque maxima suppetit librorum uis, atque amicorum suppeditantium & ocium & impensas gratia, benignioribus scribant Musis. Mihi pro lucro non mediocri erit, si tantillo hoc mihi a benignissimo patre omnium concesso non destituar spiritu. Quid si aliquando a posteris, qui in me gratiori erunt animo, quam hi forsitan, qui uiui autoris opera non absque stomacho legere consuescunt, & legar, & ut solent res nonnunquam rusticanae ab optimatibus auide expeti & gustari, inter librorum delicias hae meae computabuntur uigiliae, dicentque studiosi: Ergo ne sine libris, sine Mecoenate, ab obscuro monacho, neglectoque a suis, non prorsus indocti scripti sunt commentarii? Quid uim addidit rudi illi uiro, nullius ferme numeri ac nominis, ut id auderet? Aut fuit Deus, aut nihil omnino. Certum illud est, Dei spiritum in solitudine atque silentio magis, quam inter turbas inueniri. Illi sic, nos uero ad institutum redeamus. Haec est nostra cum Christo perfectio, consolatioque in spiritu, cum Deus a nobis propter peccata auersus, reuertitur placatus, atque homini, rei utique uilissimae,

si uitam spectas, reconciliatur altissimus. Ait itaque: Ad solitam redi pietatem Deus. Verum usquequo toties imploratus abes? Recepta iam tandem debiti solutione, ueni, ac nos libera: et qui inexorabilis, ob crebras nostras offensiones, fere factus eras, sinito te a seruis tuis exorari. An nondum satis saeuitum est? Cesset iam manus tua, o clementissime.

{90.14} Repleti sumus mane misericordia tua, exultauimus & delectati sumus in omnibus diebus nostris.

Rursus interpres nonnihil confundit sensum. Consentaneum quippe fuerat, ut simulatque dixit, conuertere, & deprecabilis esto, ne ab instituto cadere uideretur diceret, Reple, seu satia, ut legit Hebraeus, misericordia tua: & sic exultabimus, & laetabimur omnibus diebus nostris. Satietas haec Dei misericordiae cum a fide oriatur atque amore, gaudium ex se parit inenarrabile, pacem item animi, consolationemque in spiritu sancto, atque laudandi Dei mire anxium studium ac de-

[desiderium]

{pdf 651, p. 317v}

-siderium: & id quidem tantisper dum uiuimus. Porro uis ea est amoris huiuscemodi, ut in uita hac, alioquin arida & sterili, incipiens, in Deum, qui aeternus est, summo feratur nisu & ardore. Caeterum mane, pro quam primum, quod alias ad notauimus, accipi solet. Unde Paraphrastes: Copiose, inquit, & cito summo mane benignitatis tuae participes effice.

{90.15} Laetati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus uidimus mala.

Iterum uertendum erat, Laetitia nos affice, seu, ut uertit Felix, Laetifica nos. Sicut inquit, afflixisti nos, ita & mutata sorte, dies annique illi amari & turbidi in dulcedinem et consolationem uertantur. Quid enim malorum: non uidimus? Videamus quoque & bona. Et quidem, ut istuc quam primum contingat,

{90.16} Respice in seruos tuos, & in opera tua domine, & dirige filios eorum.

Orat iam Vates in calce psalmi, ut suos tandem placato intueatur uultu familiares Deus, agatque ut eius opus, nempe spiritus infusionem, quae in Christi aduentu copiosissime effluxit, non solum ipsi, uerumetiam illorum filii, nepotesque, & quaecunque ad eos attinent, persentiant. Quod sane melius ex hebraeo expriment doctiores, qui sic reddunt: Appareat in seruis tuis opus tuum, & gloria tua in filiis eorum. Quod quidem opus & gloria ad redemptionis humanae beneficium retulit Paraphrastes: Appareat, inquit, seruis tuis salutiferum illud redemptionis opus, & reconciliatio diuinae maiestatis tuae nota fiat seruorum tuorum posteris. E nobilissimum Dei opus erga homines, en gloria, en decor, en pulcherrima sponsae facies in sponsi sanguine honestata. Appareat igitur ille, quo apparente, e mundo.

{90.17} Et sit splendor domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.

Splendor hic domini Dei nostri, nempe Christi per gratiam qui noster factus est, atque per nostrae naturae assumptionem unus ex nobis praeterquam quod uim eam prae se fert spiritus, qua imbuti fideles, quaecunque agunt lucida sunt, ac diuinam ex se referentia imaginem & praesentiam, crucis quoque est signum, quo e lectorum frontibus impresso, splendidiore efficiuntur, quam sol ipse meridianus. Euangelium insuper est, ac Christus tandem, qui splendor gloriae, figuraque substantiae patris ab Apostolo appellatur. Per hunc igitur, per quem, tanquam per purissimum uiuae aquae riuum, in nos gratiarum deriuat copiam ipse pater, opus manuum nostrarum dirigat ac confirmet: dirigat, inquam, & ratum habeat quaecunque agere instituimus (Opus & opus, non opera & opus, ne in superfluis philosophemur Hebraeis est) ut nihil aliud rebus in agendis attendamus, praeterquam proximi nostri commodum et salutem, sed in primis Dei honorem & gloriam. Cui laus sit & benedictio in secula seculorum. Amen,

PSALMVS XCI.

{91.1} Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur.

Vates in hoc psalmo, cui nulla est inscriptio apud Hebraeos, de mirabili Deo nitentium fiducia, atque adeo contra de indicibili illius protectione erga homines, canere instituit. Quantum porro spectat ad spiritualem psalmi sensum, quicquid iam dici potest, id diuus occupauit Bernardus, uir sane cum doctrina & eruditione insignis, tum spiritus igne mirum in modum affectus, & incensus. Extant illius luculentissimae ac facundae in hunc psalmum lucubrationes, quae passim ab omnibus qui illiusmodi delectantur scriptionibus leguntur. Eam ob rem nos nostrum non deserentes institutum, ad literam, nostra in aeditione subobscuram & ambiguam, dilucidanda intenti erimus. Compertissimum id esse debet, Christum a spiritu hic designari, qui sub tegmine alarum Dei, suis in aduersis & tentationibus se tutum praedicans quid illi, qui uitam habent absconditam in Deo, ut inquit Paulus, cum contingunt aduersa, agere debeant, admonet. Psalmus igitur omnibus Christi membris communis, singulisque qui Christo per fidem uniti sunt (tan-
[tantum]

{pdf 652, p. 318}

-tum absit superstitio) conuenientissime aptari potest. Sic itaque orditur Vates: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur. Qui, inquit, perseueranter, fortique animo sub altissimi tutela, tanquam sub scuto, sese texerit, dubio procul illius protectionem omnipotens assumet Deus: idcirco in omnibus quaecunque euenerint, erit tutus. Ex hebraeo sic uertunt: Qui sedet in abdito altissimi, in umbra omnipotentis commorabitur. Commodum enim in Dei abdito & se creto illos sedere, qui in rebus ac negociis huius mundi fessi sunt, exoptat Vates: quippe quorum protectio inuisibilis omnino sit, ac mundo incognita. Ad illas quidem spiritus operationes, puras nimirum, atque a mundi crassitie remotas, mens terrenarum rerum

curis occupationibusque distenta, qui assurgere poterit? Illum ne aliquando in Dei umbra sedere dixeris, qui abiecta Dei religione, in mundi plausu oblectamentum uenatur? Certe istiusmodi animarum refrigerium non sentit, nisi ille, qui fide atque dilectione in Deum translatus,

{91.2} Dicet domino, susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum.

Felix tamen in prima persona sic transtulit: Dicam domino, spes mea, & munimentum meum, Deus meus confidam in eo:

{91.3} Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & a verbo aspero.

Et Graeci & Hebraei, te legunt, non me. Et est uox spiritus ad illum, qui habitat in adiutorio altissimi: quemadmodum illa est habitatoris, sperabo in eum, suam te stantis fidem, atque ad admittendas Dei inspirationes promptitudinem. Miram quam iucundo hic ludat spiritus dialogo, ut pene, ni cautus sis, te penitus, quis cui, aut de quo loquatur, fugiat, adeo repentina interdum fit personae mutatio. Caeterum, laqueum uenantium, seu uenatoris, insidias clam cuiquam factas interpretantur: uerbum uero asperum, manifestas calumnias atque iniurias. Ideo, calumniarum sermonem, uertit Symmachus. Verum ex hebraeo, a peste noxia, seu confractio, reddunt, quae manifesta exitia, seu perniciosum dolum esse existimant. Illud sciendum, totum hunc psalmum de tutela hominis, qui a Dei refugio pendet, intelligi, cuique neque homines, neque daemones nocere ualidi sunt. Quare intulit:

{91.4-5} Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis, scuto circundabit te ueritas eius.

Hucusque Hebraeis unus est uersus, quem sic reddunt: Ala sua operiet te, atque sub pennis eius confides, pro scuto & clypeo erit ueritas eius. De tutela alarum Dei non semel diximus. Sumpta est metaphora ab auibus, quae ob filiorum salutem, sese corpore, miluo aut accipitri opponunt, eosque alis contegunt. Siue igitur scapulas legas cum nostro interprete, siue cum Hebraeis, alas, fidam atque sollicitam Dei erga suos protectione intelligas. Quocirca additum est, scuto circundabit te ueritas eius: hoc est, sub illius fide, qua pollicitus est se perpetuum fore suis defensorem, tanquam sub scuto eris tutus. Cum recolit anima, quae, quantaue sint illa, quae suis aeternus promisit pater, quaecumque occurrant infracta perstat, in illumque quem nouit in promissis constantissimum & fidelem, sua omnia reiicit desideria, indigentiam, curasque omnes & studia. Quo sane instituto, tanquam parmula obtecta, nihil non audet in hostes, nempe impuros homines, atque dissidiorum autores daemones, quos omnes sub uocibus pauoris nocturni, sagittaeque uolantis perdiu, ac caeterarum rerum, quae actutum sequuntur, intelligi uult Vates. Caeterum uolunt nonnulli Hic, Dei ueritatem, illius esse uerbum, quo animae protectae in hoc uitae deserto securissimam degunt uitam. Unde non absque ratione a seruatore est dicte: Pater sanctifica eos in ueritate, sermo tuus ueritas est. Hac itaque Dei uerbi sanctificatione si ornatus es,

{91.5-6} Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die.

Quaecunque, inquit, inferant daemones die, quaecunque nocte, nullum illi erit incommodum, qui sic protectus est, tantum abest ut timeat. Fiat, inquit Paraphrastes, ut neque timeas si quis iaculo te petat etiam medio die. Neque item

{91.6} A negotio perambulante in tenebris, ab incursu & daemonio meridiano.

Nulla hic de daemonio sit apud Hebraeos mentio, sed sic transferunt: A peste

{pdf 653, p. 318v}

in caligine ambulante, ab aegritudine repentina deuastante in meridie. Censent quidam Deber dictionem, quam noster uertit interpretes, negotio, & quam significare pestem asserunt, item Cheteb, quae significat aegritudinem repentinam, quamque uertit interpretes, incursu, nomina esse daemonum, quorum ministerio Deus in infligendis malis uti consuevit. Utcunque id sit, illud exploratissimum, quod a quocunque pestis genere, siue occultum illud fuerit siue manifestum, immunis is erit atque intactus, qui in protectione Dei coeli, hoc est, summe potentis, commorabitur. Quare sic Paraphrastes: A peste, quae clam inuadere homines solet, & ab ea quae de improviso exorta saeuiet, securus eris. Insuper

{91.7} Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.

Etsi, inquit, tanta fuerit pestis calamitas, aut bellorum immanitas, ut hinc latere a sinistro mille, illinc a dextro decem hominum millia corruant, nihil tamen erit quod tu tibi metuas, siquidem te id mali non attinget. Vide iusti hominis constantiam, qui, uel ruat aether, immobilis perstat in Deo. Etenim in electis laedi quidem potest corpus, fides uero minimi, quae radices in Christi amore, unde omnis emanat robur animae, fixas habet.

{91.8} Veruntamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.

Non illa, inquit, quantumtibi [sic, quantumlibet] crudelia atque uniuersalia, ad te peruenient mala, quin potius tu securus Deum pro te in acie stantem contemplaberis, contraque meritas dare poenas impios propriis intueberis oculis.

{91.9} Quoniam tu es domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.

Contendunt nonnulli, altissimum, substantiuum hic esse, ut illud quoque est in psalms exordio, Qui habitat in adiutorio altissimi: uoluntque uocem illius esse, qui ob stuporem rerum earum, quas a spiritu audierat, Dei in se cognoscens uirtutem id fere dixerat: Omnia certe sic se habere non dubito, quoniam tu es domine spes mea. Postea uero ad illum conuersus (sic se habet dialogorum ratio) qui supra dixerat, Susceptor meus es tu,

& refugium meum: eum laudat, dicens: Ita tibi contigisse certo scio, quoniam tu posuisti altissimum, nempe Deum, refugium tuum. Id sensisse Campensem uideo, qui sic reddidit: Quisquis igitur sapiens, dominum, qui est super omnia, ueluti tutissimum asylum ante oculos tibi proponere. Verum secus intellexisse caeteros ex hebraeo fere omnes non me clam est. Sic Felix: Altissimum posuisti habitaculum refugii tui. ut altissimum, adiectiuum sit, & ad habitaculum referri debeat. Alius item ex eodem fonte: Excelsum posuisti habitaculum refugii tui, hoc est, coeleste, atque improbis inaccessum. Quoquo modo legas, utriusque sensum literae apte ualde conuenire arbitror Vatis animo. Sed uide an prior sensus, ad ea quae sequuntur, decentius accommodari queat.

{91.10} Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Tabernaculum pro tota domo & familia hic poni iudico. Et est perinde atque, tuti erunt tui omnes, non modo tu solus, ab omni malorum genere ac plaga. Vnde sic Paraphrastes: Quod si feceris, ausim tibi polliceri, non futurum, ut ullum inopinatum malum te corripiat, uel ulla plaga familiam tuam infestet. Dictionem enim quam noster interpres simpliciter uertit, malum, inopinatum malum reddit, ut uides, Campensis. Idem ferme Felix: Non fortuito, inquit, cadet apud te malum. Alius uero, non temere ueniet ad te malum. Nullum igitur fatum, nullumque insperatum malum te, aut tuos opprimet liberos, & uxorem, o tu qui fiduciam tuam in domino collocasti.

{91.11} Quoniam angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uis tui.

{91.12} In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Ratio, quamobrem Dei amici a malorum impetu tuti uiuunt, redditur. Praecepit, inquit, Deus angelis, ut illos suis in itineribus, & actionibus, quas secundum Deum agere instituunt, dirigant, tutenturque, ac ueluti manibus adeo inoffense gerant, ut ne, uel leuiter quidem in lapillum illorum impingere queat pes. Exactam hic narrat angelorum custodiam erga homines spiritus. Mirum quantum hi

{pdf 654, p. 319}

sint salutis hominum amantissimi, quantumque de illorum lapsibus moereant. Idcirco non absque causa a Vate alio est dictum, quod angeli pacis amare flebant. Etenim administratorii spiritus sunt, in ministerium illorum delegati, ut inquit Paulus, qui haereditatem capiunt salutis. De illorum uero tutela pro reprobis, ut quosdam asserere uideo, nulla, quod sciam, in scripturis fit mentio. Piam tamen illorum, qui id opinantur, non reprehendo sententiam, utpote ad maiorem execrationem improborum excogitatam, qui tam fortibus muniti custodibus, malunt daemonei suasori parere, quam fidelissimis illis monitoribus, retrahentibusque a malo, auscultare. His porro uersibus a daemone perperam citatis, Dei filio persuadere uoluit, ut sese e summo templi fastigio praecipitaret. Atqui actiones illas, e quibus nulla tum Dei nomini, tum proximorum saluti conciliatur gratia & gloria, temerarias esse diffiniunt sancti. Quis fructus, oro? quae utilitas? aut quod unquam emolumentum diuinae afferri gloriae potuisset, aut proximi commodo, e Christi ad ima lapsu? Pro te igitur, quisquis es qui Deo fidis,

purissimi uigilant angeli, te protegunt, te (sic illis iussit Deus) mirabili tutantur patrocínio, ac te, ne forte offendas lapide pedem tuum, gestant manibus. Quid amplius expetis? uis ne aliam sublimiorem tibi a coelesti patre concessam audire potestatem?

{91.13} Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

Basiliscum dictio, non est in hebraeo, sed, ut reddit Fel. Super leonem & aspidem iter facies, conculcabis catulum leonis & draconem. His quidem ferarum uocibus, rerum omnium, quae uel morsu, uel ueneno, uel alia ratione quamlibet noxia & letali, obesse possunt, feritatem intelligi uoluit: quas quidem non solum Dei amicis nocere haudquaquam posse asserit, uerumetiam illis fore usui ac commodo. Ecce, inquit Christus, do uobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones, & super uirtutem omnem inimici, & nihil uobis nocebit. Quae enim res tam formidabilis esse potest, cui non imperet Dei amicus, atque illi fraenum ponat? Caeterum si uoces has omnes immanitatis, uariis daemonum artibus accommodare libet, non contradicit scriptura: imo ex illis accepimus spiritu & testimonio, daemonem ob tectas calumniandi insidias, aspidem appellari, ob inuidiam basiliscum, a cuius conspectu praesentaneum hauritur uenenum: ob ferociam uero leonem, atque propter subitam irae commotionem & impetum, nonnunquam draconem nuncupari. Verum in his allegoriis, ut iam praefati sumus, non diutius immorari nobis est animus: non desunt enim, qui hoc pie & docte edisserunt. Nos interim ad rem nostram.

{91.14} Quoniam in me sperauit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

En quo nos pura in Deum spes ac fiducia pertrahit. Quoniam, inquit, in me sperauit, ab omni eum liberum molestia reddam. Quoniam me concupiuit, uertit Felix, alius uero: Quoniam me ardet, seu deperit. Ex nostro itaque in Deum amore illud fit, quod nulla tam crudelis atque effera uis esse queat, quin subito commollescat, nostroque subiiciatur imperio: tantum amor uerus sit, simplexque, ac pure candidus. Unde obsecro, conditarum rerum orta est in hominem rebellio? unde illarum in nos saeuitia atque inobedientia? unde tanta nocendi uis ac rabies? unde ardor ille despectusue, quod non solum uenenatorum animantium truculentiae obnoxia facta sit humana conditio, sed etiam ab ipsis quoque imbellibus muscarum morsibus ac pulicum, adeo moleste interdum inquietantur homines, ut nulla sit somni aut cibi requies, nisi quod in Deum ingratisidissimi quiduis potius in terris appetunt & amant, quam ipsum super omnia amore dignum conditorem? mundique plausum ardentius tum quaerunt, tum magnipendunt, quam Dei nomen & honorem? Porro cognoscere Dei nomen in hoc loco, est (opinor) excelsam illius suspicere maiestatem (Messiam seu filium signari hic etiam arbitror, secundum Hebraeos) illumque nostris in aerumnis, abiecto mundi metu, implorare. Idcirco a Vate puto additum esse,

{91.15} Clamavit ad me, et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum et glorificabo eum.

{pdf 655, p. 319v}

Inuocauit me, uertit Felix, & respondebo illi. Vide certam de diuino praesidio pollicitatione. Respondebo, inquit, illi: hoc est, illius uotis annuam, adero, faueboque illi. Neque id satis quidem (o caecas mentes) illum, illum inquam) haud multo pridem mihi infensum, modo uero spe mihi atque amore reconciliatum, non solum a periculis illis uitae continuis & aerumnis eximam, uerumetiam inter homines honoratum, cunctisque uerendum faciam. Ad haec,

{91.16} Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

Haud inter infima Dei dona computandum est illud uitae genus longum, quod totum ad Dei honorem, multorumque salutem expositum sit. Alio quin ignaui senes atque impudici, ex longo uitae cursu longam sibi comparare uidentur miseriam, ut nonnullos aliquando uidimus, quos nullam sibi laudem ex tam numerosa annorum computatione asserere potuisse coniciebam, nisi quod in religione consenuissent. Non uideo certe cur seni, ita de uirtutibus male merito, id dici queat: Et ostendam illi salutare meum: hoc est, ut interpretatur Paraphrastes, Ostendam illi quibus modis beare soleam amicos meos. Ergo illos duntaxat, quibus nulla alia in primis est cura ac studium, nisi ut perseueranti uitae ratione ac filo Deum quaerant, amentque, & suis in aduersis fidelissime implorent, dirigit spiritus, fouet, adest: in afflictione, ut ferre queant, indurat, consolidat, tutatur, ornatque dignitate, existimatione, ac tandem longo peracto annorum curriculo, quod totum ad Dei laudem, salutemque animarum attritum fuerit, aeterno donat uitae statu, quae est perfectissima Dei cognitio, in ipsoque pax & quies. Cui honor sit aeternus. Amen.

PSALMVS XCII. Psalmus cantici diei Sabbati.

{92.2} Bonum est confiteri domino, et psallere nomini tuo altissime.

Ex ipsa inscriptione argumentum fere psalmi palam fit. Oda quippe erat ad hoc instituta, quo diuinae potissimum die sabbato decantarentur operationes, ac, quibus cunctis beneficus est Deus, tum bonitas, tum misericordia. Neque id quidem summa absque ratione ac mysterio. Nam cum septimo haec quoque die agerentur, illud in primis tanquam pene exoletum, a memoriaque hominum delapsum, nouo ueluti usu reuocabatur, summum scilicet opificem die illo a condendis rebus cessasse: quo utique tum ritu significatum est, fore aliquando quod diuinae religioni addicti, rerum usum externarum, quas sex ipse diebus condidit, praetergressi, ab illisque ociantes, in ipsius iam conditoris potentia, sapientissimoque consilio, ac, qua res omnes permeat, bonitate consideranda, aeterno occuparentur sabbato. Erit (inquit Deus in Esaia) sabbatum ex sabbato: hoc est, perpetua meorum a curis erit feriatio, & quies. Aspice igitur, in quo maxime uersari debeat Christianorum uita, in recolendo scilicet Dei bonitatis praeconio, refricandaque illius pene abolita coelestium donorum memoria. Verum aliter quam fuit Dei consilium, nostram ob impietatem effectum est. Etenim sex continuis uitae huius infelicis diebus mechanicis uacamus curis atque occupationibus: septimo uero, qui ab ipso statim rerum exordio ad contemplanda coelestia selectus fuit, in iocis ludisque illiberalibus, & perniciosissimo alendo ocio, nostram omnem nauamus operam. Proinde

istud? (ut sic loquar) monstrum sapientissimus praeuidens Vates, nostramque pungens oscitantiam, melius dicerem socordiam, ultroneamque ad interitum properantiam, sic suam orditur admonitionem: Bonum est confiteri domino, & psallere nomini tuo altissime. O mortales, inquit Vates, o qui ad coelestia uocati estis bona, o quorum nomina scripta sunt in coelis, quibusque ea prima est cura, ut calcato mundi fastu, re scilicet tam uili & abiecta, in diuino solummodo pergustando amore trahamini: bonum, imo id solum bonum est, id pulchrum, id supra suauitatem omnem suauiissimum, laudare Deum, non uos, aut res uestras. Quid dicam? bonum id maximum omnium est, toto mentis tripudio, tuo psallere nomini o altissime. Putasne, mi lector, in hisce honestissimis occupatum cu-
[curis]

{pdf 656, p. 320}

-ris posse quempiam suas laudare diuitias? sua scorta? sua scelera? O amentiam hominum: o quam rari hi sunt, quibus quis laudandi Dei sit modus, perspectum sit. Confessio quidem, quam hic a nobis exigit Vates, & quae in celebrando potissimum Dei cultu & nomine consistit, totum uult animum & cor: quod si impurum est, infectum nimirum odiis, foedisque uoluptatibus, ac sui amore, non id uas est, in quo purissimae Dei laudes recondi debeant, quodque hic figurat spiritus, atque ad celebrandum Dei nomen inuitat, licet os quantumuis late aperiant homines, ac mille uocum concentibus rem sacram peragant. Iniuria ea quidem est ingens Dei, non laus, ab improbo laudari homine quocirca uideant, qua id animi exerceant innocentia & candore, illi qui horas canonicas celebrare iubentur, quique maiorem suae uitae partem in frequentandis templorum choris indefesso insumunt exercitio.

{92.3} Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & ueritatem tuam per noctem.

Clarius uertisset interpres, si per infinituum sensum explicuisset, ut ad priorem uersum referret, ad annunciandum, hoc modo: Bonum est confiteri domino: bonum, inquam, est annunciare mane misericordiam tuam. Quod quidem obseruauit Paraphrastes, qui sic reddidit: Commemorare summo mane clementiam tuam. Quanquam non me praeterit, ad annunciandum idem plane esse, quod, ut annunciem. Caeterum mane & per noctem, eum prae se ferre sensum uidetur, nempe singulis dierum ac noctium exordiis, seu statis ad haec temporibus, sacratisque religioni, quae uespertinum de more erant, & matutinum. Eo fere tempore mens ad diuina largius haurienda uidetur aptior, quod alias me dixisse memini. quemadmodum etiam misericordiam Dei, illius esse bonitatem diximus, qua sua gratis elargitur dona: ueritatem uero, illius in pollicitationibus tum fidem, tum constantiam. Tuam igitur, o Deus, celebrari par est clementiam, & mane & noctu. Siue enim res nobis ad uota proueniant, quod mane est, siue in calamitatum nocte ac tenebris uoludemur, tuam tamen semper nulla intercepti perturbatione animi, laudabimus fidem & misericordiam: atque id quidem non tantum ore, & quod in primis tua requirit religio, mente, uerumetiam

{92.4} In decachordo psalterio, cum cantico in cithara.

Quod sic uerti poterat ex Hebraeo: Super decachordo, & super nablo, super instrumento sonoro cum cithara. Hisce enim uariis instrumentorum uocibus, flagrantem sui animi ardorem laudandi Dei ostendere uoluit. Causam porro, unde tam anxia orta sit cura pietatis, reddit:

{92.5} Quia laetificasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.

In factura tua, in opere tuo, uertit Felix. Paraphrastes autem: Delectasti me domine elegantissima hac operum tuorum uarietate. In consideranda, inquit, pulcherrima rerum effectione, forma, ordine, atque illa potissimum, qua cunctis rebus conditis partim uitam, partim aptam illis substantiam ac statum impartis sapientia, quae sane omnia manuum tuarum operationes sunt, gaudio quammaximo afficior, ac laetissimum in modum oblector. Quid cum recolo meis a negociis feriatum, quam diues sis in donis? quam nostri amantissimus? quam celer? quam potens & mirabilis ad ferendas tuis suppetias? contraque in profligandis tuae religionis hostibus, intentus, atque ardens? Certe, mi domine, tum totus, quantulus sum, inenarrabili detineor stupore atque ecstasi, clamoque:

{92.6} Quam magnificata sunt opera tua domine, nimis profundae factae sunt cogitationes tuae.

Vide in quibus uersari debeat Christiani mens in sabbatis, nempe perpetuis fidei pacisque in Deo, festis diebus. Nam quaecumque a Christiano fiunt homine, aut lingua proferuntur, quae diuinum non referant honorem, aut proximi commodum, inutilia sunt, ociosa, seruilia, ac quibus maxime sanctum Dei polluitur sabbatum. Quam diuites sumus, iactitant alii: quam pulchra est nobis supellex, quam elegantes liberi, quam ampla tum rerum, tum seruorum, tum canum uenaticorum copia, quam commoda aedificia, quam magnis a principe ditamur donis, primisque ornatur ho-
[honorum]

{pdf 657, p. 320v}

-norum gradibus. Quid? Qui nobis in decenti familia, in ludis, in iocis, in conuiuuiis, in apparatus, in literis quoque, ac rara linguarum peritia, comparandi? Dii sumus. Heu mentes stolidas. Iactabundi indicia haec sunt animi, atque elati. Vide quid Vates, perfecti quidem Christiani typus atque imago, cogitare, palamque pro ferre consueuerat. Quam magnificanda, inquit, sunt opera tua, o Domine: quam ex animo suam ob magnitudinem suspicienda. Obstrusissima sunt sane, nobisque omnino incognita tuae prouidentiae consilia, quanto scilicet ordine, quantaque erga homines charitate, haec omnia supraquam dici potest, aut ab humano percipi ingenio, admiranda condideris, distribuerisque, ac unicuique aptissime rei, quod suae conueniret naturae, impertiueris. Imperscrutabiles nimium, nimium certo hi tui secreti sunt conceptus o altissime, occultique omnino atque insoliti, illis potissimum qui in mundi huius bonis occupati, insanissime dementantur. Quocirca

{92.7} Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget haec.

Censent quidam insipientem hic appellari rerum diuinarum omnino ignarum, licet humanarum peritum: ut sunt fere illi, quibus, cum aetatem omnem in poetarum studiis, rhetorum, philosophorum quoque pertriuerint, an Dei spiritus sit, ne per transennam quidem unquam uidere contigit. A sapientia quippe Dei semoti cum sint, stultos mox illos fieri necesse est. Idcirco obscuratum est insipiens cor eorum, ut inquit Paulus, dicentesque se esse sapientes, stulti facti sunt. En cuiusmodi generis sunt hi, quibus nulla est rerum coelestium cognitio, & gustus: nam si certe Deum esse (quis id ignorat?) agnoscunt, non tamen sicut decet, eum aut amant, aut uenerantur. Suo enim contenti tumore atque existimatione, nihil aliud sibi quaerendum esse in hoc mundo iudicant, quam ipsum mundum, atque illa in primis, quae ad oblectamenta uitae faciunt. Quid uero censendum sit de illis, qui nec humanis, nec diuinis, uel mediocriter quidem, ultro imbuti literis, uitam uiuunt ociosam, ne dicam turpem, uix dicere audeo. Pene illos homines non esse asseuerarem, nisi ex illis plerosque cernerem etiam ad primos regionum, religionumque honores promoueri, licet indoctos, ac plane Dei spiritu, quae est uera doctrina, & sapientia uacuos. Hos itaque, quos ex hebraeo bestiales uocat Felix, a diuinorum consiliorum notione remotos esse affirmat Vates. Vir stolidus, inquit Campensis, nihil horum intelligit: neque stultus considerat in his naturae miraculis omnipotentiam Dei, Stultitiam istiusmodi, imprudentiam uertit Euthymii interpres: hi enim de more, tum probos tum improbos ex praesenti eorum fortuna metiri solent. Eam ob rem haud raro improbis fauere soliti sunt, utpote fortunatissimis, proborum interim uita ludibrio habita. Verum ut in diuinis, sic in humanis stupidi & imprudentes, quam sit fluxa sceleratorum hominum felicitas, aut nesciunt, aut scire dissimulant. Nam quidem

{92.8} Cum exorti fuerint peccatores sicut foenum, et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, ut intereant in seculum seculi.

Hucusque tum Graecis tum Hebraeis est uersus, uerum subobscurus: qui tamen clarior reddi queat, si post Iniquitatem, has duas attexeris uoculas, Fiet tandem. Caeterum, apparuerint, Hebraeis est, floruerint. & erit sensus: Cum uirere sicut gramen tenerum occoeperint peccatores, aut florere uisi fuerint cuncti qui operantur iniquitatem, non illorum imputandum erit felicitati, sed ruinae potius: siquidem huiusmodi illorum sors perpetuae magis signum est damnationis, quam salutis. Haec sunt quidem inter alia, quae stultissimam istam hominum colluuiem fugiunt:

{92.9} Tu autem altissimus in aeternum domine.

Illi enim sua ipsorum culpa interibunt, tu uero, ac tecum tui, excelsus es, permanesque perpetuo: hinc ea, qua cuncta es fabricatus potentia, res omnes, nedum impios, territas, tuoque subiugas imperio.

{pdf 658, p. 321}

{92.10} Quoniam ecce inimici tui domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, & dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.

Quo Vates ostendat, quam celeriter Dei hostes exterminandi sint, per demonstrationis notam, atque eam quidem geminatam, rem indicat, seque illorum quasi cernentem exitum, eo maxime tempore, quo florere uidebantur, inducit. Ecce, inquit, inimici tui domine. Ecce inimici illi tui, qui suae sortis penitus obliti, se nunquam sua ab illa rerum copia ac sagina deficere posse somniabant. Ecce, inquam quomodo repentino ueluti flatu, ut flos solet in hyeme, exaruerit, ac tanquam leuissimae rerum quisquiliae horsum sursum a uento impulsae, dissipati sunt. Quo illorum abiit fastus? quo diuitiae? quo insatiabilis habendi sitis? Parua enim nunc fossa contenti, eo infelicissimi demigrarunt, ubi nulla potest esse aerumnarum intermissio, & miseriae. Contra uero, meus perpetuo in te, non in rebus hisce mundi inquietissimis, erit animus:

{92.11} Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia uberi.

Nulli quidem animanti robustius est cornu, & quod in immensum fere emergat, quam est Monoceroti, belluae nimirum insuperabili, atque uix ui a quopiam unquam domitae. Quare suam hic inuictam potentiam fore, utpote a numine formatam & munitam, sub metaphora cornu Monocerotis asserit uir sanctus. Cedunt enim spiritui carnis opera, & mundi iniuriae. Interim, inquit, quod improbis mulctam praeparas, similem meam facies uirtutem & fortitudinem, quae uulgo ignoratur, fortitudini Monocerotis. Quid enim? Ipsam quoque meam senectutem naturaliter debilem & effoetam, iam nunc uiridi salubrique oleo atque unguento, quo me renouatum iri confido, perfusam sentio. Pro misericordia, & Graecis & Hebraeis oleum pingue est, seu unguentum uiride ac recens, quod uigorem sancti spiritus esse exponunt interpretes, quoque suum tum animae tum corporis, & id etiam in grandaeva aetate, succum augescere canit propheta: sic enim membra delibuta, uigorem sumunt. Ad haec, ea est uis spiritus, ut non tantum piorum animas recreet, quantum etiam ipsos artus se commode habere faciat. Mirum quam iucundam semper agat uitam uir in doctrina spiritus sese oblectans: quod sane non agit occupatus in mundi curis animus, ut de more sunt auari, ambitiosi, & hi qui alienas depereunt mulieres.

{92.12} Et despexit oculus meus inimicos meos, et insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

Ex hebraeo dilucidius uertisset: Respexit oculus meus in inimicos meos, grata mihi scilicet, & optata. Quod desiderauit, inquit, in illis conspexi, ruinam nimirum & interitum: atque itidem de malignis illis, qui contra me insurgunt, audient aures meae. De istiusmodi loquendi schemate in superioribus interdum est dictum, sed in primis in quinquagesimo quarto psalmo fuse admodum. Dicerem, nisi aliud agere instituissem, quantum in hoc genere proficiat sancti Dei uir, quibus in spiritu, quem suum semel in omnibus elegerunt ducem & praeceptorem, uolupte est, illum subita extinctum apoplexia audire, uel eo maxime tempore, cum in summo rerum apice uirete appareret: alterum uero angina, alterum ex his qui maiori uexabat uerbere religione, peste celeri & repentina absumptum. Idcirco fortiter tolerandae improborum irae, quoniam ea seruatur Deo uindicta, qui aequissimus rerum humanarum arbiter est. Quid? nonne propriis interdum uidimus oculis, nonnullos diros atque implacabiles Ecclesiae persecutores, in ipso uitae exitu (horrendum spectaculum) & crucem, & Christum

execratos esse, atque a sese abegisse? Colon rursus huic exulceratus, illi foedissimum alui profluuium mortem attulit. Et tandem, aut ludibrio omnibus habiti solum uertere coguntur ut plurimum Dei hostes, aut fortunis male partis expoliati publice obtruncantur. Interim uero vivunt miseri, etsi uulgo felices appareant. E contrario

{92.13} Iustus ut palma florebit, sicut cedrus libani multiplicabitur.

Suo more Vates uirum illius iustitiae studiosum, quae ex Deo est, arbori celeberrimae comparat, & feraci: palmae quidem, ob fructus suauitatem: cedro autem,

{pdf 659, p. 321v}

ob insigne robur, ac gratam passim omnibus redolentiam, addo & diuturnitatem. Notissimum illud est, palmam in superposita conniti onera. Ex quo ortum putant, ut uictores e praelio reuertentes, palmae sermo coronarentur. Morem fere hunc seruant mei instituti homines, qui defunctos uita monachos, tanquam qui e periculosissima carnis pugna uictores exierint, corolla e palma uiridi, aut si haec desit, serpyllo croceoque acantho, atque gratissimi odoris amaraco, coronant. Iustus igitur eo fere modo, in uitae huius ariditate floridus erit ac uirens, quo palma natiuo suo semper uestita uirore florescit, dulcissimisque suo tempore onusta fructibus, mirabilem prae se fert suauitatem. Erit, inquam, succrescetque instar illius generis cedri, quae altissimo alitur in Libano, qui inter Phoenices atque Arabes, mirae magnitudinis mons est. Etsi enim alias, alisque in locis procerae ualde innascantur cedri, in Libano omnem ferme superare magnitudinem cernuntur. Ideo nostro ab interprete multiplicationis uerbum additum est: Sicut cedrus, inquit, multiplicabitur. Et tandem,

{92.14} Plantati in domo domini, in atriis domus Dei nostri florebut.

Potest quidem longo pertrita aeuo palma intermori, potest & cedrus: iustus uero iustitiae illius genere fultus, quae haudquaquam in Libano, aut quouis alio feraci solo, sed in Deo, qui aeternus est, fixas habet radices, aeterno conuestitur flore, & fructu: cuiusmodi quippe sunt, qui in domo Dei, nempe fidelium Ecclesia plantati, Christo noua semper ac uiridi attexuntur insitione. Quapropter in ipsis atriis domus Dei nostri flores emittent uitae odoratissimos, non tantum illorum animae, uerumetiam & ossa & cineres.

{92.15} Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, & bene patientes erunt.

Non ultra procedit uersus Hebraeis. Sed alio modo & sensu, sic Felix: Adhuc germinabunt in senectute, pingues & uirides erunt. Paraphrastes autem: Ita fiet ut ualentes sint in senio, bene habiti, & uirentes. Non parua ea est laus in sene, qui in robustiori aetate adeo ardentem in diuina incubuerit obsequia, ut ne tantillum quidem in decrepita a pristino elanguerit calore, tantum abest ut non flagrantius rem eo quotidie urgeat, quo calor iam noxius deferbuerit. Impossibile plane est, ut senex sit stupidus & bardus, qui in iuuenili aetate solers extiterit & grauis, ut plerunque sunt, qui primis ab annis ad coenobiorum asperitatem asciti (mollitiem in coenobiis quis requirit?) nihil tam curant, quam quomodo curis superuacaneis omissis, sensu senes illico fiant. Sene

porro illo, qui & sensu & spiritu puer sit, nil unquam turpius, addo & molestius, uisum est. Res admodum praepostera uidetur, cum senes ob ignauiam ludibrio uulgo fiunt. Vir igitur ille, cui diuinus cordi est honor, semper in his quoque, quae ad corporis habitudinem spectant, nedum ad ea quae sunt spiritus, uegetus erit, succulentus, ac commoda uiuet etiam in senectute ualetudine. Macies uero & pallor in poenitente, a moerore potius, atque angustia animi proficiscitur, quam a coelestium rerum gustu & consolatione, quae iucundam efficit animam & gratiosam. Caeterum quid sibi uelit interpres, aut unde hauserit uoces illas, bene patientes, non sat scio: nisi forte ad naturalem senum morem respexerit, qui plerunque difficiles sunt, morosi, suspiciosique, & supra modum sordidi & impatientes: quae quidem uitia in bene morato sene, ac Deum timente, nequaquam esse posse asserit spiritus: quemadmodum meos uixisse parentes scribere non uerebor. Vterque enim cum ad quintum & septuagesimum aetatis peruenisset annum, prolemque numerosam Christiano cultui, literis, ac Benedicti demum familiae consecrasset, ullo fere absque corporis incommodo, eodem omnino mense mortem obiit tranquillissimam. Nam cum animo, tum in Deum, ciuesque suos ambo, ciues ipsi integerrimi, & nobiles, uiuida semper extitissent fide, uiuida quoque membrorum decesserunt ualetudine, quippe qui ex resolutione uitae magis, quam quod cum morbo aliquo molesto conflictassent, ad Deum, ad quem liberorum iam partem praemiserant, felicissime demigrarunt.

{pdf 660, p. 322}

{92.16} Ut annuncient, quoniam rectus dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.

Rectus sane est dominus Deus noster, qui suos non deserens, prauosque omnes auersans, aequissimo omnia ponderat iudicio. Quare in eo nulla potest esse iniquitas, nullus error, nulla prauitas, cum sit aeterna sapientia, uita, atque omne bonum. Cui laus sit atque honos in secula seculorum. Amen.

PSALMVS XCIII.

{93.1} Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est dominus fortitudinem, & praecinxit se virtute: etenim firmavit orbem terrae qui non commovebitur.

Inscriptio, quae huic psalmo adscribitur a nonnullis, superflua est: in hebraeo enim absque titulo legitur. Quamobrem amputatis superuacuis, ad mentem psalmi enucleandam spiritum inuitemus. Is enim cum amor sit, nostro supremum in modum delectatur amore. Idcirco corda hominum frigida, ut meum est, atque a diuino abhorrentia calore, miris non cessat urgere flammis, accendereque, & usqueadeo immutare, ut plane illa in aliam reformet imaginem, nempe coelestem ac spiritualem, Permagna res ea est, & ineffabilis omnino, quod Deus (quid excelsius dici potest?) quod Deus inquam ille, a cuius nutu quicquid conditum est dependet, in suaque perseuerat natura, aut in nihilum quoque relabatur, unius corculi, & illius quidem confracti & semimortui, imo plane mortui, atque in cineres collapsi, domicilium sibi eligat. Refutat haec, scio, mundus. Heu tardas quorundam mentes, quibus persuasum id nondum est:

putant enim igneum spiritum in algidis manere posse animis. Ardere quidem opus est, atque usque ad separationem animae & spiritus conflagrare illum, cui Deus, qui ignis consumens dicitur, uel mediocriter innotuit. Algor quippe noster, hoc est, procliuitas ad uitia, atque amor mundi, nos procul esse a Deo testantur: nos tamen solos eos esse, quorum animis diuinum uelit nolit insideat numen, somniamus: scilicet nulla alia Deo est cura, nisi ut modo cum illo hominum genere hospitetur, quod semper alias execratus est, Haec itaque, atque horum similia mente pertractans Dauid, mortaliumque detestans arrogantiam & superstitionem, cui ex omnibus adhaerescere debeant homines in hoc describit psalmo. Is Christus est, cuius regnum, atque eandem cum patre potestatem, mirabili adumbrat mysterio, canitque: Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est dominus fortitudinem, & praecinxit se uirtute: etenim firmavit orbem terrae, qui non commouebitur. Is unus integer est uersus in hebraeo. Sic illi: Dominus regnauit, & uestiuit se magnificentia, indutus est dominus fortitudine & accinxit se: etiam orbis sic firmatus est, ut nutare non possit. Mos est scripturae, ut eum dicat re illa indui, cuius possessor est, ac studiosus. Ita fere dicunt hominem innocentia indutum, qui innocentiam per omnes uitae actus referre studet. Sic de ignominia, infamia, caeterisque aut uitiiis aut uirtutibus ratiocinari fas erit. Volens itaque Vates Dei magnitudinem ac maiestatem, quae maxime in uniuersali constitutione declarata est, utcunque exprimere, illum dicit decore seu magnificentia & fortitudine uestitum. Dominus, inquit Campensis, regnandi prouinciam suscepit, maiestate undique conspicuus: induit robur dominus, quo natura, & a seipso omnipotens est. An uero summae fuerit potentiae, tam uastam terrae molem, atque super aquas fluitantem, nihilominus immobilem fecisse, non est (credo) qui ambigat. Verum nescio quid hic mihi de Christo subodorare uideor, qui non multo pridem in terris absque specie & decore uisus, modo confractis inferorum ualuis, splendidissimo rerum earum, quae Deum decent, pallio circumamictus, in solio residet regio. En rex ille, cuius imperio mundi princeps debellatus fuit, eiecta mors, atque illius abolita origo, nempe peccatum, quomodo uirtute splendoreque, fortitudine ac maiestate ornatus, orbem hunc nostrum, nempe Ecclesiam ex terrenis conflatam animis euexit, aeternoque sui spiritus constabilivit clauo. Portae, inquit, inferi non prauelebunt adversus eam. Quare cum tam excelsus sis, o domine, cui nulla quamvis sublimis conferri queat potentia,

{pdf 661, p. 322v}

{93.2} Parata sedes tua ex tunc, a seculo tu es.

Iam inde, inquit, ab exordio constitutum est tibi solium: nanque ab aeterno tu semper es. Heri quidem, clamat Paulus, atque hodie Christus Iesus, qui cum unius naturae sit cum patre, idem semper est rex, idem dominus, idemque in omnia, in se impartibilis, effusus. Nihil enim tam occultum est atque inaccessum, quod non permeet Christi uirtus. Contra quem

{93.3} Eleuauerunt flumina domine, eleuauerunt flumina uocem suam, eleuauerunt flumina fluctus suos.

Omnes enim, quos sciam, expositores, & hi quoque qui allegorias horrent, allegorias hic esse diffiniunt. Siquidem per flumina suos impetus atque horrorem euomentia, diram

inimicorum Dei ferociam, sed quam ipse facile compescere possit qui formidabilis est etiam maris fluctibus & procellis, intelligunt. Cuius quidem saeuitiae terrorem quo magis exprimeret, crebris illis uocibus fluminum suos eleuantium clamores usus est. quanquam certe nihil obstare uidetur, quin de naturali illo fluuiorum, ac maris horrore ac metu, eo maxime tempore quo turbidissimis conuoluuntur undis, simpliciter exponi queat. Artem ne putas nauticam tam fractos iratosque maris fluctus, aut syderum aut uentorum beneuolentia sedare posse? Diuina absque dubio illa est uirtus & bonitas, quae rebus quamlibet reluctantibus fraenum iniicere potis est. Verum in allegoria, ut nos admonent doctiores, perstandum erit.

{93.4} A uocibus aquarum multarum mirabiles elationes maris, mirabilis in altis dominus.

Sic litera ordinanda esset secundum Hebraeos, quae sic habet: Plus quam strepitus aquarum multarum, procellarumque maris admirabilium, admirandus est dominus, qui in excelso praesidet. Quare sic Paraphrastes: Aquis quantumuis multis imo & uastissimis fluctibus maris potentior est dominus, altissima quaeque possidens. Quod sane de intoleranda iniquorum immanitate, atque in innocuos saeuitia intelligi par est, quos tamen a fortissima Dei manu confractum iri affirmat spiritus. Praesidet quidem Deus in coelis, & quae hic aguntur diligentissime considerans, cuilibet nostrum, quemadmodum in corpore hoc mortali gestum fuerit, siue gloriam, siue ignominiam impartietur. Vnde

{93.5} Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudine dierum.

Probata, seu fidelia tacta sunt ualde testimonia tua, transferunt ex hebraeo. His quidem duobus membris tota fere Ecclesiae effigiatur imago. Quod enim diuinis habeatur fides oraculis ac pollicitationibus, quodque in omnibus tum dictis tum factis, seruetur morum sanctitas, a fide, cui omnium salus innititur, & quae est absolutissima ecclesiae perfectio, ortum habet. Ait itaque: uae pollicitus es in scripturis uera sunt omnia, uera oracula, uera uaticinia, uera cuncta illa quae tua nunc in Ecclesia fieri conspiciamus: & sicut tu sanctus sanctorum appellaris, ita domui tuae conuenit, ut sit sancta, subindeque tuta sanctarum animarum arx, & domicilium: & id quidem in longitudine dierum, illorum nimirum, qui nullo clauduntur termino. Etsi enim in terris suum habet ortum Ecclesia, nihilo tamen minus in coelum usque suos expandit ramos. Vterque enim populus una est Ecclesia, quanquam diuerso uitae genere. Hi quidem sub atrocissimo bellorum malleo adhuc atteruntur, illi iam attriti felicissimam cum Deo agunt uitam. Cui laus sit & potestas in secula seculorum. Amen.

PSALMVS XCIIII.

{94.1} Deus ultionum dominus, Deus ultionum libere egit.

Nullus huic psalmo titulus in hebraeo adscribitur. Is enim qui vulgo circumfertur, insititius uidetur. Eo itaque omisso, ad psalmi interpretationem uertamus animum. Cuius argumentum cum multis aliis conuenit, nempe Deum infirmioribus uideri animis

ad tam amplam sceleratorum homini licentiam, in opprimendis maxime innocuis, conuiuere, ac quasi illius generis incogitant-
[incogitantiae]

{pdf 662, p. 323}

-tiae insimulari, de qua Iob: Quid enim nouit Deus? quasi per caliginem iudicat. Sic se habet humana mens, erroribus uidelicet obnoxia quamplurimis, diuinaque prouidentiae intolerabiliter impatiens. Nemo certe est tam solido in fide pectore, cui aliquando in mentem non ueniat: Qui fit, quod boni malis, mali bonis in hoc mundo, natiuo quasi rerum ordine, satiantur? Videt ne, ait, haec Deus? Nubes profecto latibulum eius, nec nostra considerat. Quo sua illa aeterna, qua cuncta aequissimo moderatur consilio, declinauit prouidentia? regnabunt ne semper impii? iacebit ne semper indefensa innocentia? Vix id credere ausim. Vide quo aliquando nostrae effraenatae diuertant cogitationes, paulatimque in impietatem, murmurationemque contra Deum dilabantur, ni praesto adsit fides, quae e perfecta Vatis erumpens anima, sic suos solatur amicos: Deus ultionum dominus, Deus ultionum libere egit. Deus, inquit. qui potestatem habet ulciscendi iniurias, qui potestatem dico habet ulla absque molestia aut contradictione, libere, syncereque, ac bona fide, suos tutari filios, atque ab improborum iniuriis uindicare, sua proferet (ne dubitetis) iudicia. Maior hic pars Hebraeorum interpretum hunc legunt uersum per imperatium, hoc modo: Deus ultionum domine, Deus ultionum fac te conspicuum: hoc est, tuam in reprimendis nefandorum hominum ausibus, eximendisque e durissimo eorum imperio bonis, exere iam tandem potestatem. Tu qui cessare uideris, obdormiscereque, & plane latitare, aeternam illam tuam atque adeo potentissimam deprome palam virtutem.

{94.2} Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis.

Oppressiones utique illas, atque improborum tum in Deum, tum in homines iniurias, a superbia oriri hic asserit Vates. Corde enim humano peste illa exitiali semel infecto, quo non irrumpunt insaniae miseri? Nullum sibi esse Deum effingit homo superbus: quocirca nulla unquam illi statuitur a dominandi, probosque, qui suae aduersari queunt libidini, opprimendi cupiditate quies. Non tam sane acri impeti solet oestro, aut canis, aut asinus, quanta uir fastu atque ambitione instinctus, regnandi libidine, uel eo maxime, si id in indoctum inciderit uirus animum & sordidum, aut illiberalem: aut si doctum, leuitati obnoxium. In hos igitur inueharis, o qui uniuersae iudex es terrae. Exaltare, hoc est, altissimum tuum illud, e quo diligentissime cunctas mortalium actiones circumspicis, ascende solium, ac, quam meriti sunt, redde retributionem superbis.

{94.3} Usquequo peccatores domine? usquequo peccatores gloriabuntur?

Exprimi facile non potest, quam efflictim interdum pii urantur ciues, ob felices sceleratorum successus, & superbiam, qui sua in republica nihil non possunt. Eam ob causam in illas aliquando prorumpunt querelas, quae pene iniquae uiderentur, nisi a sancto illos spiritu concitari scirent cordatiores. Usquequo, inquiunt, imponent nobis impii? usquequo sua illa erit gloria? num semper obtemperandum erit hypocritis?

simulatoribus? in mundique coeno, tanquam suis, commarcescentibus? Usquequo tuam, nempe miserorum ciuium, uiduarum, pupillorum, atque sub usurarum onere fatiscientium, ac pene expirantium, discernunt plebem? Quousque tuam in religionem statuent, legesque sancient temerarii? semper ne isti gloriosissimis ornabuntur titulis? nos miseria, infamia, & contumeliis? Exultabunt ne semper in rebus pessimis? Et quidem

{94.4} Effabuntur & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur iniustitiam.

Per tempus praesens haec omnia pronuntianda sunt. Sic ex hebraeo: Pronunciant, & loquuntur quod durum est: iactant se omnes, qui operantur iniquitatem. Verbum, quod noster uertit interpres, Effabuntur, tenue admodum est uersum: siquidem Hebraeis effutire est, seu ebullire. & erit sensus: Impii nullo habito siue Dei, siue hominum respectu, quicquid libet, effutiunt, superbeque blaterantes, ac dura & acerba edicentes, iactant se perinde ac si dii essent e coelo lapsi, homines nimirum ad omne genus facinorum perpetrandum qui nati uideantur. Ideo ulla absque commiseratione,

{pdf 663, p. 323v}

{94.5} Populum tuum Domine humiliauerunt, & haereditatem tuam vexauerunt.

Humiliauerunt [sic, Humiliauerunt], Hebraeis est, oppresserunt, siue attriuerunt, ut reddit Campensis. Sic ille: Populum tuum atterere conabuntur, & patrimonium tuum affligent. Patrimonium, seu haereditatem hic uocat Vates, quem antea Dei populum appellauerat. Cuius uero conditionis ac fortunae sit haereditas, continuo aperit.

{94.6} Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt.

Id enim hominum genus de more aliis miserius est, atque omnium iniuriis magis obuium, proinde a Deo aerumnosorum consolatore protectum. Atqui diuina illos protegit bonitas, qui a caeteris destituuntur, ut sunt fere orphani, peregrini, desolataeque uiduae, ac caeteri id genus miseri, quorum querelis plenus est orbis, non tantum quidem propter consuetos fortunae euentus, quantum propter acerbitatem, ac diram magistratum, superborumque ciuium sitim, qui suas accumulandi fortunas ex aliorum incommodis, ac fundis, turpissima tenentur cura, ut nos quoque, licet ad haec lusciosi, nostra in patria & uidimus, & multo antea quam acciderent, quae euenere, praediximus. Exulcerata iam adeo facta erant omnia, & crudelia, & haec quidem propalam, ut uel talpae ipsae exoculatae uidere potuissent, diuinareque quae postea sequuta sunt. Caeterum occisiones hic pupillorum, peregrinorumque & uiduarum, a ferro, occultoque ueneno, ueneficio, usuris maxime, exilis, proscriptionibus, squalloreue carcerum, ac litium protractione, ortum habent: & quae cum ita aperta tum essent, ut ipsis quoque innotescere potuissent amentibus, stulte tamen fucum coelo obducere sibi posse persuaserunt.

{94.7} Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.

Stulta prorsus haec est opinatio, cum ita immaniter de Deo omnium inspectore opinari audent improbi, ut illum latere, quae hic fiunt, aut credant, aut saltem sibi persuaderi cupiant, Non ima haec terrae, inquiunt, despectat dominus, neque Deum Iacob, quae hic aguntur tangunt. Haec dicta efferatam illorum mentem exprimunt, qui temerario res fieri hominum tum optant, tum aliis persuadere nituntur. Caeterum Deum Iacob dicit, pro eo quod est, Deum simplicium, atque illorum quidem, qui charissimorum interdum iniuriis obnoxii sunt, ut fuit uir ille obnoxius & soceri & fratris calumniis, atque insidiis. Quare

{94.8-10} Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? Qui corripit gentes non arguet? aut qui docet hominem scientiam?

Absurdissima ea est persuasio, cum quis ita insipiens efficitur, ut dicat, quod qui audiendi nobis uim, formamque intelligendi ac uidendi concessit, ipse horum omnium careat potestate. Atqui certissimum id est indicium atque argumentum, Deum omnia cognoscere, mirabilique prouidentiae ratione cuncta audire, diiudicare, discernere, diffinire, quod eorundem donorum in nobis autor sit, Si certe uiuimus, si cernimus, si audimus, si cognitione aliquid assequimur, id eius dono ac uirtute nobis contingit, quippe qui in illo sumus, uiuimus & mouemur. Ait itaque: O qui belluis ipsis rationis expertibus haud multo sapientiores estis in populo, ad cor redite, intelligiteque. Stolidi, quando resipiscetis? Sic hunc primum hemistichium per interrogationem legunt nonnulli ex hebraeo. Poterit ne ille, qui dat aliis auditum, non audire? qui mirabilem uidendi confinxit aciem, non uidere? quid non uideret oculorum effector? Ad haec, qui mulcta afficere solitus est gentes impias, relinquet ne uestra inulta scelera? Putandus ne is erit postremo uestra ignorare posse facinora, qui docet hominem scientiam? Si istiusmodi quidem in Deo deliquium esse haudquaquam fatendum est, nouit igitur hominum mentes quamlibet occultas, atque a uisu humano penitus remotas. Felix hanc ultimam particulam absque interrogatione legit. Idem quoque plerique ex hebraeo, sed cum additione, ipse est, ad hunc modum: Ipse est, qui docet hominem scientiam. Illud quoque addam, Paraphrasten uoces illas, qui corripit gentes, ad eruditionem referre ethnicorum, quos semper diuina bonitas suo dignata sit ad rectitudinis]

{pdf 664, p. 324}

-dinis uiam fauore & ductu. Secus alii, qui Vatem ad celebriores Dei iudicii plagas, nempe diluui, ignis Sodomorum, Pharaonis interitus, atque id genus similium respexisse affirmant. Quae quidem opinio ut mihi uerior uisa est, ita aliis probatum iri cupio.

{94.11} Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanae sunt.

Pulchre id quidem cum superioribus conuenit: nam simul ut Deum docere hominem scientiam subindicasset, intulit ad hunc fere modum subito: Certe id: nullo est pacto ambigendum, an Deus noscat omnia, quae quilibet cogitat homo ex se, quam uana sint

& insulsa. Diuus Paulus hunc locum citat Corinthis scribens, sed una mutata uocula: Dominus, inquit, nouit cogitationes sapientium, quoniam uanae sunt. Cogitationes proculdubio hominum, si communem genuinamque omnium consideremus ad errores procliuitatem, nihil aliud sapere uidebuntur, quam sapientiam carnis, letalemque sui amorem, ac curam. quocirca prudentissime ab Apostolo sapientium cogitationes, appellantur cogitationes hominum, natura scilicet ad quaeuis inania ac futilia cogitanda solertium. Ideo

{94.12} Beatus homo quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum.

Hic nostra omnis retunditur audacia, falsaue quorundam sanctimoniae persuasio taxatur, qui ex solenni suo, infatigabilique bonis in actionibus (ut sibi uidetur) labore atque exercitio, suam metiri solent perfectionem, eamque aliis praedicare. Errant omnino. Siquidem animae institutio a diuina in primis prouenit eruditione, non ab humano studio, & conatu. quanquam nostra etiam opus est propensa ad acceptandas spiritus immissiones uoluntate: hoc est, ad perfectam in ducendam animae formam, quae ex Deo est, una cum ipso necessaria nostra est uoluntas, ac mens. Beatum igitur illum in terris appellare non uerebimur, quem tu erudire, tuaque coelesti doctrina imbuere uolueris, o domine. Is certe oppido quam omni instructus erit doctrina. O pectus, o mens, o cor uere diuinum, cui sui notitiam impartit Deus: cuique flagra, cui tentationes, cui aerumnae, cui iniuriae fidem augent, non adimunt.

{94.13} Ut mitiges ei a diebus malis donec fodiatur peccatori fouea.

Hebraei sic: Ut praestes quietem illis a diebus malis hoc est, adeo immense bonus es, atque ad subleuandos tuos a miseria facilis ac celer, ut anteaquam etiam illorum persecutores excindantur, miro eos subleuare solitus sis consilio & ratione. Interim enim quod sceleratis istiusmodi morum hominibus extrema praeparatur exiti fouea, tu piorum saluti consulens, illorum mitigas flammam: & id quidem in diebus malis: in diebus, inquam, illis, qui cum amarissimi uulgo uideantur, in suauitatem illis tamen spiritus & dulcorem cedere consuescunt. Sic sane nullum tam atrox est uulnus, quod leue non fiat illis & medicabile, qui curae sunt Deo.

{94.14} Quia non repellet dominus plebem suam, & haereditatem suam non derelinquet.

Potest quidem princeps arrogans, aut iudex superbus, miserorum causas negligere, auersarique oppressos, atque ab sese tanquam canes abigere. Verum non idem Deo est mos, qui faciliores eo praebere solet aures, quo qui clamant miserabiliores sunt, ac mundo magis inuisi. Decoctoris igitur ne illum dicam persimilem, qui suam luxuriose uiuendo ligurierit haereditatem & patrimonium? Nefas id quidem esset de Deo opinari, qui eandem, imo longe diligentiore, quam uir habeat optime institutus ac prudens de propriis fortunis, suis in tutandis electis, quae sua est haereditas, & curam & sollicitudinem praestare solitus est. Caeterum haereditas ea Dei uera est, quamque ipse, quaecumque aduersentur, bona tutatur fide, amplectitur, fouet, in sinu gerit, quae ex fide in fidem incrementum sumens, tota coelestis efficitur, ut fere sunt hominum conuentus, qui in Christo renati, nihil salubrius ducunt, quam quomodo abiectis mundi lenociniis,

in bonis animi suam statuunt felicitatem. Non hi quidem aut regna, aut diuitias, aut dignitates tanti faciunt, quanti simplicem uiuendi rationem, purumque animum, ac suis in

{pdf 665, p. 324v}

pertractandis rebus fidem & constantiam: alioquin inter illos, qui mundum inhiant, nulla potest esse Christi haereditas, nullum bonum, nulla felicitas, nulla, quae laudabilis sit, uitae ratio, etsi ornatissimis hi praediti sint moribus ac doctrina. Quod sane dixisse uelim propter illos, qui suae tantummodo uitae instituto adblandientes, caeteros aspernantur. Quae quidem persuasio tantam rei Christianae confluit miseriam, ut pene illius uulnus immedicabile appareat, eritque proculdubio,

{94.15} Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium, & qui iuxta illam omnes qui recto sunt corde.

Omnes prorsus ex hebraeo sic fere legunt: Donec iudicium ad iustitiam reuertatur: hoc est, ut recte atque ordinate cuncta gerantur, ad iustitiaeque normam, quod minime nunc fit, corrigantur. Unde sic Paraphrastes: Futurum est enim, ut iustitia coniungatur cum iudicio, & iudices, quod iustum est, iudicent, sequanturque illud uniuersi, qui integro sunt animo. Perfectum quidem illud oportet esse iudicium, nempe ex Deo, ab omni que liberum uanitate, ac sui amore, quod piis animis probari queat. Iuxta, inquit, illam, iustitiam nimirum, perpetua manebunt statione omnes recti corde, omnes qui Deum uerentur, omnes qui Christianae sero insiti sunt religioni. Interim uero

{94.16} Quis consurget mihi aduersus malignantes? aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem?

Nemo apparet. Heu quam uana est salus hominum & infida. Quid humanis iam nitor opibus? quid praesidia amplius expeto nutantia?

{94.17} Nisi quia dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea.

Vide in quam profundum miseriarum barathrum hi prouunt, qui fugacibus innituntur hominum auxiliis, contempto Deo. In inferno, inquit, habitasset anima mea, nisi mihi opem attulisset dominus. Vocat hic infernum, certam suarum rerum desperationem. quare ex hebraeo sic uertunt nonnulli: Prope modum habitasset anima mea in silentio, hoc est, in tetris silentium animarum locis apud in inferos, seu in sepulchro, ut reddit Campensis. Parum, inquit, abfuit, quin uita spoliatus iacuerim in sepulchro. Hunc sane uersum a mei ordinis uiro cum extremo olim colluctante anhelitu, pie admodum prolatum fuisse a nonnullis ex nostris accepi. Is enim cum anxiam longa fessus aegritudine ageret animam, planeque inter fratrum manus, qui seduli de more sunt & frequentes, de fide cum hoste decertans, periclitari uideretur, diuino tandem e bello illo periculoso ereptus patrocinio, in haec uerba hilaris prorupit: Nisi quia dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Gregorius is fuit Nouariensis, [? seems to reference Gregory the Great, Dialogues, Bk 4, 27-29, however the Index lists

Gregorii Novariensis mors] uir summa eruditone & sanctitate insignis. Summa igitur: Quis tam potens est? quis tam ualidus? quis tam fraterni commodi amans est, qui mecum contra illuuiem istam malignantium stare audeat? Nemo quidem homo est, qui id queat, aut uelit: uix enim pro isto quis moritur. Heu falsas amicorum pollicitationes, & caducas. Vtinam quisquam mecum se his opponat mangonibus. Silent omnes. At ego aliam meo malo edoctus ineam praesidii rationem, & eam quidem certam, & potentissimam: ea est Christi: ea est illius, qui mei est amantissimus, qui non fallit, qui miseris praesto adest. Et quidem nisi is tam bonus dominus adiuuisset me, propemodum habitasset in inferno, loco nimirum calamitatis & miseriae profundissimo, uita mea. Nam

{94.18} Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me.

Diuini ea est praesidii uirtus, ut tunc maxime sese in suorum salutem expediat, cum desperatae illorum uidentur res. Sic sane suos interdum iactari sinit Deus, ut se prorsus a coelesti patre destitutos opinentur, actumque de se esse omnino cogitent. Verum huic malo mederi solet diuinae beneficentiae memoria, quam suis minime deesse posse certo sciunt omnes recti corde. Si dicebam, inquit: si sic suspicabar, certe motus est pes meus, lapsus sum: mihi dubio procul in peccatis obeundum est: perii: proinde daemonum machinationibus atque adeo improborum iniuriis me imparem esse uideo. Si haec, inquam, tanquam canis importunus adlatraui, tua praesto adfuit, ne desperationi succumberem, misericordia: hoc est, sese tua supposuit, ne colliderer, clementia. Caeterum pedes animae illius sunt, appeten-
[appetentiae]

{pdf 666, p. 325}

-tiae ac desideria, quibus Deo fit proxima, aut rebellis, seu more Cain inuerecunda, & fugitiua.

{94.19} Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificauerunt animam meam.

Quis hic in calamitatibus desertum se a Deo expostulet? Istius quippe modi robur est fidei, ac mos, ut nunquam de se actum esse arbitretur anima, quae Deo nixa, nihil tam timet, quam desperationem. Ex quo quidem metu non rarae illae spiritus consolationes ortum habent, quae in animam ob Dei iustitiam oppressam, e coelo, tanquam e limpido aquarum uiuentium fonte, permanere solitae sunt. Coelestis quidem pater, pater misericordiarum, ac Deus totius consolationis, a sanctissimis appellatur uiris. Mirum certe est ac iucundum, cum in mentem nobis uenit, quantum in suis consolandis diuina prona sit clementia. Quare & ter & quater felicem illum esse dixero, qui internis huiusmodi contentus gaudiis, carnis onera, hoc est, quicquid est in mundo, quo pia onerantur animae, hoc libentius tolerat, quo illud, tanquam ad optimas assequendas purgationes, ut eas uocat Dionysius, instrumentum esse haud raro expertus est. Etenim in crucis amaritudine genus omne inesse consolationis agnoscunt pii. Quocirca Vates, imo ipse Christus, uice omnium afflictorum, quantum maxime potest, inculcat,

clamatque: Secundum multitudinem dolorum meorum, qui me intimo perrodunt laniatu, consolationes tuae me recrearunt.

{94.20} Nunquid adhaeret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in praecepto?

Fingis uerbum, non ad Deum referendum est, sed ad sedem iniquitatis, seu iniquorum, ut reddunt plerique ex hebraeo, qui sic fere uertunt: Nunquid comes erit tui thronus prauitatum, formans afflictionem iuxta statutum? hoc est, thronus ne formans afflictionem afflictis, miseriamque miseris accumulans ex statuto ac more, tecum erit in iudicando, ut hi agere solent, quorum ea uidetur esse in primis deliberatio, ut insontes affligant? Pro consuetudine quidem id habent, ut probos iniuriis atterant. Sic Paraphrastes: Nunquid commune tibi quicquam erit cum solio & potestate tyranni, qui struit calumniam insontibus, idque suo more, & tanta calliditate, ut legitime id facere uideatur? Et ne ab ingenio illos discedere, atque a consueto malignitatis more declinare suspicemur,

{94.21} Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt.

Congregabuntur aduersus animam iusti, uertit Felix. quanquam uerbum Captabunt, nonnihil affert intellectus ad exprimendum perfidiosorum hominum morem ac statutum: & est perinde quasi diceret, Blanditiis illectant piorum animas. Verum Felicis literam ad ea quae sequuntur aptius conuenire arbitror, ut sit sensus: Illis ipsis perditissima consuetudo est, ut facile in bonorum perniciem conspirent, carpantque si quem uiderint inculpate uiuere. Norma quippe olim huiusce fuit moris turpissimi Iudas domini proditor, qui uidens, ut inquit scriba ille coelestia, Christum sua opera traditum esse Iudaeis, exclamauit: Peccaui, tradens sanguinem iusti. Faxit Deus benignissimus, ne istuc statutum adhuc uim habeat inter quamplurimos, qui Christum pro ludo habere uideri uolunt, dum insontes liuore moti non solum affligunt, uerumetiam Iudaeis uendunt, nempe perfidis delatoribus atque inuidis: quos equidem deteriores Iuda esse semper existimaui, quippe qui ne simulate quidem adduci possunt, quo dicant, ut dixit Iudas: Peccaui, sanguinem condemnantes innoxium. Periculosissimum id est statutum, & quod facile cor ad pietatem induret. Verum illi suum seruent morem, ut lubet: Deus suis deesse non potest. Nam

{94.22} Factus est mihi dominus in refugium, & Deus meus in adiutorium spei mea.

In rupem fiduciae meae, uertit Felixque, uocat suam in Deum fiduciam uir iustus rupem, hoc est, locum tutissimum, atque hostibus inaccessum. De qua quidem fiducia, qua potissimum seruantur homines, non raro hisce nostris in commentariis, prout suggestit spiritus, diximus, inculcauimusque totam in ea salutis nostrae summam positam esse: cuius sane robur & efficacia Christi cruor est ac mors Do-
[Dominus]

{pdf 667, p. 325v}

-minus igitur meum erit refugium, utcunq̄ue me traducant improbi, & Deus meus mihi instar erit rupis, arcisque munitae, quae in aedito constructa est loco.

{94.23} Et reddet illis iniquitatem ipsarum, & in malitia eorum disperdet eos, disperdet illos Dominus Deus noster.

Quid sibi uelit, Reddet illis iniquitatem ipsorum, aperit Paraphrastes: Et retorquebit, inquit, in illos iniquitatem, qua oppresserunt alios ipsi: & quemadmodum meretur scelerata uita illorum, subuertet eos funditus. Subuertet, inquam, illos non homo naturaliter imbecillis, non bellua, non procellosa maris tempestas, non ipsi alioquin expauescendi terrae hiatus, motusque terrifici: uerum dominus Deus noster, hoc est, potentissimus omnium, cuius manum, ut inquit ille apud Maccabaeos, neque uiuus neque defunctus effugiam. Illos itaque nostri amantissimus dominus, tanquam uilissimas terrarum quisquillas, aut atomorum lusus, disperdet (ne dubitetis) dissipabitque radicitus. Cui laus sit aeterna, ac benedictio in secula seculorum. Amen.

PSALMVS XCV.

{95.1-2} Venite exaltemus domino, iubilemus Deo salutari nostro. Praeoccupemus faciem eius in confessione, et in psalmis iubilemus ei.

A suauissimo hic inuitamur Dei spiritu, non iam quidem ad conuiuia, lasciuasque comessiones & choreas, ut hi agunt, qui amarissimo ducuntur sensu: sed ad ueram animi uoluptatem, ad quietem, ad sabbatum illud delicatum, in quo perennis auditur Dei nominis sanctificatio, uiuaxque spiritus & tranquillus. Nam certe ut ipse rerum omnium effector est, ita ex benignissima illius manu bona omnia sperare conuenit. Verum illud timendum, ne in illud incredulitatis, ut inquit Paulus, cum Iudaeis incidamus, ut hausto iam gratiarum Oceano per Christum, deteriores illis efficiamur, qui Deum tentantes in deserto, uiasque domini rectas ignorantes, suas secuti sunt plusquam uanissimas: ut nonnullos nostra etiam aetate, hoc est, exorto iam sole, toto persequi animo tum cernimus, tum nullum illorum poni posse errori fraenum ingemiscimus. Adeo errores specie recti ac religionis obtecti, uix ui unquam a quoquam diuelli potuere. Aperte enim peccantibus facilis adhiberi potest medela: fucatis uero lapsibus, ac sanctimoniae tectorio delinitis, nullum ferme est remedium. Nos igitur quorum appetentiis iam fraenum iniectum est per Christum, hisce malis conciliatis animis sua in sorde derelictis, ad grauiora mentem excitemus, nosque inter nos adhortantes, ad ueram pene collapsam religionis fabricam, quae in mentis puritate maxime sedem habet, intrepide accingamur. Eia, inquam, una cum sanctissima Vatis anima, Venite, exaltemus domino, iubilemus Deo salutari nostro, praecoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei. Hae quidem uoces, iubilationis, exultationisque & tripudii, mire aestuantem in anima prae se ferunt motum & affectum, quae prae gaudio uerborum seriem exprimere nequens, istiusmodi repetitis laetitiae uocibus sese promere appetit. Praeoccupemus faciem eius, idem praetendere uidetur, quod, Maturemus in conspectum eius laudibus onusti conuenire. Ex hebraeo sic uerti posset: Compareamus coram eo cum gratulatione. Paraphrastes tamen alium concepisse

sensum uidetur. sic ille: Ante omnia hoc agamus, ut placido uultu respiciat nos. Quicquid ex his elegeris, nihil spiritui officere arbitror: modo id cogites, animam diuinae religionis auidam suum hic detegere ardorem uoluisse, qui huiusmodi est efficaciae, ut omnes ad celebrandas Dei laudes, qui animarum salutis autor est, accinctos esse cupiat. In confessione, Hebraeis est, in celebrandas Dei laudes, qui animarum salutis autor est, accinctos esse cupiat. In confessione, Hebraeis est, in celebratione, seu gratulatione. Festinemus, inquit, compareamusque coram eo cum gratulatione, et psalmos consecremus ei.

{95.3} Quoniam Deus, magnus dominus, et rex magnus super omnes deos: quoniam non repellet dominus plebem suam.

Deus, inquit, magnus est dominus: rex item magnus prae omnibus diis, cuique nullus quantumlibet excelsus ac potens, similis est. Huic enim, quicquid usquam inuenitur, cedit. Is quidem cuncta, quae ipse condidit, seruat, percurrit, regit, com-
[complectitur]

{pdf 668, p. 326}

-plectitur. Particula tamen uersus extrema, neque in graeco, neque in hebraeo legitur: insititia uidetur: quae tamen suo non uacat fidei stimulo. Semper quidem laetata est anima, cui persuasum est benignissimum dominum non semel quidem repellere posse suae afflictae plebis humilitatem, tametsi conuiueat aliquando, uidereque dissimulet. Etenim uirtutum iter, illarum maxime, quibus animarum puritas acquiritur, durissimis innititur studiis, quae suapte natura molles exhorrescunt animos. Cum certe ad diuinarum rerum notitiam & gustum mentem intendimus, uirili opus est animo, atque ad amplexandam Dei uoluntatem in omnibus, quae interdum aspera uidentur ac dura, disposito. Secus quidem in brutos animi conceptus, atque patientiae illi, quae uiro bene instituto necessaria est, rebelles, nunquam fere diuinae proueniunt gratiae. Vis ne ab optimo non repelli domino? Eo degas uitae genere, quod a terrenarum rerum amore alienum sit, duraque in aduersis, uel eo maxime tempore, quo a Deo deseri uideris. Certius id quidem est, quam quod inficiari quis debeat, quia non repellet dominus plebem suam.

{95.4} Quia in manu eius sunt omnes fines terrae, & altitudines montium ipse conspicit.

Explorationes terrae, seu profunda, & celsitudines montium, uertunt ex Hebraeo: ut sit sensus, nihil tam reconditum esse & abstrusum, nihil ue tam sublime atque eminens, quod in manu Dei non sit, hoc est, quod illi non pateat: quemadmodum quae nos in manu habemus, nobis aperta sunt & nota. Unde autem, conspicit, excogitauerit interpres, me fugit omnino. Non est quidem multum, montium altitudinem oculis metiri posse. Ex hebraeo sic uertunt: Excelsa montium ipsius sunt. Idem ferme Campensis: Cacumina, inquit, montium ab ipso habent quod sunt. Est itaque omnium maximus Deus noster, praestatque omnibus quae sublimia habentur, siue ea in terris sint, siue in coelis. Quocirca ad exprimendam Dei potentiam rerum omnium effectricem, istiusmodi

circumlocutione usus est Vates. In manu, inquit, eius & potestate sunt terrae penetralia, obstrusaeque rerum causae, & quicquid sublime est atque eminens.

{95.5} Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius.

A maris effectione ac terrae, Dei arguit potentiam. Quis, oro, unquam tam uastam undarum molem, terraeque amplitudinem & immensitatem facere potuisset, qui Deus idem non esset? Ipsius enim creatura mare est, siquidem ipse illud finxit: finxit quoque aridam, ac quicquid tandem uspiam conditum est, Ideo cum tam potens sit ac formidabilis,

{95.6} Venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram domino qui fecit nos.

Prudenter hic quidem Vates modum fere omnem, quo externo corporis motu reuerentiam alicui praestare soliti sumus, complectitur. Dictio enim quam nos legimus, adoremus, Hebraeis est, expansis manibus toto prosterni corpore. Procidamus uero est, ceruicem incuruemus. Caeterum, ploremus, genua flectamus, uertunt. Quare sic Paraphrastes: Genua flectamus ante dominum autorem uitae ac salutis nostrae.

{95.7-8} Quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oues pascuae eius: hodie si uocem eius audieritis.

Sic integram legunt uersum plerique ex hebraeo. Descripta uniuersali circa omnia Dei prouidentia atque effectione, nunc de speciali illius cura & beneuolentia erga seruandos canere instituit: uocatque illos, oues proprii illius pascui, hoc est, tenere paterneque educatos. Dicitur facile non posset quam zelotypus sit Deus animarum, quamque ardentem illarum depereat pulchritudinem. Idcirco erga eas non secus se habet, atque se habet pastor gregis amantissimus erga oues: is enim die noctuque uigilat, ne quid caduco gregi in pastionibus, in stabulis, in aquationibus, atque id genus alis gregum commodis deesse queat. Sic Deus suis in alendis gregibus, hisdem ferme utitur artibus, sed insolito rerum ordine caeterarum ac more. Siquidem non solum suis pastor est & dux, uerum etiam & pabulum, & potus, atque omne commodum. Cruore quippe Christi, ea qua decet fide epota-
[epotato]

{pdf 669, p. 326v}

-to, comestaque illius carne, altus in altorem conuertitur, transfunditurque anima in Deum, ita ut nihil iam in ea sit, quod non sit Deus, quod non sit pax, quod non sit uita: & tandem quantusquantus Deus est, noster est. Quis hic amore non emoritur? non colliquescit? non in nouam refunditur formam? Verum ne est (o mentes hebetes ac uanas) uerum ne, inquam, est, Deum non ita pridem a nobis nostra ob delicta alienum, nobisque iratum, ac plane implacabilem, subita ueluti poenitudine retractum, nostrum factum esse? hoc est, facilem, placatum, beneuolum, quid beneuolum dico? ministrum potius dicendum erat: atque id quidem in sanguine dilecti illius pueri, per quem

accessum habemus ad patrem. O certe rem tardis incognitam animis. Quid stupidi in coeno, tanquam sues in uolutabro, lasciuitis? Olim quidem a Deo alienati auersique ui forsitan ac minis retrahendi eratis: nunc autem amore opus est, simulac Deus noster est factus, qui omnium maximus, minimus tamen omnium in terris pro te, o homo, uisus est. Quare, hodie, in hoc gratiae tempore, si uocem eius audieritis, non amplius illam legis duram & [sic] minacem, sed suauem, fidemque illi adhibueritis, o quanta uos manent in coelis gaudia, quanta pax, quam amplae diuitiae, nempe aeternae, atque in Dei thesauris re conditae. Donec hodie cognominatur, ut inquit Paulus, quid cras praestolamini? Videte ne quis ex uobis obduretur fallacia peccati. Participes enim, huius hodie beneficio, Christi effecti uidete ne quando sit in aliquo uestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo uiuo. Ex Hebraeo quidam sic hunc reddunt uersum, connectuntque cum superiori ad hunc modum: Ille enim est Deus noster, nos autem populus pascuae eius, & grex manus eius, dummodo uoci eius omni tempore pareamus. Paraphrastes uero, Hodie, sequenti attexit uersui cum nostro, qui ait

{95.8} Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra, sicut in exacerbatione

{95.9} Secundum diem tentationis deserto, ubi tentauerunt me patres uestri, probauerunt et uiderunt opera mea.

Si uocem, ex Hebraeo nonnulli, Vtinam uocem, interpretantur. Hodie, inquit, utinam uocem eius audiatis. uoluntque uocem istiusmodi eandem esse ad laudandum Deum prouocationem, de qua sic in praecedentibus admonuit Vates, dicens: Venite adoremus & procidamus ante Deum. Utcunque sit Hebraeorum litera, ad gratiae tempus, in quo natus est Christus, referendum est mysterium: de quo illud in primis animaduerti par est, quod a Scriba illo sanctissimo reiectum fuit: Et aperiens, inquit, os suum docebat eos. En uocis illius exordium, de qua sic Vates: Hodie si uocem eius audieritis. En Euangelium, en uitae uerbum, en uox Dei, en quod solum audiri debet, dum hodie cognominatur. Verum illud me temet quod sequitur, uereorque ne illis haudquaquam dissimilis inueniar, qui in deserto obmurmurantes, periculumque facere de Dei potentia sunt ausi, dicentes: Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam in deserto? Tentauerunt me, inquit patres uestri: patres increduli, atque aere ipso duriores: expeririue uoluerunt, an is Deus essem, qui illorum indigentiae, seu potius libidini, quicquid opus esset, suppeditare possem. Ingratissimi omnium, id etiam atque etiam explorare conati sunt, cum tamen complura non semel antea, & ea quidem manifestissima, meae uiderint maiestatis indicia atque argumenta, Probauerunt certe haud raro antea, & uiderunt opera mea: nihilo tamen secius meliores effecti, de mea iterum potentia dubii, periculum facere praesumpserunt. Felix ex Hebraeo sic uertit: Nolite obdurare cor uestrum sicut in contentione. Alius: sicut in Iurgio. Id porro Iurgii fuit in Raphidim, quod adeo celebre extitit, ut Iurgii nomen loco indiderit. Meribah autem & Massa, tentationem Iurgi interpretantur. De hac quidem tentationis acerbitate & frequentia, sic cum Mose queritur dominus, dicens: Tentauerunt iam me per decem uices. Ad haec,

{95.10-11} Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, semper hi errant corde. Ipsi uero non cognouerunt uias meas, quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.

Proximus fui, Hebraeis est, ut reddit Felix, molestia affectus sum, seu fastidiam perpeusus sum a generatione ista. Paraphrastes autem explicatius: Quadragin-[Quadraginta]

{pdf 670, p. 327}

-ta annis ueluti lis mihi fuit cum illo hominum genere. Vide Dei bonitatis magnitudinem: nam cum populum illum rebellem & ingratum solo nutu extinguere potuisset, & certe propter impietatem debuisset, noluit tamen, sed illud potius tentare aggressus est, an sua posset patientia, donorumque cumulo, illorum superare perfidiam. Ex quo maxima inter creatorem & creaturam intercessit & contentio: ille quidem modestia, patientiaque & liberalitate suam egit causam: haec uero arrogancia, tumidoque supercilio, ingratitude, ac, quo maximeangebatur, liuore atque odio. Attende igitur quam iusta fuerit tam benigni domini querela & dolor. Quadraginta, inquit, annis patientissime hunc rebellem toleraui populum, ita ut admirabundus intra me dicerem: Populus hic a recto aberrat, palamque desipit: non enim meas agnouit uias. Meam quidem spreuit bonitatem, abiecit clementiam (eae sunt uiae Dei erga homines) derisit beneficia. Quid? rogantem me auersatus est. Quid faciam populi istiusmodi oblocutori? rebelli? quaerenti quae sua sunt, non quae religionis? superbo? arroganti? liuido? malis omnibus sub prae textu pietatis refertissimo? Cor enim illorum longe a me abiit. Quare iratus, illorumque flagitiis lacessitus, dixi, iurauique me illos nunquam in terram illam quietissimam, quam illis dare pollicitus fueram, introducturum. De huiusmodi iurandi ratione alias diximus: & est perinde quasi diceret Deus. Ne sim iustus, si introibunt in requiem meam scelerati isti murmuratores. Exhorresco sane totus cum haec cogito. Aliam certe animo, quam fuit illa Canaan, pertracto requiem, nempe aeternam in Deo, a qua quidem excludi, extremam esse miseriam & calamitatem arbitror. Quod Moses, Aaron, caeterique illius gentis proceres, alioqui pietatis cultores, indigni reperti fuerint qui terram illam tanto labore quae sitam ingrederentur, non multum adeo dolendum uidetur, simulatque ad aeternam asciti sunt requiem per Christum. At uero a coelo, a uita, a Deo, a perenni honorum fonte, a quiete illa suprema, quae etiam cum Dei iuramento promissa est Christianis, Christianum secludi hominem & propulsari, non solum dolendum est, uerumetiam suspiriis, amneque lachrymarum deflendum. Quid porro illi, qui in sublimiori, quam uulgius est, doctrina fidei, ac mysteriorum sacramentis, tum a lege, tum ab ipso usu Ecclesiae propinatis, alti educatique in religione, in sacris ritibus, in uirtutum cultu pene attriti, fatiscunt tamen nonnunquam, labantque duplici, quod aiunt, uestigio? caecutiunt? uix rectum uident? Pro his certe nullus nobis statui posset lachrymarum modus, etiamsi toti in lachrymas colliqueremur. Ergo propter hos solum ab irato prolatum est domino, firmatumque iusiurando, si introibunt in requiem meam. Ad quam tamen (pro Dei clementia) ipsi quoque adulteri, parricidae, foeneratores, & qui in peccatis occalluere, a benignissimo inuitantur Christo: Venite, inquit, omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Cui laus sit, atque honor in secula seculorum. Amen.

PSALMUM XCVI.

{96.1} Cantate domino canticum novum, cantate domino omnis terra.

Si scirent homines, uel sero saltem, quam immensa felicitate plenum sit, Deum ex animo laudare, illique cor, alioquin ob insitas carni concupiscentias uagum, & sui dissimile, offerre, iam e mundo omnis ablata esset impietas. Verum cum id aut ignorent quamplurimi, aut se scire, cum minime sciant, effingant & somnient, errorum, falsaque religionis etiam in ipsa religionis persuasionem, plena facta sunt omnia. Carnis quippe amore detenti, uix an spiritus Dei sit in terris animaduertunt: cuius uirtute actus in hoc psalmo propheta, pacato ab hostium irruptione regno, atque propterea res populi feliciter cum sese haberent, cunctas hortatur terrae uniuersae regiones, ut impio abiecto deorum cultu, quae sit uera pietas, & religio a Deo instituta, condoceant, illamque nouo, uti res solent praeclarae, extollant cantico. Atqui homines in Christo innouati, unde istiusmodi laudandi Dei ratio proficiscatur, nescire haudquaquam possunt:

{pdf 671, p. 327v}

nam spiritualia a spiritualibus diiudicari solent hominibus. Qui uero mundi spiritu ducuntur, quicquid de coelesti sabbato, in quo piorum animae, uel in medio ipso turbarum fragore positae, conquiescunt, audire contigerit, ad tetra foedatae mentis phantasmata retorquent. Nihil enim sublime cogitare norit, adeo mens hominis ad diuina contemplanda summo ab opifice formata, in imis profundisque, tanquam tortuosus coluber, aut anguis, oblectatur. Siquidem ueteri assueta cantico, ac uae, nouum illud, ad quod canendum suos prouocat hic spiritus, ignorat omnino. Verum quid innouata dicat, consideremus: Cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra. Ad rem eximiam, nouam, mundoque insolitam, inauditam, ac pene incredibilem laudandam, nouo opus est cantico. Ecce, inquit Deus, noua facio omnia: quocirca, o uos qui terram hanc, alioqui spinis obsitam, incolitis, nouo Deum laudate carmine. Ipse enim nouam largitus est gratiam, nouam Hierusalem, fidem nouam, uerbumque illud demum, de quo sic olim audiuius: Verbum, ait, abbreviatum faciam super terram. Agitedum

{96.2} Cantate Domino, & benedicite nomini eius, annunciate de die in diem salutare eius.

Semper fere interpretes, quod non raro diximus, pro salute, salutare transtulit. Sic Paraphrastes: Praedicate de die in diem salutem, qua seruati estis beneficio ipsius. Ut quidem eximium illud fuerit coelitus beneficium, quo toties seruatus Iudaeorum populus ad laudandum Dei nomen suo a rege prouocabatur: nihilominus apertum de Euangelio hic est uaticinium, cuius sane munere, antiquis reiectis exuuiis, allata est noua salutis gratia per Christum. Nouum nonne fuit salutis genus, innocentissimum Iesum dominum uniuersorum pro seruis, & illis quidem inimicis & facinorosis, uoluisse aequae emori, atque si ipse solus perditissimus omnium extitisset? Id igitur nouum fuit beneficium, quo noua facta est creatura in Deo. Ideo euangelizate indies latius, o sanctae animae, praeconioque illius efferte nomen. Etenim in uniuerso terrarum orbe tam mirificum inuulgandum est Dei nostri donum. Quid moramini?

{96.3} Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.

Nullus sane sit orbis angulus, nulla gens, nulla regio, quae diuinis per uos non resonet laudibus. Stupenda quidem sunt, ac gloriosa, quae de Deo dici debent.

{96.4} Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis, terribilis est super omnes deos.

Magnus est quippe dominus, propter rerum conditarum effectiorem, in illisque potestatem ac prouidentiam. Laudabilis uero, ob bonitatem, uariaque gratiarum munera ad omnes, ac spiritus effusionem. Terribilis item, propter occulta illius iudicia, consiliaque, profunda in caligine delitescantia. Idcirco rebus illis omnibus, quae ab hominibus pro diis habent, formidabilis est, atque acer nimis. Quae uero fuerint illa quae diuinitatis sibi nomen antiquitus uindicauerint, notiora sunt, quam ut nunc sigillatim recenseantur. Nunc autem quae sint ea, quae religiosius, quam Deus ipse, a nonnullis & quaeruntur & adorantur, facinorosiora sunt quam quae a castis describi queant mentibus. Merae insaniae sunt, quas non pauci colunt pro diis, atque illi forsitan qui religionis praetextu ut heroes (nouum dementiae genus) in terris haberi uolunt: quod si non obtinent, Deus bone, quantas subito calumnias innocentia eorum maxime, quibus nullum aliud adoratur numen in terris, praeterquam illud quod Deum referat uiuum, terribilemque super omnes deos. Deos hic uocat spiritus, falsorum diuum simulacra, & quicquid colitur, quod non sit Deus: & id quidem per ironiam, ut uel hoc modo saltem deterriti, quae sit uera in terris religio, quae uni tantummodo debetur Deo, perdiscant homines.

{96.5} Quoniam omnes dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit.

Dictio daemonia, in hebraeo non est, sed, sculptilia aut uanitates, ut reddit Felix: Paraphrastes uero, nihil. Sic ille: Omnia enim quae reliquae nationes habent pro diis, nihil sunt. Vide igitur in quam tenui re olim suam posuerit religionem antiquitas. Unde non absque Dei spiritus afflatu, idolum nihil esse definiuit Paulus
[Paulus]

{pdf 672, p. 328}

-lus. Verum quia daemonum id statuarum genus inuentum fuit, quicquid in illis pro Deo uenerabantur homines, uere daemon appellari poterat. Rem ipsam magis referre uoluit interpres, quam literam. Dii itaque illorum qui colunt statuas, aut aes, aut scortum, aut res alias mortalitati obnoxias, ficti sunt ac nihili: Dominus autem noster tam pulchram machinam uniuersi, tam uarie ornatam, tam a uanitate alienam, sapientissime fabrefecit. Potuit ne id agere quispiam, qui Deus non sit, & is quidem maximus & potentissimus, quique per se sit, ac solus omnino uere beatus, atque ita in se uiuens, ut caeteris uitam impertiatur? Quid uero?

{96.6} Confessio & pulchritudo in conspectu eius, sanctitas & magnificentia in sanctificatione eius.

Omnes fere ex hebraeo uertunt, in sanctuario eius, quod coelum interpretantur. Verum ecclesiam hic adumbrari censeo, cuius perfectionem sub pulchritudinis, sanctitatis & magnificentiae nominibus designari arbitror: quae sane omnia in antiquo illo & celebri Iudaeorum templo, umbra nimirum Ecclesiae uidebantur. Ab illius quidem ornatu, uult Ecclesiae imaginem deliniari. Caeterum confessio ad fidem attinet: decor uero, seu pulchritudo, qua mirum in modum honestatur Ecclesia, sunt actiones a charitate profectae: quibus sane membris, perfectissima quaedam formatur sponsae facies, quam sanctitatem appellamus, quaque indicibili quadam amoris ratione delectatus sponsus, non iam humilis amplius, aut ut olim despectus, sed magnificus, gloriaque conspicuus, in Ecclesiae meditullio, hoc est, in suo sanctuario, quae sunt sanctorum animae, diuersatur. Quamobrem

{96.7} Afferte domino patriae gentium, afferte domino gloriam & honorem.
{96.8-9} Afferte domino gloriam nomini eius, tollite hostias, et introite in atria eius.

Patriae gentium, ex hebraeo reddunt clarius, familiae gentium, seu progenies, ut Felix, aut tribus quoque. Sic illi: Tribuite domino, o populorum familiae, tribuite domino gloriam & fortitudinem, tribuite domino maiestatem illam, quae nomini ipsius respondeat. Corripite munera, properate in atria eius. Vide quomodo in effigianda Ecclesia a ritu antiquo non recedit Vates. De huiusmodi porro oblationum genere, in XXVIII. fuse admodum dictum est psalmo. Verum illud non omittendum, ientes hic clare, exclusis Iudaeis, ad sanctificandum Dei nomen, ipsiusque instaurandam religionem inuitari, introducique in Ecclesiam. In qua quidem ut nullus potest esse perfidiae Iudaeorum locus, ita nulla est pars cum fucatis Christianis, & possessio: qui sane cum sacra sint unda intincti, religioneque initiati, nihil non agunt, quo Pharisaeorum hypocrisim, scribarumque supercilium, auaritiam, fraudulentiam, ac qua maxime atteruntur miseri, tum inuidiam, tum ambitionem, imitari appareant. His itaque a diuinorum gustu semotis, o populorum familiae, o meretrices, o peccatores, o quibus lachrymae panes sunt die ac nocte, tribuite domino, non uobis, at illi, gloriam, ac, qua potissimum erepti estis de manu hostili, fortitudinem. Illi, illi inquam soli, istiusmodi sit honor, sit potestas, sit prona ad opitulandum miseris uoluntas. Quocirca assumptis non iam myrrhae amplius, thuris & aromatum, multo minus cruentarum uictimarum, inertiumque pecorum muneribus, sed castimoniae, purique animi in Deum, properate, sanctaque illius atria securi adite. Non iam quidem ut olim hostiarum numero placatur altissimus, sed fide, sed charitate, sed mansuetudine, sed mundanarum rerum despicientia & neglectu. O felicem rerum commutationem. Paueant igitur homines cum est peccandum, contremiscat &

{96.9} Commoveatur a facie eius universa terra.

Non haec aut illa tyrannorum metu regio conturbetur, sed uniuersus omnino orbis a numinis praesentia exterrefactus, in meliorem uitae statum transeat, respiscatque in eo.

{96.10} Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit: etenim correxit orbem terrae, qui non commouebitur, iudicabit populos in equitate.

Is unus est uersus Hebraeis, qui haud Correxerit, sed firmavit, aut paravit, uer-
[vertunt]

{pdf 673, p. 328v}

-tunt. Stabiletur, inquit Paraphrastes, orbis, nec uacillabit amplius. Quam quidem stabilitatem ut de orbe hoc uisibili dici posse credimus, ad Ecclesiae tamen firmitatem per Christum suae sponsae conciliatam, melius referri debere arbitramur, quam ad corruptibilem istam terrarum molem, quae continuis obnoxia est aliis rationibus ea uero quae a Christi latere demanauit, perpetua nixa est soliditate, uiuoque adeo suffulta spiritu, ut immobilis plane facta sit in Christo, qui petra dicitur ac mons. Id itaque regnum est Christi, his subnixa est Ecclesia praesidiis, hoc uiget robore, quapropter non potest non aequissimo pertractare iudicio iura populorum. Iudicabit, inquit, populos in aequitate: diuerso scilicet a tyrannis more, qui cum a coelesti prorsus exhorrescant lege, quaecumque illis in mentem ueniunt, aequa putant. Verum ipso norint euentu homines, quam turpiter suis in sancendis legibus hallucinentur, aberrentque omnino ab aequitate. Dicite igitur, enarrateque in populis, quod dominus suum firmavit regnum, itaque suo stabiliuit spiritu, ut amplius nutare nequeat. In Christo enim, quod solidum est fundamentum, firmata est Ecclesia. Dudum quidem, ante nimirum illius aduentum, in gentibus regnabat impietas, nempe deorum cultura: in Iudaeis autem liuor & ambitio: in uniuerso porro generatim orbe, peccatum & mors. At per Christum restitutum est pietatis regnum, reuocataque est lenitas & mansuetudo, ac demum discissa peccati syngrapha, occisa est mors. Quare ob tam mirandum Dei patris beneficium ac donum

{96.11} Laetentur coeli, & exultet terra, commoueatur mare & plenitudo eius.

Tametsi uerbum, commoueatur, aptari hic posset, tamen efficacius ex Hebraeo, perstrepet, redderetur: seu, tumultuetur, aut intonet quoque, ut Felix. Paraphrastes uero sic: Exiliet prae laetitia mare cum omnibus quae in ipso sunt. Communis haec est de regno Christi laetitia. Seruato quippe homine, quicquid propter hominem conditum fuerat, in nouam quodammodo refunditur formam, exhilarescit, praeque gaudio pene insanire uidetur. Itaque condita hic omnia ad exultandum in domino propter salutis beneficium a spiritu inuitantur, cum inquit: Laetentur coeli, gestiat terra, mare, & quicquid in eo est, aut uiuit, prae gaudio perstrepet. Agri, nemora, montesque excelsi, atque una cum armentis ac saltuum feris, arbores, plantae, inertiaque saxa, ac rupes, in domino gaudeant. Et quidem hoc tanto perspecto munere, etiam

{96.12} Gaudebunt campi, & omnia quae in eis sunt, tunc exultabunt omnia ligna sylvarum a facie domini, quia uenit, quoniam uenit iudicare terram. Iudicabit orbem terrae in aequitate, & populos in ueritate sua.

A facie domini, coram domino, seu ante dominum cum ueniet, reddunt ex Hebraeo nonnulli. Paraphrastes uero, Propter dominum. Iam illud ualde iucundum quoque maxime sedantur piorum animae in Deo, cum recolunt iudicem illum aequissimum, qui cuncta ut solo uerbo effinxit, ita ea ipsa nutu solo iudicat, uenturum tandem ad

perficiendum totius orbis iudicium, ab improbis quidem corruptum, planeque ab orbe ipso miserrimum in modum eliminatum. Quid non ultro calamitatum subiret uir sanctus haec cogitans? Certe, inquit, utcunque corrupti sint nostri aevi iudices, atque illis iura omnia facta sint uenalia, nihilque hi statuunt quod a contaminato non profiscatur animo, id tamen persuasum habeo, quod dominus tandem ueniet, ueniet inquam, ut orbem terrarum, ut mundum, ut populos, secundum aequitatem, recteque, quod hi non faciunt, ac bona fide, iudicet, ac quietissimo moderetur imperio. Cui honos sit in secula seculorum. Amen.

PSALMUM XCVII.

{97.1} Dominus regnavit, exultet terra, laetentur insulae multae.

Ut uerum sit quod a nonnullis huc affertur expositoribus, Dauid uidelicet ob celebrem illam famosamque contra Ammonitas uictoriam, hunc composuisse psalmum: illud uerius, regnum hic Christi describi. Quare

{pdf 674, p. 329}

non absque mysterio in sequentibus dicitur, Nubes & caligo in circuitu eius. Profundissima sunt haec, altaque inuoluta caligine & obscuritate. Ex Hebraeis quidam praesenti legunt tempore psalmi initium, hoc modo: Dominus regnet, gaudeat tellus. Item Paraphrastes: Dominus regni gubernacula suscipere dignatus est. Sed apud Hebraeos uel potissimum, quod notat Felix in psalmorum libro, nulla temporis seruat ratio: nam ut plurimum tempus pro tempore poni conspiciamus. Verum quid de psalmo sentiat spiritus, ut datur, uideamus. Dominus regnauit, exultet terra, laetentur insulae multae. Tellus in primis, quippe quae tam sancti imperi, ut illud est Dei, capax sit, ad exultandum, ualdeque laetandum in Deo prouocatur: insulae uero speciali postea nuncupatione: Laetentur, inquit, insulae multae: hoc est, ut interpretatur Kimhi Hebraeus, gentium termini. quasi diceret, regiones etiam illae, quae procul a Iudaea atque illius cultu remotae sunt, laetent. De eiusmodi gentium exterarum fide sic dominus dicit in Esaia: Me insulae expectabunt. quo aduertat, pro gentium domiciliis insulas in scripturis nonnunquam poni. Vt quidem insulae a continenti seiunctae sunt, ita a Dei religione erant gentes: quae tamen prope factae sunt, ut inquit Paulus, in sanguine Christi, ut modo etiam interdum iucundissimo intuemur spectaculo, peccatores, meretrices, homicidas, atque id genus alios, illos, qui coelum digitis tangere existimantur, uitae sanctimonia aequare, ne dicam antevertere. Idcirco, o terra, o insulae, longeque secretae nationes, amoena ista derisa camporum elegantia, in domino, qui uos elegit, non uos eum elegistis, gaudete, lateque tripudium agite. Siquidem

{97.2} Nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicum correctio sedis eius.

Correctio, Hebraeis est firmamentum, fulcrum, seu basis, ut uertit Felix, aut habitatio. Iustitia, inquit, & iudicium habitatio sedis eius: hoc est, quicquid ille instituit, quicquid iudicat, quicquid molitur, aequum est ac iustum. Iustitia quidem ad fidem referenda erit, iudicium ad mores, uitaeque institutionem & normam. Alio in psalmo sic canit

Vates: Iustitia & iudicium praeparatio sedis eius. Caeterum nubes & caligo, ad tremendam Dei potentiam, maiestatemque exprimendam, hic poni censent interpretes. sum quidem cum densis, atrisque coelum obducitur nubibus, apparentque nigris commixta nimbis fulgetra, ac ruunt tandem pluuias, aerque terrifico scinditur concussu, diuinum magis quam antea timetur iudicium, numenque adesse fatentur omnes. Hunc itaque tam fortem dominum, tamque maiestate insignem, qui tetra circumuallatus nube & caligine, condita omnia perterrefacit, nostrum esse regem gaudeat tellus, haud ita pridem a tyrannicis male habita iudiciis. Siquidem is plane est, cuius throni bases sunt iustitia & iudicium. Quae enim cunque ipse ordinat, quae diffinit, quae pro lege haberi uult, & quae demum ad uitae humanae informationem instituit, aequissima sunt & sancta. Quid ultra expetendum? satis ne est adhuc perspecta tanti regis potentia? Audi iterum:

{97.3} Ignis ante ipsum praecedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Vide sapientissimam Vatis animam. Etenim ab incoepa rerum earum metaphora neutiquam discedens, quae Dei in terris arguunt maiestatem, ut in Sina contigit monte: ad pauorem alium considerandum, quam sit ille, quo propter horrisonos aetheris strepitus pene exanimantur in fide debiles, nostras latenter submonet cogitationes. Ad eum, inquam, metum nos reuocat, uel quo perterrefacti increduli in die illo spiritus, quando felicissimo aeris sonitu rescissi sunt coeli, unde igneae descenderunt linguae, sic intra se: Quidnam uult hoc esse? unde ista linguarum confusio? demones hi sunt ac phanatici. Vel ad illum etiam, cuius ui acti reprobis, praeque angustia gementes clamabunt: Ergo errauimus a uia ueritatis, lassatique sumus in uia iniquitatis & perditionis? In utroque quidem ardoris genere, maxima Dei ostensa est potentia, uirtus, maiestas, imperium: neque in illo minus, quo nunc pii exuruntur in Dei amore animi: impuri uero & impii, consumuntur, ad interitumque exeduntur. Unde non immerito subinfertur: Et inflammabit in circuitu, hoc est, undique suos uastabit hostes & consumet.

{pdf 675, p. 329v}

Sensus igitur ac summa haec erit, quod Deus, regnante Christo, suam exhibiturus esset inter homines maiestatem, non iam nubis illius terrore, & caliginis, aut tempestatis, quae in monte olim Sinai terrificis inspecta est tonitruis ac terraemotibus, sed eius quidem, qua sanctissimo affecti metu homines, de manu mediatoris spiritum sumerent flagrantissimum, quo mirum in modum accensi exustique, in diuinum refunderent amorem, uitamque uiuerent coelestem in eo, cum quo unum iam, id operante sacri uerbi incendio, efficerentur. En flammam solis amantibus cognitam. Nonne cor ardens sentitur in nobis cum nobiscum loquitur dominus? cum mentem suo coelesti rore perfundit? cum uarias rerum appetentias a piorum animis emittit, ac, tanquam ex oppressa nube fulmina & fulgetras, uirtutes eiaculatur? Haud fieri quidem potest animam innouari in Deo absque igne praeuio. Quare dictum est a spiritu: Ignis ante ipsum praecedet. Et quod

{97.4} Alluxerunt fulgura eius orbi terrae, vidit, & commota est terra.

Clarius ex Hebraeo: Illustrauerunt fulgura eius orbem terrae: uidit & expauit terra. Inspicis ne commoti aeris terrorem? Verum tu ad animum haec omnia refer, disceque, quae sint coelestia in mente humana fulmina, & coruscationes. Mens quidem, ut coelum, sua habet fulgura, suos ignes, suos cadentium syderum tactus ac gyros. Sunt & sua in Deo terrore plenissima fulmina, sunt tonitrus, sunt imbres, sunt tempestates, ac, quibus maximo afficiuntur stupore homines, terraemotus & concussiones. Sed is felix, cui istiusmodi diuinae praesentiae signa ad uitam cooperantur & salutem: ut ferme illos uidere est, qui in his quae ad mundum at tinent, occupati. prorsusque sepulti, uix tacto Christi latere, cum centurione illo euangelico proclamant: Vere hic filius Dei est. Quam ampla sane bona sub his uerbi comprehenduntur. Vides disiectas actutum e corde impio sanguinarioque milite ac Dei hoste, & nubes, & nimbos? Verum non tam celeri transfodiuntur telo, aut fulmine afflantur hi, qui testudineis incedentes in Dei obsequio gressibus, se tamen celeres, imo se iam metam attingisse opinantur. De his quidem quis id dicere audeat, quod uidit, & commota est terra? cum se coelos illos esse somnient, de quibus sic in sequentibus asserit spiritus: Annunciauerunt coeli iustitiam eius, nempe Dei, non suae frigidae religionis & pietatis. Etenim in illorum conspectu dura facta sunt omnia, immitia, indomita, marmorea quod de coelis ipsis mysticis, multo minus de potenti coelorum conditore dici potest. Siquidem etiam ipsi uasta sese erigentes in coelum mole, tum scopuli, tum

{97.5} Montes, sicut cera fluxerunt a facie domini, a facie domini omnis terra.

Vidisti ne unquam spissam, praecipitemque ex atro nimbo, Hyadum maxime tempore, per amplos late campos prouere pluuiam? Imaginem tum quidem colliquatae cerae prae se ferre omnia uidentur. Tunc quicquid agrorum, aut etiam montium, aliter ab omni exhorrentium cultura, ea in regione cernitur, in aquam, ob riuulos passim ad ima effluentes, submurmurantesque, ut solet cera in ignem proiecta, colliquescere apparet: quae sane res diuinae indicium est potentiae, licet a plerisque propter assiduitatem, uel incognitae, uel neglectae. Nihil omnino in terris fit, in quo Dei non reluceat bonitas, sapientia, fortitudo: cuius uirtute regna ipsa mundi, atque imperia, quae hic montium nomine signantur, non secus in nihilum delabuntur, ac solet cera flammis admota: ut de Iudaeorum regno, aliarumque gentium, sed in primis Romanorum uidere licet, qui omnes partim ui, partim uoluntate, ultroque, sua Christo dederunt nomina. Quis id credam Romanos scilicet rerum dominos, gentemque potentissimam, unius fabri filio paruisse? A facie certe domini, & montes, & colles, & quicquid terrarum uspiam fuit, adinstar cerae defluxisse uisum est. Eam ob rem

{97.6} Annunciauerunt coeli iustitiam eius, & uiderunt omnes populi gloriam eius.

En tandem, de quibus coelis locutus est spiritus, a quibus ingentes illi manarunt ignes & coruscationes: hi sunt nimirum de quibus alio in psalmo sic canit Vates: Annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt. Castae quippe

mentes ac purae, nullo nobiliori dignari possunt a Deo nomine, quam coeli Nam quemadmodum Deus speciali quadam in coelis habitat notitia & uisione, ita in electorum cordibus suam habet sedem diuinitas: a cuius radio, tanquam a sole nubes, illustrati, atque calore, non possunt non ardentissime Dei iustitiam, cuius dono purgati sunt, annunciare, pro illaque tutanda libentissime mortem oppetere. Et id quidem propterea, quo gentes, quo populi, quo ipsi quoque profligatae uitae homines, hanc mundo insolitam experiantur gratiam, ex qua quidem maxima diuino honori, non temeritati hominum conciliatur gloria. Viderunt, inquit, manuque contrectauerunt de uerbo uitae, non iam Iudaei solum, aut qui religiosi uocabantur, sed omnes populi, omnes absque delectu nationes, uel ipsi quidem Hunni, Garamantes, atque ultimas oras oceani incolentes: quae sane immensa tum fuit Dei gloria, ut nunc quoque est. Arcta quidem nimium esset Dei religio, si ad me, meique similes tantummodo spectaret. Quid enim a me requirat Deus, aut quid illi pollicitus sim, non me fugit: quod uero nihil prope agam de his quae requirit, & doleo, & me ingratis omnium esse non ignoro. quid agant caeteri nescio. Quare de me, meique simillimis tantum haec dixisse contentus, feruidos deamo sanctos, atque in Christi uisceribus amplector: tardos uero, & sua sponte frigidus, uti dipsades exhorresco. Quos tamen, ut confundantur, sibi, quo Deo possint uiuere, intereant, Deum obsecro, obtestorque, si licet. Interim autem

{97.7} Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis.

Vix enim confundi potest ad uitam anima, quae in peccatis induruit: quae quidem peccata non tam foedis metiri soleo libidinibus, furtis, usuris, homicidiis, atque id genus aliis uitae contaminationibus, quam odio, feritate, simulatione, prauisque appetentiis, ac, qua maxime torquentur hi, qui proprii amoris morbo & inuidiae impallescunt, ambitione. Facilius quidem illi, hoc est, qui maximis atque adeo patentibus urgentur delictis, ad mollem animi statum, piumque in Deum reducuntur affectum, atque ad lachrymas, quam hi qui sub praetextu religionis ab occultis adeduntur. Caeterum fusiles statuas & simulachra adorant non solum idolatrae, uerumetiam auari, scortatores, impudicisque pusionum amatores, molles, effoeminati, palpones, atque honorum auidi: sed illi infelicius, qui seipsos admirantes, suas duntaxat colunt uirtutes, uanissimas scilicet rerum imagines & formas. Pudefiant hi igitur, atque inglorii uitam uiuant anxiam & miseram, simulac rei alteri, quae non sit Deus, sibi nimirum, aut numis [sic, nummis], aut meretrici, aut amicis quoque gloriam tribuunt. Iam quidem Christiano si gloriandum est, in domino gloriari conuenit, non in rebus quemadmodum caducis, ita hominis natura inferioribus. Quare

{97.7} Adorate eum omnes angeli eius.

Ex hebraeo principium huius uersus fini superioris attexunt, hoc modo: Confundantur omnes qui seruiunt sculptili, qui gloriantur in idolis, adorate eum omnes dii. ui proinde sint dii istiusmodi, a Paraphraste exprimitur, qui sic reddit: Prosternite uos ante illum, quotquot estis, qui pro diis stultitia hominum habemini. Fuit ne unquam, uel inter ipsos superstitionum altores Aegyptios, tam turpe deorum simulachrum, ut est homo impurus, qui tamen pro Deo coli expetit? Fuit ne aliquando monstrum tam horrendum atque immane, ut nunc sunt hi (si qui sunt) qui cum uita hac, ut uocant, seculari

defuncti appareant, ambitiosiores tamen sunt illis qui in medio ipso mundi luto suam ponunt felicitatem, peneque cito desituro faciant animum, portionem utique diuinam, ac mortalitatis expertem omnino? En igitur sculptilia illa execranda & simulachra, de quibus sic Vates: Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis. Ergo istiusmodi sunt dii gentium, hoc est, illorum qui suas ob turpitudines alienati sunt a Deo. Verum o uos qui coelestes in terris aemulamini spiritus, quique diuini uerbi praecones estis, & qui puram, planeque angelicam cum Deo agitis vitam, illum, non falsas rerum imagines, adorate, eumque colite qui uniuersorum, atque adeo coelestium animorum dominus est. Hunc uersum Paulus de secundo Christi adventu. He-
[Hebraeis]

{pdf 677, p. 330v}

-braeis scribens citat. His itaque ac tantis a Dei spiritu prolatis, atque mortalium cordibus a principio impressis,

{97.8} Audiuit & laetata est Sion.

Ea solennis purarum est animarum consuetudo, ut si quid, quod ad honorem Dei faciat, audire contigerit, quammaximo afficiantur gaudio: contra uero impurae moerent & affliguntur. Ad haec, ut rerum omnium quoddam naturaliter es subiectum, ita cuilibet rei alia in re effectus est aliquis & operatio. Proinde cum summe purus sit ac simplex Dei spiritus, simplices, pureque defaecatos & candidos requirit animos. Tale sane est Dei domicilium. Reliqua uero, etsi forsitan insigni apparent morum grauitate conspicua & ornata, daemonum tamen speluncae sunt ac uitiorum antra. Audierunt quidem semper improbi, quod iustitia & iudicium bases throni Dei sint, atque idcirco moerore contabuere. E contrario autem, audivit & laetata est Sion, populus nimirum, ubi uis gentium degant, electorum.

{97.8} Et exultauerunt filiae Iudae propter iudicia tua domine.

Sion ac filiae Iudae, eandem prae se ferunt personam, nempe animae per fidei lumen & confessionem Deo reconciliatae. Nihil enim tam proximam Deo reddit animam, quam fides, castaque diuinarum rerum speculatio: ab utroque enim feruidus quidam in Deum oriri solet amor, ex quo animae pax atque perfectio, tanquam ab amne riuus, perpetua deriuatur scaturigine. Amnis certe perennis Christus est, ager anima, riuus uero Dei clementia: aquarum item irriguum, seu inferius siue superius id sit, gratia. Ergo a Christo per Dei clementiam in animam descendunt gratiae. Caeterum quae sint Dei iudicia in hoc loco, quorum uis perspecta, in domino laetantur filiae Iudae, si interrogor, puto illius esse in moderandis rebus humanis prouidentiam, consilium, aequitatem, quaque rei cuilibet, quod illi maxime conuenientissimum est, impartit, sapientiam: addo & in disponendis hominum tum praemiis, tum cruciatibus, inflexibile erga omnes propositum. Quare sic hunc uersum interpretatur Campensis: Exultauerunt filiae Iudae propter iudicia tua, qui impios terroribus exanimas, & pios exhilaras domine. Et est mutatio personae, conuersioque ad Deum animae ardentissima.

{97.9} Quoniam tu dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos.

Omnium quidem rerum quas in superioribus in proborum gratiam actas esse asseruit Vates, causa est, quod Deus cunctis, qui terram hanc uastam incolunt excelsior sit, Deosque omnes, siue fictos, siue ex participatione ueros, infinita exuperet potentiae ratione, ac modo. Dictio porro, nimis, ex hebraeo, in immensum, seu ualde, uerti poterat, seu etiam infinitis modis, ut uult Campensis, qui sic reddit: Infinitis modis ob haec miracula praelatus es alis uniuersis diis. Quare

{97.10} Qui diligitis dominum odite malum.

Id proprium est amoris animae ad Deum, ut malum excretur. Imo fieri non potest, quempiam facinorosam non amplecti uitam, qui Deum non amat. Hi igitur sic suos alloquitur spiritus: uos, qui spretis mundi rebus, Deum, ut sanctis conuenit, amatis, odite malum. Siquidem diuinus amor purissimus est, nullaque patitur foedari commistione, & sodalitio. Totus candidus est, nudus, innocens, & cui nullus comes est datus, praeterquam mali odium. Ideo

{97.10} Custodit dominus animas seruorum suorum, & de manu peccatoris liberabit eos.

Pusillus nimium is esset animus, & meticulosus, qui diuino protectus clypeo. humanum desideraret. Vrgeat itaque ut lubet improbus, minetur, sanctorumque sanguinem exugat, ac uitam, quid haec illis nisi risum parient? Putas ne sanctum uirum metuere posse tyrannum? nihil certe minus. Persuasum quippe habet, quod dominus custodit animas seruorum suorum, & quod de manu tandem peccatoris (tyrannum peccatorem uocat) illos eximere consuescit, licet ad tempus illius audaciam dissimulet. Verum unde haec tam alta effulsit piis animis cognitio?

{97.11} Lux orta est iusto, et rectis corde laetitia.

{pdf 678, p. 331}

Lux, inquit, cognitionis iusto orta est, tum Dei, tum sui, quae Christus est, & lex sacra, qua cor perfusum in eam sensim transit rerum notitiam, ut nihil in terra esse, quod uere esse dici queat, uideat: in Deo autem solida omnia, uereque beata & aeterna. Conspicis ne perfectam rerum cognitionem in anima Deo unita, etiam absque literis, atque, ut nunc est usus, linguarum peritia? Negocium id quidem est, quod in corde transigitur, sede utique sapientiae, si purum est, atque a terrenarum rerum contagione liberum. Censes ne in rebus conditis posse esse gaudium cum hoc comparandum? Quare non absque ratione a spiritu infertur, Et rectis corde laetitia: orta scilicet est, seu ut nonnulli uertunt, inserta est, aut seminata. Quo sane admoneor, de semine hic illo forsitan dici, quod Dei esse affirmat Ioannes, cuius ui animati ad mortem peccare minime possunt electi, quosque in calce psalmi ad laetitiam, mirisque efferendam laudibus Dei sanctitatis memoriam, inuitari uideo.

{97.12} Laetamini, inquit, iusti in domino, & confitemini memoriae sanctificationis eius.

Nihil profecto in uita hominum turpius inuenitur, quam excussa penitus a mente diuinae bonitatis memoria, in rebus tantummodo illis uersari, quorum usu deteriores, quam pecudum sint, nanciscuntur mores. His itaque a Dei luce suapte sponte abalienatis, proindeque in turpissimo suo illo uitae genere & gaudio derelictis, uos iusti, uos quibus nulla potior est cura ac studium, quam ut Dei religio in terris uiuax sit & nitida, laetamini, talemque in coelis uos habere propitiatorem, ut Deus est, gaudete, simulque tantorum memoriam beneficiorum, quibus pene obruuntur homines, non dissimulantes, illius diuulgate sanctitatem, qua nos, licet immeritos, in Christi sanguine dealbatos, & purgat & sanctificat. Cui honos sit ac laus in secula seculorum. Amen.

PSALMVS XCVIII.

{98.1} Cantate domino canticum novum, quia mirabilia fecit.

De cantico nouo, quod rei nouae atque insolitae convenire diximus, in superiori eiusdem exordii psalmo abunde explicuimus. Iam quidem rebus omnibus quae ad fidem attinent, per Christum innouatis, nouum quoddam formandum erat cantandi genus, inusitatum illud quidem, & inauditum seculis antiquis, uerum sanctissimis coelestium rerum uatibus praecognitum, uaticiniisque celebratum. Canticum itaque nouum, noua est lex, cuius uirtute anima tota in Deo innouatur, abiectoque uae illo ueteris Aadae, cui obnoxii facti erant omnes, in nouas se effundit recentioris Aadae laudes, quia mirabilia fecit, quia inaudita, quia noua, quia stupenda operatus est. Mirandum certe in modum operatus est salutem in medio terrae. Quid tam mirabile unquam auditum fuit, quam Deum fieri hominem, hominem uero Deum? Id quidem uidimus in Christi carne, nempe Dei atque hominis unione. Res mirabilis ea certe fuit, atque usque eo incomprehensibilis, ut etiamnum profundissima obiecta sit caligine, ad eamque praeclara etiam caecutiant ingenia, nedum tardam lucisque diuinae expertia ut sunt pleraque mortalium. In primis quidem, ut tandem admirandarum rerum partem huiusmodi praelibemus,

{98.1} Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.

Melius forsitan uertisset interpres, si brachio sancto eius, uertisset: ut esset sensus, sola sua dextera, ullo absque alio extero adminiculo, & brachio sancto suo salutem nobis attulit. Sic Paraphrastes: Victoriā enim sibi peperit sua ipsius dextera manu, & brachio sanctissimae maiestatis suae. Felix tamen legit fere cum nostro: Saluauit, inquit, eum dextera eius, & brachium sanctitatis eius. Per seipsum igitur, uirtuteque propria ac naturali, suas exequitur operationes Deus: neque externo indiget praesidio, uti solent homines quamuis potentia insignes, & autoritate. Quare Paulus de Christo loquens, asserit illum declaratum esse filium Dei ex uirtute, nempe propria, atque cum patre communi. In Esaia clamat Deus: Saluauit me dextera mea. Miro itaque & inaudito modo rebus mortalium plane attritis, opem attulit Dei bonitas: siquidem ex mortuis (ut sic dicam) facti sunt dii

{pdf 679, p. 331v}

pri omnes per Christi uirtutem. Unde a mortis nos dominio per illius gratiam liberati, in ipso, cui per fidem insiti sumus, iam uiuimus, mouemurque, ac ad capessenda coelestia animamur. Iam tandem abrasa a mundo errorum nocte atque ignorantia,

{98.2} Notum fecit dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.

Salutem suam, ex Hebraeo uerti debuit: quanquam nec dictio, salutare, suo uacat mysterio. Is Christus est, per quem sane Dei uoluntas, seruandorumque hominum consilium antea occultum, adeo clare mundo innotuit, ut non tam notus sit sol iste uisibilis in meridie. Atque id est sacramentum illud, de quo Paulus Ephesiis scribens, inquit: Sacramentum uoluntatis Dei nobis notum factum esse secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, nempe Christo, instaurare omnia quae in coelis, & quae in terra sunt, in ipso. Notam igitur fecit dominus salutem suam, gratiam nimirum redemptionis, per quam aeterna fuit acquisita felicitas per Christum, atque id quidem in conspectu gentium: hoc est, excluso ignauo Iudaeorum uulgo, gentibus, peccatoribus scilicet, atque a coelestium gustu alienis, reuelata est Dei iustitia, qua operante iustificati sunt homines in fide unius mediatoris, per quem accessum nacti sumus ad patrem, a quo nostra omnis profecta est iustitia: ne gloriatur homo, quasi a se orta sit peccatorum ablutio. Id proculdubio contigit,

{98.3} Quoniam recordatus est misericordiae suae, & ueritatis suae domui Israel.

Pro domo Israel, reddit Felix: hoc est, ut interpretatur Campensis: Memor actus est misericordiae suae, & fidei (haec est ueritas in Deo) in praestandis quae pro miserat Israeli, nempe fidelibus, ad quos quidem facta est de mirabili redemptionis hominum facinore promissio, qua se aeterna astrinxit fide Deus, se suum concessurum mundo unigenitum, subindeque bona omnia cum ipso largius quam unquam antea, profusurum. Quod sane actum est, cum Verbum caro factum habitauit in nobis: tum dico, quando uidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre, & manus nostrae contrectauerunt de uerbo uitae Vides copiosam spiritus ubertatem? uides quomodo recordatus est misericordiae suae altissimus, qui antea, nostra ob scelera, quodammodo sui uidebatur oblitus figmenti? Haec sane omnia diuina operata est bonitas ob fidem, qua ab initio domui pollicitus fuerat Israelis, nempe illis, qui in spiritu & igne renouandi erant, nouum iustitiae genus in Christo, quem uerius in intimis animae recessibus coli uoluit, quam cruentis illis Iudaeorum ritibus & caeremoniis, absque fide, quae spiritu in primis nititur. ac mentis cultu. Caetera uero fuere tardis ingenis adminicula, atque in his, quae ad ueram spectant religionem, rudibus & ignauis, auxilia. Clementissimus itaque pater nostris iam olim offensus erratis, suorum pene cura uidebatur teneri nulla: at tandem placatus, propriaque motus natura, illos ad memoriam reuocasse uisus est, cum uenit suppetias, ac fere extinctos animauit, ad uitamque deletio mortis imperio asciuit, Deosque fecit. Neque ea quidem omnia clam atque in occulto, sed palam uniuerso cernente mundo. Etenim

{98.3} Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri.

Iterum salutare pro salute transtulit. Nullus, inquit, orbis angulus tam arctus fuit & semotus, ad quem salutis praestitae notitia non peruenerit. Quocirca

{98.4-6} Iubilare domino omnis terra, cantate & exultate & psallite. Psallite domino in cithara, in cithara & voce psalmi, in tubi ductilibus, et uoce tubae corneae. Iubilare in conspectu regis domini.

Hactenus Hebraeis horum trium uersuum est litera. In cithara, in cithara, idem prae se fert, quod, psallite cithara, & citharae sonum psalmi seu uocem iungite. Sic Paraphrastes: Psallite in honorem domini cithara, sed adhibita ad citharam modulatione uocis. Ad haec, communis quidem cum sit omnibus salus, communis & omnium debet esse laetitia. Quicquid igitur in terris est modulationis, quicquid neruorum, quicquid uocum, aut spiritus quoque efficti, & concentus, Deo tandem pulcherrimarum rerum effectori concinat, illique, quicquid suauitatis in se habet offerat. Instaurato quidem uniuerso, imo uniuersi domino homine, nulla debet esse pars mundi, uis nulla, ullaque creaturarum species, aut natura, quae suum non

{pdf 680, p. 332}

debeat agnoscere benefactorem, atque illi gratias agere. Vates enim a ritu illo antiquo atque usu laudandi Dei, qui potissimum instrumentis constabat musicis, non discedens, qualis humana mens in diuinis occupata obsequiis esse oporteat, latenter admonet: nempe ardens, & studiosa: alioqui frigida, imo uero etiam tepida omnia, execratur Deus. Vsus quippe ille tubarum ex aere aut argento ductili, cornuum item & buccinarum, vocalissimam debere esse animae confessionem, hoc est, intrepidam & constantem, praemonstrabat. Mysteriorum quidem plenus erat usus ille omnis caeremoniarum. Verum

{98.7-9} Moueatur mare & plenitudo eius, orbis terrarum, et qui habitant in eo. Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu domini, quoniam venit iudicare terram.

Iterum, ut in praecedenti psalmo annotauimus, perstrepet mare, seu reboet, uertendum fuerat: hoc est, ut interpretatur Campensis, strepitum aedat prae gaudio. Caeterum de huiuscemodi rerum inanimatarum laetitia satis abunde in superioribus, & maxime in nonagesimo sexto dictum est psalmo. Verbum, exultabunt, melius ex hebraeo uerti poterat, exultent, quo omnium una sit uox in Dei laudes erumpens, a diuinoque excitata spiritu, qui adeo suis in inspirationibus ardens est, ut rebus quoque interdum sensu carentibus, mentem, artusque humanos tribuere uideatur. Quis unquam amnem aut fluuium manus, aut sensum gaudii habere dixit? Id quidem coelesti excogitatum est consilio, quo homo, natura coelestis, ad quantum animi incendium debeat moueri, intelligat, simulac cernit coelum, terram, mare, flumina, syluasque, & quicquid usquam gentium conditum est, ad laudandum Dei nomen tam accurate prouocari. Suo quippe modo saxa ipsa etiam inertia, plantaeque, & lapilli, in sui creatoris laudes mirabili sese effundunt nisu. Solus homo naturae diuinae, ut diximus, particeps, in re omni alia

potius quam in his, quae suam testentur originem, infelicissime distinetur. Credo equidem, hac miseranda perspecta sui domini a Deo auersione, & coelum, & terram, & mare, & condita demum omnia, quae alicui usui sunt humano, in amarissimas resoluti lachrymas, lamentarique sese iniquo seruire domino. Interim uero ad celebrandum Dei nomen conuertuntur, mutuoque sese consolantur: quoniam tandem Deus

{98.9} Iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in equitate.

Consultrice, ait, iustitia, atque assestrice aequitate, ueniet dominus ad uniuersale omnium iudicium. Dauid itaque ad ueterem arcae religionem alludens (de hoc ritu alias diximus nouum Christianae pietatis cultum, qui iustitia maxime nititur & aequitate, deliniauit. Veniente quippe Christo in hunc mundum, iustitiam in primis & iudicium, quod hic uocat spiritus aequitatem, secum tulit, feretque in futurum, cum ad extremum illud ueniet examen: quo peracto, rerum omnium finis erit, ut inquit Paulus: hoc est, Deus qui uniuersalis omnium est finis, erit omnia in omnibus. Cui laus sit & gloria in secula seculorum. Amen.

PSALMVS XCIX.

{99.1} Dominus regnavit, irascantur populi, qui sedet super Cherubin, moveatur terra.

Vates enarraturus Dei potentiam in hoc psalmo, quae potissimum in eo vim habet, quod suos incredibilem in modum tutatur, contraque illis adversantes proterit & affligit, ab antiquis illis Iudaeorum signis, quibus uniuerso plane orbi uerendus semper extitit, quibusque se potentissimum illorum fuisse propugnatorem, terrificumque hostium suorum oppugnatorem, ut tum fuere Amorrhaei, Amalechitae, atque aliae numerosae nationes, uariaeque culturae homines, late omnibus tum Iudaeis, tum gentibus ostendit, nos suo more prudentissime aduocat, monetque noui Adae regni. Quam uero terribili se habuerit modo Deus, quamque omnibus in sacrosancto illo arcae propitiatorio, quod duabus immensis Cherubin alis inumbrabatur, expauescendus fuerit, sciunt uel tenue docti in lege sacra. Sed haec mysteriorum plena. Nanque alatae imagines illae, formaque humanae effigiatae, inter quas suam sii sedem delegisse uidebatur diuinitas, id obscurissimo obtege-
[obtegebant]

{pdf 681, p. 332v}

-bant aenigmate, Deum nusquam laetius commorari, quam inter homines quidem, sed qui alati essent: hoc est, qui posito peccati onere, sumptisque alis spiritus, in ipsum euolarent Deum, in quo omnis sita est animarum quies, ac pax. Verum nos caecos, quibus adhuc mutae Cherubin statucae mortuum adumbrant propitiatorium: nullae iam nobis alae, nullus uolatus, nulla in Deum e terris eleuatio, nisi tarda, viscoque praepedita, & iners. Terrenarum quippe rerum ambitione detenti oppressique, qui coelum udis & dissipatis nequicquam pennis petere audemus? Coelestia quidem expeditum & leuem requirunt uolatum, non lutulentum, implumemue, aut (quod absque lachrymis non profero) Daedali filio persimilem, temerarium uidelicet atque

arrogantem, proinde dissolubilem, & caducum. Sed hic mihi tempero, atque quid in hoc psalmo sentiat spiritus balbutire incipio: pressa enim mens, ut mea est, ad lucem se habet Dei, quemadmodum se habent hallucinantes oculi & lusciosi ad solis radios: conor tamen, si quo modo hisce meis laboriosis uigilis tanquam ultrici cura, atque acerbo meae carnis flagello, queam me prorsus a mundi amore euellere, atque in Iesu sinum, e quo omnis emanat sapientia, transuolare. Id agat ipse, postquam ex me aliud nihil spondere possum praeterquam modicam expetendi bonum uoluntatem, atque eam quidem ab ipso, quem in me omnia esse & uolo, & sic esse scio. Pereat in me bonum, quod a Deo non sit. Ipse igitur meus sit dux & rex, ut dux est, ac rex illorum, qui diligunt aduentum eius. Videte itaque mortales, quid de immensa illius potentia moneat spiritus: Dominus regnauit, irascantur populi, qui sedet super Cherubin, moueatur terra. Indicia haec sunt regni Dei in terris, quando regnat clementia, pax, charitas, in rebusque agendis fides, prudentia, & demum uirtutum omnium condimentum, iustitia, Proinde in Dei regno nulla potest esse impietas, nulla seditio, nullum odi genus, nulla superstitio, nulla auaritia, nullum denique tum errorum, tum uitiorum signum: nam certe ubi regnat Deus, nullus est locus peccato, nullus inuido, oblocutori, ambitioso, helluoni, duplici, mago, superbo, libidinoso, crudeli. Haec quidem omnia daemonum indicia sunt domini, non Dei, cuius regnum ab omni horret inquinamento. Frendant igitur, ut lubet, improborum conuenticula, in dignabundique obmurmurent populi, Dominus tamen, cui quondam aureos inter Cherubin terrificam fuit sedes, regnat. Ex hebraeo uertunt, Contremiscant populi, non, irascantur. Id quidem ad indignationem referri potest, illud ad metum: utrunque uero huc conuenientissime quadrare iudico: utcunque enim, aut contremiscant homines, aut rumpantur, nihilominus regnat Dominus. Ad haec, idem ipse

{99.2} Dominus in Sion magnus, & excelsus super omnes populos.

Ut olim enim dominus magnus fuit in Sion, & excelsus, utpote sede diuino consecrata cultui, ita nunc magnus est, imo longe maior in purissima illius Ecclesia, cuius typus terrestris illa fuit Hierusalem, quae occidit prophetas, & Christum tandem. Neque is quidem dominus in his tantummodo aut illis excellit gentibus sed super omnes ubique populos sublimis est, ac maiestate plenus. Omnibus quippe imperat, omnes tanquam oues pastor a grege deerrantes, coercet, reuocat, trahit, beat demum. Quocirca quis est, qui tuam bene uoluens animo magnitudinem, o Deus, non expauescat? non altum demittat supercilium? non totus, quantus est, metu simul & reuerentia contremiscat? Itaque, ut tandem finiam, quaecunque condita sunt,

{99.3} Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est.

Non ultra procedit uersus Hebraeis. De confessionis uoce, non raro in superioribus diximus. Sic ex hebraeo uerti posset: Celebrent, seu, fateantur nomen tuum magnum esse, ac metuendum: sanctum quippe est. Impuris certe animis & inquinatis, terrificum, peneque intolerandum est nomen Dei: quippe qui nolent, quo liberius peccare possent, Deum esse. Vitale quidem nomen execrantur miseri: contra uero purgatis dulce admodum est mentibus, & suaue. Quare non iniuria hic Vates nomen Dei & magnum, & terribile, & sanctum quoque

{pdf 682, p. 333}

affirmat esse. Verumenimvero ne diutius in peruestigando Dei nomine torquearis, Ipse est nomen suum.

{99.4} Et honor regis iudicium diligit, tu parasti directiones, iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.

Id saepenumero agit Dei spiritus in mente hominis, ut dum in contemplandis disquirendisque coelestibus dat operam, eo raptetur, quo affectus magis tum euehit & accendit. Ex quo plerunque illud contingere necesse est, ut concitatori nonnunquam exagitata ignis flamma, in illius magis rei prorumpat uerba, cuius subiectum tum contemplatur ardentius: hincque crebrae illae in prophetis personarum mutationes ortum habent, ut in hoc psalmo uideri potest, Eam ob rem non inconsulto aut casu, ea quae sunt spiritus contingere arbitranda sunt, sed summa ratione & consilio: noto tamen duntaxat illis, qui omissis caeterarum rerum, tanquam maeandris, occupationibus, toto feruntur nixu in Deum, qui cum purissimae naturae sit, puros suam ad religionem asciscit animos. Puritas uero huiusmodi fide effigiatur, amore perficitur, atque in Deum transit. Caeterum siue honor legas cum nostro interprete, siue robur aut fortitudo cum Hebraeis, nihil diuinius dici posset. Proinde illud mihi Pauli in hoc loco succurrit, qui de Dei filio uerba faciens. sic ait: Qui cum in forma Dei esset (ecce honor regis) non rapinam arbitratus est se aequalem Deo, sed semetipsum exinaniuit. Non itaque ex honore illo supremo, ac potentia, qua Dei filius est appellatus, tyrannidem, ut complures ex nostris facere conspiciamus, exercebit, sed iudicium & aequitatem, rex noster Christus. Is enim hoc se humilior habuit in terris, quo excelsior semper erat in coelis. Quid hic nostrates dicunt proceres? cuius sunt professionis? Christi ne? Heu mundum perditum. Ergo honore illo immenso insignis rex noster aeternus, non sui statim immemor factus est, atque impatiens animi, sed iudicium, sed aequitatem, sed clementiam semper suis in definiendis usus est rebus. Exemplum id sane est excellentissimum, nostris inculcandum magistratibus. Deus bone, quantus interdum tumor? quantus afflictorum neglectus? Prae magnificentia illa quidem sua uix in se manent, uiri, si Deo placet, lepidissimi, quibus uel ipsum mel & saccharum nauseae solet esse ac stomacho. Verum tu, o domine, quae aeuia sunt & pia, parasti: hoc est, ea tibi in primis fuit cura, ut hi qui e Iacob familia ortum habent, nempe electi, iuste decenterque suam instituerent uitam. Parasti directiones, Hebraeis est, fundasti aequitatem, aut huic simile. Impossibile quippe est, populos non optimis informari uitae praeceptis, quorum superiores integri sunt, atque aequitatis amantiores, quam proprii commodi, & honoris: quod si secus sunt, uix illos homines appellare audeo, quandoquidem monstra illos potius ad deustandam uineae domini pulchritudinem, nescio a quo terrae inquinamento producta, optimi quique nuncupare soliti sunt. Ego quidem corruptionem istiusmodi, nostram ad fraenandam superbiam ac luxum, Deum nostris in rebus publicis ac regionibus uelle esse iudico, quemadmodum in domibus Aegyptiorum atque agris esse uoluit, & cyniphe, & locustas. Verum his interim suo in ampullosa uitae fastu eousque derelictis, quoad illis immittat dominus spiritum terroris & resipiscentiae, o uos humiles, piique animi,

{99.5} Exaltate dominum Deum nostrum,

Non uosmetipsos, aut affines uestros, ut illi, sectaque uestrae factiosos & parasitos.

{99.5} Et adorate scabellum pedum eius:

Non uestrum principem, & antistitem.

{99.5} Quoniam sanctum est.

Scabellum pedum Dei, arca olim fuit, siue propitiatorium: ad quod qui religioni uocabant, sese prosternere consueuerant. Dauid quidem rerum istiusmodi atque mysteriorum non ignarus, sic hac de re loquitur: Cogitauit, inquit, ut aedifica rem domi, in qua requiesceret arca foederis domini, & scabellum pedum domini Dei nostri. In illo enim sessurum se dominus promiserat, indeque orantes exauditurum. Modo uero illud sibi nomen uindicat Ecclesia, & merito. Non desunt porro, qui scabelli uocem ad Christi carnem referant, persancte id quidem. Pro-
[Proinde]

{pdf 683, p. 333v}

-inde uaticinium id esse arbitror prophetae, uetustum illum iam tum adorandi morem execrantis, nouumque quasi digito commonstrantis, quo Deus in Christo homine, uti in scabello aptissimo diuinitatis, coli cognoscique deberet. Alioqui sublata Christi cognitione a mundo, imperfecta Dei esset notitia, obscura, & caliginosa, ne dicam nulla. Itaque nostrae religionis cultus a sanctissima Christi praesentia uim sumpsit atque efficaciam, addo & sanctitatem: quia ipse sanctus, quia Deus, quia bonorum omnium exordium est, ac finis. Ad hunc igitur confugiendum est nostris in aerumnis: ad hunc suspirandum, quoniam per ipsum accessum habemus ad patrem. Nullo quippe medio alio seruari posse hominem certi sumus, ad quod sanctissimorum semper uita hominum praelusit, sed in primis praecipui illi religionis cultores atque architecti,

{99.6} Moses & Aaron in sacerdotibus eius, et Samuel inter eos qui inuocant nomen eius: inuocabant dominum, & ipse exaudiebat eos.

Hactenus Hebraeis est uersus. Suo more Vates antiquorum patrum memoriam atque exemplum, quo nostram excitet segnitiem, in medium adducit: inter quos, qui praecipuo floruerint erga Deum studio & cultu, hi tres fuere. Aaron quidem primus fuit sacerdos a Deo institutus: Moses sacerdotii consecrator. Porro de Samuelis sanctitate illud perspicuum est, quod adolescentem adhuc sua dignatus fuit uisione ac uoce Deus. Simplicissimo se semper habuit uitae modo ac ratione cum Deo uir ille, idcirco ei gratus, stupendoque ornatus sanctitatis spiritu extitit & uaticinio. Quare non frustra a Vate inter inuocantes Dei nomen, quod maximum fuit illius fidei argumentum, inseritur. Tantum enim olim ualuit horum oratio, ut de illis sic dicat Deus in Hieremia: Si steterint coram me Moses & Samuel, non est mihi animus ad populum istum. Caeterum de Aarone legimus, quomodo oblato thure uastum illud incendium, quo populus ob seditionem late saeueque absumebantur, dicto citius restinxerit. Vide quam uim secum afferant sanctorum hominum preces. Miramur nunc, quod uel usque ad

raucedinem uociferantes ad dominum, non exaudimur. Nulla iam restant mala, quae non iam millies experti simus. Vnde tot uitae manant incommoda? perpetuae ne erunt seditiones? bella? bonorum ciuium proscriptiones? exilia? Nullumne unquam sortientur finem subditorum rebelliones in principes, principumue crudeles in subditos exactiones? Quousque dira hac lue tyrannidis, aut illa odiorum, etiam hi qui mortui sunt mundo, ne dicam Deo, afflictabunt? dormit ne Deus? audit ne, cum nihilominus suae nos nostra dedimus nomina religioni? Esto, uir e fonte excepti, periuri sumus, non deest tamen solenne illud & necessarium confessionis remedium, quae fit sacerdoti: non deest Eucharistia, non ritus sacri, non medii fere orbis clericorum professio, ac monachorum: ex quorum quidem collegiis crebrae exeunt cum priuatae, tum publicae ad Deum orationes, ieiunia, chorique, & noua in dies aedificata templa, cubicula, hospitalia, eleemosynae, dotesque puellarum inuuptarum, quae precario larariis deseruiunt, ac sexcenta alia istiusmodi a Deo inspirata, tanquam medelae, nostris malis refrigeria. Qui fit igitur, quod aereum nobis quodammodo factum est coelum, cum oramus? O caecos animos. Cur, quaeso te, tua hodierna deterior est uita, quam fuit hesternae, crastina uero hodierna, atque perendina crastina? Putas ne animum in peccatis obduratum, pertinacemque, posse aliquando hisce admotis externis tanquam cataplasmatibus, alioqui salutaribus Ecclesiae remediis, emollescere, ad uitamque reuocari? Fieri non potest, impurum animum, hoc est, in peccatis perseuerantem, eo iustitiae genere posse affici, quo minus illius flant sordidae deprecationes, etiam si infinita Deo nuncupet uota, atque religionum professiones. Censes ne antiquos patres illos, de quorum fide in praesentia fit mentio, ea fuisse animi peruicacia & saeuitia, qua nunc ex nostris plerique, ex doctioribus etiam, atque ex his qui primas nacti sedes, nihil prius habent, quam quomodo ab Ecclesiae simplicitate desciscere uideantur? Puras certe animas purus ille deamat spiritus, qui cum cor hominis in-

[integrum]

{pdf 684, p. 334}

-tegrum in orante requirat, saucium contra ac dissipatum auersatur. Moses itaque & Aaron, sanctissimi illius ordinis religionisque primates, atque subinde futurorum norma sacerdotum, a Vate huc propterea adducuntur, quo qua praediti esse debeant integritate illi, qui gratas Deo suas esse cupiant orationes, caeteroqui Deo odiosas, intelligamus. Ad haec, his additur simplicissimae uitae homo Samuel, quippe qui sedulus fuerit pro populo illo rebelli interpellator. Quare a Vate infertur: Inuocabant dominum, & ipse exaudiebat eos, purificatae nimirum fidei homines. Iam tum quidem primum coepta est Ecclesiae synceritas deliniari, quae tamen per aetates a primis illis patrum degenerans exordiis, a Christo tandem suam adepta est perfectionem. Quae si porro nostram ob ignauiam nonnihil declinauit, ab ipso rursus erigenda est Christi spiritu, reintegrandaque in pristinum, tantum nostra non desit opera & sollicitudo. Quod sane hucusque dixisse contentus sum, quo non ignoret uulgus, unde uniuersi petenda sit, etiam absque Conciliis, orbis reformatio, unde regna, unde respublicae, unde religiones (religiones appello, sectas istas uarias religiosorum, cum unam tamen profiteantur religionem) pene collapsae suam sumere queant inuouationem, nempe a Christi uita & doctrina. Quaerunt nonnulli, cur Vates Samuelem, qui longissimo subsequutus est annorum spacio Mosen & Aaron, illis, ac si una eademque uixissent aetate, connumeret. Putant quidam interpretes, ob id, quod hi tres e Leui per Kahat originem traxerint.

Felices partus, quibus tam sanctum mundo est aeditum germen. Inuocabant, inquit, dominum, & ipse eorum fide delectatus, exaudiebat eos. Caeterum

{99.7} In columna nubis loquebar ad eos.

Id de Mose atque Aaron notissimum est, quibus in caligine Deus loqui consueuerat, ut fere omnia illius aetatis obscuro obducta erant inuolucro. Nihil sane de Deo audire poterant, nisi obscure ac terrificae.

{99.7} Custodiebant testimonia eius, & praeceptum quod dedit illis.

Omnes fere ex hebraeo uertunt, statutum. Utcunque legas, legem significat, seu pactum, foedusque cum illis percussum, quod nihilominus interdum testimonium, utpote de Dei uoluntate contestans, appellatur. Lex enim quoddam fuit pactum cum populo illo initum, fuit mandatum, fuit testimonium, fuit statutum, fuit tandem diuinae uoluntatis expressa significatio, obiecta tamen uulgo. Cuius rei indicium fuit uox Dei in nube & caligine audita. Ergo diuinae legis, quae fide nititur, observatio, causa est, quamobrem nostris in precationibus exaudimur a Deo. Quare ut concludam,

{99.8} Domine Deus noster, tu exaudiebas eos, Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinuationes eorum.

Indulgens fuisti eis, uertit Felix. Alii uero ex hebraeo, condonans illis: hoc est, propter illos fuisti condonans, nempe noxas populo. Illorum nanque interuentu donabantur peccata populo, ac poenae: & id quidem tum maxime, eoque temporis momento, quo de illis poenas sumere decreuisset Deus. Sic ex hebraeo intelligere necesse est: nam, adinuationes eorum, ad peccatorum multitudinem illorum refertur, nempe uulgi, ac multitudinis. quanquam non adinuationes, sed consilia, aut studia, seu etiam opera, ut uult Felix, ex hebraeo uertendum fuerat. Sic Paraphr. Deus licet potens sis, clemens tamen fuisti ad preces illorum in alios, etiam eo momento, quo ulcisceris ea, quae aduersum te stulte commenti fuerant. Quocirca

{99.9} Exaltate dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius: quoniam sanctus Dominus Deus noster.

In quinto uersu eadem, quae hic dicuntur, uidere licet, eo excepto, quod in illo de arcae propitiatorio fit mentio, in hoc uero de Sion monte sancto Dei, quem nunc Ecclesia Christi sponsam, alio sanctitatis genere, quam illa fuit, insignem, appellamus: in ipsa enim suam habet sedem Dei filius, qui totius sanctitatis fons est atque autor. Si quis igitur, quae sit uera adorandi ratio ac modus, ignorat, ad

{pdf 685, p. 334v}

Christi pedes cum lachrymis, etiam nihil dicens, aut offerens, suppliciter procumbat, & sat est. Cui & laus sit atque honos in secula seculorum. Amen.

PSALMVS C. In confessionem.

{100.2} Iubilare Deo omnis terra.

Inscriptio psalmi nihil aliud signat quam, psalmus ad laudandum compositus: qui quidem tametsi commune habeat cum multis aliis argumentum idcirco & eandem omnino expositionem, tamen suavissimo, atque illo peculiari defluit cursu. Mirum enim quantum piis animis afferant suauitatis uerba illa, quae de diuinis habentur laudibus. Tum quidem exhilarescit cor, colliquiturque prae amore mens. Cum sane recolit Deum se habere quemadmodum creatorem, ita ducem, pastoremque, & in omnibus defensorem, non potest non felicissime laetitia gestire in illo, nihilque magis timere, quam ne, qui sanctissimum eius nomen extollant laudibus, desint. Quamobrem suo tantummodo non contentus gaudio uir sanctus, ac erga Dei honorem studio, sic omnes terrae incolas adhortatur: Iubilare Deo omnis terra. O qui terram hanc obscuram & spinosam colitis, quique rem arduam spiritus aggressi estis, gaudete in Domino, non in rebus mundi caducis & fallacibus: in Deo enim solum uestra omnis debet esse hilaritas & gaudium.

{100.2} Seruite domino in laetitia, introite in conspectu eius in exultatione.

Is unus est uersus. Nulla sane re alia humana in negotio spiritus tam delectatur Deus, quam si anima superuacaneo abiecto moerore, in coelestium rerum gustu & consolatione uiuere, & mori tandem appetat, reque praestet. Etsi enim complura sint, occurrantque in hoc mundo, adeo confusa & uaria, ut pene omnem auferre uideantur laetandi occasionem, attamen nulla unquam tam acerba fuit calamitas quae id effecerit, quo minus in spiritu aliqua saltem recepta sit consolatio: imo quo atrocior est, eo maiori afficiuntur mentis gaudio hi, qui nullam ueram in hoc statu uitae laetandi rationem esse multoties experti sunt. In Deo igitur cunctam gaudiorum summam statuentes, id ante omnia compertum habent, cor hilare & iucundum in diuino requiri obsequio: quod quidem hilaritatis genus a fide in Deum solida, conscientiaque nitida prouenire ego arbitror. Secus uero cor infidele, conspurcatumque uitiorum notis, gaudere quidem potest cum mundo (si tamen gaudium recte dici potest tantula haec laetitiarum fallacia) cum Deo autem minime. Cum itaque mihi meique simillimis dici audio, Seruite domino in laetitia: illud mihi audire uideor, Tua illa seruitus, qua Dei seruus appellari gaudes, pura sit, hilaris, atque ab illis quidem rebus, quibus moeror comes est ac dolor, ut sunt pravae appetentiae, corque libidinosum, mens arrogans, atque affectibus illis anxiiis & infinitis ambitionis addicta, quibus modus statuitur nullus, libera, & serio abhorrens. Cuiusmodi uero sit gaudium, quo piae affici solent animae in Deo, puto rerum coelestium esse desiderium, optimeque de se conscia mens, ac pura fides. His enim, quibus haec insunt bona, a spiritu dicit: Introite in conspectu eius in exultatione. Is animae ingressus etsi fidei constat professione, absurdum tamen minime erit de externo quoque intelligi cultu ac ritu, ut fere agunt hi, qui templa facile adeuntes, Deum ibi liberius, quam usquam alibi uenerantur, & adorant. Id etiam de sacra altaris communionem interpretantur nonnulli. Verum quaecumque teste Deo peragunt homines, ea nimirum in conspectu Dei peragi arbitramur: ideo laeto perfici debent animo, quippe quae coram illo, qui hilarem suo in obsequio deamat datorem, peraguntur. Laeta sane exultatio animae, de qua nunc loquitur spiritus, in intimis delitescit amoris penetralibus, raroque aliud admittit consolationis genus: quod hi non agunt, qui

intolerandum esse existimant longum coelestium contemplationum gustum & laetitiam, nisi ad externas crebro transeant carnis refocillationes, effluentque liberius in ea, quae sensus alunt & oblectant, quam illi qui tardiores cum sint in re spiritus, ea tamen, qua convenit, accipiunt trepidatione ac reuerentia, si quid interdum diuinarum rerum experiuntur. Quis tum lachrymarum, suspensorumque illiusmodi originem, modum, exitum, digne peruesti-
[peruestigaret]

{pdf 686, p. 335}

-garet? Dona haec certe sunt Dei, non multis cognita, ideo fastidita. At uos, qui in ambiguo adhuc (ut ambiguae res sunt humanae) desudatis uitae itinere, omni turpi remota persuasione,

{100.3} Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos: populus eius, & oves pascuae eius.

Agnoscite, inquit, dominum esse illum Deum, qui fecit nos. Quid hac dignitate sublimius? Neque enim, o tardi, ipsi fecimus nos: sed populus eius sumus, ac grex tener, quem coelesti continenter alit pastione, quem fouet, quem in ulnis, tanquam destitutum agnum pastor, gestat. Quis itaque tam hebeti uiuit mente, qui talem non agnoscat benefactorem? dominum? pastorem? Quid torpetis?

{100.4} Introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis, confitemini illi, laudate nomen eius.

Portae, ut aliquando diximus, pro conuentu, locisque ubi conuenire consueverant ad tractanda uulgo homines negocia, iuraque accipienda a senioribus, non raro in scripturis accipiunt. Atria uero memorat propterea, quod illuc plebs una coire solitus erat. Caeterum, uox confessionis, laudem denotat, ac, ut uertunt nonnulli, celebrationem. Sic illi: Ingredimini portas eius cum celebratione, atria item eius in hymnis, celebrate eum. Extollite, illique pro acceptis beneficiis gratias agite. Conclamate, diuinisque illius insurrate auribus, Nos populus tuus sumus, o altissime, atque oves pascui tui: tu pastor & dux. Confundor, mi lector, ac prae dolore fere exanimor, cum meam uerso animo in tam beneficum dominum duritiam, melius dicerem impietatem, atque ultroneam a mea salute fugam. Pene animum, cum me specto, despondeo. At erro, meque hic ipse reprehendo:

{100.5} Quoniam suavis est dominus, in aeternum misericordia eius, et usque a generatione in generationem ueritas eius.

Quid igitur despero? Etenim ueritas eius, nempe constantissima in seruandis promissis fides, non uni quidem solum, aut alteri subuenit generationi, sed aequae ad omnes protenditur, in infinitaque prorogatur secula. Quoniam itaque suavis est dominus, facilisque ad subleuandos a miseria miseros, idcirco aeterna est eius clementia. Nec mirum id quidem: nam Deus est. Quicquid uero de Deo dicitur, id Deum esse necesse erit. Etenim si suavis est ac pius, ea aeterna in illo est suauitas ac clementia, ut reliquae

quoque illius bonitatis partes, atque salutis humanae indicia & argumenta, aeterna sunt. Cui honor sit & benedictio, in secula seculorum. Amen.

PSALMUS DAVID CI

{101.1} Misericordiam et iudicium cantabo tibi Domine psallam.

Videtur hic Vates perfectissimos in se uiri optime instituti mores uoluisse exprimere. Verum in exilio constitutus, ea in primis Deo pollicitus est, quae postea neque ipse, neque alius quispiam ante Christi aduentum perfecte praestitit. Ad Christum igitur haec omnia referenda sunt, qui ut est perfectissimum uirtutum omnium uas & archiuum, ita uires suis suppeditare, quo etiam illa quae factu impossibilia uidentur, egregie compleant, non differt. Opus id est fidei, atque uehementis in Deum amoris, cuius telo cum sauciata fuerit mens, quid non tentabit? Huc itaque, nempe ad Christum optimarum rerum effectorem, nos qui uitreis incedimus plantis, nostri intellectus sensum cum in omnibus, tum in hoc potissimum exponendo psalmo conuertamus, audiamusque illum in eruditissimo Vatis pectore sic patrem alloquentem: Misericordiam & iudicium cantabo, tibi domine psallam. Quemadmodum enim absolutissimum hic uitae christianae statum deliniari cernes, ita cum primis formam illis dari arbitror, qui iudicandi munus sibi arrogant. Facilis quidem ista est cupiditas: sed illa, quae uniuscuiusque officio conueniunt, praestare, difficile. Mirum quam uoluptuose de honore sibi applaudant concesso, seu ui atque ambitu abrepto, nonnulli: prae laetitia pene insaniunt, leues quidem illi, ac nimium ambitiosi. In pertractandis uero rebus illis propter quas dantur magistratus, nihil eo hominum genere insulsius, nihil efferatius, nihil tam risu dignum: vix enim sese, quin in aliam transeant prae mentis alienatione

{pdf 687, p. 335v}

speciem ac formam, continent. Adeo corruptus quidam ambiendi honores mos inoleuit, ac turpis etiam in rebus publicis bene institutis consuetudo, ut cuilibet impuro atque e terra nato, integrum sit illa potissimum ambire atque assequi, quae praeclarissimis, atque adeo integerrimis debent uiris. Pro quibus sane instituendis sic de se, ac si ex illis unus esset, testatur Dei filius: Misericordiam, inquit, & iudicium cantabo. Contemperandum semper est nostris in promulgandis sententiis misericordia & prudentia, iudicium, ne aut totum saeuitia sit imperium, aut legum omnino dissolutio. His plane rebus nostrae omnes expendendae sunt actiones. Verum de alio hic agi misericordiae iudiciiue genere, me admonet litera, quam sic ex hebraeo ferunt nonnulli: De bonitate & aequitate cantabo. Volunt enim bonitatem hic esse propensum ad subueniendum cunctis animum: aequitatem uero, uirtutem illam qua ex recto, aequo ue iudicio geruntur omnia: atque his quidem totam uitae integritatem, inter ciues, ac iustitiam conseruari. & est sensus: De bonitate & aequitate, quibus res cunctae hominum rite gubernantur & instituuntur, in hoc psalmo memoriam facere decreui, pro illisque cantabo: & id sane propterea, quo tibi inde proueniat laus, atque honor. Quare tibi, o domine, non mihi aut meis, canam psallamque, ac, quantum maxime potero, laudibus tuum efferam nomen.

{101.2} Et intelligam in via immaculata quando uenies ad me.

Hoc se munire possunt dicto diuinae gratiae assertores, ut plane esse debent omnes qui uere Christi spiritum hausere: tantum a digladiandi rabie se temperent. Tum, inquit, intelligam, tum syncera ab impuris secernam, prudenterque rebus in agendis me habebō, cum ad me tu ueneris, qui longe meam ob turpitudinem recesseras: absque tuo enim auxilio nihil boni aut intelligere, aut re praestare possum. Te uero accedente ad cor, alioqui durum & indomitum, statim colliquescet, ferreamque suam exuens naturam, in leniorem transibit formam atque usum. Et ego quidem quae erumpere debeant e fidei trunco, & gemmae, & fructus, non prorsus ignarus,

{101.2} Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meae.

Verba fere quae in hoc insunt psalmo, per futurum tempus legunt Hebraei, optime id quidem, ut mea opinio fert: sunt enim syncerae animae pollicitationes, non praeteritae uitae narrationes. Cum ad me, inquit, ueneris, cum meam hanc tandem legis fraeno reluctantem inuiseris animam, cum me iacentem erexeris, uitaque tui sanctissimi spiritus animaueris, traxerisque uel inuitum & renitentem, tunc sane cordis innocentiam nactus, quo tuus, non meus, me acciuerit spiritus, accedam, tutusque perambulabo. Hoc porro impetrato, me adeo obnixē ad aequitatis regulam informabo, ut in medio quoque & secreto domus meae cubiculo, ubi nullus est hominum conspectus, qui meam diiudicent uitam, non secus eam seruaturus sim morum disciplinam, atque si foris in publico contigerit diuersari. Eandem enim tum domi, tum foris, prae me feram conuersationis imaginem. quod nequeunt hypocritae, qui suam illam fictam extenuantes in publico sanctimoniam, mentientesque religionem, in secretioribus qua aedium, qua cordis recessibus, nullam exhorrescunt turpitudinem. Caeterum ex hebraeo, nonnullis quae hic dicuntur de domo, ad moderatam domus familiam referre libuit. Unde sic Paraphrastes: A te enim adiutus, constanter uersabor pro puritate cordis mei in administratione domus meae. Non est quidem in rebus domesticis & ciuilibus, addo & in his, quae ad religionem spectant, meritum cum hoc comparandum, cum quis Dei timore nisus, ita sua in gubernanda familia se integre prudenterque gerit, ut nihil sanctius nec ab ipsis quidem religionum professoribus requiras. Utraque uitae consuetudo sancta est, modo id agant homines, quod in baptismo sunt polliciti. Alioqui neglecta salutari illa uiuendi ratione, atque alias, ac nouas, quotidie assuere sibi uitae leges, parum prudentis est animi, ne dicam temerarii, His enim fulcienda illa est, non demolienda (quanquam non uideo quibus illa fulcris egeat, quae certissimis nixa est spiritus sancti adminiculis) eae interdum dubiis ac

{pdf 688, p. 336}

nutantibus. Verum tu uide quid istiusmodi imbutus numinis doctrina, ille nimirum ad cuius cor accessit Dei spiritus, de se testetur:

{101.3} Non proponebam ante oculos meos rem iniustam, facientes praeuersiones odium, non adhaesit mihi.

Tota fere huius psalmi litera confusa est in nostro interprete. Ideo ne ambiguus reddatur sensus, alioqui lucidus, illum qui Hebraeis est ordinem sequi malo, quam indocte

quorundam simplicitati consulens, somnia, non rem certam, quod potissimum execratur spiritus, adducere. Ita ex Hebraeo uertit Felix: Non ponam in conspectu oculorum meorum uerbum Belial (id iniquum sonat) praeuaricantem odio habui, non adhaerebit mihi, nempe praeuaricator. Scelus, inquit alius, praeuaricationis sic odio habeo, ut non temere adhaerescat mihi. Paraphrastes uero clarius: Hominem superbum semper odio habui, nec unquam familiaris fiet mihi. Quid porro sibi uelit, Non proponebam ante oculos meos rem iniustam, seu uerbum Belial, unico expressit uerbo ipse Campensis. Nunquam mihi, inquit, imitandam proposui rem ullam iniquam, De Belial iam alias diximus. Proborum certe mores in usum nobis traiciendi sunt, ac tanquam naturalis cibus deglutiendi: sceleratorum uero consuetudo, uti anguis fugienda omnino est, atque a nostro conuictu resecanda: ut de oue morbosa, ne totum corrumpat gregem, suos hortatur monachos meus pater Benedictus. Quid si id non obseruant plerique? quid si? Pene dixi contaminatas nonnunquam a mundo foueri, sanas uero abiici, & opprimi. Istuc sane est Dei iudicium perpaucis cognitum, mihi tamen notissimum.

{101.4} Cor prauum, declinantem a me malignum non cognoscebam.

Sic Hebraei: Cor peruersum declinabit a me, malum non cognoscebam. Nullum fere adducit sensum noster interpres. Malum in hoc loco, nocentem hominem & malignum appellat Vates. Sic cor prauum intelligi oportet, hominem prauo affectum animo, uersutum, fraudulentum, cuius artes ne acutiori quidem qui sunt ingenio, peruestigare, aut cauere queunt. Ex his unum compellat uetus ille Comicus [Plautus, Persa]: Eho, inquit, lutum leoninum, eho sterquilinum publicum, impure, inhoneste, iniure, illex, labes populi, pecuniae accipiter, auide atque inuide, procax, rapax, trahax, trecentis uersibus tuas impuritates loqui nemo potest, Periculosissima res est cum istiusmodi hominum genere necessitudinem habere: quare eos auersantur omnino hi qui probiori praediti sunt animo, eos non cognoscunt, non commune cum illis quicquam habere dignantur. Boni certe bonorum delectantur moribus: impuros uero & illiberales, etsi illis, quo diuinam referre queant munificentiam, cum poscit necessitas, subuenire non recusant, detestantur, tantum ab est ut illorum probent amicitiam et familiaritatem. Interim tamen illorum curandus est morbus, isque seruandus in illorum curatione modus, quo uti solent medici in aegrotis, qui uelint nolint curari debent. Excogitat, inquit Salomon, iustus de domo impii, ut detrahat impios a malo. Quae sane omnia perfectissimus seruauit Vates, qui sic infert:

{101.5} Detrahentem secreta proximo suo, hunc persequebar: superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam.

Sic fere ex hebraeo uertunt: Accusantem in secreto (hoc est, nihil mali suspicantem proximum suum accusantem) interimam. Elatum oculis, & uastum corde, non patiar. Nemini id nouum esse debet, si se Vates interempturum asserat obtrectatorem, clanculumque deferentem in aliorum nomen & existimationem. Hac quidem uocis acerbitate ostendere uoluit, nullum esse posse in conuictu hominum tam detestandum uirus & horrendum, quam illud est, quo infecti sunt perniciosissimi delatores ac maledici, quorum lue exitiali pene uniuersus iam attritus est orbis. Vsquequo (scelus) praepostero uiuitur ordine? At uero, inquit Vates, quo hi se habeant modo, haud mea

multum interest. Ego quidem interea cum superbo oculo et insatiabili corde non libenter edo, non conuersor, non illorum approbo consuetudinem: non illis quod Dei est, ut expetunt, tribuo: atque magis id adeo, quod sublimes

{pdf 689, p. 336v}

oculos, atque elatum cor contemnit altissimus. Siquidem uir impius procaciter obfirmat uultum suum: ingens nimirum arrogantiae indicium, atque elati animi, quod uastum cor a spiritu nuncupatur, Etenim qui malo atque elato sunt animo, hi de more impudenti sunt facie & aspectu: qua sane uecordia se neminem uereri, cunctosque despiciere uideri uolunt. Hincque aliud erumpit ulcus, quod satis nihil illis unquam facit, nulla dignitas, nullus honos, nulla potentia, nulla pecuniarum uis. Idcirco intolerabiles facti sunt mundo, Deo odiosi, ac probis omnibus infensi. Attamen secreto Dei iudicio regnant plerunque, ac eo vivunt uitae genere, ac si nulla alia immortalis post hanc extaret uita, nihilque non audent, quo suas expleant cupiditates, quae illo fere tendunt, ut dii in terris habeantur. Nec desunt quidem (pro mores) qui illorum pareant affectibus: adeo amissa est omnis bene sancteque uiuendi ratio. Elatum igitur cor, atque arrogantem animum ferre neutiquam potero, ait propheta. Sed

{101.6} Oculi mei ad fideles terrae, ut sedeant mecum, ambulans in uia immaculata hic mihi ministrabit.

Qui sint fideles terrae, elegantissime, ut suus est mos, aperit Campensis: Oculi mei, inquit, obseruant eos, qui bona fide uersantur in terra. Quae quidem uerba superioribus illis, detrahentem secreto proximo suo, opponi debent. Hi igitur, qui bona fide res suas peragunt, nemini graues, quamplurimis utiles, a principe magistratibus, si ueri principes sunt, merito perornantur, consessoresque in iudiciis asciscuntur, ut se hic egisse Dauid suo in regno fatetur. Semper quidem illud rex & princeps cogitare debet, an ciues homines sint, uel ne. Alio sane modo iniicitur homini fraenum, equis alio, ac ferae indomitae. Omnis proinde abesse debet feritas, cum de hominum gubernatione tractandum est, aut magistratus creandi sunt, legesque sanciendae, ac iura, ne pro pastoribus ac patribus, carnifices, modestissimae praependantur reipublicae. Ambulans, inquit, in uia immaculata, syncereque de Dei religione sentiens, hic mihi, meisque populis, non tanquam tyrannus imperabit, sed quasi omnium minimus, administrabit, omniumque saluti, ut optimus solet pater, prospiciet. Caeterum de coelesti patre haec dicta esse non ambigo, qui ut malos suo in obsequio refutat ministros, sic bonos suo benignissimo dignatur fauore: quorum sane effigiem aptissime deliniauit Vates, cum ait, Ambulans in uia immaculata, quae est uia iustitiae, uia fidei, uia innocentiae: qui talis est, dignus erit Deo administer, uerusque sacerdos, & filius. Sed illud ualde mirandum, si tu tibi persuadeas, te Dei esse ministrum, cum pollutis manibus & inquinato animo diuina peragis, ac sacra ad Dei aras contrectas, resque diuinae consecratas religioni non secus actitas, atque res solent ludicras pantomimi & scurrae. Purissimo quidem attactu contrectari debent omnia, quae Dei dedicata sunt cultui, ne bona nostrum in exitium conuerti experiamur. Iam illud quod sequitur horrendum:

{101.7} Non habitabit in medio domus meae qui facit superbiam, qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.

In medio domus meae, simpliciter uerti poterat, in aedibus meis: uel, ut Felix, intra domum meam. Neque Hebraeis est, qui facit superbiam: sed, qui facit dolum seu fraudem. Rursus uerbum Direxit, illis est, durauit. Quare sic Paraphrastes: Non habitabit in aedibus meis fraudulentus: neque is qui mendaciis assueuit, durabit apud me. Duae eae res sunt, quibus decor omnis bonorum ac pulchritudo dehonestatur, fraudulentia & mendacium. Cum quidem totum Dei regnum fide potissimum ac ueritate constet, gratioso ne oculo cerni hi poterunt, qui dolosissimi cum sint, ac mendacissimi, libere tamen in Dei aedibus perinde spatiantur, spatiantur autem? imo uero etiam ad primas interdum, nescio qua sorte, obrusi sedes, tanto praesident imperio, ac debent illi, qui ideo reiecti abiiciuntur, quia it: noxii sunt & puri? Sic se habent male ordinatae respublicae & regna. Perfidiosi itaque & dolosi, quippe qui indigni Dei contubernio a spiritu iudicantur, omni cauendi sunt studio, coercendique iustitiae fraeno & capistro, ne illorum fraudulentia, salsisque inuentis ac delationibus exterriti uiri Dei, sana sinant dicata religio-
[religioni]

{pdf 690, p. 337}

-ni speluncas fieri latronum: quae quidem res acerbior illis esse solet quam ipsa sit mors. Verum illud consolationi potest esse, quod malae fidei possessores cum sint illi, non diu erunt, non durabunt, ut inquit Vates, non semper Dei aedes flagitiis conspurcabunt. Etenim religio nutare, motisque quibusdam, ac naeuis interspergi potest: collabi uero omnino, atque indelebiter foedari, minime. Christus enim suam aliquando reuisset sponsam, quam firmam, nitidamque esse uoluit, & aeternam. Eam ob rem in psalmi calce sic rem absoluit Vates:

{101.8} In matutino interficiebam omnes peccatores terrae, ut disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

Rursus, interficiam uerti poterat. Caeterum, in matutinis, idem uult quod tempestiue, mature. Celerius, inquit, quam unquam putassent, omnes terrae impios interimam, atque e Dei aede ac ciuitate sceleratissimum quenque eliminabo. Domus quippe Dei, domus esse debet orationis, castimoniae, uirtutum, non emporium rixarum, factionum, haeresum, libidinum, negociationisque & auaritiae. Et ego quidem, qui haec scribo, ita esse asserens subscribo, colluuiemque istam improborum e domo Dei eliminari cupio, rogo, obsecro, obtestor, ac tandem cura hac ingenti solui, atque esse tecum, o excelse, efflagito. Cui laus sit infinita in secula seculorum. Amen,

PSAL. CII. Oratio pauperis cum moerore animi cruciatur, & coram domino effuderit eloquium doloris sui.

{102.2} Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.

Volunt interpretes hunc psalmum querimoniam fuisse prophetae, simul & uaticinium, populi e seruitute Babylica reuersi, multo enitentis studio & labore in reparatione & ciuitatis & templi, sed a finitimis gentibus impediti: aegre enim gentes illae Dei

religionem instaurari ferebant. Quamobrem tam multis affectus fuit iniuriis, atque hostium irruptionibus Iudaeorum populus, ut pene ab instituto desisteret. Hincque maximae audiebantur in uulgus querelae, gemitus planctusque moeroris plenissimi, atque amarissimae ad Deum uoces, quibus totus is ferme respersus est psalmus, imago nimirum difficilis incrementi bonarum rerum, quae continuo tum hominum, tum daemonum intercipiuntur astu, atque odio. Nullum non uoluunt lapidem improbi, quo felices in te spiritus interrumpantur successus. Id agunt daemones: id rursus innatae illae in nobis appetentiae, tristissimis infectae irarum succis. Heu quantum mei interdum disputet erroris, atque nondum bene incoepatae iustitiae, cum haec uerso animo. Senex iam sum, quippe qui secundum & quinquagesimum annum natus, uix uitae meae dissipatas colligere ualeo rationes, adeo segniter actae uitae memoria conturbor. Insanio certe prae indignatione, cum recolo maiorem meae aetatis partem in nescio quibus me attriuisse persuasionibus, excutiendisque, tanquam infestis telis, mea, ut mihi uidebatur, ab innocentia, flagitiosorum hominum iniuriis. Ignorabam miser, crucem optime institutis animis, atque ad religionem tutandam natis, semper fuisse necessariam. Sed tandem ad me reuersus, fideique syncerioris clypeo contactus, ac capite sub spinoso Christi, qui in hoc psalmo pro me uastissimo sub onere miseriarum afflicto ingemiscit, tanquam in umbra positus, cum ipso sic meas praeteritas execror culpas, clamoque: Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te ueniat. Id genus orationis & clamoris, quo diuina flectitur seueritas, etsi in casti uiri ore & sermone speciosum est, nihilominus in amari cordis consternatione & moerore positum esse in primis arbitror. Petit igitur uir sanctus, ut cor suum Deus afflicto benigno intueatur aspectu, uocemque ac suspiria pacatis auscultet auribus. Atqui nequaquam formari queunt preces, qui diuinis futurae sint gratiae auribus, nisi ab anima, quae firma subnixae sit fide, Fides igitur ea est, quae clamat, quae orat, quae impetrat, quae Deum, alioqui ob peccata auersum, reuocat, atque urget, dicens:

{pdf 691, p. 337v}

{102.3} Non auertas faciem tuam a me, in quacunque die tribulor inclina ad me aurem tuam.

Benigno nos uultu respicit Deus cum boni sumus: truci uero, aut nullo omnino, cum mali. Non auertas, Hebraei habent, non abscondas, more uidelicet irati, atque illius, qui orantem penitus auersatur, audireque recusat. Eo maxime, inquit, tempore, quo uxor & affligor, altissimas illas tuas mihi exili ac uix spiranti demitte, inclinaque, ut faciles solent parentes, aures, ac meis tandem responde uotis. Et

{102.3} In quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me.

Inculcat idem saepenumero uir magnis in periculis constitutus. Age, inquit, domine, cum tuum imploro subsidium, ne tardus sis, sed matura. Maxima quidem pericula, maximam praesidii celeritatem postulant. Omnis quippe mora periclitanti longa esse solet, & nonnunquam letalis. Audi igitur domine, cum clamo. Clamo certe assidue,

{102.4} Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt.

En dira amari animi consternatio: en doloris effectus, si immensus est. Cremium, titio est Hebraeis, seu focus: nam dictio illa locum, in quo perpetuus est ignis, significat. Ardens profecto metaphora, ac mire dolori extremo conueniens: uehemens enim cum est, succum omnem uitalem adurit & consumit. Quid, inquit gratiae? quid boni mei mihi celeres atque inquinati attulerunt anni? Equidem tanquam fumus cito euanescens, desiere, consumptique interierunt: quin ipsa etiam ossa, alioqui suo modo uiuida, tanquam titio semiustus effecta sunt, arida nimirum, atque uti ea solent quae diutius in igne immorantur, torrefacta. Hoc sane loquutionis genere uult suum declarare metum ac dolorem Vates, atque cum eo hi, qui fugacem vitae huius statum serio contemplantur. Verum non ea contentus dixisse, alia insuper sui moeroris indicia subiicit:

{102.5} Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.

Parum aliter hunc uersum legunt Hebraei. Sic Felix: Percussum est quasi foenum, & aruit cor meum. Flos quidem aut herba a foeniseis incisa, perlanguescit illico & arescit: sic est uita hominis, sic est cor humanum in pectore maxima exagitato prae dolore cura & anxietate, atque magis id adeo, si cibo abstinet. Solent quidem homines in luctu & moerore positi, cibum exhorrescere & fastidire: e quo contingere oportet, quod anima suo destituta alimento exiccetur, sitique perenni laboret. Adeo, inquit, intensus fuit dolor ac mordax, ut cibi prorsus oblitus, in moerore & luctu contabuerim. Idcirco

{102.6} A uoce gemitus mei adhaesit os meum carni meae.

Pelli meae, uertunt nonnulli: quanquam caro pro pelle, & e contrario pellis pro carne accipi solet in scripturis. Studiosi quidem scripturarum id norint. Et est sensus: A uoce gemitus atque eiulatus, quibus maxime exhauriunt praecordia, caroque consumitur, uix pellis adustis cohaeret ossibus. Atqui illud manifestum, quod naturali deficiente nutrimento, quo caro alitur, restant ossa uix cute, atque ea quidem rugosa & putri uestita: ut his accidit, qui febre diutius afflicantur. Prae clamoso gemitu, ait Campensis, factum est, ut uix haereat ossibus pellis mea. Ad haec

{102.7} Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Siue pelicanum legas cum nostro interprete, & ut diuus uertit Hieronymus siue onocrotalum, qui idem est cum pellicano, cum aliis, aut bubonem, illud putandum, prophetam huc aues deserta loca incolentes, caeterarumque auium consortia fugientes, adducere uoluisse, quibus se similem prae nimia animi angusta extitisse fateretur. Mirum quam aegre ferat & lucem & solem, & ipsum quoque charissimorum congressum & aspectum, uir moerens: si tamen uir dici debet is qui alio doloris genere, quam ille est, qui e transactae uitae memoria, poenarumque terrore ac metu oriri solet, tam efflictim conteritur, ut hominum consortia alioqui naturaliter iucunda horreat. Sola enim peccata, atque in Deum iniuriae, id merito sibi uindicant: quippe quae, cum maxima sunt, hominem prorsus obbrutescit faciunt, uertuntque in aliam, ut sic loquar, speciem, quae non sit hominis. Obsecro,

{pdf 692, p. 338}

quid tantum horroris aut luctus ciere possunt terrenarum rerum iactura, liberorum orbitas, aut exilia, ut hominem penitus a se alienet, tamque insanire faciat, ut omnino consolationem omnem renuat? Indicia sunt haec non paruae contra Deum infidelitatis. Ut suae enim debentur partes carni ac sensibus, sic suae animo, rei nimirum diuinae & immortalis. Caeterum onocrotalos uolunt naturalium rerum indagatores in Aegypti solitudine nasci, saeueque admodum affligi, ac sese usque ad sanguinis effusionem percutere, si ad nidum reduces, filios a serpentibus occisos inueniunt. Asserunt rursus, fugacem ualde esse alitem, cuique is sit naturaliter mos, ut rapina oppleta in os rursus illam euomat, atque inde demum in aluum ruminantium more deiiciat. Imago certe supra modum moerentium, qui eandem saepe doloris causam uoluunt animo & reuoluunt, & sic tandem, uel cum non aduertunt, contabescunt. In domicilio, Felix uertit, deuastationum: hoc est, in locis dirutis atque solitariis. Caeterum nycticorax noctua est, bellua quidem (belluam illam appellare fas sit) humanos mirum in modum deuitans aspectus ac lucem. Aliam subinde attexit similitudinem propheta de passere, qui solus & moestus domorum insidet tectis,

{102.8} Vigilavi, inquit, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Vigilare hic uerbum, Hebraeis est intente quippiam obseruare. Felix tamen, . exercitatus sum, uertit. Paraphrastes uero cum nostro sic reddit uersum: Prae solitudine somnum non indulsi oculis meis, & similis mihi uidebar esse passeris moesto, qui solus in foramine desidet sub tecto. Vulgo enim auem quandam merulae similem, solitarium passerem appellant, eo quod sola fere semper sit, & in tectis residens meticulousa garrit: auis alioqui suauissimo concentu & raro: nihil suauius audiri potest. Verum de passere illo cunctis notissimo hic dici arbitror, qui uagus & impudens, omnibus pene infensus est & odiosus. Is quidem e paleis ac stipulis suum componens nidum, sub tectis emittit foetus: animal tamen etsi stridulum, atque usque ad fastidium loquax, quod prudentiae imaginem, ut diuus uult Hieronymus, secum habeat. Excusso igitur penitus a calamitosis uiri oculis somno, similem se facit passerulo moerenti, suamque deploranti aerumnam in tecto: cui nihil gratum esse potest, praeterquam luctu pasci & enutrirī causam uero sui inconsolabilis doloris mox addidit:

{102.9} Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me, aduersum me iurabant.

Verbum quod noster uertit interpretes Laudabant, Hebraei legunt, deludebant. & est sensus: Qui ludibrio me habebant & derisioni, hi meam in perniciem coniurauerunt. Apertius item principium uersus a Paraphraste redditur: Tota die mei me probro affecerunt inimici. Asperum profecto illud est doloris genus cum dolorum cumulo dolor albius adiicitur omnium acerbissimus, nempe hostium acclamatio, atque uno ueluti facto agmine & conspiratione, derisio, tristisque uultus ac trux. Non suo tamen uacat lepore & energia, uersio interpretis in uerbo, laudabant: quod sane ad simulatos amicos attinet, qui nos coram admirantes, quicquid ue agimus laudantes, in omnibus coniunctissimam prae se ferunt nobiscum necessitudinem: uerum semoti ab aspectu,

egregii fiunt statim obloquutores, atque una cum apertis hostibus insidiatores. Quocirca ad exprimendum suum dolorem Vates ab istiusmodi rerum atrocitate manantem, hisce, ut uides, queribundis utitur uocibus:

{102.10} Quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam.

Quare cinerem, si uertisset interpres, dilucidior fuisset litera. Sic Paraphrastes: Quare cibus meus non sapuit magis mihi, quam si cinerem comedissem. Erat mos celebris illorum qui in luctu erant, in puluere sedere ac cinere, ut de Dauide moriturum filium deflente legimus. Ideo quaecunque ab eis tunc agi contigerat, in puluere aut cinere agi dicebantur. Quare is erit sensus: Excors pene adeo humi pronus iacui, ut non iam panem, sed ipsum cinerem & puluerem esitasse uisus sim. Quid potum hic meum commemoro? lachrymarum is fuit amnis. non

{pdf 693, p. 338v}

uino quidem, aut e fonte aqua tunc usus sum, sed lachrymis, sed euulsis a cordis radicibus suspiriis, Quod si tamen, quae est natura hominis, aliquo utendum fuit poculo, id illico erumpente ab oculis lachrymarum riuo confundebatur. Omnes fere ex hebraeo, lachrymis uertunt, non fletu: quanquam idem refert utraque lectio: non est fletus absque lachrymis. Paraphrastes tamen utranque posuit, hoc modo: Potui meo lachrymas admiscui, non temperans me a fletu.

{102.11} A facie irae indignationis tuae, quia eleuans allisisti me.

Irae & indignationis uertendum fuerat, cum copula. Nec displicet quod ad apertiore addunt sensum nonnulli, qui sic reddunt: Id autem propter indignationem & iram tuam: poculum scilicet cum lachrymis miscebam. Paraphrastes quoque: Propterea quod iratum te mihi sciebam, & grauiter offensum. En tandem uides quamobrem tam acerbe, ut de se contestatur Vates, dolendum est: ob iniurias nimirum contra Dei honorem illatas, Sed stupidi nimium sunt homines, qui ex tantulo rerum suarum incommodo & iactura, finem statuunt dolori nullum: de his uero, quem in Dei contumeliam tum ab ipsis, tum ab aliis impudentissime fiunt, ne uultum quidem mutant. Puluere, inquit, uice panis usus sum idcirco, quia te offendi, quia te irritaui, quia, te omisso, omne bonum perdidit. Quid mihi timendum est, si istuc non timeo? Video, uideo, in quem coniectus sim malorum aceruum: nanque eleuans allisisti me. Extulisti certe me in sublime, ut inde grauius caderem: solemus enim illa, quae minutius collidi uolumus, in altum tollere. Verum quo me uertam? unde meam incoeptam defensionem? Ad meam igitur detegendam miseriam, quo tuam nanciscar misericordiam, meum erit perfugium. Audi itaque benignissime, in quam uile desaeuis mancipium.

{102.12} Dies mei sicut umbra declinauerunt, & ego sicut foenum arui.

Nihil umbra inanius. Declinauerunt, inquit, uitae meae dies, sicut declinat umbra, uergitque ad noctem, cadente sole. Umbra quidem etsi grandior sole occidente apparet, magnitudo tamen illa eo propior fit nocti, quo maior uidetur. Non secus sane est uita

hominis, fugax nimirum, uana, ac tum uicinior infortuniis & morti, cum felix, magisque beata uulgo existimatur. Dies igitur nostri similes sunt umbrae serotinae. Ego autem, ut de me, quod uerum est, fatear, non aliter quam foenum breui exarescam.

{102.13} Tu domine in aeternum permanes, et memoriale tuum in generatione et generationem.

Certe umbra est uita hominis, imo umbrae somnium. Fumus insuper est, ac quaedam, si corpus spectas, rerum inanitas. Is tamen, qui talis est, tanto nonnunquam inflatur tumore & superbia, ut illum qui aeterno stat aeuo, cuiusque memoria in tantum per res conditas effusa est, ut de progenie in progeniem sempiterna transeat successione, audeat iniuriis lacessere, turpificareque illius religionem, atque, qua tum in se est, tum legem, tum sacramentorum uirtutem & efficaciam, abrogare. Ego, inquit Vates, umbra fumoque uelociorem uitam hanc transigens, foeno exciso torrefactoque similis factus sum: tu uero domine uanitatum omnium securus, ni hisque immutatus, aeterno permanes seculo. Quid uero? memoria prorsus humanarum rerum labilis est, caduca, & quae breuissimis praescribitur dierum terminis quae autem de te est, nulla unquam aboleri poterit uetustate. Si quidem in coelo tua rimanda est natura, quid uerendum, quo minus perpetua ibi sit tuae incomprehensibilia subsistentiae ac uitae memora, cum nullum ibi sit tempus, quod obliuioni natura obnoxium est ac morti? Si in terris uero tuam peruestigamus prouidentiam, non desunt sparsim, passimque res conditae, in quibus tua relucet sapientia, fides, bonitas, imperium. Poterunt ne interdum de his non recordari homines? Poterunt ne, inquam, tam praeclari doni, ut est uniuersalis effectiois machina & pulchritudo, obliuisci? Esto obliuiscantur, erit ne cor tam stolidum & ingratum, quod opus illud celeberrimum Dei, qui Christus est, in cuius uultu aeterni patris impressa est imago, & ea quidem uiuax & aeterna, ex animo abiiciat?

{pdf 694, p. 339}

contemnat? Contemnunt tamen. O mentes obliuiosas. Itaque cum hoc se habeat modo & forma, permagna hominum pars,

{102.14} Tu exurgens Domine misereberis Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.

Aliis diximus, Deum nobis dormire uideri, cum non fert opem inuocatus: expergisci uero, cum subuenit. Dormit rursum, cum sinit nos peccare: exurgit a somno, cum uim nostrae addit imbecillitati nos ipsos superandi. Dormit tandem, cum petenti bonorum suorum partem adolescenti filio, non contradicit, permittitque insanum illum peregre abire, cum suis uiuere, libidinibus inquinari, seipsum destituere. Expergiscitur autem, quando errantem admonet, rogat, trahit, suscipit demum, atque ad felicissimum gratiarum osculum, gustumque coelestium admittit. Tu, inquit, exurgens, qui hucusque dormire uisus es, tuaeque ciuitatis Sion, nempe animarum in te quiescentium misertus, euigila: nam tempus id est clementiae. Accessit, inquam, tempus illud a maioribus promissum, quo dixere, affore aliquando, quod omni ablata miseria, regnaret misericordia & clementia, summa scilicet religionis perfectio. Non id dubium, tempus quo instauranda esset tum ciuitas, reparandumque templum atque religio, statutum

fuisse a Deo: quod quoniam a rudioribus maxime ignorabatur, diuinis prout poterant uocabant supplicationibus & sacrificiis, quo tandem Deus illorum miseratus exilium, placatis hostium animis suum inuiseret populum, tempusque illud promissum reaedificandi ciuitatem ac templum, benignissime praestaret. quod sane sub Cyro & Dario actum esse legimus. Imago certe ea fuit ac praeludium, Ecclesiam Christi a gentibus aliquando instaurandam, imo etiam a fundamentis excitandam. Tempus itaque, de quo hic memorat Vates, ut illud fuerit Darii ac Cyri, ita ad Christi aetatem referri debet, sub quo aliud aedificii genus, quam lateritium, aut marmoreum, aedificandum esset: animae nimirum, ac corda prius impia ac dissoluta hominum, quae per Christum eousque in altum euehenda forent, ut e limo, in quo infelicissime uolutabantur, de fide in fidem, tanquam scalae gradibus innixa, in Deum usque transirent, ibique summam tecti perficerent. Nanque extrema nostri aedificii opera Deus est, qui & basis & fundamentum. Hunc uersum sic ex hebraeo uertunt nonnulli: Tu exurgas & miserearis, tempestiuum enim est ut eius miserearis: nam diffinitus terminus adest. quod tempus redemptionis interpretatur Paraphrastes: Et tempus, inquit, redemptionis appetere uidetur iam nunc.

{102.15} Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius, & terrae eius miserebuntur.

Seruos hic uocat pios illos reges, quorum opera ad res suae religionis instaurandas usus est Deus. quare sic reddunt uersum ex hebraeo nonnulli: Quia beneuoli sunt, uolunt. Serui tui lapidibus eius, & pulueri eius fauent. Atqui non illud inficiandum, nullum adeo immensum posse esse in re spiritus detrimentum, & ruinam, quin queat in primam, addo & meliorem formam restitui, modo uelint hi, quorum propter autoritatem interest, quibusque est integrum res collapsas erigere. Quod si, cum possunt, non praestant, impii magis in Deum censendi sunt, atque in illius religionem crudeles, quam pii patres & pastores. Sunt porro qui huius uersus sensum ad sanctum piorum hominum desiderium transferunt, quibus ea in primis erat cura, isque amor, ut ruinae templi iam tandem resarcirentur: atque hi merito serui Dei a Vate appellati sunt. Ita in praesentia non deesse cernimus, qui id appetant, quaerantque, sed nulla illis autoritas apud homines. Quod si quid tamen ex istiusmodi illorum affectu & desiderio, pro merito adipiscuntur, id odium est. Quid agant igitur? sua quidem contenti pietate in Deum, id saltem praestabunt, quod terrae eius miserebuntur.

{102.16} Et timebunt gentes nomen tuum domine, & omnes reges terrae gloriam tuam.

Non defuerunt quidem eo tempore, quo coepta est reformari tum cultu, tum moenibus Hierusalem, & reges, & primarii regionum homines, qui uisa operis magnificentia, perspectaque duorum regum in renouando templo liberalitate, qui faterentur Deum Iudaeorum, deorum omnium potentissimum. Qui quam gloriosus

{pdf 695, p. 339v}

& potens esset, ut in caeteris mundi rebus cognosci quiuerit, id magis tamen in religionis maiestate & reuerentia, comprehendi potuit. Etenim labor ille assiduus populi,

studiumque reaedificandi templi, donaria item regia amplissima, ac piae ad rem sacram instaurandam exhortationes, illud spectabant, quod Deus excelsus in Sion maxime cunctis appareret et gloriosus. Quod sane perfecte contingere minime potuit, nisi glorificato Christo, nempe perfectissimo mysteriorum omnium illorum ac rituum fine, ac, ut sic dicam, consummatore. Quo circa sequitur,

{102.17} Quia aedificauit dominus Sion, & videbitur in gloria sua.

En fidei effectus: haud amplius quidem orat ut aedificentur muri Hierusalem, sed rem iam factam in spiritu contemplatur, fateturque suam Deum construxisse ciuitatem. Iam, inquit, suas erexit aedes dominus. Cernuntur templa, miraue rerum pulchritudine & dignitate, late patent religionis insignia. Sion quidem alio structurae genere, modoque alio ac ratione, extollitur. Etenim pro caemento, lateritiisque parietibus aut tabulatis, ardentia ponuntur desideria, castique affectus, atque a fide manantes operationes: haec est structura, hoc aedificium quo oblectatur Christus, quoque gloriosus in terris, qui in coelis ipsamet est gloria, apparet. Videbitur, inquit, in gloria sua, qui sumus nos: modo hi simus, per quos gloriari ille queat, nos nostram, per ipsum acquisitam, non refutasse salutem. Verum unde tam immensum profectum est commodum? a nobis forsitan? Minime id quidem omnium: sed,

{102.18} Quia respexit in orationem humilium, & non spreuit precem meam.

Solent enim plerique mortalium eo insolentiores esse, ac magis tumidi, quo is qui supplex est, humili uestitus est ueste, aut minus ornato loquitur sermone. Non eo se habet modo diuina erga humiles facilitas, in eum maxime prona & liberalis, qui mundo infensus est & miser. Quanto interdum tument supercilio nostrates proceres in humiles spiritu, in deiectos, in bonos tandem: sua enim, ne scio qua, contenti persuasione, uix orantes tolerant. Deus autem ad humilium respicit preces, admittitque rogata. Dictu est difficile, quam ex animo superbos auersetur altissimus. Putas ne quempiam ex primoribus etiamnum inueniri de quo illud, ut de Herode, dici queat? Spreuit, inquit, illum, nempe Christum, cum exercitu suo, adulatorum scilicet factiosorumque delatorum ac decoctorum Istiusmodi nonnunquam stipantur satellitio nostri reges ac principes. Verum haec momentanea haudquaquam erunt coram Deo, neque futuris tradentur seculis obliuioni. Quare, quo sciant posteris,

{102.19} Scribantur haec in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit dominum.

Vaticinia omnia antiqua, praedictionesque, ad alteram, quam illa fuit Iudaeorum, referebantur aetatem, in qua praedictarum rerum euentus conscribi debuerant. quod sane factum esse cernimus a Scribis spiritus, qui a Christo bonorum omnium fonte hauserunt umbrarum ueterum cognitionem. Vetus enim tempus illud patrum, quaedam erat futurarum rerum imago ac umbra, quas in Christum desinere oportuit. Ideo a Vate futurorum conscio dictum fuit: Scribantur haec in generatione altera. Sed qualis generatio? Populus, inquit, qui creabitur. Clamat Esaias: Omnem qui inuocat nomen meum, creauit eum, formauit eum, & feci eum. Eae gentes erant, quae eae impio in

sanctiorem reformandae erant statum per Christum: quas merito ex Deo, non ex carne aut sanguine nasci necesse erat. Atqui ueram illam esse creationem & natiuitatem arbitramur, qua de mundo nascimur in Deo, diique efficimur, unius cum illo effecti uoluntatis & amoris. Is itaque populus, haec gens, is hominum coetus & multitudo laudabit Dominum non gens illa rebellis, non populus durae ceruicis, non plebs superstitiosa & infidelis, ut sunt quorundam adhuc mores & uita, uel in his, qui se laudare Deum opinantur, cum nihil tamen minus agant. Donum id est animarum praecipuum ac rarum, simplicioribus fere concessum animis, ac puris in Deum affectibus: neque tamen istuc temerario, casuque fieri arbitrantur, aut suis ferunt acceptum studiis ac uigiliis. Quis nisi demens id cedit? Sed

{pdf 696, p. 340}

{102.20} Quia prospexit de excelso sancto suo, dominus de coelo in terram aspexit.

En plenum maiestatis mysterium: prospectus enim ille uiuificus Dei, quo cuncta innumeris condecorauit bonis, tum fuit, quando Christum nostrum esse uoluit, ditauitque mundum seipso. quid felicius? De excelso sancto suo, de excelso sanctitatis suae, uertit Felix: quod coelum esse exponunt, in quo felicissima residet uisione coelestis pater, intueturque acta hominum, atque ea iustissimo ponderat iudicio. Tunc demum figmenti misertus est sui, quando Deus homo factus est, & habitauit in nobis. Antea enim toruis, uti solent irati, mortales intuebatur oculis, quippe qui turpissimis inquinati peccatis, diuino indigni erant aspectu: nostra modo aetate placatus respexit de sublimi suae sanctitatis solio, hoc est, de coelo, loco nimirum quietissimo & beato, in terram hanc caliginosam, spinisque ignorantiae circunseptam,

{102.21} Ut audiet gemitus compeditorum, ut solueret filios interemptorum.

Clamoribus plena erant omnia, & eiulatibus. Flebant uniuersa, sed in primis miserorum ad coelum usoque eleuabatur stridor, planctusque inconsolabilis: nec tamen erat qui ueniret suppetias: non erat, inquam, qui inter homines non inquinatissime uiueret. Quo se uerterent inextricabilibus catenarum nodis irretiti? nulla tum erat animorum quies, nullus fidei candor, nulla charitas, nulla pax. Compedes quidem ponderosae nostris iniectae pedibus erant, error, libido, fraudulentia, mala mens, mala uoluntas, ira, auaritia, crudelitas, ac, qua potissimum infecti erant homines, superbia, atque illius iugalis ambitio. Quibus sane malis afflicti, non solum obscuro tenebantur inclusi uitiorum carcere, uerumetiam ipsius mortis nexibus constricti, nullus illis supererat uitae halitus: a Deo enim uitae omnis origine longe errantes, iacebant prorsus exanimati. mirum quam latum tum erat mortis imperium: aduentante uero uita, cessit mors, & facta sunt omnia uiua in Christo, qui uitam habet in semetipso, caetera autem ab illo. Imo uita omnis mors potius dici debet sine ipso, quam uita. Ego certe, mi Lector, uitam illam magis quae mihi communis est cum plantis atque arboribus, eligerem, quam eam, qua caeteris praestant animantibus homines, absque Christo: qui nostras tandem miseratus calamitates, e coelo in terram aspexit propterea, ut audiret gemitus

compeditorum, et solveret filios interemptorum, hoc est, mortuos (hebraismus is est) ad vitam restitueret: & id sane,

{102.22} Ut annuncient in Sion nomen domini, & laudem eius in Hierusalem.

Vt praedicent, inquit, ad uitam restituti nomen Dei in Sion, atque illius laudes efferant in Hierusalem. Secundus hemistichius prioris est expositio. Sion enim & Hierusalem, idem sunt in scripturis, locus utique Deo consecratus, qui Ecclesiae imaginem prae se tulit, quae una est Dei sponsa, quemadmodum unus est baptismus, una fides, una religio, atque unus Christus, nexus nimirum totius corporis in ipso, cuius is caput est, atque incrementi origo & fons.

{102.23} In conueniendo populum in unum, & reges ut seruiant domino.

Est non secus, atque si assereret: Ea quae dixi, felicissimo contingent successu, eum collecti simul fuerint populi, illisque unum fuerit cor & uoluntas. Imo regna ipsa, alioquin excelsa & formidabilia, Dei religionem summissem amplexabuntur, eruntque omnes in Deo unum. Atqui istiusmodi concordis uitae modus & ratio, potuit quidem ob cultus nitorem & maiestatem uideri Hierosolymis: uerum tam imperfecte, ut uix arctissimus orbis angulus, qui in Dei religionem consentiret, inueniretur. In Christo igitur haec erat quaerenda unio, perfectissimaque tum regum tum populorum coitio: a qua si postea desitum est a quamplurimis orbis regionibus ac regnis, fuit, estque impresentiarum terrifica in facinorosos Dei ultio, ac iudicium: quod tametsi obstruum sit, ac plane incognitum, nihilominus aequissimum est, magisque timore dignum quam admiratione. Pulcherrimam porro huiuscemodi mentium concordiam atque unitatem, raram quidem, ac pene, olim uisi sunt referre uoluisse, qui primi coenobia construxerunt quae

{pdf 697, p. 340v}

in immensum adeo, ob spiritus ardorem & fidem, iam creuerant, ut quae diuo solummodo dicata essent Benedicto, septem supra triginta millia, quas Abbantias uocari libuit, uno eodemque tempore extitisse, pontificia referant decreta. Modo uero paucissimum prae illo (ex his dico quae nulli commendatio obnoxia sunt diplomati) conficiunt numerum, atque illa quidem raris habitata colonis, & his omnino & moribus & habitu uariis ac discordantibus. Tunc itaque ea uerae est religionis imago, cum uno uiuitur animo, concordique spiritu & uoluntate alter alterius magis quam propria curat commoda. Id egit Christus, id sua, ubicumque sit, agit sponsa. Qui uero secus agunt, hos, quocumque uestiti sint habitu, ad Ecclesiam minime spectare censeo, quae purissimos, atque adeo unanimes diligit cultores,

{102.24} Respondit ei in via uirtutis suae, paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Hebraeis nulla hic est personae mutatio. Sic illi: Afflixit in itinere uirtutem meam, abbreviauit dies meos. Ut non habeam, inquit, in quo confidam, meam in uia hac uitae

satis per se aerumnosae, pertriuuit uirtutem, elumbemque omnino me ad iustitiam assequendam fecit, praeciditque, cum nihil minus uererer, meae aetatis annos. Vix natus iam perii. Heu uitam fugacem. Verum si cui gratior est litera quam uulgo legimus, sic posset dici: Dominus respondit, & aequo rependit pondere ei, nempe Hierusalem, quod deliquit: & id quidem in uia uirtutis suae: hoc est, prout potens est, ualdeque seuerus in eos qui peccant. Verum tu domine (conuersio animae est ad Deum) ne diutius in sordibus maneam, saltem uitae finem mihi annuncia: hoc quidem cognito, dissipatas forsitan meas curas in unum colligam, mecumque collectas, ac bene cultas, ad te ueniens feram. Vnum oro,

{102.25} Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, in generatione et generationem anni tui.

Persuasio ea est periculosissima, cum quis longam sibi pollicetur uitam, quae tam breuis est, ut umbrae imagini comparetur. Quid illa inanius? uersus mutilus est: deest enim secundum Hebraeos in exordio uersus, dicebam, seu aliquid simile. Unde Paraphrastes: Quare dicam, mi Deus, ne me hinc sustuleris dimidio dierum meorum, cum paucissimi sint. Parui quidem mei sunt anni, aiebat senes ille, & mali. Quid si tunc, cum nihil interim suspiceris, in medio breuissimae uitae cursu interciperis? Si breuissima tota est uita, quid erit dimidium? Orat itaque ne a tam breui re, ut est uita, tam cito rescindatur, sed illam saltem integram usque ad decrepitam transcurrat. Id orat suo more Vates, orantque sancti assidue, ob id, ne breui e uita excisi, breuem habeant laudandi Dei occasionem. Cupiunt quidem diu uiuere in hoc mundo, quo diu uacent Dei laudibus: non quo libidinibus seruiant, aut auaritiae, aut, qua maxime foedatur anima, ambitioni. Sed ex hoc, inquit, non mediocrem me assequutum uideor consolationem, quod anni tui, quibus aliquando fruiturus sum, sempiterni sunt: omnia enim excedunt secula, de progenieque in progeniem aeterna transeunt successione. Atque ut caetera praeteream,

{102.26} Initio tu domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt coeli.

Hauserat Vates a spiritu illud, quod hausit & Moses, cum dixit: In principio creauit Deus coelum & terram. Dauid uero: Initio tu domine terram fundasti & opera manuum tuarum sunt coeli. hoc est, certissima sunt coeli tuae potentiae indicia, quemadmodum certa sunt artificum, quaecumque ipse propriis firmauit manibus. Breuis itaque cum sit uita hominis, idcirco corruptibilis & uaria, eodem quoque afficientur exitu una cum caeteris rebus conditis coeli, quos tu tamen mirabili effigiasti artificio ac prouidentia.

{102.27} Ipsi peribunt, tu autem permanes & omnes sicut uestimentum ueterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.

Sicut indumentum seu pallium mutabis eos, uertunt ex hebraeo, & mutabuntur. Hic aperte a spiritu affirmatur, nouum, marcessente ueteri & pereunte, refundendum esse coelum, nempe totam elementorum machinam, & quicquid supra elementa positum est. Omnino enim mundi huius fabricam interire, quo nouam nanciscatur imaginem, necesse est: alioqui non dixisset Esaias, quod coelum

{pdf 698, p. 341}

tanquam fumus deficiet, & terra tanquam uestimentum senescet. quod porro senescit, aiebat Paulus, prope interitum est. Ecquis unquam dixit uestem ab aliquo mutari, nisi cum priori abiecta aliam induerit? Ecce, ait, creo coelos nouos, & terram nouam, & iam non erit priorum memoria. Donec, inquit Iob, atteratur coelum, cum dormierit non resurget homo. Quod si certe non atterendum esset coelum, prorsusque dissipandum, neque hominem resurrecturum affirmare cogeremur. Interibunt igitur coeli omnes, nobilissimum scilicet Dei opificium, nouamque assumet faciem uniuersus orbis:

{102.28} Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

En quomodo uacillent omnia: Deus uero solus in seipso manens, sui que semper similis, stat fixus atque immotus, semper idem, fortis nimirum, sapiens, immortalis, seque ipsum in se continens, uult omnia continuo circumferri motu ac gyro, & tandem interire. Siquidem more aquae cuncta uno praeterlabuntur cursu, ad interitumque properant uniuersa. Anni uero tui, o Deus, finem sortientur nullum. Sed & tecum

{102.29} Filii seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum in seculum dirigetur.

Commodum, quam longa ueluti periodo circumscripserat propheta, rem tandem absoluit, concluditque piorum animas aeternam adepturas felicitatem cum Deo, qui aeternus est atque immutabilis. Filii, inquit, seruorum tuorum: hi utique quos uitae uerbo Prophetae, Apostoli, doctique alii procrearunt, aeterno tecum aeuo perseuerabunt, habitabuntque, ut filii solent in paternis aedibus, in amoenissimis tui paradysi recessibus, atque umbra, e qua, tanquam aura suavis, perpetuo spirat refrigerio sancti spiritus amor, a quo uita. Id igitur proprium illorum est semen, qui synceram seruierunt seruitutem Deo: is illorum conceptus, is partus tandem, ne omnino Dei filios & amicos, steriles dicas esse, atque quoniam ab re uxoria nonnulli ex illis abstinent, ne dicam horrent, mundo inutiles. Haec sane doctrina, qua filii prope infiniti Deo procreantur, non tantum uerbo ipso & eruditione, quantum uitae sanctitate, ac moribus undequaque modestis & piis, comparatur. Quod si desit eloquentia & literatura in his qui titulo gaudent seruorum Dei, at saltem non desit bonae uitae exemplum, non odor ille fragrantissimus, qui e castae uitae conuersatione, ut e lilio, aut uiola solet, adeo effuse, sparsimque manare consuescit, ut etiam profligatae uitae homines, quibusque nullus inest spiritus, qui uita est animae, stimulus, respirare soliti sint, atque reuiuiscere in Deo. Steriles omnino, hoc est, neque spiritu neque doctrina grauidos, sed inertem potius, atque ociosum ferentes uterum, e quo tandem maleolentis erumpat famae abortio, execratur Deus. Caeterum Dirigetur uerbum, Confirmabitur ex hebraeo quidam transferunt. Paraphrastes uero, in officio continebuntur. Utcunque legere libeat, illud apertum, Dei seruos, atque illorum liberos per Euangelium eo genitos, quicquid agant, prospere agere, confirmarique in Deo, ac innouari: caeteros uero antiquari, marcescere, abiicique a numine ac negligi. De sancti seminis perpetuitate sic de Christo edisserens Esaias inquit: Si posuerit pro peccato animam suam, uidebit semen longaeuum, Hae sunt piorum animae, quae ad aeternae uitae perennitatem ascitae sunt per Christum. Cui laus sit in secula seculorum. Amen.

PSALMVS CIII. DAVID.

{103.1} Benedic anima mea domino & omnia quae intra me sunt nomini sancto eius.

Dulcissimus is omnium uidetur esse psalmus, qui passim coelesti conflagrat amoris flamma. Est hilaris animae de Dei bonitate memoria, & est pulcherrima e coelo elapsa doctrina, spiritusque instructio: in qua quidem, tanquam in lucidissimo speculo, quid sibi in re spiritus faciendum sit, cernunt animae. Istiusmodi sane uis est doctrina spiritus, ut totum ad se rapiat hominem. Idcirco nihil in se seruare debet humanum ingenium, cum coelestia rimanda sunt, atque illa quidem, quae mortalium pene excedunt intellectum. Neque id satis uidetur: nam aliam sibi

{pdf 699, p. 341v}

uindicat partem, quae tunc apparet, quando anima non penitus satis sibi factum arbitratur, nisi & caeteri, suae illius felicitatis, quae omnem superat suauitatem, fiant participes. Hos igitur talibus fere hortatur uerbis propheta, latenterque de se loquens admonet, & quid ipsi agere debeant instruit. O anima, inquit, mea (sic homo in doctrina spiritus eruditus loqui consuescit) quae, uti tua est natura atque origo, ad coelestia conniti debes, tuum lauda dominum & conditorem. Quicquid uirium in te est, quicquid arbitrii, quicquid uoluntatis, quicquid cognitionis, id totum ad diuinum extollendum nomen impende. Quid gloriosius mihi unquam contingere potuit, quam sic uixisse, ut nulla in me uitae pars fuerit, quin tota in te arserit, o Deus? te deperierit tuum honorem ac gloriam, non suam quaesierit? Ergo etiam atque etiam benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. **[103.2]** Retributiones in scripturis non tantum beneficia illa, quae diuina nobis, ob benefacta, rependit bonitas, prae se ferunt, sed ea quoque, quibus nostram praeuenit miseriam & ignauiam. Retributiones igitur sunt Dei dona in te, o anima, sunt illius immensi in te amoris signa. Quid ociaris? quid torpescis? Noli, noli tanta illius munera, tam uastum gratiarum cumulum, tantamque copiam spiritus obliuisci. Proprium id est ingrati animi uitium, cum sis beneficiarius, benefactorem non cognoscere, Noli tu, o anima, utcunque agant caeteri, infinitas illius obliuioni tradere retributiones. Is est enim, ne diu, frustra per uana diuageris,

{103.3} Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tui, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Potes quidem, ut lubet, tuum iactare arbitrium, potes & uires: quid tum? poteris ne ex his candorem ob peccati turpitudinem amissum restituere? Ille enim, non tu, non homo alius, tuo mederi morbo potest. Sanat quidem in te, si quid peccasti, tuisque propitius est reatibus & delictis. Atqui hic uides a quo procedit fonte peccatorum remissio, riuique gratiarum. Certe cum quis onustus est peccatis, a uita quae est in Deo excluditur. Excluso autem caetera illi omnia aduersari necesse erit, sed in primis Deum, qui cum uera animae uita sit, omne horret peccatum, unde et mors. Quare oportet prius animam innouari spiritu, atque a peccati sorde ablui, quam ad Dei dona capessenda idonea sit, asciscatque ad uitam: cuius beneficii capax haudquaquam esse potest, dum durat in

peccatis. Suam igitur non ignorans imbecillitatem & corruptionem, quicquid nitoris in se esse cognoscit, id Deo refert acceptum, aitque.

{103.4} Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus.

Interierat quidem totum genus humanum, nisi diuina subuenisset clementia: secus uero quid nobis opis? quid praesidii? quid uirtutis afferre potuisset Christi aduentus? Vanum id fuisset consilium, uanusque labor, si aut nulla, aut omnino uniuersalis non extitisset mors. Sed & parum forsitan uisum esset hominem ab interitu redemisse, nisi & praemia uirtuti illi praestitae contulisset. Id donum fuit Dei: unde non iniuria est additum, Qui coronat te in misericordia, & miserationibus. Sed misericordia, cum sit una in Deo, illius tamen partes, propter uariam miserendi rationem, effectusque uarios & multiplices, quibus nos tanquam corona, aut chlamyde circumuestire solitus est, miserationes dici possunt. Non contentus enim benignissimus pater, nos uno atque altero miserationum genere perornare, innumeros alios addit clementiae gradus & accessiones: ut nihil aliud fere appetere uideatur, nisi ut occasionem mortalium subleuandi miseriam nanciscatur. Nos plane miseri, ille misericors. Cuius sane rei id est indicium, quod nos sua nequaquam circumsepiet misericordia, nisi nostra undecunque pateret miseria. Is itaque sola est, qui coronat te uariis clementiae modis ac gradibus, o anima, &

{103.5} Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur ut aquilae iuuentus tua.

Non est quidem tam uehemens desiderium, quin statim fiat uoti compos anima, modo diuinarum rerum sit: alio qui res mundi huius perdit, nihil satietatis tametsi ex animo adeptae, illi affere possunt: cui satis nihil unquam facere potuit, quod Deus non esset. Replet igitur, exundareque facit bonorum copia, tua omnia desideria Deus, o anima. Illud caue, ne quid cupias, quod eum non referat: siqui-
[siquidem]

{pdf 700, p. 342}

-dem repletio tua ac satietas Deus est. Eum itaque uel solum expete, & is tuum ad saturandum desiderium mirum in modum sufficiet. Dictionem, quam noster uertit interpres, desiderium, Hebraeis est quibusdam, ornamentum: quod quidem uolunt uigorem illum esse animae, quo leuibus tanquam pennis facillime in Deum eleuetur. Proinde uim illam igneam, quae summo illi est ornamento, exuscitat Deus in anima, suppletque, si quid inanitatis inuenitur aut torporis. Porro de Aquila scribunt doctiores, alitem esse, quae aegritudine aut senio minime occidat, sed fame. Cuius rei ea est ratio, quod rostrum adeo illi in senectute subcruetur, ut cibus capere nequeat. Quomodo uero renouetur, incertum. Ex Hebraeis tamen euolet ignem, indeque, simulac ardentius incaluerit, se in mare demergere, abluereque sese, atque hinc nouas illi pennas subcrescere, & ita in nouam immutari formam, & aetatem. Verum quia haec incognita sunt, apertiora persequamur. Illud pro certo habendum, istiusmodi Aquilae renouatione uoluisse Vatem ostendere, qualis sit ex more in filiis Dei & mens, & animus, vegetus nimirum, perspicax, succique spiritus plenissimus, ardens, uiuax, insomnis: ad haec

uiridis membrorum habitus, & etiamsi senes sint & decrepiti, robustus, ut de antiquis Iudaeorum patribus, nempe Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Mose, atque alis quamplurimis legimus. Quod sane donum nostra quoque aetate, meaque in religione maxima animi iucunditate contemplari soleo. Et ut uita iam defunctos, quorum memoria mihi iucundissima esse solet, praeteream, unum ex uiuis commemorabo, qui octogesimum quintum nunc agens annum, adeo commoda uiuit ualetudine, atque in moderandis nostris rebus prudentia, & animi uirtute, ut nihil uiridioris in illo desideretur aetatis. Is enim quinquaginta adhuc praefuit annis, praeestque etiamnum coenobiis, cum ad hanc diem duodecies totam rexerit molem, piisque sustentauerit humeris. Id oneris tertio quoque anno illi, qui praesidet, demandatur. Ferunt cordatiores, id totum huiusce collegii nostri corpus, una cum illius aetate, tanquam solem cum suo coelo uolui, atque ad occasum properare. Id curent illius uitae aemulatores. Mihi sat est illud a Deo optare, ut aut celerius quam ille, si sic rem contingere opus est, ex humanis decedam, aut uana omnino illorum sit opinio, qui haec uulgo iactitant. Ego enim a copia spiritus, spiritualium rerum diurnitatem metiri soleo, a tenuitate uero interitum. Sed ad psalmum.

{103.6} Faciens misericordias dominus, & iudicium omnibus iniuriam facientibus [sic, patientibus].

Clarius ex hebraeo: Facit iustitias dominus, ac uindicat omnes qui patiunt iniuriam. Apud Hebraeos complures nulla hic fit de misericordia mentio, sed de iustitia seu iustitiis. & est sensus, ut interpretatur Paraphrastes: Iusta sunt quaecumque facit dominus, nec sine summo iudicio premi ad tempus sinet iustos plurimos. Poterat hic caro queri, imo in spiritum inuehi, atque illi oblatrare: Quid me diuinorum beneficiorum memoria obtundis? quid reuiuiscuntiam illam aquilae occultam adducis? quid caeteras adhortationes inculcas, cum pios cernam homines ita atrociter a malis uexari, ut pene illorum oblitus appareat Deus? Crux quidem tota est peracerba, uita proborum in hoc mundo. Haec sentit caro: secus autem spiritus, qui sic suas tutatur partes: Quaecumque erga suos operatur Deus, illa aequa sunt: quid indignaris? an quoniam obstrusa haec cum sint, te omnino fugiunt? Est certe quoddam uitae genus uiuax admodum, ac uirens in anima, quod solus ille, qui bonorum omnium autor est, absque errore cognoscit. Melioribus enim nititur radicibus res spiritus, quam res carnis. Illud cauendum ne cum aduersis iactamur, Deo, qui cuncta iustissimo expendit iudicio, obmurmuremus. Ille quidem est, qui eiusmodi malis, bonis alis longe melioribus quam mala illa fuerant aduersa, compensare nouit. Erigendus est itaque animus, atque, quicquid insidiarum moliantur improbi, ita instituendus, ut persuasum habeat Deum certissimum esse uindicem illorum, qui improborum iniuriis afficiuntur, cum mundoque iniqua conflictantur conditione. Atqui ne noua, nuperque inuenta huiusmodi cuipiam uideatur uiuendi ratio, antiqua est, ut antiqua semper fuit Dei pro hominibus cura atque amor. Siquidem

{pdf 701, p. 342v}

{103.7} Notas fecit uias suas Mosi, filiis Israel uoluntates suas.

De lege ueteri fit mentio, in qua diuinae conscriptae fuere ad bene beateque uiuendum praeceptiones, quas uias hic Dei uocat spiritus, quippe quae illius contestabantur uoluntatem, mentesque uulgi illius a uero iustitiae itinere deerrantes, recta ire praecipiebant. Viae igitur Dei sunt illius mandata, per quae iter est ad beatitudinem. Si uis (inquit dominus Iesus) ad uitam ingredi, serua mandata. Caeterum, uoluntates suas, Hebraei habent, consilia sua, seu studia & opera, ut uertit Felix. quibus sane, quam amantissimus semper nostri fuerit aeternus pater, late omnibus patet. Quocirca infertur:

{103.8} Miserator & misericors dominus, longanimis, & multum misericors.

Vide quam suauiter concentu misericordiae uocem replicat. Sic Felix: Pius & plenus gratia dominus, lentus ira, & magnus misericordia. Hanc Hebraeorum literam eo libentius adduxi, quo minori discrucientur scrupulo in interpretanda misericordiae dictione, ter in hoc uersu posita, rudiores. Magna profecto hic nobis fidei uis additur, cum persuasum habemus Deum, qui res nostras omnes, actiones cogitationesque discussurus est, pium esse, lentumque ad ultionem, atque impense clementem. Neque id aliter posse contingere certi sumus, si tamen illud quoque non nescimus, quod pater est, non hostis & tyrannus. Idcirco

{103.9} Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur.

Si pater est, & is quidem filiorum amantissimus, quomodo sempiterna illius erit in liberorum noxas indignatio, atque ad ultionem commotio? Legis quippe tempore, cum cuncta, etiam in ipso religionis cultu, terrificata essent & formidolosa, neque formidinis appareret finis, uidebatur & Dei ira finem habitura nullum. Visus est tum quidem Deus implacabilis. Verum suo aduentante filio, bona omnia, clementiam maxime & lenitatem, cum illo esse uoluit. Et sane cum filium suum tradidit, quomodo cum illo quoque gratiarum omnium cumulum non tradidisset? Aeternae itaque illius non fuerunt minae, odiique signa in filios: quoniam, ut inquit Moses, Deus est misericors, & clemens, patiens, & multae miserationis, uerax insuper & custodiens misericordiam in millia: quippe qui iniquitatem aufert, & scelera & peccata. Ideo

{103.10} Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Actum de nobis prorsus esse non ambigerem, si Dei ultio ac poena nostra aequaret scelera: si par pari in inferendis plagis referret: si secundum quod meriti sumus, de nobis poenas sumeret. Verum quia misericordissimus est, si praemia danda sunt, ea omne exuperant meritum: si uero mulctandus est quispiam, dici non potest, quantum peccatum attenuet, quantumque inuitus, peneque tractus puniat. Non rependit igitur in infligendis poenis, ut nostrae exigunt iniquitates ac delicta, sed minori illa, quam iustitia (ut sic dicam) requirit, compensat precio, tegi quantum potest, si quid peccauimus. Quod raro agunt animarum antistites & pastores, quibus interdum uolupte est, si quem infamari, palamque traduci audiunt quid si id illi agunt nihil foedius audiri potest.

Neque sane istuc insolitum est Deo quod non secundum iniquitates nostras rependit nobis:

{103.11} Quoniam secundum altitudinem coeli & terrae corroborauit misericordiam super timentes se.

{103.12} Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Nulla quidem maior in rebus conditis invenitur dimensio atque intervallum, quam illud est, quo coelum a terra late dissidet & separatur: uel illo, quod sol ab oriente exiens, properansque ad occidentem, conficit. Id tamen superat Dei bonitas, quae nostrae collata miseriae & pusillitati, altior a nobis fit, abestque longius quam a terra coelum, aut ab occiduis partibus orientales. Imo (pro quanta illius est bonitas) nostra adeo a nobis exacte expunxit scelera, longeque fugauit delicta, ut non maiori intercidatur coeli spacio atque interstitio oriens atque occidens. Magna est colorum a terris altitudo: sed longe maior est illius misericordia, prae nobis, qui peccauimus. Quid uerendum, o qui pusilli estis animo? Nonne in immensum maior

{pdf 702, p. 343}

illius est clementia, quam nostra sit miseria, atque in peccatis procliuitas? Siquidem

{103.13} Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se.

Quis hic amore non colliquescit? Vidisti ne unquam patrem (modo pater sit) filii afflicti non misereri? non illius culpas fere? remittereque, & ne resciscant caeteri, obtegere? Eo itaque modo se Dei erga nos habet misericordia, qua pius se habet pater in aegrotantes filios, aut delinquentes. Cuius quidem rei imaginem pulcherrimo adumbravit exemplo filii illius asoti pater, qui reuertentem ad cor adolescentem non solum amplexatus est, uerumetiam maximis prosequutus est donis. Verum illud animo expendendum, non cunctis id filiis contingere, sed his tantummodo, qui Deum ut patrem metuunt & uenerantur. Ideo a spiritu dictum est, misertus est dominus timentibus se. Hi enim tametsi saepe (quae est mortalitatis huiusce infelicis natura) labuntur, in turpissimosque nonnunquam incidunt errores, attamen boni radices, ob Dei semen insitum, haudquaquam abiiciunt. Signum nimirum deploratae nondum animae, si peccans a genuino quodam morsu, qui cor continuis tanquam stimulis pungere consuescit monitis, non abhorret, atque, ut sic loquar, cum Dei metu, & sui horrore atque odio, peccat, peccatique dispudet. Hos igitur miseratus dominus sua dignatur misericordia:

{103.14} Quoniam cognoui figmentum nostrum, recordatus est quoniam puluis sumus.

Obserua paternum hic animum in filios. Quoniam, inquit, illum, qua nos effinxit massa, terrena nimirum, misera, caduca, fragili, non praeterit, recordatus est quod puluis

sumus, quod ex limo creti, quod debiles, quod infirmi: proinde magna nos lenitate tolerat, fertque humeris. Quid ni ferat? Nam

{103.15} Homo sicut foenum.

Elogium id quidem dignum, quod in aedium frontispicio superborum literis imprimatur aeneis. Demessa certe in pratis herba, mirum quam cito naturalem amittat gratiam & uirorem, dictoque citius in aridissimam collabatur formam. Sic uita est hominis, qui uix in lucem aeditus, ad mortem rapidissimo fertur cursu. Ad haec

{103.15} Dies eius tamquam flos agri sic effloreat.

Homuncio miserabilis, inquit Campensis, foeno in uita sua similis est, & non aliter quam flosculus aliquis ad tempus floreat. Nihil fere in campis tam iucundum aspectu uidetur, quam pratum uariis conuestitum floribus. Ridere uidentur tum omnia, adblandiri que suo domino. Verum ea breuis est felicitas: etenim quam minimo percussa solis aestu atque ardore, perlanguescit illico, totumque illum pristinum exiit honorem & gratiam. Huic igitur tam labili & caducae rei aequiparatur aetas hominis ac uita. In uentos pene antea efflatur, quam apparere incipiat.

{103.16} Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscat amplius locum suum.

Ex hebraeo, Et non cognoscat eum amplius locus eius, uertunt. Spiritus quoque in hoc loco, uentus illis est. & est sensus: Si austeriori uento attactus fuerit flos, marcescet statim, a suoque euulsus culmo adeo in nihilum relabetur, ut ubi egerit, florueritque, ne indicium quidem erit ullum: perinde atque nunquam uixerit, e suo excidetur loco. Putas ne maioris esse diuturnitatis uitam hominis? Ex humanis quidem decedentem uana quaedam subsequi solet inanitas, cui obliuio comes est. quod si tamen memoriae magis umbra, quam reuera memoria interlucet, ea breuis est ac cito desitura. Non subsistet, inquit, non diu erit, non cognoscat amplius locum suum, nempe indignum, de quo memoria ulla esse debeat. Caeterum terrenus ne locus a cadauere cognosci poterit? Id proprium est animae, quae & ipsa si ad aeternam propter scelera coniecta est noctem, humanarum prorsus rerum obliuiscitur, nihilque amplius recordatur praeter suam miseriam, quae cum immortalis sit, immortalis est & ipsa memoria, idcirco perpetuo misera est & aerumnosa.

{103.17} Misericordia autem domini ab aeterno, & usque in aeternum super timentes eum.

Universalis quidem radius est Dei clementia, omnes afflat, omnes ad lumen prouocat, trahitque. Verum non omnium una est uoluntas & arbitrium. Volentibus enim suam impartitur lucem Deus, reluctantes uero abiicit, obfuscaturque magis quam

{pdf 703, p. 343v}

illustrat. Inde est quod nonnulli, etiam ex his qui sapientes uulgo censentur ac sancti, adeo interdum turpiter suis in moderandis rebus hallucinentur, ut nihil omnino tum mentis, tum rationis illos habere iudices obice quidem durissimo, aut superbiae, aut immoderatae persuasionis, molli, puroque spiritus lumini iniecto, quid recti? quid quod aequitatem referat decerni potest? Perstrepunt magis, qui tales sunt, quam leges condunt. Proinde miseri semper sunt, praeterquam quod tandem noti ludibrio uulgo habentur ac fabulae. Vult igitur Deus omnes suum ad lumen inuitari, cogi neutiquam: sed qui pacato sunt animo ac miti, ut plane sunt Dei timore affecti, facile uocanti assentiunt: qui uero turbido & duro, quaecumque insusurrat Deus aspernantur, obmurmurantque ductori. Ergo ab aeternis seculis nullum habuit ortum Dei clementia, quippe quae semper in illo, qui aeternus est, inerat, duratque perpetuo. Siquidem quicquid felicitum in coelis animorum inuenitur, inuenieturque in posterum, a Dei misericordia profectum est: alioqui in coelis, neque angelis, neque hominibus locus esset ullus. At uero tandem quales hi sint, qui uere metuant Deum, subsequens ostendit uersus.

{103.18} Et iustitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum eius, & memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.

Iustitia hic Dei, ut alias annotauimus, perfectissima illius est natura & bonitas, qua condita omnia in lucem sunt aedita, seruanturque, aluntur, atque suo in statu ac natura confirmantur. Quae quidem Dei benignitas cum omnibus praesto sit rebus, particulari tamen modo in piorum animos influit, deriuaturque tanquam limpidissimus fons aut amnis. Ex quo fit, uisque ea spiritus exoritur, qua fulti uiri Dei, quaecumque ipse mandauit ultro amplectuntur, pro uiribusque obseruant: tantum abest ut ullus unquam praetereat dies, aut diei momentum, quo non meminerint, ut illa re praestent, mandatorum Dei. Alioqui diuinarum praeceptionum quempiam memorem esse, uirtutemque illarum non ignorare, atque alios interdum uel disertissime docere, nec unquam quod iussum est exequi, ridiculum uidetur. Ampla igitur est Dei bonitas, duratque in his continue, qui seruant bona fide testamentum eius, pactum nimirum initum etiam in ipso primo ortu cum illo. Nam cuilibet, cum nascitur, lex datur naturae, atque ad Dei notionem quidam instinctus, ac tenax quaedam appetitio: quam postea palam in baptismo quilibet nostrum aperit, profiteturque, ac denuo foedus illud pene deieratum innouat, ratumque habet: Hisce nihilominus sic se habentibus, tum hoc tum illud scinditur, contemniturque a multis. Nulla iam est illorum quae promisimus memoria, fides nulla. Abiecimus legem naturae, scriptam foedauius, innouatam per Christum fregimus, dissipauimus, reiecimus. Proinde quid nobis, oro, subsidii praestare unquam poterit aeterna Dei iustitia ac misericordia, si nos perpetuo miseri esse decreuerimus? Heu quantum me meae pudet, pigetque oscitantiae atque obliuionis Discrucior animo cum in mentem uenit, quod propterea memores sunt mandatorum Dei electi, ut faciant ea, non ut negligant, non ut auro gemmisque perorata ad studiorum pompam exponant, non ut in scriniis otiosa seruent. Et tamen ab ipso legis conditore dici audio, neminem uitam posse adipisci aeternam, nisi qui Dei mandata seruauerit. Illud saltem me pungere deberet, quod

{103.19} Dominus in coelo parauit sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur.

Non terrenum est solium Dei in terris, hoc est, fallax & corruptum, ut fere sunt solia mundi omnia, quibus ius est uenale & aequitas: sed in coelis, ubi omnis abest corruptela, suam firmavit sedem altissimus, cuique regna omnia subdita sunt, paretque illi dicto, quicquid uspiam conditum est. Quocirca, o uos quoque coelestes spiritus, o aeternae mentes, talem adorare dominum, illiusque obtemperate voluntati. Eia

{103.20} Benedicite dominum omnes angeli eius potentes uirtute, facientes uerbum illius ad audiendam uocem sermonem eius.

Est mos his qui aliquid ardentius amant, illud ipsum cupere amari, laudat[ique]

{pdf 704, p. 344}

-tique ab omnibus, quod ipsi amant. Id quidem passim in toto psalmore uolumine Vati contingere cernimus, qui Deum super omnia diligens, omni fere uerbo in illius sese effundit laudes, precaturque caeteros, ut idem gnauiter peragant. Vocat hic angelos, potentes uirtute, tanquam illos, quorum ministerio diuina utitur prouidentia ad res difficiles atque arduas peragendas, ut in ueteri lege uidere est. Facientes uerbum adiicit propterea, quod beatissimi illi spiritus Deo illico obediunt, nihil cunctantes aut deprecantes: ut ignaui solent administri, qui, quaecumque iusseris, obmurmurant & contradicunt. Nihil enim suauius illi habent animi, quam incunctanter parere. Quare additum est, ad audiendam uocem sermo num eius: id est, ut illius statim pareant iussionibus. Non iniuria Paulus hos uocat spiritus flammam ignis: idem Daud, idem & caeteri coelestium rerum interpretes, ob celeritatem, atque ad diuina peragenda iussa ardorem. Norma certe haec est perfectae in Christo obedientiae, atque illius populi: de quo sic pater: In auditu auris obediuit mihi. Monet suos monachos diuus Benedictus, ut expeditis manibus, cum quid iussum est, imperfectumque, quod inchoauerant, relinquentes opus, uicino obedientiae pede iubentis uocem factis impleant: uult enim iuuenes sic promptos esse ad obedientiam, ut uno simul momento, et iussio & opus suam habeant perfectionem. Nouerat enim uir sanctus, illud unum esse remedium ad fraenandam in iunioribus maxime petulantiam animi, atque arrogantiam. Addit etiam, quod si impossibilia factu quoque iniunguntur, agant tamen, ac Dei freti subsidio illa aggrediantur. Illud tamen in negotio spiritus cauendum, ne quid temerarium a superioribus, aut parum sibi constans, aut ambitiosum praecipiat. Quaecumque igitur siue in coelis siue in terris condita sunt, laudate Deum, illique obedite. Ad haec

{103.21} Benedicite domino omnes uirtutes eius, ministri eius, qui facitis uoluntatem eius.

Virtutes eius, Hebraeis est, exercitus eius. ut sit sensus: quotquot sub illo meretis, quique illius consecrati estis religioni, quaecumque fieri uult ipse, perficite, illumque, non uos, aut uestros adulatorie principes, laudate. Coelum, terra, & ipsae quoque inferorum sedes, antraque diuinam testantia iustitiam & seueritatem, illi gratas agite. Quid tandem?

{103.22} Benedicite domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius.

Omnia, inquit, quae aut creando, aut redimendo, aut seruando, sapientissimo formauit reformauitque consilio & prouidentia, siue in coelis, siue in terris, in loco nimirum dominationis eius, estis, dominum tam pulchri opificii effectorem extollite, ab illiusque laudibus non cessate. At tu uero in primis admirabili suae bonitatis munere ditata, peneque gratis obruta,

{103.22} Benedic anima mea domino.

Qui pater tuus est ac consolator. Cui laus sit atque imperium in secula seculorum.
Amen.

PSALMVS CIIII.

{104.1} Benedic anima mea domino, domine Deus meus magnificatus es uehementer: confessionem et decorem induisti.

Idem pene huius psalmi est argumentum, quod superioris: nempe Dei bonitatem & prouidentiam in rebus conditis cerni posse: idcirco ab omnibus coli debere. O si spiritus Dei suauitatem pernoscerent homines, quam ex animo cordis duritiem perhorrescerent. Insanio interdum cum uideo totum fere orbem in id consensisse, ut relicto Deo, cuius cognitio ex his quae facta sunt hauriri potest & comprehendi, in imis potius commarcescat, uiuatque adeo attonitus, ut propemodum nullam prouidentiam in coelis esse opinetur. Quod si falsus sum, unde, oro, tanta uitiorum errorumque illuies? unde amor mundi? Terrenarum quippe rerum uisco praepediti homines, atque nonnunquam hi, qui sanctimoniae formam prae se ferre deberent, nihil altum contemplari queunt quocirca peruerso omnia ordine fieri conspiciamus. Nullus in terris iam probitatis locus est, nullus

{pdf 705, p. 344v}

iustitiae, nullus religioni: omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi, non quae proximi, non quae suae salutis. O uanas hominum curas. Animus ne coelestis beatitudinis capax ac particeps, eo se habet modo in terris, ut nihil, quam si in pecude, excellentius in se esse ostendat? Verum ut caeteri sua in causa conniueant, aut caeci sint, hic meum audire Iesum mihi libeat, qui meam non ignorans naturam (melius dicerem naturae corruptelam) quod mihi quotidie dicendum est, de se ipse dicit: Benedic anima mea domino. De benedictionis uoce non raro in superioribus diximus: hic enim pro praedicare puto positum. & est sensus: Praedica, seu lauda anima mea dominum, illique, si quid boni in te est, adscribe. Si quid deinde decoris, aut quod diuinam in hoc mundo referat sapientiam, deprehendis, fer illi acceptum: siquidem pulcherrimae huiusce machinae mundanae ipse effector es ac conseruator. Dic igitur, o anima mea, ac quanto potes maximo atque ardenti clama affectu: Domine Deus meus magnificatus es uehementer, confessionem & decorem induisti. Hucusque Hebraeis primus est uersus. En quae de Deo anima rebus coelestibus assueta, cantare debeat:

Domine, inquit, imo Deus, qui cum uniuersalis sis omnium, meus tamen ob gratiam, quam in me esse cognosco, factus es, quam sublimi euectus es magnificentia: nam gloriosus cum sis ab aeterno in coelis, nulloque humano in moderandis rebus egeas praesidio, sed in te manens perpetuo felix sis ac beatus, gloriam nihilominus eandem, decoremque & laudem ex his quoque quae condita sunt, ostendi uoluisti. Quare ipsa tuae gloriae pulchritudine ac maiestate tanquam chlamyde uestitus, undique conspicuus appares. Quam quidem rem, quo explicatior fiat, sic singulatim digeram. In primis enim

{104.2} Amictus es lumine sicut vestimento, extendens coelum sicut pellem.

Sicut cortinam, vertunt ex hebraeo: seu tentorium, ut Paraphrastes. Mira haec res est: ut enim Vates Dei maiestatem, qua nihil stupore dignius, ob oculos poneret, facit eum lumine, nempe rerum coelestium ornamento amictum, coelumque ipsum, intra quam sedeat, expansam ueluti cortinam, substratum. Sunt qui uerba haec ad ductiles scripturae sensus referant, qui ut pelles solent, extendi queunt quod ut pie approbo, ita inepte exposita in scripturis non facile admitto. quanquam scio cortinae instar aureae diuinam esse legem, in qua Christus, uti sol splendidus & admirabilis, suum posuit domicilium: quamque ad piorum refrigerium & consolationem expandi sua in Ecclesia uoluit, tendique funibus ex serico hyacinthinis, coccoque & bysso. Cuius rei imagini tunc praeluisse uisa est cruenta illa corporis Iesu in cruce extensio, certa nimirum bene institutarum mentium refocillatio ac solamen. Sed hi uideant quorum interest, ne inepte, dum sacram legem pro expansa pelle esse sibi somniant, Christi corpus dilanient. proque Dei filio, Chimaeram, aut aliud effingant monstrum. Os, inquit, eius non comminuetis. Tu enim es, non nostra temeritas, o Deus, qui extendis coelum sicut ornatissimum tentorium, &

{104.3} Qui tegis aquis superiora eius, qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.

Vides hic supremas regiones coelorum aquis tegi, & tanquam tabulato cooperiri. Verbum enim quod noster uertit interpres, tegis, uult Felix ex hebraeo signare, contignationibus praemunire. Unde ex eodem fonte sic reddit quidam: Contignas in aquis coenacula tua. Vult porro aquas pro nubibus poni, cum nihil aliud sint nubes, quam crassities exhalationum conuoluta, quae imbrium gignendorum uim habeat: quocirca & nubes pro aquis interdum in ueteri maxime testamento legi. Qui ponis nubes ascensum tuum, id fere uult, atque, qui uteris nubibus pro vehiculo. Unde sic ex hebraeo uerti poterat: Nubes in currum tuum aptas, alisque uentorum aurigaris. Volas, ait Paraphrastes, uelocius quam si alas haberes ex uento, nempe incredibili uelocitate & cursu. Huiusce quidem rei facies tum cerni datur cum coelum atris obuolutum nubibus, raptimque a uentis agitatum, scissumque fulgetris [sic] ac tonitruis, ad terras ferri uidetur. Nullum tam durum est cor & ferreum, quod diuinam tunc ostendi potentiam non fateatur, exclametque illam Dei manum esse, quae horrendas illas coelorum commotiones cieat. Tu es igitur qui ambulas, cir-
[circumque]

-cumque ueheris perinde ac si uentorum pennis indutus esses. Tu, inquam, es

{104.4} Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.

Hic uentos intelligas, qui nunc huc nunc illuc, ut uertit Campensis, iussu Dei perflant, conuoluuntque quaecunque nacti fuerint obuia. Volunt item ignem urentem ignita esse fulmina, quorum ministerio diuina utitur prouidentia ad terrorem orbi incutiendum. Solet enim Deus istiusmodi uentorum impetum, tanquam nuncios, atque irae suae legatos, in impios, ut olim in Sodomitas atque Aegyptios actum fuit, immittere. Diuus Paulus hunc locum de spiritibus angelicis interpretatur, Hebraeis scribens: Quos quidem spiritus, suos uoluit esse angelos, hoc est, nuncios, Deus, suaque ad peragenda iussa delegauit. Quomodo uero urens ignis sint, alias diximus. Quocumque enim destinant, siue hi boni sint & elices, siue miseri & mali, secum ferunt ignem, hi quidem diuini amoris, illi libidinum & poenarum. Proinde igneam quandam in angelis uim esse arbitror, quam sedulo ex diuina hauriunt contemplatione, concipiuntque in sese, ut hi quoque in terris afficiuntur, qui ex assiduis cum Deo colloquiis & amicitia, quae ex usu oriri solet contemplationis, e limo ac terra in igneam ferme transierunt naturam: illam dico, quae ab amore profecta, diuina potius quam humana appellari potest. Verum alio flammaram genere exusti, ad illum caecutimus ignem, qui ministros suos facit ignem urentem.

{104.5} Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi.

Sunt qui ex hebraeo uerba ea omnia, fundasti, facis, ponis, induisti, tegis, per tertiam personam legunt: sed sensui non officit. At quomodo, quoue artificio aut miraculo terra fundata sit, in psalmo alio exposuimus, subiunximusque, philosophis illis potius, qui Dei spiritu afflati, ut fuit Iob, locuti sunt, adhibendam esse fidem, etiam in his infimis rerum diffinitionibus, quam inflatis illis in Lyceo aut porti cibus deambulantibus, qui ui potius, & audacia ingeni, quam spiritus sancti ductu & calore, uarias in orbem adduxerunt haereses: quibus innixi, nullaque certa instincti persuasione, quicquid de rerum origine, motuque & uita, opinati sunt, mandarunt literis. Super se itaque, seu, super nihilum, ut ait ille, fundata est tellus: quod sane tanquam rem absurdam audire horret philosophus. Verum illud miraculo dandum, quod tam immensa terrae moles nullo extero fulta subsidio aut fundamento, perstat immota, nec inclinatur in seculum seculi, hoc est, non mouebitur loco ullo unquam tempore. non id tamen prorsus incredibile: nanque pro fundamento terrae, Dei est uoluntas, ut magnus asserit Basilius. Insuper

{104.6} Abyssus sicut uelamentum amictus eius, super montes stabunt aquae.

Eius, ad terram refertur. Sic Felix: Abyssonem ueluti uestimento operuit eam, nempe terram, quam hic Vates totam initio obtectam aquis fuisse affirmat. De congerie quidem illa confusa, moleque indigesta, quam dixere Chaos, mentionem hic fieri duco, qua tanquam ueste res omnes in lucem edendae opertae fuerant. Vnde additum est, montes quoque aquis coopertos fuisse. nisi forsitan de diluio Noe, quod terram totam inundauerit, malis intelligi. Ut uis, haec omnia diuinam atque adeo aeternam testantur

potentiam, quae si iusserit, ut inquit Paraphrastes, supra montes stabunt aquae, decrescentque. Unde infertur:

{104.7} Ab increpatione tua fugient, a voce tonitruui tui formidabunt.

Ex hebraeo, praecipitatae sunt, seu festinabunt, nonnulli transferunt. Vocatque Vates iussionem illam Dei, qua dictum fuit, Congregentur aquae uniuersae in locum unum, & appareat arida, increpationem, uocemque tonitruui, qua congeries illa aquarum coacta, tepide, ut solent res animatae, festinanterque in unum coiuit locum. Ex quarum quidem abitu, ecce subito

{104.8} Ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis.

Aquis enim decrescentibus, in uastoque collectis Oceano, tum uisi sunt montes quodammodo ascendere, uallesque subsidere, atque aptam suae naturae delegisse sedem, Non campi legunt Hebraei, sed ualles. Iam illud mirum, quomodo inter aquas posita non obruitur terra, tametsi continua exagitetur undarum sae-
[saevitia]

{pdf 707, p. 345v}

-uitia atque ira. Ea tua est uirtus, o altissime, qui illis

{104.9} Terminum posuisti quem non transgrediuntur, neque conuertentur operire terram.

Non reuertentur, inquit, amplius, quo terram inundent atque operiant, ut prius: quandoquidem fraenum illis iniecisti, praescripsistisque limites, quos ultra progredi nequirent. Hucusque, inquit spiritus, tuus erit cursus atque conatus, o Oceane. Occultissimum id est mysterium, quod tam diligenter hic de aquis habet sermo. Ex aquis enim emersa est uita, atque mortalium exorta est salus, postque e lacero Christi latere dulcissimus tum aquae, tum cruoris effluxit riuus, quo ablutae animae sunt ac depuratae. Sed de his satis. Ad te redeo, o rerum omnium effector, molitorque,

{104.10} Qui emittis fontes in conuallibus, per medium montium pertransibunt aquae.

Inter miranda, addo & amoena Dei opera, quae in terris conspiciuntur, illud suauissimum semper obuium est, quod ex fontium, anniumque usu & oblectamento promanat. Quid prospectui amoenius, quam e sublimi montium fastigio uidere fontem tam celeri ad ima ferri cursu, per camposque diffundi, ac tandem in amnem desinere, ut pene in illud conniti uideatur, quomodo usui quamprimum humano commodus sit? Atque has quidem in primis aquarum fluxiones inter montes interdum inaccessos uidere licet. Quis tantae unquam commoditatis autor esse potuisset nisi Deus? nisi coelestis parentis autoritas ac potentia? Tu igitur is solus es, o Deus, qui e montibus fontes in

ualles, locaque humilia demittis deriuasque, & ut commodiorem nanciscantur transitum, per montes illis ingentes profundosque dedisti aditus. Vnde

{104.11} Potabunt omnes bestiae agri, expectabunt onagri in siti sua.

Extinguent onagri sitim suam, uertit Felix. Vide uniuersale aquarum beneficium, quae locis etiam inuiis, atque animantibus ab humano consortio abhorrentibus, abunde suppetunt: ut fere sunt onagri, qui naturaliter solitudinis appetentissimi cum sint, arentes incolunt regiones & solitarias. Et id quidem diuinam auget bonitatem, quae ne uel in horridis quidem atque inhospitis solitudinum locis deesse potest, quin aquas feris quoque indomitis late largeque suppeditet. Ait onagram (agrestis is est asinus) propter locorum ariditatem, perenne sitire: eam ob rem illorum sitim pro ardenti poni desiderio. Ita de illo Hieremias scribit: Onager assuetus in solitudine in desiderio animae suae attraxit uentum amoris sui. Iob rursus de syluestro illius more loquens, ait: Contemnit multitudinem ciuitatis. Puto hanc feram animi diuini amoris percupidi prae se ferre imaginem, cui nihil in terris iucundum esse potest, praeterquam in ocio ac quiete cum Deo colloqui: quod inter turbas ac strepitus haudquaquam fieri posse hi norunt, qui inuiti mundum hunc tumultuosum habitant: proinde nihil tam sibi officere experiuntur, quam in frequentia hac maxime tempestate uiuere, in qua illa plerunque audiuntur, quae Deum a corde eximunt, mortemque, uel cum non aduertis, inferunt. Expectabunt igitur onagri in siti sua. Quid expectabunt? Dei certe subsidium, quod sanae omnibus ubicunque degunt, non potest non praesto esse creaturis.

{104.12} Super ea volucres coeli habitabant, de medio petrarum dabant voces.

Super ea, nonnulli uertunt, iuxta illos, nempe onagros. quanquam, ea, quo legi potest, & refertur ad flumina: de quibus sic Vates secundum quorundam uersionem: Qui emittit fontes in flumina. Verum, illos, ad fontes refero. ut sit sensus Super amoenas fontium ripas, teneris in ramusculis, aut dura in silice, suos figentes nidos coeli aues, e medio frondium, aut e saxis concauis suauissime cantitabunt. Nullus tamen, quod sciam, ex hebraeo transfert, de medio petrarum, sed, de medio frondium, aut, e frondibus. Cernis ne? (o cor stupidum) cernis ne, inquam, quomodo pulcherrimam uniuersi structuram tam uariis perornauit rerum etiam minutarum commodis, ut plane nulla adeo obstrusa illius sit pars & incognita, in qua admirabilis non eluceat Dei sapientia, atque in mortales charitas?

{104.13} Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra.

De superioribus suis, verti poterat, ex nubibus, vel aethere suo: & erit sensus clarior. Etsi enim e largo imbri & pluuiis, totam irrigari terram uidemus, & foecundari [foecundari]

{pdf 708, p. 346}

dari: hic tamen montium nominatim meminit, propterea quod montes natura inferaces sunt & steriles, ut ex rei difficultate maiorem in Deo esse potentiam agnoscamus: nanque excellentioris uidetur esse uirtutis, saxa aut arenam glaream imbre edomare, quam terram pinguem & cultam. Montibus itaque una cum campis ad usum edomitum humanum, uarii aeduntur fructus, quorum ope quicquid fere animantium in terris degit enutritur. Unde non absque ratione dictum est, De fructu operum tuorum satabitur terra: id est, ut interpretatur Paraphrastes: Ex abundantia frugum, quae opera tua prouenient, saturabuntur quaecumque degunt in terra.

{104.14} Producens foenum iumentis, & herbam seruituti hominum, ut educas panem de terra.

Iam commoda, quae propter pluuiam proueniunt in campis, ut fere sunt, herba, gramen, fruges, uinum, oleum, & id genus alia, narrare incipit: primum de his quibus aluntur pecudes: id foenum est, quae propria est iumentorum pabulatio, cum adhuc in pratis conuirescit: excisum uero, ad stabulamentum attinet. Quae deinde sit herba, quae humano conveniat usui, puto illam esse quam in sudore uultus parandam esse condixit Deus. Unde sic reddit Paraphrastes: Prouenire facit sua sponte foenum in usum brutorum animantium, & ad culturam hominis reliquam segetem. Quare actutum adiicit, ut educas panem de terra: huc enim tendit labor omnis agrorum, ne desit panis. Felix tamen interiecta comma post herbam, seruituti hominum interpretatur, ad culturam hominis: ut sit sensus, Deum ad uictum animantium suppeditare foenum & herbam, cultura hominum.

{104.15} Et uinum quod laetificet cor hominis, ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.

Simpliciter, quae hic de uino dicuntur, intelligenda esse censeo. Siquidem modeste haustum, cor mirum in modum recreat: immoderate uero, obnubilat & obtundit. Caeterum quod faciem ex oleo splendida fieri dicit, ad priscum unguendi morem attinet. Creber enim ac celebris in conuiuuiis maxime is usus fuit, nec uituperandus quidem: alioqui Christus nunquam Pharisaeo illi obmurmuranti, quod sibi caput non unxisset, exprobrasset. At uide Dei beneficentiam: non contentus enim necessaria uitae humanae praestitisse, addidit & illa quae deliciis magis quam necessitati conuenire uidentur: ut sunt fere odoramenta, atque preciosorum unguentorum, suffituumque usus. In his quidem, ut in caeteris, habendae sunt gratiae Deo, non noster quaerendus luxus & libido, ut nunc fit. Eo quippe iam nostra processit mollities, ut scortis potius ac lenonibus is usui sit mos, quam pudicis matronis, atque illis quidem uiris, qui nullum alium tam gratum cognoscunt in terris odorem atque unctionem, quam illam quae ab arbore uirtutum copiose defluit, atque in animas deriuatur. Nihil enim tam sanctum unquam institutum fuit a patribus, quin statim a filiis deprauatum fuerit & corruptum: ut is est usus odoramentorum, uinique, & earum rerum omnium, quae recreandae naturae humanae causa inuentae sunt. Inculcat iterum de panis commodo in calce uersus. Pene sibi uisum fuerat de tam utili re pauca dixisse: ideo simulac suas dedit laudes uino, atque pigmentis, statim addidit, cor hominis, utpote fons uirium, ac receptaculum, panis esu consolidari. Nullum profecto cibi genus est, quo uires hominis fortius reficiantur, quam pane, orbi fere toti communi & necessario. Vis porro illa panis

in alendis canibus incredibilis, quam laude digna sit, illud est indicium, quod aedes illae quamlibet regiae, ac domini prope infiniti, in quibus abusus iste est turpissimus, nullo reguntur uitae modo, qui laudandus sit: nanque inter canes enutriti, caninos de more induunt affectus homines. Sed ad institutum. De alio hic pane dici, quam sit iste corporeus, nonnulli existimant: & pie quidem, nam illo corpora, hoc uero animae refocillantur: uterque tamen Dei donum est immensum. Sed de his alii: nos, ut diximus, ad institutum reuertamur. Ad omnia ferme singillatim enarranda commoda pluuiiae pergunt Vates, atque ait, quod ex superna aquarum irrigatione

{104.16-17} Saturabuntur ligna campi, et cedri libani quas plantavit, illic passeret nidificabunt, erodii domus dux est eorum.

{pdf 709, p. 346v}

Ligna campi, uertunt nonnulli, ligna domini, hoc est, ligna excelsa. quae enim Dei sunt, sublimia sunt, atque ingentia: ut cedros esse aiunt, quae in Libano monte uastae admodum proceritatis conspiciuntur. Unde additum est, quas plantauit hoc est, ut interpretatur Campensis, tam alte crescunt, ut ipse uideri possit plantasse illas. Parum quidem tam altae moli arborum conferre posset hominum opera, nisi Deus occultissimum naturae alimentum subministraret, eueheretque ad illam, quam cernimus, altitudinem. Pulcherrimae eae quidem sunt aspectu, & delectabiles: cui tamen iucunditati non parum addunt decoris auium cantus, quae in illis nidificant. Proinde dicitur, illic passeret, seu melius, ut plerique ex hebraeo uertunt, uolucres nidificabunt. Caeterum ultima pars uersus subobscura uidetur, quae tamen ex hebraeo dilucidior est Sic illi: Ciconiae domus abietes. Solet enim id genus uolucrum in aeditioribus locis nidum struere, ut sunt abietes, orni, cupressus cedri, fagique, immensae proceritatis arbores. Verum quid sibi uelit, dux est eorum, uix auguror, uel eo maxime, quod nullus ex hebraeo, quod sciam, legit dux, sed abies, ut dixi. Ciconiae, inquit, domicilium abies praebet. Quod autem pro erodio seu ardea, ciconiam uertunt, non multum interest quam uocem approbes, modo id non ignores, utranque auem aedita, ubi nidificet, loca deligere. quanquam haud scio an rupes magis & saxa eligat quam arbores ardea, genus nimirum accipitris, uelocissimi uolatus, ac praedae infestissimi. Putant quidem auem illam esse, quam uulgo falconem appellant. O stupendam certe Dei prouidentiam. Vide quid sequitur:

{104.18} Montes excelsi cerui, petra refugium erinaceis.

Tam sollicitam de his quoque rerum minutiis curam habet Deus, ut uel ipsis beluis ac feris parauerit, quo, si quid aduersi senserint, confugiant. Cuiusmodi sunt cerui, damae, capraeque syluestres, quae cum timidae natura sint, excelsioribus gaudent locis: erinacei uero & cuniculi, rupibus & cauernis. Montes igitur excelsi refugium sunt ceruis: petrae autem erinaceis, uiperis, atque aliis huius generis animantibus. Non hic silebo, refugium erinaceis, hoc est, spinosis mentibus, Christum, qui petra dicitur, suppeditare. Felix qui in corde Christi, ubi amor habitat suum habet nidum: felix erinaceus, felix cuniculus, qui in rupe hac tuta inaccessaque hostibus, suos alit foetus, qui sunt casti animae conceptus & affectiones. Is itaque tam potens dominus, inter admirandas suae sapientiae operationes,

{104.19} Fecit lunam in tempore, sol cognouit occasum suum.

Mos erat Hebraeis, secundum lunae cursum cuncta distinguere ac numerare idcirco lunam in tempore, seu propter tempora, ut uertit Felix, factam esse asserit. Fecit, inquit Campensis, lunam certis modis & temporibus mutabilem. Sol uero suum nouit repetere occasum tali absque mutatione. Luna porro, ut uidemus, continuis circumfertur motibus, atque alternis agitur gyris, ut nunc eam pleno orbe intuearis, nunc uacuum omnino, atque inanem. Sol uero uniformiter ab ortu ad occidentem properat: quippe qui eisdem semper ornatus radiis, eo, quo nobilissima illius impellit natura, quotidie fertur, perstatque sui semper similis & concors. Caeterum mirum quam etiam nunc nostris inseruiat actionibus lunae motus. Si pharmacum dandum est, si eruendus e uena sanguis, si arbor incidenda, si colligendae sunt uuae & fruges, ad lunae subito recurrit deliquium, oppositionem, coniunctionem, pallorem quoque atque obscuritatem. Haec sane omnia recte fieri non est qui ambigat: longa enim rerum experientia deprehenderunt mortales, seruandas omnino esse in istiusmodi rerum actionibus, imo etiam in colligendis conchis in littore, aut cancris & ostreis, lunae permotiones. Aiunt quidem ostreas, atque id genus conchas, senescente luna inuberes esse, macras, tenues, exustas: crescent uero, spondylos habere perpungues. Verum lunae cursum obseruare in his quae ad animum attinent, stultissimum uidetur: ut in conficiendis quoque itineribus aut induendis uestibus & similibus quae superstitionem magis referunt, quam pietatem. In hisce quidem rebus, quae ad religionem spectat nulla nobis cum re animo humano inferiori, debet esse communitio aut necessitas.

{pdf 710, p. 347}

{104.20} Posuisti tenebras & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiae syluae.

En aliud mundi ornamentum. Ut enim nox in multis usui sit hominibus, est quoque commodo non mediocri feris, quae metu hominum per diu in antris, densisque nemoribus latitant. Talis, inquit, tua est prouidentia, ut positus, iussisque a te tenebris, fiat statim nox: cuius beneficio sylvarum bestiae, quae hominum causa latuerant, e latibulis exeant. Quin etiam

{104.21} Catuli leonum rugientes ut rapiant, & quaerant a Deo escam sibi.

Clarius ex hebraeo: Catuli leonum rugiunt ad praedam. Ea est leonis consuetudo, ut praedam nactus saepe rugiat. Verum suo more etiam ferae uictum a Deo quaerere uidentur, & si ulla illis est cognitio, Deum suum esse altorem agnoscunt & uenerantur. Quaerere quidem escam a Deo eas crediderim, cum suo illo utentes naturae ductu, affectibus inseruiunt sibi ingeneratis: quorum is unus est, quod

{104.22} Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.

Perinde est ac si dicat: Iterum oriente sole sese turmatim recipiunt, quasi cogente natura, in antra, ut noctem rursus expectent. Instinctum illum quidem naturae in feris,

quo se per diem a luce subtrahunt, non tantum illarum datum esse causa arbitror, quantum hominis, qui libere in agris esse posset, uel inermis. Quocirca additum est,

{104.23} Exhibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad uesperam.

Videtur terrae usum communicasse cum feris homo, ut illae quasi hominum timori consulentes interdiu conquiescerent, nocte ad praedam exiturae: homo uero nocte quieturus, diem in negociis ac laboribus consumeret. Atqui hic mihi comprehendisse uideor, tanquam gemmam auro insertam, secretum quoddam diuinum in uersu hoc uere aureo interluxisse. Nanque illud Seruatoris dici arbitror: Exiui a patre, & ueni in mundum. En quomodo exiuit homo ad operationem suam usque ad uesperam, nempe synagogae: nam simulac Christus patris opus, quae est fides, exequutus est in terris, desit synagoga: qua extincta, iterum, inquit, relinquo mundum, & uado ad patrem: ubi aeterna nunc sedet in caligine, quam eandem esse cum luce illa existimo, quam Paulus inaccessibilem appellat: de qua, tanquam a uento tenui, illud insusurrari audio, Operamini opus Dei, Haec itaque ac altiora, puto, in hoc loco cum pergustasset sanctissima Vatis anima, exclamauit:

{104.24} Quam magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.

Quam magna, inquit, quam honorifica, quam admiranda, subindeque elegantissima uarietate distincta sunt opera tua domine. Summa illa effecta sunt sapientia & consilio: tuque solus is es, in cuius conspectu nihil, quod casu fiat & fortuito, inuenitur, sed omnia propria tua sunt, tuaque in potestate perseuerant. Tuae tandem potentiae ac dominio tta, quanta est, subiecta est tellus, illiusque ornatus, & commodum. Quod sane hactenus, ut potui, stylo sum persecutus: nunc uero quid commodi, quid ue indicii tuae afferat potentiae mare, explicabo. Et quidem

{104.25} Hoc mare magnum & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis.

Solet scriptura res conditas uniuersas trifariam partiri: in coelum, terram, mare. Et quia Vates de Dei uirtute & potestate, quae cum in coelorum ornatu, tum in terrae commodo atque utilitate resplendet, nonnihil dixisset, easdem non minus in mari, propter animantium uarietatem, sed in primis ob uastam cetorum molem, nauigandique peritiam, cerni posse scribit. Miratur itaque Vates, quo rerum miraculo id fiat, quod hoc mare tam magnum sit ac latum, ut res fere mundi uniuersas manibus ulnisque amplecti uideatur. Hebraei tamen non manibus, sed spatiis, transferunt. Vtrunque maris capacitati conuenit. Sic Paraphrastes: Hoc ingens mare cuius littora tanto a se mutuo distant spatio, innumerabilem habet piscium multitudinem. Pene quidem infinitae sunt piscium species in mari. Volunt enim nihil in terris gigni, quod idem in mari non sit, nedum animalia ac plantae. Sunt, inquit, in mari reptilia & belluae, quae carent numero, siue mediocris hae sint magnitudinis, siue inusitatae.

{104.26} Illic naves pertransibunt.

{pdf 711, p. 347v}

Nonne id miraculo persimile, tam periculosum procellosumque aquarum elementum, lembo uix tribus compacto asseribus traici? Quis porro artem illam admirandam nautarum, ordinemue, atque ad numeros commotam turmam, funesque & anchoras in mare eiectas leuatasque, ingens nimirum pondus, enarrare sufficit? Maximum id quidem Dei potentiae est argumentum: qui tamen ut maximarum rerum autor est, & conseruator, ita nostris interdum iratus delictis, mutat consilium, resque illas quae usui datae sunt homini, in illius uertit exitium: ut nuper Christianorum classi contigit, quae in Cirtae obsidione posita, Algirium nunc uocant, tam ingenti disiecta est tempestate, ut centum onerariae desideratae sint naues, triremes quatuordecim, mediocris uero magnitudinis pene absque numero. Et id quidem in obsidione hostium Christi, Christiani passi sunt. O incomprehensibile Dei iudicium. Unde haec strages o Caesar? Vis ne dicam unde? Ab auarissimo certe orbis dominio, crudelique imperio, & superbo. Heu sortem nostram miserandi. Non est quidem tam bene institutus populus, atque hominum conuentus, cui non praesit rex aut princeps auarus, aut crudelis, aut superbus, aut his tribus simul colligatus funibus & catenis. Si Italiam peragro (ut facilis meae professionis hominibus mos est, quam uero laudabilis, dii nostri uideant) nihil quod sanum sit uideo, nihil non corruptum, non uenale, non cupiditatibus obnoxium, non saeuissimum. De aliis item orbis regionibus idem sperare audeo. Si hae Dei iniuriae non sunt, quae aliae sunt? Verissimum igitur est, quod mare hoc magnum mundi tantis pene refertum est uitiorum monstris, ut stellas numero superent. Et cum sic se res habeant, dirae nimirum & intolerabiles, additus est etiam Ottomannus,

{104.26} Draco iste quem formasti ad illudendum ei.

Ludens in eo, seu, ut ludat in eo, aut rideat in eo, mari scilicet, ex hebraeo uertunt: ut interim de serpente illo callidissimo, qui Euae illusit, fecique uafere admodum imposturam, nihil dicam. Sunt piaae meditationes, sed quae nihil hic interim. Alius est sensus, is nimirum, quod bellua ingens maris (cetum alii uocant, alii leuiathan, alii uero draconem) tanti sit roboris & saeuitiae, ut merus illi sit lusus & iocus per undas spaciari, perindeque reliquos insectari piscium globos, ac si illorum esset rex & princeps. Ipsi ceto, uertit Campensis, eas uires tribuisti, ut ridere audeat, & contemnere reliqua, quae degunt in mari omnia. Sic uerti poterat ex hebraeo: Leuiathan, quem formasti ut rideat in ipso, hoc est, in mari: quoniam aiunt illum, ut reddit Felix, caeterorum piscium dominum esse. Is daemonis prae se fert imaginem, cum crudelis sit & inexorabilis: de quo ita Iob loquitur: An extrahere poteris Leuiathan hamo? nunquid multiplicabit ad te preces? nunquid feriet tecum pactum? Ecce implacabilem daemonum morem: ecce tyrannorum naturam, aereque duriorem cum caeteris consuetudinem. Fit deterior daemone homo superbus, qui ceto immanissimo belluarum comparatur, cui lusus sit minutioris gregis homines suppeditare. An uero hasce sibi uindicauerit partes, uindicetque in praesentia superbissimus Turca, norunt omnes, sed in primis Caesar, qui cum, iniqua fere conditione, perpetuum est negocium. Nec minus quam arrogans sit, continuis experitur praeliis illius frater. Sed caeteris acerbius Veneti, quem sibi sempiternum fore malleum, ex his quae hactenus passi sunt, diuinare possunt: atque adeo id maxime, quod ipsi inter sese non syncere res tractant publicas, ut nuper actum

est. Nam qui primus a secretis erat senatui, inuentus est (scelus) cum Ottomanno ipso consentire secretaque illi senatus detegere: qui tamen deprehensus meritas luit poenas. Siquidem inter columnas illas nobiles atque excelsas, quae in uestibulo templi diuo Marco dicati mira cernuntur magnitudine, laqueo illi cum nonnullis ex coniuratis gulam fregere. Damnum autem propter illorum perfidiam suae allatum reipublicae quis restituet? Verum ad benignitatem tuam enarrandam reuertor, o Deus: nanque

{104.27} Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore opportuno.

Hic fere est epilogus, atque eorum, quae in superioribus sunt dicta, peroratio. Omnia tandem, inquit, quae tu sapientissimo formasti consilio, quemadmodum a

{pdf 712, p. 348}

te condita sunt, ita a te, ut illis des cibum naturae cuiusque consentaneum, idque suo tempore, praestolantur, vivuntque spe ea fulta. Quae enim ad animantium commotum & uitam praeparasti, ea illo, quem tu sanxisti, perseuerant ordine, seruantque temporum rationem, ut alia plane re in aestate utendum sit, alia in hyeme uereue, aut autumno. Certe

{104.28} Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.

Haec sane ad utrunque uitae genus attinent. Quaecunque enim expetunt homines, quae ad usum uitae, tum carnis, tum spiritus faciunt, ea a Deo sperari debent in primis, non a nostro ingenio aut industria. Dante igitur te, largaque effundente manu, colligimus, collectaque seruamus: imo omne bonum tua a benignitate nanciscimur. Non secus enim mundus, ac solet campus florum amoenitate, atque odore perornari, ac, ut sic dicam, recreari, ex aperta Dei manu passim donorum coelestium abundantia exhilaratur, exundatque plenissimo ueluti cornu. Sic contra,

{104.29} Auertente te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.

Irato domino concidunt omnia, relabunturque in nihilum. Te itaque faciem illam tuam, quae cunctis dat uitam, auertente, hoc est, te deserente, non seruante, non pascente, non spirante in eis, en turbatio, en mors, en interitus. Potentissimum sane nostrum, si Deo placet, arbitrium. Quid? si quidem spiraculum illud uitae, quod primis olim insufflasti parentibus ab hisce abstuleris animantibus, peribunt illico, atque in terrae limum, unde ortum habent, reuertentur. Quid putas nancisci posse animam, quae suis conatur uiribus in altum euehi, fruique coelestibus, praeterquam turbationem, bellumque intestinum, ac mortem tandem? Dante uero domino, cuncta, etiam praeter spem atque expectationem, proueniunt bona. Quocirca iterum inculcat Vates:

{104.30} Emittes spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terrae.

Nouis hic rerum successionibus renouari terrae faciem canit propheta. Dixerat enim quae accidunt rebus incommoda ob Dei spiritus absentiam: nunc, quae ob ueniunt commoda ob praesentiam, enumerat. Dei itaque spiritus ea praeditus est uirtute, ut non tantum res denuo, recensque in lucem aedat atque effingat, uerumetiam perditas aut senescentes redintegret, alteramque alteri succedere faciat. Ex qua pulcherrima rerum uicissitudine & successione, noua quasi induitur facie orbis uniuersus, ut in uerno tempore uidere licet. De innouatione porro animae quid sentiam, pene dicere erubesco: quandoquidem quiduis aliud magis a nobis quaeri uideo, quam ea, quae ueram illi afferre possint integritatem. Id dicam solum, animae perfectionem a Dei spiritu prouenire, non a spiritu, aut arbitrio humano, quod adeo debile est, ut ferme exoletum penitus uideatur. Quare

{104.31} Sit gloria domini seculum, laetabitur Dominus in operibus suis.

Suo more Vates ad psalmi calcem properans, Dei gloriam attexit: hoc est, tam diuersarum rerum pulchritudinem atque utilitatem, de quibus nonnulla in toto omnino psalmo disseruit, uult a Deo bonorum omnium fonte prodiisse. Agenda sunt, inquit, Deo pro hisce omnibus quae commemorauit, gratiae: illi sit gloria, illi laus, illi honos, non cras duntaxat, aut perendie, sed semper, quoad uixerimus: nullus praetereat dies, quin totus in celebrando Dei honore impendatur. Nanque ipse etiam suis in operibus, ueluti artifex in suo artificio, oblectamentum capit. Etenim cum tanta res mundi olim prouidentia sapientiaque molitus sit, impraesentiarum uero foueat, cumulet, innouet, nonne quadam uidetur affici uoluptate altissimus? Is quidem est, qui simul ut animae oscitantiam & torporem suauissima beneficiorum suorum tum copia, tum memoria excutere haudquaquam ualuit, aliud remedii genus, nempe minarum ac terroris, adhibet: siquidem solus ille est

{104.32} Qui respicet terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigabunt.

Incomprehensibilis Dei potentiae id signum est, atque argumentum. Solo nanque

{pdf 713, p. 348v}

prospectu, aut leui tactu, terram tremere, monteque prae metu fumare, atque in fauillas resolui facit. Quemadmodum enim solem suum oriri facit super bonos & malos indifferenter, ita nonnunquam minis, horrendisque terraemotibus ac fulminibus orbem territat uniuersum. Quae sane forma est atque imago illorum, quae in corde hominum peragunt. Nullum quippe terroris genus est, quin minus sit illo, quo foedae inquinataeque conscientiae torquentur, & exanimantur. Verum illud me ualde consolatur, quod uita in uoluntate eius. Idcirco

{104.33} Cantabo domino in uita mea, psallam Deo meo quandiu fuero.

En uotum illud solenne, quod in baptismo latenti fit mysterio. Quandiu, inquit, uixero, meam deuoueo uitam Deo: hanc illi consecro, dedo, immolo. Quare, si mihi deinceps laetandum erit, si canendum, si aliquid lucubrandum, is omnis meus erit scopus &

subiectum. Ne illi uiuam, si posthac, quod hactenus a me actum non est, & fateor, & doleo, alium admittam uel amorem uel metum, qui Dei non sit.

{104.34} Iucundum sit ei eloquium meum, ego uero delectabor in te domine.

Sit illi gratum meum studium, meaeque istae lucubrationes, & labor. Non illi insuauis sit meus cantus, & quicquid aut dixero, aut egero, illi probet. Et ut quidem tu, o pater, laetaris in operibus, tuis: ita ego in te laetabor, de te gaudebo, pro te, non pro mundi commodis, exultabo, atque in te tandem curis liber emoriar. Contra autem,

{104.35} Deficiant peccatores a terra & iniqui, ita ut non sint.

Impossibile quippe est Dei religionis studiosum non odisse improbos. Si cuius suae patriae amantissimus cupit e medio tolli seditiosos, fures, adulteros, parricidas, ac, quibus maxime euertuntur ciuitates, tyrannos, quis tale detestetur odium? Non ab re igitur de se illud alio in psalmo testatur Vates: Perfecto, inquit, odio, nempe maximo & consummato, oderam illos. Hic uero, Extirpentur, ait, scelerati isti e terra, radicitusque, tanquam noxium gramen, euellantur e Dei sanctuario: non sint amplius qui Dei religionem prostituunt, meretricarique faciant. Facessat nox, ut sol appareat. Quid commercii (uos execror) o impurissimi, uobis esse potest cum mundissimo Dei cultu? Abite o transfugae, mali cives, inquinati, dissidiosi, pessimi decoctores. Tu uero tot malis erepta,

{104.35} Benedic anima mea domino, Halleluia. Halleluia./

Cui laus sit in secula seculorum. Amen

PSALMVS CV.

{105.1} Confitemini domino, et invoke nomen eius, annunciate inter gentes opera eius.

In superiori psalmo Dei prouidentiam erga res conditas uniuersas celebrari uidimus: in hoc uero peculiare illius curam erga suos: eos nimirum qui illius cedentes pollicitationibus omni in Deum feruntur nisu & amore, describit Vates. Propterea enim ad religiosos accersebant coetus & conuentus prisci illi Iudaeorum proceres multitudinem, quo Dei beneficia in se exhibita audientes, ad celebrandum ipsius nomen inardescerent. Delicata quidem est rerum coelestium memoria, quae nisi frequenter resarciatur refriceturque, perlanguescit continuo. Imago fuit, ni fallor, ritus ille, Ecclesiae, in qua de more laudabiles peragunt caeremoniae, fitque fidei confessio, ea qua omne cordis gaudium proficiscitur. Vultis ne, inquit, audire, quamobrem constructa sint templa, atque erectae arae? ut nimirum die noctuque numini seruiatur: quod sane obsequium nullum pene, nisi sordidum, esse arbitror, si ullo superstitionis aut proprii amoris naeuo dehonestatum fuerit. Purissima proinde esse debent quaecumque a nobis offeruntur altissimo: alioquin illoto corde, conspurcataque conscientia Dei aedes frequentare, non minoris forsan est periculi, quam si inter daemones conuerseris ac

dormias. Mors quippe est, quicquid inquinat animo, atque infideli, uel in mediis ipsis sacris, egeris. Ite nunc o qui uestro, nescio quo, contenti uitae genere, specie quidem candido & mundo re autem ipsa impuro ac sordido, nihil aliud in Dei religione requiri opinamini, praeterquam rituum magnificentiam: qui quidem ritus ut laude digni sint, utpote a ma-
[maioribus]

{pdf 714, p. 349}

-ioribus sanctis illis quidem uiris ordinati, ita malo illos exequi obsequio ac uano, maximae indicium est confidentiae, ne dicam stultitiae. At uero turba istiusmodi uulgari hominum, nempe impura & superstitiosa ommissa, uos alloquor, ait spiritus, o quibus nulla antiquior est cura ac studium, quam ut Dei nomen passim ab omnibus celebretur, Confitemini domino, & inuocate nomen eius, annunciate inter gentes opera eius. Sunt uobis res mundi commodae, laudate Deum. Sunt aduersae, itidem facite. Non uos ulla deterreat calamitas, non iniuriae, non improborum minae atque insidiae, quo minus in laudanda Dei uoluntate occupemini. Caeterum si quid uestris in aerumnis implorandum erit, Dei nomen implorate, fateaminique illum esse, a quo sunt, & seruantur omnia. Quocirca annunciate, diuulgateque inter gentes, inter peccatores, inter meretrices, sanctas illius operationes: quandoquidem qui sanctiores existimantur, id facere renuunt.

{105.2} Cantate ei & psallite illi, narrate omnia mirabilia eius.

Quae fecit creando, prouidendo, consulendo, ac tandem a morte, mortisque autore redimendo. Haec sane sunt stupenda Dei opera, narranda subinde his, qui in peccatis obdurati uix norunt, an sit Deus.

{105.3} Laudamini in nomine sancto eius, laetetur cor quaerentium dominum.

Vera tandem illa est laus & gloria, cum quem contigerit laudari in Deo. Nulli dubie esse debet, quo Deus suo in nos spiritu effuso efficit, operaturque, si quid in nobis quod spiritum sapiat fieri sentimus. quare, quicquid illud sit, in eum refundimus, illique gratias habemus, quod est in nomine sancto eius laudari, seu, ut ex hebraeo uertunt nonnulli, gloriari, ut qui gloriatur, in domino gloriatur. Actum porro tunc de nobis esse non uereamur, cum nobis, aut nostro arbitrio & uoluntati, quod Dei proprium est, assignamus. Id maligni est animi, nequam atque ingrati omnino. Verum ex illo affectu ac desiderio, quo quis in Dei nomine laudari efflagitat, cor exhilarescit, atque in spiritu recreatur. Unde additum est: Laetetur cor quaerentium dominum. qui uero non quaerunt, ut hypocritae, aeterno moereant cruciatu, liuoreque impallescant. Vos igitur, quos hic inuitat spiritus,

{105.4} Quaerite dominum & confirmamini, quaerite faciem eius semper.

Confirmamini, in hebraeo non est, sed dictio quae ad Deum refertur. Sic Felix: Quaerite dominum & fortitudinem eius. hoc est, fortitudinem a Deo exorate: quod ut ratum sit,

ipsius primum, ne uestrae prouidentiae, uestrisque consiliis, quae moris nuncii sunt, dimittamini, uobis adesse uirtutem desiderate. Iam facies hic Dei, fauor illius est, aut cognitio. Unde sic Paraphrastes: Studete comparare uobis fauorem illius assidue. Anima quidem diuinae cognitionis percupida, atque anxia inueniendi Dei, non potest in friuolis mundi rebus occupari, sed libero ueluti pede, gressuque expedito in illum, quem supra omnia & quaerit & amat, fertur. Eam ob rem tarda omnia fastidit in aliis, increpat, urget, orat, cogit tandem, ac quantum maxime potest ingeminat: Quid stupidi quaeritis? Viuentem ne cum mortuis? O immemores animos. Quo in illius demum recalescatis dilectionem pene in uobis extinctam,

{105.5} Mementote mirabilium eius quae fecit, prodigia eius & iudicia oris eius.

Si mirabilium uertere placuit interpreti, cur non etiam prodigiorum, iudiciorumque? Sic ex hebraeo legitur: Mementote mirabilium eius quae fecit, prodigiorum eius, & iudiciorum oris eius. Ad memoriam quidem illorum, quae peculiari gessit cura Deus in deserto pro Iudaeorum populo, nos excitat: quae tametsi ad historiam illam ueterem pertinere uideantur, at quammaximis tamen grauida sunt mysteriis: ex hisque admonemur, quam ingrati semper extiterint homines in suum benefactor. Ut modo afficiantur alii, non quaero: de me id fateri possum, quod nulla alia tam dire discerpor cura & dolore, quam cum ingratitude in benignissimum dominum me reum esse uideo. Fere id mihi uidetur inexpiabile esse delictum, quocirca exhorresco cum haec lego: nam mihi, meique simillimis ea dici arbitror. Mementote, o immemores, o stupidi, o ingrati gestorum Dei, quae tam im-

[immensis]

{pdf 715, p. 349v}

-mensis erga uos perfecit beneuolentiae signis & argumentis. Quid ultra potuit facere, & non fecit? In memoriam ueniant portenta illa terrifica, iudiciaque oris eius. Vocat portenta seu prodigia, signa illa horrenda, quibus olim terrefecit Aegyptios, atque deinde caeteros suo populo infestos: iudicia uero, legem sanctam, quam Mosi dedit in Sinai monte, nimirum ob id religiosissimo. Iam illud aduertendum, oris sui, ad illud referi, quod legimus cum Mose Deum locutum ore ad os, ut solet amicus cum amico suo loqui. Quanquam aliam hic mihi legem ab ore Dei pro latam uidere uideor. Illam quidem datam fuisse per Angelum diffinit Apostolus hanc uero a proprio Dei ore hausimus, ipsoque edocente accepimus. Et aperiens, inquit Mattheus, os suum docebat eos.

{105.6-7} Semen Abraham serui eius, filii Iacob electi eius, ipse dominus Deus noster, in universa terra iudicia eius.

In quibusdam ex Hebraeorum interpretibus, o, in principio uersus sic legimus: O semen Abraham serui eius, o filii Iacob electi eius, ille est Dominus Deus noster. Sub his duorum patrum nominibus, omnes fidei filii intelliguntur: nam Abraham, de cuius semine ortus est Christus, pater est fidei. Iacob autem uir simplici uitae consuetudine & pura, Israelis nomen propter immensam in Deum fiduciam adeptus est. Israel enim directum a Deo interpretantur. quo sane tota uita Christiani, mirabili adumbrata tum

fuit uelo. Fides quidem in primis necessaria est: cor postea simplex & candidum, addo &, quaecunque contingant, in Deo stabile: quae perfectissima fidei pars est. Hos igitur per fidem Abrahae, cordisque puritatem Iacob, iam filios Dei factos non nescire conuenit, quoniam ipse dominus uniuersorum, Deus noster factus est, pater insuper, & is quidem clementissimus: cuius tamen iudicia (ne nomen patris audientes, spe uana illusi peccemus, maledictus enim qui peccat in spe) in uniuerso generatim orbe propagantur. Non is quidem in illa solum aut illa regnat regione & familia, iudicat efficitque quodcunque loquitur aut iubet, sed ubique omnes illius obnoxii sunt imperio, quod aequissimum est, atque ullo absque fidei fuco, &, ut sunt plerique hominum, simulatione. Siquidem utcunque refugiant homines, & reluctantur,

{105.8} Memor fuit in seculum testamenti sui, uerbi quod mandauit in mille generationes.

Vide constantissimum Dei consilium, atque aeternum in praestando, si quid unquam pollicitus est, propositum. Testamenti sui, pacti sui legunt ex hebraeo. De quo quidem pacto ac foedere cum Abraham, Isaac postea & Iacob percusso, non uno in loco narrat Moses. Cuius sane ea fuit summa, ut ipse illorum esset Deus, ipsi uicissim illius plebs ac populus. Semper id quidem praestitit aeternus pater, licet ex par te hominis millies iam fractum sit foedus, uiolataque fides, ac iuramentum. Attamen absque poenitentia, ut inquit Paulus, sunt Dei dona, vivuntque illius promissiones: non quod sic meruimus, sed quia recordatus est misericordiae suae a progenie in progenies. Quod ferme idem est cum illo, quod hic asserit Vates: Memor, inquit, fuit eorum, quae promisit, seruabitque constantissime, etiamsi mille sibi succederent generationes. Verbi dico, haud immemor fuit, quod mandauit in mille generationes:

{105.9} Quod disposuit ad Abraham, & iuramenti sui ad Isaac.

Hoc est: Memor fuit uerbi, nempe foederis, quod percussit cum Abraham, & iuramenti, quo astrinxit sibi Isaac. Et

{105.10} Statuit illud Iacob in praeceptum, & Israel in testamentum aeternum.

Clarius ex hebraeo: Quod statuit Iacob pro lege, & Israeli in foedus sempiternum. quorum uerborum sensum sic explicat Paraphrastes: Et quia id firmum esse uoluit, certa ueluti lege obligauit se Iacob, & Israeli perpetuo foedere astrinxit se,

{105.11} Dicens: tibi dabo terram Chanaan funiculum haereditatis vestrae.

Abrahae quidem, Isaac & Iacob, qui Israel est, non tantum promiserat Deus uerumetiam iusiurando se illis terram daturum Chanaan in funiculum, seu fortem haereditatis aeternae, firmauerat, quo tandem cunctae in eorum semine (is Christus erat) benedicerentur cognationes terrae. Istuc sane fuit testamentum Dei aeter-

{pdf 716, p. 350}

-num, foedusque interposito iusiurando cum eis initum. Id fuit praeceptum illud, ac uerbum, quod mandauit in mille generationes, in omnes scilicet, quo crederent, posteros. Nihil unquam tam exacte ab illis requisitum Deus, quam ut istiusmodi cederent promissionibus. Fides igitur semper, uel ab ipso conditarum rerum exordio, necessaria fuit. Unde non iniuria a Paulo diffinitur, absque fide impossibile fore, ut quispiam Deo placeat. De funiculis alias diximus, quibus metiri fundos consueverant antiqui. Mensuram pro re mensurata posuit.

{105.12-15} Cum essent numero breui, paucissimi & incolae eius. Et pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Non reliquit homine nocere eis, & corripuit pro eis reges. Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.

Maximum id fuit Dei beneficium. Nam cum numero essent paucissimi, imo prae hostibus nulli, atque in terra illa peregrini uagique, etiam cum de regione in regionem transmigrarent, pulsifugatique e regno ad alterius regni populum confugerent, illos tamen semper adeo diligenter tutatus est Deus, ut neminem uim eis inferre sit passus: quin potius reges ipsos alioqui potentissimos, illorum causa diris affectis plagis, dicens: Nolite uel leuiter quidem meos unctos attingere, & in prophetas meos, quos tanquam futurorum buccinatores e uulgo delegi, caetero ne sitis iniurii, neue maligna in illos machinemini. Quanta hic gestiunt consolatione ac tripudio animae, quae Deo nixae, nihil tam arduum desperatumque accidere posse arbitrantur, quin statim in umbram desinat ac fumum, si iusserit ille, qui non tam amplas hominum copias in praелиis, quae suum ad honorem comparantur (quae fiunt inter Christianos, nulli sunt Deo honori) requirit, quam fidem integram & flagrantem. Quid porro censendum sit de illis, pudet literis mandare, qui cum perfectam uitae rationem polliceantur, tam molliter tamen iocosas, nescio quas, ac risu dignas ferunt de gente in gentem, de domo nonnunquam tenui in aedes regias, demigrationes, atque, ut ipsi uocant, mutationes, ut pene insaniant, querelisque adeo immensis & coelum & terram conuoluant, ut Orestem te audire fatearis. Parua hi fulti sunt fide: nondum enim id uitae genus, quod promiserunt, sunt assequuti. Mortui quidem in hoc mundo, quid istas leuissimas interdumque necessarias pertimescunt (ut ipsi uocant) iniurias? Viuorum certe is sensus est, non mortuorum. Quid tam igitur effoeminate res mundi tolerant? an adhuc illos praeterit, quod non reliquit hominem nocere eis? Sed iam aliud diuinae beneuolentiae signum in populum illum consideremus.

{105.16} Et uocauit famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit.

Obserua hic Dei potentiam. Ille enim cuius imperio parent omnia, famem in orbem accersit, iussitque annonae inopia cunctos periclitari. Quo se tunc uerterent mortales? quo illorum greges? Desperati plane omnes, interitum cum suum, tum, quo maxime discruciabantur animo, liberorum praestolabantur. E coelo tandem respexit dominus, & ne diutius inedia contabescerent,

{105.17} Misit ante eos virum, in seruum uenundatus est Ioseph.

Iam illud, quod pene omiseram, non praetereundum quod in fine superioris uersus legimus, Firmamentum panis contriuit: ex hebraeo nonnulli uertunt, uim panis, seu, uirgam, hoc est, sustentationem, cuius uocis efficaciam sic aperit Paraphrastes: Cum omne illud, quod ad panem conficiendum conducere solet, perdidisset, tum praemisit ante eos uirum. Notat Felix, uirgam illam, seu uim panis, omnia legumina significare, quo extremam illam fuisse famem intelligamus. Unde illud est Ioseph ad Pharaonem: Consumptura est, inquit, fames omnem terram. Praemisit itaque benignissimus pater, quasi illorum praeoccupans calamitatem, ante illos uirum, nempe Ioseph, qui uenundatus a fratribus ad tantam rerum felicitatem euectus fuit, ut tanquam Deus coleretur. A captura igitur tam sancti pueri salutem sunt nacti illius uenditores. Ita a Christo capto, a fratribusque uendito, exposito, traducto, totius generis humani, quod, ut sic dicam, in sui conditoris necem consenserat, salus permanavit. Sed historiae instemus.

{pdf 717, p. 350v}

{105.18} Humiliaverunt in compedibus pedes eius, ferum pertransit animam eius.

Animam eius, pro corpore animato nonnunquam accipit scriptura. Vel uitam intellige, aut mentem, ut quidam legunt. Vi quidem doloris afflicto, pene ferrum, catenas nimirum, quibus uinctus fuerat, ad animam usque admisisse uisus est. Ita sane de illis, qui in maximis constituti sunt poenis, dicere consuescimus. Proinde non absque commiseratione uersus is legi debet: Astrinxerunt, inquit, pedes eius, pueri nempe innocentissimi & casti, boiis. quin ferrum ipsum horrendum, quo fures solent connodari & homicidae, puram illius animam transuerberauit.

{105.19} Donec ueniret uerbum eius, eloquium domini inflammauit eum.

Multifariam exponunt hunc locum tum Graeci tum Hebraei: mihi uero illud magis arridet, quod perpauci ex interpretibus attingunt: hi uolunt, eius, ad Deum referri: uerbum uero, illius esse decretum, quo maturo iam tempore ad id destinato decreuit Iosephum a carcere eximi, interimque tanquam aurum in angustis perpurgari. Siquidem ea semper cunctis Dei amicis lex fuit posita, ut in cruce uiuerent. Sanctione itaque Dei ac decreto, probatus fuit Ioseph, usquedum tempus, quod ipse constituerat, aduentasset. Tu uide quomodo aptissimum attexuit uerbum domini eloquio. Inflammauit, inquit, eum exussitque, uel usque ad ossa, tam sanctum iuuenem Dei sermo, qui uita est animae: imo fax illa, qua perustum cor, totum igneum fit, consopiturque in Christo, qui solus tam casti ardoris capax est, atque in alios effusor. Verum quid postea factum est, simulac e Dei uerbo, quo arsit captiuus, diuina ostensa est lux?

{105.20} Misit rex, & soluit eum, princeps populorum, & dimisit eum.

Magnum id quidem tum potuit uideri, ingentium populorum principem, miseri squallidique captiui rationem habuisse, Misit rex, inquit, postquam Dei uerbum Iosepho innotuisse cognouerat: misit, inquam, qui longo affectum carceris squallore solueret,

exoneraretque catenis. Ille, dico, qui ingentibus dominabatur populis misit nuncios, qui eum liberum dimitterent. Nec id quidem satis regi uisum est, sed &

{105.21} Constituit eum dominum domus suae, & principem omnis possessionis suae.

Ecce ad quam tandem euehitur sublimitatem oppressa innocentia. Tu eris, inquit Pharao, super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, uno tantum regni solio, te praecedam. & uocauit eum lingua Aegyptiaca, Seruatorem mundi. E uinculis sane ferreis ad totius terrae Aegypti imperium sublatus est Ioseph. Quid Aegypti terram tantummodo memoro? uocauit, inquit, illum seruatorem mundi. Pene dixit Moses: Hic erit Christus Iesus triginta argenteis uenditus, captus, infamatus, ab uxore regis, nempe synagoga, ad libidinem prouocatus, ob idque iniuriis affectus, denudatus, diroque in ligno occisus, qui humatus insuper ad eam tandem gloriam eleuabitur, ut ad dexteram Dei in coelestibus collocetur, Iesusque passim ab omnibus digniori quidem testimonio, quam illud fuit Pharaonis, nuncupabitur.

{105.22} Vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.

Sicut semetipsum, in hebraeo est, secundum suam uoluntatem. Signum nimia immensae illius tum sapientiae, tum potestatis. Propterea, inquit, ad illam euectus est dignitatem, ut illius parerent dicto non solum uulgo homines, uerumetiam ipsi Aegypti sapientes & grandaeui. Sunt qui legunt ex hebraeo, ut uinciret principes secundum suam uoluntatem. Quare sic Paraphr. Liberum fecit illi etiam principes regni conicere in uincula. quod sane ad summam illius potestatem attinet. Caetera uero quae sequuntur, ad doctrina & institutionem, quam quidem cum de politiori uitae ratione, tum de unius Dei cultu & religione fuisse reor. Priorem tamen sensum magis probat Chaldaeus. Interim autem paternam accersiuit familiam:

{105.23} Et ingressus est Israel in Aegyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham.

In Genesis libro haec omnia leguntur. Pater tuus, inquit Pharao ad Ioseph, et fratres tui uenerunt ad te. Vocat Aegyptum terram Cham, idcirco quo Mitzraim filius Cham terram illam primus habitauit post diluuium, cui & patris impietatem inseuit. Ideo cum indignatione is debet legi uersus. Et est ac si diceret: Tam sancta

{pdf 718, p. 351}

familia impiissimam ingressa est regionem. Iam illud superfluum, dicam tamen ob rudiores, Israel & Iacob eandem prae se fere personam: atque his quidem duobus nominibus mirum quam crebro lusitent prophetae, ut pene, ni aduertas animum, diuersi appareant uiri, cum unus tamen sit, quo omnium fidelium multitudinem, rerum typo atque umbra, saepenumero uolunt intelligi. Idem igitur erit, Israelem ingressum esse Aegyptum, atque Iacob terram Cham incoluisse.

{105.24} Et auxit populum suum vehementer, & firmauit eum super inimicos eius.

Firmauit uerum, nihil aliud hic uult, quam, superiorem illum fecit hostibus. Quanto porro adaucti fuerint numero in Aegypto, sic in Exodi libro legimus: Filii Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, & roborati nimis impleuerunt terram. Vide postea quid de illorum senserit robore Pharaon: Ecce, inquit, populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est. Verum Deus, qui cuncta sapientissimo moderatur consilio, licet occulto & caliginoso,

{105.25} Conuertit cor eorum, ut odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius.

Abolita quidem ab ingratis Aegyptiorum cordibus prima illa beneuolentiae memoria, pessimo incitantur odio contra Dei populum, fallacisque ac dolis pacem illam antiquam interturbant. Verum haec, Deo autore, qui in suos interdum electos, imo plane semper, qui illos uexent, carnifices immittere consuescit, Venite, inquit, sapienter opprimamus eum. Proinde toto hi errant coelo, qui in Aegypto hac teterrima mundi, absque Aegyptiorum iniuriis posse uiuere opinantur. At illud summa animi consolatione auditur, quod Deus est, qui haec fieri permittit: imo etiam nostram ad probationem promouet, tantum quaecunque ille malorum immiserit non deprecantes, aequo feramus animo, simulatque compertissimum id iam esse potest, ne uolam quidem manus uerti posse absque Dei nutu: qui ne suis non praesto esse iudicaretur,

{105.26-27} Misit Mosen seruum suum, Aaron, quem elegit ipsum, Posuit in eis uerba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham.

Haec litera parum aliter in hebraeo habetur. Sic felix: Posuerunt in ipsis uerba signorum eius. ut posuerunt, ad Mosen & fratrem referatur: in ipsis uero, ad Aegyptos. Hi itaque ad illud aedendorum miraculorum munus electi, posuerunt, aedideruntque inter Aegyptios signa illa, ut a Deo audierant id enim significat, uerba signorum praescriptis nimirum ab ipso uerbis. Quare iussi & uocati, mirandas illas letalesque intulerunt plagas Aegyptiis: & id sane in terra impia Cham, ac superstitiosa. Quae quidem plagae eae ferme fuerunt. In primis enim

{105.28} Misit tenebras, & obscurauit, & non exacerbauit sermones suos.

Non eo, neque omnes, quo aeditae sunt ordine, commemorantur plagae: uerum ni li id fere a contemplanda diuinae bonitatis in suos uirtute & copia, nos retrahit. Parumper igitur ordine omisso, quae in historiis potissimum requirit spiritus, peruestigemus. Exacerbauit, Hebraei plurali legunt numero, exacerbauerunt: seu, quod clarius erit, non repugnauerunt, Moses nimirum atque Aaron, uerbis eius, nempe Dei: hoc est, quicquid illis a Deo mandatum fuerat, non refutarunt. Magna profecto ea fuit uis fidei, duos adhuc rudes homines potentissimum illum regem offendere non esse ueritos Quocirca non superuacaneum illud fuit dixisse, non repugnauerunt uerbis eius. Caeterum de hac plaga scribit Moses, quod tetra adeo ac densa fuit caligo, ut tribus diebus nemo uidit

fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat. Tu uide mysterium: ubicunque, ait, habitabant filii Israel, lux erat.

{105.29} Conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum,

Haec prima fuit ultio. Eleuans, inquit, uirgam Moses percussit aquam fluminis coram Pharaone & seruis eius, quae uersa est in sanguinem: & pisces qui erant in flumine, mortui sunt: fuit sanguis in tota terra Aegypti.

{105.30} Et dedit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.

Haec secunda fuit plaga, de qua sic Moses: Extendit Aaron manum super aquas Aegypti, et ascenderunt ranae, operueruntque terram Aegypti. Ex hebraeo

{pdf 719, p. 351v}

apertior est litera, Sic illi: Produxit terra eorum ranas, imo regum quoque penetralia, ranas uidelicet produxere. Insuper

{105.31} Dixit, & venit cynomyia, & cyniphes [scinifes], in omnibus finibus eorum.

Is uersus duas concinet plagas, ordine tamen uerso: prius enim ponendae erant cyniphes, cynomyia postea. quam uocem cum muscam caninam interpretentur, Hebraeis tamen omne genus uolatilium, insectorumque uenenatorum significat. Et uenit, inquit, musca grauissima in domos Pharaonis, & seruorum eius, in omnem terram Aegypti. Caeterum cyniphes pediculi sunt, unde morbus est pedicularis, morborum omnium turpissimus, & infamis. Aiunt enim nostra etiam aetate istiusmodi morbi genere interiisse Clementem VII. Pont. max. Nonnulli ueneno censent. Mortalis erat, atque propterea sexcentis, ut caeteri quoque ex uulgo homines, obnoxius miseriis & aegritudinibus. Tertia ea fuit ultio, de qua sic legimus: Omnis puluis terrae uersus est in cyniphes per totam terram Aegypti. Ad haec.

{105.32} Posuit pluias eorum grandinem, ignem comburentem in terram ipsorum.

De hac sane ultione, quae in ordine septima est, scribit Moses, quod tantae fuit magnitudinis, quanta nunquam antea apparuit in uniuersa terra Aegypti, ex quo gens illa condita est. Cuiusmodi uero generis fuerit ignis ille totam incendens terram, puto fulgura, atque alios e coelo delapsos ignes extitisse, qui portentosi magis tunc uisi sunt, quam unquam alias.

{104.33} Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum, et contriuit lignum finium eorum.

Haec enim ad supradictam spectant ultionem. Tam quidem ingens ac grauis illa fuit procella & grando, ut omnem prorsus uastauerit agri decorem, in unum plane

conuoluens exitium, & plantas, & arbores, illas maxime, quae magis in deliciis habentur, ut uineae sunt, ac ficus. Et demum, inquit, quicquid arborum intra Aegypti terminos inuentum fuit, depopulata est.

{105.34-35} Dixit, & venit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus, et comedit omne foenum in terra eorum et comedit omnem fructum terrae eorum.

Octauum id fuit vulnus. Atqui, ne addamus lector fastidium, eademque saepe repetamus, de hisce infestis pratorum gramini, ac frugibus agrorum animalibus in LXXVIII. dictum est psalmo. De hac ultione sic scribit Moses: Mane facto uentus urens leuauit locustas, quae ascenderunt super uniuersam terram Aegypti. Et paulo post: Deuorata est, inquit, herba terrae, & quicquid pomorum in arboribus fuit quae grando dimiserat. At tandem ad ultimum iam peruentum est exterminium.

{105.36} Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum.

Primitias uirtutis eorum, reddunt nonnulli ex hebraeo: uoluntque uirtutem hic sumi pro ui gignendi, quae tunc consumpta fuit in animantibus. Verum Paraphrastes cum nostro pene legit. Sic ille: Percussit omne primogenitum in terris illorum, praecipua omnium laborum, propter quae in agris colendis sudauerunt. Felix utranque recipit lectionem. De ultima hac plaga sic edisserit Moses: Factum est in noctis medio, percussit dominus omne primogenitum in terra Aegypti, a primogenito Pharaonis, qui in eius solio sedebat, usque ad primogenitum captiuae, quae erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. His itaque mirabili stupendoque ostensis portento, suos coegit Deus, admonuitque quid opus esset facto.

{105.37} Et eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.

Onustos enim spoliis Aegyptiorum, suos uoluit educi Deus. Idcirco sanctissimus fuit dolus ille & fallacia, quia domini id iussu factum: alioqui impiissimum fuisset non obtemperasse. Quaecunque imperat Deus, omnibus perfecta sunt numeris. Iam illud admiratione dignum, quod in tam ampla proficiscentium multitudine, nemo, nec senes quidem decrepiti, aut in cunis uagientes, male haberet. Non erat, inquit, in cunctis tribubus eorum languidus. Tunc quidem

{105.38} Laetata est Aegyptus in profectioe eorum, quia incubuit timor eorum super eos.

Quis hic ob tantam, tamque subitam rerum immutationem, non obstupescat? Nullo quippe adduci poterant signo quamuis horrifico, Aegyptii, at dimitterent

{pdf 720, p. 352}

Dei populum: mox uero acti plagis, suisque edocti malis, non solum eos abire permiserunt, uerumetiam ui multa, ut abirent, contendere. Post uero quam recesserunt, maximo affecti sunt gaudio: si gaudium id dici debet, ingenti ab aerumna & periculo, quo iterum in peiora deuoluantur, ereptos improbos. Non poterant, inquit, fermentari, cogentibus exire Aegyptiis, & nullam facere sinentibus moram. Interim autem e coelo pater

{105.39} Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem.

Iam hic primum perpulchra baptismi ostensa fuit imago, quam Paulus rudem ueluti gemmam e lapillis marinis colligens secernensque, aiebat, Omnes in nube baptizatos esse. De qua quidem nube per diu obscura, noctu uero lucida, sic sacra habet historia. Dominus praecedebat eos ad ostendendum uiam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. Vides quomodo nullo unquam tempore suis non praesto adest Deus? Siue enim aestu carnis, aut superbiae, liuorisque incendio tanquam infestis solis radiis exuruntur pii, refrigerium habent spiritus, qui suae dulcissimae consolationis umbra & nube, nostrum temperare solet ardorem, imo extinguere: rursusque si frigido cordis affectu tanquam udis lunae radiis, in Deum illos feri contigerit, eundem ipsum non auersantur spiritum, sed limpidissimum ueluti lumen, facemque, aut ignem potius ardentissimum, etiam usque ad ossium medullas admittunt: quo animati, e tetra gelidaque noctis obscuritate in suum demigrant consolatorem, qui lux de luce est aeterna, ignisque conflagrans, cuius nomen Amor est.

{105.40} Petierunt, & venit coturnix, & pane coeli saturauit eos: dirupit petram & fluxerunt aquae, abierunt in sicco flumina.

De istiusmodi diuinae prouidentiae erga suum populum signis, in psalmo alio est dictum: Cum esuriret populus, obmurmuraretque in Deum, data est coturnix, pluitque de coelo manna, panis nimirum in aere angelorum ministerio formatus. Ad haec, pro illorum potu scissa est petra, ex qua copiosae adeo fluxerunt aquae, ut instar fluminis in aridas delaberentur solitudines.

{105.41} Quoniam memor fuit uerbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.

Nihil enim tam libenter inculcat scriptura, quam quod Deus, quaecumque olim contulit beneficia, confertque continue, ea omnia naturali sua motu bonitate, non hominum studio, aut arbitrio, impartiri uoluit. Et ut rata magis (o qui hic pudore non confunditur?) ut rata, inquam, magis sua esset uoluntas, haec omnia promisit patribus, firmavitque iuramento. Ipse uero ea praeditus est natura, ut fallere nequeat. Quocirca, quaecumque olim pollicitus est, constantissime, etsi interdum secus appareat, seruat. Percusso itaque foedere cum fidei parente Abraham, illa fuit conditio, quod Deus continuus fidusque esset hominis custos ac defensor, homo autem illius esset iussionibus adeo obsequens, ut nihil eo prius coleret & amaret. Deus enim in sua perstat fide, nihilque non obseruat: homo uero abiecit condictum, ruptaque promissionis syngrapha, negauit acta. Verum Deus, quae optima illius est natura, non periurum

rebellemque insectatus est odio, sed blande etiamnum, eorum memor quae pollicitus est, illum reuocat, allicit, quaerit, retrahit. Hinc ideo, nempe a uastissimo clementiae Dei pelago, ortum habuit, quod assiduis affecti fuerint Hebraei coelitus donis, etsi quamplurimum murmurantes in benefactorem, donatoremque ipsum una cum donis fastidientes. Non fuit ulla unquam aetas, quin homines Dei clementiam flagitiis atque impietate uincere conniterentur. Secus uero Deus, qui nihil tam optat, quam ut seruemur, in suo manet consilio, pactumque inuiolatum uult esse, decreuitque uel oblutantem non auersari animam, quoniam memor fuit, estque continuo, uerbi sancti sui, pactique initi cum Abraham suo & seruo & amico. Ego praeludia illa nostrae fidei ac religionis tunc primum in Hebraeis demonstrans, fouensque beneficiis, ita se habuit, ut dixi, Deus.

{105.43-45} Et eduxit populum suum in exultatione, et electos suos in laetitia. Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt. Ut custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. Halleluia. And he led forth his people in exultation, and his chosen ones in happiness. alleluia./

{pdf 721, p. 352v}

Alterius quidem generis fuit gaudium, quo affecti sunt Hebraei, quam illud quo Aegyptii in profectioe eorum. A metu quidem atque horrore plagarum, orta est Aegyptiorum laetitia: Hebraeorum uero a religione, atque grata in benefactorem uoluntate: quae tametsi in rudioris uulgi turba pene statim interierit, in sapientioribus tamen sincera mansit. Verum illud forsitan non tam compertum, quarum rerum causa, nobilissima illa ostensa fuerint beneuolentiae diuinae signa in ingratum populum, rebellem, contumacem: harum nimirum, ut respiscerent, ut Deum quaerent, amarentque, & in signum amoris custodirent iustificationes eius, statuta scilicet, ritus, caeremonias, ac legem tandem eius exquirent, e qua humana omnis descendit iustificatio, quae est lex spiritus. Ac demum praecipuum illud est amoris, ueraeque pietatis indicium, cuncta, quae iussit dominus, absque cunctatione exequi, reque, haud uerbis solum, praestare. Cui laus sit in secula seculorum. Amen.

PSAL. CVI. Halleluia.

{106.1} Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Ex inscriptione psalmi, quid sibi uelit spiritus, cognosci potest: laudandum scilicet esse Deum, quaecumque obuenant. In alio psalmo sic de se testatur Vates: Benedicam, inquit, dominum in omni tempore. Caeterum nulla re alia tam ardentem noster in Deum amor accenditur, quam si sedulo diligenterque illius in nos beneficia mente pertractemus, uoluamusque animo nostras in illum offensiones, rursusque illius in nos bonitatem, qua nos felicissima quadam urget contentione, superareque nititur. Nos quidem nequitia atque improbitate armati, cum illo concurrere uelle palam ostentamus: ille contra, clementia ac lenitate. Haec ferme in toto hoc psalmo uidere licet, dum patrum ingratitude diuinis opponit muneribus ac beneficiis. Verum a Dei laudibus

suum orditur psalmum propheta, typus nimirum Ecclesiae Christi, cuius perfectissima ea est imago & facies, pura in Deum fides. Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. De confessionis uoce, quae Dei prae se fert laudes, diximus aliquoties. Quam ob causam laudandus sit Deus, statim addidit: Quoniam, inquit, bonus, quoniam beneficus, quoniam aeterna illius est misericordia, non temporaria, citoque desitura, ut ea est hominum. Utcunque hi tamen fidem frangant. pactaque uiolent, suo stat nihilominus Deus stabilis infractusque consilio ac uoluntate, quae est, ut animas quamlibet rebelles & inquinatas ad sese reuocet, sibique reconciliet, atque in nouam refundat formam. Vnde, oro, tam amplius processit Dei amor ad animam peccatricem, cum nullum inter eos similitudinis extet symbolum? Nil sane tali anima turpius potest inueniri, Deo autem nihil sanctius. Quare tota haec dissimilitudinis atque inaequalitatis coitio & concordia, a diuina profecta est clementia, quae aeterna est, & certa, licet forsitan nostram ob ingratitude nobis incognita. Proinde

{106.2} Quis loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius?

Stupet hic anima, planeque in coelestium rerum consideratione retunditur: quodam enim audaci conceperat motu atque effectum, se posse aliquando Dei omnes enarrare operationes, indeque suam laudandi illius nominis auspicari materiam. Verum cum se impossibilia conari praeuidet, in istiusmodi prorumpit stupore. Quis, o, tam alte raptus inuenitur, qui cuncta Dei opera, potentiamque illius infinitam, qua condita uniuersa ex nihilo olim effecit, nunc tenet, permeat, moderatur, seruat, plene, ut res ipsa postulat, eloqui unquam poterit? quis cuncta, unde ipse laudari debeat, recensebit? quis demum inenarrabilia enarrare tentabit? Sat sit igitur quod hic a spiritu dici uideo:

{106.3} Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.

O felices, inquit, illos, qui iuste adeo ac recte suam instituunt uitam, ut ex Dei praescripto ac lege uiuere merito dicantur. Iudicium enim ad uitam bene recteque ordinandam attinet: iustitia uero ad effectum magis fidei, Deique timoris, unde ortum habet sapientia, referri debet. Qui certe istiusmodi ornati sunt uitae par-

[partibus]

{pdf 722, p. 353}

-tibus, suasque ad illas disponunt operationes, perfectissimi omnium sunt, etsi forsitan in disquirendis Dei secretis tardi & hebetes. Quocirca ad assequendos Dei afflatus, inspirationesque illas, quarum ui cor in Dei amore comburitur, pura opus est fide, uitaque in Dei lege apprime informata, ne nos nobis nescio quae confingamus operationum auxilia, sancta ea quidem, sed quibus nihil fidere debeamus. Sunt enim scalae gradus ualde debiles, nostro quae solummodo proficiscuntur ab arbitrio operationes, nempe absque gratiae clauo suffixae: quo sane remoratae, mirum quantum in alteram priori dissimilem transmigrant speciem: ex sordidis enim mundissimae efficiuntur. Verum quoniam rem hanc tua a uoluntate, o Deus, atque arbitratu descendere non ignoramus,

{106.4} Memento nostri domine in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo.

Haec est totius fidei nostrae summa, huc nostrae omnes tendunt preces, studia, labores, ut Dei fiat uoluntas. Cassae nimirum sunt ac uanae supplicationes, quae tali non nituntur consilio, contra sane illorum morem, qui cum orant fere indignantur, nisi suae se Deus confestim attemperet uoluntati, temerariaeque nonnunquam obsecundet prece. Hi profecto de more sunt, qui ex meritorum operationumque numero & assiduitate, Deum sibi promereri posse arbitrantur. Humiliauimus, inquit, animas nostras, & non aspexisti. Sanctae quidem operationes ideo sanctae sunt, quia a Deo proficiscunt, hoc est, ex mera Dei uoluntate proueniunt. Sensus igitur is erit: Memor sis quaeso nostri, o domine, eoque nos prosequere fauore ac gratia, qua tuum prosequi populum consuescis. quid? Inuise nos tandem, qui nostris offensus reatibus procul aberas indignabundus, tuamque nobis impartire salutem. Quod si feceris, non quia sic meruimus, feceris, sed quia tu sic uis, & imperas:

{106.5} Ad uidendum in bonitate electorum tuorum, ad laetandum in laetitia gentis tuae, ut lauderis cum haereditate tua.

Inuise nos, inquit, haud flagello quidem & seueritate, sed suauissima tua, qui Christus est, refocilla salute, quo tuis uideri possit bene cuncta succedere, atque illorum uotis respondere: facque me illo frui bono, quo hi fruuntur, quos tu, ut tui essent, de mundo elegisti, ut eo gaudeam laetitiae genere, quo gentes, quae suum tibi dederunt nomen, gaudere solitae sunt: atque ita ab una ex multis diuersorum morum hominibus conflata sorte atque haereditate, tibi gratiae habeantur, lauderisque, ut tua rite deposcit maiestas. Felix ex hebraeo sic uersum transfert: Ut respiciam in bonitate electi tui: ut laeter in iustitia gentis tuae: ut laudem cum haereditate tua. Puto hic electum Dei Christum esse, in cuius bonitate ac meritis respiciendum esse a spiritu admonemur. Si quidem boni aliquid e nobis prodire contigerit, id totum Christo condonandum est. Totum dico, ne dum partim nostrae, partim ipsius concedimus bonitati, sordidum fiat ac uenale, quod alioqui totum datum Christo purum erat, atque illius gratia & bonitate nostrum. Vis ne dicam quid boni a nobis expectari potest?

{106.6} Peccauimus cum patribus nostri, iniuste egimus, iniquitatem fecimus.

Illud fere Apostoli hic mihi audire uideor: Omnes, inquit, peccauerunt, & egent gloria Dei: hoc est, cruce Christi, ac morte, quae Dei praecipua gloria est. de qua quidem sic diuus ait Chrysostomus: Omnis gloria Dei, & omnis salus hominum in Christi morte est posita. Peccauimus (inquiunt etiam perfectissimi uiri) cum omnibus qui ante nos fuerunt patres. Vide exaggerationem: peccauimus, iniuste egimus, iniquitatem fecimus, hoc est, multifariam iniquitate maculati, scelerate uiximus: si tamen uita est, in peccatis uiuere, & non potius periculosissimum mortis genus, certusque interitus ac damnatio. Haec dicunt (opinor) a Dei spiritu edocti. Secus alii: O si, inquiunt, fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. Heu quam impii fuerunt hi, qui occiderunt Christum, qui Apostolos persecuti sunt, qui martyres tam

saeue contrucidarunt. Nos certe, nostrique ordinis uiri sanctis incumbunt actionibus, uirtutibus, eleemosynis, neminem laedunt, non occidunt, non scortantur, non

{pdf 723, p. 353v}

alienas, ut hi uulgo impuri, usurpant uxores, non furantur: ieiunamus, affligimur, sanctisque operam nauamus exercitiis, nihil non agimus, quo ex hominibus tandem dii efficiamur. Audio, laudoque, modo synceri sint affectus, nempe ab amore proprio, odioque alieno, ab auaritia, a dolo, a nequitia, a liuore, a fastu, a libidine demum intestina, atque ultionum rabie, liberi sint. Quam facile deludimur, quam ue libenter falsa nos decipi persuasione patimur. Verum propositum non deserentes institutum, dicamus, fateamurque, quod semper, uel a pueris, iniuste egimus, quod iniquitatem fecimus, quod

{106.7} Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis misericordiae tuae, irritauerunt ascendentem in mare, mare Rubrum.

Is unus est uersus Hebraeis. Iam incipit peccata patrum enumerare, contra itidem perpetuam Dei in illos benignitatem, quo e speculo ueluti nitidissimo queat perspicere, quam ingrati semper extiterint homines, & hi quidem qui maximis affecti fuerant beneficiis, ut Hebraeorum fuerunt patres, qui non solum in Aegypto, cum ab incolis opprimerentur, uerumetiam ad mare Rubrum, imo in medio ipso mari, deserto quoque ubi man pluerat [sic], murmurauerunt, de Dei potentia subuerentes, palamque Mosen, ductorem nempe illorum tam mansuetum, acerbe nimium reprehedentes. Quid scelestius unquam auditum fuit? quid illa uoce turpis? Melius nobis fuisset seruire Aegyptiis, quam mori in deserto: discede a nobis, at seruiamus Aegyptiis. Hi quidem minime ex animo, quae pro se gesta fuerant, intellexerunt, serioque expenderunt: quin potius horum omnium immemores facti, amplam tuae misericordiae abundantiam a mente proiecerunt ingratisissimi, atque in mari, in mari (inquam) ipso Rubro tam ingenti exiccato miraculo, nefandissime rebellarunt. Tu tamen habita tui magis nominis atque honoris ratione, quam quod eorum peccata deposcerent, seruasti eos, ut hinc atque hinc passim, reque ipsa tuam demonstrares omnipotentiam. Quare de te tunc ita testatus es, o immense, dicens: Et sciant Aegyptii, quod ego Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone. Pessime quidem res nostrae haberent, si Deus nostris irritatus peccatis, dignas pro meritis inferret plagas: non esset qui diu uiueret. Illorum itaque etiam reluctantium curam habuit,

{106.8-9} Et saluauit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam: & increpui mare Rubrum, & exiccatum est, & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

Mira res: nam mare increpito, atque subinde exiccato, illa per undas, profundissimasque aquarum uortices & abyssos complanata perinde fuit uia, atque si per planitiem in deserto, loco nimirum arenti ac siticulis, incessissent.

{106.10-11} Et saluauit eos de manu odientium, et redemit eos de manu inimici, & operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit.

Ita in Exodi libro legimus, quod fugientibus Aegyptiis occurrerunt aquae, & inuoluit eos dominus in mediis fluctibus, nec unus quidem superfuit ex eis. Prae clara hic norma ostenditur fidei, qua sanctissime admonemur, nullam posse esse hominis artem, atque in declinandis improborum insidiis prudentiam, nisi Deus sit qui nos, nostramque innocentiam de manu hostili, ferociaque illorum, qui nobis maleuolunt, eximat, atque in eorum caput, quicquid insidiarum moliti fuerant, retorqueat: ut certe quotidianis (ni prorsus stupidi sumus) uideamus exemplis reor queri. Illud nihilominus consolationi non paruae nobis debet esse, quod Deus integre adeo faecem istiusmodi demoliri solitus sit, ut ne odor quidem supersit ullus. Vnus, inquit, ex eis non remansit, quin interiret.

{106.12-13} Et crediderunt verbis eius, & laudauerunt laudem eius. Cito fecerunt, obliti sunt operum eius non sustinuerunt consilium eius.

Quid sibi uult, Cito fecerunt, uixdum intelligo: nisi forte ad uitulum, quem sibi fecerunt in Oreb monte, cultum nimirum ab Aegyptiis, qui boues colere consueuerant, edocti, referas. Hebraeis est, accelerauerunt, seu aliquid simile: & est uox de incredulis dicta, qui cum statim non uident quae Deus pollicitus est, non

{pdf 724, p. 354}

credunt, cum tamen scriptum sit in Esaia: Qui credit non festinet. Idcirco a Vate additur: Obliti sunt operum eius. Heu fidem debilem & nutantem. Non sustinuerunt, inquit, ut faceret, quod facere instituisset: praeuertere quodammodo adnixi sunt Dei consilium. Quis scit, clamabant, an Deus sit in nobis, uel ne? Vide illorum leuitatem. Viso quidem concreti maris portento, atque hostium internecione, crediderunt uerbis eius, laudesque illius cecinerunt. Mox uero, ac si nulla unquam experti fuissent beneuolentiae signa, ne expectato quidem triduo, quod a traiectu maris ad Maraath aquas intercesserat, Mosen obiurgat sunt dicentes: Quid bibemus? Plena sunt stomacho uerba haec: proinde infertur, Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israel contra Mosen & Aaron in solitudine.

{106.14-15} Et concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentauerunt Deum in inaquosa, & dedit illis potionem [sic, petitionem] ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum.

Inaquoso pro solitudine posuit, loco utique arido, & absque irriguis aquis. Illud quoque, misit saturitatem, ex hebraeo uerti poterat, misit maciem, seu tabem, in corpus eorum. Campensis uero mortem reddit. Mulctauit, inquit, morte gulam illorum. Quanquam saturitatem ad illorum infamiam puto positam, & est ac si dixisset, usque ad uomitum impleti sunt. Id genus concupiscentiarum fuit, quando Man fastidientes dixerunt: quis dabit nobis carnes ad uescendum? Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis. In mentem ueniunt (en ociosae mentis naufragium) cucumeres, & pepones, porrique, & cepae, & allia. Datae igitur sunt carnes, adductaeque maxima copia coturnices. Verum adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor domini

concitatus in populum, percussit eum plaga magnanimis. Et sic, aequissimo libramento, misit pro pinguedine maciem in animas (animas pro corporibus hebraismus ponit) eorum: nam qui relicto Dei cibo, carnibus saginari concupiuerant, longe diuersa, quam optauerant, affecti sunt compensatione. Macie quidem & pallore consumpti, meritas dederunt poenas.

{106.16-18} Et irritauerunt Mosen in castris, Aaron sanctum domini. Aperta est terra, & deglutit Dathan, & operuit super congregationem Abiron. Et exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores.

Interitus Dathan & Abiron, qui seditionem contra Mosen concitauerant, in Numerorum libro fuse admodum describitur: hi enim tumidissimo ambitionis uento inflati (uide ambitiosorum morem) populum illum aura leuiorem, in ipsum ducem atque Aaron, Aaron (inquam) sanctum domini, & sacerdotem, adeo acerbe exuscitarunt, ut pene omnes ab eis desciscerent. Verum Deus, qui tametsi ad tempus ambitiosorum fastum atque arrogantiam, ad bonorum profectum tolerare uideatur, finem tamen illorum infortuniis ponere consuescit, eo maxime tempore, quo se derelictos suspicantur, iussit, & dirupta est terra (ut sacra refert historia) sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & uniuersa substantia eorum, descenderuntque uiui in infernum operiti humo. Synagoga uocat illorum multitudinem, qui conspirauerant cum Dathan & Abiron: de quorum plaga legimus, quod septingenti ac millia hominum XIII desiderata sunt, absque illis qui perierant in seditione Choraë. Sunt qui synagogam ad uiros illos referat seditionis autores, qui primarii in synagoga concilii tempore, ut sacri habent annales, per nomina uocabantur. A superioribus itaque populi (ut nunc etiam est usus) illa orta est seditio, & coniuratio. Neque satis illud fuit: nam nullo affecti metu qui superfuerant, iterum a domino deficere conati sunt.

{106.19-20} Et fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt sculptile, & mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum.

Horrendum uituli conflati scelus memorat: impium sane illud, ac multis omnino modis Dei populo ac religione indignum. Aspice in quam immanem ruimus interdum, ob nimiam nostri confidentiam, errorem. Relicto quidem Dei cultu, fractoque iusiurando, ac rupto foedere, uitulum Aegyptiorum ritu ex aere arteque fusoria conflatum erexerunt, clamantes: Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Caeterum Oreb, seu Choreb, Sinai mons est, in quo tum Mo-
[Moses]

{pdf 725, p. 354v}

-ses duas legis accepit tabulas, quas tamen in montis descensu cum choreas chorosque audisset cantantium coram uitulo, fregit indignabundus. Illi autem interim gloriam magni Dei, incomprehensibilis, incorruptibilis, immortalis, cuius maiestate redundant omnia vivuntque, numine illo aeterno agitata, cuius uirtutem non ita pridem senserant: eam, inquam, gloriam tam admirandam, commutauerunt non tam in uitulum, quam in similitudinem uituli, nempe aerei, muti, atque omnino sine sensu ac uita. O ingratos, quam cito quidem

{106.21-22} Obliti sunt Deum, qui seruauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.

Ferunt execrabilem illum uituli cultum auari imaginem adumbrasse, cuius Deus aurum est, & argentum. Mirum quam generatim in id culturae prolabantur nostri aei principes ac praelati: nihil enim ita assidue auditur, quam auri nomen, aut utcunque corrasarum exactionum & uectigalium, addo & mutuandarum pecuniarum uis, ac minae. Ego potius scortatoribus, uariisque libidinum monstris inquinatis, uitulum illum praeluisse arbitror. Unde illud est, quod inauribus armillisque aureis mulierum coaceruatis, formam illam conflarunt detestabilem: obliti quippe rerum illarum, quae stupendissimo in eorum gratiam gestae fuerant miraculo in Aegypto Dei manu, qui toties seruauit eos: mira item illa in terra sacrilega atque impia Cham: ac demum in mari Rubro terrifica alia & portentosa, ex animo abiicientes, in illud impietatis genus collapsi sunt, ut adorarent pro Deo uiuo mutum bovis simulachrum. Quid aliud ab his, qui Deum iam contempserant, agi potuit? Verum Deus iam toties laccessitus, mutavit, ut sic dicam, mentem:

{106.23} Et dixit, ut disperderet eos, si non Moses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, ut auerteret iram eius ne disperderet eos.

Confractionem uocat Vates diuulsione illam, defectionemque populi a Deo, cuius reconciliationis autor fuit Moses: de quo legimus, quod reprehenso populo, talique castigato, ob uituli adorationem, elogio, Peccastis peccatum maximum: illud adiecit, Ascendam ad dominum, si quo modo quiuero eum deprecari pro scelere vestro: reuersusque ad dominum, ait: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Tanti porro uiri lachrymis placatus Deus, in illam tandem prorupit amoris notam: Dimitte me ut irascar contra eos: ex te enim, ne dubites, prodire faciam gentem magnam. Dixerat quidem haud semel Deus, sententiaque firmauerat, se populum illum contumacem funditus euersurum. Et fecisset, ni Moses, tantus nimirum homo, tam Deo charus, tam sui gregis amatissimus, (quod nostri uix sufferunt audire pastores) obstitisset, in medioque ipso uastationis incendio stans, Dei iram sedasset, reque effecisset, ne illos omnino disperderet. Fuit ea Christi mediatoris umbra, qui solus factus est Dei atque hominum mediator, diruitque maceriem inimicitiarum, ut inquit Paulus, atque odiorum, quae inter hominem, atque illius creatorem intercesserant. Spreuerunt illi quidem suum benefactorem,

{106.24} Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.

Terram auream, terram opimam, terram in qua beneplacitum fuit Deo habitare in ea. Permagnam certe illud fuit signum infidelitatis, terram illam tanto desiderio expetitam, a Deoque toties promissam, contempsisse. Tum uisus est Deus contemni. Quocirca additur,

{106.25} Non crediderit verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis suis, non exaudierunt vocem domini.

An murmurauerint inter sese tumultantes [sic, tumultuantes, 1585], testis sit Deus, qui de illorum perfidia cum Mose atque Aaron expostulans, ait: Vsquequo multitudo haec pessima murmurat contra me? Vide, mi lector, seditiosorum morem, ac strepitum. Constituamus, inquit, nobis ducem, & reuertamur in Aegyptum. Vtinam mortui essemus in Aegypto, & non in hac uasta solitudine. Pessimi omnium, nonne melius emori potius in solitudine, tutore Deo, quam Aegyptiis seruire? non paruerunt, inquit, mandatis eius, fidemque illius dictis minime adhibuere quare iratus, de illis poenas omnino sumere constituit.

{pdf 726, p. 355}

{106.26} Et eleuauit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto.

Solet enim qui grauiter ferire quempiam adnititur, manum in sublime, quo fortius percutiat, extollere. Unde uolens hic Vates iustam Dei fuisse ultionem, grauissimumque illorum peccatum ostendere, facit illum acrius in uerbera insurrexisse. Sic Paraph. Quare tanquam grauiter percussurus extulerat in altum manus suas contra illos, ut prosterneret illos in deserto. Alius ex hebraeo uertit: Stringebat manum suam in eos. Alii rursus uolunt per manus eleuationem iurantis morem exprimi, qui cum iurat, manum in altum tollere consuescat: & est perinde, ac si dixisset: Iurauit se illos in solitudine prostraturum. Non displicet quoque quod alii hic afferunt. Eleuauit, aiunt, manum suam more illorum, qui idcirco minantur, ne percutiant, ut hi faciunt, qui rei cuiuspiam confessionem expiscari conantur. Comminatus est itaque Deus se illos subuersurum, nisi ad cor rediissent. Solet quippe diuina bonitas uariis uti medelis, ac ad sanandam animam remediis. Rogat interdum, admonet, minatur quoque, ut hic uides populo illi suo tam charo comminatum esse, se illum penitus destructurum.

{106.27} Et ut deiceret semen eorum in nationibus, & dispergeret eos in regionibus.

Verum nihil id propemodum: nam nullis commoti minis aut plagis, sua in pertinacia perstitere.

{106.28} Et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum.

Quomodo, quoue tempore id actum sit, quod eorum semen per regiones disperserit gentium, tum crebra illorum exilia & captiuitates, tum nouissima melius testari possunt. Nullis quidem sedibus affixi, illo de more properant, conglomeranturque quo uitae commodum ac securitas eos uocat. Acti nihilominus aequissimo Dei iudicio a bene institutis regionibus ac ciuitatibus, non desunt qui fugatos colligant, foueantque, & turpissimum in modum ad domesticam admittant consuetudinem, ad ludos ac choreas, ad thorum forsam. Nefas quidem execrabile. Sed hic mihi tempero, ne me quispiam de mea haec patria dicere suspicaretur. Nullis itaque permoti illi minarum terroribus ac flagellis, sua in duritia permansere, & initiati sunt Beelphegor. Beel, seu Baal, commune erat deorum nomen apud priscos idololatrias Hebraeis conterminos: & significat magnum, seu dominum, seu etiam, ut alii uolunt, maritum. Unde non absque ratione uerbum, copulauit, in principio uersus positum uidetur. nanque ex hebraeo sic legunt

nonnulli: Et copulati sunt Beelpeor, aut phegor, ut legunt Graeci, tanquam scorto, aut adulterae. quanquam uerbum initiandi bellissime hic quadrare non ambigo, cum sit sacris, aut re alia quoque imbui. Hinc sacra initia ab antiquis appellata mysteria, ob id, quod his ex agresti quodammodo uita exculti homines, ad humanitatem formarentur. Caeterum quid sibi uelit Peor, non ita clarum: nisi forte propterea, quod in illius nominis monte apud Moabitas Bel (hunc Priapum fuisse opinantur nonnulli) statua coli consueuerat. Quocirca non absurda ea est Aben Ezrae opinio, qua asserit istud idcirco a Vate dictum, ad exprimendam turpem illorum consuetudinem cum mulieribus Moabiticis. quae causa fuit, quamobrem spurcissimis Baalpeor contaminarentur sacrificiis, quae hic Vates sacrificia mortuorum appellat, hoc est, diis mortuis, & nefandis consecrata. Sic enim de infausto illorum ausu in Numerorum libro legimus: Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quae uocauerunt eos ad sacrificia sua, initiatusque est Israel & Beelphegor, tanquam re sacra. Ex quo auersi illi a Deo uiuo defecerunt,

{106.29} Et irritauerunt eum in adinuationibus suis, & multiplicata est in eis ruina.

Adinuationes uocat illorum conatus & studia, quibus offensa Dei maiestas alia atque alia exaggerauit illis mala: sed in primis multa illos peste uexauit quod nostra habet aeditio, ruina, Hebraeis est pestis: etsi ruinae quoque uox ad pestis effectum referri potest. Quid tantum unquam ruinae secum traxit inter mala, inuexitque uulgo, quantum late sparsa pestilentiae lues? Verum non diutius saeuissima illa in plebem debacchata est ultio. Etenim

{pdf 727, p. 355v}

{106.30} Stetit Phinees & placui, & cessauit quassatio.

Placuit, ex hebraeo uertunt, uindicauit: seu, ut uult Felix, Executus est iustitiam, nempe Dei zelo permotus. Aptissimo praeterea usus est uerbo, stetit: hoc est, se uirum praestitit fortem ac strenuum, qui fornicarium Hebraeum una cum scorto Madianite, ense inguini adacto transfodit. Plaga nimirum, atque ultio conuenientissima adulteris, scortatoribusque, ac turpissimo uitio illi, cui (pro facinus execrandum) fauent nonnulli ex his, qui matrimonia deprecantur. Placato itaque Deo cessauit pestis, millibus tamen hominum quatuor supra uiginti desideratis.

{106.31} Et reputatum est illi ad iustitiam in generatione & generationem usque in sempiternum.

Quandiu enim suo in statu perstabit tempus atque aetas, nulla unquam erit posteritas, quae Phinees zelum aequissimum fuisse non praedicet. Ita quidem de illo sic contestatum fuisse dominum legimus: Phinees Eleazar filius auertit iram meam a filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos. Ecce do ei pacem foederis mei & erit tam ipsi quam semini eius pactum sacerdotii sempiterni. Quid tali iustitia Deo laudata fuit unquam sanctius? quid beatius? Putas ne id Dei testimonium posse adeo exolescere, atque ab hominum memoria interire, quo minus perpetuum sit, uiuatque de generatione

in generationem usque in sempiternum? Strenui igitur uiri illius aequitas, zelus, ac tandem praemium, aeterna erunt, quia a Deo profecta, cuius hic testimonio laudat. Sed quid passus sit Moses propter perfidiam populi, uideamus.

{106.32} Et irritauerunt eum ad aquam contradictionis, & vexatus est Moses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius.

Aquae miraculum, atque iurgii occasio contra dominum in deserto Sin, notissima est in Numeris. Hic non possum non supremum in modum admirari dolereque, ad tantam aliquando mentis infidelitatem, cordisque inconstantiam, potuisse Mosen, tam sanctum scilicet uirum deuenire, ut in elicienda Dei iussu e saxo aqua, nutauerit, uacillantique protulerit fide: Num de petra hac uobis aquam poterimus elicere? Adeone tantum possunt murmuratorum linguae, ut Dei spiritum in sanctorum animi extinguant? aut saltem opprimant? Possum id equidem, ut dixi, admirari, mecumque ut de re nimium acerba conqueri. Veruntamen in hoc eximio & miserabili sanctissimi uiri exemplo coniectare libet, illud idem aliquando inter perfectissimos quoque contigisse, contingereque nonnunquam homines. Quamobrem colligendus et animus, si nostram interdum accidit labefactari uirtutem, pronamque ad casus infirmitatem, simulac cernimus primos illos patres, tam Deo charos, in nefandissimos prolapsos errores & peccata. Quam porro execrandum fuerit Mosis delictum, es uerbis Dei comprehendi potest, qui iratus contra illum ac fratrem, istiusmodi promulgauit sententiam: Quia non credidistis mihi ecce infidelitas) & sanctificasti me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo es. Deum igitur ad iram concitauerunt murmuratores illi iuxta aquas contradictionis ac iurgii: nomen nimirum aquis illis impositum a rei euentu, ubi male habiti fuit Moses illorum causa, turbatusque spiritu de Dei promissis haesitauit. Vnde additur: Quia exacerbauerunt spiritum eius,

{106.33} Et distinxit in labiis suis.

Plane, inquit, perturbauerunt illius animum, idcirco dubiis uerbis loquutus est dicens: Audite increduli & rebelles, num de petra hac uobis aquam poterimus elicere? In mentem tam piis fratribus tunc uenit populi perfidia, crebraeque in eam iniuriae, & offensiones. Ideo ueriti ne ipse populi impietate lacessitus negaret quas, nutanti tum fide, tum sermone, uerba illa indignabundi protulere. Cuius quidem rei illud fuit indicio, quod bis, anteaquam exirent aquae, satisque populo faceret, icta fuit silex. Eam ob rem a promissae terrae ingressu prohibiti fuere. Atqui maximum illorum fuisse delictum, pene ratio demonstrat: siquidem nihil illis contingere potuisset acerbius. Spe igitur illa frustrati, una cum caeteris diffidentiae filiis,

{106.34} Non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.

Imo ipsi dispersi sunt, atque ab aliis captivi abducti. Vide quid illis per angelum

{pdf 728, p. 356}

comminatur Deus. Noluistis, inquit, audire uocem meam, ut non feriretis foedus cum habitatoribus terrae huius, & aras eorum subuerteretis, quamobrem nolui delere eos a

facie uestra, ut habeatis hostes, & dii eorum sint uobis in ruinam. Mirum quanta animi leuitate affecti fuerint Israelitae, qui una fere hora & Deo immenso & daemone turpissimo nomina dederint: facto quippe foedere cum Deo, aliam sua sibi sponte asciuere religionem.

{106.35-37} Et commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. Et immolauerunt filios suos, & filias suas daemoneis.

Id scandalum fuit, atque in quod, ut meriti fuerant, impingerent offendiculum, quod comminatus est Deus dicens: Et di eorum erunt uobis in ruinam. Caeterum liberorum sacrificium Moloch a gentibus illis turpissimo celebrabatur ritu: quod execrans dominus in suis, sic lege sancit: Si quis dederit de semine suo Moloch, morte moriatur. Hunc putant nonnulli Saturnum fuisse. Nefandissime sane & crudele illud fuit sacrificii genus, in quo pater liberos, & hos quidem reluctantes, coelumque ipsum clamoribus implentes, excutientesque a collo ui multa gladium aut securim, ad cruentas idolorum aras immolarent: atque ita iugulatis filiis, in charissima inuenti sunt desaeuisse pignora, belluis ipsis immaniores.

{106.38} Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.

Istuc impietatis commentum in terra Chanaan ortum habuit, quo Dei populus miserandum in modum oblectatus, ad tantam animi crudelitatem prolapsus est, ut teneros, uagientesque in cunis filios, iugulauerit, terramque innoxio cruentauerit sanguine. unde additur:

{106.38-39} Et infecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum, et fornicati sunt in adinventionibus suis.

Quod ex nostris quidam legunt, Et interfecta est terra, error est propter literarum uicinitatem ortus. Nam de pollutione terrae e sanguine oborta sermo hic fit, non de illius interfectione. Visa tunc est tellus, illam execrata abominationem, purum illum cruorem infantium ingratis hausisse, Sensit quodammodo tam dirum factum, scelusque tum uix auditum in terris, inuita, quasque ingemiscens absorbit, Et fornicati sunt, inquit, tanquam adulterae legitimo contempto uiro, suis in operationibus studiisque, ac ad suam ipsorum perniciem adiuuentis consiliis, Plebs quidem illa Deo uno ueluti marito suam sponderat religionem, sed postea alios nacta amatores, Deo purissimo derelicto, spurcissimum idololatrarum sequuta est cultum, & amorem. Sanguinibus, ex hebraeo uerti poterat, sanguine: nisi malis, sanguinibus pro frequentibus sanguinis effusionibus intelligi. Quocirca excanduit supra modum,

{106.40} Et iratus est furore Dominus in populum suum, & abominatus est haereditatem suam.

{106.41} Et tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum qui oderunt eos.

{106.42} Et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum.

Miseranda ea fuit rerum mutatio, qui nuper a Deo protecti uicinas fere omnes debellauerant nationes, mox sua ipsorum culpa a Deo proiecti, illis parere coacti sunt, qui capitali eos odio persequebantur. Execratus itaque dominus populi sui mores, quem suam olim esse haereditatem, & hanc carissimam, quamque praeter caeteras adamaret nationes, iam ab aeterno delegerat, mirum in modum in tam turpem atque impiam illius consuetudinem exarsit, abegitque a sese. Traditi proinde sunt in manus hostium, sub quorum imperio afflicti, misere illorum subiecti fuere tyrannidi. Ego maximae irae Dei in populos indicium erit a tyrannis subigi. Siquidem ubi tyrannus est, ac regnat, ibi omnem malorum cumulum inesse cogita. Atqui ut maiorem populi illius ingratitude exprimeret, facilitatem Dei parentis ostendit.

{106.43} Saepe, inquit, liberavit eos, ipsi autem exacerbauerunt eum in consilio suo, & humiliati sunt in iniquitatibus suis.

Innumeris enim tum locis, tum uicibus liberati, ad ingenium statim rediere, atque adeo saepe, ut pene impietate, Dei clementiam uoluisset superare uisi sint. Ille qui-
[quidem]

{pdf 729, p. 356v}

-dem, ut antea promiserat, continuis illos fouebat auxiliis ac beneficia: hi contra sempiternum numinis consilium interturbare conati sunt. Exacerbauerunt, Hebraei fere omnes legunt, rebelles facti sunt. Sic Felix: Ipsi uero rebelles facti sunt in consiliis suis. quorum uerborum sensum sic reddit Paraphrastes: Sua potius quam diuina consilia secuti sunt. En rebellionis a Deo causa, atque origo: nempe hominem suos sibi natura ingeneratos uelle sequi motus & consilia, spretis interim Dei consiliis, quae in eo uersantur ut hominem uel reluctantem quaerat. Verbum porro, humiliati sunt, non ad uirtutem referas, sed ad turpissimam, in quam peccando ceciderant, depressionem & infamiam. Depressi sunt, inquit, propter sua scelera, atque impiam de Deo persuasionem. At Deus tamen (pro genus pietatis inauditum) adhuc placatur, adhuc miseretur.

{106.44-45} Et uidit cum tribularentur, & audiuit orationem eorum: & memor fuit testamenti sui, & poenituit eum secundum multitudinem misericordiae suae.

Et audiuit lamentationem eorum, ex hebraeo uertunt. Campensis autem, eiulatus, seu querimonias. Certe pater, si uerus pater est, non tam unquam obstinate inexorabiliterque in filios excandescit, quin statim rogatus parcat. Secus uero illos agere cernimus, qui uitrici magis dicendi sunt et mercenarii, quam patres aut pastores, qui ut dii interdum maximis interpellati uotis ac supplicationibus, in leuioribus etiam culpis, placari uix possunt. Indicium id sane superbissimi est animi, ac tyrannici. Vidit, inquit, suorum afflictionem, suspiriaque pientissimis hausit auribus, ut pii solent patres & pastores: memorque fuit foederis cum illis icti, licet illi immemores extiterint & ingrati.

Poenitentia igitur affectus est, se suos in angustiis deseruisse: & id quidem, non quod ullam in eis inuenerit iustitiam, sed quia ipse copiose misericors est, effecitque ut gratiam cum illis inirent, qui eos captiuos abduxerant. Unde sequitur:

{106.46} Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium, qui ceperant eos.

Fecit, inquit, quae sua est inexhausta clementia, ut illis hi misericordiam praestarent, qui eos in miseriam coniecerant. Non est quidem mediocre id Dei beneficium, captiuum quempiam, seu aliquo alio miseriae genere oppressum, habere consolatorem, praesertim illum, sub cuius custodia retineri contingat. Sed duriores nunc sunt homines, quam ut hisce piis commollescere possint exemplis: quammaximis enim nunc extollunt laudibus qui efferatioribus sunt in miseros. Sunt ne hi custodes, an carnifices? Quoniam igitur surdi facti sunt istiusmodi miserorum oppressores, tu

{106.47} Salvos fac nos domine Deus noster, & congrega nos de nationibus. Ut confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua.

Hi duo uersus uel fidei graues, his optime quae in superioribus cum iudicia tum beneficia sunt enarrata, conueniunt, ostenduntque nullam posse esse aerumnam ac aduersitatem tam acerbam, quin toleranter ferri queat, addita firma in Deum spe, & fiducia. Firmam dico propterea, ob quorundam animi leuitatem, qui tametsi nonnihil in Deum sperare uideantur, tamen eousque sperant, quoad eius refrigerium sentiunt & leuamen: Caeterum in palaestra uix horulam derelicti, despondent actutum animum, querunturque se a Deo neglectos. Salubre haudquaquam id genus est fidei, in quod tamen turpissime dilabuntur homines. Collatis itaque simul in hoc psalmo Dei donis & flagellis, in spem totum istud soluitur negocium, atque suo more Vates: *Serva nos mi domine, qui Deus es noster, nosque uariis molestisque a nationibus inter quas iustissimo tuo dissipati fuimus iudicio, collige, secerneque ab illis, ut ullo absque impedimento, aut nota infidelitatis, tuum sanctissimum laudare possimus nomen atque praeterea tua in religione occupati, te laudibus ut par est, & quae nostra est gloria, efferre ualeamus. Huc quicquid conditum est conueniat, mecumque exclamet*

{106.48} Benedictus Dominus Deus Israel a seculo, & usque in seculum, & dicet omnis populus, fiat, fiat.

Ex hebraeo sic: Et dicat omnis populus, Amen. Halleluia. Omnis itaque populus generatim laudet Deum, qui omni laude maior est ab aeterno & usque in sempiternum: dicatque cum Israele, nempe electorum coetu, quae est Ecclesia in Christo, Amen. Halleluia.

{pdf 730, p. 357}

PSALMVS CVII.

{107.1} Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Nobilissimum id genus est odorum, quod a diuinis laudibus suum habet exordium, ut haec omnino est, quam in praesentia tractare intendimus coelestem illam quidem & admirabilem, utpote uario sacramentorum ornatu, tanquam gemmata chlamyde uestitam: tota enim Christo grauida est, idcirco Dei bonitate atque misericordia. Hincque reiecto prorsus suis cum superstitionibus Iudaeo, gens sponsae uestimento affuitur, fiuntque aquarum dulcium scaturigines, ubi nullum antea uel tenue quidem humoris fuerat indicium. Ponam, inquit, desertum in stagna a aqua cum, & terram inuiam in riuos aquarum. Felix sane nostra aetas ob Christi praesentiam, nisi homines natura ingratisissimi, gratiarum copiam peccando interclusissent. Pene enim oclusus est fons, aut saltem superstitionum rudere atque excrementis uitiorum interturbatus. Vix certe an sit spiritus non nescimus. Possumus quidem die noctuque in Dei laudibus occupari, oreque ac cantu, ut nunc est usus, uociferari, cor uero nostrum quo abiit? quo mens diuinae lucis capax atque altrix auolauit? Equidem animus natura coelestis, nisi prorsus candidus sit, liberque a carnis contagione in suam feratur originem, laudes, quae omnino turpes non sint, Deo canere non potest, licet sanctissimae appareant & euangelicae. Pro inde uagationes illae mentis ultroneae, atque cum rem sacram facis more uelutum incursions, a choris penitus laudantium Deum expellendae sunt, assuefaciendaque est mens ad quietem illam, quae nunquam requiescit, donec in Christi sinum, ubi amor uiuit, demigret. Haec fere summa est psalmi, qui quemadmodum occultissimo mysterio intercalaribus uidetur ludere uersibus, ita res maiorum ueteres carptim libans, totam Christianorum Ecclesiam effigiat. Ad haec eodem utitur in hoc psalmo exordio Vates quo in superiori, dicens: Confitemini domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Pluribus omissis, quae in alio dicta sunt eiusdem principii psalmo, id solum dicam, immensam Dei esse misericordiam, illiusque bonitatem adeo effuse sparsimque omnibus in rebus disseminatam, ut in nihilum penitus, nisi illius fotae essent calore, relaberentur. Vis ea quidem est numinis, ut cuncta suo in statu conseruet, augeat animetque in sese, modo uitae capacia sint, ac rationis in primis, ut humana est natura, quae quod est, quo uiuit, quod redemptionem est nacta, ac uitam in Deo, illius debet bonitati, non propriae iustitiae, quae nulla tunc erat: modo aliqua est per Christum, qui suos redemit, & proprio purificauit sanguine. Ea propter

{107.2-3} Dicant qui redempti sunt a domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos, a solis ortu usque ad occasum, ab aquilone & mari.

Verbo, dicant, addendum est, hymnum, seu laudem. & est sensus: Hi dicant laudem Deo, qui redempti sunt ab ipso. Quidam uertit: Agant gratias Deo redempti. ut expressam hic esse Ecclesiae imaginem non dubitemus, quam Deus a quatuor mundi partibus euocatam, segregatamque a gentium caeterarum perfidia, in unum collegit ouile. Mare hic positum pro meridie, ut alias quoque, clarum est: quanquam interdum pro occiduis partibus usurpatur, sed tunc pro mediterraneo accipitur, quod est Iudaeae ad occidentem. Verum de mari rubro, qui sinus est Arabicus, hic intelligi uolunt, quod ad meridiem est Iudaeae. Unde ex hebraeo uertunt quidam, ab Aquilone & Austro, qui uentus meridionalis est. Felix autem aperte, a meridie uertit. Ait itaque: Sponsam Christi e uariis selectam regionibus, nempe orientalibus, occiduis, meridionalibus atque septentrionalibus idcirco congregatam esse, ut diuinis uacet laudibus, praeludium

nimirum patriae coelestis, & beatitudinis. Hi tandem confidenter diuinas celebrant laudes, qui id gratis habent, quod ex eorum numero sunt, qui redempti sunt a domino. Anteaquam enim vocarentur, una cum caeteris

{107.4-5} Errauerunt in solitudine in inaquoso, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt, esurientes et sitientes anima eorum in ipsis defecit.

{pdf 731, p. 357v}

Vide impii cordis inanitatem: nullo etenim affectum spiritus refrigerio, perlanguescit, fitque tanquam ager siticulosus ac sterilis. In inaquoso, transferunt, in uia inculta, nempe dumis obsita, atque interrupta. Incommodorum quidem, quibus maxime affliguntur hi, qui uastas peragrant solitudines, meminit Vates, quo perspicuum magis sit, quanta teneantur rerum spiritualium inopia, qui a Deo alienati suo feruntur arbitrio, errabundo quidem & uano, dum suum est. Eos itaque errare necesse est, esurire, sitire, ac nulli affixos domicilio, temere, atque ulla absque unquam perueniendi spe ubi animus est, uagari. Solent enim qui in desertis locis iter habent, summa affici desperatione & moerore, si aberrare contigerit. quocirca ut anxium istiusmodi exprimeret affectum, illud intulit, quod uiam ciuitatis habitaculi non inuenerunt: quare anima eorum in ipsis defecit. Verum non omnino uecordes facti, tantillum collegerunt halitum,

{107.6-7} Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur, & ex necessitatibus eorum liberavit eos et eduxit eos in viam rectam, ut irent in ciuitatem habitationis.

Immensae id est consolationis plenum, cum recolit anima, se a suo non posse genitore diutius deseri, modo se errantem agnoscat, atque illius imploret auxilium, qui semper instructissimis praesto est copiis. Clamantes igitur, ut olim ueteres illi in solitudine actitarunt Hebraei, benignissimus exaudit dominus, illosque de angustiis ereptos fouet, consolatur, in ciuitatemque habitationis, locum uidelicet tutum, a quo tam imprudenter deerrauerant, inducit. Quid tum ab hospite liberali, ductoreque fidissimo putas agi? Mensa sui uerbi cibo, potuque Euangelico perornatur, qua famem illam & sitim, arenti in solitudine contractam, sedare queant. quae sane solitudo inuia atque inhospita, erat mundus, qui fame, sitique iustitiae contabescens, iter quod ad ciuitatem, quam Dei gratiam esse arbitror, perducit, ignorabat. Viator erat anima, dux Christus, ad quem quidem nemo unquam accessit, quem patris gratia prius non attraxerit. Quapropter

{107.8-9} Confiteantur domino misericordia eius, et mirabilia eius filiis hominum. Quia satiavit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis.

Intercalaris is primus est uersus, qui quarto repetitur in hoc psalmo, more san [sic, sane] eorum, qui istiusmodi metri generi ad flagrantem mentis aestum atque ardorem commonstrandum utuntur. Vide pium animae motum in Deum. Gratias, inquit, agant domino illius misericordiae. Felicissimum profecto studium. Vin scire quales sint Dei misericordiae? Sunt publicani, sunt meretrices, sunt id genus ali, qui Dei clementia

seruati, suum laudant seruatores, colunt ex animo, ueneranturque, atque illi gratias referunt. Hic locus hypocritis est nullus, qui suo seruari se posse marte non tantum ducunt, quantum aliis persuadere contendunt, atque usque ad sudorem digladiantur. In illis quidem non laudat Deum illius misericordia, qua seruari renuunt, sed opera, quibus absque fide laudari posse Deum somniant. Fides quidem, qua potissimum seruantur homines, nulla est, si desit misericordiae Dei persuasio. Ad haec, opera tanto sanctiora sunt, ac Dei spiritu digniora, quanto a fide certius quod Dei donum est, proficiscuntur. Haec igitur laudare Deum possunt, caetera uero uituperant, atque ad iracundiam prouocant: quae etsi mirabilia forsitan uulgo apparent, tenuia tamen sunt ac nihili, quia in peccatis acta: nostra autem, hoc est syncere Deum colentium, mirabilia prorsus & stupenda, quaeque filiis, ut inquit Vates, hominum narrari debeant, quia sancta sunt & salutaria: his enim nititur iusti uiri anima, in his uiuit, in his sese oblectat. Caeterum mirabilia Dei sunt quaecumque ille in suorum gratiam operatus est, creando, redimendo, seruando, glorificando. Quae omnia filiis hominum, qui humanis etiamnum reguntur affectibus, quo in diuinum inardescant amorem, inculcanda sunt (non ea, quae nisi ieiunitatem spiritus afferunt, licet sanctissima uideantur) ut & ipsi laudare queant Deum, quia satiauit animam inanem Dei gustu ac fide, illamque fame periclitantem impleuit bonis illis, quae fures non furantur, neque tineae blattaeque ignauae demoliuntur. Atque haec quidem omnia a Dei manant misericordia, quae, ut est benignissima illius natura, subleuat refocillatque

{pdf 732, p. 358}

{107.10} Sedentes in tenebris, et umbra mortis, uinctos in mendicitate & ferro.

In mendicitate, nonnulli uertunt, in afflictione. Unde sic quidam: cum uincti afflicti essent ferro, nempe ferreis catenis ac repagulis. Certe de peccatorum catenis hic dici puto, ex his quae praecesserunt. Siquidem nullum tam saeuum esse tenebrarum genus & catenarum iudico, quod cum peccatis, obscurioribus natura quam ipsa sit nox, conferri queat. Sed & peccatum mortem ipsam, ueluti umbra corpus, sequitur. Umbra igitur mortis ipsum est peccatum, sub qua sane umbra sedere hos dicit Vates, qui longo peccandi usu & consuetudine, tanquam angues udo in loco, commarcescunt, proprioque enutriuntur succo & ueneno, quae sunt malae appetentiae, prauaque desideria, ac conspurcata mens. Causa uero ea esse uidetur,

{107.11} Quia exacerbauerunt eloquia Dei, & consilium altissimi irritauerunt.

Apertius ex hebraeo uerti poterat: Quia abiecerunt sermones Dei, & consilium altissimi contempserunt. Atqui malorum omnium origo indubitata haec est, Dei uerbi contemptus, atque sapientissimi illius consilii, quo gratis omnibus salutem impartiri pollicitus est, neglectus. Etenim in Dei uerbo uita est animae: eo abiecto, quo se conferat infelix? Quoquouersum se uertit, tenebrae statim apparent densissimae, atque umbra mortis. Proinde siti acerbissima torqueri illum necesse est, ac tandem emori, qui ex se seruari posse opinatur, cuique nihil omnino suffragari potest diuina lex, quae est lex uitae in Christo Iesu, qui in se nostram ponenda esse salutem, ac uitam, aeterno

decreuit consilio. Sine me, inquit, nihil potestis facere. Quod si tamen nostrum nonnihil quoque posse in re salutis arbitrium per gratiam sanatum contendunt homines, illud ne negabunt, uim illam a Deo esse, atque ut aliquid ualeat ab ipso iuari? Ergo per gratia & sumus, & ad salutem, quae in Christo sita est, erigimur, nanciscimurque tandem per ipsum illud, ad quod assequendum nostra omnino tarda est uoluntas, in qua tota uis est arbitrii collocata, uel potius relicta: qua qui plus quam par est nituntur, Dei uerbum, consiliumque paruipendunt, atque ideo in caeco errant labyrintho, semper uagi, instabiles, atque ad lapsus procliuissimi. Tantaem quidem impietatis signum est, nimia de nobis confidentia, qua qui affecti sunt, uiciniori imminent ruinae, quam alius quiuis maximo in uitae discrimine constitutus. Ac de illis quidem, quae mox sequuntur, dici puto:

{107.12} Et humiliatum est in laboribus cor eorum, infirmati sunt, nec fuit qui adiuuaret.

Horrendum id est periculi genus, cum quis supra uires afflictus, opem implorat, nec inuenitur qui manum porrigat. Actum de illo prorsus esse conclamant omnes. Ita olim murmuratori populo in solitudine contigisse legimus. Clamauerunt, inquit, ad dominum, nec exaudiuit eos. A Deo quidem sua sponte alienati, quem alium finem suis aerumnis expectare potuerunt? In omnem certe uitae confusionem prouere illos, qui huiusmodi sunt, necessarium esse cernimus, uel eos in primis, quibus rerum summa credita est in rebuspublicis ac regnis. Hincque ortum habere credimus iudicia illa infinita impietatis, consiliaque nefanda, conciliabula, ac iniquissimas in insontes conspirationes, proscriptionesque morte ipsa acerbiores: addo & uim illam intolerandam, non solum in fortunas miserorum ac facultates illatam, uerumetiam (nefas) in infelices ipsorum uxores, atque ob id maritorum occisiones, & id genus alia propter Dei neglectum contingentia in mundo. Vere hi, ut inquit Vates, infirmi erant, morboque aegrotarunt insanabili, nec fuit qui iret suppetias. Caeterum quem sensum afferant uerba illa, Et humiliatum est in laboribus cor eorum, ex Paraphraste intelligi potest. Afflixit, inquit, molestissimis cutis animas eorum. Aestuans quoddam mare est cor impii ac procellosum. Verum quoad uiuitur in hoc mundo, de diuina nunquam desperandum est misericordia, quae etiam fugientes sequitur, retrahitque a fuga, & seruat. Idcirco additur:

{107.13} Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberauit eos.

Is alius intercalaris uersus est, miro diuini amoris erga animam ardore accensus. Tametsi, inquit, illorum res pessimo essent loco, ipse tamen animarum aman-[amantissimus]

{pdf 733, p. 358v}

-tissimus, e malis eos omnibus atque angustiis, quas hic necessitates uocat, dicto-citius exemit, in tutoque collocauit.

{107.14} Et eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum dirupit.

Obserua hic iterum, tenebrarum, mortisque umbrae, & catenarum fieri mentionem. Clamantes, ait, opemque implorantes exaudiuit, atque de nigra inferorum nocte, umbraque mortis, & catenarum nodis pene indissolubilibus eripuit. Propterea

{107.15-16} Confiteantur Domino misericordia eius, & mirabilia filiis hominum, quia contriuit portas aereas, et vectes ferreos confregit.

Quae sint portae ex aere fabrefactae, quarum uectes ac pessuli ferrei sint, quibusque miserrimae detinentur animae, mox aperi, dicens:

{107.17} Suscepit eos de via iniquitatis eorum, propter iniustitias enim suas humiliati sunt.

In dictione, iniquitatis, omnium, ut ita dicam, massam uitiorum intelligi oportet: siquidem hominem nequam mala cuncta tanquam satellites comitantur. Sed pessimum id omnium esse solet satelliti genus, a nefariis constipari hominibus nempe ab hypocritis & adulatoribus, ab illisque, quibus iam manus ob frequentes occalluere prehensiones, quae haud multo pridem ob rastra. Iam illud non omittendum, literam hanc paula secus Hebraeis esse. Sic Felix: Insipientes a uia transgressionis eorum, & a delictis suis afflicti fuerunt. Alius rursum: Stulti propter uiam flagitii sui, & propter iniquitates suas affliguntur. Quae & tandem unica est causa & ratio, quamobrem tot in orbem inuecta sunt mala. Et ut quidem innumerabilia ea sint, illud tamen omnem super calamitatem, augetque piis animis dolorem & cruciatum, quod omnes fere Christiani in Iesu Christi fide infirmi sunt, ac plane elumbes. Vtinam falsus sim, coniectaremque dubius, quod uel ipsi caeci intueri possent. Vtinam, inquam, qui opulentiores sum in magno Christi, diuites magis essent fide ac religione, quam huius mundi bonis: melius res nostrae, nempe Christianorum, quae propemodum cum infidelium moribus conueniunt sese haberent. Mirum ne igitur erit cuiquam, nulla extare mala, quin illis potissimum obnoxii sint homines? Verius igitur illud est, quod multis probari debeat argumentis, quam stultis (sic uersum transferunt ex hebraeo) propter uiam flagitii sui, & propter iniquitates suas affliguntur. Noster uero, propter iniustitias suas humiliati sunt. Insuper

{107.18} Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt usque ad portas mortis.

Grauius enim aegrotantis id proprium est, ut cibum omnem, praeter illum, qui illius morbo officit, aut nihil omnino prodest, fastidiat. quod sane male affectae ualetudinis, mortisque proximae est signum. Quare simul ut dixit, omnem escam illis nauseae extitisse, mox intulit: Et appropinquauerunt usque ad portas mortis. quo quidem cum peruentum est, nil uetat quo minus extremum efflet halitum aegrotus: abiectis enim his quae salutem afferunt, mors illico, quae omnibus, tanquam leo praedae, inhiat, uitam intercipit. Consimilem in modum se habet anima in fide Christi infirma, atque propterea multis interspersa uitiorum notis, & scabie. Caeterum animae stomachum, illius esse mentem atque intellectum diffiniunt: quo corrupto, hoc est, in rebus nihili contemplandis occupato, cibus omnis spiritualis nauseae illi est: indeque ex male

concocto, tanquam cibo, Dei uerbo, letali afficitur uoletudine cui nisi Deus, in cuius manu uita ac mors posita est mortalium, opituletur, illiusque medeatur languori, interit, ferturque ad perpetuas inferorum tenebras, ubi uae est aeternum, dolorque inconsolabilis, atque atra nox. In istiusmodi enim labe humana olim uersabatur malitia: in his hominum erat studium & cura. Verum suo edocti malo (ferreus ille est, quem non emolliunt aduersa) sese paululum collegere

{107.19-20} Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Misit uerbum suum et sanauit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.

Misit iustum, uertunt nonnulli ex hebraeo. Attamen sive iustum, sive uerbum legere libet, Christum hic mihi Vatem praesagisse iudico, a quo sane languor omnis animarum sanandus erat, restituendusque uel ipsis prorsus exanimatis, & uigor, & uita. Misso proinde ab aeterno patre unigenito, nostris obducta est caro uulneribus, erepta est anima, atque ab interitu asserta. Quare

{pdf 734, p. 359}

{107.21-22} Confiteantur domino misericordiae eius, & mirabilia eius filiis hominum. Et sacrificent sacrificium laudis, & annuncient opera eius in exaltatione.

En illud uenerandum, in quod reliqua omnia desiere, sacrificium, nempe laudis, quo anima delectata, tota amore comburitur, fitque ebria, ac pene furens. Ex quo dici non potest, quanto cum gaudio atque exultatione, Dei opera immensa & admiranda non solum libenter memorat, uerumetiam palam omnibus inuulgat. In his itaque occupata studiis, non potest non uere absque errore Dei operationes agnoscere. Agnoscunt & improbi eruditi, sed non uere, non syncere, non medullitus, quia absque spiritus gustu eo sua dirigunt tum studia tum operationes, tum uim ingeni, ubi maior speratur ambitionis fructus. Agnoscunt & daemones, cedunt quoque & contremiscunt. Etiam

{107.23-24} Qui descendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipsi uiderunt opera domini, & mirabilia eius in profundo.

In, anteponendum erat mare, ad hunc modum: Qui descendunt in mare nauibus. Caeterum facientes operationes in aquis multis, uastis nimirum, atque infinito reclusis littore & interuallo, uolunt mercatores, atque istiusmodi alios esse audaculos, qui mare sulcant. Hi quidem optime Dei opera, ac portenta illa immania, tum rerum, tum animantium, quae in mari degunt, disquirunt, intelliguntque, atque aliis summa cum admiratione audientium enarrant. Norunt hi, inquam, plura in mari esse naturae miracula, quam in terra: thesauros item preciosissimos undis coopertos, gemmas, lapillos, uel in primis coralliorum fruticem, ut mollia scilicet sub undis innascantur, exempta uero durentur illico, atque uti corna rubescant. Innumerabiles porro piscium esse species deprehendunt, monstra item, conchyliam, cetosque illos adeo ingentes, ut non pisces aut belluas per mare ferri dicas, sed insulas arboribus consitas & herbosas. Quid? nullus est numerus phocis, uitulis, canibus, lupis, equis, atque omnis generis

fructibus sapore pene ueris similibus. In illis itaque marinis oblectantur rebus negotiatores, quique maria sulcare consuescunt, adiutique a rerum illarum opifice, in tam periculoso aquarum procellarumque traiectu securi negociantur. Qui quidem opifex adeo potens est, ut eo iubente mare ipsum terrificè intumescat, aestumque una cum undarum fragore commisceat. Etenim

{107.25-27} Dixit & stetit spiritus procellae, & exaltati sunt fluctus eius. Ascendunt usque ad coelos & descendunt usque ad abyssos. Anima eorum in malis tabescebat, turbati sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est.

Sapientia eorum deprimetur, uertit Felix: seu, ut alius, cessat. & refertur ad nautarum peritiam, quae in immensa uentorum procella, & confusa aeris commotione illa, qua sol etiam in meridie aufertur, prope est nulla. Doctissima haec est tempestatis maritimae descriptio. Motus enim illi maris tametsi a naturalibus proficisci uidentur causis, causarum tamen earum Deus, ut illius in omnibus cognoscatur uirtus & potentia, eos prouocat, sedatque cum uult. Dixit igitur, hoc est, quoties libitum fuerit ingentem illam procellarum uim & saeuitiam uento excitat, idcirco uasti tollunt ad sidera fluctus. Visu horrendum, nauem onerariam aestu cernere circumferri, in gyroque uentorum impetu rotari, ac modo summo in fluctu pendere, modo refuso uado iactari, atque ad ima arenae non absque gemitu, rudentumque stridore ferri, & undas spondis fatiscensibus excipere. Tum metu exanimantur uectores, nautaeque dubii quid opus sit facto, ad Deum supplices sua nuncupant uota. Cum certe mortem intentent omnia, tetraque obducatur coelum caligine, ac magis in horas conualescat turbo, aestusque efferatius incrudescat, quod aliud implorarent numen? Quod enim ait, anima illorum, nempe uectorum in malis contabuisse, apte illo principis poetarum exponi posset: Tum subito Aeneae soluuntur frigore membra. Animi, inquit Campensis, illorum prae metu uidentur solui. Ad haec aliud infertur nauigantium incommodum, cum illos ebrio, qui nutabundus sua omnia facit, elegantissime comparat. Ita eos metu illo extremo, ac nausea affectos agere necesse est. Siquidem

{pdf 735, p. 359v}

ab illa molestissima undarum iactatione, appulsuque inaequali, oriri solet in meticulosis maxime, tum capitis, tum animi uertigo, permotique adeo infesta, ut pedes nusquam consistere permittat. Turbati sunt, inquit, & moti sunt sicut ebrius. Verum

{107.28-29} Clamauerunt ad dominum cum tribularentur, & ex necessitatibus eorum eduxit eos. Et statuit procellam eius in auram, & siluerunt fluctus eius.

Ars illa nautica tam admirabilis, nulla plane est, nisi Deo nixa res suas omnes moderatissime, atque in Dei timore exercent. Alioqui mare fragili sulcare ligno, ac tam certa excipere pericula sine Deo, quem portum unquam, qui confragosus non sit, subibit nauita de more blasphemus & desperatus? En igitur quomodo una fidei uoce, plusquam Cynosurae beneficio, placantur uenti, mareque sine undarum strepitu placido fertur murmure ad littus. Clarius ex hebraeo hunc legunt uersum. Sic Felix: Locauit turbinem

in tranquillitatem, & siluerunt undae eorum. In auram, inquit, tenuem & suauiem, ferox conuersus est Eurus, procellosusque Aphricus iram deposuit, atque fraenatis fluctibus subsedit tempestas, ac siluit. Non huc certe opus est, ut nouum aliud inducas numen: Dei istuc est opus, atque sanctissimae illius uoluntatis effectio: quocirca grato illi animo suum illud cecinere ob redditam serenitatem celeuma:

{107.30} Et laetati sunt quia siluerunt.

Venti scilicet ac fluctus.

{107.30} Et quia deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Permagnam id est Dei munus, cum quis Caietae portum capere expetit conaturque, in Syrtes latentesque scopulos non relabitur, aut miserando cursu, quo uenti impellunt, per altum ad Sicula reuehitur littora. Deduxit, inquit, eos e periculis illis immensis in portum, quem concupierunt, Portum, inquam, desideratum plenis subierunt uelis. Ergo etiam atque etiam

{107.31-32} Confiteantur domino misericordiae eius, & mirabilia eius filiis hominum, & exaltem eum in ecclesia plebi, & in cathedra seniorum laudent eum.

Iam illud addam, quod nondum dixi, uersum hunc intercalarem parum aliter Hebraeis esse. Sic illi: Celebrant dominum ob bonitate suam: seu, ut interpretatur Paraphrastes, fateantur dominum esse clementissimum. Caeterum obserua nostrae religionis grauitatem In cathedra, inquit, seu in consessu senum laudent eum, Non senes tamen stupidos, ac longo turpissimoque usu libidinosos intelligas, quorum moribus nihil foedius inueniri potest. Atqui lucidissimum ueluti sydus est in terris bene moratus senex in iuuenum grege & multitudine. Contra uero nihil obscurius, quodque magis stomachum moueat, sene moroso, loquace, sordido, & (quod etiam nos aliquando experti sumus) oblocutore, ac patinis dedito. Eia itaque qui diuino dignati estis fauore, Deo id totum, quicquid est, referatis acceptum, atque in populi corona, senumque frequentia & consessu, in quo grauissima tractari solent, illum laudibus efferte. Ille quippe est,

{107.33} Qui posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim.

Quis hic stupendam Dei potentiam non ueneretur? Heu tardas animas. Non est quidem tam aridus squallensque ager non uinea, non olea, non pratum, non quicquid illud tandem sit quod fructus afferat, tam infelix & infoecundum, quin gignendi propagandique prolem uim nanciscatur subito, si Deus iusserit. quod sane quoque de animae sterilitate dici posset. Sicca per se admodum anima est & ieiuna absque Dei rore, quae inaestimabilis illius est gratia. Vide igitur quid hac de re asserat spiritus, sed prius contrario argumento. Potest is, inquit, flumina in siccitatem uertere, atque eo modo terram propter sterilitatem desertam facere, uenasque aquarum intercidere, ac propterea cuncta siti enecare. Potest, inquam, uertere

{107.34} Terram in salsuginem a malitia inhabitantium in ea.

Haec omnis causa est inediae, atque penuriae annonae, nostra uidelicet improbitas, & in Deum perfidia, malitia item, peruersitas, ac sordida uitae ratio: ex quo tanta iam orta est in agris sterilitas, ut pene fruges omnes letalem in salsuginem

{pdf 736, p. 360}

& squallorem abierint: & id quidem propter malitiam inhabitantium in ea. Haec sunt uerba spiritus, ne tu causas nescio quas sterilitatis agrorum, inepte huc afferas. Regiones, inquit, feraces, camposque foecundos ac bene cultos, ob scelera illorum, qui terram incolunt, infructuosos, immissa lue salsuginis, facere potis est. E contrario autem,

{107.35} Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum.

Non diu patitur pientissimus dominus suos a mala exagitari fortuna, modo in flagella non insurgant, indignabundique obluctentur: ob id enim data est homini aduersitas, ut candorem contrahat, non rubiginem. Expende itaque quid bonorum placatum afferat numen. Terram enim illam, quam prius iratum sterilem, fontesque uiuos (hos exitus aquarum uocat propheta) exiccari iusserat, mox placatum in optatam erumpere facit tum frugum, tum aquarum copiam, ut iam uidere libeat germina cuncta reuiuere, fruges e campis atque arboribus ubertim, carris uehiculisque ob onera stridentibus conuehi: atque id propterea, ob imbrium, fontiumque amoenitatem, & scaturigines, quae salsuginem illam noxiam a culmis atque aristis abluunt.

{107.36} Et collocauit illic esurientes, & constituerunt ciuitatem habitationis.

De istiusmodi hominum multitudine, de qua hic loquitur Vates, in superioribus est dictum, quod esurientes & sitientes uiam ciuitatis habitaculi non inuenerunt: modo uero felicissima hi commutatione, in terra feraci & amoena, quo suam sedare queant famem ac sitim, collocati, locum sibi in ea tutum, atque ad habitandum idoneum condere statuerunt, ibique commodis erectis aedibus respirare coeperunt:

{107.37} Et seminauerunt agros, & plantauerunt uineas, & fecerunt fructum natiuitatis.

Contigit nonnunquam, quod regio ab incolis propter famem deseritur, aliusque incultus eligitur locus, quem ipsi colere incipiant, atque uictum sibi ex Dei benignitate, qui rerum omnium bonarum autor est, ubertim comparent. Rursusque accidit, ut loca etiam culta, propter peruersum quorundam dominium, atque malitiam inhabitantium, deserant homines: & sic regio satis per se foecunda & felix, in solitudinem paulatim redigatur. Fructum natiuitatis, clarius ex hebraeo uertunt, fructum annum, seu fructum & fruges, ut reddit Felix. Mandarunt, inquit, agris illis innouatis semina, plantaruntque uineas, quae fructum redderent annum, multiplicatum nimirum, ac felicissimum in modum auctum.

{107.38} Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis, & iumenta eorum non minorauit.

Copiam quidem illam frugum & fructuum a diuina prouenire benedictione fatetur Vates, Fatemur & nos, qui haec quotidie in nostris tum animi, tum corporis fieri rebus experimur. Subtracta quidem a nobis Dei benignitate, quid miseriarum non incurrimus? quid calamitatum non nanciscimur? A Dei itaque liberalitate prouenit, quod liberi nostri, quod fructus, quod nostra omnia, quae ad uitae usum faciunt, augentur: quod pecora non minuuntur, & intereunt, sed copiosa semper multiplicantur successione. Nuper enim in hac regione, in qua haec nunc commentor, cuncta fere interierunt animalia. Aiunt incolae, ab inusitato id frigore contigisse. Ego uero, ab illorum profectum esse malitia, ac parum firma in Deum fide, respondeo, eisque inculco, ac usque ad fastidium replico. Idcirco mali,

{107.39-40} Et pauci facti sunt, & uexati sunt a tribulatione malorum & dolore. Effusa est contentio super principes, et errare fecit eos in inuio, et non in via.

Contemptio, seu contemptus, vertendum fuerat non contentio, ut nos legimus. E (quanquam & contentio suum habet sensum, qui ad illorum discordias, quae maximae nunc sunt, refertur.) Verum de ludibrio, quibus nostri interdum habentur principes & superiores, hic loquitur: qui sane contemptus ab illorum ne oriatur ignauia & auaritia, aut potius a subditorum superbia atque improbitate, non dico: etsi quid sit in causa, non me clam est: non omnia literis mandanda sunt. Tantum illud non silebo, nostram adeo corruptam esse uiuendi consuetudinem, ut nullus omnino inueniatur uitae status, qui corruptissimus idem non sit, & perditus. Sed, ut dicere incoeperamus, de abiectis, in ordinemque redactis, regionum rerumque publicarum

{pdf 737, p. 360v}

ministris & magistratibus, hic fit mentio, quos per incertas sedes, locaque inuia & deserta, propter poenarum metum, oberraturos praedicat Vates. Contemptui semel habiti atque irrisioni, nulla illis potest esse requies, nullaque, quae uera sit, subditor reuerentia, Maximum id quidem est futuri exitii locorum argumentum, cum nullo habentur respectu atque honore magistratus: sed irrisi, inuisique suo in fastu permanent. Pauci hi itaque facti sunt, qui uero utuntur iudicio: qui malo, adeo in immensum creuerunt, ut locustas diceres, planeque subditorum non tantum aequare numerum, uerumetiam superare iurares. Utcunque excedant numero, semper diro uexantur male affecti animi aestu atque indignatione. His itaque multis numero, paucis uirtute ac prudentia, praetermissis, ille (qui est clementissimi principis mos & natura) opem his, qui mitiori sunt mente, semper attulit,

{107.41} Et adiuuit pauperem de inopia, & posuit sicut oves familias.

Exemit, inquit, afflictum a uexatione, atque ab inedia, illiusque in tantum multiplicauit liberos, ut grex ouium foecundus appareret. Suspirant hic diuites, quibus nulli sunt filii:

suspirant & pauperes, quibus octauo quoque mense nascitur filius. Verum Dei id est consilium, mortalibus omnino incognitum. Qui enim effrenat sunt animo, atque immoderato, peruersa istiusmodi rerum prouidentiam accidunt, amplectuntur, Deoque gratias agunt. Quare a spiritu infertur:

{107.42} Videbunt recti, et laetabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum.

Has, inquit, rerum mutationes, eo quo conuenit animo, recto nimirum ac puro, considerabunt sancti: reprobi autem ne mutire quidem, ut solent pessime sibi conscii malefici, audebunt. Est sane quoddam impudentissimum hominum genus, qui uel tenuem nacti fortunae capillum, supremum in modum insolescunt, ridentque si quid bonis aduersi contigerit. Verum diuinis aliquando perspectis iudiciis, suaque cum illis, qui syncero in Deum feruntur affectu, collibrata tum uita, tum autoritate, mussant attoniti, peneque prae tristitia exanimantur. Sed felix omnino is erit, ac plane beatus, cui haec Deus mundo penitus ignota detexerit secreta. Diuina certe hic opus est mente. Quocirca

{107.43} Quis sapiens & custodiet haec? & intelliget misericordias domini?

Miratur Vates, an inter colluuiem istam impurorum hominum quispiam, qui recte de Dei prouidentia sentire queat, inueniatur. Atqui summam eam esse hominis felicitatem arbitror, quaecumque obuenant, sedato ferre animo, tandemque ad Dei illa referre consilium. Secus uero qui agunt, nulla, quae homine digna sit, afficiuntur cognitione: sed, uti bruta solent, naturalibus duntaxat raptantur affectibus, vivuntque omnibus molesti. Contra uero, qui sapientiae, cuius ea uis est in primis, ut superfluis abiectis mundanarum rerum curis atque usu, in coelestibus tantummodo considerandis occupentur, dant operam, hi absque errore, Dei intelligunt miserationes: hoc est, Deum multifariam benignissimum esse, atque res omnes uti uarie, sic optime in suorum gratiam instituere. Cui laus sit & gloria in secula seculorum. Amen.

PSAL. CVIII. Carmen odae Daud.

{108.2} Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.

Ex duobus aliis psalmis, nempe LVII & LX, liquet hanc odam excerptam esse: quare, quae in illis sunt dicta, superuacaneum esset repetere. Illud tantummodo obseruandum, psalmum sexagesimum, quod Hebraeorum doctiores asserunt, de regno, quod primum Dauidi contigit compositum fuisse hunc uero de instaurando post exilium Babylonicum ipsius regni statu: quae ne instauratio innouandi regni Christi, quod plane sub dira daemonum tyrannide exoleverat, typus fuit. Siquidem exilii illius acerbitas, quo propemodum extincta fuit Dei religio, nostri generis captiuitatem per Christi tandem cruorem vindicandam adumbravit. Unde aptissime de nostro dictum fuit liberatore, quod

{pdf 738, p. 361}

captiuam duxit captiuitatem. At illud serio considerandum, an in uetus illud a nobis relapsum sit exilium: num adhuc super flumina Babylonis nostra suspensa sint organa. Cum quidem horrenda mortalium facinora mihi in memoriam ueniunt, pene adducor, ut nostram suspicer miserabiliorem esse conditionem, quam tum fuit illa sub iugo Assyriaco Iudaeorum. Dempsta enim a mundo Christi sanguinis efficacia, quam attenuant hypocritae, nulli dubium quod nostra acerbior esset calamitas, quam illa. Siquidem nulla amplius pro nostris diluendis peccatis relinqueretur hostia, cum illis sexcentae uel uno die suppeterent. Verum id fide solida tenendum, illas omnes, prae nostra, sordidas fuisse, atque nullius omnino roboris ac uirtutis. Illis quidem caro in primis purificabatur: nostra uero & cor & anima. Tantum illud exoptandum, ut homines iam demum oculos aperiant, cernantque, quam periculosus is sit uitae status, in quo peccandi modus statuitur nullus, nullaque habetur salutis ratio. Censendum ne est animas, cum e corporibus exierint, in uentos abituras? intermoriturasque cum brutis hisce artibus? O caecum nostrum genus. Aut certe excisa est a mundo Dei religio, aut nefanda docuit Christus, quod sane impiissimum esset credere. Mens itaque in alis, quam sint sensuum oblectamenta occupata, ea est, quae cum sanctissima hic Vatis anima suam testatur in Deum fidem, ardensque a durissimo peccati dominio liberandi desiderium, clamat: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Sunt qui ex Hebraeo, paratum cor meum, non replicant. Verum id apte, ad exprimendum magis animae affectum, promptumque desiderium, atque in rem spiritus conatum, positum esse iudico. Mirum quam continuis spiritus incendiis conflagret suo in poemate Daud. Nouerat enim Deum ignem esse: idcirco quae de Deo tum sciri, tum foris exprimi debuerant, ignea esse oportere. Quare inquit, Paratum est cor meum: atque iterum quo tua adimpleat iussa paratum est. Recrudescant in me, ut lubet, innumerae illae mentis permotiones, appetentiaeque effraenes, paratum est cor meum. Nullum mihi posthac cum mundo sit foedus, nulla pactio, nulla concordia: siquidem tuas ad amabiles admittendas inspirationes, quae purgatissimam requirunt animam, paratum est cor meum, En cor igitur, en mens, en uoluntas, en arbitrium: tua haec omnia sint, tuumque ad obsequium parata. O si me totum, quantusquantus sim, pro te contingat comburi. Tunc certe

{108.2} Cantabo & psallam in gloria mea.

In gloria mea, uertunt, ex animo: seu, pro uirili mea. Non desunt etiam qui, in lingua mea, transferunt. Attamen non me praeterit, quae a nobis, quae Dei laudes referant, peraguntur, nostram in gloriam cedere: neque aliud quicquam esse, quo magis gloriari nos deceat, quam cum in his, quae ad diuinum attinent honorem, occupamur. Reliquae omnes uanae sunt occupationes, uana studia, uanus uitae cursus: quae tamen uita proinde data est homini, ut suum agnoscat creatorem, cognitumque diligat. atque subinde, rebus caeteris omissis, & quaerat, & sese illi totum consecret. Nulla quippe in nobis pars esse debet, quin tota illius sit, qui aequae nos diligit, ac si absque nobis suum illi regnum graue esset ac molestum: adeo animarum amantissimus est aeternus pater. Cui honor sit & benedictio in seculorum secula. Amen.

PSALMVS CIX. Vincenti Daud psalmus.

{109.2} Deus laudem meae ne tacueris.

Alias diximus, diras huiuscemodi, quae interspersae sunt psalmis, ab animo divini honoris studioso prodire solitas in prophetis: quocirca eo, quo prolatae sunt candore ac sanctitate, accipiendae sunt. Nihil enim carnale aut humile sentire potest anima in his quae spiritus sunt edocta. Sordidi quippe homines & impuri, quicquid altius obstrusiusque in scripturis dici audiunt, ad suum transferunt sensum, brutum nimirum & crassum. Quod si affectus illos prophetarum reconditos intelligere haudquaquam idonei sunt, id saltem non nescire contenti sint, quod Dei filius, qui summa est ueritas, plerunque is est, qui istiusmodi in auehitur ratione in improbos suae sponsae persecutores, ut in hoc psalmo uidere licet, quem de ipsius tum in uita, tum in morte cruciatibus scriptum esse illud est

{pdf 739, p. 361v}

testimonio, quod Petrus uerba facturus Iudaeis, hemistichium illum, Et episcopatum eius accipiat alter, in Iudae proditoris infamiam, una cum alia alterius psalmi particula citauit, dicens: Viri fratres oportet impleri scripturam, quam praedixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum. atque subinde haud multo post addidit: Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui habitet in ea: & episcopatum eius accipiat alter. En uides quid uterque spectarit psalmus, nempe Christum, qui totius uoluminis psalmorum ut est subiectum, ita & recitator & interpres. Aut itaque amantissimus nostri Christus: Deus laudem meam ne tacueris. Dilucidius ex hebraeo: Deus laudis meae (autor scilicet ne taceas, nec quae mihi meis ab aduersariis irrogantur mala dissimules:

{109.2} Quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.

Quemadmodum enim de Doeg, atque caeteris id tunc dici potuit Vatis persecutoribus, ita de uno quoque nunc innocentiae insidiatore dici posse non dubitemus. Inter quos primum sibi uindicat locum Iudas Iscariota, typus nimirum perfidiosorum hominum ac delatorum, & quem hic uocat spiritus per antonomasiam, peccatorem, cum proprium nihilominus illius sit nomen, dolosus, & proditor. Quisquis igitur dolis insidiisque humanam peruertere nititur consuetudinem, proborumque conturbat tranquillitatem, Iudam imitatur. Cuius sane animum ad laedendum anxium uolens ostendere propheta, eum facit os, tanquam leonem in praedam, in proborum famam ac uitam aperire Quid autem foedissimum dolosorum os apertum afferat, mox intulit:

{109.3} Loquuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odii circundederunt me, & expugnauerunt me gratis.

Quid a male olenti sepulchro prodire posse arbitraris odoramenti, nisi pestiferi ac letalis? Sermonibus, inquit, odiosis, ab amarissimoque animo perfectis, undique me obsederunt, falsaque moliti ac dolosa, me absque causa oppugnarunt. Haec tota uniuersalis exterminii summa est, cum scelerosi malorum inuectores in bene institutis hominum coetibus locum habent, libenterque audiuntur a magistratibus. Certe nisi synagogae antistites, uel Iudam, uel delatores alios ac proditores audiuisent, illisque libenter auscultassent, non tam dire esset habitus Dei filius a suis. A leuitate ferme

principum tota illa manauit persecutio, ut in praesentia nostra quoque aetate manare conspicimus. Verum tu cogita, quam iustae fuerint Domini Iesu querelae.

{109.4} Pro eo, inquit, ut me diligere debuerant, odium, obtreccionemque rependerunt. Ex hebraeo sic uertunt quidam: Pro amore, quo illos prosequutus sum. aduersantur mihi: ego uero ad orationem (miserorum sane refugium) me conuerti. Nulla quidem tam acerba potest esse calamitas, quin subito precationis auxilio uel omnino euanescat, uel saltem nostram ad imbecillitatem attemperet: sed assidua esse debet. Unde non absque causa a scriba illo sanctissimo fuit dictum de Christo, quod erat pernoctans in oratione Dei: Ego, ait, ad orationem recurri, cum interim me illi maledictis incesserent, dolosisque illaqueare sermonibus peruestigarent. Vide illorum audaciam: Magister, inquit, scimus, quia a Deo uenisti: dic, licet ne censum dari Caesari, uel ne? Cernis tenerum hic canes, sed prudentissimum circumsedis cuniculum? Heu pessimum in nostram quoque aetatem deriuatum exemplum. Dura profecto conditio, cum charitas odio compensatur, proque gratia redditur obtreccatio. Quocirca non semel questus est Christus, se a suis ingratis acceptum. Sed illud in primis: Multa, inquit bona opera ostendi uobis ex patre meo, propter quod horum uultis me occidere? Clarius ad huc illorum exprimit ingratitudinem, dicens:

{109.5} Et posuerunt aduersum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.

Damnum (pro scelus) iniurias, maledicta, contumeliasque pro beneficiis, pro ui-

{pdf 740, p. 362}

-ta mortem, pro amore odium retulere. At tu pater, quandoquidem sic expetunt, suauiissimumque amoris detrectant iugum,

{109.6} Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet a dextris eius.

Diabolus seu satanas, impudentem hic signat aduersarium, quem illi, populo nimirum ingrato, infestum esse precatur spiritus. Aduersarium, inquit, continuum, semperque astantem habeat, a quo multifariam iniuriis atteratur: sitque illi hostis dominus, & is crudelissimus, qui mala illi inferre & uelit & possit. Intoleranda penitus ea uidetur seruitus, cum a crudeli sitibundoque cruoris ciuium tyranno reguntur populi. Sed de diabolo spiritu neque haec dici quoque arbitror, cuius dominio hi merito traduntur, qui Deum negant, quique spurcissimum illum spiritum sibi a dextris, qui proprius Dei locus est, collocant. De Deo autem sic loquitur sponsa: Dominus a dextris est mihi, ne commouear. Adhuc uero aliud poenarum genus de illo, qui diabolum, eiecto Deo, sibi ad dexteram asciscit, in sequentibus observa.

{109.7} Cum iudicatur exeat condemnatus, et oratio eius fiat in peccatum.

Cum iudicio, inquit hebraeus, sistitur, damnetur, & defensio eius degravet crimen. Quare sic Paraphrastes: Cum causa illius tractata fuerit in iudicio, non abeat illinc, donec impietatis condemnatus, & precatio illius exasperet iudicem, & augeat peccatum magis, quam remissionem impetret. Quid istiusmodi repulsa calamitosius? Atqui superbarum ea est conditio atque arrogancia mentium, ut ne tantillum quidem se agnoscentes, cum Deo fere audent in iudicio, ut sic dicam, rixari, uerum reiectae atque explosae, mulcta aliqua insigni afficiuntur. Interim uero quaecunque agunt, nedum orant, peccatum est grauissimum, licet illis ob duritatem ex peccandi licentia contractam, occultum. Quare

{109.8} Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter.

Praefecturam eius accipiat alter, uertit quidam. De dignitatis ablatione loquitur Vates, ne tibi Iudam, cuius mentio hic fit, Episcopum fuisse, ut nunc sunt, imagineris: licet Apostolus fuerit, cui dignitati aut officio potius, Episcopi (gradus nimirum omnium in Dei Ecclesia excellentissimus) succedunt. Alii etiam ex hebraeo uertunt, munus, idcirco quod id officii genus necessario ab illo, qui iubendi potestatem habet, demandatum subimus, quoque qui spoliatur se affici ignominia arbitratur. Duas hic igitur imprecatur tum Iudae, tum Iudae simili, calamitates, uitae ni mirum, ac dignitatis abscisionem. Breues, inquit, sint eius uitae dies, atque in illius praefecturam alius illo dignior subrogetur. In ordinem quidem redactus uiuat inglorius, imo ignominiosam quamprimum obeat mortem. Insuper

{109.9} Fiant filii eius orphani, & uxor eius uidua.

Argumentum hinc sumunt nonnulli, Iudam uxorem habuisse: non est, credo, qui id neget. Verum dirae istiusmodi non solum ad Iudam attinent, sed etiam generatim ad omnes, qui illius imitantur perfidiam. Nam qui innocuum traducit hominem, uenditque mendacis, fit par Iudae. Ad haec

{109.10} Nutantes transferantur filii eius, & mendicent, & eiiciantur de habitationibus suis.

Orat Iudae filios, hoc est, proditorum liberos patriis a sedibus depelli, incertoque uagari uitae genere, & sic paterna ab haereditate exclusos, mendicitati fore obnoxios. Ex hebraeo sic fere: instabiles uagentur filii eius, & mendicent, & inquirant de uastationibus suis hoc est, ubi omnia quae illorum erant, deuastata fuerint, prae inopia inquirant, num ex ipsa rerum suarum ruina aliquid quo queant uiuere, residui sit: atque hoc modo, & domi & foris, mendicato uiuere cogantur. Causam sub inde huiusce calamitosae inopiae addit:

{109.11} Scrutetur foenerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eius.

Irretiat, aut, ut uult Campensis, perdat foenerator, exactorque, quaecunque illorum sunt, ac (quod maiorem illis excitet dolorem) quae labore illorum immenso & sudore

sunt parta, depraudentur alieni. Corradant penitus quicquid possident foeneratores, exactoresque uiolentissimi, atque labore congesta ui rapiant extranei.

{pdf 741, p. 362v}

Quid infelicius, cum res nostrae integrae a foeneratoribus deglutiuntur, raptanturque ab inexorabilibus decimarum, uectigalium, donorum quoque (noua lex) ac mutuorum exactoribus? Quis unquam donauit inuitus? donant nihilominus nunc homines, atque ea dant mutuo, quorum nulla speratur restitutio. Deest'ne suus tantae calamitati cumulus? Audi:

{109.12} Non sit illi adiutor, nec sit qui misereatur pupillis eius.

Certe quod inops pater a ditioribus spernatur, nec sit inter ciues qui illius subueniat miseriae, ferri utcunque potest: at filios, & hos interdum teneros, prae fameque ingemiscentes, uidere uitae subsidium magis lachrymis & nuditate quam uoce a praetereuntibus rogare, ab omnibus tamen surdis auribus praeteriri & contemni, quis tam durus pater est, qui totus prae dolore non rumpatur, fateaturque se propter liberorum magis calamitate angi, affligique acerbius, quam ob propriam? Vnde non id mirum esse debet, si inter acerbissimas Dei ultionis poenas, hanc quoque connumerari uides, in qua rogat Vates, ut non sit quem, uel ante patris oculos, illius misereat prolis. Omnem id quidem dolorem superat. Quid adhuc addi posset? Est ne aliquid dirius, quod non sit dictum? Est sane. quid oro?

{109.13} Fiant nati eius in interitum, in generatione una deleatur nomen eius.

Sit, ait, finis illius posteritatis interitus, in secundamque non transeat generationem, sed unica tantummodo consumpti, una cum patris memoria aboleantur filii. Quid ultra?

{109.14} In memoria redeat iniquitas patrum eius in conspectu domini, et peccatum matris eius non deleatur.

Longa hic esset disputatio, nisi aliud agerem: qui fit scilicet, quod patrum peccata ferant posteri, cum alio tamen loco asserat Deus, filium non laturum iniquitatem patris. Verum quod ad sensum psalmi attinet, est dicendum, improbos filios adeo acerbe a Deo puniri, ut pene uideantur patrum errata plerunque Dei iudicio aequissimo non animaduersa, ferre, pro illisque puniri. Siquidem quandiu mali sunt filii, atque a malis exorti parentibus, illorum merito dicuntur perferre iniquitates, quippe qui a corrupta producti radice, corrupti & ipsi sunt. Quod si tamen a parentum prauitate abhorrent, illorumque abominantur uitam, tum quidem Dei filii efficiuntur, non hominum: idcirco de his illud dici potest elogium, quod filius non portabit iniquitatem patris, De illis uero, quod eos Deus puniet in tertiam & quartam generationem. Illud quoque, Reddam peccata patrum in filios, eo quidem modo uidetur maiorum scelera maximopere detestari Deus, dum sic in longum mulctas protrahit. De matris postea peccato specialis fit mentio, propter sordidum hominis conceptum, ortumque immundum, ac, propter innatam illi uoluptatem in coitu, peccato obnoxium. Illud tamen non ignorandum, peccata illa

parentum, pro quibus filii dant poenas, ad praesentem duntaxat spectare uiti. Caeterum suum quilibet onus in futuro seculo ferre cogetur. Quicumque enim peccauerit, ipse, non filius, aut quilibet alius, luet poenas. At ne citius, quam illorum fert improbitas, consumantur,

{109.15} Fiant contra dominum semper, & dispareat de terra memoria eorum.

Iugi, inquit, ultione, qui huiusmodi sunt, puniantur, ut & ipsi, & qui ad illos attinent, penitus exterminentur, adeoque in nihilum abeant, ut nulla illorum amplius supersit memoria. Interminabilis sit illorum mulcta coram domino. Paulo secus detorquet sensum Paraphrastes: Sint haec, inquit, ueluti ob oculos posita domino, sed in obliuionem ueniat apud homines qui terram incolunt, si quia gessit unquam memoratu dignum.

{109.16-17} Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare.

Apertius ex hebraeo: Ut interficeret contritum corde. seu, ut alius legit: Persequutus est hominem afflictum & inopem, & contritum corde, ut occideret. Quid vero sit contritum corde, alius item ex hebraeo aperit: Persecutus est hominem deiectum, & ex corde moerentem, ad occidendum eum. Verum utut legas, uoces eae

{pdf 742, p. 363}

omnes, inops, afflictus, deiectus, ex corde moerens, tristis, maximam prae se ferunt miseriam & calamitatem. Quocirca quid atrocius excogitari unquam potuit, quam fractum denuo frangere, canemque excoriatum, ut est adagium, excoriare? Tam quidem graue est scelus, quod primum illud posuit Vates inter illa, propter quae dirae illae factae sunt in superioribus imprecationes. Propterea, inquit, ea quae imprecatus sum, contingent omnia, quod ne semel quidem in mentem illi uenit clementiae exercendae in proximum. Imo (pro Dei fidem) ipsum fractum, quo eum penitus extingueret, atrocissimo insectatus est odio, lingua, manu, ferro, ueneno tandem.

{109.18} Et dilexit maledictionem, & ueniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Nihil enim tam exacte ab homine aeternus requirit genitor, quam misericordiam & charitatem: quibus sane pernicibus tanquam alis, anima ad propriam transuolat originem, qui Deus est, in quo praecipuae istae insunt partes, amor & clementia: imo amor ipse solus, cuius stimulus est clementia. Alioqui nisi summa in Deo esset misericordia & clementia, quid in nobis esset quamobrem tam chare nos, ut facit, adamaret? Caeterum maledictionem hic uocat Dauid Dei execrationem & uindictam, qua hi in primis, qui in innocuos crudeles sunt & duri, impetuntur: unde caecitas promanat animae, peruersaque consilia, uecordia, ac exitialis illa religionis lues, superstitio. A benedictione uero, quam illius esse beneficentiam asserunt &

misericordiam, mens uegeta, ad diuinaque peruestiganda solers & acuta. Maluit igitur immanis is latro execrationem & maledictum, quam gratiam: ideo quicquid optauit, integre est assequutus. Qui

{109.18} Et induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora eius, et sicut oleum in ossibus eius.

Cur non, in ossa eius, vertit interpretes? quemadmodum vertit, in interiora eius. Vide an quicquam miseriae cumulo atque execrationis, addi posset. Ipsum illum, ait, totum obruat calamitas, occupet, premat, cingat, penetret. Eae quidem proprietates sunt aquae, olei, ac uestis. Obruimur certe aquis & suffocamur, illis maxime quae interne perfluunt. Olei uero unctio mirum quam penitus, uel usque ad ossa, penetret. Caeterum ueste tegimur, occupamurque. Hisce quidem uocibus uult Vates exprimere, quam hi deplorati sint & perdit, qui abiecta humanitate ferinos eligunt mores, duros nimirum, & in quemuis difficiles atque iniuriosos. Quare sic rem, ut uides, exaggerat, dirasque diris accumulatur.

{109.19} Fiat sicut vestimentum quo operitur, & sicut zona qua semper praecingitur.

Ad significandam rei alicuius perpetuitatem & cognatione, nulla efficacior potuit afferri similitudo, quam uestis illius, qua toti ambimur, aut balthei, quo cingimur: utraque enim res totum colligit hominem, continetque in sese. Ita agit impietas, si quem semel adorta fuerit, eum quippe totum, ut solet corpus tunica aut cingulum, conuoluit, atque adeo strictim coarctat, ut uix illum respirare sinat. En tandem

{109.20} Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud domini, & qui loquuntur mala aduersus animam meam.

Opus pro mercede hic poni uolunt doctiores. quare sic Paraphrastes: Haec sit merces eorum a domino, qui mala uolunt mihi. Detrahunt item uerbum, Hebraeis est, aduersantur. Sed neque detractionis uox suo caret sensu: solet enim id uitii genus ab immanitate, de qua tam multa conquestus est dominus, enasci. Quid non molitur malorum crudelis animus? Aduersus animam meam, uel uitam meam, expone: uel simpliciter, me, ut ex hebraeo redditur. quanquam etiam animam meam, nonnihil horroris in se habet: nanque ad occultas daemonum suggestiones referi id posse iudico: ad eos quoque, qui blandis nos ad malum prouocant lenociniis, persuasionibusque mellitis ac uafriis, ut sunt de more libidinosi, atque hi, qui quoquo modo uiuas, laudant tamen, atque assentantur.

{109.21} Et tu domine, domine, fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua, libera me.

Is unus uersus est. Sitibundam auxilii animam demonstrat repetita uox, Domine, domine: quanque Hebraeis est, Deus domine: sed idem sensus. Petit hic Dei filius pa-[patrem]

{pdf 743, p. 363v}

-trem, ut sibi tot in aerumnis, importunisque adulatorum oblocutorumque insidiis opituletur: & id quidem, quoniam suavis illius est misericordia, & plusquam dici potest, iucunda. Ait itaque: Mi pater, nullum huc affero hominum meritum ac uirtutem, qua tu illectus suppetias illi ferre debeas: sed tuam imploro misericordiam, tuamque ad opitulandum miseris facilitatem appello. Age, fac ut tuo respondeat nomini clementia: nomen quippe tuum, Amor est. Et ut quidem unico duntaxat uerbo quae uolo dicam, libera me:

{109.22} Quia egenus & pauper sum ego, & cor meum conturbatum est intra me.

Quo enim maiorem excitet commiserationem, suam exaggerat miseriam: Egenus, inquit, ego sum, despectus, auxilio omni humano uacuuus, calamitosus. quo me uertam? ad homines? quid homine uenalius? quid minus in fide constans? Cor certe meum intra me totum moerore contabuit. Quid? Heu domine,

{109.23} Sicut umbra cum declinat ablatu sum, & excussus sum sicut locustae.

Sole quidem ad occasum properante adeo prolixè augentur umbrae, ut cum diei interitu in noctem abeant. Sic uita est hominis, cita nimirum ad occasum: quem admodum umbra declinante luce consumitur, in nihilumque tandem resoluitur. Vnde ex hebraeo sic quidam transferunt: Incedo uelut umbra serotina. Quod uero ait se instar locustae fuisse excussum, ad morem huiusce animantis alludens, vagae suae uitae motum exprimere uoluit, ut plane uagi sunt, qui a tyrannis acti, nulli certae se dedunt sedi, sed modo huc, modo illuc transmigrantes, locustarum morem imitari uidentur, quae de loco in locum passim, sparsimque, quo suus ille naturalis fert motus, subsiliunt. Horum depinxit faciem Apostolus, cum ait: In solitudinibus errantes, & in montibus, & in speluncis, & in cauernis terrae. Vidisti ne unquam locustarum agmen tam uario circumferri saltu, ut hi agunt, qui a persecutoribus acti, uarias mutant sedes? Pene hunc morem imitantur nostri tempore religiosi, in suis illis de loco ad locum mutationibus. Mallet certe id uagationi genus moderatius praecipere, ne quod sancte a maioribus ob animarum salutem excogitatum fuit, id odio fieri uideatur: ac iam profusiores in huiusmodi pagatim regionatimque uagandi occasionem, ne dicam ludibrium, fiant, cum animarum, tum rerum damno, & iactura sumptus, quam in accersendis uirtutibus, aut subuenienda pauperum inopia ac miseria.

{109.24} Genua mea infirmata sunt a ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum.

Sic Felix: Genua mea corruerunt. Alius item: Genua mea uacillant prae ieiunio, & caro mea exaruit a pinguedine. Solebant enim antiqui feruidis quae fiebant Deo precationibus ieiunia copulare, ut nunc quoque ab illis agitur, quibus quis uerus orandi sit modus perspectum est. Raro enim a uentre saturo & pingui sublimia illa, quae in purissima cernuntur oratione, comprehendendi possunt. quem quidem morem in

sanctissima Vatis anima fuisse id est argumento, quod sua nutasse prae ieiunio genua fatetur: indicium nimirum summae debilitatis, atque a cibo abstinentiae: quod & clarius in ultima uersus particula exprimere nititur. Caro mea, inquit, tota, subtracto cibo, ex quo oriri solet pinguedo, exaruit. Quare sic uertit quidam: Caro mea emarcuit, propter deficientem pinguedinem. Haec sane omnia maximum in Vate, imo in Christo fuisse moerorem indicant. Verum si uox olei non displicet, illud uidetur dicendum, Vatem ad domini mentem aspexisse, qui, quo ieiunium dissimularetur, praecepturus erat ieiunantis caput ungi, faciemque lauari. Sed prior sensus ad ea quae sequuntur quadrare magis uidetur.

{109.25} Et factus sum opprobrium illis, viderunt me, & mouerunt capita sua.

De istiusmodi irrisionis genere in uigesimosecundo dictum est psalmo. Solet illa esse irrisoribus consuetudo, ut in derisum caput atque os moueant, foedeque distorqueant. Sic Paraphrastes: Quicquid facio ludibrio sum illis: quoties uident me, moto capite rident me. Turpissimus sane is est mos, atque impius omnino: a liuore quidem atque animi petulantia oriri solet. Unde de seruatore nostro Christo Iesu, in quem omne conuiciorum genus proiecerunt Iudaei, legimus, quod prae-
[praetereuntes]

{pdf 744, p. 364}

-tereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua. Ita Dei electi in hoc mundo haberi solent, quo in omnibus suo sint haudquaquam dissimiles domino, qui hic nostrae consulens indignitiae clamat:

{109.26} Adiuua me domine Deus meus, saluum me propter misericordiam tuam.

Quemadmodum enim Christus, ut inquit Paulus, tentatus est ut nos, ita & patrem, quo a malis eximeretur, rogauit. Nulla quippe in re, quo nostram a peccati catenis assereret libertatem, defuit benignissimus dominus. Fer, inquit, opem o Deus, meque serua: non propterea quod id meruerit hominum genus, sed quia misericors es, atque ad condonandas noxas pronus.

{109.27} Et sciant quia manus tua haec, & tu Domine fecisti ea.

Fecisti istud, uertunt plerique. Sentiant, inquit, hostes tuam hanc fuisse potentiam, quae istuc operata est miraculum. Quis unquam putasset hominem derisum, fereque ab omnibus consputum, tam subito ereptum esse, reuixisse, ac uniuersorum dominum constitutum? Tu certe domine, non alius quamuis sublimis ac potens, tam arduum exequetus es negotium. Et quidem

{109.28} Maledicent illi & tu benedices: qui insurgunt in me confundantur, seruus autem tuus laetabitur.

Aptius forsā (quod quidam uolunt) totus is uersus optandi affectu legi posset, ad hunc modum: Maledicant illi ut lubet, tu autem benedicas. seu, ut habet Paraphrastes: Execrentur & male uelint mihi, modo tu faueas, nihil poterunt. Poterunt quidem (ut est illorum potervitas [sic, proteruitas] atque arrogantia) in me & lingua & manu furere, uerum in medio ipso persecutionum aestu & conatu deficient confusi. Quid tum seruus tuus? laetabitur quidem in te, tibi que salutis suae uirtutem, ac summam acceptam referet. Abeant igitur illi ut meriti sunt, &

{109.29} Induantur qui detrahant mihi pudore, & operiantur sicut diploide confusione sua.

Tametsi enim diplois uestis sit, ex hebraeo tamen, quo sensus clarior reddatur, pallium uertunt. Rursus uerbum, detrahunt, ut superius annotauimus. Hebraeis est, aduersantur. Et est perinde atque, toti ignominia cooperiantur mei isti aduersarii, sicut solent pallio homines cooperiri. Idem enim plane est quempiam pudore indui, ac tanquam pallio confusione contegi Illi sic: ego autem

{109.30-31} Confitebor domino nimis in ore meo, in medio multorum laudabo eum, quoniam astitit a dextris pauperis, ut saluam faceret a persequentibus animam meam.

Rident hic nostri temporis irrisores quippe qui insigni cum praediti sint potentia atque hominum fauore, nullum unquam suae fore terminum felicitati opinantur. Idcirco tumidiores facti, quid non audent malorum? cui non detrahunt? quem non adlatrant? Vide quomodo temerarii & impudentes Dei abutuntur patientia. Illi, inquit Christus, maledicunt, blasphemant, in Deumque ipsum, nedum in homines, impudentissime obganniunt: ego interim confitebor domino, illique gratias agam, atque id quidem nimis, hoc est, totis meis tum animi, tum corporis uiribus, totoque affectu, atque religionis, non questus, aut aurae popularis gratia in medio ipso hominum conuentu & multitudine eum laudabo, dicamque intrepide, quod inopi, atque ab omnibus derelicto, ad dexteram, ne in aduersis labascet, nutetque, tanquam fidissimus comes adstat, illique, quo tandem illius uitam a callidis eripiat insidiatoribus, iudicibusque iniquis, quibus plenus est orbis, auxiliatur. Cui laus sit in seculorum secula. Amen.

PSALMVS Daud. CX.

{110.1} Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis.

Altissimis is est grauidus mysteriis psalmus, quippe qui de utraque in Christo natura edisserat obscure tamen, atque in inuolucro. Huc mihi nonnihil lucis attulere felicissima quorundam scholia: quanquam, ut uerum fatear, tardis, ut meum est, ingeniis non plene satisfaciunt quamuis acute elaborata scholia, quae interdum quae luce egent omittunt, dicuntque quae omitti possent. Quod sint porro, qui illa, quae de solo Christo hic dici debent, ad Dauide ipsum psalmi

autorem referre nitantur, superfluous labor est: quare omissis illorum rationibus, coactis sane & frigidis, de Christo solummodo haec omnia scripta esse dicamus. Constat enim non solum ex Euangelio, uerumetiam ex Hebraeorum doctioribus, totum hunc psalmum intelligendum esse de ipso Dei filio, atque eius regno, quod in Sion coepit, atque inde late propagatum tandiu stabit, quoad eius quicquid conditum est, illum adoret, fiantque illius hostes tanquam scabellum pedum eius, hoc est penitus ei fiant subiecti. Ut Deo quidem, omnia illi ab aeterno subdita sunt: ut homini uero, in tempore id factum est, seruaturque ad illud omnino tempus, cum nouissimus destruetur inimicus mors. Hanc itaque filii Dei sublimitatem praenoscent Daud, sic secum: Dixit dominus domino meo. Dominus quidem est pater, dominus & filius: idem porro uterque est Deus. Atqui non praetereundum uerbum, dixit, ob id prolatum, quod filius est uerbum patris: quod etiam ex antiquis Hebraeorum Rabbini nonnulli fassi sunt. Sic quidam: Dixit dominus, nempe pater, uerbo suo. Quid dixit? quid ab aeterno diffiniuit? Sede a dextris meis: hoc est, esto omnium rex, primaque fruire potentia. Solent enim principes, qui suam ad dexteram quempiam sedere faciunt, omni illum ornare autoritate atque dominio. Ita hic de Christo ad dexteram patris ascito intelligendum erit: & est perinde atque, regna, ut ego, super omnia. Huiusce quidem sublimitatis tum coepta est reuelari magnitudo, cum coelos mortis spoliis onustus conscendit, seditque, ut inquit Marcus, ad dextera Dei De quo sane mysterio Paulus Ephesiis scribens fuse admodum edisserit, nempe Christum quatenus hominem ad dexteram patris in coelestibus collocatum, constitutumque supra omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem, atque omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro.

{110.1} Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Deinde, inquit Paulus, finis: nanque omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum a dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. Per omnia quidem membra adimplet, perficiturque corpus Christi, qui omnia in omnibus, dum ipse agit in omnibus, implet. Caeteram Christi hostes illos esse diffiniunt, qui ex Deo nati minime sunt. Hos, inquit, tam tibi subiectos faciam, ut illos non secus, quam solet scabellum, conculcare queas pedibus: illos tibi penitus substernam. Donec ponam, non propterea dictum esse puta, quod hostibus illius subiugatis, ad dexteram Dei sedere desinet Christus. In huiusmodi locutionis genere animaduertenda est sermonis hebraici proprietates, qui non nunquam quod ad terminatum refertur tempus, ad interminatum referunt, ut in Donec uidere licet, quod Latinis diffinitum signat tempus, his indiffinitum: ut sit sensus, tunc magis Christum regnaturum, cum pater hostes filii pedibus tanquam scabella calcandos praebuerit. Ad hunc fere modum de coruo ex arca emisso legimus, qui egrediebatur, & non reuertebatur donec siccarentur aquae super terram: nunquam tamen reuersus est, licet aquae exaruerint e terra. Quid illud? Et non cognoui eam donec peperit filium suum primogenitum. Vides ad quantam prolaberemur impietatem, si, donec, ut fere accipiunt Latini, interpretaremur?

{110.2} Virgam virtutis tuae emittet dominus ex Sion.

En Christi meritum, propter quod ad Dei patris dexteram assumptus est, regnatque beatus. Vis, inquit, tuae uirtutis, potentiae nimirum, ac signorum, quibus plane

uniuersus deuictus est orbis, ex Sion primum & Hierusalem, Dei iussione prodibit, cuique pater dicet:

{110.2} Dominare in medio inimicorum tuorum.

Hoc est, de illis tuo statue arbitrato, potestatemque in eos uel reluctantes exerce. Caue putes de regno hic Christi dici, quo aequalis semper est patri: siquidem de illo nunc fit sermo, quo in tempore sanctissima illius in crucis ara exusta pro nobis carne, rerum omnium dominium adeptus est. Atque hoc prorsus modo oportuit Christum pati, & ita intrare regnum Dei. Nos plumbeos, qui regnum crucis

{pdf 746, p. 365}

Christi in pluma atque inertis ocio uersari somniamus: idcirco nostris cupiditatibus atque ambitioni, quae ex immoderato mundi amore nasci solet, finis statuitur nullus. Sed ad Christum redeo, quem sic pater alloquitur:

{110.3} Tecum principium in die virtutis tuae, in splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te.

Mirum quantum a nostra uarietate aeditione Hebraeorum litera huius uersus. Verum quo nostra etiam mollius redderet, principatus, non principium, uertendum fuerat. Nam cum ἀρχή [beginning; principality] utrunque significet, mallet uertisset principatus, quo esset sensus: Tecum, o fili, hoc est, in te, neque aliunde proueniens erit principatus: regnumque omnium uniuersale in die erit uirtutis tuae, eo nimirum tempore, quo gloriosus potentiaque aeterna insignis, Deus absque umbra in fulgentissimis sanctorum splendoribus apparebis, cum haud ita pridem seruus in terris uisus sis, & is quidem omnium despectissimus. Verum qui hebraicae non prorsus ignari sunt linguae, diuersam ex hac quoque lingua afferunt literam, sensusque uarios & obscuros: quibus quidem omissis, unam tantum ponere decreuimus, quam sic reddunt: Populus tuus spontaneus est in die exercitus tui in magnificentissimae sanctitatis: ab utero aurorae est tibi ros natiuitatis tuae. hic enim aperte de Ecclesia gentium loquitur pater, quam populum appellat spontaneum, idcirco quod futuri in ea erant homines, qui non tantum res suas ac fortunas, uerumetiam propria ipsa corpora, atque animas suapte sponte pro Christo offerrent. Et id quidem in die exercitus tui, hoc est, tempore Christianae militiae, quae propter magnifica praeclaraque spiritus dona, unde omnis emanat sanctitas, cunctis fortior splendidiorque facta est potestatibus. Nam quemadmodum tui tibi subiecti erunt, uel inuiti, hostes, ita tuorum ultronea erit seruitus, multaque sanctitatis magnificentia insignis & conspicua. neque istuc sane mirum: siquidem ab utero aurorae, id est, ante mundi ortum, rerumque omnium effectorem, tua, ueluti a rore flos, foecunda erit a meo spiritu natiuitas. Huc quidem spectare uidetur, quod quidam Rabbi Izaak antiquus Iudaeorum interpres in hunc attulit locum: Ante, inquit, solem propagatur nomen eius: hoc est, antequam crearetur sol, subsistens & firmum erat nomen Messiae nostri, fuitque sedens ad dextera Dei. Caeterum qui nostrae innituntur aeditioni, nefasque putant ab illa uel latum digitum dissentire, sic hunc locum exponunt, ut uterus Dei sit occulta illius penitusque incognita substantia: ex qua quidem ante lucis huius uisibilia ortum, nempe absque principio, genitus sit filius patri aequalis, atque eadem cum illo

aeditus natura, uirtute, essentia, potestate. Non nouum est in scripturis, uterum pro arcano substantiae Dei ac deitate, metaphorice usurpari. Unde illud est in Esaia: Audite me, inquit, domus Iacob, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea uulua. Sed illud subobscurum, quomodo ex illius utero exierit glacies, ut inquit Iob.

{110.4} Iurauit dominus, e non poenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Iam de filii sacerdotio loquitur pater, simul ut de illius regno in superioribus est locutus. Iurauit itaque pater, & non poenitebit: hoc est, promisit, factumque non mutabit, dicens: Tu es sacerdos in aeternum secundum morem ritumque praescriptum Melchisedech: qui quidem ut rex erat in Salem, quae nunc est Hierusalem, ita & sacerdos: cuius sane officium fuit populum docere, pro eoque orare, ac sacrificium offerre. Sic Christus rex noster, non tantum in Hierusalem, sed etiam in omni omnino orbis regione, sacerdotio pro humano functus est genere, cum se obtulit Deo pro omnium salute in ara crucis: atque id in aeternum, quoniam ipse est credentium omnium, quotquot fuere, suntque impraesentiarum, atque in posterum erunt, & sacerdos, & hostia, seipsum offerens, mactansque, ac super altare sui inaestimabilis amoris incendens. Adde quod ex ipsa nominis Melchisedech interpretatione, Christi dignitas magis quam ipsius regis, exprimitur. Iustitiae regem interpretantur. Pacis item ex Salem, in qua regnauit. Ecquis unquam efficacius Christo, regnum iustitiae, pacisque tum in coelis, tum in terris, in fidelium animis stabiliuit? Caeterum de Melchisedech nulla in scripturis fit mentio, quod patrem habuerit & matrem, aut genealogiam, cum tamen habuerit. At Christus uero nec patrem habuit in terris, nec eo modo, quo caeteri matrem: cuiusque generationem quis enarrabit nanque illius genealogiam nullus homi-
[hominum]

{pdf 747, p. 365v}

-num effari potest, quippe qui nec esse coeperit, nec esse desinet. Eam ob rem illius sacerdotium, ut diximus, aeternum est, aeternaque illius uirtus & efficacia. Iesus enim Christus heri & hodie. Iam illud dubium: quid, cum per sacerdotium Leuiticum, ut inquit Paulus, consummatio fieret populus enim sub ipso legem accepit quid inquam necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron, qui fuit de tribu Leui? Mutatio quidem sacerdotii, mutandam esse legem demonstrauit. Quocirca reiecto sacerdotio illo cruento, in quo pecoribus litare consueuerant, reiecta est & lex crassa, stupido nimirum praescripta populo. Cui sane lex spiritus successit, lex amoris, lex totius puritatis, in qua non iam pecora immunda, sed nostras offerri animas edocuit Christus uerior altissimi sacerdos, qui fuit Melchisedech, aut Aaron. Ut enim Aaron non mansit in aeternum, itaque neque eius sacerdotium. Contra uero dictum est de Melchisedech Christi typo, quod manet in aeternum: atque ita de illius sacerdotio dici necessarium erit. Verum haec omnia Christo potius, quam aliis, competere, mysticus iste declarat psalmus. cum ait: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

{110.5} Dominus a dextris tuis, confregit in die irae suae reges.

Paulo ante filium sessurum ad dexteram patris asseruit Vates: modo uero patrem ipsum ad filii dexteram adstare memorat. De illa quidem sessione diximus, omnem tum filio datam fuisse regnandi potestatem: de hac uero dicendum erit, quod aliis quoque diximus, continuum patris auxilium in filii aerumnis intelligi oportere: exinde omnes illius quamlibet potentes deiiciendos esse hostes. Et est ac si diceret: Dominus adstans tibi a dextris, atque omnia quae ad bellum faciunt expediens, reges, nedum hostes alios, prosternet in die irae suae, id est, cum saeuire dignum duxerit, uolueritque pro te irasci. Ad haec,

{110.6-7} Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum. Insuper, De torrente in via bibit, propterea exaltaui caput.

Expressius ex hebraeo duos hos uertunt uersus Sic Felix: Iudicabit in gentibus, congregauit cadauera: seu, ut alius, implebit cadaueribus, locum scilicet praelii, quo hic maximam animaduertas hostium profligationem, quam subinde horribiliori quodam rursus modo in ultimo expressit uersu, dicens adeo crudele Christi hostium fore exterminium, ut ipse, si uolet, ab exundanti occisorum sanguine, tanquam e torrente, in transitu posset bibere: quibus quidem uerbis perfectam consummatamque Christi uictoriam fore, praedicit spiritus: ut in illa quoque coacta Balaam benedictione uidere licet, qui de Israelitis loquens inter caetera illud addidit: Ecce populus ut leaena consurget, & quasi leo erigetur, non accubabit donec deoret praedam, & occisorum sanguinem bibat. Hoc igitur schemate signat Vates tantum sanguinis effundendum, ut e flumine ex hostium cruore facto rex hic bibiturus sit. Propterea, inquit, exaltabit caput: hoc est, alacriter, ob rem feliciter gestam suum exercebit imperium, factus nimirum omnibus superior. Postremo, quod in superiori dictum est uersu, conquassabit, seu uulnerabit capita in terra multorum, de tyrannis, superbisque magistratibus liquet dici, qui cum in terra multorum regnent, multisque praepositi sint populis, ferino se habent more, ne dicam impetu, crudeli nimirum & furioso: quique haud secus suos sibi subditos tractant, atque si canes essent aut ferae. Quem sane morem non solum in rebus publicis urbibusque nonnullis locum habuisse uidimus & experti sumus, uerumetiam in sacris interdum aedibus, diuisque ipsis consecratis maximo conspeximus dolore. Hos itaque tanquam multorum capita, sed dira & inhumana, iri contritum praedicit Vates. Iam illud quoque non silebo, me minime praeterire, quid piarum huc afferant meditationum expositores: quas quidem ut summis ueneror & exosculor, ita, ne nimius essem, omittere illas malui, quam meo ab instituto discedere: quod sane strictius forsitan, quam tanta postulat rei maiestas. nonnunquam exprimere consuesco. Fastidio certe lectoris obtemperandum semper esse censi. Sed & illud, antequam psalmum claudam, non praetermittam, quod in ultimo deprehenderunt uersu nonnulli, sanctissime id quidem & uerissime: nempe ornatum illum

{pdf 748, p. 366}

omnem virtutis, potestatisque regiae & sacerdotii, quo totum psalmum interspersum uidimus, Dei filio idcirco contigisse, quoniam de torrente, hoc est, de crucis amaritudine, deque persecutionum amne ac fluuio, in hoc arduo uitae transitu acerbissime bibit, bibetque in suis quoad uita haec durabit. Certe si rem expendimus diligenter, nulla, quae nobis magis utilis sit, ostensa est uia, quam illa quae ad crucem

ducit. Id sane durum atque amarum uitae genus noster elegit dux Christus, quem quotidie audire mihi uideor clamantem, meque seuere increpantem: Piger quid dormis? an te clam est, quod per multas tribulationes, hoc est, per crucis tolerantiam, te oportet intrare regnum Dei? Cui ego: Id scio domine: sed mea me fallit teneritudo ac mollities, cui libentius, quam crucis asperitati, assentiri soleo. Mea igitur sit miseria, tua autem clementia, ac, qua sustentor, misericordia, o clementissime. Cui & honor sit in secula seculorum. Amen.

PSAL. CXI. Halleluia.

{111.1} Confitebor tibi domine in toto corde meo, in consilio iustorum et congregatione.

In aliquibus ex superioribus psalmis idem fere est argumentum, quod in hoc quoque, cuius titulus pene quid sibi uelit exprimit. Quemadmodum enim a laude magnificentiaque diuinae orditur confessione, sic agit in enarratione ac fine tandem, dicens: Laudatio eius manet in seculum seculi. Iucundissimum id est argumenti genus, quo Deus laudatur: nos uero, ut meriti sumus, reprehendimur, contra nimirum hypocritarum morem, qui tametsi Deum, aut Dei amicos forsitan laudari libenter audiunt, se tamen reprehendi aegre ferunt, imo ingerunt sese, ac quodam se occultissimo insinuant modo in celebritatem illam laudum, quae Deo debetur. Pessimum quidem istuc est hominum genus, quoque uniuersus corruptus est orbis. Vis ne, inquit senex ille, mundo hoc in pace frui? Lauda omnes, uel eos maxime, qui praesunt caeteris. Equidem (ut quod sentiam loquar) huiusmodi non mihi satisfaciunt paradoxa, utpote a Christi lege dissona, atque omnino aliena ab eorum instituto, qui Dei spiritu afflati nequeunt, quantum sat est, tum in se, tum in aliis, malefacta deprimere. Inter quos quidem sanctissimum fuisse prophetam arbitror, qui dulcissimam suam a Dei laude exorsus odam, sic suum testatur affectum: Confitebor tibi domine in toto corde meo, in consilio iustorum & congregatione. De istiusmodi confessionis genere sic sentit Augustinus: Non est hic, inquit, confessio peccatorum, sed laudis. Illa luget, haec gaudet: illa uulnus medico ostendit: haec de sanitate gratias agit. Ait itaque: Celebrabo te, o domine, laudibusque te efferam ex animo tantulo hoc meo, quantusquantus ille sit, cum priuatim quidem in consilio sanctorum, tum palam publico in coetu hominum & conuentu. Sunt qui hic legunt, in concilio. quam literam sequutus Paraphrastes sic reddidit: Omnia mea Deo accepta referam ex toto pectore palam in coetu & congregatione iustorum. Illud aduertendum, solos iustos, eos utique, qui Dei laudem in primis expetunt, ea libenter quae eo tendunt, audire, fructumque inde venari. Ea propter inter hos solummodo se Dei laudes celebraturum testatur Vates. Quae uero illa sint, quae de Deo laudare instituit, mox intulit:

{111.2} Magna opera domini, exquisita in omnes voluntates eius.

Forsan dilucidior esset litera, si sic cum Hebraeis uertisset interpres: Magna opera domini, & exquisite facta iuxta omnia desideria, seu beneplacita eorum, ut esset sensus: Quam modis omnibus eximia, planeque omnem superantia sublimitatem sunt, quaeque operatus est dominus: quae certe exquisita, diligenterque peruestigata, adeo perfecta uidentur, ut qui illa, eo quo conuenit animi candore contemplatus fuerit, tantam in illis

deprehendet sapientiam, atque erga homines charitatem, ut nihil amplius optare queat:
quippe quae omnia omnium uota excedant,
[tamen]

{pdf 749, p. 366v}

-men sensum cum illa, quae est Hebraeis, recidit. quanquam non me latae, uoluntates eius ad Deum referri a nonnullis. ut sit sensus: Dei opera diligentissime considerata, probos incitant ad amplexandas illius uoluntates, nempe illius mandata. Alii rursus alios similes afferunt sensus, quare cuilibet suum sit iudicium & gustus. Caeterum sensus illos libenter audio, qui meum sedant animum, non inquietant. Per allegorias uero, atque istiusmodi lusus uagari, ut quidem non uitupero, ita, quia meum non est institutum, non facile amplector. Scio equidem, ut ad propositum reuertar, immensa esse, atque adeo omni magnificentia ac splendore praedita Dei opera. Scio & illud, nostrum intellectum ad ea plene contemplanda caecutire. Scio rursus, ita sapientia, prouidentiaque, & erga homines bonitate grauida esse, ut nihil in eis, quod plenissime nostram impleat mentem, excitetque ad noua semper inquirenda, desideretur. Scio tandem, quod

{111.3} Confessio & magnificentia opus eius, & iustitia eius manet in seculum seculi.

Vis ne, inquit, breuiter quale sit Dei opus audire? Non iam laude dignum est aliqua, sed ipsamet est laus, ipsamet gloria, ipsamet celebritas ac magnificentia. Hincque perfectissima illius exoritur iustitia, qua nimirum undequaque bonus est, ac summe, etiam in hostes, beneficus, & quae, ut omnibus perfecta sit numeris, manet in perpetuum. Quocirca

{111.4} Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator dominus.

Vltra non procedit uersus Hebraeis. Ne quidem nimium in discernendo inter misericordem & miseratorem, quam sane uocem uix accipiunt Latini, discruciemur, consulendi sunt Hebraeorum interpretes, qui aut pium & misericordem transferunt, aut mitem & clementem, & est sensus: Cum sit pius dominus & misericors, effecit ne unquam (sic reddit Campensis) ut perire possit memoria operum suorum tam mirabilium? Etenim mirificis illam insculpsit modis in electorum mente, ut tabulae prope modum facti sint, in quibus diuinae conscriptae operationes uulgo omnibus contemplandae exponantur. Quid? nonne ipsa quoque ex se Dei opera, quaedam ueluti memoria, quam fecit dominus, quo perpetuo memores illius essemus, dici possunt? Nam (ut caetera suae benignitatis indicia praeteream) cum populus acerbè nimium tum ab Aegyptiis, tum a finitimis in deserto uexaretur hostibus, fameque non semel periclitaretur,

{111.5} Escam dedit timentibus se, memor erit in seculum testamenti sui.

Sunt qui hunc locum de diuitiis ex Aegypto per Hebraeos corrasis exponunt, nixi nimirum uocis hebraicae, quam noster uertit interpretem escam, significantia: quae tametsi praedam uel correptam, utpote a feris, significat, nihilominus & ad facultatum praedam, quinetiam ad uictum non raptum transferri potest. Unde in prouerbiis de muliere prudente loquens Salomon, illud inter caeteras illius, quae a prudentia proficiscuntur, actiones attexuit, quod surgens de nocte dedit praedam domesticis suis. Tareph uox, quae tum hic, tum eo in loco ponitur, & praedam & uictum significat: uerum interpretem praedam maluit uertere, quam uictum: quam uero apte, iudicet lector. Ancillis enim, ac caeteris qui domi res exequentur operosas, parabilem de more dant cibum, non praedam aut carnes a feris occisas. Eo igitur modo hunc intelligunt locum nonnulli, quo illud alterius psalmi: Eduxit eos cum argento & auro. unde adiectum putant, Memor erit in seculum testamenti sui seu foederis, quod multis sane antea annis cum Abraham percusserat, dicens: Gentem cui seruituri sunt ego iudicabo: & post haec egredientur cum magna substantia. In hanc quoque pedibus uenisse sententiam Paraphrasten uideo, qui sic uersum reddidit: Spolia hostium diuisit cultoribus suis. Verum quod quidam huc de sacrosancto eucharistiae cibo & potu afferunt, libentissime audio: cui & ego suauissimum addo Dei uerbi symposium. Vtraque mensa ad Dei foedus cum hominibus initum pertinet. Pollicitus quidem iam prima a rerum conditarum origine fuerat Deus, suos purissimo tum suae carnis & sanguinis, tum Euangelii edulio nutriendos, illorumque alimento ita robuste corroborandos, ut ex hominibus dii efficerentur. Felicissima sane pastio, qua exa-
[exaturata]

{pdf 750, p. 367}

-turata anima in diuinam pene transmigrat naturam, fide id operante, atque amore illo, qui naturaliter igneus est, incendente, exurentem, si quid in ea terrenae inuenerit contagionis. Atqui fides illam in primis operatur excellentiam, ne dicam diuinitatem, quam animae, ob dignam carnis cruorisque Christi Iesu perceptionem contingere diximus. Amor postea igneam illam totam reddit, leuemque adeo efficit ac coelestem, ut se in corpore hoc graui atque inertis uix esse deprehendat. Sed haec tardis uidentur animis obscura, quia intentata: siquidem excellentiam duntaxat, ac

{111.6-7} Virtutem operum suorum annunciabit populo suo, ut det illis haereditatem gentium.

Ut enim de populo illo Iudaico olim Dei, nunc satanae, haec uere dicta uideantur, quod fuerint illi gentium fortunae traditae: ita, ut nostrae religionis umbella, de nobis quoque, & uerius dici possunt, quibus uis illa praeclarissima operationum Dei per Christum tam aperta facta est ac lucida, ut indubitanter nostram Ecclesiam spectasse censendus sit Vates, non synagogam Iudaeorum tantum: in qua licet fides, quam uirtutem operum Dei esse ducimus, magis exigeretur, quam cultus exterus, id tamen nisi a paucis praestari potuit. Nondum enim erat spiritus datus, nondumque cruor Christi cunctas sibi uindicauerat iustitiae partes. Vim igitur, roburque diuinarum operationum, quae tunc sub uelo atque in caligine cerni poterant in Aegypto, in mari Rubro, in deserto, atque in primis in lapideis illis, in quibus conscripta fuit lex, tabellis, modo uero quae palam aperteque in eius Ecclesia, in baptismo, in fidelium conuentu, in Euangelii

praedicatione, imo in lege alia, alioque stylo, nempe spiritus sancti, scripta exarataque in electorum animis, non tantum cerni possunt, uerumetiam pergustari, atque ad medullas usque animae traici, deglutirique, suo solummodo reuelauit populo, qui sumus nos: modo hi simus qui dicimur, nempe Christiani: hoc est, tum moribus, tum uitae conuersatione & charitate, Christum referentes: atque id propterea, ut det nobis haereditatem gentium, quibus sane coelestis promissa est, exclusa Iudaeorum turba, beatitudo. Non iam hic terram Chanaan adire libeat, non Ammorraeorum, non Hiericentorum, non caeterarum nationum agros ac uineas pollicetur nobis Deus pro haereditate, quae propria fuit Iudaeorum: sed spiritum, sed gratiam, sed misericordiam, sed remissionem peccatorum, sed coelum ipsum tandem. Haec sane haereditas est gentium, de qua illud Dei est ad Abraham: In semine tuo benedicent cunctae cognationes terrae. Nam

{111.7-8} Opera manuum eius ueritas & iudicium, fidelia omnia mandata eius.

Quae enim cunquae egit olim Deus, quae uel agit in praesentia, aut aget unquam in posterum, ueritatis, iudicijque, & aequitatis plena sunt: nanque quod pollicetur praestat, similiterque cuncta iustissimo ponderat aequilibrio. Quocirca fidelia, suique semper similia sunt illius praecepta ac iussiones. Vide in diuinis rebus constantiam & rectitudinem. Aequa enim praecipit Deus, & quae ab omni horrent fucio & simulatione: quoniam quaecunquae aut agit aut cogitat, ueritate nituntur atque aequitate. Quare solida esse debent, ac iusta, quae statuunt hi qui Dei uices in terris actitant. Aliud quidem est elephantibus aut ursis non prorsus disciplinae expertibus imperare, aliud homini natura docili, fraeno tamen reluctanti, si qui imperant stolidi sunt & inepti. Nullum quippe infortunium molestius experimur in hac uita, quam si ab iniquis aut stupidis contingit nos, non dico gubernari, sed confundi magistratibus. Proinde istiusmodi (si Deo placet) dynastis sorte potius humana, quam uirtute ad dignitates obtrusis, & die & nocte inculcandum erit, clausisque, si uerba non suppetunt, infigendum ferreis, Fidelia omnia mandata eius: hoc est, fide plenae sunt Dei praeceptiones, ideo ratae & iustae sunt. Mites insuper, uerae, moderatae, summoque expensae iudicio: ut plane sunt ea omnia, quibus formata est meae professionis lex ac regula, ab euangelica nimirum dependens suauitate ac dulcedine. Idcirco illam discretione praecipuam diuus appellauit Gregorius: quam quidem laudem meruit, opinor, quoniam ne digitum quidem a suauissimis Christi, qui mitissimus omnium fuit, declinat mandatis, quae fidelia sunt ac salutaria, ideoque

{111.8} Confirmata in seculum seculi, facta in ueritate, et aequitate.

{pdf 751, p. 367v}

Citius enim coelum & terra transibunt, quam uel unus e lege sacra expungi queat apex: nanque cum pura contineat mandata, aeternamque bene uiuendi praecipiat rationem ac uiam, aeterno & illa fulcitur fundamento. Verba, inquit, mea non transibunt, licet condita omnia transeant, & cursim dilabantur. Siquidem quae, ut dixi, ueritate & rectitudine connituntur, utpote quae a Deo, qui summa est ueritas & iustitia, dependent, aeterna illa omnino esse necesse est. Quamobrem non absque spiritus consilio est

dictum, Dei praeceptiones confirmatas esse in seculum seculi. Cuius porro firmitatis illud maxime fuit indicium, quod illam, quam toties suo in foedere promiserat,

{111.9} Redemptionem misit dominus populo suo, mandauit in aeternum testamentum suam.

Hic iam aperte de Euangelii perpetuitate ac Christi, qui humanae redemptionis autor fuit ac nuncius, fit sermo: quare non semel Paulus illum nostram appellat redemptionem. Ipseque de se olim testatus est, se a patre idcirco missum, ut praedicaret captiuis redemptionem. Quomodo uero id aut actum sit, aut agi potuerit, non dicam modo, aliorum is esto labor: mihi sat fuit mysterium indicasse, quod sane primum in admiranda illa Iudaeorum ex Aegypto liberatione uelatum, per Christum tandem, quid lucis in se haberet, innotuit. quam quidem lucem Euangelium esse credimus, quod pater, tanquam pacis atque reconciliationis foedus cum homine, aeternum esse decreuit. Dabo, inquit, uobis testamentum aeternum. Semper enim usque ad mundi conflagrationem dominus Iesus suos a peccatis asserit, purgat, uitaque illa animat, quae abscondita est in Deo. Quapropter

{111.9} Sanctum et terribile nomen eius.

Cur non sanctum? cur non terribile & uenerandum, simulac tam stupenda, tamque insolita mundo, in electorum gratiam operatus est, operaturque continuo? Nonne in nomine Iesu omne genu flectitur? Quid illud? In nomine meo daemones eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit [Mark 16.17-8]. O certe nomen amabile: nomen, quo inuocato seruantur quotquot fideles illi sunt. Flagrantissimum nomen atque ignitum, quo autore ipsa etiam glacies incenditur, aequae exurit, atque solet stipula aut sulphur uix tacta flamma. Quis hoc audito, medullitusque intellecto amore non emoritur? non colliquitur? non totus prae dulcedine exhauritur? Istiusmodi credo accensus affectu ac desiderio Theophilus frater, sic suum hendecasyllabo solatur aestum, Iesum alloquens:

Flagrantissime Iesu amoris ardor,
Et repleta sitis, repletioque
Divinae sitiens perennitatis.

Flagrantissime* Iesu odoris arbor,
Miscens nectareum croco liquorem
Spirans ambrosium rosis odorem.

Amantissime Iesu honoris autor,
Qui nos degeneres, diuque Lethes
Sopitos fluvio, uocas ad astra.

Pientissime Iesu amaror et fel,
Dum clauos crucis horridos amarae
In te ultro rapis, utque dulcor, ut mel,
Ut sis uita simul mihi misello.

Quid tibi referam tot ob dolores
Clementissime Iesu? an appetis cor?
An cor appetis istud aridum? Ecce
Quaecumque habeas, ferasque tecum.

*[sic, Fragrantissime in *Varium poema*, 1533]

In nomine igitur tuo, o benignissime, seruantur electi. Et quidem nomen tuum, ut ait Vates ille, nominabit tibi a Deo in sempiternum, pax iustitiae, atque honor pietatis. Verum illud cauendum, ne tam uenerandum, atque adeo, ut inquit Malachias, horribile inter gentes nomen superbe contemnamus, desidiaque auersemur. Siquidem

{111.10} Initium sapientiae, timor domini.

Hoc est, uerae cognitionis Dei exordium est, timor domini, quo ad illius trepident iudicia homines, atque ad eius uerba & pollicitationes moueantur. Nam quidem Deum, ut conuenit, metuere, illumque reiectis superstitionibus, scrupisque superuacaneis eliminatis, syncere atque animose colere, totius religionis fons est, ac radix. Insuper

{111.10} Intellectus bonus omnibus facientibus eum.

Qui tali, ut diximus, affecti sunt metu & reuerentia, quisque ea faciunt, Dei scilicet:

{pdf 752, p. 368}

mandata, aut opera illa quidem, quae in ueritate, ueroque iudicio fieri solent (eum ad timorem referunt) his bonum impartitur animum, rectumque in rimandis coelestibus, ne errent, intellectum, Dei bonitas. Ac, ne quid illius deesse possit felicitati.

{111.10} Laudatio eius manet in seculum seculi.

Tametsi enim haec ultima psalmi pars de homine dici queat, qui timet Deum, quod illius scilicet sit laus perpetuo duratura, ut ex Hebraeo facile potest colligi, tamen & ad Deum si referatur non erit inconueniens. Imo etiam, ut mea est opinio, is germanus uidetur sensus, si sic rem absoluas: Intellectus bonus certe illis est ac perspicax, qui ea operatur quae iussit Deus. Verum ne laudem illam, quae sanctis debetur actionibus, homini, non Deo, nostra tribueret infidelitas, mox ueluti absolutissimum undequaue additum est a spiritu axioma [Greek]: Laudatio eius, nempe Dei, manet in seculum seculi. Amen.

PSAL. CXII. Halleluia.

{112.1} Beatus vir qui timet dominum, in mandatis eius cupit nimis.

Nulli dubium esse debet, ueram illam tandem esse hominis tum hic in praesenti uita, tum in futura, beatitudinem, quae in Dei cognitione posita a doctioribus sapientia appellari solita est: cuius originem Dei timorem illum esse existimant, qui a casto

trepidaque affecto ueneratione dimanat corde, ut fere solent affici erga parentes filii. Hanc quidem a stultis contemni, deriderique suis in Prouerbiis queritur Salomon. A timore igitur quo uenerabundi in Deum ferimur, in illius cognitione, si non multum adeo in hoc mundo proficimus, exardescimus tamen & delectamur. Et haec quidem uera est sapientia, ex qua beatitudo. Nam quo alio medio e sensibus hisce brutis exire queat homo adhuc uiuens, praeterquam diuinae purissimaeque Dei notionis, unde amor exoritur, non uideo. Itaque Vates tantarum rerum neutiquam ignarus, in hanc plane diuinam, sed stuporis plenam prorupit uocem: Beatus uir qui timet dominum, in mandatis eius cupit nimis. Vide operum delectationem diuino copulatam timori: id enim significat, cupit nimis, & est sensus: beatum uirum illum, qui Deum timet: nanque ut caetera, quae illi contingent, bona sileam, in illius praeceptis supra omnia delectabitur: legem, & legis datorem ardentissime diligens, in illis, quibus se mirandum in modum oblectare possit, inueniet. Vis ne, mi lector, quo se extendat aliquando mandatorum Dei concepta in corde delectatio, audire? Num solum enim, qui illo affecti sunt dono, amicos diligunt, eisque faciunt bene, sed etiam hostes ipsos non minori, quid minori? maiori saepenumero charitatis nota, nempe beneficiis prosequuntur, quam proprios familiares, necessitudineque coniunctissimos. Excessus is quidem diuinus est, atque illis insolitus, qui quosdam indoctos, ne dicam absurdos, in Dei obsequio & amore constituunt gradus: cum ea uera sit in Dei amore instructio, nullum seruare modum aut gradum, sed illo absque ordine ferri, quo ab igne raptamur. Scilicet incendiis praescribi potest modus aut terminus. Voluntas quidem in negotio spiritus non potest esse nimia. At tu qui haec, quae dico, experiris, vide inquieti huiusce amantis e coelo compensationem.

{112.2} Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur.

Qui externis opibus & fortunis, & non his, quae in animo insunt, bonis, uim potentiae metiri consuescunt, id refugiunt audire, quod filii timentium Deum ut plurimum in hoc mundo debiles & contempti, potentia aliqua praediti sint: secus hi, quibus robur perspectum est fidei, censent. Siquidem nullam eam esse potentiam arbitrantur in homine quamlibet amplo insigni dominio & diuitiis, si Dei timore uacuuus sit. Contra uero eum potentissimum omnium appellare non dubitant, qui Deum timet. In rebus quidem corporeis, atque ad uitae usum necessariis, quantum sat est appetit, abundat etiam: in spiritualibus autem, vel cum non advertit, exuberat. Qui non illum fortissimum, mundo formidabilem dicam, qui inferiora haec omnia suo subiecit imperio, magnitudineque animi contempsit? Si cur-
[curta]

{pdf 753, p. 368v}

-ta domi est suppellex, si tenuis uictus, si in agris sterilitas, bona huiusmodi fortunae, prout sunt, uaria scilicet, inconstantia, perfidiaeque obnoxia, & plerunque in immeritos contingentia, nunquamue animum expleant, reputat. Unde istiusmodi, quae sors ista fallax producit, rebus contentus, maximas deridet fortunas, quas qui possident, raro expleantur: raro, sat est, dicunt: raro, quae ea sint, quae uere satiant animum, ne per transennam quidem intuentur. Age dic, uter horum potentior tibi uidetur? rex ne, qui nullis quamuis copiosis expletur diuitiis: an ciuis, cui uix cibarius suppetit panis, sed

quieto uiuit animo? Vide tranquillum cor in sene illo, qui sic suum hortatur filium: Pauperem quidem uitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, & recesserimus a peccato, & fecerimus bene. En quomodo bona multa Deum timentibus obueniunt: quos sane generationem rectorum appellat spiritus, quam felicissimam fore uaticinatur. Semen itaque ac posteritas illius, qui Deum metuit, utpote a parente in eadem instructa religione & timore, quicquid tenuitatis occurrerit, potens erit, ac diues, etiam in terra hac infelici, ubi plerunque qui Deum timet abiicitur, calcatur, a uitaque commodis, nedum honoribus & dignitatibus, in quibus maxima solet esse potentia, excluditur. Veruntamen

{112.3} Gloria & diuitiae in domo eius, & iustitia eius manet in seculum seculi.

Vide prudentiam Vatis. Ne putes, inquit, mundi huius diuites ea se habere ratione cum his, qui spiritu pauperes sunt, hoc est, in immensum ditissimi. Rari quidem ex illis inueniuntur, qui a recto non exorbitent, propterea quod ea sit diuitiarum natura, ut facile, etiam sapientiores, a iustitiae itinere deturbent: horum uero iustitia aeterna est, quippe quae illorum strictim adeo adhaesit animis, ut e corpore demigrantes illam quoque secum ferant, Deoque, a quo illa processit, offerant In erogatorem igitur suum refundunt donum. Caeterum tametsi pro gloria in hebraeo legimus, opes, seu opulentiam, tamen gloriae uocem mirabiliter ad huiusmodi timentem Deum pertinere iudico, si illa ad existimationem, bonumque nomen referatur. Suauissimus is odor est, gloriaque ita celebris & insignis, cui nullae, ne regiae quidem, aequiparari queant opulentissimorum hominum diuitiae. Malo quidem bonum nomen in paupere, quam infamem uitaeque inquinatum satrapam, aut regem quam uis diuitem & potentem. Sed quid si a turpissimis nonnunquam foedari contingit delatoribus atque maledicis proborum hominum uitam? Quid id refert, simulatque illorum nomina scripta esse in coelis sapientissimus affirmat magister? In coelis igitur bona sua omnia, diuitias, gloriam, splendorem, lautitiamque esse uolunt & cognoscunt pauperes spiritu. Quocirca non iniuria dictum est, quod iustitia illorum manet in seculum seculi: & quod

{112.4} Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors & miserator & iustus.

Rursus, ut in superioribus egit, Deum timentes rectos appellat: quibus tandem coelestis cognitionis lumen, ex quo maxima animae exoritur consolatio, in tenebris interlucere asserit. Tenebras hic uocat propheta aduersa, nempe paupertatem, morbos, persecutiones, atque id genus alia crucis praeludia: lumen ultra consolationem, quae, ut dixi, ex Dei cognitione oriri solet. Fitque ex eo lumine ac face spiritus, totus coelestis homo & deiformis. Quare a se exiens, quicquid lucis in se esse pernoscit, in alios transfundere conatur: adeo benignus iam factus est, misericors & iustus: hoc est, omni uirtutum, coelestiumque bonorum cumulo ditatus. Quod porro has uoces, miserator, misericors, & iustus, ad hominem Deum timentem retulerim, me admonuit Paraphrastes, qui sic uersum transtulit: Exorietur, aliis desidentibus in tenebris, lux rectis, clementi scilicet, pio & iusto. Unde mox additur:

{112.5} Iucundus homo qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio.

Ultra non procedit uersus Hebraeis: cuius is sensus erit: Ter felix quidem est uir ille, ac mundo commodus, cuius mouentur uiscera in egenos, datque illis mutuo. Is certe quaecunque aget, loqueturue, recto dispensabit iudicio: nihil temere aut inconsulto proferet. Non te moueat, quod ad actiones quoque, disponet ser-

{pdf 754, p. 369}

-mones suos, referre libuit: Symmachus enim ui uerbi graeci, non sermones, sed rationes, transtulit: ut sit sensus, quem etiam ex Hebraeo reddidit Campensis: Dabit, inquit, illi dominus eam prudentiam, ut dispensare sciat reliqua, quae tractanda illi erunt, cum iudicio, hoc est, consueto bonis delectu, qui is est, ut prosint omnibus, officiant nemini. Caeterum iucundus, mirum quam apte huic quadret loco: siquidem uiro ab angustiis presso, cum malaque conflictanti fortuna, nihil iucundius accidere potest, quam si de improviso quis ferat suppetias. De istiusmodi hominum genere, qui miserentur & commodant, illud uere dici potest alterius psalmi elogium, quod tota die miserentur, & commodant: contra nimirum peruersam quorundam consuetudinem, qui tota die nefandissimis affligunt populos oppressionibus & usuris. Resonat iam coelum ipsum ex moestissimis oppressorum suspiriis atque eiulatibus, nedum montes, aut in quibus delitescunt, solitudines, propter insaturabilem illorum famem, qui deuorant plebem Dei sicut escam panis. Hos tamen certissimus (non insolescant) citissimusque, simul cum illorum nomine ac re, manet interitus. Contra autem,

{112.6-7} Quia in aeternum non commovebitur, in memoria aeterna erit iustus.

Vide iucundissimam antithesin. Illi quamprimum suae crudelitas luent poenas: iustus uero, ille, dico, de quo asseritur, recto eum sua omnia dispensaturum iudicio & delectu, perpetua uigebit in ore hominum memoria & celebritate, idcirco, quoniam suo nunquam dimouebitur loco, ac firmo erga Deum proposito. Et quidem in Deo, qui uita est omnium, positum, cur cum impiis, quorum finis mors est, exolescere, atque cum illis interire timebimus? Etenim

{112.7} Ab auditione mala non timebit, paratum cor eius sperare in domino.

Hoc est, si quid malorum sibi a mundo intentari audierit, iam fidei umbone protectus, non timebit, non a concepta de Deo fiducia dilabetur, tantum abest ut a pugna meticulosus excedat. Siquidem cor habet uirile, atque ad spem salutis, utcunque res accidant, paratissimum. Vnde

{112.8} Confirmatum est cor eius, non commouebitur donec despiciat inimicos suos.

Firmum, inquit, est cor eius, uiuitque animo praesenti ac uegeto, non commouebiturque, quoad uiderit in aduersariis suis, ultionem scilicet. Phrasis est hebraea, de qua alias nonnihil diximus: & est ac si dixisset, usquedum uiderit suorum hostium interitum, qualem quiuis alius uidere uellet in suis hostibus. Id enim optandi tyrannorum interitum genus, ad eos tantummodo pertinet, qui a Deo, tanquam aeternas bene uiuendi ideas, suae omnes uitae rationes excerpunt. Et ut tandem excellentissimum sanctitatis gradum in uiro isto beato, de quo pulcherrimus hic factus est psalmus, inesse intelligamus, a Vate commodum infertur:

{112.9} Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, cornu eius exaltabitur in gloria.

Aptum sane uerbum, dispersit, quo donantis expressa est liberalitas. Notat Felix, uim illam hebraeae esse uoci in hoc loco, ut, si id latinae admitterent aures, transferri posset, sumptuauit, hoc est, expensas elargitus est. Id uellem perpenderent ditiores, qui auaritiae ueneno infecti obcaecatique, aut non subueniunt omnino egenis, aut tenuissime id quidem. Ingratissimum certe genus hominum, qui tam crudeles sunt in Christum. Dispersit igitur uir sanctus res suas adeo copiose in alendo Christo in pauperibus, ut integrum illis praebuerit uictum, atque ad alendam familiam expensas. Nonnulli suas, quo alant canes, scorta, moriones, & parasitos, dispergunt facultates: Christus uero, quantum in illis est, fame periclitatur. Dispergendae quidem sunt diuitiae, ut hic admonet spiritus, sed in usus uitae honestos tum suae, suorumque, tum pauperum, illorum maxime, quibus uirgines maturaе uiro sunt domi. Nulla certe tam tenax in nobis debet esse cupiditas, quo minus in suppeditandis suis rebus inopi profusiores potius simus, quam auari. Quod sane hic annuisse Vatem arbitror cum ait: Iustitia eius manet in seculum seculi: hoc est, illius iustitiam, promptamque erga Christi egenos liberalitatem, perseuerantem esse & continuam uidebimus. Quocirca cornu eius, uirtus scilicet, fama, no-

[nomen]

{pdf 755, p. 369v}

-men, potestasque illa, de qua superius est dictum, Potens in terra erit semen eius, exaltabitur in gloria: id est, a cunctis celebrabitur, in eoque diuina laudabitur bonitas, cuius imitator is factus sit. Sed & beatius in Deo post hanc uitam, gloria atque honore, quemadmodum solent triumphatores, coronabitur. Verum dignitatem, splendoremque istiusmodi, cui comes est gloria,

{112.10} Peccator uidebit & irascetur, dentibus sui fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit.

Clamat Salomon, desiderium iustorum omne bonum esse: praestolationem impiorum furorem. Atqui ea est inuidorum maxime natura, ut aliena perspecta celebritate ingemiscant, acerbique perturbentur: unde odia plerunque ortum habent, dissidia, persecutiones, exilia, ac quibus maxime afficitur probitas, oblocutiones. Ille itaque qui istiusmodi liuido laborat morbo, ea uidens, quae naturaliter inuidus uidere refugit, alienam nimirum gloriam & splendorem, rumpitur, turpissimique in modum tabidus

factus & cadauerosus, rabie corroditur & insanit. Verum necquicquam: nam uota eiuscemodi effraenata, machinationesque turbulentae, finem sortientur nullum. Hic cernis, opinor, nostrum ob studium erga uirtutes, atque diuinarum praeceptionum obseruationem, quod merum Dei est donum, aeternum patrem in nobis laudari: nos uero illius uicissim gratia euehi, perornarique dignitate, atque aliquid tandem in terris etiam (quis id credat?) apparere, indeque maleuolorum animos miserabiliter torqueri, atque ob inuidiam gratis emori: proin elumbes illorum conatus, atque efferatum ad nocendum studium & desiderium, in auras resolui. Et id quidem Seruatoris nostri benignitate & gratia. Cui laus sit aeterna. Amen.

PSAL. CXIII. Halleluia.

{113.1} Laudate pueri dominum, laudate nomen domini.

Idem ferme huius psalmi cum superiori est argumentum: nempe Deum cuncta, quae hic fiunt, intueri, regere, proque suo mutare arbitrio, ac demum reiecta perfidorum cura, miseros fouere & restituere. Equidem uniuersum adhuc in tenebris uersari mundum arbitror, si quis uerus laudandi Dei sit modus ignoretur. Subtracto quidem huiuscemodi ab Ecclesia fidei lumine atque ornamento, densissimae undecunque conspirant tenebrae. Etenim a puro, castoque duntaxat, ac coelesti animato spiritus ardore, animo, tanta haec res oriri consuescit. Nihil sane dico: pura ipsa mens, quae puro unita est corpori, ea tandem est, quae non solum ad celebrandas Dei laudes idonea censetur, uerumetiam ipsamet laus efficitur. Quamobrem quicquid agit, cogitat, loquitur, eo nimirum spectat ut Deo honor sit, proximo commodum, sibi uero ignominia. In id enim enixissime incumbens, in eo, plusquam in se, & est, & uiuit, delectaturque, atque felicitatem omnem suam, quaecunque obtingant, collocauit. Idcirco ipsissima, ut sic dicam, propemodum res est, quam tam cupide deamat. Qui igitur istiusmodi affecti sunt animo, pueri, seruique Dei, atque amici, ab omnibus merito appellari debent: caeteri uero uix eo dignari possunt nomine, quandoquidem nemo unquam ad tam altum seruitutis gradum asciri potuit, quin candidissimis perornatus esset moribus: animo insuper in his quae ad sui domini pertinerent honorem, flagrantissimo, Quod sane a me dictum esse propterea uelim, quod multi huiuscemodi seruitutis imagine nescio qua decepti, se Dei tum seruos appellari merito debere existimant cum semirasum circumferunt uerticem, aut mitra obtegunt. Ab animo quidem primum metiri istuc seruitutis genus solet altissimus, a candore postea uitae & religione. Ignauum porro id genus hominum, quod sibi hoc nomen, ullo absque bonorum morum, aut sanctae mentis indicio, impudentissime arrogat, mallet a proborum contubernio eliminari, fraenoque disciplinae arceri, quam illam passim cernere sacrosanctam ab omnibus usurpari appellationem, hincque illorum culpa fieri, quod & ueri Dei serui & subreptitii, uno ueluti facto uolumine ludibrio habentur, ac uulgo irrisioni. Nulla quidem in terris tam syncera instituitur res, cui subito aliqua non fiat impostura. Hos itaque, qui Deo, ut tanta postulat maies-

[maiestas]

-stas, suum impendunt obsequium, pueros Dei appellat Vates, atque ad exhibendam puram Deo seruitutem, quae potissimum laude constat, hortatur hoc modo, dicens: Laudate pueri dominum, laudate nomen domini. Ut nihil turpiter, nihil indecore aut ambitiose operentur Dei serui, sed ad diuinam omnia bene sancteque uiuendi legem ac rationem instituant, purgentque seipsos in Deo, in quo fons omnis inest puritatis ac sanctimoniae, istiusmodi suae odae fecit exordium Vates: O pueri, o serui, o quibus Dei peculiariter laus est cordi, atque honor, laudate dominum, atque illius laetanter efferte nomen: sanctum certe est & terribile, idcirco laudabile est, planeque adorandum, atque omni persequendum religionis cultu & pietate. Itaque

{113.2} Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc et usque in seculum.

Ab hoc, inquit, tempore usque in sempiternum, nomen domini tremendum existimetur, celebreturque a cunctis passim nationibus. Siquidem

{113.3} A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen domini.

In superioribus enim uersibus, tempora omnino omnia in extollendo Dei nomine expendi consumique debere admonuit Vates. In hoc uero, atque in sequenti, loca orbis cuncta & hortatur, & anxie id adeo inculcat, ut prope nihil aliud a nobis coelitus exigi prae se ferat, quam ut Dei nomen semper, omnique in loco atque hominum gradu celebre fiat & notum. Et ut sane nemo est, qui se abscondat a calore eius, ita ab orientalibus ad occiduas usque plagas nemo sit, qui Dei nomen, quo inuocato seruant quotquot seruari cupiunt, non summis euehat laudibus, Etenim

{113.4} Excelsus super omnes gentes dominus, & super coelos gloria eius.

Quid ni nomen Dei sanctum, atque alios, qui nota aliqua sanctitatis insigniti sunt, sanctificans, appellabimus, cum illius nomen sit, qui super omnes sublimis est gentes? sed nec id quidem solum, uerumetiam coelos quoque ipsos gloria superet & maiestate? Ergo

{113.5-6} Quis sicut Dominus deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in coelo & in terra?

Hem quanta diuinae erga homines charitatis uis est ac magnitudo. Quis, inquit, nostro similis est domino? qui cum supremum inhabitet locum, rebusque omnibus tum quae in coelis sunt, tum quae in terris, praestet, nihil tamen est tam humile & abiectum in mundo, quin ipse uideat & moderetur. quid mundum? in coelis, dico, ipsis diuina in primis suum habet locum prouidentia. Id dicit Vates, quo Deum mentibus illis angelicis infinito (ut sic loquar interstitio altiores esse minime ignoretur. Ex hebraeo sic uertunt quidam: Quis sicut dominus Deus noster, qui sublimat se in habitatione? hoc est, ut interpretatur Paraphrastes, qui seipsum in altum erigit, ut sedeat quocumque loco libitum fuerit illi: rursusque seipsum conuertit ad contemplanda quaecumque fiant uel in coelo, uel in terra. Vellem mundi proceres huiusmodi instructi essent spiritus doctrina: illos dico, qui altiores nacti sedes usqueadeo interdum suae obliuiscuntur sortis, ut nec quae in coelis sunt, nec quae in terris honeste peraguntur, uidere, ex

animoque expendere dignentur. Tam caeci quidem nonnunquam sunt, atque in ambitionis fumo prorsus obtenebrati. Viuunt enim ut propriae suggerunt cupiditates, non ut Dei est lex, non ut uult spiritus, non ut subditorum expetit indigentia: hincque nullum in eis, ne per umbram quidem, cerni potest in rebus agendis, aut diffiniendis, prouidentiae signum. Semel quippe a uera moderandarum rerum ratione ac norma, qui Deus est, semoti, atque amentes effecti, ut res corporeas ineptissime gubernant & saeue, ita coelestia, tanquam res prorsus incognitas, aut paruipendunt, aut scire dissimulant. Eam ob rem, nihil illis in suo illo sic male moderato imperio antiquius est, quam ut probos opprimant, fessos atterant, fractosque perfringant, contra nimirum Dei morem, qui

{113.7} Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem.

Rerum vicissitudines mutare potest. Clarius forsitan ex hebraeo per tempus praesens uertisset interpret, suscitatur, & erigit: seu, ut quidam uertit, sublimatur pauperem,

{pdf 757, p. 370v}

{113.8} Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Quod humilia, prorsusque profligata intueatur Deus ac restituat, hisce ultimis psalmi uersibus enarrat Vates, probatque idcirco, quod pauperes, abiectos, uulgoque ob probitatem irrisos, ex contemptissima rerum sorte non solum eximat, uerumetiam inter primarios populi Dei homines collocet, aliisque praeesse faciat. Via ea quidem diuina est, non humana, cum quis probus ex humili ad altiore euehitur fortunam: illa uero humana omnino, cum scelerati e sordibus uis summa extracti, natiue e terra, hoc est, ipsa contradicente natura, populis praeponuntur. Quid hac peste exitialius? quid turpius unquam uisum est? Tantum uero abest, ut a Deo istiusmodi proueniat humanarum rerum corruptela & calamitas, ut etiam summopere illam detestetur.

{113.9} Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem.

Volunt Hebraeorum interpretes domum hic poni pro familia eo modo, quo de obstetricibus illis dictum fuit, quod fecit illis Deus domos, hoc est, numerosam commodamque dedit illis familiam. Unde sic uertit quidam: Ipse ponit sterilem in familiam, & in matrem ob filios laetantem. quare is erit sensus, quod ad diuinaui pertineat prouidentiam, sterilissimas quasque adeo abunde foecundare, ut domum prole impleant: & quae antea naturaliter fuerat sterilis, fiat mater illico, propter liberorum copiam laetitia gestiens. Hic absque dubio de gentium Ecclesia est uaticinium, de qua sic Esaias: Lauda sterilis quae non parit, decanta laudem & hinni quae non pariebas, quoniam multi filii desertae, magis quam eius quae habet uirum. Misera haec, atque ad punctum in modico derelicta, inquit Deus, in fructus demum uberes erupit, atque adeo large effudit, ut orbem repleuerit uniuersum. Ideo non absque profundissimo mysterio illud canitur de spiritu elogium: Spiritus domini repleuit orbem terrarum. Siquidem aliud nihil Christi Ecclesiam esse diffiniunt, quam immensam aeterni patris charitatem, largamque illius spiritus effusionem in electorum cordibus disseminatam: cuius uirtute acti, uel ea quae corporeis cerni nequeunt oculis, captuque humano comprehendendi,

credunt, fideque assequuntur: quae summa est salutis in Christo Iesu domino nostro.
Cui honor sit in secula. Amen. Halleluia

PSALMVS CXIII

{114.1-2} In exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro. Facta est Iudaea sanctificatio eius, Israel potestas eius.

Non ab rem quidem videtur, si nonnullorum huc sententiam affero, qua afferunt superiorem psalmum cum quinque sequentibus, Halleluia magnum, hoc est, hymnum magnum ab Hebraeis appellari, illumque in tribus praecipuis festis diebus decantari solitum, sed solennius post agni esum in Pascha. Unde illud de hoc hymno intelligi uolunt, quod refert Euangelista de Christo, qui hymno dicto post coenam exiuit domum. Verum ut is Iudaeis fuerit mos, aliud hunc psalmum praesagisse arbitror, quam quod nunc somniat illorum synagoga. Illud interim non ignorandum, historiae celebris ac famosae Aegypti, marisque in Hebraeorum gratiam exiccatae, frequentem idcirco in lege sacra fieri mentionem, ne non inscii simus, quod terram potius ac coelum moueri oporteat, mareque exiccari, montes item una cum elementis omnibus pessum ire, quam ne unus quidem de his, qui Deo, illiusque promissionibus fidunt, intereat. Summa enim fide fretum illud salsum transierunt Hebraei. Ita nos turbas has mundi molestissimas, in fide Iesu Christi uincere, aut saltem demulcere posse confidimus. Vates itaque, qui ex umbris illis obscurissimis, quae postea in Christi Ecclesia detecto Mosis uultu contingere, eliciens, sic rei seriem orditur: In exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro. Facta est Iudaea sanctificatio eius, Israel potestas eius. Hebraei hunc psalmum in duos diuidunt, quod & nos, illorum ordinem sequuti, obseruabimus Israel & Iacob idem est populus, quemadmodum Aegyptus in hoc loco, & po-
[populus]

{pdf 758, p. 371}

-pulus barbarus, eandem prae se ferunt gentem, nempe Aegyptiam. Mos quidem fuit Iudaeis, omnem linguam, quae sua non erat, barbaram appellare ac peregrinam. Caeterum Iudaeam seu Iudam, sanctificatione Dei factam fuisse, Israellemque illius potestatem propterea dictum putant, quod in Iuda siue Israele, tanquam in populo sibi grato & charissimo, sua esse religionem ac peculiare imperium, uoluit Deus. Hanc sane gentem inter caeteras orbis nationes sanctam esse decreuit: proinde illi data est lex & caeremoniae, quibus Dei cultum testari poterat. Ad haec, e Iuda natus est Christus secundum carnem: quocirca tribum illam secretissima quadam ratione iam inde a principio sanctificatam fuisse non absurdum est credere. Neque absque mysterio fuisse dicunt, quod caeteris metuentibus, resque miraculum summo animi stupore admirantibus, Iudae tribus animosissime Mosen in maris transitu prima sequuta est. Is itaque sensus esto: Cum exiret Israel de Aegypto, posterique Iacob peregrinae linguae homines relinquerent, tunc Iudas diuinae religionis particeps factus est, atque Israel Dei imperio ac ditioni prae caeteris orbis nationibus parere ocepit. Vtrunque enim expressit Deus cum inquit: Vos eritis mihi in peculium de cunctis populis, & eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Atqui, ne in re ulla spiritus innascatur confusio, errare non poterunt rudiores, si Iudam, Israel & Iacob, in hoc loco pro eodem acceperint

populo. Sic alias quoque una tribus pro reliquis sumi solet in scripturis. Sciant & illud de nobis quoque dictum esse, quod facta est Iudaea sanctificatio eius, & Israel (nempe idem populus per confessione fidei sanctificatus) potestas eius. Dedit quippe nobis potestatem filios Dei fieri. Verum, ut ad historiam reuertamur,

{114.3} Mare vidit & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum.

Per prosopopoeiam facit hic Vates inanima uidere, atque ob metum fugere. Rem enim tropo huiuscemodi uehementi exaggerat. Pauefactum, inquit, mare uiso Dei exercitu fugit: hoc est, cessit, liberumque iter praebuit populo exiccatum. Ita & Iordanis, qui cum primum ferentes Dei arcam sacerdotes cum populo sensit, resiliuit subito. Sic enim in Iosue libro legimus, quod ingressis sacerdotibus flumen, & pedibus eorum in parte aquae tinctis, steterunt aquae descendentes in locum unum: quae autem inferiores erant, in mare solitudinis, quod nunc uocatur Mortuum, descenderunt usquequo omnino deficerent. Mare itaque Deum praesentem esse sentiens fugit, cessitque pauidum: Iordanis item retro abiit. Quid? ipsi quo. alioquin inertissimi & rudes,

{114.4} Montes exultauerunt ut arietes, & colles sicut agni ouium.

Exilierunt seu subsilierunt ut arietes, uertunt Hebraei. Prae metu id factum uolunt. Nanque arietes, capreae, agnique, cuniculi, atque id genus animantes, cum currunt, subsiliunt. Ad montem Sinai alludit Vates, quem tremuisse, mirandumque in modum concussum fuisse legimus, quando data fuit lex populo. quod & de caeteris circumiacentibus montibus ac collibus intelligere non inconueniens erit Siquidem montem omnem terribilem, hoc est, mire exagitatam tunc fuisse scribit Moses. Verum, o rem insolitam,

{114.5-6} Quid est tibi mare quod fugisti? & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum? Montes exultastis ut arietes? & colles sicut agni ouium?

Vnde id quaeso? unde haec tanta in rebus quoque inanimis commotio? Unde is timor, quod tu mare exterrefactum fuga tibi prospexeris? & tu Iordanis cursu alioqui libero & expedito, conuersus es retrorsum? Vos montes, uos colles, uos inculti aggeres, instar arietum atque agnorum in fugam uersi, prae metuque exanimati facti estis? Tanti ne fuit populus ille imbellis, aut sacerdotes de more inermes, ut uixdum primo conspectu illorum accessu, retro cessistis? Certe uim aliquam diuinam in illis fuisse sensistis, itaque

{114.7-8} A facie domini mota est terra, a facie Dei Iacob, qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

Praesentia, inquit, numinis in causa fuit, quod ipsa tota contremuerit tellus.

{pdf 759, p. 371v}

praesentia dico illius, qui Deus est Iacob: hoc est, qui illius populi curam habuit, is fuit qui tam mirifica perfecit, non alius quispiam quamuis terribilis ac potens. Alia quidem

uis est diuina, alia humana. Alia quidem est quae praeter naturam saxi effecit, ut e sicca rupe, copiosissimae dimanarent aquarum scaturigines, stagnarentque in deserto. Posset ne id efficere uirtus hominis natura uitrei & imbecillis? Amen est si quis id dicat. Quare,

[Gloss: PSAL. CXV. secundum Hebraeos.]

{114.9-10} Non nobis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloria, super misericordia tua et veritate tua.

Is unus est uersus, cuius ultimam particulam clarius hac exprimunt uersione: Nomini tuo da gloriam, propter misericordiam tuam & ueritatem tuam, nobis nimirum praestita. Ait itaque: Non certe, o domine, quasi sic meruimus: Non, inquam, quasi id meruimus, sed tuum ne nomen sua fraudetur gloria atque honore, pro tua misericordia, ac, qua tute nobis affuturum astrinxisti fide, nos libera. Periculum quidem est non leue, quod improbi tuam in opitulando miseris intuentes moram, te carpant, dicantque te tuorum omnino immemorem esse & contemptorem. Periculum, inquam, es

{114.10} Ne quando dicant gentes, ubi est Deus eorum?

Vrit mirum in modum uiri sancti animum improborum petulantia, atque in Dei religionem irrisio. Per ironiam haec dicta sunt omnia: Ubi est Deus eorum? quasi dicant: Dormit ne illorum Deus? num quae hic agunt in suorum exitium, non curat? debilius is quidem est, quam qui illos nostris e manibus queat eximere. At ego uos omnium stultissimos merito appellauerim, qui de omnipotentissimo id Deo dicere audetis.

{114.11} Deus autem noster in coelo omnia quaecumque uoluit fecit.

Pulcherrima Dei diffinitio: facit quae libet. Inter caetera, quae in derisionem fidelium iactabant idololatrae, illud erat, quod absque simulachris Deum colerent id enim in lege cautum fuit. Irrepsit tamen is usus in Ecclesiam ob rudiorum documentum: modo documenti rationem non excedens, in superstitionem dilabatur Tantum illud cauendum, ne in istiusmodi statuarum, pictarumque tabularum genere, sumptus fiant adeo intemperati, ut Christus se suo fraudari uictu in egenis queratur. Verum ad insulsa oblocutorum dicteria & irrisionem, haec fere erat responsio: Tametsi quidem nulla nos manufacta colimus simulachra, ut uos, Deum tamen illum, qui cuncta implet numine, sedensque quietus in coelis, quicquid illi unquam libitum fuit, facit, adoramus. At uos cuius diuinitatis Deum colitis? Simulachra nimirum uitae omnis (ridiculum) expertia, muta, ex auro aut aere fabrefacta, tanquam rem numen aliquod in se habentem, pro eo uestris in templis erigitis. Certe

{114.12} Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. {114.13} Os habent et non loquentur, oculos habent & non videbunt.

{114.14} Aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt.

{114.15} Manus habent et non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo.

Deridet uir sanctus statuarum culturam, quae nihil aliud erat quam ex crassa materia, ut est aurum, argentum, aes, aut rude saxum, manu hominis in animantium effigiem expressa: nihil deinde. Vis ne, inquit, illorum uanitatem uidere, ac deridere simul? Formam certe hominis, aut belluae, aut asparagi quoque, si libet & cucurbitae, homo inducere potuit: sed usum, sed uitam, sed motum, neutiquam. Siquidem uestrae istae statuae, quas pro diis haberi uultis, cum ora habeant, aures item, oculos, nares, pedes, manus & guttur tandem, num uident propterea? num loqui possunt? num audiunt? num olfaciunt? num palpandi, incedendique usum habent? num e gutture illo informi uel soni quidem tantillum aedere poterunt? Stultissimum sane id est commentum, pro Deo uiuo mortuas colere statuas: reique illi diuinitatem uelle tribui, quae merum sit hominis artificium atque opus. Ut quidem ab hoc turpi idolorum cultu, foedaque simulachrorum religione abhorrentes sunt omnes omnino Christiani, ita in aliud turpius forsitan culturae genus prouunt nonnulli, qui suas adeo efflictim deamant cupiditates, ut plane Deum optimum maximum, ac supra uitam omnem uiuentem, deserant & contemnant. Hi quidem imaginarios sibi effingunt deos, illi uero e re aliqua omnino, quae licet sensu careat, sensibus tamen inseruit. Quocirca haec fortassis quam illa, turpis minus uideri posset. Aes quidem aut lapidem e terra erutum, quis malum dicat? uitium uero qui bonum?

{pdf 760, p. 372}

Falsa enim religionis persuasio semper per se mala est & detestabilis: quod & de nimio erga tabulas & parietes, immenso elaboratos artificio, amore, dictum esse uolo. Mirum quam in his colendis, quae maximo depictae sunt sumptu, insaniant nonnulli, Sed

{114.16} Similis illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

Quae sint ea, quibus persimiles illorum cupiat esse artifices & cultores, aperit Paraphrastes: Similes, inquit, his fiant statuis, & qui faciunt eas, & quotquot spem suam ponunt in eis. hoc est, caeci hi fiant, surdique, ac absque omnino intellectu. Periculosissima sane haec est spiritus imprecatio, in quam tamen quamplurimos impegisse iam uidimus, uidemus quoque quotidie. Sua quidem sponte a uera adorandi ratione alienati, quid non errorum amplexantur? Etenim turpissimis irretiti cupiditatibus, fumoque superbiae obcaecati, in lumen fidei, qui uerus est Dei cultus, lipposos suos illos mentis oculos figere nequaquam ualidi sunt, ideo ullo absque spiritus sensu hanc miseram traducunt uitam, in omnibus errantes, nihilque prorsus, quod ueram referat religionem, ne somniantes quidem. E contrario autem

{114.17} Domus Israel sperauit in domino: adiutor eorum, & protector eorum est.

{114.18} Domus Aaron sperauit in domino: adiutor eorum, & protector eorum est.

{114.19} Qui timent dominum sperauerunt in domino: adiutor eorum & protector eorum est.

Pulchra admodum haec est auxilii, protectionisque diuinae inculcatio. Siue enim e domo sis Israel, siue Aaron, hoc est, si modis omnibus, in quacunque natus sis regione, tuam in Deo (ut illi) posuisti fiduciam, atque proinde in illorum sortem, qui Deum timent, te insertum uideris, ne dubita Deum continue tibi, quaecunque agere institueris, affuturum. Semper enim benignissimus praesto adest dominus his, qui abiectis superstitionum simulachris, in illo solo sperare didicerint. Caeterum domus hic Israel meminit propter insignem uiri illius sanctitatem: unde credentes Israelitae dicti sunt. Domus rursum Aaron, propterea quod praecipuo ea cultu diuinae consecrata fuerat religioni: ex illa enim Leuitae, qui sacras exercebant caeremonias, originem habuere. Vide auxesim. Primum quidem populum illum duntaxat tantillum Iudaeorum spectasse uidetur, cum ait, domus Israel. Postea uero sacerdotes generatim omnes, dicens: Domus Aaron. Postremo autem mortalium omnium nationes, cum inquit: Qui timent dominum, Ergo qui timent dominum, ubicumque terrarum degant, hi in Deum sperare, hoc est, ueram apprehendisse religionem censendi sunt. contra uero, illos qui Deum non uerentur, etiam si centies sacris initiati sint, religionique addicti, atque in meditullio ipso templorum fundati, ad Dei religionem nunquam pertinere dicam. Syncerum enim cultum a suis requirit Deus, non falsum, non fucatum, non uitis atque erroribus inquinatum. At nos, si spiritu attacti diuino, atque idcirco in aliam transformati effigiem, nouam scilicet in Christo, aliquid quod Dei sapiat religionem praestiterimus, id quidem nobis minime imputandum erit, sed Dei omnino benignitati. Nam

{114.20} Dominus memor fuit nostri, et benedixit uobis. Benedixit domui Israel, benedixit domui, Aaron.

{114.21} Benedixit omnibus qui timent dominum, pusillis cum maioribus.

Sanctus ne es? id Deo refer acceptum, qui memor fuit tui, & benedixit tibi. Tu quidem tui prius immemor, imo Dei, in arenosis aberrabas locis, uiceque sapientiae, quae in timore sita est diuino, stercora amplexabaris. Sentiebas ne tum, obsecro, quo tuum te traheret arbitri? Verum suum miseratus figmentum Deus, memor fuit tui. quam sane memoriam, alioquin aeternam in Deo, tunc quidem renouari opinor, cum gratiam impartitur. Memor igitur fuit tui, cum recordatus est misericordiae suae: benedixitque non solum Aaron domui, aut Israelis, uerumetiam omnibus (modo timeant dominum) siue pusilli hi fuerint & plebei, siue natu grandiores & dynastae. Etenim nulla illi distinctio, nullus delectus, pauper ne sis, an diues, gloriosus ne, an inglorius, religioni ne alicui destinatus, an seculo familiaribus negociis distentus. Deum time, & omnium te maximum appellabo, licet pressam degas uitam atque aerumnosam: teque in illorum numerum censebo, quos hic alloquitur Vates, dicens:

{114.22} Adiiciat Dominus super vos: super vos & super filios vestros.

Exclamatio haec est mire ardens, ex consideratione diuinae liberalitatis, quae tam

{pdf 761, p. 372v}

profusa in erogandis donis esse consuevit: sed his tantummodo qui ueri Israelitae sunt, ueri sacerdotes, ueri Dei cultores. & est sensus, quem per futurum reddit Paraphrastes: Addet uobis dominus, accumulabitque noua ueteribus beneficia: uobis dico, & filiis

uestris. Hic sane quammaxima iniicit futurae felicitatis spes patribusfamilias qui Deum timent, quique nil tam curant in hoc mundo, quam ut uera, non tantum in se, quantum in liberis, in uxore, in tota omnino familia, reluceat religionis imago atque eam omnes apprehendant uitae rationem, quae Christi mores referat, in quo nulla fuit lasciuia, nulla proteruitas, nulla habendi rabies, nulla morum dissolutio, ambitio nulla, nullumque auaritiae aut effraenatae cupiditatis, elatiue animi signum. Perfectissimus fuit Christus, sed eousque tamen, ut nemini quantumlibet occupato, uitae illius obstrusum sit iter: neque perfectionis nomen adeo extimescendum est, quo minus sanctissimae illius uitae uestigia cunctis obuia queant esse: alioquin uniuersalis non esset Deus, frustraue uitae huius aerumnas ultro subiisset. Quod si nihilominus adhuc, o uos, qui uario fortunae ludibrio propter infinitas uitae occupationes expositi estis, rem tam arduam ut uita est Christi, assequi posse dubitatis, illud saltem offerre non pigeat, promptum uidelicet animum ad assequendum, fidemque inuariabilem atque inconcussam: quod uero superest Deo committite. Caeterum id uobis summae debet esse consolationi, quod

{114.23} Benedicti vos a domino, qui fecit coelum & terram.

Id est, qui omnipotentissimus omnium est, atque optimus. Illi, inquit, curae estis (quid ueremini?) qui rerum omnium conditarum autor fuit. Attamen

{114.24} Coelum coeli domino, terram autem dedit filiis hominum.

Vertunt nonnulli: Coeli, coeli, inquam, domini sunt. Obserua hic pactum Dei aeternum cum Aadae posteris. Coelos, ait, illos sublimes & beatos, suam esse habitationem uoluit altissimus: hominibus autem terram haec infimam concessit ad habitandum, in qua uiuerent, subindeque illius agnoscentes effectorem, illum colerent, diligerent, atque super omnia uenerarentur. Haec condendi uniuersi tota fuit ratio, ut homines in eo tanquam in uirtutum teatro sese exercerent, ex hisque, quae in illo pulcherrima uidentur, quam sublimia sint futurae uitae bona, quae illis, qui in praesenti uita synceram amplectuntur religionem, promittuntur, contemplarentur, quaerereque non desisterent. Animae igitur, quae in hoc mundi domicilio Deum nancisci, quantumque illi permittitur, possidere dat operam, sedes ipsa Dei, nedum mundus iste uisibilis, continget aliquando. Tantum illud caueat, ne mundum tanquam patriam incolat, illoque ueluti re propria & diuturna perfrui conetur. Hanc certe habuere mentem antiqui Iudaeorum patres, quod uita haec idcirco homini data esset, ut Deum pulcherrimarum rerum opificem laudaret, alterque alterum uerae admoneret religionis, quae multiplicata ambitiosorum illuue pene interierat, interituramque funditus diuinabant, nisi ex proborum numero extremae ut luti quaedam superfuissent reliquiae, quae non tantum religionem, religionumue multitudinem instituerent, quantum institutam conseruarent. Eam ob rem uitae huius amantissimi extitere, sanctissimi illi quidem uiri, atque diuini honoris flagrantissimum in modum appetentissimi. Quod sane desiderium in psalmi fine sic exprimitur:

{114.25} Non mortui laudabunt te domine, neque omnes qui descendunt in infernum.

{114.26} Sed nos qui vivimus benedicimus domino, ex hoc nunc & usque in seculum.

Ne quae alias aliis in psalmis hac de re diximus, replicemus, illud tantummodo iam pluries dictum, dicam iterum: infernum uocem, Hebraeis esse sepulchra: . seu, ut uertit Felix, silentium: quod quidem de hac uita defunctis intelligi oportet. Scio tamen de cruciatibus inferorum, atque adeo de mortuis Deo ob peccat, totum hunc uersum a nonnullis exponi: quem sane sensum ut libenter audio, ita alium, quem uerum esse arbitrati sunt Hebraeorum interpretes, afferre non inconueniens duxi. Aiunt enim ad hunc fere modum: Quandoquidem terram hanc inferiorem, o Deus, homini ad habitandum concessisti, in qua ob stupendam rerum molitionem, multa inest tui nominis laudandi materia & occasio, illud potissi-
[potissimum]

{pdf 762, p. 373}

-mum occurrit considerandum, tam nobile animal, ut est homo, aliam ob rationem ad hunc mundum incolendum abs te destinatum fuisse, quam ut solummodo illius bonis uteretur, sed ut ex rerum conditarum pulchritudine & stupore, in creatoris amorem inardesceret, quaereretque quo illum posset testimonio, ut uerum Deum ac patrem, caeteris inuulgare rudioribus, atque in his quae ad religionem attinent, tardis, parumque instructis. Quae quidem religio idcirco inuenta est, seu potius a Deo humanis inspirata mentibus, ut modus quidam adorandi Deum inter homines constitueretur, incrementumque per homines id ad electos sumeret, atque subinde hominem propter terrenae habitationis contagionem inertem factum, in Deum raperet. Verum illud semper tam sanctis coeptis fuit impedimento, ut nunc quoque est, quod probis aut uita defunctis, aut ab improborum uiolentia oppressis reiectisque, religio in nefandorum manibus derelicta nutaret, sensimque in superstitionem atque impietatem dilaberetur. Quo quidem periculo a religiosissimis illis senibus animaduerso, mortem alioquin omnibus debitam pene detrectabant. Quid hinc, aiunt, nos domine tam immature reuocas? Si pii hinc omnes abeunt, solique impii remanent, quis in terris tuum laudabit nomen? Serua nos igitur aliquantisper in uita, ut saltem aliqui sint, qui tuam fulciant religionem. Non mortuorum id munus est, sed uiuorum. En res tuas nefandissimus quisque occupat, usurpat, depopulatur. Dormis ne? Aut tu per te rei tuae subueni, aut qui tui uice subueniant, sustine. Mori quidem non recusamus: imo suauior nobis esset mors quam uita. Verum tui honoris potius, quam nostri commodi habenda est ratio. Sine itaque ut uiuamus. Quid laudis? quid religionis instaurandae a mortuis expectari potest? Non hi certe laudare te poterunt, sed nos quoad uixerimus te dominum laudabimus amodo & usque in seculum. Amen. Halleluia.

PSALMVS CXVI.

{116.1} **Dilexi, quoniam exaudiet dominus uocem orationis meae.**

Hunc compositum fuisse psalmum asserunt fere omnes, cum Dauid in deserto Maon a Saulis exercitu obsessus canite periclitaretur. Et quidem ea ultima illius uitae fuisset dies, nisi Saul a suis admonitus Philistaeos in regnum irrupisse, cessasset ab obsidione. Sic enim in Regnorum libro legimus: Nuncius uenit ad Saul, dicens: Festina & ueni, quoniam infuderunt se Philistaei super terram. Reuersus est ergo Saul, desistens

persequi Daudid. Praeter spem igitur omnium liberatus Daudid carmen istud composuit, in quo diuinae erga se bonitatis immensitatem memorans, gratissimum amoris debitum, postquam aliud nequit, pollicetur. Atqui gratus suum in benefactorem animus non potest non assidue beneficii memoriam retinere: ingratus uero ne semel quidem syncere. Est quoddam hominum genus adeo beneficiorum obliuiosum, ut quicquid in illorum gratiam egeris, id pro debito accipiunt obsequio: quare nullam unquam referunt gratiam, neque habent quidem. Quod sane uitium in tumidis superbisque magistratibus locum habere frequenter experiuntur homines. Ingratissimi hi sunt, atque ab humanis prorsus affectibus alieni. Quocirca spinosis istiusmodi morbus omissis, mansuetissimum consideremus Vatis animum, qui ab amore e collatis in se beneficiis ex orto, sic suum orditur carmen:

{116.1} Dilexi, quoniam exaudiet dominus vocem orationis meae.

Dilexi, cur num, diligo? Is mos est scripturis, ut si fixam perseuerantemque significare cupiunt actionem, praeterito utant tempore, ut hic uidere licet. Nam uox ista quam noster uertit interpres, dilexi: Hebraeis perinde est atque, dilectio Dei uindicauit sibi cor meum. Me totum, inquit, occupauit diuinus amor, propterea quod me summo in periculo positum exaudiuit. Siue enim, exaudiet, cum nostro legas siue exaudiuit, cum Hebraeis, utrunque ad fidei perfectionem attinet. Stulta plane est anima, atque omnino attonita, cui iam non compertum est a quantis erepta sit tum moris, tum inferorum periculis per Christum. Proinde, poterit ne saltem in gentem illum

{pdf 763, p. 373v}

donorum cumulum, uel tantilla non compensare dilectione? cessare ne, quin sedulo in istud amabile prorumpet amoris uerbum, diligo? quoniam qui toties me ex angustiis asseruit, exaudiuitque, exaudiet iterum gemebundam meae orationis uocem

{116.2} Quia inclinauit aurem suam mihi, & in diebus meis inuocabo.

In diebus meis, quoad uixero, intelligas. Quoad eius, inquit, uixero, illius nomen inuocabo. quae sane inuocatio non tantum illius est in aerumnis implorare auxilium, uerumetiam illum, quaecumque contingant, ex animo amare, atque illis, qui non ita affecti sunt, persuadere. Et id quidem propterea, quoniam cum supra omnem celsitudinem excelsus sit, ego uero omnium minimus, aurem tamen suam illam sublimem mihi pusillae staturae homini, atque uirtutis, inclinauit. O certe ineffabilem Dei erga miseros facilitatem. Nisi enim misericordissimus esset dominus, impossibile plane foret tam exilem uocem ac tenuem, ut est hominis, a tam excelsa exaudiri mente, qualis est Deus. Exaudit tamen, adeo maximus omnium nostrae sese attemperat pusillitati. Vis ne modo audire miserabilem animae conditionem, atque ad implorandam dei opem necessitatem?

{116.3} Circudederunt me, ait, dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me: tribulationem et dolorem iuueni.

Is unus integer est uersus Hebraeis. Querens Vates se a periculis inuentum, hoc est, undequaue occupatum, seque tribulationem & dolorem inuenisse, extremam suam exprimere uoluit calamitatem. De qua quidem sic legimus. Daudid desperabat se posse euadere a facie Saul, quocirca se mortis doloribus hic cinctum queritur, atque ab inferorum, sepulchri scilicet, periculis inuentum, direque exagitatam dolet. Dolent & qui male anteactae uitae meminerunt, De istiusmodi genere dicendi alias annotauimus. Caeterum nondum se uere nouit, qui sibi timere desit. Siquidem non minori hostium numero se cinctam esse anima salutis suae cupida considerat, quam, Daudid fuit in Ceila urbe obsessus: tunc dico, quando Ephod applicato per sacerdotem consuluit dominum, indeque aufugit. Non solum enim illa sepulchri periculum extimescit, mortem nimirum omnibus naturaliter odiosam, uerumetiam interminabiles inferorum cruciatus. Interim uero suum illi enarrat infortunium, quem absque dubio suis affuturum aerumnis, & credit, &, ut potest in moerore & luctu, gaudet. Tribulationem, inquit, & dolorem inueni,

{116.4-5} Et nomen domini inuocauit domine, libera animam meam, misericors dominus & iustus, & Deus noster miseretur.

O domine, o cui piorum animae sunt curae, libera animam meam a peruersorum hominum perfidia, a daemone, a mundo, a periculis pene uitae infinitis, quae inuenerunt nos nimis: tu misericors, tu iustus, tu ille, qui a miseris inuocatus misericordiam exhibes,

{116.6} Custodiens paruulos dominus: humiliatus sum & liberauit me.

Misericors dicitur Deus, quia nostrae condolens miseriae subuenit. Iustus autem, quoniam ab improborum iniuriis tutatur innocentiam. Pene dixi inutilem illum omnino esse principem ac iudicem, in quibus hae duae non insunt partes. Monstrum id est ingens, si quem uideris suis in diffiniendis causis crudelitatem iniquitatemque prae se ferre. Attamen utcunque saeue iniusteque sese habeant homines, dominus est, qui citra omnem animi aegritudinem perturbationemque, paruulos, nempe simplicis uitae homines, qui de se nihil omnino, de Deo autem, cui res omnes suas commendarunt, plurimum existimantes, quietissimam agunt uitam. Cuius sane quietis ea uidetur ratio, quod se (ut res cadant) Deo resignarunt. Felicissimum quidem id est uitae genus, sed paucis cognitum: idcirco turbulentissimis bellorum dissidiis repletus est orbis. Etenim cum negociosissimam uitam potius, quam simplicem & tranquillam sectamur, illa etiam quae dudum altissimo sepulta erant silentio, oblitterataque omnino, reuiuiscere facimus, in mutuasque proinde incrudescens simultates, atque sine fine odia, una nostris cum discordiis atque inexorabilibus animorum permotionibus ad mortem uno facto omnium globo praecipitatur. At illi, ut lubet ego autem humiliatus sum, & liberauit

{pdf 764, p. 374}

me (attenuatus sum, uertit Felix) hoc est, cum acerbissime diuexarer, consiliiique expers penitus essem, tunc me liberauit, tunc manum porrexit, tunc dixit, sat est. Quare

{116.7} Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi.

Reuertere anima mea, seu redi, uertendum erat. & est sensus: Ad ueterem illam tuam redi tranquillitatem & quietem, o anima mea. A moerore quippe ac turbis te reuocans uires accipe ac spiritum, Dominus quidem pro te, si quid debebas, persoluit. Dici facile non posset, quam sit grata homini probo quies in Deo, transacto negotiorum oppressionumque tumultu & saeuitia: nec minus quidem se data a peccatis conscientia, per Dei lumen, quo irradiata tota recreatur, uimque resumit in illo, qui lumen attulit. Quapropter in spiritu exultans non potest non palam fateri, quia ipse est dominus misericors & iustus. Et

{116.8} Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lachrymis, pedes meos a lapsu.

Summam prope totam nostrae expressit miseriae propheta in hoc uersu, a qua tamen se Dei manu exolutum confitetur. Mors in primis ea est, moeror deinceps, a quo lachrymae oriri solent: postremo lapsus: quae tamen uox nescio quid efficacius in hebraeo demonstrat, lapsum utique illum, qui ex aliena fit impulsione. Vnde quidam sic uertit: Pedes meos ab impactione. Sensus igitur is erit: nam postquam Deum sibi fecisse bene fassus est, mox beneficii rationem ac modum intulit.: Quia dominus, inquit, meam asseruit uitam alio modo debilem, a morte: neque id satis, ab oculis quoque lachrymas, seu potius lachrymarum originem abegit, pedesque tandem meos, affectus scilicet natura effraenes, ab antiquis suis illis lapsibus reparauit. Quare

{116.9} Placebo domino in regione uiuorum.

Id est, uersabor, ut uertunt ex hebraeo: seu, ut ex graeco, delectabor coram domino inter uiuos. Nulli dubium esse debet de regione hic mundi dici: nisi mauis de puro Ecclesiae statu intelligere, in qua iusti solummodo uere uiuunt: siquidem iustus ex fide uiuet: improbi uero semper mortui sunt, quia alieni a Deo, qui uita est animae, mortem continuo obire illos necesse est. Cum istiusmodi quidem hominibus qui mundo uiui, Deo mortui sunt, conuersari cupere, atque illis adblandiri, proximi interitus, atque animae exitii praeludium est. Quis bonus improbis placere appetit? Aut quis unquam uiuus cum mortuis consuetudinem habere uoluit? Horrendum uisu id esset spectaculum, si uiuos homines cum mortuis e tumulo excitatis congregari, aut necessitudinem contrahere, paciscique mutuo non solum cerneret, uerumetiam inter illos una uiuere cogereret. Non nouum id est mundo, non insolitum, & tamen non est qui horreat, aut tantam rerum confusionem dirimat. Videant igitur quid agant, quoque uiuant uitae genere hi, qui mortui uideri uolunt: qui tamen nihil aliud in uita hac mortali quaerere uidentur, nisi ut carnem alant, & spiritum extinguant. Istiusmodi quidem uitae ratio Epicurea potius, quam Christiana appellanda erit, atque illa omnino, quae suinos mores referat. In Christiano quidem homine nitida omnia esse debent, uiua, pacifica, temperata, purgatissimaque in Deo. Cui honos sit ac laus in secula seculorum. Amen. Halleluia.

Diuisio secundum Latinos.

{116.10} Credidi, propter quod loquutus sum.

Is psalmus cum superiori unus est Hebraeis: quorum ordinem sequuti, hunc absque numero suo capiti attexere uoluimus, distincte tamen, ne Latini sua fraudentur in psalmis concinnitate. Alius enim uidetur, quia separatus: unus uero, quia absque numeri annotatione. Sensus igitur a superioribus pendere uolunt, asseruntque, credidi uerbum, eodem dictum esse modo, quo superius usus est, dicens, Dilexi. Illic enim suae in Deum dilectionis dedit specimen, hic fidei. Et est ac si dixisset: Meis in oppressionibus & angustiis spem semper firmam ac fidem in Deo habui: & ut quidem credidi & speraui, sic egit mecum benignissimus dominus: quare id loquar, dicamque omnibus, quanta fecit Deus animae meae. Quis, modo sit mediocritate spiritus affectus, tam immensum erga se beneuolentiae signum praeterire poterit, quin id omnibus inuulgari cupiat? Valde quidem, inquit, afflictus

{pdf 765, p. 374v}

eram, atque adeo acerbe, ut pene animo destituerer. Eripuit tamen me, ut credidi, ideo hanc meam uolo omnibus testatam esse fidem, cuius uirtute diuinis propemodum obrutus sum beneficiis. Verum illud non diffiteor, quod

{116.11} Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.

In praecipitatione mea, seu praecipitata fuga aut trepidatione, reddunt ex hebraeo. quod si ad historiam referas, ut par est referri, is erit sensus ac summa. Dauid enim cum fuga, & illa quidem trepida ac praecipiti sibi consuleret, sic secum: Promissum mihi esse regnum a Deo per Samuelem certo scio: unde igitur saeuissima istiusmodi persecutio, in qua mihi iam uideor moriendum esse? Certe pene adducor ut suspicer Samuelem in illis pollicitationibus falli potuisse, simulac omnem hominem falli posse non ambigo. Tametsi enim propheta sit altissimi, decipi tamen, quia homo est, potuit. Impossibile quidem uidetur, me unquam regnum istuc assecuturum, cuius ne umbram quidem uidere sinor. Adeo quidem saeue ab hostibus coarctor, ut morti magis proximus factus sim, quam uitae. Verum non quieto id animo suspicatus sum, sed in metu, hoc est, mei parum compos, potius adlatraui, quam dixi, Omnis homo mendax. Non illud sane serio, atque ex animo loquutus sum, tantum abest, ut de diuinis quicquam pollicitationibus addubitauerim. Ingratissimus quippe omnium essem, si quantum meo debeam benefactori ignorarem, aut scire dissimularem. Idcirco

{116.12} Quid retribuam domino pro omnibus quae retribuit mihi?

Ut alias annotauimus, retribuere poni pro simpliciter dare, frequens usus est in scripturis. Vtrunque enim significatum in hoc uersu uidere licet: & est perinde atque, quid rependam domino, cuius tam magnifica extant in me beneficia? Vides hic, puto, prostratam propemodum in aduersis fidem, sed actutum reuiuiscentem illius afflatu, qui deducit ad inferos, & reducit. In electis quidem potest utcunque nutare, ut in Christi discipulis contigit: labefactari uero omnino & extingui. neutiquam, quia ex Deo nati sunt. Sed quid gratissima Vatis anima pro beneficiorum compensatione spondeat, uideamus.

{116.13-14} Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo: vota mea domino reddam coram omni populo eius.

Calicem saluationum, uerti. Felix: seu, salutem, ut alii. Sacra olim instituta erant conuiuia, in quibus solennes Deo pro maximis illius beneficiis, gratiae agebantur. Illic laeta omnia & festiua apparebant. Unde eo ex ritu Kimhi Hebraeorum doctissimus ita hunc exponit locum: Quando conuiuium laetus extruxero, leuabo calicem uino plenum, & gratias agam domino propter hanc salutem mihi concessam in conspectu multorum assidentium. Sunt ne nostratia istiusmodi formata institutione conuiuia? Heu mores corruptissimos. Qui morsus etiam in diuos audiunt? qui risus plusquam impudentissimi? Quae (malum) etiam in uirgines iactata dicteria? Quantus horror minarum, iactationum, lasciuissimorumque sermonum, atque inter pocula blasphemiarum? Tot interdum Sardanapalos diceres, quot sunt coniuuae. Est ne quid amoenitatis desit conuictoribus, en qui conuiuatore istiusmodi salutet elegantia: Ede, bibe, lude, post mortem nulla uoluptas. Ita sunt sane nostrae aetatis sodalitates, ita ornata conuiuia, ita male habita pudicitia. Caeterum ut ad psalmum, a quo me aliquantulum transuersum egit dolor, redeam, illud non ignorandi, typum quendam morem illum fuisse conuiuiorum & consuetudinem, qua crucis adumbrabat imago: quam gratanter pro Christo amplecti consuescunt hi, quos frequenter cum sponso conuiuari contingit. Qui uero conuiuii eiuscemodi apparatus esse debeat, aut qui coniuuae, sponsus ipse in coena illa ultima cum discipulis sobrie admodum comesta edocuit, cum longum cum suis habiturus sermonem, sic orsus est: Scitis quid fecerim uobis? totus enim sermo ille, aut potius testamentum, suauissimis redundat epulis, sed quae filiis tantummodo sponsi atque amicis sunt expositae. Mensa igitur Christi, illius est doctrina, calix, passio: amarissima quidem primo haustu, sed quae ligno tanquam Marath aquae immisso condulcescit. Vide quid Christus Petro nondum tam necessario calici assueto responderit: Calicem, quem dedit mihi pater, non uis ut bibam

{pdf 766, p. 375}

illum? Verum nostra haec aetas, omisso ligneo salutis poculo, e quo formata est crux, aureo se tota proluit babylonico. Calicem, ait Vates, non mortiferum heluonum, non scelerum cicuta permixtum accipiam, sed salutis, sed uitae, sed Dei. Hincque ebrius factus, non turpissimi scorti nomen, aut adulterae, ut solent in comessionibus combibones, quibus catamiti plerunque pocillatores sunt, sed nomen domini inuocabo, atque illius tum re, tum ore, referam religionem: praetereaue uota mea omnia & desideria, conatusue insuper animi mei omnes in eo erunt, ut illum frequenti conuentu, quantis potero laudibus extollam. Nec est quidem, quod tam anxie quis tyrannorum persecutiones timeat aut mortem: fidei quippe armatura tecti, haud inscii sumus, quod

{116.15} Preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius.

Non sinit coelestis pater facile, ut putant, tyrannos aut auaros magistratus in suos grassari: sed eos, uti res solent preciosae seruari, summa conseruat uigilantia, illosque quando opus est, a mundi, atque adeo mortis iniuriis eximere consuescit. Si quidem res ab hominibus contemnuntur preciosae, ita Deus quoque suorum mortem negligit, quae longe preciosior illi est, quam sit homini unio, aut carbunculus. Intelligit autem ita

magni haberi & esse domino mortem suorum, ut non temere patiatur eam illis inferri: quod si patitur, illam aeterna compensat uita in coelis.

{116.16} O domine, quia ego seruus tuus, ego servus tuus & filius ancillae tuae, dirupisti vincula mea.

Perpende quanti illos faciat Deus, qui se totos consecrant numini, atque illius delectantur seruitute: hos sane (caetera propemodum infinita illius amoris argumenta tantisper omittamus) a mundi laqueis praeseruat: quod si nihilominus in eos, quae sors est humana, nonnunquam impingere, illisque irretiri contigerit, non indissolubiliter propterea obstringuntur, sed uel tandem exoluuntur diuina. Verum frigidos dissipatosque in suis seruis animos auersatur coelestis ignis, sed ardentis, paratosque requirit: quem utique ardorem in se fuisse Vates asserit, cum trina se seruum domini appellat nomenclatione. Quia, inquit, ego seruus tuus: ego, inquam, non uulgari modo seruus tuus, imo filius ancillae tuae sum, nodos illos humana existimatione indissolubiles, quibus, ne recta incederem, strictim admodum detinebar, perfregisti. Ardens ualde haec est seruitutis geminatio, qua non solum suam uoluit exprimere humilitatem, quae in Vate maxima semper extitit, uerumetiam promptissimum ad seruitutem animum. Illud obseruant nonnulli, o domine, non obsecrantis, sed confitentis interiectionem esse. quare sic hunc uersum orditur Paraphrastes: Merito te amo, benignissime domine. Porro qui ancillam, Ecclesiam interpretantur, uideant quo nixi id dicant testimonio. Vult diuus Augustinus, Ecclesiam ancillam esse iustitiae. Sed illud forsitan uero propius, se ideo ancillae filium nuncupasse, quo suam uel ab ipsis progenitoribus argueret seruitute. Fractis igitur uinculis, apertoque incedendi campo, uide quid agere debeat liber:

**{116.17} Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen domini inuocabo.
{116.18-19} Vota mea domino reddam in conspectu omnis populi eius, in atriis domus domini, in medio tui Hierusalem.**

Quam propensum ad diuinas habuerit laudes animum, ex repetitis uotis pollicitationibusque demonstrat Vates. Alias admonuimus, uota fere in psalmis pro gratiarum actione, laudumque exhibitione usurpari, ut hic uides. De alio uotorum genere non loquitur propheta, ait itaque: Hostias, quas tibi fore gratissimas arbitratus sum, laudum nimirum, atque gratiarum actionum, tibi meam ob liberationem offeram, interimque ab implorando domini auxilio non desistam. En igitur uota mea domino palam, inspectante multitudine uniuersa, in atriis ipsis aedium Dei, in medio, inquam, tui, o sancta ciuitas, persoluam. Nos hic spectans Vates, ad morem laudandi Dei antiquum alludere uoluit. Templum enim ob id constructum fuerat. Modo uero quis sit uerus adorandi ritus, & locus, Christum uideo ad puteum cum muliere sedentem, rem profundissime disserere apud Samaritanas. Verumenimvero a sanctis laudari solent mentibus & arae & fana, in quibus sacra peragi debeant: sed cor in primis, in quo sedet ad puteum anima cum Christo, purum requiri dicunt. Vera illa sedes

{pdf 767, p. 375v}

est numinis. Cui laus sit atque honos in secula seculorum. Amen, Halleluia.

PSALMUM CXVII.

{117.1} Laudate dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. {117.2} Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas domini manet in aeternum.

Diuus Paulus uolens tum Iudaeos tum gentes mutuae admonere concordiae, in enarrandis utriusque gentis priuilegiis, longa Romanis scribens utitur oratione, gentesque tandem ad gratiam adscitas per Dei misericordiam affirmat: Iudaeos uero per promissiones factas illorum patribus. Dico, inquit (quasi innuat, in uestris resarciendis dissidiis iam fessus concludo) Christum Iesum ministram fuisse circumcisionis (familiare fuit Apostolo Iudaeos circumcisionem appellare) propter ueritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. sentes autem super misericordia, honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus domine. Et iterum: Laudate omnes gentes dominum, & magnificate eum omnes populi. Vtrumque igitur sapientissimus architectus connexuit in Ecclesiae aedificio parietem, quorum alterum gentes appellauit, alterum uero populos. Rumor tunc fuit uulgo dissipatus, Iudaeorum populum duntaxat diuinae capacem fuisse religionis, qua re in scripturis prae caeteris nationibus populi nomen sibi arrogarunt. Hoc itaque argumento utitur Vates, quo usus est Paulus ad describenda Ecclesiae fabricam, quae tota ex gentibus. & Iudaeis constructa, tam alte euecta est, ut iam coelestis nuncupetur quippe quae fide illa fulcitur, quae sperandarum rerum substantia, argumentumque non apparentium definitur esse. Haec igitur fuit mens Vatis in hoc psalmo, gentes Dei populo, quo simul Dei laudes concinerent, unire: quae apertissima fuit imago Ecclesiae. nisi malis potioem aedificii partem asserere e gentibus, exclusis Iudaeis, emersisse. Verum qui prima illius fundarunt exordia, Iudaei fuere: restant & reliquiae in fine temporum seruandae. Iam illud animaduertendum in psalmi dilucidatione, quod singula singulis ad hunc fere modum reddi debent: Laudate dominum omnes gentes, quoniam confirmata est super nos misericordia eius. Se quidem inter gentes annumerat Vates dicens, super nos, quo arctam demonstret Ecclesiae unitatem, ad quam utrunque adhortatur populum Paulus cum ait, ut unanimes, uno ore, honorificent Deum, & patrem domini nostri Iesu Christi, qui lapis sane ille est, qui factus est in caput anguli. Aliud deinde sequitur psalmi membrum: Laudate eum omnes populi, nam ueritas domini manet in aeternum. Siquidem promissiones Dei aeternae sunt, ueraxque Deus, qui quaecunque pollicitus est, inuiolabiliter seruat. Cui laus sit in secula seculorum. Amen. Halleluia.

PSAL. CXVIII.

{118.1} Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Variant interpretes in diffiniendo, quo potissimum tempore is a Dauide fuerit aeditus psalmus. Nonnulli putat illis compositum fuisse diebus, cum Arca insigni pompa in urbem inuecta populus in deliciis esset. Alii item tum, cum ab Israele in regem inauguraret. Alii autem aliud, ut suspicantur, afferunt. Re igitur incerta omissa, quae

explorata sunt sequamur. Compertum igitur habemus tum e Christi testimonio in Euangelio, tum Petri in Actis, de ipso Dei filio conscriptum fuisse. Verum suo more Vates res tum gestas enarrans, in Messiam rei finem direxit, in quem umbrae illae ueteres, tanquam fine inuento desiere. Hunc itaque in primis a bonitate laudat, deinde a misericordia: quas quidem partes in Deo mirum quam eleganti, uarioque poematis decore perornet disertissimus Vates. Fingamus igitur Vatem ad regnum ab uniuerso Israele uocatum, iucundissimaque deductum acclamatione, atque ipsum Christi imaginem repraesentantem, in Dei tabernaculo ingenti omnium stupore Deo ipsi gratias agere, in hunc modum: Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Primum enim ad celebrandas Dei laudes omnes generaliter inuitat homines: deinde nominatim a quo unctus fuerat, Israelem. Aaron deinceps, cunctum nimirum sacerdotum ordinem

{pdf 768, p. 376}

atque postremo omnes, siue gentes eae fuerint siue Iudaei, qui timore affecti erant domini. Celebrate, inquit, mecum, adeste o qui uestrum non ignoratis benefactorem, canite, mecumque laudibus efferte dominum, quoniam bonus est, cuiusque misericordia in aeternum durat aeuum.

{118.2} Dicat nunc Israel quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

{118.3} Dicat nunc domus Aaron, quoniam in seculum misericordia eius.

{118.4} Dicant nunc qui timent dominum, quoniam in seculum misericordia eius.

Vide suauissimum Vatis lusum in uersibus eiusdem omnino desinentiae. Dicant igitur hi omnes, ex animoque fateantur, quod bonus sit dominus, quod pius, quod misericors: & id quidem in aeternum. Qua de re edoctus,

{118.5} De tribulatione inuocauit dominum, & exaudiuit me in latitudine dominus.

Maximam quidem fert secum animi angustiam tribulatio, moeror, dolor, atque id genus alia. Verum si Dei superantur auxilio, aut saltem modum capiunt, attemperanturque imbecillitati humanae, mox animus exhilarescit, dilatatur, ac respirare incipit. Post multas, inquit, tribulationes, atque animi anxietudines, in quibus uix respirare licuit (adeo arcta erant omnia & importuna) dedit tandem Deus quietem, dedit pacem, dedit sereniora tempora inuocatus. O certe felicissimum illum, qui Dei praesidio nisus, humanas deridet iniurias. Itaque

{118.6} Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.

Felix hunc uersum legit per interrogationem, hoc modo: Dominus pro me, non timebo: quid faciet mihi homo? Verissimum illud est: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Possunt quidem hostes ac tyranni proborum tranquillitatem interturbare, remorarique aliquantulum, auferre autem penitus nequeunt. Ratio sane est, quod hi summam

felicitatis in animo per fidem purificato, in quem ius tyranni non habent, statuentes, tum ardentiori in Deum feruntur affectu & desiderio, cum atrocius uexantur. Hae propriae sunt uitae huius dotes, sexcentis illam uel una hora, obnoxiam esse aerumnis. Dominus igitur mecum sit, ut semper esse confido: quicquid in me molitur inuidus, quicquid maledicus, quicquid ueterator, quicquid subdolos & perfidiosus, quicquid orbis ipse tandem uniuersus natura probis infestus, ne hilum quidem faciam, tantum abest ut illud timeam. Et quidem

{118.7} Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.

Hic Hebraeis est, ut supra alio in psalmo annotauimus, Ego uidebo in inimicis meis, ultionem scilicet diuinam. Unde sic Paraphrastes: Videbo euenire hostibus meis, qualia quisque optaret suis. De hoc quippe loquendi genere non raro diximus. Quanquam & uerbum despicio, non ab re positum posset uideri Nanque illam poenarum maximam arbitrantur tyranni, si ab his, quibus male uolunt, contemnuntur. Vide, inquit, quomodo ab homuncione despecto, semiuiro, fracto, ni hilique omnino, nostra contemnitur autoritas. O stulti, num id uos fugit? quod

{118.8} Bonum est confidere in domino, quam considerare in homine.

{118.9} Bonum est sperare in domino, quam sperare in principibus.

Per comparatiuum hos legunt uersus Hebraei, & apte meo iudicio, quo sua sit comparationi uis atque energia. Melius, inquit, est confidere in domino, quam in homine. Cur sic obsecro? quia nihil homine mutabilius: quia nil in rebus conditis tam uariabile & infidum, quam est fauor principum. Hodie enim te uestit princeps, cras uero, uel ad summum perendie, te expoliat, atque una eademque hora te amplectitur & obtruncat. Ridiculum, illi obsequi tyranno, qui me & Crassum, & Irum, ut lubet, faciat. Propter inconstantiam igitur, addo & imbecillitatem humanam, nihil prorsus innitendum est homini: sed Deo tantummodo, qui quemadmodum potentissimus est, ita sui semper est similis, atque ad opitulandum pronus Ergo uanissimo hominum fauore deriso, in benignissimo domino tota collocanda est uis subsidi, Saepe quidem deluduntur, qui in homine quamuis opulento sperant. De Deo autem quis id unquam dixerit? De qua quidem re cum quandoque

{pdf 769, p. 376v}

periculum fecisset Dauid, in istiusmodi tandem, tanquam piscator ictus, prorupit uerba: Melius est confidere in domino, quam confidere in homine. Atqui unde Dei fauorem, contra morem hominum, constantissimum expertus fuerit, aperit dicens:

{118.10} Omnes gentes circuierunt me, & in nomine domini, quia ultus sum in eos.

Vidisti ne unquam hominem summa oppressum miseria? omnia mala clamat in me conspirauerunt, ab omnibus opprimor, omnes me affligunt. Ita sane Vati nostro accidit, qui innumeris aggrauatus aerumnis, se ab omnibus circumuentum gentibus querebatur. Omnes, inquit, gentes circuierunt me. Sed nec id quidem superfluum omnino: a propriis

enim fugatus ciuibus, Philistaeorum subito, Amalechitarumque, atque caeterorum id genus hostium finitimorum iniuriis obnoxius uixit. Verum diuino fultus praesidio, cunctos illos subiugauit barbaros. Virtus sum in eos, ex hebraeo uertunt, perimam illos: sed idem sensus: factum ne illud sit, an faciendum, haud multum interest, modo id totum diuinae referatur acceptum bonitati. Quam quidem rem uberius in sequentibus edisserit.

{118.11} Circundantes circundederunt me, & in nomine domini, quia ultus sum in eos.

{118.12} Circundederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis, & in nomine domini, quia ultus sum in eos.

Pulchra profecto similitudine ad commonstrandum hostium suorum cum odium, tum subitum in inferendo malo transitum, usus est Vates: apum scilicet, atque ignis in spinas debacchantis. Tam, inquit, copiosi, tamue mordaces me circunquaue obsederunt inimici, ut apum examen dixisses. Verum quamprimum extincti sunt, perinde atque spinarum solet ignis, qui tanto exortus fragore & strepitu, ac si omnia consumpturus esset, cito tamen resoluitur, atque in fumum abit. Optandi tempore hunc reddit sensum, quem diximus, Paraphrastes: Extinguantur, inquit, tam subito, quam ignis per stipulas uolitans. Iam illud notandum, quoniam bonus, Hebraeis tantummodo in primo esse psalmi uersu. A pio aliquo interprete additum in aliis uidetur. Caeterum, & in nomine domini quia ultus sum in eos, nihil aliud uult, quam, ut diximus, in nomine domini ullo absque negocio interimam illos. quo hinc cernere liceat, cuius efficaciae sit Dei nomen: non illud quidem charta, ut uocant, uirgine scriptum, colloque sicariorum aut furum superstitione appensum, sed quod fidelium impressum sit menti, scriptumque fidei atramento, ac stylo spiritus.

{118.13} Impulsus, euersus sum, ut caderem, & Dominus suscepit me.

Vide uim nominis Dei, ut decet sanctos, inuocati. Adeo, inquit, praecipitanter ab hostibus impulsus fui, ut cadere omnino debuissem, domini tamen manus suffulsit me. Ex hebraeo fere sic uertunt: Impellendo impulisti me ut caderem, dominus autem adiuuit me. Videtur Vates Saulem, aut autorem alium suae proscriptionis atque exilii peculiariter notasse. Quid non malorum, inquit, o perfide, in me es machinatus? omnem quippe uim, studium, artemque adhibuisti, quo me in pellendo cadere faceres: & certe cadere debueram, sed Deus me a casu reparauit. Quocirca exclamare libeat,

{118.14} Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Ecce non solum memoris, uerumetiam grati animi signum. Si uici, inquit: si hostes cum nihil minus opinarent, prostrauit: si ducem illorum contempsi, id Dei fuit munus, non mea prudentia aut uirtus. Quare illum (ut alii suum iactitent animi uigorem atque arbitrium, non quaero) illum, inquam, meam semper appellauero fortitudinem, uirtutem, atque proinde laudem: hoc est, argumentum & materiam, tam insperatum laudandi beneficium. Hebraei reddunt, carmen meum: seu canticum, ut Felix. Considera, mi lector, si uel tantillum saltem hausisti spiritus gustum, quomodo secretissimo quodam coloris genere suum adumbrat Messiam Vates. Intellige, uel sero,

quis tuus sit adiutor, quis fortitudo, quis laus, quis carmen: hoc est, quem corde gestari par sit, quem inuocari, de quo aut meditari, aut scribere debeas, quo te tuae iam demum pudeat, pigeatque leuitatis. En Christus quemadmodum nostri omnis amoris subiectum est ac finis, ita studiorum uigiliarumque nostrarum scopus esse debet. Verum impurus animus, atque in docendo ambitiosus, quid

{pdf 770, p. 377}

quod grauitatem sapiat, aut quod stimulos amoris infigat, uel scribere, uel edocere de Christo, re scilicet tam graui & diuina, unquam poterit? Nam quidem

{118.15} Vox exultationis & salutis, in tabernaculis iustorum.

Non in tabernaculis impiorum, non in aedibus facinorosis, milleque libidinum, odiorumque inquinamentis conspurcatis, uox potest esse huiuscemodi, atque exultatio, quae Dei sit. Potest quidem animus turpis canere, sed non in domino: potest exultare, sed non in domino. Id proprium candidae est mentis, atque illius, quae salutem sibi praestitam a Deo, & cognoscit, & grato complectitur affectu. Sic dictionem, salutis, interpretantur. Et ne a quoquam unde tam fortis emanauerit humani animi uirtus nesciretur, statim intulit:

{118.16} Dexteram domini fecit uirtutem, dextera domini exaltauit me, dextera domini fecit uirtutem.

Tametsi enim, exaltauit me, opportuna est lectio, & apte huc quadrans: nihilominus, exaltauit se, uertunt Hebraei, seu exaltabit, ut reddit Paraphrastes. Idem Felix. Alius uero, altissima est. quod sic exponunt: Domini manus in ferenda mihi afflicto ope, potentissima uisa est atque excelsa: idcirco fecit uirtutem, triumphumque parauit. Huc, ni fallor, diuum respexisse Petrum arbitror, cum prohibitus a magistratu ne quid in nomine Iesu doceret, respondit, Christum digito pene demonstrans: Hunc principem & saluatorem Deus exaltauit dextera sua ad dandam poenitentiam Israel, & remissionem peccatorum. Quid tali opere excellentius? quid magis Dei dexterae conueniens? quid decentius, quam peccata, quae uirtute plane humana facta erant indelebilia, expunxisse, condonasseque noxas miseris, atque ex hominibus, nempe aerumnosis & afflictis, deos fecisse? Quam diligenter quidem literis in Ecclesiae, templorumque parietibus, imprimendum esset aureis: Dexteram Domini facit uirtutem, dextera Domini exaltat nos. Ipsa etenim uis ea est sublimis, quae in nobis, si quid unquam, quod pietatem referat, operamur, & mouet, & operatur, paratque ob uictoriam haud secus, atque si nostra esset uirtus, non sua, triumphum. O si non moriar, sed uiuam, ut celebrem opera domini. Sic ex hebraeo uertunt nonnulli sequentem uersum, quem ita noster transtulit:

{118.17} Non moriar, sed uiuam, & narrabo opera domini.

Is uersus ad desiderium manendi in uita, ut alios nonnullos exposuimus in psalmis, referri nequaquam debet, sed ad insultantem in hostes animum, ad hunc fere modum: Illi enim omnem, quo me interimerent, uoluerunt lapidem, uerum ego adhuc illis inuitis uiuo, uiuamque diutius, quam illi uolent: atque ita Dei per me celebrabunt operationes.

Siquidem in ipsis meis infortuniis, quae ad meum excogitata sunt profectum atque exercitium,

{118.18} Castigans castigauit me dominus, & morti non tradidit me.

Castigans castigauit, hebraismus est, & est perinde ac, diligentissime erudiuit me. Norma haec est spiritus, ut crux piis uita sit animis, impiis autem mors. Si quid igitur nobis aduersi irrogari contingat ab improbis, id ea recipiendum est animi pace, qua salutaria recipi debent monita & reprehensiones, quae a benignissimo permittuntur domino, idcirco, ut mirandos in nobis pariant iustitiae fructus, non animae sterilitatem ac mortem. Idem plane de morbis dicendum erit, de filiorum orbitate, uxoreque morosa, aut parum pudica, atque de innumeris istiusmodi mundanarum rerum damnis & incommodis. Noui, inquit, salutiferam mihi Dei fuisse castigationem, quae mihi uitam attulerit, haud mortem. Quare

{118.19-20} Aperite mihi portas iustitiae, ingressus in eas confitebor domino: haec porta domini, iusti intrabunt in eam.

Iustitiae portas, aditum perueniendi ad sacros coetus, festosque dies, a quibus propter exilium aberat, intelligit. Facultatem igitur eo adeundi, ubi religionis celebrabatur cultus, e quo iustitiam oriri sibi persuaserat, deprecatur. quasi diceret: Reuocatum ab exilio, o sancti coetus, o qui religioni operam datis, uestrum in consortium admittite. Per hunc quidem aditum fit iter ad iustitiam: quod tamen nemo unquam, nisi iustus, pureque defaecatus, aggredi audeat. Ab istiusmodi quidem

{pdf 771, p. 377v}

iustitiae portis inquinati arceri debent. Volunt ex nostris nonnulli, coetus illos sacros, chorosque, ecclesiam praesagisse: alii doctrinam euangelicam: ego Christum, qui dixit: Ego sum ostium, si quis per me introierit, seruabitur. quanquam unum plane est, ecclesia, euangelium, Christus. Nouerat enim Propheta, ex ritibus illis antiquis quamlibet candidis & religiosis, non iustum effici potuisse hominem, sed Dei iustitiam esse, ut inquit Paulus, per fidem Iesu Christi. Idcirco portam ad iustitiam introducentem, fidem fore per Christum, persuasum habebat. Hanc itaque sibi reserari, sub uelo typoque portarum tabernaculi illius informis, orat. Ingressus, inquit, eas confitebor domino. En pura fidei Ecclesiae confessio, quam hic pollicetur Vates. Unde subdidit: Haec porta domini. Neque hoc satis uisum: Iusti, inquit, intrabunt in eam. Hinc clamat Paulus: Iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & spiritu Dei. Porta itaque Dei est Christus, per quem accessum habemus ad patrem. Nemo, ait, uenit ad patrem nisi per me. Mirum certe si de alii intellexisse porta Vatem opineris: aut alium sibi proposuisse suae quietis terminum, quam Christi patrem, quem frustra appeti quaerique citra Christum intelligebat suspiceris: quod tandem expressius in sequentibus commonstrauit, cum ipsum Dei filium lapidem a fabricatoribus reiectum appellauit. Sed prius quid felicissimas illas tum fidei, tum charitatis portas ingressus polliceatur, audiamus.

{118.21} Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.

De confessionis uoce iam centies diximus. Hic pro gratiarum actione sumitur. Intro, inquit, admissus non ero ingratus, sed gratias tibi agam, te laudabo, te mea opem, meamque salutem exitisse palam attestabor.

{118.22} Lapidem quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.

Se uocat lapidem Vates ab aedificatoribus, tanquam nulli aedificii loco quadrantem, reiectum. A patria quidem & regno expulsus, conatusque haud raro cum suis in gratiam redire, ne minimum quidem in plebe locum inuenit. Postea uero restitutus, atque ad regni sedem euectus, conspicuus omnibus & honoratissimus apparuit eo modo, quo apparere solent lapides illi angulares in insigniori loco fabricae coaptati: quod quidem pro miraculo tum habitum fuit. Quapropter dixit

{118.23} A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

{118.24} Haec dies quam fecit dominus exaltemus et laetemur in ea.

Semel dominus Iesus a Pharisaeis prouocatus, multis prius propositis, quae ad futuram eorum a Dei regno eiectionem pertinebant, similitudinibus, quo se illorum peruersitate atque inuidia damnandum, mortemque obiturum ignominiosissimam, sed mox e tumultu reuicturum, atque subinde ab omnibus adorandum subindicaret, dixit: Nunquam ne legistis in scripturis, Lapidem quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli: a domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Nulli igitur dubium esse debet, tunc Vatem, cum haec scriberet & pateretur, typum gessisse Christi, qui lapis ille est, de quo sic Deus in Esaia: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, preciosum, in fundamento fundatum. Etenim quia cuncti eo nituntur electi, in fundamento fundatum illum appellat spiritus. quia uero duos maxime inter se dissidentes populos in unam coagmentauit Ecclesiam, angularem. non modo id nostri est ocii diffinire, quo referenda sit uox illa, Mirabile: siue enim ad lapidem referre libeat, ut sit lapis admirabilis, siue ad caput, siue ad angulum, siue etiam ad illud omne, quod in psalmo praecessit, idem est sensus, ad Christumque attinet: atque ea spectarunt interpretes, licet nonnihil in lectione uariant. Certe mirabilis is fuit lapis atque immensus, qui utrunque paritem tam longe ab inuicem diuulsum coniunxit, unumque effecit, aliter una non esset Ecclesia. Quis id opus non miretur, clametque attonitus? A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Conati sunt quidem Iudaei nescio quid architectari religionis absque Christo: errauerunt miseri: deerat enim lapis ille, qui sublimi e monte recisus absque manibus, primas sibi partes aedificii uindicaturus esset. Reiectus itaque a sapientissimis

{pdf 772, p. 378}

si Deo placet, aedificantibus, creuit, ut inquit ille, in montem excelsum: hoc est, adeo cunctis, per potestatem illi traditam a patre, conspicuus atque admirandus factus est, ut merito illi tanquam angulari saxo, totus Ecclesiae connexus, compagoque inniteretur. Dies igitur salutis, dies pacis, dies tripudii, dies ista est, quam fecit dominus: siquidem in ea apparuit Christus, sol nimirum iustitiae, amorque uniuersi ac deliciae, felix aetas,

felix hominum sors. Quid ultra moerendum est? exultemus, laetemurque in eo, nempe lapide preciosissimo, angulari, fundamentario, ac iuncturarum omnium aedificii conciliatori, qui a Iudaeorum perfidia neglectus & fractus, reuixit tamen immortalis, atque ad Dei dexteram ascitus, rex factus est uniuersorum. Ad quem quidem nos, qui ad illius structuram pertinere confidimus, supplices nostris in aerumnis, quibus tota haec respersa est uita, confugiamus, clamemusque tanquam unus omnium animus & cor:

{118.25} O domine saluum me fac, o Domine bene prosperare.

{118.26} Benedictus qui uenit in nomine domini.

Hoc fere modo, nouo acclamauit regi populus in Hebron. Hoc item Christo & Ecclesia in hoc mundo. Cui quidem religioni praeluserunt olim turbae illae, quae Christo Hierosolymas intranti, cum ramis palmarumque frondibus occurrerunt ouantes, clamantesque: Osianna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini, osianna in excelsis. quam uocem sic interpretatur Symmachus: Obsecro domine, saluum me fac obsecro. Neque est quod nos moueat, Euangelistas parum secus, atque habet psalmus, citasse literam: ea quippe memorant, quae tunc in usu erant in ore populi, qui ex patrum ritu consueuerat in die octaua festi tabernaculorum, in qua de more ramos, frondiumque fasciculos gestare iussus per urbem, ita precabatur: Propter te Deus deorum salua nos, propter te domine dominorum salua nos. ut non quidem temere a Iudaeis factum existimemus, quod pompa illa ramorum solenni, Christo obuiam ierint clamantes, Osianna serua nos fili Dauid. Longius non est protrahendum mysterium. Id solum dixisse sufficiat, quod ad institutum nostrum facere uidebatur. Caeterum, bene prosperare, perinde est ac si dicas, felicem dona successum: uel, ut reddit Felix, Da prosperitatem, ferque opem o qui habitas in excelsis, liber nimirum a nostris hisce inquinatis iustitiae semitis. Sit itaque laudatus qui uenit in nomine domini. Is quidem a patre missus, non potuit sua syncerissime non fungi legatione, qua mirandum in modum uniuersus seruatus est orbis. Ideo omni laude superior est legatus noster. Aliunde porro accedentes, fures sunt, ac piratae. Unde illa est domini Iesu expostulatio apud Ioannem: Ego ueni in nomine patris mei, & non accepistis me. Si alius uenerit in nomine suo, illum accipietis. Ergo, inquit Augustinus, maledictus qui uenit in nomine suo. Putasne, mi lector, etiam in nostra aetate, alioqui ad terendas iustitiae semitas animata, deesse, qui non missi a coelesti patre, non uocati a spiritu sancto, non imbuti doctrina uerbi, sese in euangelicum obtrudunt ministerium, gradusque illos sibi assumunt & uenantur, quos non Dei spiritus, sed ambitio suggerit & amor proprius? Maledicti hi certe a domino sunt, cum is solus, uereque benedictus sit, qui uenit in nomine domini: hoc est, qui Dei gloriam, non suam in edocendo Dei uerbo, quod sane munus ad omnes attinet animarum praesules, quaerit. Aliter uero quomodo poterunt credere, atque adeo Dei gloriae suis illis in dignitatibus ac gradibus studere, qui gloriam, ut inquit Christus, ad inuicem aucupantur? O certe praeposterum rerum ordinem. Iam uero quid suae professionis hominibus precentur hi benedicti, missique a domino, subinfert Vates: Et nos, iniquiunt, benedicti, delegatque a benedicto,

{118.26} Benediximus uobis de domo domini,

Beneque precamur. Quis, quaeso, aliis benedictionem impartiri auderet, quin esset ille prius benedictione ornatus? Non quidem obuia cuique est doctrina spiritus. Proinde non

inconsulte nos admonet Paulus, probandos esse spiritus. Mirum quam turpiter hac in re labamur, propterea, quod nostro nimium tribuentes iudicio, ac corporis commodo, in his, quibus fulciri debet pietas, eique religio sustentari
[sustentari]

{pdf 773, p. 378v}

-tari, infelicissime caecutimus, appellamusque lucem tenebras, & tenebras lucem. Sed istuc fortassis tolerandum esset inter rudes uulgi homines, atque apud illos, quibus lux fidei nondum ob Christianorum ignauiam innotuit. Verum cum infidelibus, & nos quoque, qui mundo imposuisse somniamus, uno, ne dicam deteriori, conuolui impietatis errore, omnem superat turpitudinem. Quid, oro, faceremus, si nullum omnino apparuisset lumen? Quid sacri in nobis promouerunt ordines? quid literae? quid maiorum praeceptiones? quid fides tandem, ac Christus? Nos ignauissimos, qui in meridiana ipsa luce hallucinantes, tenebras nescio quas interlucentes, facemque adulterinam ac subreptitiam, pro uera luce admittimus: & tamen nos Christianos esse, negato Christo, uideri uolumus. Luce igitur noua hic erit opus? nouo item Christo? quasi id quidem optare uidemur, cum tam obnixè exorto reluctamur lumini. Ah pudeat Christianum de Christo suae salutis autore (scelus id ingens) uel leuiter quidem suspicari. Siquidem ipse est, non alius,

{118.27} Deus dominus, qui & illuxit nobis.

Itaque alium inquirere Deum, aliudque opperiri lumen, impium omnino id esset uotum & uanum. Ipse enim per se lumen praebet, imo uero ipse lux ea est, praeter quam nulla. Sol quippe iste uisibilis, prae illo densissima est caligo, utpote cui corpora duntaxat illustrare uis data sit ab illo, qui mentes permeans humanas, in ipsas animae medullas felicissimos suae cognitionis, addo & amoris, immittit radios. Quocirca

{118.27} Constituite diem solennem in condensis usque ad cornu altaris.

Tametsi enim secundum simplicem sensum ea uidetur literae huius expositio, quam afferunt hi, qui planitie contenti difficiles montium ascensus refugiunt, quae huiusmodi est: Constituite diem laetitiae ad celebrandam Dei solennitatem in condensis, populo nimirum denso, & frequenti in templo, ut uel ipsius cornua altaris, cui sacerdotes tantummodo adstare debent, occupet (utrunque enim altaris caput, cornua appellabantur ueteres:) attamen diuersa cum sit litera etiam inter Hebraeos, diuersi emergunt sensus. Sic ex illis quidam transtulit: Redimite festum diem frondibus usque ad arae cornua. quam literam secutus Paraphrastes, sic fusius rem exequitur: Colligite sub diem festum ramos, & templum ornate usque ad cornu altaris. Hunc more quoque etiamnum seruant templorum curatores, quo ex his innuant ritibus, maximi inesse populis interioris festiuitatis, quae in spiritu fit, gaudium de quo illud: Exultemus & laetemur in eo. Felix uero reddit: Vincite agnum funibus usque ad cornu altaris. Idem fere Chaldaeus: Ligatè, inquit, agnos ad diem festum. Ad antiquum enim morem sacrificandi aspexit Vates, in quo hostiae Deo immolandae cornibus altaris alligari consueuerant. Unde ex hebraeo sic transferunt caeteri: Ligatè hostiam funibus ad cornua altaris: hoc est, hostiis Deo litate. Diuus tamen Hieronymus aliam approbasse

lectionem uidetur, qui sic transtulit: Colligate sub diem festum ramos, & templum ornate. Haec omnia sane populos ad animi laetitiam, cultumque religionis festium adhortantur. Verum aliud modo quaerendum est nobis hostiarum genus, aliud altare, ritus alius, quam ille fuit Iudaeorum cruentus. Nostrae quidem uictimae, ne ab armentis uitulum aut buculam extrahi debere opineris, nos ipsi sumus. Altare, crux Christi, ignis, amor, gladius, fides. Sacerdos autem, qui & ara simul est & gladius, & ignis, Christus Iesus. Quae porro sint, quae cani debeant in frondosa isto sacrificandi more cantiones, in sequentibus edocet spiritus.

{118.28} Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Hic propemodum mihi illa esse uidetur fidei confessio, quam apud Ioannem subdubius ante discipulus profitetur, manumque Christi uulneribus admouens exclamat: Dominus meus & Deus meus. Qui sic de Deo sentiunt, ipsum uenerant, colunt, caeterisque omissis hominum praesidiis, quae nutantia sunt atque infida, suis in aduersis inuocant, ad ipsumque tanquam ad tutissimum asylum ac portum confugiunt. Iam illud postremo notandum, uersum illum intercalarem, quem post hunc nostra habet aeditio, in hebraeo non inueniri: eum nempe, Confitebor tibi, quoniam

{pdf 774, p. 379}

exaudisti me, & factus es mihi in salutem. sed ostensa sui animi erga Deum constantia & fide, iterum eadem confessionis uoce, atque eodem omnino uersu, quo psalmum incoepit, claudit, dicens:

{118.29} Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Cui honor sit & benedictio in secula seculorum. Amen.

PSAL. CXIX. Aleph.

{119.1} Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini.

Totius humanae conuersationis perfectio hunc totum, modo occultissimo ac ratione, sibi uindicat psalmum. Quocirca si purificatum inuenerit lectorem, mirabili illum afficit ardore, atque ad res animi peruestigandas incendio. Tantum uero abest, ut in illo quidpiam offendat non necessario positum concinneque repetitum, ut nihil concinnius dici queat: quod uix aduertunt qui hebetiori sunt ingenio ac spiritu, quibus persuasum est uoces illas frequentes, legem mandatum, iudicium, eloquium, praeceptum, atque alias in hunc modum dictiones redundare. Falluntur hi dubio procul: siquidem istiusmodi uoces non secus perornant psalmum, ac coelum ipsum fulgentissima sydera: quas tamen omnes unicum praefere legem affirmant doctiores, qui secundum uarias illius operationes atque effectus, uariis illam appellari nominibus a Propheta notarunt. Rationem uero quamobrem octauo cuique uersiculo literam unam alphabeti Hebraeorum, ab Aleph incipiendo, attexerit Vates, fatentur se ignorare. Puto equidem lusum fuisse poeticum, non tamen superuacaneum, sed admirabili obiectum mysterio,

ut fere omnia sunt prophetica. Lex itaque quae Thorah Hebraeis est, non minus docte, quam candide & sancte, per membra hic describitur. De cuius quidem appellationibus, cur scilicet hoc uel illo nuncupetur nomine, in psalmo decimonono, quantum satis tunc uisum fuit, explicuimus. Haud sane res admodum difficilis est purgato, ut dixi, animo, quid uoces sibi uelint illae crebrae, suo loco discernere. Iam illud dicendum uidetur, Prophetam in hoc psalmo flagrantem piorum animum erga Dei legem uoluisse exprimere, subindeque ingenti illos excruciaci dolore, cum ab improbis eam cernunt contemni, ludibrioque haberi, ac sub religionis praetextu uenum exponi. Illud quoque admirandum, quomodo in tam uniformi uersuum concinnitate atque enarratione, noua semper, quae Dei laudes referant, adducat Vates: ut mirum id omnino uideri queat, quomodo idem saepenumero eisdem penitus repetitis fomentis, excitari faciat incendium, nomen nimirum tam aptum diuinae egi, quam quod aliud aptissimum. Caeterum nulla in homine potest esse tam digna Deo laudatio, quam est inculpatas uitae tenor, hoc est, ad Dei legem apprime informatus. Qui talis est, a Vate merito cum Hic, tum alias, beatus, atque in consuetudine uitae, quam uiam appellare libuit, immaculatus nuncupatur: quippe qui in Dei lege enutritus, nullo alio afficitur oblectamento, nullaue alia tenetur cura, quam ut secundum Dei praeceptiones suam instituat uitam, omissis interim curis illis omnibus, quibus tam nobile impediri possit aedificium. Ait itaque: Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege domini. hoc est, beati hi sunt omnino, ac ter felices, qui inculpatas uiuentes, secundum Dei legem & doctrinam id uitae iter peragunt: nullo enim remorati obice, uitae stadium expeditissimo conficiunt cursu. Dei quippe legem ac uerbum, pro scopo sui laboris et cursus sibi iampridem statuere. Unde

{119.2} Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt ea.

Testimonia, illius sunt praecepta, quibus suam nobis patefacit, testaturque uoluntatem. Unde uertit quidam, contestationes. Hi igitur felices, qui diligenter affabreque Dei obseruant iussiones, quique illum haud ore solum, qui hypocritarum mos est, sed toto omnino corde, synceroque affectu inquirunt, illique suum probari cursum modis omnibus contendunt.

{119.3} Non enim qui operantur iniquitatem, in uis eius ambulauerunt.

{pdf 775, p. 379v}

Fieri haud quidem potest uirum illum, qui per amoenas fidei semitas libenter incedit, posse longius errare. Indicium sane id est certissimum, quempiam penitus exorbitare, cum in foedas ultro impingit peccatorum salebras, erratque prudens. Felix hunc uersum ad beatos illos superius descriptos retulit, ut sit ratio, cur beatitudinis nomine coelitus donati sint. Non enim, ait, operati sunt iniquitatem, imo uero potius in uis eius ambulauerunt, nempe dei. Planae quidem sunt uiae domini, atque, ut ait Salomon, pulchrae, & omnes semitae eius pacificae, quocirca amanti, atque adeo solerti opus est animo ad peragendum praeceptorum Dei cursum, alioquin & lucidum, & apertum.

{119.4} Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

Torporem quidem omnem suo in obsequio fastidit Deos. Unde non iniuria in fine uersus additum est, nimis: hoc est, diligenter, indefesseque. Ut enim sancta, nobisque salutaria praecepit Deus, ita summum nobis ad illorum obseruationem adhibendum est studium, excitandusque animus, atque elaborandum, ne surdis aliquando praecepisse uideatur tam potens dominus.

{119.5} Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas iustificationes tuas.

Haec est uis fidei in diuina lege inclusa, impium gratis iustum effici, ac Deo charum. Vocat hic igitur iustificationes, Dei promissiones a legis oraculo, tanquam ab arcae propitiatorio auditas: quibus sane qui fidunt, iusti actutum efficiuntur. Verum quoniam ad obtinendam huiusmodi animi excellentiam impares prorsus sane uires humanae (Dei enim donum est, qui nostram sustentat imbecillitatem, purgatque arbitrium & uoluntatem) idcirco exclamat Vates: O utinam mei cordis affectus, uitaeque conuersatio, qua aetatis huius hippodromus utcunque transcurritur, adeo a recto non exorbitet itinere, ut tuis possim parere mandatis. Et certe

{119.6} Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

Sentit uir sanctus se nunquam suis in consiliis, quae a spe aeternae uitae proficiscuntur, atque adeo in adipiscenda mentis integritate, quae in sedula praeceptorum Dei meditatione sita est, iri fraudatum. Tunc, inquit, cum perspexero, hoc est, cum quae tuis in iussionibus ab homine efflagites considerauero, eaque re praestitero, non confundar, meaque non frustrabor, quam de te concepi, fiducia & persuasione. Frustrantur sane, qui te amare simulantes, ne digitum quidem ad ea quae praecepisti promouent, scilicet amore istiusmodi pigro inertique, qui fide nescio qua contentus, antiquius habet, quam ut nihil omnino operetur, delectaris. Christus, aiunt, pro nobis operatur. Fateor equidem id amoris genus ac fidei, quod libenter ociatur, me penitus non intelligere. A te enim audio, o uniuersorum Deus, mortalium erga te dilectionem ex praeceptorum tuorum obseruatione comprehendi debere: alioquin amor non est, sed falsa religionis persuasio. Quod uero ad me attinet, illud abs te exorare contendam, ut te duce, mea ita recte ordinetur uitae ratio, quo quae sint operationes illae, quas tu a nobis requiris, non ignoremus, ne stadii cursum me: tam appellemus. Felices quidem illas esse actiones semper existimaui ac perfectas, quae, tanquam uites arbori, innixae fidei, nullum in se statuerent meritum, sed in Deo, qui, quod alicuius sint momenti, autor est, atque ne in actionum delectu hallucinemur, lux uniuersalis. Hoc proinde impetrato,

{119.7} Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici iudicia iustitiae tuae.

Iudicia iustitiae Dei, sunt illius decreta aequissima, solida, perfecta, quibus sancta maxime constat lex. Caeterum Dei iustitiam alias diximus illius esse consummatissimam undequaque naturam ac bonitatem, quae in legis cognitione aequae relucet, atque sol ipse in suo coelo. Vide igitur quid bonorum nanciscamur ex assidua in diuina lege exercitatione: consiliorum nimirum aeternorum Dei notionem. Ait ergo: Te, o domine, celebrabo, ac te syncere, simpliciue uitae instituto ac ratione, quod rectum est, quoque itur ad te, consilium, laudibus merito efferam, ubi secretissimam me

docueris tuae legis uirtutem atque efficaciam. Iudicia quidem humana falsa plerunque sunt & iniqua, tua uero aequa, ac te digna. Ideo

{pdf 776, p. 380}

{119.8} Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque.

Usquequaque ubique est, seu quocunque tempore. Vocat iterum Dei legem, laetasque legis promissiones, quod esse Euangelium definiunt, iustificationes. Tuas inquit, iustificationes seruabo uerum tu interim ne me deseras: siquidem te iuuante, seruabo, deserente autem non seruabo. Imbecille ualde arbitrium est humanum si se nititur, fortissimum si Deo.

Beth.

{119.9} In quo corrigit adolescentior uiam suam? in custodiendo sermones tuos.

Natura humana cum omni plane aetate ad uitia procliuis sit, tum id potissimi in adolescentia uidere est. Tum quidem efferatius aetas illa, ut leuis & inconstans, ita aequae ad uitia atque ad uirtutes flexibilis, in uarias continuo fertur cupiditates, raroque uirtutum iter, uel centies intermissum, nisi ui maxima adhibita animi ac conatu, repetere potis est. Carnis quidem aestu incensa, difficillime in uno perseuerat consilio. Unde non immerito adolescentiae hic fit mentio. Verum illud tam petulanti aetati conuenientissimum erit fraenum, si omissis lasciuuis, cor iuuenis in Dei se lege oblectauerit, illamque amauerit doctrinam: qua adepta alio omnino deflagrabit incendio, quam illud sit, quo hi perpetuis aduruntur flammis, qui aut sensuum oblectamenta porcorum more amplexantur, aut ab humanis seducuntur erroribus. Vtrunque enim hominum genus semper inquietum est. Da igitur mihi adolescentem, da iuuenem, da senem, da totum orbem Dei uerba audius, quam adulationes, falsasque fortunae pollicitationes audire, en Deus, en pax, en charitas, quae iam nulla est, suam recuperabit sedem. Qua itaque re potissimum adolescens natura mollis ac dissolutus, suam poterit emendare uitam? quo remedio? nullo certe efficacius, quam si salutaria seruauerit Dei uerba, illiusque libentius inhaeserit monitis, quam mundi blanditiis ac lenociniis. Dic princeps (te nunc alloquor, quisquis es, qui ad principatum uocaris) quanam putas ratione tuas te aures, adhuc forsitan tenellas, a turpissimis assentatorum delatorumque artibus posse auertere? nonne Dei uerbo? nonne sacrosanctae legis auxilio? Quid animum? quid cor pie adeo informabit ad clementiam, ad grauitatem, ad sapientiam? nihil sane praeterquam Dei doctrina, a qua instituendorum populorum forma extrahitur. Si quidem constituendi per prouinciam erunt magistratus, si imponenda uectigalia, si ciues ornandi honoribus, si tuis fortunis augendi, si fauore, si gratia, si contubernio honestandi, e lex diuina, quae te id pulchre doceat. Et demum nullo alio itinere splendorem illum ac gloriam, ad quam tum probitate, tum literis, tum armis illis, quae Christianum principem decent, te aspirare par est, assequere, nisi in custodiendo sermones Dei. Omitto prudens ad uoluptates suasores, qui auaritiae facibus instincti, te ad exactiones principe indignas, ad depeculationes, ad ludos illiberales, ad saeuitiam, tyrannidemque instigaturi sunt. Quae sane hominum colluuius adeo ex sese odiosa est omnibus, atque ipso suo horrore detestabilis, ut propemodum

superuacaneum sit te admonere. Quare sic te instructo, atque proinde ad tuorum ciuium salutem, orbisque terrarum ornamentum aedito, paululum omissio, ad Vatem redeo, qui suum erga ei legem cupiens testatum esse omnibus animum, ita de se loquitur:

{119.10} In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me a mandatis tuis.

Summa haec est perfectionis Christianae, De ita obnixe quaerere, ut assequatur. Id enim est Deum toto corde inquirere. Aliter autem ad coelestium rerum cognitionem cum nati, tum post primam illam miserrimi Adae ruinam denuo accersiti, sed lumini ultro obluctantes, sponte nos nostra Dei uocatum auersari, quo uelo, quo suffugio nostram inumbrabimus oscitantiam? Periculosissimum sane illud genus est uitae, cum quis coelitus uocatus illud respondet comicum, Vocata est opera. Corde itaque toto inquirendus est Deus, ne indignabunde nos suo ab obsequio propellat, ac tanquam inertes alios sua a religione, quae ab ardentissimis duntaxat animis apprehenditur, abigat, conspuatque irrisos. Ne sinas, inquit, me tuis a mandatis aberrare. Nam

{pdf 777, p. 380v}

{119.11} In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.

Aurea cum sint diuina eloquia, ac gemmis ipsis preciosiora, in secreto recondenda sunt animae reposito, ne a furacibus auferantur seruis, palamque fiant uulgo natura leuissimo, atque alieni appetentissimo, quae sobrie impartienda sunt multitudini, ac cum delectu. Eloquia uocat Dei mandata, seu legem, quae fraenum quoddam nostrae est ad peccata procliuitati. In animo, inquit, meo, in cordisque medullis, tuos, ne aliquando laberer, reposui sermones, seruoque perinde, ac solent homines foeneratitias pecunias ad lucrum: pro tutela illos habui. Et quidem

{119.12} Benedictus es domine, doce me facere iustificationes tuas.

Cum docet Deus, planum fit illius religionis iter: alioqui sine Deo senticosum, syluaticum, inaccessum. Eam ob rem hic anima mire anxia sibi doctrinam spiritus suppeditari rogat, qua operante nihil non facile atque amoenum in seruandis Dei praeceptis apparet. Ex hebraeo uertunt quidam, doce me ceremonias tuas: & per ceremonias, certas intelligunt leges ac ritus. Vult Kimhi praecepta illa esse, quorum tecta est ratio, atque obscura: ut fere erant ceremoniae templi, antea autem tabernaculi. Kukim Hebraeis est. Laude igitur omni praestantiores, mi Deus, quo autore audax factus, in corde meo abscondi eloquia tua, illa scilicet assidue ruminans, ut non peccem tibi. Verum tu interim me tuas edoce praeceptiones. Siquidem alia res est, tua audire uerba, aut in auratis lectitare codicibus cum uanitate, alia a spiritu tuo edoceri. Quare ne quod mei est muneris omnino denegem, infectumque deseram,

{119.13} In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.

Vide quid boni secum afferat praesentia spiritus, quidue tandem pariat Dei uerbum in corde absconditum. Labiis, inquit, meis, ac lingua, iudicia cuncta ab ore tuo profecta, hoc est, edicta, oraculaque, legem nimirum sanctam, qua tua nota facta est mundo

uoluntas, enunciaui, palamque, cum tibi uisum fuit, patefeci. Id dicit Vates, quo quam libenter soliciteque de Dei lege loqueretur, ostendat. Ideo subdidit:

{119.14} In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus diuitiis.

Testimonia, seu uiam testimoniorum appellat, ut iam diximus, Dei legem, quod de ipsius legislatoris uoluntate contestetur. Nonnulli uertunt, oracula. Praedictus uero doctor praecepta illa esse existimat, quibus aliqua ad refricandam diuinae beneficentiae memoriam praecipuntur. Verumenimvero mens ea est prophetae, ut suum erga Dei uerbum, ac legem, tum studium, tum amorem praeferat, cum ait se aequae ex ordine, modo, sapientiaque, quae sunt uiae eius, mandatorum Dei oblectamenta sumpsisse, ac solent alii ex diuitiarum copia & luxu. Alio in psalmo testimonia Dei desiderabilia esse asserit super mel & fauum: hoc est, super omnem mundi suauitatem & delectationem. Sic sunt affectus spiritus, sic amor, ac gustus. Quocirca

{119.15} In mandatis tuis exercebor, & considerabo uias tuas.

Quod enim secundum Dei legem quis uiuere possit, frequens id agit exercitatio, atque assidua in illius doctrina meditatio. Secus enim nulla in terris certa esset de Deo notitia. Nam a lege, Dei uoluntas intelligitur. Quid si intellecta spernitur? Scelus id uidetur inexpiabile. Spernitur tamen etiam ab his interdum, qui illius profitentur cognitionem, ac religionis effigiem. Obsecro, unde is uanissimus coelestium donorum usus? Puto equidem ab infecto mundi amore animo, fideique debilitate, ne dicam absentia, originem habere. Qui ita affecti sunt homines, in diuulganda Dei lege exercentur quidem, sed ad quaestum, ad gloriam ad uulgi plausum: uiasque domini considerant, non quo illas terant, atque in salutis sibi usum uertant, sed ut inde nomen sibi comparent, aut illas prorsus diruant: quod proprium haereticorum est, atque illorum affinium hypocritarum. Quanquam certe malletm patentem haereticum in domo Dei tolerari, quam hypocritam, qui suauiissimo suo illo existimationis propriae ueneno imbutus, quicquid agit, quic-

[quicquid]

{pdf 778, p. 381}

-quid turpissimo commentatur animo, id totum in suum pertrahit colorem, tetrum nimirum, fucatum, pallidum, horrendum, exitialem, odiosum, Deoque infensum, tantum abest ut quod sequitur illi probetur.

{119.16} In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos.

Sanctissimum id pii animi est uotum. Die, inquit, ac nocte, tuis in praeceptis memem exercebo, in illisque delectabor: neque ulla unquam erit hora, quin tuos in mente habeam sermones, mandata, praeceptiones, iudiciaque oris tui.

Gimel.

{119.17} Retribue seruo tuo, uiuifica me, & custodiam sermones tuos.

Iam illud compertum, ex praeceptorum Dei obseruatione uitam oriri animae, ex neglectu mortem. Retribuere uerbum (quod aliquando annotauimus) Hebraeis est non solum pro beneficiis beneficia reddere, aut pro benefactis praemium, sed etiam simpliciter beneficium praestare, ut hic uides. nisi malis de incomprehensibili id Dei benignitate exponere, qui etiam lacessitus iniuriis, pro offensionibus gratiam referre solitus est, Hebraei optandi affectu hunc legunt uersum: Viuam, hoc est, ut interpretatur Paraphrastes, mihi uiuere liceat, & parere mandatis tuis. Praesta id igitur seruo tuo ut uiuam, uiresque in uita, quo tuis obsequi possim mandatis, suppedita. Extra illa quidem nulla est uita, nullaque conscientiae pax, & quies. Ideo

{119.18} Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.

Pressis quidem animis ac tardis, pressa Dei lex uidetur & uilis. Sublimiori autem qui praediti sunt mente, admirandam illam esse, captumque humanum excedere fatentur. Et quidem, quid non excelsum? quid non mirabile e Dei ore prodire posset? Est ne paruo id stupore dignum, hominem facinorosum, atque subinde Dei hostem factum, legis beneficio aeterni patris filium effici? Quid illud? Nonne stulta mundi elegit Christus? nonne infirma? nonne crucem autor uitae? nonne, quo mundi sapientiam debellaret, aeternumque suis ab ignominia auspicaret regnum, uitam uixisse pene infamem uisus est uulgo? Quis unquam putasset hominem (res mira) cruci latronum scilicet supplicio affixum, derisum, pro insano habitum, consputum, atque ab ipsis religionis primatibus e templo eiectum, ad tantam prouehi potuisse gloriam, ut mundo uniuerso fraenum poneret? Haec sane omnia a coelesti doctrina Euangeli hausimus, haurimusque perpetuis ueluti aquarum dulcium uenis. Verum cognitu difficilia ualde sunt, idcirco admiranda, atque animo digna in primis nitido ac fideli. Quare diuina hic opus est luce, illique continue supplicandum, uociferandumque, quo nostros ad stupenda illa legis mysteria, secretaque ineffabilia, ob desidiam graues aperiat mentis oculos. Reuela, inquit, aperi, qui turpi cataclysi, lippitudineque ignorantiae hebescent, oculos meos, illorumque purgas aciem lumen admoue, ut sic abs te illustrati, quae tua in doctrina occulta sunt, intueri possint.

{119.19} Incola ego sum in terra, non abscondas a me mandata tua.

Cognoscit se uir sanctus peregrinum, non ciuem esse huius mundi, proinde clara illa, qua in patria fruuntur beati, carere luce: cuius tamen participem fieri, ne in re salutis hallucinetur, exoptat. Aduena, inquit, ego sum in hoc mundo, non angelus, non indigena, non ciuis, sed homo uagus, rudis, impurus, exul: & qui hodie sum, cras uero, aut plurimum perendie, non reuersurus hinc abeo. Quare tua ne me celes mandata, quorum sane uim quis, nisi tu edocueris, assequi unquam poterit? Quod uero ad me pertinet,

{119.20} Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.

Ex hebraeo uertunt, confracta est, seu, rumpit prae desiderio anima mea cognoscendi iudicia tua. Hebraismus est, quo maximum desiderantis ostenditur incendium. Unde

illud est Christi: Desiderio desideravi hoc pascha manducare uobiscum antequam patiar. Concupiuit, inquit, non simpliciter quidem, anima mea tuas intelligere iussiones, sed adeo ardentem & continuo concupiuit, ut unum aliud in infinitum traheret desiderium, Idem etiam denotat uerbum, rumpitur. Hinc sane ani- [animadvertendum]

{pdf 779, p. 381v}

-maduertendum quanto prosequenda sint studio, atque animi intentione Dei eloquia, quae de more ignauiam omnem refugit & auersatur. Haec quidem quotidie in templis ore proferimus, quo uero diuagetur mens, quidue desideriorum admittat, nouit Deus. Putant nonnulli peracto utcunque diuino, ut uocant, officio, omnia in tuto esse: quocirca quid non audent improbitatis illo tecti umbone? Tu tamen, o excelsa, ne ad omnia conuiuere uidereris,

{119.21} Increpasti superbos, maledicti qui declinant a mandatis tuis.

Puto hic hypocritas taxari, illos maxime, qui cum externo ritu, legisque eruditione sancti appareant, nihil tamen minus quam legem uita referunt. Se quidem magis quam Dei honorem diligunt: idcirco illo contempto, atque illius post habitis mandatis, superbissimi omnium sunt: quos tamen, si uultum, grauesque mores inspicias, modestiam ipsam cute pallida, ac macie indutam esse affirmes, homines certe dignos quorum frons tali inuratur cauterio. Maledicti qui declinant a mandatis tuis. Id proprium hypocritarum est elogium, qui a puro Dei itinere ultro aberrantes, foedissime peneque irreuocabiler labuntur. Detestabile omnino genus id est hominum, quibus merito radii ipsi Solis interdicti possent. Hos igitur a Deo increpitos, maleque habitos affirmat spiritus. causam uero addit: Maledicti, ait, qui declinant, aberrantque prudenter a lege domini. Illi sic: tu autem, o Domine,

{119.22} Aufer a me opprobrium & contemptum, quia testimonia tua exquisiui.

Necessitudinem & conuictum cum superbis, atque a Dei ore execratis, opprobrium uocat ac contemptum, seu, ut alii uertunt, ignominiam. & optime quidem: nam quid infamius, magisque uitandum, quam contubernium est superbiorum? Sunt qui has uoces ad probrum, quo quis afficitur a superbis, referant, & erit sensus: Me uindica ab irrisione atque opprobrio illo, quo me uexant superbissimi isti ueteratores. Causa uero? quoniam tua seruauit monita, quoniam tua mihi cordi fuit lex, quoniam a mandatis tuis non declinaui, quoniam in corde meo abscondi eloquia tua.

{119.23} Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur, seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.

In throno, inquit, suo illo tumido atque arroganti sederunt primarii plebis homines. Quid putas? In me, alioqui tuae religioni consecratum, falsa promulgarunt iudicia, detestandasque protulere sententias, a corruptissimo nimirum animo profectas. Ego tamen seruus tuus neque sic deterritus succubui, sed, ut prius, nihil aliud quam

exercebar in mandatis tuis, quae ut conuenit seruata, iustum reddunt hominem, atque ad capessenda coelestia idoneum.

{119.24} Nam testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuae.

Vide perfecta legis Dei cognitionem in anima, quae suam appellat uoluptatem, suam exercitationem: suosque consiliarios, atque a secretis assessores, Dei praecepta. Sic hunc uersum transtulit Felix: Etiam testimonia tua delectationes meae, uiri consilii mei. hoc est, mei consultores, ac familiares, quibus cum uiuo, quorumque congressu delector, tuae sunt constitutiones. Adeo fulgentissima lux Dei est lex.

Daleth.

{119.25} Adhaesit pauimento anima mea, uiuifica me secundum uerbum tuum.

Adhaesit pulueri, uertunt nonnulli, seu limo. Extremam his uerbis ostendere uoluit sui animi consternationem: & est idem atque, morti proximus factus sum. Censeo quidem huiusmodi Vatis deiectionem ab assiduis hostium suorum iniuriis, atque in religionem insultatione prouenisse. Caeterum, uiuifica, uerbum frequens in hoc psalmo, pollet perinde quasi dicas, restitue, refocilla, recrea. Ait igitur: Adhaesit penitus uita mea sepulchro: sed tu me pristinae restitue felicitati, ut es pollicitus, ac me recrea. Ab aeterno quidem firmissimum emanarat coelitus decretum & promissio, qua se Deus suis non defuturum amicis astrinxerat, modo hi suas non celarent pagas, Ideo infertur:

{pdf 780, p. 382}

{119.26} Vias meas enunciaui, & exaudisti me, doce me iustificationes tuas.

Viae enim domini, uiae rectae sunt & salutare: uiae hominis obliquae, inquinatae, atque ad interitum pertrahentes. Cum itaque suas se Deo patefacturum uias pollicetur, aut patefactas asserit Propheta, uitae suae modum, rationemque intelligit: hisce enim, quasi uiis quibusdam, uitae huius regionem peragramus. Vitae, inquit, meae rationem omnino totam non dissimulanter tibi exposui: quare tu huiusmodi mea placatus fide, me clamantem, ad teque tot in periculis, quibus tota haec respersa est uita, confugientem, admitte, exaudique. Exaudisti, respondisti uertunt, seu responde, quod magis placet. ut sit sensus: in responde mihi, ut solent qui libenter audiunt, ac tuas me edoce praeceptiones. In omnibus enim arbitrii humani uim extenuat propheta, non tamen aufert omnino, ne tam insigni dono animam dispoliare uideatur. Dat quidem suas arbitrio partes, sed secundas: gratiae uero Dei primas, ut qui gloriatur, in domino gloriatur. Unde clamat:

{119.27} Viam iustificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.

Rogat ueram sibi aperiri legis Dei cognitionem, qua intellecta, ex admirandis, quae in ea latent, mysteriis animatus, respirare, atque animum pene propter infortunia

dissipatum, posset colligere. Sensus, inquit, germanum sanctissimae tuae legis me assequi facito: quo sane impetrato, tunc libere tuis in mirabilibus, quae modo strictim tanquam per transennam intueor, memet exercitabo. Atqui ut ingenue meam confitear ignorantiam,

{119.28} Dormitauit anima mea prae taedio, confirma me in verbis tuis.

Liquefacta est anima mea prae anxietate: siue, illachrymaui, distillauique, uertunt quidam. Stillatim, inquit, effluxit anima mea prae aegritudine, atque anxiis, quae me arctarunt, cogitationibus. Hinc mea me premebant scelera, illinc poenarum metus, atque superbissima quorundam natura, qui tuae praepositi erant religioni. Quod si tamen in mihi, etiam irreuocabiliter, pereundum erit, tua saltem inuiolata perstet religio, & felix sum, etiam abs te refutatus. Verum id interim mihi quammaximae erit consolationi ac fiduciae, si me, ut es pollicitus, erexeris, meamque plane nutantem firmaueris de tuis promissis fidem. quam sane rem quo facilius assequar,

{119.29} Viam iniquitatis amoue a me, & de lege tua miserere mei.

Nullus, quod sciam, ex Hebraeorum interpretibus legit, iniquitatis: sed aut mendacii, aut, ut Felix, falsitatis. Videtur etiam, de, in nostro interprete superesse Quid sibi porro uelit uox mendacii, ita aperit Paraph. Studium mendacii, seu mentiendi, fucateque uiuendi, aufer a me. qui tamen sensus ad dictionem quoque iniquitatis referri potest. Vide praesentaneum tam periculoso morbo, uti est fucata uita, remedium a Dei lege perdiscendum. Et de lege, inquit, tua miserere mei hoc est, tua ipsius motus clementia, ueram mihi impartire ex lege cognitionem, fraenum nimirum meae necessarium petulantiae ac temeritati. nam, ut quod est non dissimulem, te opitulante,

{119.30} Viam ueritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus.

Viam ueritas opponit uiae falsitatis, quae propria uia est simulatorum: illa uero ad synceros pertinet animos. Viam fidei, uertunt quidam. Nam fides iter illud est, quo recta ad Deum itur. Unde in fine octonarii clamat: Viam mandatorum tuorum cucurri. modo autem: Iudicia tua, nempe mandata legis fidei, non abieci, tantum abest ut illorum immemor uixerim. Imo uero

{119.31} Adhaesi testimoniis tuis domine, noli me confundere.

Purgatissimis id solet esse animis perfugium, cum tentatione aliqua molesta, aut persecutionum acerbitate afficiuntur, fidissimo Dei uerbo & promissioni, non mendacissimis hominum pollicitationibus, fidere, illique adhaerescere. Ex quo fit, ut quaecumque aut dicunt, aut faciunt, aut cogitant etiam, illa omnia ad aequissimam Dei legis regulam componi exoptent, reque ipsa perficiant. Idcirco nihil minus uerendum est, quam ob male factum aliquod, aut dictum, tanquam actum turpiter in scena ostensum, exhibent, ac, cum ignominia & probro uulgi, conspuantur. Ne sinas me, inquit, spe illa, qua tibi adhaerens tuis dedi operam mandatis, frustrari: quandoquidem

{pdf 781, p. 382v}

{119.32} Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

Ex hebraeo, curram, uertunt: & dilatabis. & est sensus: Cum cor meum per gratiam, quod modo suo merito anxiatur, interque sacrum & saxum positum uix palpitat, dilataueris, spaciumque respirandi feceris, tum uiam mandatorum tuorum alacriter percurram, qui tunc subtimidus ac moestus, uix ui illi adhaereo.

He.

{119.33} Legem pone mihi domine uiam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper.

Diximus aliquando, nihil aliud esse in psalmis, legem ponere, statuereque, & similia, quam legem docere. Unde sic uersum transferunt quidam: Doce me domine uiam statutorum tuorum, hoc est, uiam illam diuinam, atque intelligentiam, quae tuis delitescit in mandatis, me doce, o domine, ut ad ea seruanda, usquedum uixero, memet accomodem. Vertunt nonnulli pro Semper, propter mercedem.

{119.34} Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.

Litera enim illa, qua lex domini palam fit omnibus, manet litera, & ea interdum, quae infert mortem, nisi unctio doceat, moueatque mentem ad ea perscrutanda, quae cognitu necessaria sunt in lege spiritus, qui uita est legis. Da itaque tu domine, cor docile, da lumen, da uim intelligendi quae praecipis, ut sic re queam exequi, quae intellexero, atque ea custodire in toto corde meo. Vult igitur totum cor nostrum, atque animam, lex Dei: alioqui dissipatis peruestigata affectibus, nihil aliud afferre solet legenti, praeter spiritus ariditatem, atque animi desperationem. Ne id quidem mihi contingat,

{119.35} Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsum volui.

Deduc uerbo aptissime usus est interpres, & est sensus: A fallacibus erratorum diuerticulis, inanibusque hominum persuasionibus, ad ueram regiamque mandatorum tuorum semitam deduc me: id enim semper ex animo concupiui. quare durum, saneque indomitum

{119.36} Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.

Non ad lucrum, uertunt, seu ad quaestum. Mirum quam indignabunde (ut sic loquar) propria aueretur commoda uir sanctus. Quae enim cunque agit, ad Dei honorem, conseruique sui commodum, hoc facilius reuocat, quo aequae atque propriam, aliorum deamat salutem. Cum quis igitur suam cumprimis in rebus agendis, causis ue finiendis, utilitatem, ac Deo posthabito, qui praecipuus ambitiosorum mos est, neglectaque proximi cura, gloriam uenatur, is auaritiae aut lucri sordidi rabie imbutus merito censebitur. Quid porro de illis opinandum, qui cum donis spiritus ubertim affluent seipsis tantummodo contenti, quicquid coelitus acceperunt aliis inuidet? nonne

auaritiae simul & ingratitude infamia notandi erunt? Petit itaque sanctissima Vatis anima, se praeceptor Dei sensu diuitem effici, atque in alios liberale. Clamat insuper,

{119.37} Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.

Rursus uiuifica posuit pro recrea. Caeterum uidere uanitatem, seu uanum, idem est quod uana pro ueris amplecti, atque in illis oblectamenta capere. Et quia impossibile fere uidetur res uanas, quae assidue nobis, uel nolentibus, in hac uita obuiaae fiunt, non aliquando cernere, illud a Deo rogandum, ne affectu illis haereamus. Quare sic uersum interpretatur Campensis: Auerte oculos meos ne capiant amore rerum uanissimarum, quin potius tuis admonitionibus ad uitam perduc me. Porro uanus is est affectus ac desiderium, cum quis alienam aut rem, aut uxorem deperit. Vanus item rerum etiam propriarum usus, si immodicus est ac sordidus. Verum tu domine, quandoquidem ad uanitatem amplexandam tam praecipites sumus atque inconsiderati,

{119.38} Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo.

Quod in timore tuo, uertit Felix: hoc est, ut ipse se interpretatur, quod permanet in timore tuo: seu ut alius, qui (nempe seruus) timori tuo, se addixit scilicet. quanquam simpliciter sic litera reddi posset, ac sensus: Praefige seruo tuo uerbum tuum quo te timeam secus uero Dei timore abiecto quid non malorum incurritur?

{pdf 782, p. 383}

{119.39} Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia iudicia tua iucunda.

Opprobrium uocat legis transgressionem, peccatique turpitudinem, qua nil foedius. Possumus quidem, imo, ut audacter quod est fatear, cogimur a nobis (egregium arbitri humani pedamentum) in peccata corruere, fouereque in nobis peccati radices: at uero surgere, stareque, atque subinde luxuriam affectuum, tanquam pampinos a uinea, frondare, id alienae est uirtutis, nempe Dei, cuius mandata iucunda sunt ac leuia. Tu, inquit, amputa, praecideque peccati occasiones, quod aeternum animarum opprobrium est ac mors. Hanc sane timeo infamiam, culpamque execror. Iudicia enim tua clementiae temperamento ornata sunt. Quid igitur uereor? an me saluum nolis? nihil sane minus.

{119.40} Ecce concupiui mandata tua, in aequitate tua viuifica me.

Ex hebraeo, in iustitia tua, transferunt. Et, ut alias annotauimus, Dei iustitia perfecta illius est bonitas, e qua, tanquam a mari aliquo immenso, riui dimanant gratiarum ad animam. In hac igitur iustitia, non in sua, petit refocillari uir sanctus, omissis interim lacunis auxilii humani, turbidis nimirum ac limosis. En, inquit, uerba tua super omnem suauitatem suauissima concupiui, dilexi, in meque transfundere elaborauit. Tu tuum in me recognoscens donum, pro tua bonitate ac clementia, me in uita serua.

Vau.

{119.41} Et veniat super me misericordia tua domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.

Suo more Propheta in hoc psalmo, quemadmodum in caeteris huiuscemodi, tertio fere quoque uerbo Dei misericordiam interserit. Nouerat quidem originem illam esse fidei, e qua salus. Idcirco post misericordiae uocem, salutis mox addidit. Salutare, suo more, pro salute transtulit interpres. & est sensus: Mihi obueniatur medela illa tua erga afflictos consueta, nempe misericordia, ac, quam semper pollicitus es, salus, Etenim cum ab aeterno salutem, clementiamque mortalibus impartire decreueris, promiserisque, nunc da, ne tuis in pollicitationibus uariis inconstansque ab improbis iudicaris. Atque hunc in modum imperterritus uiuam,

{119.42} Et respondebo exprobrantibus mihi uerbum, quia speraui in sermonibus tuis.

Non in sermonibus hominum, qui [sic, qui] plerunque, quae in mente non habent, loquuntur, simulateque pollicentur. Vide morem simulatorum: Exprobrant, inquit, mihi, quod dicere soleam me tuis fidere promissis, non illorum. Hi quidem ut dii in terris haberi uolunt, quod si abnuo, refugioque, quas excitant tragoedias? quas cient turbas? Illi, qua sunt infecti crudelitate, tuos improperant electos: tu illorum causam defendens praesto illis adsis,

{119.43} Et ne auferas de ore meo uerbum ueritatis usquequaque quia in iudiciis tuis supersperaui.

Videre hic licet nullam omnino improborum uim esse, quo minus quod uerum est proferamus, nisi Deus ipse a nobis offensus, uerbum elabi sinat fictum & meticulosum, Id ueritus Propheta, utpote sortis humanae peritissimus, ita orat: Tametsi, inquit, hi, qui tuam impugnant religionem, ut sunt hypocritae, uerbum alioqui tuum ad honorem prolatum inuertere connituntur, ueritatemque audire refugiunt, tu tamen ne inuertas, ne quod omnino sanctum non sit ex me uerbum prodire sinas, neque ulla unquam ratione uelis me hominum metu deterritum mentiri, fucateque in sanctorum coetu conuersari: quandoquidem tua cupidissime expecto iudicia, quibus mea ne, an superbiorum hostium meorum causa aequior sit, appareat. Videtur interpres, usquequaque, posuisse pro quacumque ratione: aliter dictio est, quae assidue, passim, aut semper significat. Item, supersperaui, ex hebraeo uertunt simpliciter, speraui, uel expectaui. Expectauit, inquit, iudicia tua,

{119.44} Et custodiam legem tuam semper in seculum, & in seculum seculi.

Toties repetitae uoces seculi, nihil aliud quam semper praeferunt. Constantiam hic anima profitetur perpetuam, quae sane res in academia spiritus apprime est necessaria. Nam hodie diuinae legis studio obnixae operam nauare, deierareque, quaecumque occurrant, ne digitum quidem a firmo illo proposito trabalibus etiam (ut nobis ui- [videtur])

{pdf 783, p. 383v}

detur) clavis confixo discedere, cras uero promissi nos poenitere, atque proinde curam illam dignissimam, addo & facilem, molliter consultoque relaxare & omittere, nonne animi a Deo alienissimi indicium erit? Vide quid dicat: Custodiam, inquit, legem tuam in perpetuum, & si quid ultra est:

{119.45} Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui.

Ambulabam uerbum, cum caeteris quae sequuntur in hoc octonario, per futuram tempus legunt ex hebraeo. Caeterum ex frequenti exercitatione in Dei lege, quidam alacer ac iucundus exoritur usus atque habitus, non tam quidem facilis, quam ipsi omnino legi adeo arcte agglutinator, ut nisi ingenti queat ui abstrahi, quo minus re ipsa quicquid ea imperat, praestet. Id sane opus atque exercitium uocat Propheta latam patentemque ambulationem, hoc est, quae nihil angusti in se habeat ac periculi. Ambulabo, inquit, secure, tranquilleque stadium istuc uitae percurram, quoniam tua mihi sunt cordi praecepta. Et quidem ubi spirituales istiusmodi inueniuntur animae appetentiae, ibi sancta est libertas, ibi conscientiarum pax, ibi cursus expeditu atque intrepidus. Quocirca infertur:

{119.46} Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebam.

Ea uirtus est fidei, atque moderati in promulganda ueritate conatus, ut quamuis confuse rem turbent homines, uel hi maxime qui rerum potiuntur in rebus publicis ac regnis, nihil indecorum, falsumque, aut minus nobis Christique maiestate dignum proferamus. Loquar, ait, audacter quaecunque tuum ad honorem facere uidero, etiam si mihi coram regibus concionandum fuerit.

{119.47} Et meditabar in mandatis tuis, quae dilexi.

Nulli dubium, ex amore, ex quo actio oritur uoluntaria, atque in actione ipsa delectatio, prouenire quod assidue in meditanda Dei lege uersantur pii. Alioquin etiam atque etiam Dei mandata uersare animo, absque fide, ac erga legislatorem dilectione, ipsa ex se meditatio molestissima est & terrifica. Non modo, inquit, aeternam tuam uoluntatem, quae ex tuis deprehenditur mandatis, potentissimis exposui regibus ac magistratibus, uerumetiam mandata ipsa tua, quae uehementissime amaui, continuis tanquam excubiis posthac uoluam, reuoluamque animo:

{119.48} Et leuabo manus meas ad mandata tua quae dilexi, & exercebor in iustificationibus tuis.

Clamat Salomon, stultum illum omnino esse qui manum abscondit sub axilla. quo adagio taxantur ociosi illi, qui nihil non agunt, quo nihil prorsus agant. Periculosissima ea est persuasio, qua nunc fere uniuersus infectus est orbis. Operatur, inquiunt, pro nobis Christus. Quid uos interim? Perbellum profecto dogma, te tuo a negotio manum subtrahere, atque alium qui pro te agat, subrogare. Tu quidem, si nescis, ad actiones

illas, quibus perficitur fides, accersitus es: uim uero meriti ac praemii, Christo, qui quo minus tuae a Deo reiiciantur operationes, autor est, acceptam refer. Non quidem pro te idcirco agit Christus, ut tu omnino feriatus pascaris de nescio qua interdum imaginaria potius, quam solida & certa. Obserua quid de se hic testetur Vates: Attollam, inquit, manus meas, ad opera nimirum fidei, at illa re exequar, quae tu tuis in praeceptionibus nos exequi, effectoque praestare uoluisti. Illa enim ualde diligo, proinde in illis perpetuo memet exercebo.

Zain.

{119.49} Memor esto uerbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Iam pluries diximus, ex pollicitationibus Dei aeternis fidem in anima concepi, & coalescere. Verum earundem pollicitationum uidetur nonnunquam immemor Deus. cum inuocatus non aequae ac nostra praepropera requirit uoluntas, subuenit: memor uero, cum statim uenit suppetias. Ideo hic clamat Vates: Haud immemor tui esto uerbi, promissorumue, quibus ego seruus tuus nixus, quaecumque es pollicitus sperare audeo. Promissio quidem tua

{119.50} Haec me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum uivificauit me.

Sic Felix. Haec est consolatio mea in afflictione mea. non est enim tam dira aduersitas ac tentatio, quin anima promissionibus. Dei fulsa superet. Cum quidem illi in

{pdf 784, p. 384}

mentem uenit, cuius uirtutis & constantiae is sit, qui salutem in rebus quoque difficillimis adportaturum se est pollicitus, non potest non animose infortuniis resistere. Etenim Dei eloquio tanquam parmula aurea obiecta, nullorum bellorum genus cum mundo, cum ipsisque perfidiosis quibus cum uiuere cogitur, detrectat. Eloquium, inquit, tuum me refocillauit, & uitam pene mihi ereptam restituit. Interim autem

{119.51} Superbi inique agebant usquequaque a lege autem tua non declinavi.

Superbi irriserunt me nimium, uertit Felix. Paraphrastes uero: Insultauerunt mihi miris modis. Fastus enim & arrogantia, Deo ullo absque medio opponuntur. Tantum illud expetit spiritus, ne propter persecutionum acerbitatem a dei lege desciscamus. Id proprium est Moab, belluae nimirum superbissimae, probos odio, ac si datur, tum ueneno, tum ferro, aut saltem linguae amarulentia persequi. Illi tamen ne parum quidem ab instituto iam coepto deflectunt, tantum abest ut conuicium pro conuicio regerant. Talis fuit Vates, qui de se ita profiteri merito poterat:

{119.52} Memor fui iudiciorum tuorum a seculo domine, & consolatus sum.

Idem ferme repetit quod supra, cum ait: Haec me consolata est in humilitate mea. Recordabatur tum quidem Vates, quanta olim in sui populi gratiam contra hostes

conterminos exercuisset iudicia Deus, quantas clades, quam immensa iniecisset in gentes illas barbaras nonnunquam incendia, direptiones, excidia, ulceraque insanabilia, atque alias prope infinitas calamitates. Quapropter animatus, speransque fore aliquando quod eadem in praesentes uteretur hostes ultione, sese admirandum in modum consolabatur, dicens: In meis semper quamlibet acerbis aduersitatibus quid tua possent iudicia, quidve prae se tulerint severitatis in hostes, haud fui immemor: quare incredibili affectus sum consolatione. Verum ut quod res habet eloquar,

{119.53} Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Horror inuasit me, siue, me apprehendit tabes, uertunt. Unde sic quidam: Totus horreo sceleratos istos, qui deserunt legem tuam. Ut enim proborum uita seipsa contenta, in illo, qui ut probi essent concessit, mirabiliter laetatur, ita illorum mores qui secus agunt, tam fert moleste, ut luem ipsam exitialem minori toleret incommodo. Quare non iniuria queritur Vates, sese horrore simul & dolore affectum ob uoluntariam quorundam a Dei lege defectionem. At hi suis in affectibus, falsaque caecutiuerint persuasionem ut libuit,

{119.54} Cantabiles mihi erant iustificationes tuae in loco peregrinationis meae.

Solent uiatores & peregrini, si quo uiae longioris taedio afficiuntur, cantu suum solari laborem, qui si pio sunt animo, aut psalmis, aut poemate alio istiusmodi sese recreant: si impuro, lasciuis suam leuare miseriam conantur carminibus. Adeo ne aetatis huiusce nostrae iuuenes, iuuenes quidem? imo senes quoque ipsi interdum graues & uenerandi, non solum in itineribus (id forsitan tolerandum) sed in medio ipso foro, in hospitibus, in delubris, ac propriis aedibus, praesente uxore, praesente nuru, praesentibus liberis, tota denique audiente familia, salibus obscoenis, impudicissimisque tum metris tum dicteriis uti magis consuescunt, quam castis facetiis, metrisque illis ac cantibus, quorum auditione exhilarantur in Deo animae, gestiuntque Dei spiritu, non Venerem conciant? At tu, cui plectrum magis Dauidicum, aut Euangelii lepor placet, quam Cupidinis pharetra atque arcus, quid de se noster testetur poeta, audi. Pro carminibus, inquit, ac solatio molestissimae peregrinationis uitae huius, tua mihi fuit lex. Cum sane permulta sint, quae iter hoc uitae, per se satis salebrosum & difficile, uariis interturbent obicibus, solamen id unum mihi est, tuum uerbum: id cano, de illo me oblecto, in illo laetor, per illud absque labore cursum hunc uitae perago. Quid? Etiam

{119.55} Memor fui nocte nominis tui domine, & custodiui legem tuam.

Quando, inquit, homines crapula, uinoque distenti, proinde tui immemores in utroque obdormiscunt oculos: tunc dico, quando absque uerecundia ferarum more in libidines ruitur, tum ego nomen in memoria habui, idcirco quidem, ut tuas seruarem iussiones. Et certe

{pdf 785, p. 384v}

{119.56} Haec facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisiui.

Felix: Hoc fuit mihi, quoniam mandata tua custodiui. ut causa omnino tanta quietis extiterit Dei mandatorum observatio. Verum alium affert sensum Paraph. qui sic reddit: Hoc mihi summopere fuit curae, ut mandata tua seruarem. Vtrunque fidei Prophetae conuenit. Sunt qui etiam, haec, ad memoriam referant. Sed ex hebraeo fere, hoc, transferunt, seu istud. quare sic uertunt quidam: Istud inde mihi contigit, quod mandata tua obseruauit. Vide uim obedientiae.

Heth.

{119.57} Portio mea domine, dixi custodire legem tuam.

Quoniam quidem bona omnia sua in Deo reposita habent electi, ideo illum suam esse portionem atque haereditatem praedicant, ut hic praedicare audis Prophetam, qui sic suum erga Dei legem exponit studium: Te, o domine, meam esse portionem, ac sortem, inuito etiam mundo, decreui. Eam ob rem sic mecum: Tua certe mandata, uti res solent charissimae seruari, diligentissime seruabo, custodiamque continue. En me (num id te latet?) tuae a puero consecratum religioni. Quare te meum omne bonum, meam pacem, meam etiam in hac uita felicitatem, perfectumque uitae statum tum sensi, tum caeteris ita esse alacriter diuulgauit. Ideo

{119.58} Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum.

Id uult Vates: In tuam aspicio faciem, uti hi consuescunt, qui ab aliquo quidpiam, quod maximopere cupiunt, petunt. unde ait: Mei te misereat, ut es pollicitus. Tuam hic imploro fidem. Verum, ne ego quidem meis omnino partibus deesse uidear.

{119.59} Cogitauit uias meas, et conuertit pedes meos in testimonia tua.

Vocat totum uitae suae filum uias: nam uaria admodum sunt uitae nostrae instituta, uaria consilia, uarii affectus, quibus ueluti quibusdam uiarum compendiis ad finem, quem maxime quaerimus, assequendum utimur. Ait itaque: Uias meas, hoc est, totius uitae meae rationes non dissimulanter expendi: quam malam esse aduertens correxi, pedesque statim ad ea quae mihi praescripsisti, retuli. Et quidem

{119.60} Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.

Felix uertit: Festinaui, & non distuli custodire praecepta tua. Alius item: Propero, & non moror. Vide quomodo cum hic tum alias saepe suas excretur uias tam sanctus uir, coelitus uero ostensas approbet. Et certe uiae hominis, uiae obliquae sunt & asperae: uiae Dei, regiae, & in quibus nullus potest esse error aut duritas: quae tamen neutiquam uulgari arripiendae sunt modo, sed auido & propero, o se egisse hic memorat Vates. Optimae igitur fidei indicium erit, cum quis diuinis absque cunctatione obtemperauerit mandatis: alioqui rem differre quotidie, atque ad perendinum diem reiicere, quod hodie crasue ad summum debet effici, animum prae se fert ignauum ac nequam. Quam uero periculosa sit tarditas in Dei obsequio o his quae sequuntur, comprehendi datur.

{119.61} Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus.

Conuentus impiorum uastauerunt me, transferunt ex hebraeo. Quamlibet, inquit, immensa emergant in dies pericula, doctrinae tamen tuae, e qua lumen oritur uitae, non sum oblitus. Caeterum funes peccatorum, persuasiones sunt impiae, illecebrae, consilia a religione abhorrentia, adulatoria, crudelia, funesta: addo iras, iniurias, persecutiones, dolos, fallacias, falsasque delationes, ac caetera id genus alia corrupti animi indicia: hisce enim tanquam pedicis, illaqueatur mens parum cauta & simplex. Qui uero firmiori sunt fide, & qui perspicaciori sunt cognitione, atque in Deum affectu, a doctrina spiritus, unde perfecta deriuatur uitae instructio ne pedem quidem dimouent. Unde sequitur:

{119.62} Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustitiae tuae.

Obserua hic sedulum atque ardens Vatis pectus ad Dei legem, qui ne in profundo quidem noctis concubio a laudando Dei nomine destiterit. Quod quidem

{pdf 786, p. 385}

temporis quam commodum sit illis, qui Deum quaerunt, quique diurnos exhorrescunt strepitus ac, tanquam rem mirabiliter altissimis aduersantem contemplationibus, turbas, aliis indicauimus. Surgendum quidem de nocte est, non tamen ad furta, ad incestus, ad ludos, ad homicidia: uerum ad laudandum Deum, ad diluendumque lachrymis, si quid interdiu peccatum est. Et id nimirum propter iudicia iustitiae Dei: hoc est, propter illius iudicia, quorum ministerio summa semper ostensa fuit iustitia a Deo. Caeterum iudicia iustitiae Dei, aequissima illius est lex: cuius amore illectus uir sanctus, non modo per diu sedulam in adipiscenda illius cognitione nauat operam, uerumetiam cum uigilantius, tum libentius id agit noctu, tempore nimirum quietissimo, atque ad commiscenda cum Deo colloquia aptissimo. Hinc clamat:

{119.63} Particeps sum ego omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

Solet enim is, qui in inquirendo sponso occupatus, postquam frustra sese id tentasse aduertit, in illudque pene indignabundus prorupit. Quaesiui eum & non inueni: uocaui, & non respondit mihi: aliam inquirendi rationem, quam facilem suo fore desiderio sperat, ordiri, quae est assidua cum his, quibus uenerandus quidam sanctusque iniectus est erga Deum timor, consuetudo, hoc est, cum consummatae uitae hominibus in hoc mundo. Non est quidem tam obduratum in peccatis cor, quin ex longa cum illis conuersione commollescat, multo uero magis, si iam a spiritu cultum sit. Quantum, Deus bone, lucis, quanta ex istiusmodi exoritur familiaritate in Dei obsequio iucunditas. Cum his itaque, quos Dei timore affectos nouerat, sua se communicasse consilia, uitaeque rationes, fatetur Vates. Hos quidem Hierusalem filias suis in Canticis appellat sponsa, dicens: Adiuro uos filiae Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, ut nunciatis ei, quia amore languero. Socius, inquit, sum factus, atque illorum particeps, qui te, o

domine, uenerantur, ac tuas seruant praeceptiones. Verum neque hi sine te aliquid sunt, a te enim suas illas, tanquam a uasto mari, hausere gratiarum fluxiones. Nam

{119.64} Misericordia tua domine plena est terra, iustificationes tuas doce me.

Possunt certe nonnihil in doctrina spiritus eruditiores: ueruntamen quicquid iustitiae nanciscimur, tibi cum primis, tuaeque misericordiae, cuius influxu terra redundat uniuersa, referri acceptum par est. Quare tu me tuas edoce constitutiones, quibus lex constat uitae.

Teth.

{119.65} Bonitatem fecisti cum seruo tuo domine, secundum uerbum tuum.

Fatetur Vates, siquid unquam dignum laude peregrisset, id totum a Dei benignitate promanasse: eam idcirco denuo, crebroque, ne in reliquo uitae cursu aberrare contingat, sibi auxilio esse efflagitat, aitque: Tu domine, qui benignitate tua illa infinita in me hactenus usus es, atque illa, tanquam aereo clypeo, me, ut promiseras, obtexisti, etiam atque etiam

{119.66} Bonitatem & disciplinam & scientium doce me, quia mandatis tuis credidi.

Optat se suo similem esse domino in elargiendis beneficiis. Siquidem bonitatem eiuscemodi interpretantur quidam beneficentiam illam esse, qua illos, quibus cum uiuimus, honestamus. Unde Symmachus sic principium uersus transtulit: Beneficio affecisti seruum tuum domine. Disciplinam postea uolunt esse temperamentum, ac in rebus gerendis decorem. Scientiam uero ad rerum coelestium cognitionem pertinere opinantur. Ex hebraeo tamen fere uertunt: Bonum sensum, seu bonam ordinationem, atque intelligentiam doce me. Paraphrastes autem utilitatem, quae in cognitione legis sita est, interpretatur. Orat igitur uirtutem sibi legis reuelari, quae ut doctrina plena est ac scientia, ita Dei benignitate erga omnes, & munificentia redundat. Maximam, inquit, uirtutem tuis inesse mandatis credidi. Verum

{119.67} Priusquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum custodivi.

proinde varie enarratur: in id tamen consentiunt doctiores, ut de ipsa Dei correctione,

{pdf 787, p. 385v}

qua, ne peccent, atteruntur nonnunquam electi, exponant. Mirum quam facile absque aduersitatum cruce relabantur etiam perfectissimi Dei uiri. Sunt & qui uerba haec omnia ad inquisitionem legis referant, polletque perinde quasi, anteaquam ad tuas attenderem animum praeceptiones erraui stolidus: modo uero experrectior factus tuis parebo monitis. Siquidem

{119.68} Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

Natura, inquit, bonus es, ac mirabiliter ad benefaciendum pronus & liberalis ideo te per huiusmodi obtestor erga mortales dilectionem, ut ueram, ne errem iterum, impartias tuae legis intelligentiam. Nec frustra id quidem a te contendo: nanque

{119.69} Multiplicata est super me iniquitas superborum, ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Non raro diximus, Dei uerbum illud unicum esse remedium ac fulcrum, quo in atrocioribus quoque aduersis perstamus intrepidi. Nullo quidem sauciari possunt fortunae uulnere, qui pro scuto Dei uerbum illius opponunt telis. Multae, inquit, creuerunt aduersum me superborum iniuriae, ego e regione in illo totus fui, quo tuas seruare iussiones. Iniquitas, uertunt fallaciae seu mendacium: uerum in idem recidit sensus, Etenim cum superbum hominem uideris, illum uitiorum omnium cumulo coopertum affirmato. Non est quidem tam horrendum scelus, quo non infectum sit cor arrogans & superbum. Obsecro, unde tanta quorundam processit uecordia, atque in peccatis durities? unde tam rigens in Deum contumacia, ac iuncta cum proborum contemptu superbia? Inde, opinor, quod

{119.70} Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego uero legem tuam meditatus sum.

Impinguatum est uelut adeps cor eorum, uertunt. Solenne est in scripturis, quod alias annotauimus, adipem pro rerum affluentia ac luxurie usurpari, ut hic uidere licet. Alii uertunt, aruina. Vtut uerteris, stupidum animum quorundam propter nimiam rerum lautitiam, quae animi caecitatem afferre solet, digito quodammodo designat. Crassum, inquit, ac tanquam lactis coagulum, aut adeps omentata, stupidum factum est cor eorum, nempe superborum, qui in fortunae sinu lasciuiantes, nihil non agunt, quo ut dii in terris adorentur. Ego interim, ut meus est mos, tua in lege me exercui, deque tuis meum oblectaui animum praeceptionibus. Et certe

{119.71} Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas.
{119.72} Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti.

Id contra auarorum est institutum, qui aurum colunt. Quamlibet, inquit, mihi obueniatur maxima preciosarum rerum uis, etiam si mille excedat auri pondo, his tamen omnibus tua mihi gratior erit lex. Grata & tantundem tua mihi erit correctio, qua urgente tuas optime perdidici iustificationes, hoc est, praecepta, quibus seruatis iusti efficiunt quotquot in te credunt. Bona igitur, desiderabilis, salutarisque, imo uero etiam necessaria tua est crux, o domine, ex qua uitam olim omnium pendere uidimus. Tu illo fac nos animo ac fide, tam salubre nostrae superbiae ac petulantiae medicamentum amplecti, quo eos decet, qui ut tua digni sint subire improperia, nihil prius habent, quam ut te uitae asperitate imitentur, tantum abest ut delicias mundi tuae legis notioni anteponan.

Iod.

{119.73} Manus tua fecerunt me, & plasmauerunt me, da mihi intellectum, ut discam mandata tua.

Cogit pene Deum Vates ad ferendas sibi suppetias ex eo, quod illius plasma sit. Poterit ne unquam plastes suos odisse typos, aut ipsam omnino proplasticen? Esto hi possint, in Deo certe nulla istiusmodi inuenitur maleuolentia, aut erga suum figmentum odium. Tu, inquit, quoniam tuis illis omnipotentissimis manibus. quibus etiam uniuersalem architectatus es orbis machinam, me ista, qua nunc appareo, figurasti forma, da ut tuam intelligam ex lege uoluntatem. Hoc sane impetrato.

{119.74} Qui timent te videbunt me, & laetabuntur, quia in verba tua supersperauit.

En quomodo sanctissimo quodam sese mutuo scalpunt ungue uiri sancti, alterque alterius deamant uirtutem, non secusque de alieno atque de proprio congaudent bono? contra nimirum inuidorum naturam, qui tanta interdum afficiuntur ob aliorum commodum tristi-
[tristitia]

{pdf 788, p. 386}

-tia, ut ne ob proprium quidem laetari queant. Cernent me, ait, ita ut dixi affectum mei haud absimiles, & gaudebunt, quia tuis confisus sum promissionibus. Equidem

{119.75} Cognoui domine quia aequitas iudicia tua, & in ueritate tua humiliasti me.

Vide fructum cognitionis legis Dei. Quemadmodum enim cordi stupido occulta omnino sunt mysteria legis, ita expeditis animis ac liberis, aperta undequaque fiunt. Abscondisti, inquit Christus ad patrem, sapientibus haec mundi huius hominibus & reuelasti ea paruulis. De quorum felici numero cum esset propheta, sic suum testabatur ad Dei gloriam profectum: Bene noui, inquit, quod aequissima tua fuere iudicia, quodque merito me aerumnis affeceris. Veritatem suo more pro fide uertit interpret: hoc est, me affligi, ut tuos afflictum iri promisisti in hoc mundo, uoluisti: seruasque promissa non modo cum me sinis cum mala conflictare fortuna, atque interdum succumbere, uerumetiam cum me eximis, atque, ne prorsus atterar, salutiferam supponis manum. Quare

{119.76} Fiat misericordia tua, ut consoletur me, secundum eloquium tuum seruo tuo.

Sit tandem, quaeso, malorum meorum finis, sit modus. Et quemadmodum in ueritate tua humiliasti me, ita me tua consoletur clementia. Id enim tuo proprio ore pollicitus es huic tantillo seruo tuo. Atqui eloquia tua, eloquia casta sunt, ueridica, quibusque omnis praestanda sit fides, cum semper eadem sint, ac sui similia. Id mihi igitur, ut sunt pollicita, contingat, ac

{119.77} Veniant mihi miserationes tuae, & viuam, quia lex tua meditatio mea est.

Quaecunque enim agere instituerō, tuae semper mihi obuiaae fiant miserationes, quo uiuam, quo in te maneam, quo mortem illam, quam secum letalis de me fert cogitatio, qua urgente me, aliquid ex me esse, multumque posse nonnunquam mihi persuadeo, uitare queam. Etenim uim omnem consolationum, oblectamentorumque meorum, in tua lege esse uolui. Contra uero, simulac peruersa illorum sic exigit natura,

{119.78} Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerit in me, ego autem exercebor in mandatis tuis.

Aliis diximus, rationemque attulimus, quamobrem tam ardentem interdum in suos hostes inuehuntur sancti Dei uiri. Et ut nulla alia sit, ea sufficere potest, pacem scilicet ob perfidiosorum quorundam inquietudinem, superbamque uitae consuetudinem perturbari, litesque etiam in pacificis proborum conuentibus creari, ac pessimo omnium exemplo illos male audire, qui propter auctoritatem magis conspicui sunt, ac noti. Hos igitur pessime de religione meritos, ne diutius in Dei gregem bacchentur, petit Propheta confundi, infamesque fieri. Absque causa, inquit, falsa in me moliti sunt. Quid porro ego? Tuis certe mandatis tanquam sacrae anchorae inhaerebo, meque in illis, ut in palaestra fit, animosissime exercitabo. Proinde

{119.79} Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt testimonia tua,

Redeant ad me, uertunt. Paraphrastes uero, conueniant ad me. Solent enim qui simpliciori sunt fide, labascere interdum, atque ab amicitia proborum deficere, cum illos cernunt adeo acerbe ab improbis uexari, neque esse interim qui causam innoxiorum suscipiat, ut ferme sibi persuaderi patiantur, astutos illos delatores uera attulisse, uulneraque merito inflixisse. Vide quo aliquando adigitur miseriae proborum uita. At tandem luce aliqua coelitus inter turbidas illas uulgi permotiones apparente, ut faciles ad defectionem fuere, ita perspecta ueritate facile amicis reconciliantur, faterique coguntur aeterni patris gratiam nunquam non praesto adesse innocentiae, quam pene succubuisse ad tempus propterea perspexere, quod in rebus istiusmodi iniquis, acutiore sunt ingenio atque arte improbi, quam probi, quibus ipsa satis est probitas etiam indefensa, neque ultra quaerunt, cum illis interea nullus sit finis mendaciorum, delationum, atque, quo efficacius rem peragant, huc & illuc more uelut cataphractariorumque, excursionum. Vecordes hi natura sunt, idcirco inquietissimi, atque ad turbas conciendas astutissimi. Redeant itaque ad me simplices illi transfugae, alioqui tuae religionis studiosi, quibusque tua nota est ex legis notitia uoluntas. Caeterum

{pdf 789, p. 386v}

{119.80} Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar.

Pulcherrima antithesi octonarium istum mirabilem claudit Propheta: Superbi, inquit, illi uilitigatores, plagiariiue acuti, a sua illa in me ferocia reprimantur, confundanturque suo in scelere deprehensi. Ego autem corde abs te sincero, nempe absque odio atque ultionis affectu uacuo, donatus, non confundar, non meis in petitionibus repulsam feram.

Caph.

{119.81} Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperauit.

Non potest flagrans in anima desiderium non suam praeferre anxietatem, uel id maxime adeo, si circa diuina sit. Fatetur hic igitur Vates suam prorsus prae desiderio salutis contabuisse animam. Languorem sane istum ab amore proficisci non ignorant hi, qui assidue in secreto cordis silentio sic sponsum alloqui consuescunt. Abis ne tam cito? reuertere actutum, similisque esto, o dilecte, capreae, hinnuloque ceruorum super montem Bethel. En lectulus noster floridus. quo abis? Cui sponsus: Auerte oculos tuos a me, quia ipsi me auolare fecerunt. Verum rarae iam factae sunt, atque in oculis domini preciosae merces huiusmodi: idcirco derisae, quia incognitae. Iam mundi amor sedem diuini amoris in terris occupauit, desiit calor, excessitque ab humanis, pene dixi, Deus. Ideo ad assequendos tam necessarios animae ardores ac raptus, peruigili inflammatoque opus est corde, atque in inquisitione sponsi plane commolito & attenuato. Vide quanta ecstasi & defectione sui haec dicat Vates: Defecit, inquit, prorsusque elanguit anima mea prae desiderio, non illo quidem adipiscendi diuitias aut dignitates, quod suos de more exangues reddit appetitores, sed salutis, sed liberationis, sed tot in periculis, atque aduersis auxilii. Nam tuis semper confisus sum pollicitationibus. Falli ne potero? Quid: Ipse etiam

{119.82} Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me?

Clarius forsitan uertisset interpres, dicendo. quod ad Vatem referri est necessarium, non ad oculos. & erit sensus: Per anxie mei concupierunt oculi iam tandem cernere quae promisisti, dicebamque apud me, quando demum me consolaberis? assequar ne aliquando quae tanto praestolor studio ac cura animi? Pertinacem oculorum extollentiam ad Deum, addo & prae longa expectatione ac taedio lachrymas quae oculos plerunque reddunt hallucinantes & lusciosos, uult hic intelligi. Rursus sui languoris, maleque affectae habitudinis formam, metaphora utris in pruina seu fumo suspensi, exprimere intendit, cum ait:

{119.83} Quia factus sum sicut uter in pruina, iustificationes tuas non sum oblitus.

In fumo, uertunt quidam. Vter enim adhuc uiridis, aut ex humore praeterito, quo recens imbutus fuerat, humefactus, si ad fumum pruinamue suspendatur, constringitur, rugisque contractis rumpitur, ac prorsus inutilis efficitur. Ad eum omnino modum se deuenisse ob longiore prae anxietate moerorem fatetur uir sanctus: uerum non

propterea tam desperate oppressum fuisse, ut diuinorum penitus abiecerit memoriam praeceptorum. Quid autem in primis expetierit, mox aperit, dicens:

{119.84} Quot sunt dies serui tui? quando facies de persequentibus me iudicium?

Serui tui, maximam prae se fert animi fiduciam, polletque perinde atque, tantilli huiusce homunculi, qui tibi iure omni mancipatus est. Restant ne, inquit, adhuc satis dierum, quibus mihi in his acerbissimis meorum aduersariorum iniuriis uiuendum sit? quando illorum differs ultionem? quando poenas? Ridiculus sane garritus: siquidem

{119.85} Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.

Tametsi enim dictionem, fabulationes, seu garrulitates, non absque ratione hic positam esse iudicem, quippe qui non ignorem naenias plerunque, ac fabulas etiam a doctioribus in uulgo pro uera solidaque spiritus doctrina interspergi, quae adeo simplicium fidem non fulciunt, ut etiam profligent, tamen Hebraei foueam, seu foueas legunt. nec habent, narrauerunt, sed foderunt. Sic illi: Foderunt mihi flagitiosi foueas,

{pdf 790, p. 387}

quae non fuerunt secundum legem tuam. Lex enim praecipit pietatem, iustitiam, mansuetudinem, lenitatem: illi e contrario nugamenta nobis quaedam, nugiuenduli ipsi uanissimi, ac fabulas adeo mellitas obtrudunt, ut nisi aduertas, in errores pene inextricabiles, tanquam in altissimas prolabarum foueas. Hic quidem illos qui doctoris sibi arrogant cathedram, taxari arbitror. Non paruae id est doctrinae officium, non paruus labor, non parua cura. Vide, te obsecro, ne pro tritico lappae, aut infelix seratur lolium. Nam

{119.86} Omnia mandata tua veritas.

O excelse, non res friuolae, non superstitiosae, non adulatoria persuasiones, atque absque ordine ordinationes, aut falsa dogmata, quod proprium haeticorum est, illorumque qui uel rerum ignoratione, quas nunquam didicere, vel data opera, ea instruunt doctrina auditores ac discipulos, quae humana potius dici debet & superstitiosa, quam diuina & spiritualis. Ex quo sane fit, ut adolescentes malis imbuti exordiis, pessimum sortiantur finem in schola domini. Haec uera illa est persecutio, qua nostris interdum afficimur ab institutoribus, ne dicam institoribus, de qua sic quaeretur Vates:

{119.86} Iniqui persecuti sunt me, adiuua me.

Falsa quidem pro ueris, aut mundana pro coelestibus nostris edisserentibus praeceptoribus, a quo alio uera erit eruditio? Non immerito igitur additum est, adiuua me. Etenim

{119.87} Paulominus consummauerunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua.

Tantum, inquit, non prostrauerunt me in terram. Illud quidem est institutum inuiolabileque propositum in sanctis Dei, ut ad extremum usque spiritum legem Dei seruent. Possunt utique falsae illicio doctrinae haeretici, atque pastores indocti, illorum quassare animum, subuertere uero omnino non possunt. Nam Dei luce adiuti illustratique, radios tandem solis a caligine, nocteue obscura secernunt, ut hic Vates secreuisse sese fatetur. Illis, inquit, me illaqueare conantibus, humique sternere ui maxima adnitentibus, ego a tuae legis praescripto ne unguem quidem transuersum discessi. Quare

{119.88} Secundum misericordiam tuam viuifica me, & custodiam testimonia oris tui.

En quam sedulo misericordiam Dei implorat uir eo plenus, quae est unica legis intelligendae ratio. Etenim qui se ex se nihil, a Deo autem plurimum posse persuasum habet, quomodo non continuo, cum continuum requirat operatorem lex sacra, ad Deum, quo sibi re in tanta praesertim opituletur, uociferabit? Viua, igitur ut tua sit operatio, hoc est, in fide acta, diuina opus est misericordia: quocirca post misericordiae inuocationem mox intulit, vivifica me. Atque in hunc animatus modum, tua custodiam, o immense, testimonia, nempe omnia, quae de tua nobis testantur uoluntate.

Lamed.

{119.89} In aeternum domine uerbum tuum permanet in coelo.

Iam Dei uerbi perpetuitatem celebrat Vates, clamatque condita omnia siue in coelis siue in terris, illius parere dicto. Vis, inquit, tui sanctissimi uerbi, quo condita suo in esse perstant, perennem prae se fert in coelis primum constantiam. Etenim

{119.90} In generatione et generatione ueritas tua, fundasti terram, & permanet.

A mundi quidem primaria molitione usque ad illius occasum, fides tui uerbi, qua maxime stabilis, atque adeo tui semper similis appares, quo omni prorsus fuco aut inconstantia uacuis iudicaris, aeterna permanet memoria. Tu certe inter alia, quae tuam testantur cum fidem, tum potentiam, iussisti terram hanc inertem stabiliri, & stabilis actutum facta est. Ad haec,

{119.91} Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.

Etsi quidem dierum successiones, qui perseueranti, quemadmodum ab opifice formati sunt, perdurant ordine, non parum afferre uidentur laudis suo ipsi conditori, ut hic comprehendi potest, nihilominus litera Hebraeorum alium praefert sensum.

Sic illi: Iudicis tuis permanserunt hodie, & ad superiora referuntur, quae usque in hodiernum diem, secundum quod illis ab aeterno praescriptum fuit, durant, atque ad Dei iudicia ac voluntatem suam disponunt cursum. Omnia, inquit, tuo parent uerbo. Felix: Verbum, quod tam firmis nititur in Deo radicibus, at sempiternum omnino sit, atque ita stabile, ut ipsa potius coelorum moles ad terram ferri posse censenda sit, quam ipsum immutari. Et certe,

{119.92} Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea.

Passim pro afflictione, humilitatem uertit interpres. Porro ex rebus conditis Dei uerbi perennitatem eliciens simul & admirans, Propheta, in illo tanquam in unico suarum afflictionum refocillatore sese oblectat, clamatque: O iam video quo mihi confugiendum deinceps sit. Etenim, nisi tua a doctrina respirassem, o Deus, ab illaque uirtutem meae imbecillitati impetrassem, tum absque dubio funditus occidissem. Dicit non posset quam dire me afflixerant improborum iniuriae, uerum tua euestigio me recreauit lex, uitamque pene extinctam restituit. Quare

{119.93} In aeternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis uiuificasti me.

Obserua hic gratum animum, qui suam minime ignorans liberationem, liberatoris manum osculatur. Aeternum, inquit, tuum est uerbum, aeternae promissiones aeterna lex, aeterna erga homines benignitas: cuius beneficio tot a periculis ereptus, num ero ingratus? num tam praeclari doni uiuam immemor? num tuae legis, a qua uitam adeptus sum, non recordabor? Discerpar potius quam tum horrendae assentiar impietati: nanque illius usquedum uixero adhaerebo praeceptionibus, quia in ipsis uiuificasti me. Proinde nihil in me, quod meum sit, seruans, totus

{119.94} Tuus sum ego, saluam me fac, quoniam iustificationes tuas exquisiui.

Poterit ne dominus seruum, & illum quidem frugi, & care emptum, a sese abigere? oppressum auersari? Istiusmodi forsitan moris usus apud homines locum habet: in Deo autem istud uel tenue quidem imaginari, omne exuperat scelus. Cum itaque totus tuae sim mancipatus religioni ac legi, serua me obsecro, o benignissime nam tua diligentissime praecepta semperque & quaesiui, & perscrutatus sum. Idcirco

{119.95} Me expectauerunt peccatores ut perderent me, testimonia tua intellexi.

Testimoniis tuis, inquit Felix, prudens fui. hoc est, cum mei mihi insidiarentur aduersarii, casumque meum auide opperirentur, e lege tua, tanquam tui oris oraculo, quae illis respondere possem perdidici. In illa enim uti in politissimo speculo, quae quemlibet sua sors maneat, quidue firmitatis terrenae huiusce felicitatis umbra afferat, conspexi, ac tandem

{119.96} Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuam nimis.

Non est quidem res, inquit, in hoc mundo tam ad amussim absoluta consummataque, cuius finis non uideatur aliquando. Verum mandatum tuum, hoc est, lex sancta, ac uerbum, late absque fine protenditur. Condita omnia, quae humano subiecta sunt aspectui, interire aliquando necesse erit: sed Dei sermo nullo temporum occasu intercipitur, aut praescripto terminatur.

Mem.

{119.97} Quomodo dilexi legem tuam domine, tota die meditatio mea est.

Suum hic erga Dei legem animum, quam ardens uidelicet fuerit ac sedulus, ostendit Vates, uimque in se diuinam ad id peragendum miratur. Omnes, quos sciam, tum ex graeco, tum ex hebraeo uertunt, quam dilexi, cum admiratione: & est sensus: Mirum in modum tuam adamaui legem, in illaque contemplanda totus fui. Illa unica mihi semper fuit occupatio ac cura, ut tuam intelligerem ex lege uoluntatem. Ex qua quidem exercitatione haud parum mihi accessit commodi, sed illud in primis, quod

{119.98} Super omnes inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in aeternum mihi est.

{119.99} Super omnes docentes me intellexi, quia mandata tua meditatio mea est.

{119.100} Super senes intellexi, quia mandata tua quaesiui.

Vide quid bonorum afferat iugis diuinae legis meditatio, ex qua tanta anima

{pdf 792, p. 388}

interdum perfunditur luce & cognitione, ut non modo hostes ipsa suos quamlibet peritos, prudentia, coelestiumque rerum notitia superet, uerumetiam senes ipsos ac patres eruditissimos, praeceptores quoque multa imbutos literatura, antecellat. Vivax igitur ex lege fit anima, ingeniosa, erudita, prudens, diuina tandem & beata. Semper, inquit, mecum illa est. Atqui non perfunctoria rerum spiritualium debet esset meditatio non subita, non frigida, non ieiuna, sed frequens, sed continua, sed ardens, sed succi plena: alioqui non solum sapientioribus in doctrina spiritus non praestabimus, uerumetiam ipsis mulierculis ac pueris inferiores euademus, uulgoque, ut nunc fieri uideo, derisi monstrabimur digito: nos, dico, quibus etsi lex Dei non displicet, displicet tamen continuus illius usus. Proinde id necessario contingere cernimus, nostraque aetate admirando intuemur spectaculo, tam alta affici interdum secretorum coelestium cognitione uel mulieres, sexum nimirum ad uanitatem magis quam ad eruditionem natum, uel idiotas prorsus uiros, aut milites, ut si quid iam quod perfectionem uitae referat auditur, ab ipsis audiatur. O certe seculum aureum. In Campania, in qua nunc haec meditor, non est tam impense doctus concionator, quin ex unica cum mulieribus quibusdam confabulatione, peritissimoque congressu, tum doctior, tum sanctior euadat. In mea quoque patria, quod ego aliquando maxima animi uoluptate expertus sum, nisi aliud agerem, possem effari. Quanta, Deus bone, uidi afflatam spiritus immensitate: quanto in sororum sodalio conflagrasse incendio, quod uix inter eruditissimos meae

professionis homine mihi uidere contigit, coronam illam auream, gemmeam, Christique manibus contextam, & sensi, & fructum inde non mediocrem attuli. Passim audio per ciuitates secretissimo tum habitu, tum incessu, ad pias circumcursare spiritus officinas, ad hospitalia, ad puellas impetigine scabieque ac lepra infectas inuisendas curandasque, uiduas nonnullas nobiles absque horrore accedere, saniemque uulnerum non secus contrectare & abstergere, ac quondam uittas maritales odoramentis, suffitibusque preciosissimis aspersas contrectare consueuerant. Totus sane horreo cum haec commentor, pauidusque quem finem tandem istiusmodi sortiri uelit nouitas expecto. Interim uero cum propheta, imo uero potius cum prophetae Deo, qui pro me hic loquitur, tentabo dicere:

{119.101} Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam uerba tua.

Per imperatiuum reddit Campensis uersum, Auerte pedes meos: atque in hunc modum diuinae suus erit honos gratiae. Caeterum pedes uocat animae affectiones ac desideria, quibus tanquam pedibus & uehiculis, ad ea quae ardentius expetimus, ferimur, Reflecte, inquit, ab improbitatis itinere ad iustitiae semitam gressus meos, affectus utique animae uarios & uagos. Siquidem, quod sciam,

{119.102} A iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem posuisti mihi.

En iterum, ponere legem, pro edocere. Doctrina certe spiritus non sinit animam a diuinis diutius aberrare constitutionibus: ab his enim prudentiam edocta, factaque consideratior, recta facillime graditur. Atqui ea omnino est, quae ut uere, sic erudite, id quod sequitur, proferre potest:

{119.103} Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.

Miratur Vates unde tanta dimanet e Dei uerbo suauitas. Mel, quod nonnunquam diximus, pro suauitate eduliorum in scripturis sumitur. Quam suauem, inquit, gustum meo afferunt palato uerba tua: certe suauior is est, quam quem mel ullum aequare possit. haec sponsa. Sponsus uero amoris uices rependens, ita in Canticis amatoris respondet: Vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Quid, mi lector, suauitates hasce amplius Circaeas a sensibus uenaris? quid aliam, quae Dei non sit, aut ad Deum dirigat, doctrinam appetis? A sacra quippe lege, a Dei uerbo, a spiritus scriptura ac influxu, delectamenta illa oriri solent: quorum gustum qui semel hausere, quicquid uoluptatum formare potest mundus, fastidiunt. Ideo eiuscemodi sanctissimo allectus inescatusque lenocinio (liceat hic dolum sanctum, non sanctis uocibus exprimere)

{pdf 793, p. 388v}

{119.104} A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem uiam iniquitatis.

Soleant hic queri mei similes, lamentarique, quod in eo uixerint vitae statu, quo perdiscendi literas tum graecas, tum hebraicas, quarum peritia legis potissimum arcana revelari opinantur, sibi minus integrum fuerit. Scilicet germanam diuinae legis cognitionem non magis ab animo apprime candido, Deoque per amorem copulato,

haberi posse censebimus, quam a literato solum? Certe si rem attentius expendimus, linguarum notitiam splendidissimum quoddam in Dei Ecclesia sudus esse non ambigimus: sed eousque tamen, ut Solem ipsum nihilo secius absque syderum adminiculo inferiora haec omnia irradiare fateamur. Nam cum totum robur fidei atque Euangelii a Dei praeceptionibus pendeat, mirum si Christianus quae sint illiusmodi praecepta, quibus lex nititur, etiam absque literis se ignorare dicat. Ad haec, quae efficacior lex unquam fuit, aut esse potest ad uim spiritus assequendam, seruandasque diuinae legis iussiones, quam uita est Christi? Putandumne erit simplicioris fidei homines nequaquam posse crucis amplexus attingere, hoc est, crucifixum Christum, nempe legis consummationem assequi, nisi Hebraeos Christi crucifixoos consulant? Absurda profecto haec est persuasio, simulac compertum habemus numen secretissimo ueluti susurro unicuique salutis doctrinam instillare, modo homines cor porrigant atque assensum. Illud quoque periculosum, fideique Christianae non parum detrahens, doctores illos consulere, e quorum animis antiquum nondum deferbuerit in Christi nomen ac religionem odium. Quod quidem non ideo dico, quo iuuenes a discendis literis absterream, sed ut adhorter, moneamque, res suspectas cum delectu perdiscendas esse, atque ab illis quidem praeceptoribus qui hostes non sint. At tu uide quo suam fulcumento muniuerit legis cognitionem Propheta. A mandatis, inquit, tuis, quae facile intelliguntur, omnem hausit bene sancteque uiuendi rationem: quare ullo absque negocio iter illud, quod tuis a semitis abhorret, cavi.

Nun.

{119.105} Lucerna pedibus mei uerbum tuum, & lumen semitis mei.

Diuus Petrus ad Dei nos sermonem, tanquam ad lucernam lucentem in caliginoso loco, animum intendere suis in Epistolis hortatur. Sanctissima sane apostolorum principis admonitio. Nam quemadmodum hi, qui in labyrintho aliquo diuagantur, frustra exitum sperant absque lumine: ita in infinitos, prorsusque inextricabiles impingere peccatorum maeandros illos necesse est, qui uitam hanc aerumnosam sine uerbi Dei luce posse uiuere somniant. Quod quidem bene noscens tam scitus uir exclamat: Pro lucerna, faceque lucidissima per id uastissimum errorum mare caecutienti mihi fuit uerbum tuum, lumenque praebuit semitis hisce parum tutis tua sancta lex. Cui sane beneficio respondens,

{119.106} Iurauit, & statui custodire iudicia iustitiae tuae.

Id proprium bene institutarum mentium est, nouis sese quotidie excitari stimulis nouaque uitae innouandae Deo uota nuncupare. nam cum se cernunt nullo posse unquam, quamuis firmato, tam obnixe conari studio, ut (quod maxime cupiunt) ea qua conuenit animi integritate Dei legem seruent, stomachantur fere secum, reprehenduntque suam tarditatem, atque proinde recentioribus sese in dies macerantes desiderijs, nouam Deo promittunt quotidie uitae formam. Iurauit, inquit & quod iurauit re praestabo, efficiamque ne in his seruandis, quae tu iustissimo seruari praecepisti iudicio, periurus uidear. Noui enim quantae sit efficaciae tuis a mandatis non deficere. Fateor enim quod

{119.107} Humiliatus sum usquequaque domine, tu interim, quae tua est fides, vivifica me secundum verbum tuum.

Iterum, humiliatus sum, pro afflictus sum, vertit interpres. Valde, ait, afflictus sum, ualde exagitatus, ualde, imo uero potius supra uires oppressus. Verum tu quemadmodum es pollicitus, me in uita conserua, subindeque

{119.108} Voluntaria oris mei beneplacita fac domine, et iudicia tua doce me.

Voluntaria oris, uocat gratiarum actiones, quas tanquam hostias, non pro reatu qui-
[quidem]

{pdf 794, p. 389}

-dem aliquo, aut legis praescripto, sed uoluntario sacrificandi ritu oblatas offerre consueuerat, ut nonnullae erant uictimae in lege ueteri. Sunt tamen qui uoluntarias istiusmodi oblationes ad fidei doctrina, confessionemque referant, quae non solum libero uoluntarioque proferri debet spiritu, aut edoceri, uerumetiam auditores liberos, nulli scilicet superstitioni addictos, reddere. Piae igitur eae meae, inquit, tibi gratiae sint preces, gratiarumque actiones, ac iudicia tua mox mihi per te innotescant. Siquidem

{119.109} Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus.

Scema [sic] id est hebraicum: nam nihil aliud esse, animam in manu ferre, seu habere, asserunt, quam in periculis uersari. & est perinde, quasi id diceret Vates, quotidie periclitor. unde mox intulit: Posuerunt peccatores laqueum mihi. Ita igitur animam in manu portare, uaria uitae discrimina subire exponunt, citantes illud Iob: Quare, inquit, lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis. hoc est, omnium iniuriis obuiam, expositamque periculis. (Liceat obiter haec annotare. Carnes nostras dentibus lacerare dicimur, cum dolore aliquo immensi affecti miserandum in modum excruciamur.) Sic quoque de Pythonissa illa legimus, quae Sauli dixit: Ecce obediuit ancilla tua uoci tuae, & posui animam meam in manu mea. Ait itaque uir sanctus: Vitam meam omnium libidini obnoxiam porto, ueruntamen neque sic tuae legis memoriam abiicio. Sunt & qui hunc uersum de arbitrio interpretantur humano: uerum uideant qua id scripturarum autoritate fulciant. De periculis his quidem, quibus mortales in dies magis fiunt obnoxii, loquitur Vates, quocirca statim addidit:

{119.110} Posuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erraui.

Errant enim a diuinis mandatis, qui uariis improborum iniuriis lacessiti, afflictique calumniis, adeo exanimantur, ut animum, spe interim diuinarum pollicitationum abiecta, despondeant. Id certe non docet lex Dei, sed illud potius, ne in periculis malisque irrogatis, a fidei doctrina secedamus, cuius ea in primis est instructio, ut,

quaecumque emergant incommoda, eo feramus animi robore, persuasioneque, quod Deus suis deesse non possit, licet nostras nonnunquam oppressiones uidere dissimulet. Passim, inquit, dolos, insidias, fictasque delationes, atque artes id genus alias subdolas & acutas, tanquam laqueos mihi obiecere nefarii isti persecutores, a tua tamen lege ne pedem quidem dimoui. Etenim

{119.111} Haereditate acquisiui testimonia tua in aeternum, quia exaltatio cordis mei sunt.

Oro, quid gratius nobis in humanis, caducisque fortunae bonis obtingere potest, quam bona sunt haereditaria? Quo igitur suum erga diuinam legem patefaceret affectum, ait illa sibi uice haereditatis extitisse, hoc est, unice dilectam, exin oblectamenta cordis ingentia sumpsisse. Testimonia, inquit, tua meae fuerunt deliciae. Idcirco

{119.112} Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum, propter retributionem.

Seruile ferme id uidetur, Dei legem amplecti, atque illius inhaerere decretis, spe tantum praemii. Quare aut omnino particula haec est eradenda secundum Hebraeos, aut mitius reddenda, ut sic reddunt quidam: Accommodaui cor meum ad facienda statuta tua, in aeternum, usque in fine. Indicat Felix posse etiam legi, usque in praemium, hoc est, donec appareat quid pietas receptura sit: uel, ut ipse interpretatur, Praemium est facientibus ea. Alii etiam uertunt, non sine causa. Et ego puto causam istiusmodi ad id impellente esse, nostram erga Deum atque illius praecepta dilectionem, quae propria filiorum est uirtus, qua legis onus leue fit & suaue, alioqui grauissimum seruis ac mercenariis. Amor igitur perfectio est legis.

Samech.

{119.113} Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.

Alio in psalmo clamat Vates, perfecto sese odio odisse impios. Vertunt nonnulli, iniquitatem execratus sum: sed idem sensus: nanque in homine, non ipse homo habendus est stomacho atque abominationi, sed scelera, sed uitia ipsa haerentia animo. unde additum est, Et legem tuam dilexi. semper enim amandus est homo, quamlibet sceleratus, quatenus homo est, proinde ad capessenda coelestia idoneus: uerum ipsa animi improbitas, factaque a Dei lege abhorrentia, detestanda. Sed quoniam ita in immensum huiuscemodi accreuit homini lues ac uis, ut pene ipsi etiam

{pdf 795, p. 389v}

perfectissimi uiri ab illorum obruantur impressione atque impetu, ideo adiunxit:

{119.114} Adiutor & susceptor meus es tu, & in uerbum tuum supersperaui.

Sic Felix: latibulum & scutum meum tu. Haec omnia tutum Dei esse praesidium denotant. Si quidem ab ineuitabili fortunae uulnere ac telis impetitur, fugamurque trepidi tanquam dispalati milites ex acie, inuenitur in deo perfugium, inuenitur uallus,

arxque hinc inde abrupta, atque idcirco hostibus inaccessa, ac tandem genera omnia amorum abunde suppeditantur, modo non frigeat in nobis fiducia ac spes, qua tota respersa est Dei lex. Quoniam, inquit alio in psalmo, in me sperauit, liberabo eum: hic uero, in uerbo tuo spem omnem meam esse uolui, quia sanctissimo firmatum est amoris clauo: uerba autem hominum fallacia plerunque sunt atque odiosa. Quocirca

{119.115} Declinate a me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.

Maximo semper fuit tranquillis animis impedimento facinorosorum hominum inquietudo, ac, quo sursum deorsum agitari solent legis Dei studiosi, odiam, iunctaque cum potestate maleuolentia. Quo igitur liberius, tranquilliusque diuinis nauare queat operam constitutionibus uir pius, orat e medio tolli quaecunque tam sancto aduersantur studio & conatui. Facessite, inquit, proculque abite, o maligni, o pacis osores, o quibus pro ludo est alienam turbare tranquillitatem ac requietem, ne mihi mandata Dei mei seruare efflagitanti intertrimento sitis. Tu uero domine sublatis prorsus obicibus,

{119.116} Suscipe me secundum eloquium tuum & uiuam, & non confundas me ab expectatione mea.

Dilucidior esset litera si, sustenta me, uertisset interpres, aut, ut reddit Paraph. conforta me. hoc est, me in hac cruenta ac laboriosa uitae harena, in qua pene propter hostium atrocitatem uidere mihi uideor iamiam periclitandum esse, fulci, recrea, tuique uerbi consolatione refocillans, me, ne omnino succumbam, serua: atque ad hunc modum mea non frustrabor, quam in te habeo, expectatione ac fiducia. Obserua, quod saepe replico, unde uires istiusmodi cum mundo pugnae suppeditentur, unde fauor, unde uictoriae spes, nempe a Deo. Proinde sanctissimum hunc seruant morem meae professionis tyrunculi, qui posteaque uota illa sua coram Deo, testeque Ecclesia nuncuparunt, tanquam cum acerrimis hostibus praeliaturi, haec eadem supplicabundi proferunt uerba: quibus de more pronunciatis, cruceque prius uice nimirum iusiurandi impressa arae, uitae tandem obitum profitentur: hoc est, se inutiles prorsus mundi negociis fore deierant, idcirco se suas aequae deinceps instituturos uitae actiones, ac pii solent mortui, qui tumulis conditi, in Deo tamen vivunt. Quare ubi Benedicti monachum curas mundi auide libenterque admittere, atque inde gloriam uenari conspexeris, mortuum negociari dicas: qua re quid monstrosius? Memini equidem Prosperum Fautinum primum meae religionis uirum, ex me adhuc iuuenem, sed studioso, sciscitatum fuisse: Ecquod unquam legissem deformius in libris monstrum? . Ego, qui fabulis legendis nonnihil horarum aliquando impendissem, respondi. Chimaeram id esse, aut Hippocentaurum, aut, si haec non satisfacerent, biformem nefandae Veneris monumenta Minotaurum, Cerberumue trifaucem. Et cum alia item connumerare uellem monstra, sermonem interceptit: Erras, inquit, monachus id est ambitiosus. Exhorruui fateor, Sed ad institutum reuerto, meique non omnino immemor periculi, cum Vate clamo:

{119.117} Adiuua me, & saluus ero, & meditabor in iustificationibus tuis semper.

Rursus conforta me, aut sustenta, aut consolida, uertunt ex hebraeo. Unde sic Paraphrastes: Sustenta me, & saluus ero, & oblectabo me tuis mandatis quoad uixero.

Cum haec, atque horum similia mihi legere contingit, occurrit statim animo, imo uero interdum oculis, cum uinearum huius mei secessus clium animi causa peragro, quomodo uitis per se nonnunquam luxurians proserpat humi, atque hinc inde diffundatur, syluescatque omnino, absque arbore, aut pedamento, quo fulcire queat, alio. Quo quidem spectaculo uires humani arbitrii tunc mihi affabre musiceque depingi coniecto, quod absque Deo posse se aliquid sibi persuadet. Id sane in frondes absque fructu abire necesse erit. Unde non ab re est, quod Va-
[Vates]

{pdf 796, p. 390}

-tes tam anxie legis Dei notionem sibi impartiri postulat. Siquidem ex illius neglectu, illud etiam quod sequitur necessario contingere oportet. Quid illud?

{119.118} Spreuisti omnes discedentes a iudiciis tuis, quia iniusta cogitatio eorum.

Spretis quidem legislatoris cuiuspiam praeceptionibus, spernitur & legislator: qua propterea lacessitus iniuria, quid putas? adeo infelici contemptores istiusmodi afficit compensatione, ut illos uicissim spernat, ac, uti res solent nihili, proiciat. Eam ob rem a Vate secundum literam Hebraeorum additur: Velut scoriam delesti omnes impios terrae. Noster uero,

{119.119} Praeuaricantes reputaui omnes peccatores terrae, ideo dilexi testimonia tua.

Iam illud non praetereundum, quod in superiori uersu nostra habet aeditio, Iniusta cogitatio eorum, Hebraeis esse, falsitas, seu dolus cogitatio eorum. Et ad eos refertur, qui cum multis sese obligauerint nominibus ad Dei legem seruandam, nihilominus tamen animo cogitant, quam quod ore polliciti sunt, re praestent. Hypocritae hi uocantur, quibus ea in primis mens est, ut boni uulgo appareant: lues nimirum totius orbis tam perniciosa, quam quae alia perniciosissima. Velut scoriam, inquit, a nitido secretam argento illos reiicies, pro nihiloque habebis. Utcunque callide simplicioribus imponere consuescant, mihi non imponent: siquidem transgressores illos semper tuae esse legis existimaui, idcirco pessimos cum terrae, tum tuae potissimum religionis corruptores arbitratus sum. Verum equidem non propterea a tuis discessi admonitionibus, sed illas dilexi, ac, ut res solent charae, diligentissime conseruaui. Tu interim

{119.120} Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui.

Tametsi enim precatio illiuscemodi pia admodum sit, qua petimus carnem hanc nostram petulantem, rebellemque spiritui, ac undequaque efferam, coerceri, Deique timoris clauo transuerberari, ut hic rogari uides: at ea tamen non uidetur modo esse mens a Vatis, sed illa, quo ostendat miserandum se in modum uisa improborum ultione consternatum. Ait igitur: Adeo se uere, mi Deus, improbos istos tuae religionis irrisores attriusti conculcastique, ut prae metu totus obriguerim, atque a iudicis tuis, secundum

quae poenas illos dare coegisti, exterritus, pene insaniuerim. Sic Fel. Consternata est, seu exhorruit prae timore tui caro mea, & a iudiciis tuis expaui. Hinc clamat Salomon: Pestilente flagellato sapientior erit paruulus.

Ain.

{119.121} Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me.

Paraphrastes, feci, uerbum ad Deum refert. Facere, inquit, soles quod iustum est & aequum, quare non me relinques tyrannidi opprimentium me. Alius uero faciam uertit. Caeteri cum nostro legunt, feci. Verum illud adnotandum, Prophetam quid in re agi debeat spiritus, aut in communi ciuium conuictu seruari oporteat, nos admonere, cum ait, illud sese iam, quicquid illud fuerit, egisse, ne iactantiae tam sanctum uirum insimulandum ducas. Porro iustitiam ad fidem pertinere non raro alibi diximus, iudicium uero ad mores. Quare cum quempiam uideris Dei religioni fauere, atque inter ciues populariter adeoque prudenter suas instituere actiones, ut nemini grauis sit, quamplurimis autem commodus, hunc ad iustitiae iudiciiue regulam suam direxisse uitam, calculis omnibus asseuerato. Feci, inquit, iudicium, feci iustitiam, feci quaecunque tibi grata fore mihi persuasi, unde maxima mihi conflata est apud improbos inuidia. Tu tamen (quid illi ex se possunt?) ne meam sinas illorum libidini obnoxiam esse innocentiam, sed potius

{119.122} Suscipe seruum tuum in bonum, non calumnientur me superbi.

Nonnulli uertunt, sponde pro seruo tuo in bono: hoc est, pro tuo esto seruulo uas ac praes in tui gloriam. Alii uero, oblecta seruum tuum bono: quod bonum sanctam esse legem, quietamque cum caeteris consuetudinem, interpretantur. Paraphrastes autem: Instiga seruum tuum ad bonum, ne opprimant me superbi. Sed neque, suscipe, uerbum suo caret mysterio, estque ea prolatum ratione, qua superius cum dixit: Suscipe me secundum eloquium tuum & uiuam. quod sane unicum bonum est animae, ita a coe-[coelesti]

{pdf 797, p. 390v}

-lesti patre suscipi, atque, uti consuescunt pueri inter ulnas nutricis, foueri, ut tuta omnino sit, adolescatque in Deo. Mirum si sic protecta anima, nefandorum hominum iniurias, addo & daemonum irritamenta, multifaciat. Ita absque dubio affectus fuit Dauid, sed sublimiori ratione Christus, qui extra hanc uixit aleam: & tamen mihi ad lapsus prono subtimens, meque quid opus sit factu in re praesertim tam seria admonens, pro me hic clamat:

{119.123} Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium iustitiae tuae.

In expectando, inquit, salutem mihi abs te iustitiae uerbo promissam, pene diu nimium suspicientes lusciosi facti sunt oculi, atque hallucinantes. Quod enim oculos prae diuturna salutis expectatione, atque subinde ad Dei eloquium caligasse fatetur, ob id dicit, quoniam quicquid spei salutis concipiunt electi, id omne Dei uerbis ac

pollicitationibus referunt acceptum. Verum multo ad illud assequendum peropus est studio ac labore. Cunctando fere laborandoque coelestia nanciscimur dona. Cum itaque res spiritus ita, ut dixi, se habeant,

{119.124} Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

Agedum, inquit, fac, quid me praestolari cogitas? quid conari tanto maxime in negotio? an meam interim ut iactitem uirtutem? arbitrium? bonam mentem? Minime id quidem omnium, sed tuam hic imploro misericordiam. Secundum igitur illius suauitatem meas dirigi uitae rationes uehementer cupio, petoque ut tu, non ficti isti praeceptores, me tuas condocefacias constitutiones, praecepta nimirum uitae ac salutis. Nam

{119.125} Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Vide effectum diuinae clementiae, cum mens ad coelestes peragendas iussione illustratur. Eam mihi, inquit, elargire lucem, quo tua intelligere queam praecepta. Atqui in praeceptis, Dei intelligitur uoluntas: qua deinde perspecta, sed remisse, consultoque atque de industria contempta, seruus qui id agit, uerberibus, ut ait Christus, uapulabit multis. Ceremonias tuas, reddit Campensis. Nam ueteres quaecunque ad diuinum pertinebant cultum, ceremonias appellabant.

{119.126} Tempus faciendi domine, dissipauerunt legem tuam.

Res ista est propter quam maximo afficiuntur dolore electi, cum cernunt sceleratos quosdam non legem modo transgredi, uerumetiam alios ad id impietatis genus tum hortari, tum cogere. Tempus faciendi, ad tempus quo puniendi essent legis transgressores, referunt nonnulli, inter quos est Paraphrastes, qui sic uersum interpretatur: Tempus appetit, quo sumpturus es de impiis supplicium domine: nihili enim fecerunt doctrinam tuam. Alii uero tempus id esse asserunt, quod ad Dei iussa facienda idoneum sit, & quod tempus gratiae nuncupant, seu, ut aliis uisum est senectutis. Nec displicet interim quod subindicat Felix, ut sit sensus: Tempus mihi est faciendi domino: hoc est, ut seruiam domino, atque illius paream praeceptionibus, uel eo maxime, quod alii dissipauerunt legem tuam, atque is sensus ad ea quae dicta sunt, conuenire uidetur. Idcirco etiam subnectit Vates:

{119.127} Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion.

Illi, inquit, tuas nefandissimis dehonestarunt ausibus ordinationes, suas interim subrogantes: ego uero tuae legi addictus, quaecunque praecipis auro omni antepono ac topazio, gemmae nimirum elegantissimi coloris ac uirtutis. Aiunt enim inter caetera uim topazio inesse praecipuam, quod lasciuos motus, atque appetentias uenereas restinguat, si quis illum gerat collo alligatum, aut in anulo. Ut uera haec sint, celebrius remedium est assidua in Dei lege meditatio, &, ut inquit Vates, dilectio. Sunt tamen qui pro topazio, gemmam simpliciter transferunt, seu obryzum, nempe aurum purgatissimum. Vult hic Vates Dei legem rei cuiuslibet preciosae praeponderare, infertque:

{119.128} Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.

Scitum id est omnino ac salubre, quicquid egeris, ad divinarum praeceptionum regulam ac perpendiculum aptare & dirigere, ut hic se egisse fatetur Vates. Ad hoc

{pdf 798, p. 391}

enim conditae sunt leges, potissimum diuinae, quo homo natura uagus, atque ad uitae dissolutionem pronus, habeat quibus sese praeceptis, tanquam lupatis ac fraeno, coerceat, contineatque in officio. Nihil diuinius sane in terris esse iudico lege optime instituta, ac rationis temperamento sancita, nihilque a religione abhorrente, docta, graui, & quae laudem pariat conditori, non contemptum ac derisionem. Vide quid hic de Dei lege sentiat Propheta: Mandata, inquit, tua (sic reddit Campensis) iustissima esse iudicauit: hoc est, undequaque absolutissima quare omne genus uitae fucatum odio habui.

Phe.

{119.129} Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea.

Admiratur uir sanctus reconditam sapientiam in lege Dei, ita tamen contemperatam, ut paruulis etiam obuia sit: imo uero magis illis facilis, qui simpliciori uitae genere atque appetentiarum munditiae coelesti fidem habent doctori, quam sapientioribus huius mundi dynastis, qui plerumque proprio confisi ingenio nihil approbant, nisi quod intellectu percipi posse opinantur: atque hoc modo summam salutis animarum, nempe fidem, subuertunt. His quidem diuinae legis mysteria admirationi nequaquam esse possunt, cum illo sita sint loco, cuius aditus fidei magis, ratiocinationi humanae panditur. Caeterum de mirabilibus, quae in Dei lege delitescunt, mysteriis, in tertio dictum est psalmi huius octonario. Reuela, inquit, oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Hic uero, digna admiratione tua sunt testimonia, o Deus: ea nimirum omnia, quae de suauiissima tua nobis testantur uoluntate. Quare illa, ut potui, perscrutatus sum, in illisque peruestigandis totus fui. Custodiui ea, uertunt quidam. Paraphrastes uero: Obseruauit eas, scilicet caeremonias, anima mea. hoc est, ex animo, non fucate, non inconstanter, non meticolose, tuam seruauit legem. Nec frustra quidem: nam

{119.130} Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.

Hoc est, cum primum tuae legis aperiuntur sensa, in lumen, in simplices facileque suasibiles illa apprehendunt fide homines, quae ingenio nequeunt doctiores. Eam ob rem

{119.131} Os meum aperui, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.

Anxium haec uerba prae se ferunt ad percipiendam Dei sapientiam in lege animum. Habitum ferme prae nimio rei cuiuspiam desiderio anhelantis, crebroque spiritum trahentis remittentisque, expressit Vates. Haud secus, inquit, anxie tua intelligere praecepta desideravi, quam anxie spiritum anhelus trahere consuesco. Ore meo, ait Paraphrastes, ueluti hiabam, ut assequeretur prudentiam. Ite nunc, quibus adhuc persuasum est, habitu nescio quo inertis mentis atque supino, posse hominem satis Dei legi facere. Sollicita sane, ut hic uides, atque flagranti opus est cura ac studio, ad illud adipiscendum, quod totum animae conatum expetit, quodque mediocritatem fere auersatur, nedum inanitatem, ac confusum in re tam necessaria principium. Verum tu domine

{119.132} Aspice in me, & miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum.

Miserere mei, inquit, ut eorum consuescis, qui tuum diligunt nomen: hoc est, te, nullamque suis in benefactis uulgo aucupantes gloriam, quicquid in se habent, quod laude dignum sit, tuum ad honorem referunt. Id igitur iudicium illorum est, quibus Dei honor magis cordi esse solet, quam proprius: idcirco illum supra omnia tum quaerunt, tum diligunt, cum interim caeterorum iudicium sit, Deo posthabito, se tantummodo spectare, ac propriis inseruire commodis. Modo regnemus, inquiunt, quid ultra? Pene definiunt animas eundem cum corporibus nancisci finem. Tu

{119.133} Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia.

Quo enim aliquando ad eum iudicii nitorem perueniat, quem Dei amatoribus conuenire asseruit Propheta, rogat suos, prout suggerunt Dei eloquia, firmat gressus, nempe studia, atque affectus animi: qua quidem re impetrata, facile & il-
[illius]

{pdf 799, p. 391v}

-lius quod sequitur compos sit uoti. Non dominetur, inquit, imperiumue habeat in me improbitas aliqua. Tametsi enim nonnunquam, quae est conditio mortalium contingat hominem errare, labique, non eousque tamen lapsibus delectetur, ut illis, tanquam dominis, dicto pareat, libenterque neglecto Dei timore, inhaereat. Hac, cedo, motus doctrina Paulus clamabat: Non regnet peccatum in uestro mortali corpore. Verum quo id expeditius assequar,

{119.134} Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua.

Calumniam definit Hieronymus esse accusationem uafre doloseque confictam in aliquem: quam sane uir probus tam horret, timetque interdum, quam quiduis aliud maxime horrendum, atque adeo id potissimum, si iudices uenales sunt, ac spiritu Dei uacui. Assere, inquit, me a fucosorum hominum calumniis, quo libere tuas seruare possim institutiones. Insuper

{119.135} Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.

Fauorem diuinum, quem uultus Dei illuminatione appellare libuit, implorat. Sentiant, inquit, calumniatores mei, quam libenter oppressae fauere soleas innocentiae. Tuos exere tandem radios, o sol, o paraclete, o salutaris fax mentium ac flamma, & me tua edoce decreta. Nam hi ignari sunt atque indocti, quos eruditissimos ob demandatum illis officium esse oportuerat. Quocirca

{119.136} Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

Dum, inquit, non ades, non illuminas, non redimis, non custodis, a calumniatoribus autem male audio, uideoque commutato rerum legumque ordine, probos atteri, improbos exaltari, en interim totus in lachrymas colliquesco. Quid lachrymas? Riuos quidem, & hos interminabiles, hisce ab oculis erumpere cerneres: quia tuam spreuerunt legem hi, nempe nefarii homines. Pius profecto is est fletus, cum quis ob desertam Dei legem a quamplurimis, flet, moeretque inconsolabiliter. atque is proprius est sanctorum hominum fletus, ac lachrymarum ratio & causa.

Zadik.

{119.137} Iustus es domine, & rectum iudicium tuum.

A iustitia atque aequitate laudat Dei legem Propheta, aitque: Quicquid sanxisti, quod siue ad religionem, siue ad politicen attinet, aequum est, iusteque sancitum. ob quam rem

{119.138} Mandasti iustitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis.

Interpres fere pro ualde uehementerque, nimis transtulit: quod aequae pollet, atque, mandasti ac fidem tuis coniunctas ualde esse mandatis. Etenim quacunquae praecepisti, iustitia sunt ac fides. Iustitia quidem, quoniam propria motus bonitate, nihil non bonorum mortalibus promisisti. Fides uero, quod quae promisisti, nulla nostra irritatus perfidia, aut illectus merito, re praestas. Hinc porro

{119.139} Tabescere me fecit zelus meus, quia obliui sunt uerba tua inimici mei.

Ferme idem est, quod in superiori proxime dixit octonario: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam, ut custodierunt ad Dei hostes referas, non ad oculos. Caeterum zelus, laudabilis illa est animi passio in scripturis, qua pro re uehementer amata excandescimus, Sic Christum ob domum patris, flagitiis, emptionibus, uenditionibusque, atque propterea callidis dolosisque licitationibus conspurcatam a sacerdotibus, zelasse olim legimus. Vocat igitur suum zelum propheta permotionem illam animi, qua non nisi immensa cum molestia uidere poterat Dei legem, etiam a legis peritis, pessimo multitudinis exemplo, pessundari. Me prorsus tabidum, inquit, reddidit ob moerorem zelus, iraque ab amore tuae religionis excitata,

quod tuarum obliti fuere praeceptionum hostes mei. Et quidem mirum haudquaquam esse debet, si ob tuam turpificatam legem, foedatasque constitutiones exarsi: nam

{119.140} Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud.

Aptissimum profecto diuini eloquii *epitheton*, ignis. quanquam non ignitum, sed aut purum, aut, ut uertit Felix, examinatum, reddunt ex hebraeo: hoc est, tanquam au-
[aurum]

{pdf 800, p. 392}

-rum igne depuratum, excoctumque pluries. Alio in psalmo Dei eloquia comparat argento igne examinato, purgatoque septies, hoc est, perfecte. Quis tantam non amaret in auro perfectionem? nihil tamen prae Dei uerbo, quo abunde ditantur animae, illo uero absque satietate corpora solummodo, ut est aurum, argentum, aut quiduis aliud e terra erutum preciosum. His itaque rebus fortunae stolidissimae ludibrio expositis, ab animo reiectis, in his quae Dei sunt, nempe aeternis, noster figendus est amor atque intellectus. Quam sane rem optime intellexisse Prophetam hic uideo. Seruus, inquit, tuus dilexit illud, uerbum scilicet tuum super omnia desiderabilia expetendum.

{119.141} Adolescentulus, fateor, sum ego, & contemptus, iustificationes tuas non sum oblitus.

Hic mihi Vatis mansuetudinem, simul & extremum sui neglectum considera. Paruulus, inquit, ego sum, atque contemptui habitus: tamen neque propterea tua asper natus sum praecepta. Id dixisse idcirco Vatem asserunt, quod diuinarum promissio num, addo & legis beneficio, e statu illo abiecto pastoralis, ad regiam insperato euectus fuerat dignitatem. Suae enim pristinae conditionis haud immemor tantus rex, adeo contemptim res hasce mundi instabiles tolerauit, ut se pluries nihil omnino esse in oculis domini, fassus fuerit. Quid nostri ex sese nati? Deus bone, quis tumor? Talpas diceret e terra exire elaborantes. Aurum certe, honores, magistratus, plausus uulgi, contrario penitus Vatis, imo uero Christi instituto, anteponuntur Dei uerbo: cuius iustitia, bonitas nimirum, atque aequa tum poenarum, tum praemiorum ponderatio, aeterna est, iustitia uero hominum cito desitura. Ideo infert spiritus:

{119.142} Iustitia tua iustitia in aeternam, & lex tua veritas.

Hoc est, quicquid de tua iustitia loquitur lex sacra, uerum est: quicquid promittit, firmum ratumque, quaecumque occurrant aduersa, perseuerat. Quare si nonnunquam angore aliquo animi intolerando affectus, deficere, planeque interire uisus sum, ad tuae statim legis consolationem recurri. Si morbo attritus, si improborum iniuriis atque odio obnoxius fui, si a regno, si a patria, si a propriis eiectus laribus, si male mihi audire etiam ab ipsis meis familiarissimis amicis contigit, si proinde maxima aliqua, atque adeo iniquissima

{119.143} Tribulatio & angustia invenerunt me, tunc sane, mandata tua meditatio mea est.

Ex hebraeo: Mandata tua delectationes meae. Quoties, inquit Campensis, ad uersu aliquid, & quod me premeret, accidisset, mandatis tuis consolabar me. Nam

{119.144} Aequitas testimonia tua in aeternum, intellectum da mihi & uiuam.

Idem repetit, quod in alio dixit uersu: Mandasti iustitiam testimonia tua. Modo uero, aequitas seu iustitia sunt testimonia tua: hoc est, iustitiam cum tuis coniunctam esse praeceptionibus uoluisti. Caeterum id ita esse fac me plenius intelligere, quo uiuam. Siquidem e rerum eiusmodi scientia ac doctrina, uita animae oriri solet, quemadmodum ab illarum ignoratione error omnis atque superstitio, e qua mors, suum habent exordium.

Koph.

{119.145} Clamaui in toto corde meo, exaudi me domine, iustificationes tuas requiram.

Quid necessitudine aliqua coactus Vates egerit, quidue nos agere oporteat, ut in aliis plerisque psalmis, ita in hoc ostendit octonario plane diuino. Clamaui, inquit, toto pectore. Quid illud? Praeuenerunt oculi mei ad te diluculo. Ita sane perpetua tenentur cura erga Dei legem, resque omnino spiritus, sancti Dei uiri. Et certe simulac adeo in immensum percrebuerunt in mundo scelera, uariaque crucis genera, oblata nimirum sponsae a coelesti parente, quo antiquum dediscat peccandi usum, in dies emergunt, passimque non modo ab ipso inuisibili exagitamur hoste, sed etiam a uisibilibus, illicio scilicet uoluptatum, cupiditatumque irritamento, corrupto in moribus, in iudiciis, in imperiis orbe terrarum uniuerso, ad Deum, ad patrem nostri amantissimum uociferandum erit, & id quidem toto corde nostro, toto affectu, totis animae, ut sic loquar, interaneis. Clamant nonnunquam homi-
[homines]

{pdf 801, p. 392v}

-nes qua cantu, qua luctu: uerum illis aeneum factum est coelum, quia corde nequiquam toto clamant, quia affectu prauo imbuti clamant, quia animo adhaerent mundo, natura Dei beneficentiae ingrato, hostique acerrimo. Ita nunc fere sunt res spiritus. At quae sit tandem uera clamandi ad Deum ratio, breuissima commonstrat uia Propheta, dicens: Iustificationes tuas requiram, seu custodiam, ut uertit Felix. In solerti igitur, uoluntariaque mandatorum Dei custodia, obseruationeque, qua nostra maxime constat religio, situs est uerus deprecandi numinis cultus ac modus. Caeterum quid suo in clamore spectarit Vates, mox intulit, dicens:

{119.146} Clamaui ad te, saluum me fac, ut custodiam mandata tua.

Equidem difficultatem illam, quam in seruanda Dei lege nobis effingimus, magis nostrae adscribendam esse ignauiae, ac turpi ocio, arbitror, quam legi ipsi, alioqui uel ipsis pueris obuia ac facili: sed quae tamen gnauum, continuumque efflagitat operatorem,

non cessatorem, ignauumque, qui intercalariis (ut sic dicam) quibusdam litare soleat Deo, tum uotis, tum actionibus, obseruatorem, Et tamen praeceptum illud extat Dei inuiolabile: Non recedet, inquit, uolumen legis ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus. Quare Dei lex naturaliter factu nequaquam difficilis, fit ardua, ac plane absque Dei ope inaccessa. Idcirco mihi, quantum maxime potero, clamandum erit: Saluum me fac domine? hoc est, a letali hoc meo me asserens torpore, atque animi incogitantia, da uires, quo tuas possim custodire constitutiones. Quod uero ad me attinet,

{119.147} Praeueni in maturitate, & clamaui, quia in verba tua supersperaui.

Praeueni ante tempus, uertit Euthymii interpres: quod ex hebraeo reddi posset, mature. hoc est, ante diluculum euigilaui, praeuenique crepusculum. Verum unde tam anxia e cubili surrectio? quoniam, inquit, spes mihi omnis tuis esset in pollicitationibus, quas quidem totas noctes stertentibus, effoeminateue ociantibus, nunquam obuenerem sat scio. Ad haec

{119.148} Praeueni oculos mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.

Hic illos admoneri a spiritu arbitror, qui etsi noctis uigilias, quae apud Hebraeos quadrifarie diuidebantur, anteuertere consuescunt, non id tamen actitant, quo Dei legi quietius incumbant, sed ut scelera occultius tenebris obtegi perpetrent aut studio nescio quo uano literarum scriptionibus uacent inutilibus omnino, aut etiam, ut ait quidam, rem spe lucri auare admodum diariis conduplicent papyris. Praeueni oculos, inquit, excusso penitus somno, mei oculos noctis uigilias (eo tempore conticescunt omnia, carnisque arrogantia acrius referuescit, oppugnatque spiritum) ut legis intelligendae studio nauarem operam, in illaque intellecta me oblectarem. Igitur quando sic tua a gratia expectatus clamo & uigilo, tu

{119.149} Vocem meam audi secundum misericordiam tuam domine, & secundum iudicium tuum uiuifica me.

Valde dubiae res se nostrae haberent, si ex qualitate affectuum, nostrum metiretur erga se animum Deus. Ideo convenientissimum humanae inuentum est imbecillitati temperamentum, Dei misericordia: cuius uirtute ac fauore, nostrae alias reiiciendae, exaudiuntur deprecationes, grataeque Deo fiunt. Id sensit Vates, ubi suam audiri uocem misericordia Dei mentione facta, orauit dicens: Vocem meam pro tua exaudi misericordia, ac secundum quod tuo sanxisti foedere, sententiaque inuariabili pronunciasti, me recrea. Siquid

{119.150} Appropinquauerunt persequentes me iniquitati, a lege autem tua longe facti sunt.

Id est connaturale nefariis hominibus ut hoc propius ad scelestas accedant actiones, prauisque inhaerescant consiliis, quo longius a Deo fiunt. Hi legis Dei desertores appellantur, qui adeo interdum probis infesti sunt, ut pene illos capite periclitari uideas.

Quod sane periculi genus animaduertens Propheta, sic queritur: Mihi, inquit, aduersantes, nempe homini, si non omnino iusto, at iustitiae nihilominus percupido, quo me suis irretiant fraudulentis, dolosisque inuoluant machinationibus, prope fiunt. Id ne mirum? a lege enim tua, quae secus, atque hi agunt, edocet, longissimo secreti sunt interuallo. Verum

{119.151} Prope es tu domine, & omnes viae tuae veritas.

{pdf 802, p. 393}

Illi, inquit, tua a lege iandudum procul abiire, tu uero praesto illi ades, numine sane illo efficacissimo, quo animante semper uiuax est ac firma. Nam viae tuae, consilia uidelicet, atque aeternae tuae prouidentiae deliberationes, aequae omnino sunt, ac uerae. Compendium id quidem est facillimum inueniendi Dei, illius lex & uerbum. Haud certe remotissimae peragrandae sunt regiones, religionesque pene innumerae sparsim per orbem disseminatae adeundae. Siquidem, ut inquit Moses, iuxta te est sermo ualde in ore tuo, & in corde tuo. En domicilium ubi inuenitur Deus, en uerum templum, en fidei doctrina, in qua delitescit spiritus. Et quidem

{119.152} Initio cognoui de testimoniis tuis, quia in aeternum fundasti ea.

Pridem, ait, mihi persuasum fuit de testimoniis tuis, quod aeterno illa stabilita sint abs te consilio. Obserua hic diuinae religionis exordium, quod est, credere Dei uerbum perpetuo mansurum: quae uerae summa est fidei, qua nixi nullo adeo impetuoso concuti possumus aduersitatum doctrinarumque flatu, quin in Dei amore intrepide perstemus.

Res.

{119.153} Vide humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.

Suo more interpres humilitatem pro afflictione transtulit. Certe, inquit, non est animus tua a religione desciscere. Tu tamen (quis tutus in hoc mundo?) quae tua est aequa de omnibus curatio, perpende quomodo periculosissimum in modum affligor: uerum ad tuam iugiter aspicio doctrinam, tantum abest ut illius immemor uiuam. Ideo

{119.154} Iudica iudicium meum, & redime me, propter eloquium tuum uiuifica me.

Vacillantia plerunque iudicia sunt hominum, uiolentaeque suspiciones, ac humanorum affectuum plenissimae sententiae: idcirco de me, ut ab intemperata adigunt infecti cordis libidine, statuunt, sententiasque pronunciant. Tu, simulatque ab illorum tam male habeor iudicio, meam assere causam, patrociniumque sume, ac quemadmodum es pollicitus, me in uita serua, tuoque recrea spiritu. Atqui

{119.155} Longe a peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non exquisierunt.

Ergo sedula, doctaque legis inquisitio in causa est, quamobrem saluti, uitaeque coelesti proximiores, quam illi, efficimur, qui nunquam, ne per somnium quidem, illius peruestigant mentem, sed uagi semper, atque ad omnem doctrinae uentum nutantes, infirmiori tandem adhaerent parti: ut nuper nonnullos ex doctioribus (heu sortem parum fidam hominum) egisse & uidimus & expauimus. Quid malorum nostra haec non cernit aetas? quid non experitur infortuniorum? Itaque in multiplices corruunt errores, labunturque plerique in turpissimas superstitiones, quod non exquisierunt, aut minus pie Dei iustitia & religionem coluere, ex his etiam qui in suggestis non mediocrem sibi compararunt gloriam ac nomen. Procul igitur a peccatoribus semota est salus, quia Dei legem haud perscrutati sunt. Et tamen

{119.156} Misericordiae tuae multae domine, secundum iudicium tuum uiuifica me.

Alibi annotauimus, misericordias in Deo, uarias illius esse miserendi rationes, cum una tamen sit misericordia. Unde Paraph. Infinitis, inquit, modis misericors es domine. Porro Dei iudicium in illius lege commendatum istiusmodi est effectus, ut bonis misericordiam impartiat, ab improbis uero suaque sponte malis auferat. Proinde secundum id rogat se diiudicari iudicium, a quo misericordia, unde oritur uita animae, proficiscitur. Secundum, inquit, iustissimum tuum iudicium uitam mihi elargire. Nam sunt

{119.157} Multi qui persequuntur me, & tribulant me, a testimoniis tuis non declinaui.

Ex hebraeo fere omnes interponunt, sunt, in hunc modum: Multi sunt qui persequuntur me, & coarctant. Idem Paraphrastes. In alio psalmo sic suum exprimit tum moerorem, tum periculum: Multi sunt qui tribulant me. Atqui multos istos, quorum iniuriis obnoxia est innocentia, puto illos esse, de quibus sic Salomon: Multi tyranni sederunt in throno. Ait itaque: Multi omnino sunt, qui me intolerandis propemodum afficiunt incommodis, affliguntque supra vires: a tuis tamen praeceptionibus adeo non discessi, ut in illis quoque observandis totus fuerim. Equidem

{119.158} Vide praeuaricantes et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.

{pdf 803, p. 393v}

Longe maior est dolor, quo afficiuntur electi propter desertam Dei religionem, legemque contemptam, quam quo ipsi particularibus exagitant malis. Cum Deum prae omnibus diligant, quomodo super omnia illius non diligent honorem? non tutabuntur gloriam? non uel centies pro ipso occumbent, si opus fuerit? Esto, inquit, irrequietis ueluti gyris in me mala redeant, recrudescantque continue, quid tum? sufferenda utcunque erunt. At cum uidero praeuaricatores istos impudentissimos tuis aduersari monitis, legem abrogare, palamque perfricata fronte, se tuae religionis hostes profiteri, ac tandem quaecumque olim nobis pollicitus es deridere, tunc non sufferam, sed doloris immensitate oppressus, reique horrore exanimatus, concidam. Idem ferme in

superioribus questus est, dicens: Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Verum tu tua in me recognoscens munera,

{119.150} Vide quoniam mandata tua dilexi domine, in misericordia tua vivifica me.

En quomodo non libenter a Dei misericordia consideranda recedit Vates. More, inquit, patris suae prolis amantissimi, expectantisque filii cum hoste congregantis uictoriam, me aspice. Vide filii uirtutem, quomodo a praescripto tuarum admonitionum non discedens, manum cum truculento animosissime conserit inimico. Verum quo bellum ex animi sententia finem nanciscatur, tua mihi praesto adsit clementia, quae me recreet, atque a telis hostilibus intactum seruet. Id quidem fore tam persuasum habeo, quam quiduis aliud persuasissimum. Siquidem

{119.160} Principium uerborum tuorum ueritas, in aeternum omnia iudicia iustitiae tuae.

Caput, inquit, ac summa uerborum tuorum est ueritas: nam quaecumque promisisti, constantissime re praestans, pollicitationibus uel ruat aether, felici respondes successu. In perpetuum igitur, quemadmodum aeterno sancita sunt tuae prouidentiae consilio, firmataque iuramento, ita aequissimo ponderata iustitiae aequilibrio perseuerant. Caeterum quae sint iudicia iustitiae Dei, in superioribus exposuimus: nunc ad reliqua.

Schin.

{119.161} Principes persecuti sunt me gratis, & a uerbis tuis formidauit cor meum.

Iam demum cuiusmodi debeat esse timor, quo nonnunquam conturbari illos cernimus, qui, quoniam innocui sunt, improborum iniurias subeunt, aperit Vates. Tametsi, inquit, principes, magistratus, atque id genus alii orbis optimates, me uarii affligant modis, non illorum tamen tam timeo persecutiones & odia, quam ne malorum mole oppressus a tuis secedam uerbis, deficiamque a fide. Gratis, in hoc loco perinde pollet, atque, sine causa, nulloque meo merito. Quae sane dictio magnam praefert in persecutore malitiam, tum in illo qui patitur consolationem, cum absque culpa maledictis improborum, principumque uiolentiae obnoxius fit, unde infert:

{119.162} Laetabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.

A uictore enim multa ui spoliolorum impedimentorumue ab hostium castris aut arcibus ex pugnatis direptorum onusto laetanteque, metaphoram eo pene modo, quo Esaias postea, desumpsit Daudid. Sic ille: Sicut exultat uictores capta praeda quando diuidunt spolia. hic uero: Aequae enim oblector tuis eloquiis, ac solent hi, qui praedam nacti opimam mirum in modum laetitia gestiunt. Thesaurum, uertit Campensis. Sicut, inquit, qui inuenit thesaurum maximum, sic ex tuis capio uerbis uoluptatem. Signum porro id est meae istiusmodi in te obseruantiae, quod

{119.163} Iniquitatem odio habui, et abominatus sum, legem autem tuam dilexi.

Idem plane in alio expressit octonario, inquit: Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Verum hic ardentiori uidetur commoueri affectu, cum addit, abominatus sum, quod idem est atque, fastidiui ex animo, proque infausto habui omne iniquitatem, seu falsitatem, ut uertunt nonnulli. Etenim quaecunque Dei religioni uersantur, uana omnino sunt ac falsa: quae tamen omnia quamlibet difficilia unus deuincit amor, atque propensa ad Dei legem uoluntas & studium. Quod ex sequentibus innotescit clarius.

{119.164} Septies, inquit, in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiae tuae.

Septenarius numerus admodum frequens in scripturis, Hebraeis est numerus

{pdf 804, p. 394}

perfectionis: hoc enim indefinitam intelligunt multitudinem. Quare cum septies hic dixit se laudes Deo celebrasse, perfectam animi deliberationem, curamque laudandi Deum prae se tulit. Quem sane morem, sanctissimum illum quidem & antiquum, seruant nostrates clerici, illo ostendentes numero, sese penitus diuino consecratos esse cultui. Sors enim domini sunt, non mundi. Quos proinde si mundo addictos, libidinibus, uenationibus atque auaritiae obtemperare, ut obtemperant multi, uideris, quo appellabis nomine? Illorum horae, ut uocant, canonicae, Dei ne erunt laudes? Putant enim pensionem illas esse pro benefico, atque ordine accepto. Ut ita sit, mysterium tamen non fuit ignorandum. Vide, te obsecro, quo fine diuinum peragendum sit officium. Super iudicia, inquit, iustitiae tuae: hoc est, quo aequissima iudicia tua, promissionesque in lege factae, quibus constat fides, recentiori semper refricentur memoria & cultu, praeque nobis feramus gratum animum atque coniunctum cum mundanarum rerum despicientia obsequium. Nam

{119.166} Expectabam salutare tuum domine, et mandata tua dilexi.

Clamat Paulus a patientia probationem gigni, a probatione spem, qua nixi, nihil est tam arduum in mundo, quin ob amorem, firmamque aeternorum expectationem, uincamus. Spes, inquit idem, non confundit. Salutare pro salute, suo more transtulit. nisi malis intelligere, salutare ad futurum tum quidem Messiam retulisse prophetam. Sed haec alii uideant, nos ad institutum. Tuam, inquit, contente praestolabar salutem o domine, utcunque in longum protraherent improborum iniuriae, atque artes daemonum. Interim uero a fide iam pridem apprehensa haudquaquam deficiens, tuas seruauit praeceptiones: &

{119.167} Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea uehementer.

Anima mea, pro ex animo, diligentissimeque ac consulto, posuit. Unde statim addidit: Et dilexit ea uehementer, nempe testimonia ac Dei iussa. Idcirco idem ferme replicat, atque quo tam salutaris nos moneat doctrinae, impingit pene nobis, dicens:

{119.168} Seruau mandata tua & testimonia tua, quia omnes viae meae in conspectu tuo.

Sanctissima profecto Vatis confessio, ac laude digna: quandoquidem Dei dona conniuenti minime iudicio in se conspiciens, omnium actionum suarum notionem illum habere confitetur. Omnes, inquit, uitae meae rationes tibi sunt notae. Et est idem ac si diceret: Quoniam id mihi semper persuasum fuit, te praesente, intuentequae, me omnia, quae ago, agere: ideo seruau mandata tua, metu nimirum ac reuerentia illa motus, qua erga parentes filios decet permoueri.

Thau.

{119.169} Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo domine, iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Orat hic rursum Vates legis sibi cognitionem impartiri, subindeque se ab improborum iniuriis, quo libere in celebrandum ipsum benefactorem posset incumbere, liberari. Arctatur utique anima modo nescio quo infelici, cum in daemonum, nefandorumque hominum insidias, uel inuita reluctansque inciderit, delabiturque imprudens quotidie. Quam uellet in illum, quem unice deamat, ullo absque impedimento posse auolare: quam ardentem id optat. Verum suo plerunque fru-
[frustratur]

{pdf 805, p. 394v}

-stratur tum nixu, tum desiderio, cum illud nostris omnino ingeneratum sit sensibus, ut perpetuo spiritui contradicant, impediuntque quantum possunt, uirtutum iter, Hinc ideo crudelissima illa inter humanam rationem ac mentem, portionem utique diuinam, exoritur pugna, itaque pertinaciter inter sese conflagunt, ut cui interdum is det palmam, qui istiusmodi miserabilem experitur congressum, ignoret omnino. Tamen id iucundissimum diuinis esse solet oculis spectaculum ac certamen, suosque hisce indurare consuescit milites controuersiis aeternus pater. Tantum illud suo a milite expetit, ne a fidei monitis, a quibus tota uictoriae dependet ratio, etiam cum succumbere uideatur, mentem auocet. Atque ea est causa, quamobrem toties in hoc psalmo de Dei lege mentionem facit Propheta, qui periculosissimi nequaquam immemor huiusce generis certaminis, in quo animae, non corpora, uulnerantur: non immemor, inquam, quam impares omnino simus uiribus, uelle cum tam diro hoste, ut nosmet sumus, congregari, ad solitum semper recurrit suffugium, nempe ad Deum, qui pro agonothea harenae praesidet, ut in huius statim octonarii exordio uidere licet. Clamor, inquit, meus, & deprecatio, seu, ut uertunt, lamentatio mea, alioquin tua indigna auditione, coram te fauorem nanciscaturne illam quidem refutes, obsecro, auerserisque, sed tibi tanquam res non omnino odiosa fiat proxima, admittaturque abs te o clementissime: nanque illius id est consilium, ut uerborum tuorum intelligentiam assequatur. Quocirca

{119.170} Intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me.

Vide quomodo suis in petitionibus Propheta fere Deum a pollicitationibus in lege factis urgeat, cogatque pene ad ferendas sibi suppetias. Penetret, inquit, ad te mea usque deprecatio, atque, ut non semel pollicitus es, me a malis hisce innumeris assere. Tunc quidem

{119.171} Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me iustificationes tuas.

Commodo ualde usus est uerbo, Eructabunt: hoc est, etiam nolens in tuas prorumpam laudes. Labia mea, schemate hebraeo, pro ore usurpauit. Paraphrastes simpliciter reddit, Loquentur labia mea laudes tuas. Idem Felix. Obseruandum hic esse arbitror, quomodo ad diuinas proferendas laudes, quae uerae laudes sint, necessaria omnino uideatur sacrae legis doctrina. Ubi, inquit, tu uim legis aperueris, edocuerisque omnia illa, quae tuis in praeceptis inquirenda sunt, tunc labia mea hymnum, sacrumque tuo deproment nomini panegyricum. Tunc, dico,

{119.172} Pronunciabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua aequitas.

Expende ut intellectis uerbi Dei mysteriis, perspectaque Dei voluntate in lege, tota exhilarescit anima, gestitque tripudio in Deo. Non contenta enim dixisse, Eructabunt labia mea hymnum, mox addidit, Pronunciabit, hoc est, ut interpretatur Paraphrastes, cantabit lingua mea uerba tua. Imo uero etiam aliis, quo tua sublimius extollatur gloria, quod mens tuo a spiritu hausit, pronunciabit, diuulgabitque omnibus. Siquidem iudicia tua, quorum moderationi dicto parent uniuersa, iustissima sunt. Non sane mediocre id est donum Dei, cum de lege quis interrogatus, apte, commode, docteque, ac cum percunctantis utilitate, Deique honore quae uera sunt legis sensa, tanquam scriba in regno Dei doctus, proferre nouit

{119.173} Fiat manus tua ut saluet me, quoniam mandata tua elegi.

Manus domini in scripturis praeterquam quod robur signat, auxilium quoque, fortitudinem, auctoritatem, maiestatem, ut hic mihi uidetur, denotat. Et est perinde quasi, autoritas tua illa, maiestasque, qua cuncta perterrefacis condita, auxilio mihi sit ut saluus sim. Mandata quippe tua, posthabitis mundi curis, elegi, atque meae sint, usquedum uixero, deliciae decreui. Ego quidem

{119.174} Concupiui salutare tuum domine, & lex tua meditatio mea est.

Et lex tua delectationes meae, uertit Felix. Vtraque lectio legis Dei studiosa mirifice conuenit. Nam non tantum continuam a nobis postulat exercitationem lex Dei, quantum in exercitatione uoluptatem ac mentis gaudium, quod ab amore proficisci non nescimus. Desiderio, inquit, mirabili tuam nanciscendi salu-
[salutem]

-tem, affectus fui, subindeque lex tua ingenti mihi fuit uoluptati. Hanc sane plus quam delicias mundi uniuersas, uel a puero concupiui. Ergo

{119.175} Viuet anima mea & laudabit te, & iudicia tua adiuuabant me.

Omnes fere ex hebraeo uertunt, Viuat anima mea. Unde sic Paraphrastes: Viuat anima mea, ut laudibus extollere possit te. Id dicit Vates, quoniam maximum prae se ante tulerat desiderium salutis: & ne appetentia illa manendi in uita superuacanea, parumque firma de coelestium rerum statu persuasio uideretur, causam at texuit, dicens, se in uita manere idcirco optasse, quo diutius Dei nomen laudare sibi integrum esset. Quod quidem contingere posse minime addubitabat, simul ac Dei iudicia in lege condita sibi fore praesidio non diffidebat. Iudicia, inquit, tua, quibus uniuersa tuis affatim exornantur beneficiis, mihi robur addent. Mihi, inquam, qui

{119.176} Erraui sicut ouis quae periit: quaere seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Is error, ut est doctiorum sententia, etiam in optimis inuenitur animis, qui cum nonnihil interdum a propriis raptentur affectibus, quibus impellentibus labuntur saepenumero, ipsa quoque contradicente mentis lege, errare sine dubio dicuntur a Deo, non secus ac solent oues a grege, remissa parumper custodis curatione & sedulitate. Verum ab illorum memoria, quae in Dei mandatis continentur, non procul errant: imo uero ipsis obiurgantibus, assidueque ob oculos uersantibus, retrahentibusque voluntatem ab obfirmato mentis proposito, peccant. Proprium id est hominis iusti, ui inuita animi peccare. Quocirca in psalmi fine, quasi omnium quae hactenus in toto psalmo dicta erant, epiphonema subnectens, ait: Et legem tuam non sum oblitus, etsi toties, tanquam ouicula errabunda, uisus sim a pastore negligi, atque propterea interire. Quod ne accidat, tu per loca deuia & solitaria deerrantem seruum tuum require, repertumque ad gregem reliquum, quae tua est a aeterna erga errantes uigilantia, mina. Cui laus sit in secula seculorum. Amen.

**Canticum graduum.
PSALMVS CXX.**

{120.1} Ad dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.

Si uellem quidem cunctas omnium opiniones interpretum, ne dicam commenta, recensere, quibus psalmi huius, caeterorumque sequentium titulum enodare conantur, non sufficeret aetas, adeo multa sunt, uaria, planeque incerta. Quare, ne in dubiis immoremur, simpliciter fatendum esse arbitror, singulos hosce psalmos gradus esse singulos, quibus facile uir ita, ut hi docent, affectus, ad aeternum Dei templum ascendere est potis: quanquam Abram Ezra modum in huiusmodi, ut sic dicam, climactericis psalmis canendis, quendam fuisse autemet, quo uox gradatim a cantoribus eleuabatur. Res enim prorsus latentes in interpretandis rebus sacris omittendae sunt, ne dum scientiam in omnibus ostentare cupimus, ignorantiam nostra ipsa praesumptione praetendamus, atque e bonorum interpretum theatro ac coetu explodamur irrisi. Plena prima in hoc gradu sculari anxietatis est querimonia, qua uir sanctus, ab improbis ui

omnia atque astu conuolui expostulat, nec nisi maximo cum moerore a coelesti patria exilium tolerat. Cum ualde, inquit, tribularer, clamaui ad Dominum. Cur non ad homines, quaeso? quia imbecilles, quia uana salus hominis, quia facile a promissis cadunt. Verum alii interim innumeras suorum ciuium tribulationes defleant, uel quibus inuersa iam temporum uicissitudine atque ordine, atteruntur sata, deuastanturque uineae, ac ui imbrium & tempestatum, frondibus denudantur syluae: uel eis quidem, quarum atrocitate adeo exactionibus, decimis, grauissimisque affliguntur uectigalibus, & ciues & clerici, ut uix respirare liceat. At ego illas ipsas profundiori cogitatione uersare animo soleo, quae a nobis potius fidem, iustitiamque & charitatem, longe perpulerunt & abiecerunt. Hae sunt sane tribulationes, hi ictus, haec uulnera, quae mi-
[miserandum]

{pdf 807, p. 395v}

-serandum in modum animas diuini honoris studiosas exulcerare solent. Felix sic reddit: Ad Dominum in tribulatione mea clamaui, & respondit mihi. hoc est, uotis meis annuit. Non potest enim anima diuinae beneficentiae haud immemor, non tota fide ac spe clamare ad Dominum, simulac nouit se assiduis monitis a coelesti patre ad huiusce generis clamorem excitari. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Idcirco uates quidam ardens sic orat: Domine Deus Israel, anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te: et exaudiuit me, ait. Hoc grati animi in Deum proprium est, ut in mediis ipsis quoque doloribus & cruciatibus Dei beneficia cognoscat, & fateatur. Nec sane mirum: nam cum nobiscum in tribulationibus se fore pollicitus est Deus, quae tam uehemens dolorum, aut angustiarum procella nos a recto probatae uitae statu deicere iam erit ualida? Cum ipso, inquit, sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

{120.2} Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa.

Hic mihi uates eorum morem seruare uidetur, qui cum angustiarum & uulnerum quoque aceruum, uniuersali quodam modo enarrare oceperint, ea tandem quae magis premunt, & quae maiorem commiserationem mouere possunt, per partes connumerant. Inter caetera enim, quae ualde hominum tranquillitati officiunt ciuesque mutuis inter se odiis desaeuire faciunt, id unum potissimum esse iudico, atque, ut quod sentiam eloquar, experior, cum linguis peruersorum ciuium a principe potius, & magistratibus, quam bonorum integritati ac candori praebetur fides. Solent enim illi, si quos cernunt suas secum res agere, atque in his uersari, quae ad pacem, ad modestiam, ad religionem attinent, mordere, carpere, adlatrare, quantumque in se est, a proposito retrahere: quo quidem malo, aliud ne uiro optime instituto grauius accidere queat, nescio. Porro a labiis iniquis, linguaque dolosa se eximi rogat uates, pro ab hominibus iniquis, blasphemis, malorumque inuentoribus & delatoribus, atque ab iis quidem, quos duplices & simulatores appellare soliti sumus: hos enim ab apostolo importunos dici legimus. Orate, inquit, ut liberemur ab importunis hominibus.

{120.3} Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

{120.4} Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis.

Felix sic: Quid dabit tibi, aut quid addet tibi lingua fraudis? Passim enim a sanctissimo uate uirtutum emanare exempla cernimus. Postquam a labiis sese malignis & mendacibus liberari petierat, oblocutores ad ipsos sermonem uertit, eosque amantissimo hortatur affectu hoc modo: Quam tua tibi utilitatem affere potest o maligne, peruersitas? quid fraus? quid mendacia illa, uenenataque linguae iacula, quae in ciues innocentissimos intorques, utilitatis & commodi secum ferunt? nullum enim cum hoc comparandum tormentum: sunt sane, ut caetera eorum incommoda omittam, sicut sagittae acutae a ualidissimo uiro contortae. Memini equidem hominem admodum mihi necessitudine familiari coniunctum, a nonnullis obtrectatoribus ualde exagitatum, peneque a probitatis itinere, propter calumniarum acerbitatem delapsus: quem quidem cum ad ferendas huiusmodi impudentes beluas aequo animo adhortari uellem, respondit: amice, quod maius, periculosius ut malum ad istud, quod a dolosis linguis patior, addi potest? quid tantum meam cordis tranquillitatem perturbat? quae res alia tam dira? tam saeua? tam mundo insolens, atque monstrosa, quae sic meum intercipere cursum sit ualida, uti sunt fraudulentorum linguarum & tela, & spicula? Sagittae sunt nimirum acutissimae, quae eo uulnus altius infigunt, quo a ualidissimo fortissimi uiri brachio iaciuntur. Quid? sunt sane ueluti carbones ignei, cuncta circumiacentia perurentes ac deuastantes. Ad hanc enim, fateor, amici querimoniam, ego qui cum illo eadem in naui me tunc esse non ignorabam, prorsus obmutui. Ex hebraeo pro, cum carbonibus desolatoriis, ut carbonibus iuniperorum legunt & est sensus, quod lingua fraude ac dolis instructa, sagittae comparabitur acutissimae, necnon ardentibus iuniperorum carbonibus omnia peruastantibus, & quidem diutissime. Aiunt enim eiusmodi ligni pru-
[prunas]

{pdf 808, p. 396}

-nas uehementius quam caeterae, tum urere, num ignem cinere contactas diutius seruare. Mirum quam magnam sylvam, ut diuus ait Iacobus, incendit linguae ignis in ipsa enim, inquit, est uniuersitas iniquitatis, quae inflammat rotam natiuitatis nostrae. Verum si sapimus, simul ut uirum dolosum, ut alio in psalmo legimus, abominatur Dominus, haudquaquam desperandum erit.

{120.5} Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitauit cum habitantibus Kedar.

Felix, atque adeo caeteri Hebraeorum interpretes sic reddit: Hei mihi quia incola fui Hetrueriae, seu quod uersor apud Mesech, habito cum tabernaculis Kedar, uel, cum tentoriis Scytharum. Nec sane mirum esse debet, si unus Hetrueriae, alius uero Mesech meminit. Is enim filius Iaphet Noae filii fuit, a quo quidem Tuscos originem traxisse affirmat. Kedar autem Ismaelis filius fuit, Abrahae nimirum ex Agar filii, a quo Agareni, seu, ut nos appellamus, Saraceni, gens quidem fera, ac nemini amica, ortum habent. Caeterum Tuscorum gentem, barbaram, truculentisque Arabibus ac Scythis persimilem moribus, Daudis tempore fuisse iudico, modo uero aliter. Vult igitur uates, fraudulentos homines & bilingues, exilio illi similes esse, quo a dulci patria quis extorris, inter Ismaelitas, hoc est, inter barbaros, & hos quidem immanes, inhospitaeque consuetudinis homines uiuere cogitur. Atqui mos idem ferme nunc est, ut si quando

inter perfidos, nulliusque religionis uiros uitam degere contingat, nos inter Arabes & Turcas esse, & conuersari queramur. Quanquam eos ipsos barbaros atque infideles, suum interdum sanctius Mahumetem colere, eiusque legem, quamuis impiam & scelestam, magis ad amussim seruare conspiciamus, nos sanctissima nostra instituta, ac religionis plena. Agedum ubi iam, aut in qua orbis sede & regno tam a nobis remoto aut secreto, non purius, synceriusque interdum pacta inter ciues, conuentaque ac foedera seruari uidentur, quam in quibusdam rebuspublicis atque urbibus ex nostris? A quo enim Getulo, aut Garamante minor interdum expectanda est charitas & dilectio? quis tam saeuus? tam barbarus? tam inhumanitatis expers Arabs est, qui adeo ardentem suorum ciuium sanguinem, fortunasque sitiatur & depraedetur, quemadmodum nos nostrorum fratrum, & eorum quidem, qui nobiscum una e cruento Christi latere epotantur, cruorem, famam, honorem, facultates, uitam denique, & sitimus, & crudelissime depopulamur? Audistine unquam ab ipsis immanissimis Anthropophagorum antris tam impia aliquando prodiisse iudicia, aut poenas, ut a quorundam iudicum rostris, aut rotis interdum Christianorum & prodeunt, & ui legibus iniecta, erumpunt? Quid igitur eiusmodi uiuendi mores plusquam Kedarinos & barbaros appellare nos uetat?

{120.6} Multum incola fuit anima mea.

Conqueritur uir iustus in hoc hemistichio sese diutius elongari a Domino, fateturque se hospitem ac peregrinum esse super terram: quemadmodum de priscis illis Iudaeorum patribus asserebat Paulus qui ad Hebr. scribens, sic ait: Promissiones a longe aspicientes & salutantes, confitebantur quia peregrini ac hospites essent super terram. Vide quam dispari uoluntate, nostra cum sanctissimis illis uiris conueniant & studia & desideria. Illis enim nihil optabilius in primis uidebatur, quam dissolui & esse cum Deo: nos contra lamentamur tam breuem hanc esse uitam, quam quidem, ob fidei carentiam, non peregrinationem aut incolatum, ut illi, nuncupandam ducimus, sed patriam, sed domum, sed certam sedem, sed regnum. Quomodo, quaeso, coelestis patriae amantiores nos esse iactabimus, cum interim uita ipsam & moribus, ne assequamur, contendimus? Certe ciues, si uere ciues sunt, ac dici uolunt, nil tam optant, quam ut uiuant in patria.

{120.7} Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.

Felix sic hunc legit uersum cum superiori: Quamplurimum habitauit anima mea cum odio habente pacem. Et mox alium reddit hoc modo: Ego pax, & cum loquar, ipsi ad bellum. Anima enim tranquillitatis appetentissima, se nimium diu inter dolosos, atque eos quidem qui pacis bono aduersantur, detentam queritur. Nihil, ait, unquam tam anxie desiderauit, quam cum omnibus pacem habere: uerum non sic ab aliis mihi est repensum. Siquidem cum dissidiorum concinnato-

[concinnatores]

{pdf 809, p. 396v}

-res ad pacem animare satagerem, illi e contrario magis ad bellum incitabantur. Ego pax, hoc est, ego totus paci addictus, cum ea quae ad pacem faciunt loquor, illi ad bellum statim, ad ingenium, ad antiquas rixas, ad discordias redeunt. Quem sane sensum ita

exprimit Paraphrastes: Longa, inquit, uidetur animae meae mora, quia inuitus detineor inter eos, qui pacis sunt osores, adeo ut cum paci totus studeo, & quaecunque ad pacem faciunt loquor, illi hoc ipso ad bellum excitantur. [120.7] Atque hic tandem unum huius uariae lectionis sensum atque intelligentiam habes qua quidem describitur, quamplurimos esse discordiarum fabricatores, pacis uero perpaucos, & hos derisos, prorsusque inauditos. Verum an aliud tam euidentis perfectionis signum in uiro iustitiae illius studioso, quam diffiniunt esse totius bonitatis cumulum, uideri queat, nescio, cum plurimis lacessitus iniuriis, ac, ut sic dicam, obrutus multorum calumniis & inimicitiis, perstat immotus, nec a pacis studio, ne tantillum quidem, aberrat. Sed illos mortalium omnium miserrimos esse iudico, qui non solum perpetuo uitae tenore pacis osores sunt, uerum propterea atque ob id potissimum hostes se esse pacis profitentur, quia qui eos ad pacem sectandam admonent, atque exhortantur, minime desunt: malique omnino sunt quia alii boni.

Canticum graduum.

PSAL. CXXI. /

{121.1} Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

Vnus is est praecipuus consolationis neruus ac robur, animam cum tribulationum aceruo conflictantem, sese totam, humano quantum licuit pertentato solatio, ad diuinam imploranda opem conuertere. Cum ignoremus, inquit rex ille, quid facere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te Domine. Data est enim homini ratio atque intellectus, ut eorum ui & perspicacitate instructus, illa facile, quae sibi in pertractandis rebus corporeis aduersantur, praeuidere antequam accidant, ualeat: subindeque terrenis adminiculis ac praesidiis, aut fortiter tolerare postquam acciderint, aut superare omnino. Quod si tamen adeo acerba sunt, ut in illis subiugandis nulla suppetat aut ratio, aut consilium, ut nunc pleraque in mundo fieri cernimus, ad diuinum confugiendum est auxilium: quanquam ne in illis quidem humanae industriae conatibus, flectendi sint a coelis oculi, ne absque superna luce nostram esse aliquid uel artem, uel industriam arbitremur. Montes coelos dicit, quos alio in psalmo clarius nominat, cum ait: Ad te leuavi oculos meos qui habitas in coelis. Non mediocre enim deuoti animi indicium est, non paruumque mentis illuc trahi cupidae, quo totum cordis affectum & desiderium direxit, argumentum, corporeos quoque in coelos attollere oculos, nedum gemitus & suspiria. Quare summae deuotionis ac fidei uerba haec esse existimo. Verum Paraphrastae litera me alium, ab hoc quem diximus, sensum intelligi admonet. Circumferebam, inquit, oculos meos uelut stans in monte, sicunde forsitan uiderem ferri mihi suppetias: sed deprehendi nullum mihi sperandum esse auxilium nisi a solo Domino. Idcirco a uate id puto additum: Auxilium meum a Domino. Sumpta nimirum similitudo ab illis uidetur, qui auxilia expectantes, e locis aeditioribus, ut solent exercituum excubitores, an iam demum adueniant, speculantur. Hisce enim uerbis uoluit Psaltes ignauae animae oscitantiam pungere, quo, quam anxie petendum sit a coelesti patre auxilium, non ignoret. Alioqui aut raro, aut nunquam, stertenti animae atque supinae, diuinas grata contingere credimus.

{121.2} Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum & terram.

Vide uirum undequaque ad amussim compositum, atque in negotio spiritus probe eruditum. Vide, inquam, quomodo seipsum, pro se, in propria causa, uas, fideique iussor factus, consolatur dicens: Auxilium meum a Domino, id certo scio mihi non defuturum. Fallat me homo, ut natura est fallax: mihi imponat, meisque, quod aiunt, in manibus inuertat aleas, non multum moror, postquam persuasissimum habeo,

{pdf 810, p. 397}

auxilium omne meum a Domino, haud illo sane debili atque inerto, sed potentissimo, & eo quidem qui coelum terramque condidit, breui affuturum. Non ab re certe uates in hoc loco tam nobilis, atque adeo potentissimi opificis & conditoris mentionem facit: nam diuinae potentiae memoria saepius refricata, in spe firmiter solidamur, nec facile ad adorandam, ut nonnullos facere uidemus, humanam opem, in fidelem scilicet, suique dissimilem, & nutantem, descendimus & est perinde ac si dicat: Ille qui tam mirabile fabrefecit aedificium, idemque sapientissime gubernat & moderatur, me ne minimam mundi portionem ac uilem, non poterit a periculis eximere? Caeterum per coelum & terram, condita omnia, siue coelestia, siue terrena sint, intelligi oportet, quemadmodum illud in Genesis exordio sancti Dei uiri interpretati sunt: In principio, inquit Moses, creauit Deus coelum & terram. Quocirca o tu qui in arduo uirtutum exercitio uersaris & sudas, ne animum despondeas: nam is tam potens Dominus,

{121.3} Non dabit in commotionem pedem tuum, neque dormitabit qui custodit te.

Hoc est, non dabit ad lapsus, non permittet tuos affectus, tua uota, tua consilia labi: non sinet te in iustitiae semitis uacillare aut deficere. Non sane putes aspernandi esse periculi, uel parum in salutis itinere lapsare, pedemque a loco mouere. Pes enim noster, aut affectus, aut studium, aut conatus, ni ui summa ad anteriora nitatur, facile relabitur, atque a iustitiae teatro turpius discedit, quam si tam altam prouinciam nunquam pertentasset. Tantum enim abesse debet, ut perfectionis apex ac culmen somniculosis, tardisque in uirtutum adeptione dari existimetur, ut etiam datum adimatur. Non dat igitur Deus, nec sinit suorum pedes, hoc est, animae motus, atque appetentias & affectus in bonitatis studio labascere, modo ipsi sibi non desint, modo praeparatam sibi ab aeterno praedestinationem, sanctissimis studiis, atque, ut diuus admonet Augustinus, orationibus adiuuent. Non dormiet certe qui custodit te, modo tu non dormias, modo tu te continuo excites, atque ad capessendum quod restat itineris, recentiori semper exercitio & labore nitaris. Quid dubitas?

{121.4} Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.

Amplificatio haec est, cuius is erit sensus: Dominus enim qui populum suum uigilantissime tutatur, non dormitabit: hoc est, ne leuiter quidem soporabitur, multo minus somno detinebit profundo. Quanquam paraphrastes inuersa litera sic reddit: Profecto, inquit, neque dormiet unquam, neque uel leuiter obdormiscet, qui curat Israelem. Deus enim se amantes, ea solet diligentia custodire, perindeque tutari, nulla ac si alia detineretur cura. Certe cum hominis ad praecipitia procliuitatem, properantiamque considero, contra uero continuam diuinae bonitatis cum cogito

protectionem, atque a lapsibus reparationem & tutelam, phrenetici statim mihi occurrit spectaculum, in quo miserum illum uidere uideor modis omnibus sese a rupe aliqua aeditiori, aut ripa, in antrum profundissimum praecipitare conantem, a tergo autem parentem, uel amicum aliquem uel summa, curaue difficili & nixu illum retrahere, rogare, cogere tandem, atque in tutiori sede locare. Quare hic Deum totum in curandis suis intentum esse, puto uatem huiusmodi uerborum ardore uoluisse exprimere:

{121.5} Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.

Ex hebraeo enim sic potest legi: Dominus custos tuus, Dominus umbra tua, super manum dexteræ tuæ. Quocirca sic reddit Campensis: Bono animo sis, Dominus curat te, & tua: erit instar umbraculi tibi, ad dexteram manum adstans assidue. Mos est enim inter homines, ut si quando rem aliquam praesentem dicere uelint, ad manum eam esse dicant. Quo quidem uerborum tropo, diuinum uult uates intelligi patrocinium semper, atque adeo suis praesens, uti res illae solent, quae nobis praesto sunt, ac ad manus. Verum cum haec scribo, alius mihi occurrit sensus, ut sit Dominus nostri haud uulgaris & custos, & tutor, qui nedum quidem uniuersali quadam custodia ac tutela, sed speciali praerogatiua & cura, super manum suorum dexteram conquiescat: hoc est, ne uulneretur protegat, atque instar umbraculi refrigeret. Hincque illud hic fingi posse arbitror, ut sint qui spiritali in acie dimicantes,

{pdf 811, p. 397v}

mutuis sese ad Deo fidendum, alter alterum, uel seipsos etiam moneant adhortationibus, hoc modo: O anima quae in belli aestu ac feruore periclitaris, deque tua salute trepidas, ne time: Dominus enim, ne tua laedatur dextera, hoc est, ne tuae deficient uires, atque in labore praelii nimium defatigeris, & pereas, praesto ad tutelam aderit. Ipse quidem & ictus, & uulnera pro te, tanquam socius latus tuum dexterum cingens, quo prior se periculo obiiciat, suscipiet. Nam certe pugilis dextera in duello uulnerata, ut olim Venerem a Diomede uulneratam fabulosus refert Homerus, certissimum mortis indicium est. Quo enim alio se membro tutabitur pugil, aut miles? quoque alio uibrabit ensem, aut iaculum intorquebit, dextera ipsa ad huiusmodi usus instructa, hostili uulnere sauciata? Vide igitur quam flagranti affectu diuinam opem nunquam suis, eo maxime tempore & loco, quando maxime opus est, defuturam enarrat Psaltes. Quid, oro, timendum, cum ipse Dominus pro nobis in acie dimicans primas sibi belli partes uendicat, nosque a telis hostium certius protegit, atque umbra suae sanctissimae consolationis refrigerat & refocillat, quam nos solet dextera, quamuis prompta atque agilis, tegere & tutari?

{121.6} Per diem sol non uret te, neque luna pernoctem.

Sub nomine diei, noctis, solis, lunae, atque exustionis narrat vates Deum, quem in superioribus custodem, protectoremque nuncupauit, mala omnia futura a suis depulsurum, quocumque tempore accidant. Verum quia lunam urere non facile admodum dicimus, litera quae est Hebraeis aptius hic poni uidetur. Die, inquit, sol non percutiet te, & luna nocte. Quorum quidem uerborum sensum sic a paraphraste

accepimus: Hoc umbraculo fiet, ne ardor interdiu laedat te, neque luna frigore noctu. Non semel enim in scripturis, persecutionum tempus ac rabiem, aestu meridiano, aut frigidis lunae radiis, describi legimus. Ni quidem obice aliquo intermedio, uel huius algorem, uel illius perustionem deuitauerint, utrunque tempus asserunt mortalibus ualde noxium esse ac periculosum. Hoc fere modo ad res nostras se habet diuina bonitas. Ipsa enim miseris, atque aerumnosis, non minus cum in persecutionum igne, aut miseriarum frigore uoluntantur, est refrigerium ac medela, quam olim fuit Hebraeis in solitudine peragrantibus columna nubis interdiu, atque ignis noctu. Porro si quem diuinae consolationis luce afflari contigerit, ne nimium, si sapit, insolescat, tutumue se existimet, dicens: In abundantia mea non mouebor in aeternum. Rursus uero si nox perturbationum obscura, tetraque aduenerit, aut luna radiis illis suis malignis infidelitatis eum attigerit, ne, quaeso, a fiducia in Deum cadat omnino, aut desperet: sed magis, Deo ipso custode, atque amico. neque tentationum ardorem, neque diffidentiae frigus & algorem sibi officere posse arbitretur. Est & alius solis ardor eo nocentior, quo temperatus magis apparet. Perfusa enim interdum anima luce quadam insueta, consolationisque gustu ac sua uitate affecta, ni prudens sit, & grata, facile in id impietatis corrui, quod coelestes illiusmodi afflatus sibi, propter suam iustitia, &, ut uocant, deuotione tribui opinetur, uel eo maxime, si in aduersitatum acerbitate posita, lunam perspicue per noctem lucere, hoc est, si se sentit uiuidam, robustamque, ac plane non aliter in afflictionibus & uiuere, & laetari, quam solet in igne Salamandra. Quae quidem omnia periculorum genera iustissimus ille Iob aduertens, de sese hoc modo testabatur: Si uidi, inquit, solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare, & laetatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quae est iniquitas maxima. & negatio contra Deum altissimum: hoc est, summa omnium iniquitatum ea est, sibi aliquem, suisque operationibus quod solius Dei est, impendere, atque adblandiri. Ab hoc igitur periculosissimo omnium naufragio, ni seruet Deus, aut tum aestum illum refrigescere, tum frigus incalescere faciat, tuti esse omnino nequeunt uel sanctissimi quidem uiri. Idcirco a propheta necessaria admodum scitu infertur assertio, atque oratio.

{121.7} Dominus, inquit, custodit te ab omni malo, custodit animam tuam Dominus.

{121.8} Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & usque in seculum.

{pdf 812, p. 398}

Vide quomodo dulcissimum custodiae nomen dulcissimus inculcat uates, quo tandem tua bona omnia diuinae bonitati referre perdiscas: siquidem, ut alio in psalmo asserit, Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam. Dominus igitur est qui custodit te. Dominus, inquam, est (quid uereris?) qui custodit animam tuam, seu uitam tuam, ne carni inseruiens, una cum carne intereat. Per futurum enim legunt Hebraei, custodiet. Caeterum ex interpretibus hebraeis, aliquibus uisum est in hoc loco, per introitum atque exitum negocia, actionesque uitae humanae significari, quorum quidem nullus aut modus, aut ordo, nisi turpis & confusus esse potest, ni Dominus ipse consilia moueat, ac ne erret animus, peruigil semper custos existat. Nescit porro homo, prorsusque in deligendis discernendisque rebus illis, quae magis, quaeue minus sibi

conducant, hallucinatur. Quare olim Solomon a Domino, ut quicquid uellet peteret, prouocatus, respondit: Ego sum puer paruulus, & ignorans egressum & introitum meum. hoc est, nec quid incoeptem, nec quid perficiam, quid omittam, quidue instituam, aut ordiar, quae rursus fugiam, aut quae sequar, nescio. Consuetudinem quoque huiusmodi uulgo esse cernimus, ut eum ipsum hominem, qui in pertractandis suis rebus & negociis inutilis prorsus sit atque infans, dicant ingressum exitumque ignorare: quod quidem uitium ab animi stupiditate prouenire affirmant. Est & alius ingressus, egressusque, qui periculosissime ignoratur, utpote qui maxime ad animum pertineat: ille uero ad corpus. De iis quidem olim concionabatur Dominus inquit: Si quis introiuerit per me, saluabitur: is enim ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Vide quam paucis sanctorum ecclesiam effinxit. Ingressio quidem in Domini ouile fit per fidem, amoremque, ac coelestium rerum cognitionem & disciplinam: egressio uero, per operationes illas, quae a charitate proficiscuntur. Idcirco pascua, & ea quidem pinguis & opima, post hanc uitam nanciscentur. Legimus enim sub antiqua Iudaeorum lege complures ingressos esse, atque in hoc mundo quoque per prophetarum, aut legis etiam ipsius campos inuenisse pascua: ab ista tamen uita egressos, clauso adhuc coelo, nondumque coelesti reserata beatitudine, atque aeterna requie, pascua uera non inuenisse. Ita modo (heu nostram ignauiam) ad sacras passim undas concurritur, fidesue in Dei domum infertur. Hinc feruor, hinc lachrymae, hinc caetera reconciliationis diuinae signa atque argumenta conspiciunt. Quid? Ad tantum nonnulli interdum deueniunt spiritus feruorem atque ignem, ut dulcissimorum parentum contempta cura & conuictu, sprete patria, relictisque amicis, ac rebus omnibus huius mundi, uel ad uitae sustentationem necessariis, sese in solitudinem aliquam uastam atque inhospitam coniciant, aut (quod animosius forsitan est uisum) in coenobio se aliquo concludant. Vides ne felicissimum horum in Domini academiam ingressum? Verum tam ardentem in multis flammarum cumulum in aerem resolui, atque in carnem, qui antea spiritu coeperat, ut conqueritur Paulus, desiisse uidimus: scilicet qui tam beato ingressu rem spiritus attentauerant, infelici postea euentu a pristino ardore desciscentes, pascuaque solida ignorantes, abierunt, ut dicit Solomon. Quid tam leni uocabulo? peruolarunt potius, ac praecipitanter accelerauerunt post uestigia gregum suorum, pascentes nimirum sensus, eaque oblectamenta, curasue illas sectantes, quas uel mundus ipse, alioqui curis innumeris inuolutus, execratur. Hi enim haud modo uno ingrediuntur, & egrediuntur. Quare illud unum potissime tremendum illius generis hominibus contingere est necessarium, quod ne post hanc uitam quidem solum, sed nec dum hic uiuitur in hoc mundo, pascua inueniant: nisi forte e siliquis porcorum enutrir, animae pabulum dici uelint. Et ego quoque qui in eorum numero censeor, qui fide tantula, aut spiritus feruore aliquo, desiderioque non prorsus uano, in aedes Domini ingressus sum, cum qualem finem & egressum consequi debeam me penitus lateat, illud interim unum meam admonitam animam uolo, atque ei imprecari non cesso, iterum atque iterum repetens: O anima mea, quid iam pertimescis? quo tua te trahunt consilia? simulac Dominus is solus est, qui custodit introitum tuum, ac exitum tuum, ex hoc nunc, hac in mortali scilicet uita, quo probe, quae ea sint, quae fugere debeas

quaeue amplecti ac sectari, pernoscas: & usque in seculum, hoc est, transacto vitae cursu, te in aeternis suis bonis, in loco scilicet pascuae, ubi immota sua praedestinatione atque proposito, suos ab aeterno collocauit, statuatur. Huic igitur soli gloria, honorque & imperium sit in secula seculorum. Amen.

Canticum graduum.
PSAL. CXXII

{122.1} Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

Cum alias propheta tropis elegantissimis mutuae charitatis, quam in Dei Ecclesia esse necesse est, effigiem describit, tum in hoc psalmo maxime illam sub terrestribus Hierusalem umbra & typo, propemodum an te oculos ponit. Quanta putandus est affici iucunditate uir diuinarum rerum studiosus, cum audit esse qui ardentissimis conatibus ad coelestem patriam properant, relictis interim toto affectu atque animo, tricis illis omnibus quae opus tam nobile impedire queant? Certe, si uel raro saltem, a fidelibus ad quid nati sunt, ad quid uocati, ad quid uncti, sacroque regenerationis lauacro innouati, consideraret, non tam facile sua se sponte a fine proprio, qui Deus est, hoc est, summa felicitas, aeternumque bonum, ac beatitudo, alienarent. Quotus enim quisque est, uel ex ipsis quidem, qui ideo ad sublimiorem aliquem gradum eucti sunt, ut caeteris bene beateque uiuendi regulas praebeant, atque illa solummodo & uita, & eruditione edoceant, quae futurae uitae statum prae se ferant, qui non libentius corporearum rerum affectibus inhient, atque eas ipsas perinde ament & sectent, ac si tantummodo ad fouendam carnis naturam geniti essent? Nec est quod quis hic mihi dicat, & ut passim dici audio, religiosissimos illos esse hominum conuentus, qui ab aliena aut re, aut uxore usurpanda, abstinent: qui publicas libidines auersentur: qui usuras, qui caetera uulgo patentia non exercent flagitia: si interiores illos maculas prauarum cupiditatum, inuidientiae, simultatis, ambitionis, a corde longe proiicere non uideo. An nondum cunctis iam innotuit quanto sapientissimus magister stomacho dealbata se pulchra, hoc est, mores hominum undequaque pictos, & candidos, internos uero affectus corruptissimos, tabeque ipsa cadauerosa putridiores, detestari soleat? Nego igitur uirum illum religiosum esse, Christianaeque legis sectatorem, qui licet corpore absteineat, animo tamen mundanarum rerum cupiditatibus inseruit. Hic igitur, ut dicere inceperamus, sub manufactae ciuitatis nomine, coelestem patriam depingit uates, sibique se ab aliis eiusdem secum animi ardoris uiris ad tantae urbis accessum inuitari gratulatur, quam quidem Hierusalem sanctam, matremque nostram, seu requiem, ab Apostolo appellari legimus. Ingrediemur, inquit, in illam requiem nos qui credidimus. Olim enim a uiginti annis uiri omnes, hoc est, tribus Domini, ut in Deuteronomii libro uidere est, ad locum in quo Dei erat templum, ex diuina iussione, ter annis singulis conueniebant, ibique praeter religionis cultum & sacrificia, quibus Dei populus purificabatur, de iis quidem rebus iudicia, quae aliis in locis tractari nequierant, habebantur. Ab illo igitur umbratili more & consuetudine, ex qua nimirum Hebraeorum multitudo se ad conuentus illos festiuos adornans, uicinos, eiusdemque tribus uiros ad secum eundem adhortabatur, ut nunc quoque a plerisque uulgo fit, qui cum aliquo, ubi festi dies celebrantur sint profecturi, familiarissimos quosque ad communem inuitant laetitiam, rem seriam enarrans propheta, coelestis Hierusalem statum elegantissimo troporum inuolucro ostendere intendit. Ait ergo: Laetor admodum equidem cum dicunt

mihi, Eamus in domum Domini, ad eumque properemus. Quid moramur? Non nos aut uxor, aut nimia rei familiaris retardare debet cura & sollicitudo. Ea, ea, inquam, ciuitas est, quae totos animae affectus, totumque amorem nostrum, tum studium, omnemue conatum expostulat, ac uult.

{122.2} Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem.

Omnes ferme Hebraeorum interpretes, in portis reddunt, non in atriis: sed parum refert. Quamlibet enim, ob carnis sarcinam, longe a coelesti patria peregrinamur, affectibus tamen ac desideriiis, qui sane pedes animae sunt, tantae nobis ciuita-
[ciuitatis]

{pdf 814, p. 399}

-tis aditus est occupandus: nanque noster in coelis cum sit municipatus, quandiu uitam hanc aerumnarum plenam uiuimus, longe a diuina absumus haereditate. Verum interim quo expedite absque corporearum rerum impedimento in interiora uela minis, ut uocat Paulus, introducatur, pedibus, hoc est, uotis, suspiriisque ab amore profectis, postibus illis aureis portarum, quae, ut canit ecclesia, nitent margaritis, insistendum erit. Illud uero admodum uerendum, ne illotis pedibus accedamus. postquam in uate illo eximio legimus, quod inquinati non intrabunt in eam. O igitur sancta ciuitas, o mansio, o sedes luce ipsa solis splendidior, ac Deo digna, pedes nostri, motus scilicet animae atque affectus, in atriis iam tuis, licet graui curarum onere defatigati ac pressi, stant fixi atque immobiles. Iam una illa omnium maxime in spiritus negocio norma est seruanda, ut homo, quandiu in hoc seculo uersatur, necnon cum carnis molestiis & curis die noctuque conflictatur, nunquam se ad tantam perfectionis sublimitatem peruenisse existimet, quo se putet absque aliqua animi perturbatione posse uiuere. Hoc enim animorum illorum proprium est, qui iam prorsus a mundanarum rerum uinculis liberi, defunctiue corpore, ad illam, quam semper, etiam cum in carne essent, ardentissime concupierunt, diuinam uisionem atque aspectum euolarunt. Quem iam lateat terrenam hanc, ut eam appellat Apostolus, habitationem, intellectui humano haud parum officere, a ueri contemplatione, & intuitu auertere? intercipere? uariarumue rerum unioni illi, quam cum Deo haberi oportet, diuersitatem obicere? Haec enim omnia cum in mortalibus omnibus communia sint, stultum ualde esset, id a carne cupere alienum, quod carni natura ingenitum esse uoluit summus opifex. Tantum uero ab ingrediendi studio & conatu, nostri non cessent affectus ac desideria, quod est de die in diem magis in Dei obsequio incalescere: alioqui in iustitiae semitis non progredi, regredi erit.

{122.3} Hierusalem quae aedificatur ut ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.

Aperit iam uates quae sit illa, de qua loquitur, Hierusalem: ne illam Iudaeorum ab impiis scribis & Pharisaeis habitatam, & quae Dominum uitae interemit, imaginemur. Haec enim sectis atque haeresibus, cum in se admodum diuisa sit ac lacera: illa uni solummodo fini, & bono nixa, integra prorsus, utpote cuius participatio eius in idipsum, atque a diuisione omni immunis, permanet. In idipsum.) Simul, uel una reddunt Heb. Felix sic: Quae coniuncta est ipsi simul: hoc est, cum Deo unum effecta, cuius

consortium simul est. Ciues enim sanctae huius urbis, unius eiusdemque animi sunt, idem participant bonum, eandemque felicitatem ac praemium. Interim autem, quod hic doctrinae limula expolitur, si unum gaudere contigerit membrum, congaudent & caetera: si moerore affici, afficiuntur & reliqua, mutuis sibi inseruiunt obsequiis, mutuas ferunt necessitates, infirmitates tolerant, curant, medentur, adeo ut non tam suus unusquisque existimari queat, quam aliorum omnino. Verum qui discordi animo atque irrequieto, suis scilicet tantummodo obsequens commodis, ne mini utilis, compluribus grauis & morosus, se ad terrenam huiusmodi ciuitatem pertinere asserat, toto, ut aiunt, errat coelo: proinde ad futuram multo minus, ubi omnium bonum aequae singulorum est, uti omnium. Cum enim amor sit sui prodigus, naturaque in aliorum commoda permeans & diffusus, quemadmodum in aeterna patria perfectissimus est, ita undequaque absolutissima singulorum est boni communio, & unitas: perindeque de alterius bono atque felicitate unusquisque laetatur, sibi que applaudit ac gratulatur, uti de suomet bono, & beatitudine solet propria. Idcirco de perfectionibus sibi datis, ut scribit Dionysius, inferioribus, hi qui in sublimiori gradu positi sunt, continuo tradunt. Sanctissimum igitur illud animarum domicilium non ciuitas est terrena, neque caementitia materia, saxisque inertibus, aut lateritiis parietibus ad amussim correctis fabrefacta, sed coelestis est, atque animorum numero & ordine constructa, cuius ciues animae sunt, ciuitas uero ipsa ac ciuium bonum. Deus: id est, perfectissima quies & pax.

{122.4} Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.

Hic tandem vates qui sint vivi lapides, hoc est, coelestis Hierusalem cives, atque aedificium, aperit: tribus scilicet, non quaelibet, sed tribus Domini, gensque illa, quae

{pdf 815, p. 399v}

ad Dominum, haud mundum, pertinet. Hanc itaque ciuitatem, has aedes, hosue coetus & multitudinem, non iam ter in anno, aut ex more, sed continuo, fide, sanctisque operationibus ac perpetuo placendi Deo, & uoto, & desiderio, ui spiritus acti, electi omnes adeunt, summoue nixu & conatu ascendunt, neque alio unquam diuertunt, quoad eius portarum aditum occupent, pedesque in ipso primo limine stabili infigant proposito atque instituto. Hae quidem tribus testimonium sunt Domini: hoc est, fide atque operibus, se ex Deo natas esse, diuinumque semen in se inesse testantur. Israel enim, uidentem Deum interpretantur. Itaque se semen esse Israelis testificantur, hoc est, ad Deum pertinens. Verum quo testimonio? fidei nimirum, spiritusque feruore, gaudio, patientia, mansuetudine, ac, qua mirum in modum diuinam sibi grati conciliant, humilitate, rerumque humanarum contempione, ac despicientia. Nam quemadmodum quae a uirtute atque animi candore proficiscunt actiones, testimonium nos Dei esse filios prae se ferunt ac reddunt: ita illae, quae a conscientiae impuritate, & turpitudine emanant, nos ex patre diabolo esse testantur. Tribus igitur solis illa, quae in dominica sorte censetur, ea est quae testimonium perhibet de bono: atque ob id quidem, ut sancto Dei nomen, non suum, illustret, ac celebre fiat. Sunt sane multi, qui idcirco ascendunt, testimoniumque fide, nescio qua, se e Domini sorte esse, reddunt, quo sese uulgo ostentent, se celebrent, sibi que non Deo, aut eius ecclesiae sanctitatis nomen asciscant: secus uero tribus illae Domini, Dei utique populus, ac sors, quae propterea sibi

ascendendum esse existimant, ut tum fide, tum actionibus diuinam testificentur bonitatem, Deusque ipse, non homo, laudetur, colatur, spargaturue illius nomen & fama per angustissimos quosque orbis angulos, nedum per templa, sacrasque aedes atque aras. Qui enim aliud quicquid suis in actionibus ac studiis, aut quaerit aut agit, quam ut Dei nomen ab omnibus quibus cum uiuit, sanctificetur, is sane turpissime a uero aberrat scopo, nec tantillum quidem ad aeternam Hierusalem attinet, in qua rectum duntaxat, ut bona caetera omittam, perpetuo audiri contingit iudicium. Quare a Psalte conuenientissime infertur:

{122.5} Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid.

Causam reddit uates, quam ob rem a sanctis tribubus ad diuinum celebrandum nomen in ecclesiam conuenitur: etenim in ea, coelestia, hoc est, uera, recta, syncera, quas sedes uocat propheta, sunt tribunalia: nec mirum quidem, nam numen ipsum quod mundum iudicare dicitur, hic praesens est, hic sedem habet, hic iudicat, hic non solum illa quae humano patent aspectui, sed & reconditos cordis recessus & cogitatus, disquirat & examinat. Nusquam enim uerum esse tribunal ac iudicium affirmauerim, ac rectum, nisi inter ciues de sanctissima istiusmodi ciuitate, quae Dei spiritu & informatur & regitur, optime meritis. An nescitis, aiebat Paulus, quod & angelos iudicabimus? Soli quidem iustissimo cuique caetera diiudicandi, probeque dignoscendi ius tributum est, atque facultas: sed in primis seipsum, ne cum mundo reliquo, ut idem admonet, iudicetur. Hanc tandem, ait uates, optime esse aedificatam urbem assero, ubi una ciuium omnium concordia es, ubi recta sunt iudicia, ubi tribunalia iusta: hoc est, ubi iudices integri, aequitatis ac probitatis magis, quam pecuniarum, aut munerum sectatores conspiciuntur. Alioqui iudice uel auaro, uel ciuili sanguinis sitibundo atque epotatore, quomodo ciuitas Dei illa erit, cuius rostra aequissima sunt, ac a diuino spiritu illustrata? Caeterum hic Dei familiam, Dauidis domum appellat uates, quod alias quoque admonuimus.

{122.6} Rogate quae ad pacem sunt Hierusalem, & abundantia diligentibus te.

Clarius hunc reddunt uersum Hebraei hoc modo: Precemini salutem Hierosolymis, felices sint, qui diligunt eam. Quare sic habet Campensis: Optate pacem ipsi Hierusalem, feliciter eueniant omnia illis, qui bene uolunt & amant eam. Vis ne quid in Dei ciuitate boni agant ciues audire? Perpetua enim sese mutuo ad orandum Deum pro pace, id est, pro perfectissimo ecclesiae statu & tranquillitate, excitant adhortatione, a qua equidem eo distat longius quo terrenarum rerum cupiditatibus propius inhiat, & accedit. Male enim cum Dei ecclesia agi arbitror, si

{pdf 816, p. 400}

tam tumultuose res eius internas exagitari contingat, quemadmodum externas eius facultates passim, atque ab omnibus diripi cernimus. Olim enim perpauca quibusdam principibus, ecclesiarum, ut uocant, bona, pro reipublicae ac regni sui defensione usurpare fas forsitan fuit: at nunc a minutissimis quibusque magistratibus ea ipsa pro libidine, atque impune depopulari, moresque in foedissimos, atque usus uitae nefarios

transferri uidere, quis aevi huiusce nostri statum miserrimum & lachrymabilem non fateatur? Verum quia in dies magis saeuam hanc erinnyem incrudescere, uiresque sumere conspiciamus, hoc unum extat confugium, ut mutuis nosmet exhortationibus ad exorandam plebi Dei pacem incitemus. uos igitur tribus, tribus (inquam) Domini, o uos lapides uiui, o uos ciues, ac domestici Dei, o uos sanctae animae, quae idcirco ad ecclesiarum bona, & dignitates ascenditis, ut Dei nomen per uos, non uestrum, aut uestrorum cognatorum, exaltetur, & celebre fiat, rogate, bene precamini, optate quae ad pacem spectant: hoc est, ea omnia quae ad suae coelestis Hierusalem aedificium, structuramque attinent, orate. Caetera enim, quae tam charae patriae fabricam aut morantur, aut intercipiunt, a uestris coetibus, uestris rebuspublicis a uestris regnis procul exterminanda sunt. Verum abundantia, atque prosperitas illis omnibus, qui te diligunt, o beata ciuitas, eueniant. Illis porro omnibus qui te uastant & affligunt, contritio & infelicitas, simulac uiam pacis non agnouerunt.

{122.7} Fiat pax in uirtute tua, & abundantia in turribus tuis.

Felix: Erit pax in antemurali tuo, & abundantia in palatiis tuis. Non surdis enim supra cecinit uates, cum optimum quenque admonuit, atque ad impetrandam coelitus pacem animauit. Hi quidem audita sacra adhortatione, se statim ad exequendam spiritus iussionem permouent, uersique ad ecclesiam, quanto possunt spiritu exclamant: Fiat pax in uirtute tua, hoc est, in munitissimis locis tuis det Deus robur & uires. & est perinde ac si dicat, intra moenia tua, atque in palatiis tuis, seu domibus singulis, sit pax & tranquillitas. Nemo te, propugnaculae tuae, ualla, licet uastissima adhibeat tormenta ac milites, infestet. Adeat iam tandem ad tui custodiam spiritus robur & uirtus: paxque illa, quae exuperat omnem sensum, te cingat & tutetur, quo populus, ut imprecatur Esaias, sedere possit in pulchritudine pacis. Fiat, fiat non tantum corporearum rerum copia ac luxuries, quantum diuinarum gratiarum, coelestiumque donorum abundantia & uis. Crescat, abundet, augeaturque spiritus, adeo quod hostes ad ciuitatis muros ac turres accedentes, nihil aliud praeterquam inaccessa propugnacula & moenia, quae sunt sanctorum orationes ac uota, uidere queant. Caeterum sicut coelestis ciuitatis (cum coelestem ciuitatem dico, ecclesiam Dei intelligi cupio) robur ac fortitudinem, credentium corda esse arbitramur: ita terrenarum urbium praesidium, & illud quidem eximium & praecipuum, ualla rursus fortissima, ueraque moenia esse non ambigimus, ciuium corda, atque in suum principem optime affectos animos. Exasperati enim plerunque ciues, crudelissimoue depressi exactionum onere & mole, indefensam saepenumero reddunt ciuitatem, alioqui munitissimis muris cinctam, circumuallatamque propugnaculis pauperum labore atque inedia confectis. Vis ne princeps tutissime tuo regno consulere, atque illud telis hostilibus haudquaquam peruium facere? tuos beneuolentia & benignitate ciues arma. Hoc sane modo formidabilior hostibus eris, quam si triplicem fossam, murumque, & eum quidem aeneum, tuae urbi circumieceris.

{122.8} Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.

Causam dicit, cur sanctae Hierusalem ciues, suae patriae tam salutaria bene precati sint. Ea enim charitatis natura est ac uis, ut quaecunq; aut agit, aut loquitur uir probus, ea omnia in fratris salutem cedere exoptet & quaerat. Feliciter, inquit, omnia tibi

contingere rogavi, o sancta ciuitas, pacemque tibi aeternam precatus sum, non ob aliud quidem, quam ut fratribus meis ac proximis, eodem scilicet fontis sacramento & spiritu mecum regeneratis, pax animae obueniatur ac salus. Illud idem porro aliis uerbis utens replicat uates, atque ait

{pdf 817, p. 400v}

{122.9} Propter domum Domini Dei nostri quaesiui bona tibi.

Vide an hoc quoque idem sit, quod superius dixit Tribus uidelicet Domini illuc, quo Dei nomen ab omnibus laudaretur, ascendere: modo uero se bona illa quae superioribus expressit, quaesiisse asserit, propter nomen Domini celebrandum: quanquam nihil officit, fratres & proximos uno eiusdem uitae instituto ac spiritu uiuentes, domum Domini nuncupare, cum passim in scripturis cor iusti, Dei esse templum ac domum asseri legimus. Sancta enim Hierusalem, domus Dei, iustique animus ac mens, idem ferme sunt. Quare is erit sensus: Propter electos, qui sunt fratres mei, Deique templum & domus, imprecatus sum, & quaesiui bona tibi o Hierusalem. Mirum si a prophetis pacem ecclesiae rogari ob id potissimum censeas, quo fruges in agris uberiores crescant, aut uineae copiosiore in luxum alantur, tutaue a Cimbrico milite uina ad futurum hyemis ocium seruentur. Hunc certe finem Christianae pacis in primis esse non arbitror. Proinde cum haec omnia terrae nascentia ad humanos usus ab uniuersorum conditore producta ideo amanda sint, atque ab ipso Deo petenda, quatenus uitae necessitatibus subueniunt, ac utilia sunt: altior tamen Christianorum ratio in assequendae pacis desiderio esse debet, quam ut mundo tranquillius utantur: uerum quo tutius, pacatiusue diuinae iustitiae, sanctisque operationibus, ac mutuis inter nos alter alteri inseruire possimus obsequiis. Nullus enim gloriosior pacis potest esse finis & terminus, quam ut tranquillis animis, pacataque religione, & aucto magis diuino cultu & nomine, Dei uirtus in terris propagetur, laudeturque, qui saluat gratis omnes sperantes in se.

Canticum graduum. PSAL. CXXIII.

{123.1} Ad te leuauit oculos meos qui habitas in coelis.

Serui enim atque ancillae, utpote qui dominorum suorum imperio toti addicti sunt, quibusque nulla est rerum possessio, nec ius etiam acquirendi, & libertas, si aliqua re indigent, is a domino, illa ab hera, quicquid illud sit, & praestolantur, & petuntur. Hoc idem quoque in iniuriis & contumeliis ab aliquo acceptis, agi ab illis cernimus, ueluti quibus nullum aliud in illis suis afflictionibus atque periculis extet confugium, praeterquam illorum, quorum iuris sunt. Quis unquam alienos seruos ab huiusmodi iniuriis, quibus tum ab homine, tum a rerum indigentia premuntur, uendicabit? Hoc enim proprium eorum munus est, sub quorum dominio hi uiuunt. Itaque elegantissima hac usus similitudine propheta, electos Dei seruos, ita se in necessitatibus, quae cum ad corpus, tum ad animum spectant, erga Deum haberi asserit, quemadmodum illi se habent, qui toti mortalium dominorum iuri atque obsequio obnoxii sunt. Qui enim uel parum saltem in rebus quae ad spiritum attinent, fuerit eruditus, non ignorabit certe quam non aliunde, nec a proprio quidem arbitrio & uoluntate, multo minus ab aliena &

ope, & manu, praeterquam diuina, si quid aut ab inexorabili daemone, aut ab improbis eius ministris, aerumnarum patitur, expectandum erit auxilium. Proinde si quis aspera aliqua persecutionum molestia, ab his praesertim, quos hic in inuolucro describit uates, tumidos scilicet, elatosque, ac ob felices terrenarum rerum successus turgidos & superbos, impetitur, ad Dominum illico, & eum quidem qui habitat in coelis, attollat oculos, atque ab ipso ueniam, si quid deliquerit, reque aliqua indiguerit, aut iniuria exagitari contigerit, & speret, & imploret. Clamet igitur: O tu qui lucem habitas inaccessibilem, cuiusque sedes coeli, atque electorum sunt corda. me audi: nam ad te oculos meos subleuo. hoc est, quicquid in me, quod luce aliqua coelesti & diuina illustrari uideatur, apparet, id totum ad te refero, atque in te, tuamque parum ingratis mortalibus notam misericordiam refundo. Non sane attollerem, non leuarem, nisi tu mecum & attolleres, & leuares: quin potius, nisi in me magis tu, quam egomet in meipso, esses. Votis enim, ac sanctis, ut ait Augustinus [sic, Augustinus], desiderii homo ad coelum sustollitur, quemadmodum malis & impiis ad ima deiicitur, ac praecipitatur. Nunquam porro illum oculos uere ad Deum leuare dixero, qui licet uel ultra empyream regionem, in diuinae naturae contempla-
[contemplationem]

{pdf 818, p. 401}

-tionem totum immerserit intellectum, cognoueritque quaecunque de Deo, ut ait Paulus, cognosci possunt: in se tamen aliud oculorum genus, hoc est, mundanae gloriae, propriique amoris & commodi plausum reflectens, tam altae indagacionis fructum prorsus amittit. Quod quidem uitium, illud idem esse existimo, in quod illos proruissse asserebat Paulus, qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt. Noxiam enim illam semper arbitratus sum scientiam & cognitionem, quamuis sublimem, & diuinarum rerum indagatricem, quae se magis, quam ipsum coelestium donorum erogatorem, admiraretur & coleret. Ex qua quidem turpissima quorundam improbitate & ingratitude illud in primis oritur, quod cum nimium ambitiose suae illi naturalium supernaturaliumque rerum aut linguarum peritiae tribuunt, nihil non agunt, quo lux ea, alioqui felix & diuina, sua, non Dei appareat, uulgoque reputetur. Quod sane fit, cum carnis commodis, atque ambitioni ardentius hos inhiare conspicias, quam ut cor habeant in spiritus suauitate ac dulcedine, quam deuotionem appellamus, experrectum. Hi certe in Domini sui manibus fixos haudquaquam habent oculos, sed in se potius, aut in studiis illis suis algidis & ieiunis. A Domini igitur uirtute ac manu, hoc est, a fortissima eius prouidentia, qua omnia condita in suo esse conseruat, fouet, tutatur, & uiuere facit, nostrorum omnium, qui a rerum faece & humilitate coelitus et uocamur, oculi minime, ne pilum quidem, sunt auertendi. Quo, quaeso, respectu? quo fine? nostri ut nimirum tandem misereatur. Huc totius uitae nostrae labores, studia, conatus, consilia, curae, leges, instituta, iura, & diuina, & quae uocant, positiua atque humana, spectare debent. Quare

{123.3} Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.

Nescio enim an ulla alia res sit in hoc nostro infelici seculo tam fletu digna, atque commiseratione, quemadmodum ea est, qua nos repletos uulgo despectione & cernimus,

& altissimis suspiriis ingemiscimus. Si quidem uatem hic suas duntaxat contumelias, & non potius diuini cultus atque honoris neglectum conqueri opinaris, longo a psalmi spiritu ac mente aberras interuallo. Non haec sane solet esse consuetudo animae se nihil prorsus attendentis, diuinumque nomen solummodo extolli efflagitantis, ut sui despicientiam aut contemptum multifaciat: uerum illam, qua Dei religio & pietas habetur ludibrio atque irrisioni. Cum enim diuinum nomen perfectissimi quique uiri ante omnia illustrari & cupiant & quaerant, nihil est quod eos magis excruciet, quam ipsissimis propriis oculis cernere ad tantum quosdam, uel ipsiusmet religionis mystas, uitae fastum ascendere, atque insolescere, ut simplicitatem illam, candoremue eum morum, quo fidei maxime consistit iustitia ac uis, contemnant, affligant, irrideant, atque usque ad spectantium nauseam ac stomachum subsannent. Quid iam in terris tam est uulgo contemptui, & ut scribit Psaltes, despectioni habitum, quam probitatis instituta ac leges? Ubi iam antiqua illa erga uiros ecclesiasticos obseruatio & reuerentia? Quo iam (malum) uostra deuenit sublimitas? sunt ne haec corruptissimi uulgi uitia, an clericorum potius, caeterorumque religiosorum ignaui mores & detestandi, qui eiusmodi diuini cultus exhibitionem & neglectum in orbem induxerunt? Quam uereor ne nos potius quam illi, in causa simus, quia multum repleti sumus despectione.

{123.4} Quia multum repleta est anima nostra opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

Equidem nollem ex his quae dicta sunt, quorundam insolentiam foueri, qui in inspiciendis aliorum peccatis, carpendisque moribus, ac uita sacerdotum, atque eorum quidem omnium, qui sese priuatis legibus, sub coenobiorum disciplina & iugo manciparunt, tam uigiles sunt & acuti. Quod si certe hi, quemadmodum caetera omnia condita, iam consenuere, atque a pristino uitae studio & feruore desierunt, quo putas a caeteris peruentum esse? Censendumne erit reges, principes, magistratus, suum integrum munus, seruata in rebus gerendis iustitia & aequitate, obire? quo quaeso uulgi proteruitas, atque impudentia processit? quo ciuiliu? quo forensium curarum peruenit cursus? aut a quo gradu tandem patritiorum dignitas, totusque orbis maiestas & celsitudo prolapsa est? Vnusquisque igitur suum in se ha-

{pdf 819, p. 401v}

-bet quod defleat uitium ac reprehendat. Hoc unum scio, quod eo ardentius ab abundantibus & superbis, hoc est, ab huius mundi locupletioribus & fastuosis, uita nostra, nosterque cultus & religio irridetur, premii, despiciabilisque habetur, quo pertinacius diuinis curis, sanctaeque legi & doctrinae, operam nauamus. Quare clamandum, atque repetitis gemitibus cum Psalte uociferandum erit: Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia usque ad fastidium contumeliis repleti sumus. Repleta est, inquam, anima nostra, periculosissimumque in modum ignominia, contemptioneque & derisione affecta. Facta est nimirum apud huius seculi potentiores & diuites ludibrium, illusio, risus, opprobrium. Volunt quidam, uel in primis Augustinus, hic repetitam esse sententiam, ut idem sit opprobrium abundantibus, quod est despectio superbis: ut uel hinc perdiscere queas, quam difficile sit diuitem non esse superbum: & cum diuitem dico, non tantum illum dico, cui infinita agrorum iugera atque armenta, diuitias suppeditant, quantum illum qui iustitia, at sibi uidetur, meritorumque cumulo,

& gratiarum, se magnum reputat. Certe quidem cum hanc uatis querimonia lego, audire uideor uiduarum, caeteraque turbae miserae multitudinem suam sortem lamentantem, postquam adeo inhumaniter illud hominum genus ab illis ipsis, qui propterea ad altiorem aliquem gradum, aut principatus, aut magistratus, aut etiam ecclesiasticae dignitatis asciti sunt, quo in primis miserorum curam habeant, exagitari, bonisque prorsus denudari, tum ab aliis audio, tum a memetipso quidem coniecturam facio, ubi res sacras ecclesiarum, coenobiorumque fortunas, alioqui in pios usus erogari solitas, quasi publico edicto diripi, passimque ab omnibus asportari, propriis intueor oculis. Illud adnotandum, opprobrio legi, & despectione, non opprobrium & despectio: nisi forte hac malis esse in fastuosorum hominum superbiam, imprecationem: ut sit sensus: Miserere nostri Domine, miserere, inquam, nostri. Opprobrium uero, despectioque & confusio sit superbis, atque infelici huius seculi euentu turgidis & abundantibus ut suo malo tandem, quam non impune tuam insectetur religionem, perdiscant. Illis igitur mala haec omnia a tuo aequissimo iudicio pro ueniant, tibi uero gloria, honor, uirtus, & imperium sit in seculorum secula. Amen.

Canticum graduum.

PSAL. CXXIII.

{124.1} Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis.

Vates, atque is quoque, qui eodem cum uate spiritu, non mundi affectibus agitur, sese a grauioribus tentationibus, morteque aeterna Dei beneficio seruatum, & ipse praedicat, & alios ad idem faciendum prouocat, suoque exemplo adhortatur. Videtur enim Psalter ad antiquam illam Chaldaeorum in Babylonico exilio crudelitatem alluisse, in qua, ardenti in Iudaeorum populum commotione, atque ira concitati, sacrum Dei fanum combusserunt, ciuitatem funditus exciderunt, quamplurimosque promiscuae multitudinis uiros ac foeminas obruncauerunt. Tum enim cuncti ad unum Iudaei ab hostibus absumi posse uidebantur, ni Dominus sui populi partem seruare decreuisset. Quid illos, quos ab Aegyptiacae seruitutis iugo, dirouae Pharaonis imperio ereptos legimus, tum dixisse credimus. cum siccis traiecto pelago uestigiis, insequentes hostes ab illis ipsis undis, quae sibi tutum praebuerant iter, obrui & suffocari cernerent? Nonne illud? totum profecta genus nostrum in tetris illis undis deperiisset, nisi Dominus iamiam praesenti periculo affuisset, seruassetque ab interitu illo horrendo, quo propriis oculis nostros interiisse hostes uidimus. Verum umbra haec omnia futurorum. Nos uero quibus non tantam aquarum Aegypti transitus, quantum e fonte sacro regeneratio ac gratiarum copiae tradita, alium Pharaonem, alios Aegyptios, aliaque pericula cogitare consueuimus. Ut enim ea omnia illa, quae ex ueneranda ueterique historia accepimus, uera sit illud tamen ante omnia asserendum, Pharaonem, ducemue Chaldaeorum, ac regem, Satanam infensissimum Dei ecclesiae hostem cum impiissimis suis ministris, qui immundum fere totum occupant, grauissimoque tum priuatarum legum, tum publicarum oppressionum iugo atque imperio opprimunt, praemonstrasse. Quid innumeras concupiscentiarum flammis a mortis autore, in ipsis animae medullis exuscitatas me

{pdf 820, p. 402}

morem? quid nexus? quid pedicas tanti aucupis ad perniciem nostram undique tensas recenseam? Certe nisi Dominus nobis affuisset, in nobisque quae est eius bonitas mansisset (dicat nunc Israel, fateatur, non dissimulet donum Dei) nisi, inquam, nobis affuisset, suoque beneficio seruasset,

{124.2-3} Cum exurgerent homines in nos, forte viuos deglutissent nos.

Saeuitiam hostium his uerbis aperit, seque ad consuetum inter homines morem transfert uates. Sic enim in atrocioribus acceptis iniuriis dicere solemus: Adeo me ille uehementi insequitur odio, ut me uiuum absorbere uelle uideatur. Ita sane impudentissimi homines probis, eorumque rebus ac fortunis inhiant: ita daemones, ita tetri illi omnes inferorum spiritus, diuinae iustitiae studiosos, mansuetos, a libidinibus, abhorrentes, simplices, publicarumue rerum, non priuatarum amantiores: eos dico qui uere, hoc est, iustitiae illius quae a fide est, uita uiui sunt, deglutire satagunt. Quanti, proh Dei fidem, laquei uiro illi, qui spretis caeteris, toto anhelitu, totis insuper animi uiribus atque intentione, tenuem saltem ueritatis portionem attingere contendit, sunt positi? Non tam sane uolubili gyro atque impulsu, a pueris solet turbo exagitari ludicrus, quam hinc atque hinc ab appetentiis uariis, a motibus animae effraenibus ab aegritudinibus, formisque uariis continuo impetuntur bonarum rerum studiosi & cupidi. Contra hos quidem condita omnia (de coelestibus animus id dicere est nefas) conspirasse uidentur. In tot igitur rerum difficultatibus & periculis, quomodo de nobis actum iam esse non asseremus? quomodo non prorsus nos periisse, nisi nos Deus seruasset, sanctissimoque suo patrocinio muniuisset? Miraculo omnino persimile uidetur, tam uastae angustiarum moli interdum non succubuisse.

{124.3-4} Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.

Furor, atque in peruersis hominibus, a recto scilicet iustitiae itinere auersis, ardor & rabies, non tantum ira est, atque excaescentia in optimos quosque, quantum uariarum cupiditatum, auaritiae, ambitionisque aestus & inquietudo: quibus maxime beluis cum quempiam exagitari contigerit, una illico secum, nedum sui persimiles, uerum & modestissimos interdum, atque innocentissimos uiros, eodem procellarum tumultu & impetu, si non eodem peccati genere, & trahit, & miserrimum in modum conuoluit. Hebraeis enim huius uersus initium, cum superioris fine connectitur hoc modo: Tunc uiuos deglutissent nos, cum incensa esset eorum ira in nos. quorum quidem uerborum sensum sic reddit Paraphrastes: Tunc uiuos deglutissent nos: erant enim furiosissimi, & ira maxime accensi in nos. Solent equidem hi, qui molestissimo aut libidinis, aut inuidientiae, & ambitionis perurgentur oestro ac stimulo, impotentia quadam animi, atque ardore in illos, quos sibi in amoribus uel honoribus praeferri aut uident, aut suspicantur, mirabiliter insanire: quod si ferro nequeunt, linguae saltem maledicentia suo infelici morbo & languori, mederi quaerunt. Hinc suspiciones, hinc in moribus, in actionibus, in colloquiis acerbitas: hinc oblocutiones potissimum, caeteraque, quibus mirum in modum distorquentur, uenenati cordis aegritudines exordium habent. Haec enim uitiorum profluvia, aquarum inundationes appellat

propheta: a quibus quidem ni Dei ope seruemur, facile nostra superatur imbecillitas, ipsarumque obruitur impetu, atque exundatione.

{124.5} Torrentem pertransiuit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Non possum equidem non in dies magis prophetae copiam admirari. Hic enim alia translatione hostiles impetus describens utitur: quos sane nemo homo est adeo vel in terrenarum rerum abundantia, vel diuinarum quoque, et dives, et copiosus, qui cum alias, tum nostris prasertim temporibus effugere valeat, nisi Dominus adsit fautor, & tutelarior. Nota porro est translatio, ualdeque in uatibus familiaris, qua ad uim hostium subitam, atque inopinatam exprimentam, rapidissima flumina, subitasque amnium inundationes, eo maxime tempore, quo eliquentibus nivibus, saxa, mixtasque campis arbores & segetes, uel cum stabulis armenta tra-
[trahunt]

{pdf 821, p. 402v}

-hunt, mirabili artificio transferunt. Ecce, ait Dominus in Esaia, adducet super eos aquas fluminis fortes & multas. Sensus igitur is erit: Nisi nos seruasset Dominus in aquis malorum periissemus, transissetque per animas nostras, id est, per nos, torrens angustiarum uiolentissimus atque inopinatus: seu, ut legit Hebraeus, aqua petulantiarum: qua uoce idcirco usus est uates, ut eorum uim exprimat, qui in caeteros, sola libidine ac petulantia moti, ferocire soliti sunt. quanquam aquam intolerabilem, aquam elatam uertat Felix, sed contrario a nostro sensu, hoc modo: Tunc, id est, nisi nos Dominus conseruasset, transissent super animam nostram aquae elatae, turgidae scilicet, ac ruptis aggeribus, per campos late exundantes. Vel, quod magis placet, ad Rubri maris fluctus allusit. Quod uero per aquas, aquarumue inundationes insperatas ac subitas, tentationes & aduersitates, quibus Dei populus a coelesti patre erudiri soleat significant, non semel a nobis est dictum. Quis tam ergo audax, tamque sibi fidens, ac de sese, suaque ope securus est, qui improborum hominum, nequissimorumue spirituum, quibus, ut inquit Iob, non est potestas super terram quae comparetur, dolis atque insidiis se posse reluctari autumet, absque diuino fauore ac patrocinio? Quare

{124.6} Benedictus Dominus qui non dedit nos praedam dentibus eorum.

Seu, ut legunt Hebraei: Qui non dedit nos praedam dentibus eorum. Hostium feritatem ante oculos ponit uates, cum illos beluis praedam dentibus dilaniantibus comparat. Laudandus, ait, Dominus, qui non permittit nos praedam dentibus eorum esse. quorum eorum? daemonum scilicet, curarumue cor nostrum miserabiliter discerpentium: ad haec crudelium tyrannorum, parricidarum, foeneratorumque, ac reliquae eiusmodi ciuitatum pestilentiae atque exitii. Nullum enim, quod sciam, beluarum genus est, quod in suam speciem, nec in alienam quidem, ita saeuire audeat, quantum homo in hominem. Quis iam tener cuniculus, aut lepus timidus, tam uel a canibus, uel a fera aliqua syluestri discerpi unquam uisa est, quemadmodum Dei plebem, hoc est, pauperes, orphanos, uiduas, ciuesque res suas secum agentes, a malis rerumpublicarum ministris, a foeneratoribus, ab auarissimisque magistratibus & principibus, passim per

urbes, per oppida, per uillas quoque, ac solitarias amnium ripas, dilaniari, atque ulla absque commiseratione funditus a propriis laribus, a patria a uita tandem conuelli atque extirpari quotidie cernimus? Veruntamen, quod prorsus atque in primis exoptandum erit, animus in Dei lege apprime eruditus & firmus, etsi in ea parte, quae ad carnem spectat & mundum, excruciaci contingat, illa tamen, qua Deo propior est, & similis, mundanarum rerum euentus omnes perinde contemnere consueuit, uti solet minutissimas atomorum in aere incursiones, uel gigas uel elephas. Nouit enim uir iustus, quam nihili aestimanda sit huius mundi instabilitas: quamque ex animo paruipendendi sint hi, qui nihil in uita adeo curare prae se ferunt, quam ut deorent Dei plebem sicut escam panis. Tantum enim abest ut subacto corpore, amissisque facultatibus, & rebus quoque ipsis quae uitae usui sunt, ab aliena ingluuie & crudelitate raptis, mens hominis suae coelestis originis oblita nimium turpiter, aut in curandis rebus humanis, aut in deflenda earum amissione atque inopia angatur, ut etiam exultet, illo sua dirigens consilia, ubi firma sunt omnia, & aeterna: quae solummodo, cum uera bona sint, & quae minime a uiolentissimis possessoribus occupari possint, amanda sunt, studioque omni & diligentia quaerenda: caetera uero umbrae somnium. Benedictus igitur Dominus, hoc es, laudibus omnibus efferendus, postquam nos tali insigniuit spiritu, eaque uita animauit, ut nihil nobis minus timendum sit, quam ut in praedam eorum dentibus faucibusque cruentis tradamur. Potior enim pars nostri intacta, uiuax, telisque fortunae impenetrabilis, atque inaccessa perstat in sua origine, in Deo scilicet, summo stabili, perfectoque bono fixa & immobilis.

{124.7} Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.

Cum Psaltes bonis ciuibus aduersantium ferociam, per dentes, truculentiamque illorum inexorabilem, omnia pro libidine pertrahentem, significasset: per laqueos, occultas rursum eorum machinationes atque insidias detegit: periculorumue magnitudi-
[magnitudine]

{pdf 822, p. 403}

-dine expressa, diuini auxilii magnitudinem in sequentibus, ardenti, ut solet, affectu celebrat. Omnis enim tentatio laqueus est, siue carnis, siue spiritus sit. Laqueus exilium est, cruciatus, calumnia, persecutio: addo & his morbos, infirmitates uarias corporis & aegritudines: quae quidem omnia cum ad exercendam animi fortitudinem ac fidem, a Deo permittuntur, tum quoque ab inuisibilium inimicorum astu & sagacitate inferri solent, quo a recto mentis statu deiecti homines, infidelitatisque aut desperationis insidias non aduertentes, in aeternae mortis laqueos impingant. Quod quidem periculi genus considerans Paulus ita orat: Det illis Deus poenitentiam ad cognoscendam ueritatem, & resipiscant a diaboli laqueis. An uero laquei, ineuitabilesque tendiculae sint, honor, dignitas, pecunia, formaque, ut appellat Lactantius irritabilis, ac bonum ipsum tandem in ipso cordis arcano delitescens, & se amans, innumerabilis hominum multitudo, uel eorum quidem qui excellentioris uitae statum profitentur, per orbem undique uniuersum capta testari potest. Verum ab huiusmodi deceptionibus se Dei ope, non propria, extractum praedicat uir ille, qui affectus omnes suos ad diuina solummodo peruestiganda erectos habet, seque timidissimae & salacissimae, atque adeo fugaci auiculae comparat. Ita enim homo est in se manens, sibi que fidens. Nec ab re quidem:

nam si suam cum improborum hominum potentia, aut daemonum ferocia, uirtutem aequiparare uelit, quid eo timidius, ac magis debile? Si carnis rursus fomitem, atque irritamenta consideras, quod animal homine salacius? quod impudentius? quod magis ab honesto connubio, toroque, ut illum appellat apostolus, casto, & immaculato, alienum? Porro si contingat ipsum aliquando intrare in iudicium cum Deo, fugacior quidem est, quam ipse unquam fuit aut Cain, aut eius parens Adam. Similem igitur humanam naturam timidissimo passeri & lasciuo esse affirmat uates, ereptam tamen Dei beneficio & dono, & uenatorum laqueis atque insidiis. Fracto enim rete, aut laqueo, ille, cum nec speraret quidem, actutum euolat. Ita & nos, ait uates, contrito laqueo liberati sumus. [{124.7}] A quo quidem? a nobis? a nostra industria, nostroque conatu & uoluntate? neutiquam certe. Nam si nos exacte consideremus, nihil nos aliud esse fatebimur, praeterquam passerem ad minimum foliorum motum perterrefactum, atque in fuga praecipitem. An ab hominibus caeteris? an ab amicis? Minime quidem omnium: nam uana est salus hominis. Proinde qui eruet homo hominem de laqueis, deque occultissimis animae erratis ac lapsibus, cum uir, ut ait Michaeas, fratrem suum uenatur ad mortem? Omnia igitur cum fraudibus, dolosisque artibus, atque imposturis plena sint, praesidiaque humana infirma, & temporaria,

{124.8} Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui feci coelum & terram.

Vide quomodo uir iustus, quique spiritu non huius mundi, ut inquit Paulus, sed diuino ducitur, omnia bona sua coelesti patri fert accepta. Non in rerum humanarum, inquit, aut principum, caeterorumque superiorum gratia & fauore, sed in nemine Domini, & eius quidem qui coelum & terram condidit, nostrum sit adiutorium. De immensa enim Dei potentia, gloriatio haec est. Cum profecto multa sint proborum fidei argumenta, quibus in angustiis tum animi, tum corporis positi, se prorsus a Dei ope & auxilio pendere uideri uolunt, id in primis nobile, ac laude dignum, cum quis ea quidem ipsa, quae ab humano praesidio atque arte sunt adminicula non contemnens, praecipuam tamen suae salutis uim in Deo positam esse, & credit, & praedicat. Inconstantis igitur animi, parumque creduli & fidelis, uocem illam cuiusdam nostri ordinis uiri fuisse iudico, qui cum ab atrociori lecto cubans angina propemodum suffocaretur, ad chirurgum, qui multis suae artis admotis praesidiis de salute tandem aegroti desperabat, conuersus inquit: Me adiuua, me adiuua o chirurgus: in multis enim tibi benefaciam. Caeterum de coelesti implorando auxilio nulla mentio. Hanc tantam animi consternationem, quae ab aegrotante pectore diuinae beneficentiae memoriam omnino excutiat, quis laudare audeat? Suae enim fidei, hoc est, quam imbecillis fuerit uir ille cum sanus esset, tunc in extremo suae scenae actu dedit specimen. Quam porro periculosa sit, ac metu plena, ea quae in animarum perniciem fit per daemones venatio, sic refert Hugo: Inuadunt, in-

[inquit]

{pdf 823, p. 403v}

-quit, primum animas per suggestionem, tangunt per malas cogitationes, mordent per prauam delectationem, masticant per deliberationem, transglutiunt per consensum, traiciunt in stomachum per operationem, decoquunt per consuetudinem, egerunt per damnationem.

**Canticum graduum.
PSAL. CMXV.**

{125.1} Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in aeterno, qui habitat in Hierusalem.

Non semel enim in superioribus psalmis est dictum, confidentiam in Deo vim eam esse, quae sola Dei filios in huius mundi commotionibus & fluctibus, stabiles atque inconcussos reddit. Quod quidem cum aliis in psalmis uates & dicat, & utrem scitu necessariam saepissime inculcet, tum in hoc maxime adeo manifeste aperit, ut nusquam alias huiusce beatissimae operationis facies tum perspicue uideri queat. Comparat enim hominem sic affectum solidissimo monti, fortissimaeque ciuitati, cui undequaque circumiaceant montes, atque ait, quod illi qui in Domino fiduciam omnem suam collocauerunt, non, uel in mediis ipsis tentationum fluctibus ac procellis, nutare poterunt: quemadmodum impossibile est Sion montem nutare posse, aut a propriis sedibus transferri. Dicit aliquis forsan, qui non potius Psaltes uirum in fide solidum, aut Caucaso, aut Atlanti, utpote montibus propter illorum uastitatem immotis magis, comparauit? Familiarem quidem admodum in prophetis esse mentionem ciuitatis Hierusalem, atque eius montis in quo sita est, & regionis, sciunt in rebus sacris erudiri. Eiusmodi enim elocutionum genere supernam patriam, quam alio loco ueluti ciuitatem aedificari asse ruit uates, appellare consueuerunt, quippe quae reconditiorem significantiam prae se ferent, quam quod dicebantur. Ad haec Psaltes ea quae magis Iudaeis nota erant, in quibusque illorum religio apud externos etiam sanctior habebatur, cultusque melior prudentissime in medium afferebat, quo plebs illa corporeis ritibus, & caeremoniis superstitiose nimium addicta, perdisceret tandem rerum umbras aliquando aduentante ueritate desituras, eaque ipsa & amaret, & studio omni perquireret, quae tam nobilis ciuitas, ac mons, occultissimo praesagirent mysterio, Permanent illa sane indiffinito aeuo, atque hi cum illis, qui eius ciuitatis ciues sunt. Siquidem cuius ciuitas aeterna est, ciuem item aeternum esse oportet. Quemadmodum igitur mons Sion stabilis est atque immobilis, ita uir ille, qui in Deo, non in se, suaque ope & iustitia, non in rebus caducis, ac, ut sunt ferme mortalia omnia, uanis, quotidieque in interitum properantibus, fiduciam ponit, non commouebitur in aeternum, non nutabit, non ab intuitu diuini aspectus, sanctaeque Hierusalem amouebitur unquam, quin potius stantes erunt pedes eius in atriis tuis, o beata ciuitas. Visa est aliquibus huius primi uersus litera aptari posse, ut ille non labare gressibus dicatur, qui spem suam omnem collocauit in Domino illo, qui habitat in Hierusalem. Sed ex hebraeo alia est, sensusque alius. Sic enim illi: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur: in aeternum habitabit. ut ex numero singulari pro plurali hebraismum notes. Postea uero sic sequentem incoeptant uersum: Hierusalem, montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui ex nunc & usque in aeternum. Nos uero,

{125.2} Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in seculum.

Si in superiori uersu hebraismum, alioqui in hoc uate frequentissimum, uitare efflagitas, sic interim illum proferre poteris: qui confidunt in Dio, similes sunt monti Sion, qui non

mouetur loco, sed in perpetuum sidit. Utcunque ista accipias, aeternum Dei auxilium hic enarrat uates. De terrena enim Hierusalem tam nobile cani elogium, quod ex nunc & usque in seculum montes habeat in circuitu, defensionem scilicet aeternam, absurdissimum est opinari: cum legimus haud semel illam motam, depopulatamque, ac tandem a Babylonis, & Tito postea funditus euersam. Non relinquetur, ut ait uatum Dominus, in te lapis super lapidem. Itaque de alia hic dici Hierusalem est arbitrandum, quae, ut puto, ea est, cuius participatio eius in idipsum: hoc est, cu-
[cuius]

{pdf 824, p. 404}

-ius animus unus, cor unum, mens una, propositum unum. Verum cum impossibile sit aliquam saltem, si non perfectam, Ecclesiam in terris non esse, simulatque nobiscum conuersari usque ad mundi finem pollicitus est autor uitae, hanc canit uates coelestibus spiritibus ueluti muris ac montibus circunseptam. Hi enim, ut asserit Paulus, mittuntur in ministerium eorum qui regnum capiunt salutis. O tutam custodiam. Ponetur, clamat Esaias, in ea murus, & antemurale. Ecce mons, ait, plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisaei. Vide, te oro, quomodo cuncta in hac custodia, concita, praesentia, atque ardentia sint, cum eam equis curribus igneis circumcurrentibus comparat. Sicut igitur montes in circuitu sunt terrenae Hierusalem, quae occidit Dominum, ita ipse Dominus humani generis amantissimus est in circuitu populi sui. Quod quidem additum puto, ne nobis in montibus alioqui ad custodiam nostram intentis, manendum esse cogitaremus. Nam quidem in montibus, hoc est, in angelicis solummodo spiritibus, aut aliis quamuis sublimibus beatis animis, aut etiam in excellentissimis nostris uel uirtutibus, uel actionibus sperare non tutum est: uerum in uertice montium, qui Christus est, & sperare, & bonum omne nostrum statuere, tutissimum. Etenim ad eum, ut uaticinatur Esaias, non ad eos, fluent omnes gentes. Caeterum quemadmodum aduersarius noster, ut diuus refert Petrus, in circuitu obambulat quaerens quem deuoret: ita Dominus peruigil custos non dormit neque dormitat, ut custodiat Israelem, hoc est, illos omnes, quos ab aeterno suos esse decreuit.

{125.3} Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.

Dura nimirum in rebus humanis uidetur conditio, cum adeo & saeue & diu quorundam improbitas in rebus publicis imperium, quod uirgam uocat propheta, tenet. Nulla enim nocentior hac potest esse in uita ciuili pestis ac perniciēs. Proinde portenti simillimum esse arbitror, bonorum innocentiam in tam ampla superiorum nequitia & ambitione illaesam seruari posse, Est profecto aliquid fidei puritati non parum officiens, debiles fere omnes uulgo in iustitiae semitis, & esse, & uiuere: at ipsa capita ipsosque pastores & patres, in subditorum perniciem, ut sic dicam conspirare, foedissimamque uitam (bonos semper excipio) uiuere, quis non inconsolabiliter defleat? quis non interdum in bonarum institutionum proposito & uoluntate uacillet? Cui non aliquando in mentem ueniat, quo nobis aliquis tranquillius uiuendi locus relinquatur, satius esse turpissimis quorundam potentiorum moribus assentiri, atque cum illis una in uariarum libidinum ac cupiditatum coeno uolutari, homicidiis quoque, rapinisque tum publicis tum priuatis conspurcari, quam in uitae puritate & candore perstantes quotidie affligi, deglubi,

emungi, ac uita tandem una cum patria & fortunis millies in die una exui? Considerans enim uir iustus (iustum scriptura saepenumero non perfecte iustum, sed iustitiae amantem, & studiosum appellare consuevit) malos plerumque in coetu hominum potentissimos esse, cunctamque pro libidine, abiectis interim legibus, calcatae pudore atque honesto, exequi, bonos uero intolerabili iugo premi & uexari, eo pene adducit ut desperet omnino, decernatque nusquam pacatam uitam inueniri, praeterque in illis, qui ideo felices uidentur, quia impii & scelerati. Sed quoniam, ut inquit August. Dei sapientiae, quae omnia bene facit, etsi non uideamus quomodo, est credendum, sperat fore ut aliquando auferatur opprobrium ab Israele, atque a tritico zizania auferantur, ac spinae: compertissimum iam esse debet, neque omnino in dubium trahendum, quod non relinquet Dominus uirgam peccatorum super sortem iustorum: hoc est, non diutius patietur, licet ad tempus ita nostris exigentibus peccatis conniueat, potentiorum saeuitiam adeo super Dei populum, quem sortem Domini appellat Psaltes, efferri, quo minus faciat, ut inquit Paulus, cum tentatione prouentum. Tantum porro abesse debet, ut extendat manus suas uir probus & candidus, ad operanda scelera, per quancunque obuiam occasionem, & pessimum aliorum exemplum, ut etiam ex tam mala causa optimam sibi uiuendi perstruat rationem. Viuant igitur hi ut lubet, utque uenter atque ocium in plumis conquiescens suggerit: nobis autem, quibus ipse Dominus sese in circuitu populi, in munitissimam scilicet tutelam esse

{pdf 825, p. 404v}

est pollicitus ex nunc & usque in aeternum, aliud uitae genus est quaerendum, aeterna uidelicet requies ac mansio, in quam non intrant, ut ait uates ille eximius, polluti. Interim uero, ut a sanctissimis uiris admonemur, cauendum nobis erit, ne a potentissima mundi huius, aut daemonum tyrannide, uel parum deterriti, a rectitudinis studio atque amore, animum relaxemus. Perstandum quippe est, ac ui omni contendendum, ne a iam concepta salutis opinione, & fide relabamur. Quid si illud interim Esaiae nostris hisce in exulceratis temporibus nos qui uiuimus, qui residui sumus, adimpleri cernamus? Restituam, inquit Dominus, iudices tuos, quemadmodum olim fuerunt, & senatores tuos sicut antiquitus. Verum ne in hoc quidem tanto negotio spes desit certa, animusque penitus defatigetur ac desperet, uide quid pro nobis beatissimus oret spiritus:

{125.4} Benefac Domine bonis, & rectis corde.

Orat hic uates, seu potius uatis spiritus, hoc est, diuinus ignis, quo piis populi pii contingant principes. Principibus enim bonis orbi concessis, quae iam plebs, aut respublica aut ciuitas, aut regio quoque non aequitatis studiosa erit? Ab illa sane digni te tanquam a coelesti idea & forma, minutioris gregis qui sunt, totam uiuendi normam desumere soliti sunt. Caeterum quis iam tam fracto est animo, quin ex hac sancti spiritus supplicatione animatus, futuram a tot malis liberationem sperare audeat? Benignus esto, inquit, tuis, ac beneficus o Domine: hos adiuua, hos, ne a te ad hostes deficient, muro tuo inexpugnabili, hoc est, cura tua indeficiente, coelestiumque spirituum ac doctorum prophetarum, legisque tuae scribarum & interpretum uallo ac propugnaculo circumcinge. Boni quidem ideo sunt, & recti, quia tu eos, & bonos, & rectos esse uoluisti. Tua itaque defende munera.

{125.5} Declinantes autem in obligationes, adducet dominus cum operantibus iniquitatem.

Improbas actiones prauosque animi affectus, ac motus consulto immundos, obligationes hic uocat Psaltes. Et quidem nullum in rebus humanis nodum esse opinor, qui tam arcte res queat corporeas perstringere, quam arcte deuincit ac ligat animam peruersa mens, corque a pietate alienum, atque ad humanitatis opera prorsus plumbeum. Postquam igitur omnia benefice bonis euenire oratum est, in obligationes impietatis proruentibus hoc imprecatur modo: Illi qui a rectitudinis uia, hoc est, a te, tuisque suauissimis afflatibus & iussionibus in improbitatis laqueos atque obligationes sua se sponte, adducet Dominus: hoc est, a se abiiciens, in tenebras proiciet exteriores cum deditis iniquitati, id est, ex professo malis, planeque perditis ac deploratis, quando scilicet constitutis ad laeuam haedis, agnisque addes terram, immensus clamabit iudex: Discedite a me omnes operari iniquitatis, nescio uos. Ite, quid est in mora? ite in ignem aeternum. Hae sunt quidem obligationes, hi laquei, haec uincula, a quibus suos liberandos Dominus in Euangelium praedicat, cum dicit: Si uos filius liberauerit, uere liberi eritis. Mirum si in Christiana religione iam sit, qui se medio alio, quam Dei filii, ab impietatis nexibus, quibus irretitur, eximi uel putat, uel quaerit: ubi iam innumerabilibus, sed miserandis exemplis notissimum sit, animum illum qui ex sese, aut proprio arbitrio, bonisque naturae, a scelerum nodis, quorum uia arctat, se excutere cogitet, implicari magis, magisque in noua quotidie peccatorum monstra conici. Soli enim Christo Deo homini, homines uiuificandi, atque a suis illis uitiorum obligationibus eximendi, data est a coelesti patre uirtus, ius, potestas, imperium, non nobis, quanquam & nobis quoque, quos suos in salutis nostrae negotio cooperatores esse uoluit. Quod nos legimus, in obligationes, Hebraeis est simpliciter, ad prauitates. quamuis ex illis sint qui hunc uersuum sic reddant: Extendentes lubrica, seu facientes declinare. hoc est, alios facientes cadere, atque a uia iustitiae declinare, deduci sinet cum operariis iniquitatis in aeternam mortem. Hunc enim sensum secutus Paraphrastes cum superiorem uersum ita reddidisset: Benefac Domine bonis, & his qui candido sunt pectore, mox adiecit: Illos uero qui alis praecipita parant, ire ipsos per praecepta coge, quemadmodum sceleratos homines aequum est. Verum

{125.5} Pax super Israel.

{pdf 826, p. 405}

Id tandem illud est praemium, mercesque infinita, quam summus pater in se confidentibus pollicitus est dare. & est perinde ac si dicat: Cum sceleratos homines, atque eos quidem qui a uia iustitiae in impias declinant obligationes, status ille futurus, quem illis qui sponte sua sunt mali, atque aliis infesti, praeparasti, maneat: quis illos, quorum uitam tu tibi, quae tua est incomprehensibilis prouidentia ac bonitas, ad ueram colendam pietatem formasti? quod bonum? quis finis? Pax scilicet, & tranquillitas. Vno enim uerbo nostram expressit haereditatem, quae Christus est: nam ipse quidem qui fecit, ut inquit Paul. utraque unum, hoc est, & animam & corpus, alioqui Deo rebelle, ad diuinum obsequium una concordet, pax nostra est ac requies, cum interim non sit pax impiis, dicit Dominus. Porro Israel, ut quidam interpretantur, directus Dei dicit, hoc est,

qui recto itinere a solo Deo ducit. Nam postque facie ad faciem Deum uidit Iacob, mutato statim nomine uocatus est coelitus Israel, fidelis scilicet, atque a pientissimo patre Deo directus: unde Israelitae dicti sunt fideles, & grex Domini, qui a uero tantummodo pastore ducunt, in rectaque statuunt uia. Ipse igitur solus est, qui nostra studia, nostras operationes, nostrum arbitrium, nostram uoluntatem, atque caeteros animae & motus & affectus sedat, ac dirigit. Caeteri uero quibus nostri cura est demandata, nisi propterea sese praeferri aliis appetant, ut nos a dissolutis uitae gressibus reuocent, in rectae collocent uia, instruant, & ut sic dicam, in erroribus mortuos animent ac uiuificent, fures sunt, & ut Domini uerbis utar, latrones. Magna equidem debet esse apud homines superiorum suorum autoritas, sed maior Dei. Diuina enim maiestas imperatoriae, ut ait Ambrosius, non est subiecta, multo minus autoritati, qui idcirco libenter caeteris praeponi ambiunt & quaerunt, ut ex aliorum solummodo subiectione atque humilitate grandes appareant. His nulla, nec in terris quidem: illis amplissima atque aeterna, etiam in coelis pax erit ac quies.

Canticum graduum.
PSAL. CXXVI.

{126.1} In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

Diuinum hunc psalmum alii, ut lubet, de Aegyptiaca seruitute, aut cum reduces e Babylone Iudaei a uicinis hostibus, ne sanctam instaurarent ciuitatem, impedirent, exponant: nos altiori sensu spirituique propiori, rem tantam indagandam esse arbitramur: & dicimus humani hic generis captiuitatem a peccato, a lege, a morte per Christum, qui captiuam duxit captiuitatem, solutam recenseri, atque ab animo tanti beneficii haud immemore sub typo celebrari. Verum (ut nunquam alias fuerit satis mundo nota felicissima haec liberatio) modo tam repentino euentu, mirandum quendam in modum, cunctisque seculis stupendum apparuit, ut ferme uideamur non rem ipsam, sed spectrum ac somnium intueri. Dicit quidem facile non potest in quam horrendis ignorantiae tenebris hucusque a multis annis antea uolutatum sit. Quid nunc? o felicem aetatem. Unde tam insperatum, tamue inexpectatum effulsit lumen? Proh Dei pietatem. Quis unquam antea in superioribus aetatibus, populos, urbesque integras & regiones aut legit, aut oculis propriis uidit adeo certatim ad audiendum Dei uerbum ac legem concurrisse? Non iam fabulas indoctas secuti, ut olim, nostri doctores illectant vulgum, sed Dei praesentiam, uirtutemque infinitam, & bonitatem simplicissime, quae natura est ueritatis, diuulgant. Iam quidem fidelium corda in persuasionibus parum castis inueterata [sic, inueterata] repuerascunt tandem, nouamque formam induentia, pro falsis ab impiissimis temporibus, ne dicam hominibus, aduectis, uera, solida, puraque degustare incipiunt. Quid mercatorum? quid militum, quorum salus aliquibus uisa est impossibilis, poenitentiae lachrymas, & gemitus memorem? quid uitae puritatem? quid illud unum, in illo uno ducum omnium facile principe perfectissimae iustitiae exemplum referam? In huiusmodi igitur a peccato & morte conuersionem acciti, non gaudebimus? non erimus sicut consolati? Hebraei sic habent hunc versum: Cum reduceret nos Dominus captivos ex Sion, eramus ceu somniantes. Olim enim, ut de priscis illis umbris aliquid loquamur, Iudaeorum populus in Babylone

captiuus, super flumina illic sedens, in memoriaque charae patriae flens, & se excrucians, in salicibus in medio eius suspenderit organa, signum nimirum extremi moeroris & luctus. Postea uero liber factus, de exili: solutione Deo opt. & maximo. gratias agit, & dicit, se adeo ob captiuitatis liberationem ex Sion laetatum esse, quod factus sit sicut consolati: hoc est, quemadmodum illi, qui consolationem aliquam insperatam accipientes obstupescunt, atque attoniti fiunt: ut olim Petro accidit, qui e carcere ac bois, ministerio angeli solutus, prae gaudio stupidus factus, putabat, ut in Apostolorum Actis scribit Lucas, se uisum uidere, cum tamen a carcere uere educeretur. Quare non in docte Hebraeorum interpretes, eramus ceu somniantes, reddiderunt Solent enim homines felicitatem aliquam inopinatam adepti, prae gaudii magnitudine uideri sibi somniare, non rem ipsam cernere. Unde Paraphrastes: Prae gaudio, inquit, uisi sumus non assequuti tantum bonum, sed somniare. Atqui hic ex his uerborum tropis uides, quanta fuerit olim, ut nunc quoque, diuinorum beneficiorum magnitudo, postquam ex animo considerata reddit homines plane stupidos, ac in luti somniantes. Et quidem ego, alioqui in rebus caeteris non prorsus amens, cum haec quae quotidie fieri uideo, contemplor, non possum non summopere gaudio, quod me occupat, efferri, ac plane ineptire. Qui non usque adeo gestiam, atque ex me prorsus exeam, ut prae laetitia, ex consideratione tam immensae largitatis nuper mundo coelitus factae, dementer, atque insaniam? cum uideo Dei gloriam hactenus a nostra praesumptione, temeritateque & impudentia obscuratam illustrari? uerum iustitiae solem, non mentitum, exeri? hominem uero per uitiorum deuia iam diu aberrantem, ad patriam, ad uitam, ad lumen, ad Deum restitui? Vix enim, etiam cum uideam, ea fieri credo. Tam quidem immensa in tam perdita aetate nunquam ausus essem optare. De improviso igitur lux haec effulsit, atque subitis sese in hoc nostro caliginoso radiis insinuauit seculo, quo gratia maior esset, magisque noster excitaretur torpor ad retinendas iustitiae semitas, a quibus superioribus seculis tam turpiter erratum est. Modo eiuſcemodi libertatis cognitio non recte accepta, illuc nostram non impellat arrogantiam, ut & praedicatores in temerariam uerborum, ut a nonnullis fieri audio, prorumpant audaciam atque impudentiam: & hi qui audiunt, periculosiores contrahant errores, ob auditam tam insolenti modo euangelicam libertatem, quam prius unquam, quando orbis ferme uniuersus profundo detineretur ignorantiae somno.

{126.2} Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.

Homo enim in considerandis diuinis beneficiis sedulus & uigilans, atque illo maxime, quo de ignorantiae nube per sanctum Dei uerbum se sentit ereptum, non potest non summa cum iucunditate laetari animo, ac per exteriores quidem sensus, atque indicia forinseca exprimere, praeque se ferre, quanta intus consolatione afficiatur. Ignauia enim torpentes, inque Dei obsequio tardi atque inertes, raro huiusmodi scintillas spirituales & ignem experientes, quicquid cogitant, quicquid loquuntur, quicquid demum agunt, frigidum est, inane, inconstans, ieiunum, inutile, licet interdum a corde puro, atque ore deserto & docto, proficisci uideatur. Ardens enim semper esse debet id illud omne, quod diuino numini semel addicta est, ac consecratum. Os in hoc loco ad interiores affectus attinet: nam & animae sua habent ora, quemadmodum & caetera per transumptionem, membra: alioqui & os & lingua hic idem referre arbitror. Est igitur in homine corporeum

os, est & ad intellectum pertinens: nam per illud primum quidem quaecunque ingrediuntur non coinquinant hominem: quod exit uero, ut sunt malae appetentiae, homicidia, adulteria, furta, & multa his similia, quae ore cordis proferuntur, non solum commaculat animam, sed & occidit. Ab ore enim cordis, ut ait Augustinus, malum & bonum emanans, hominem uel mundat, uel foedat. Proinde furtum, aut meretricia oblectamenta, uel usuras ore corporeo dicere, & nominare, malum esse non est censendum: uerum dum ea uoluntario motu atque affectu cogitas, uoluptatemque inde uenaris, perniciosum, etiam si sileas. Ab isto igitur interno ore illud maxime uim atque efficaciam sumit. Quare hic uates os cordis primum, in quo scilicet gaudium potissime con-

[concupi]

{pdf 828, p. 406}

-cupi solet, nominat, alterum uero postea. Nam ut dolor ille qui cordis penetralibus insidet, non potest non interdum sese per os corporeum, suspiriis, gemebundisque uocibus atque eiulatibus manifestare, ita quae in interioribus animae recessibus concipiuntur gaudia, lingua animi interprete & nuncio, uti solent ad ea detegenda, quae corporeos sensus omnino fugiunt. Ait igit: Facta abs te, o Domine, a peccator uinculis liberatione, solutaue ignorationis captiuitate, ac fracto mortis impero, & legis, tunc gaudio atque exultatione tui sancti nominis, tuaeque misericordiae & pietatis praeconio impletum est cor nostrum, os, lingua, guttur, & quicquid tandem in nobis, aut extra nos est. Verum sceleratorum quorundam mores hic recensere exhorreo, qui ob infinita Dei dona mortalibus collata, blasphemias impiissimas, & maledicta, tam bono Domino rependere non uerentur. Vestra enim res agitur, o principes, si in tanta Dei iniuria conuiuetis.

{126.2} Tunc dicent inter gentes, magnificauit Dominus facere cum eis.

Felix sic: Magnificauit Dominus facere cum istis. Non contentus uir sanctus suo proprio pasci gaudio, ex alieno rursus se admodum laetari asserit. Tanta est, inquit, nostrae liberationis gratia & donum, ut uel inter publicanos & peccatores, nomen sanctum Dei celebretur, ab illisque, qui hactenus a Dei regno uisi sunt extorres, dicatur: Quam magna profecto sunt ea, atque stupenda, quae in suorum gratiam Deus operatur: uera enim (quod hucusque ignorauimus) ac uti tantae conuenit maiestati, dilectione, in populum istum afficitur Deus. Magna quidem, quis iam hoc ambigat? & magnifica inter suos agere solet diuina bonitas. Sic itaque de Dei beneficentia die noctuque assiduis laudibus, etiam in ipsis uulgo triuuis & plateis cani audio. Sic meretrices, sic peccatores, sic impura uulgi tuba iam demum propalata gratia, si non ore pleno, ut queunt tamen, hoc est, rudi adhuc balbutie ac saliuua, tam sublimem gratiam & liberationem praedicant. Gratiae porro diuinae haud immemor deipara uirgo, hoc fere idem, quod hic a uate dicitur, summo mentis tripudio, in sacrosancto suo cantico celebravit. Quia fecit, inquit, mihi magna. Cur sancta uirgo? quia nimirum potens est. Sed & forsitan quia tu sancta? Minime id quidem, uerum quia sanctum nomen eius. An tua ad hoc illum impulere merita? nihil minus, ait: sed quia misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum. Vides ne quomodo in scripturis nostra undique cadit iustitia & uirtus? Ipse enim, non homo, non ars, non ingenium humanum: ipse, inquam,

{126.3} Magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus laetantes.

Repetit iisdem propemodum uerbis quae superiori uersu dixerat, diuinam scilicet bonitatem in suos etiam ab his qui longe a salutis scopo aberant (sic gentes ante filii Dei aduentum erant) cognitam & praedicatam. Adeo, inquit, admiranda sunt illa quae nostris temporibus in electorum gratiam fieri uideo, ut uel athei quidem homines eorum magnitudine moti, uelutique extra se positi, illa hoc modo fateri cogantur: Magnificauit Dominus, hoc est, magna sunt & stupenda omnino, quae circa bonorum uitam & tutelam, a Deo optimo, summo & maximo peragunt. Haud certe generis huiusmodi illa erant, quae Iudaeorum populus, licet electus, licet peculiaris, sors Dei, haereditas, uinea electa, & filius dilectus, & esset, & ab omnibus diceretur, in signis ac portentis expertus est. Vere hi dicunt, quod magnificauit Dominus facere nobiscum, unde quidem nostra omnis oritur laetitia. Magnum nonne illud fuit, stupendum, prorsusque intellectum humanum, quid humanum dico? ipsam quoque angelicae naturae excellentiam & altitudinem transcendens, Deum scilicet ipsummet immortalem, impassibilem, humanisque oculis omnino inuisibilem, in suorum gratiam mortalem factum, aerumnosum, uisibilem, sexcentisque, & eo amplius, angustiis, contumeliis, iniuriis, cruciatibus, & ut sic dicam, mortibus obnoxium? Quae alia, oro, magna, admirationeque digna dici possunt, si haec non possunt? Quid porro aliud in terris, ullaue in regione, ac mundi climate, tam unquam miraculo simile est iudicatum, quam ea quae nunc (o aetatem auream, si coeptis consentiat finis) ipsissimis nostris oculis cernimus, manuque contrectamus, in electorum gratiam & salutem fieri? Fuit ne unquam orbis adeo in densioribus tenebris obuolutus? Fuere ne unquam

{pdf 829, p. 406v}

praeteritis seculis homines tam longe aberrantes a ueritate? a Deo? a uita? salute? Legeram equidem, at nunquam uideram, factum repente de coelo sonitam tanquam aduenientis spiritus uehementis, excutientis, excitantisque, ac ineffabilibus deitatis suae radiis suos illustrantis, replentisque totam domum, ubi erant sedentes in regione umbrae mortis. Sed illud super omnia admirabile, ex parua unius scilicet haeretici scintilla, pessima sane & detestanda, tam uastum inquirendae ueritatis corda fere omnium hominum peruasisse incendium atque ardorem. Adeo ex mala re coelestis pater bonum elici uoluit: quemadmodum e rudi saxo, & informi plerunque, uitandum illud diuinae potentiae indicium, ignem scilicet excuti cernimus. Verum quoniam duo nunc extrema inter sese ualde pugnancia, longissimoque interuallo ab se diuisa, tanquam duos inexorabiles hostes, & eorum unumquenque potentissimum, per orbem uniuersum peruagari conspiciamus, malum uidelicet animam in multis sectae eiusmodi studiose fauentibus: in aliis uero bonum, diuinaque gloriae percupidum: timendum sane est, utri eorum potius a quamplurimis acclametur. Tenera enim adhuc res est, & quae facile ad illorum utrumlibet inflecti queat in meliorem tamen partem casura, si Concilii uniuersalis medela adhibeatur. Expectatur adhuc, utinam non incassum. Proinde quoniam inter sacrum & saxum iacere mundus pene totus conspicitur, uerendum admodum est, orandumque, ac lachrymis & suspiriis, armis scilicet purgatissimarum mentium, insistendum, dieque nocteque ingeminandum,

{126.4} Conuerte Domine captiuitatem nostram sicut torrens in Austro.

Perge, ait, Domine, a dira nos, sicut coepisti, captiuitate educere. Parum enim mortalium saluti profuisse arbitror, ab inanimatarum illos rerum atque idolorum cultura superioribus seculis ereptos esse, si iisdem modo rebus inseruiant, atque in eandem simulachrorum impietatem relabantur: nisi forte turpius, atque adeo periculosius a nobis post agnitam ueritatem peccetur, quam ab impiis olim gentibus, quibus nondum aequae ut nobis iustitiae sol effulserat. Hic itaque a sanctissimo petitur uiro, electas Dei animas, atque animato illi aeternae praedestinationis libro adscriptas, ab impietatis, ignorantiaeque, & aeternae mortis captiuitate, cuius quidem laqueis miserandum in modum hucusque deuinciebant, ad ueritatis lumen, ad fidem, ad pietatem, aeternamque uitam, ac Deum conuerti. Etenim ueram hanc solummodo esse liberationem iudico, a uitiorum laqueis absolui. Alioqui a carceris squalore eximi, aut a tyrannorum sceptrum atque imperio in liberio rem uitae statum reponi, nihil propemodum est, si turpissimis cupiditatibus conspurcatus, uiolentissimo ambitionis domino atque auaritiae pareas. Ab hisce enim crudelibus manicis ac boiis petenda est primum solutio, ab illis postea. Et quanquam ingenuis animis illud quidem iugum graue est, istuc tamen in primis grauissimum, atque propterea quamprimum excutiendum, quod sane fit poenitentiae cruce, hoc est, uoluntaria in aduersis tolerantia, precibus sedulis, lachrymis, eleemosynis, atque illis quidem animi affectibus, quibus maxime nobis diuinam conciliamus gratiam ac misericordiae humilitate scilicet, rerumque humanarum contemptu, ac despicientia illa, quae non ab elato animo, sed quae a contrito atque humili corde proficiscatur. Quanta porro laetitia ac gaudio animus sic liber afficiatur, ex his quae sequuntur facile coniectare possumus, cum illum homini in uastissima & siticulosa solitudine, quam hic, ut censet Felinus, torrentem appellat uates, commoranti, cuique subiti atque inopinati de improviso erumpant aquarum dulcium riuuli, suo more comparat. An uero sic repentina aquarum scaturigo sitiensi sit grata, tute qui legis iudica. Dissimili tamen aliquantisper sensu hunc uersum interpretatur Campensis: Reuoca, inquit, nos e captiuitate cum eo gaudio & fructu, quo terra sitiens excipit fluentes per eam riuulos aqua plenos. Vides ne hic quam graphice nostrae aetatis imago & facies, spiritus sancti penicillo effecta sit? Quae iam solitudo tam arida, tamue zonae illi torridae coniuncta, aut supposita est, quae tam sitiatur, atque aquarum appetat fluentia, & scaturigines, quam nostris temporibus uidimus a populis appeti, sitirique Dei uerbi latites: neque esse tamen, qui ne per cuniculos quidem occultos, ab subterra-

[subterraneos]

{pdf 830, p. 407}

-neos canales, quantum sat esset aquarum educeret? Ex doctioribus enim unusquisque suis contentus fontibus pene dixi lacunis) aut nihil purarum aquarum tradere poterant: aut si poterant, utpote in Ecclesia Dei autoritate summa ac dignitate conspicui, ex longa tamen desuetudine temporum & corruptione torpentes, uel modum ignorabant, uel rem insolitam afferre pertimescebant. Ex quo quidem illud in re Christiana subreperat malum, quod pro uera solidaque pietate, acceptae iam essent uulgo quaedam mentitae iustitiae, ac bonitatis umbrae, & somnia, cum homines, ut queritur Dominus, tenebras magis quam lucem adamarent. Proinde simulatque ex alto lux iam oriri coepta est, fontiumque uiuorum copia iam satis ampla emanare cernitur, optandus is quidem

fructus est, atque ubertas in populis, alioqui siccis & arenosis, quae arenti agro & solitudini, ob aquarum foecunditatem obueneri solet. Austrum dicit (quanquam non me latet ab aliquibus Hebraeorum interpretibus pro austro aridum poni) quoniam in meridionali plaga, in qua solitaria admodum sunt loca atque inhospita, spirans e circumiacentibus proxime, longo tamen interuallo, montibus eliquat niues, unde fertilitas etiam in locis rudibus & incultis saepenumero prouenire solet. Is enim uentus ab hauriendis aquis auster dictus, Graecis est Notus, quae sane dictio humorem significat: ac apud sacros praesertim auctores diuini spiritus gratiam atque abundantiam prae se fert. Nam mortalium uita torrenti, praecipitique fluuio comparatur: quae tamen propter ingenitam nobis, seu potius ex longo usu contractam ignauiam, nescientiae gelu, atque incredulitatis frigore, & bruma remorata, in iustitiae cursu torpescit, & pene in medio ipso sanctarum actio num profluio immoritur, nisi auster ille diuinus, quem ad sui horti foecunditatem, fugato prius aquilone, in Canticis illis suis amatoris inuitat sponsa, dicens: Surge Aquilo, ueni Auster, perfla hortum meum: & afflet, & teporem euehat. Vt enim, quemadmodum diximus, auster per meridionalem plagam transiens, tepidus redditur, atque porro ob sui naturam humore calido uiuidus, solet flumina tardo gelu & frigore constricta, atque a defluuio & cursu retardata soluere, ad pronioremque fluxum, ut rursus fluant, concinnare: ita infidelitatis glacie ac gelu perstricta anima, a salutisque cursu ob superuacaneorum curarum frigus ac torporem uti a remora sisti solent nauigia, praepedita, per sanctissimi spiritus austrum, hoc est, diuinis afflatibus atque aspirationibus adiuta, in interceptum iustitiae cursum redire incipit: suumque periculum aduertens, clamorem huiuscemodi cum Psalte ingeminare non cessat, quo suam Deus tandem captiuitatem rumpere, atque in tutiori portu res suas collocare uelit. Perstringunt enim animam infelicissimis nodis, uastum ueluti Laocoontem fatales illi colubri, malus mos, mala in peccatis consuetudo, peruersa item studia, fraudulentiae, simulationes, simultatesque, turpia ocia, illecebrae, & cupiditates: quae omnia adeo tenaciter nostris iam adhaeserunt uisceribus, ut pene connaturalia nobis, nobiscumque nata appareant. Quare tam insolubiles propemodum nexus, tamue induratum nostrae infelicis naturae, turpissimaeque consuetudinis, & frigus, & gelu, ex nobis dissoluere aut eliquare non ualentes, ad te & Domine, qui nostrae ariditati, nostraeue solitudini & deserto, auster es, atque humor uiuidus & salutaris, confugimus, nostrosque laqueos & catenas expauescentes, si non palam, quia non audemus, at saltem in occultis animae anxietatibus clamamus, uociferamurque: Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut conuerti solent in liberiores cursum torrentes niuibus pleni, geluque constricti, sed suauiissimo austri flatu resoluti. Vides hic, credo, quomodo peccata nos ligant ac stringunt, quemadmodum aquam, ne fluat, frigus, ac gelu: quo tamen austri flatu resoluta, ad suum illum naturalem illapsam reuertitur fons, per amoenasque herbidi aluei spondas ruptis algidis illis obicibus properat. Ita sane spirante sancti spiritus austro, a peccatorum glacie soluitur anima, atque ad coelestem patriam per apricas diuinorum praeceptorum ripas sua sponte accelerans, hostibus suis formidabilis incedit. Verum quia in eiusmodi cursu labor est: & cum maxime in hisce caducis labantibusque tranquillitatis humanae successibus speret quies & pax, tum passim apparet crux, ac undequaque emergunt difficultates, & hae quidem uariae, ac sui dis-

[dissimiles]

similes: non propterea tamen abiiciendus est animus, neque a uia iustitiae, uel parum quidem, declinandus, quoniam

{126.5} Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.

Est terrena profecto, ut in agris atque agellis uidemus, satio: est etiam spirituali quae, ut diuus inquit Augustinus, in lachrymis fit. Quare beatos illos fore asseruit Dominus, qui in luctu uitam ducere instituissent. Beati, inquit, qui lugent, quoniam consolabuntur: quod idem ferme est, quod hic dicit, illos uidelicet in exultatione postea metituros, quod prius in lachrymis seminarunt: hoc est, qui in cruce ob Christi amorem totam uitam egerunt, carnemque cum eius concupiscentiis, ut inquit Paulus, cruci affixerunt. Infelicissimum enim illud hominum genus esse arbitror, qui cum in carne seminant, id est, cum omnia bona sua in corporeis commodis & uoluptatibus (ueluti semina in campis iaciuntur) & ponant, & statuunt, sese in perpetuo quodam uitae gaudio fore opinantur, cum tamen interim huiusce mundanae laetitiae extrema, ut clamat Salomon, luctum occupare non ignorent. Sensus igitur: Illi, cui iam libertas ea, quae per sancti spiritus austrum fit, contigit, summopere curandum erit, ne dissoluta gesticulatione, leuique laetitia ac euanida, ineptiat, sed in lachrymis potius, singultibus, atque amaritudine annos traducat. Quis, oro, uel ex iis maxime qui sponte iam sua boni sunt, a lachrymis temperare poterit, cum quam longe a recto iustitiae itinere peccando aberrauerit, cogitat? Quis absque horrore, luctuque animi ignem illum tetrum ac mire ardentem inferorum, plagasque & cruciatus, quos breuissimis sibi asciuit uoluptatibus, ac plane commeruit, animo recensere poterit? Quomodo is miserandae atque aerumnosae omnino huius uitae peregrinationem & incolatum, quo uelimus nolimus, habitare cum habitantibus in tabernaculis Kedar cogimur, siccis oculis uersabit animo? Saxeus enim ille est, ac durior silice, qui, cum flagitia illa intuetur, quorum turpitudine quotidie ab ipsis domesticis fidei, uel in ipso secretissimo ecclesiae gremio, diuinam offendi maiestatem conspicit, non effuse lugeat, ac cum propheta illo, suis dari oculis lachrymarum fontem exoptet. Peccat anima, & ea quidem quae non corruptibilibus auro at argento, ut inquit Petrus, sed precioso sanguine agni immaculati, filii Dei, est acquisita, & ego a lachrymis cessabo? Rideant, rideant alii, proximorumque suorum peccata ac lapsus ludibrio, ut lubet, habeant, & derisioni: mihi certe huiusmodi uiuendi mos & modus, nunquam Christianus uisus est, sed Getulus potius, atque omnino impius. Contra uero, qui seminant in benedictionibus, de benedictionibus quidem metent aeternam pacem, aeternam requiem, aeternam laetitiam. hoc est quod hic dicit, in exultatione metent, perenne scilicet bonum, praeter id quod in hoc quoque seculo restitutae religionis optatam uidebunt messem.

{126.6} Euntes ibant & flebant mittentes semina sua.

Describit hic uates illos, qui in lachrymis seminantes, atque suspiriis, gaudium postea, &, ut pollicitus est dominus, exultationem obtinebunt. Hi quidem ignauiam horrentes ibant solliciti, accelerantes nimirum tanquam peregrini ad patriam, flentesque portabant semina sua: uel ut legit Abram Ezra, uas seminarium, quod est corpus humanum, quo ueluti quodam animae uehiculo nostrae feruntur operationes, atque ante nos ad iudicium praemittuntur. Quis enim ex semine prodire fructum non fateatur? Ita ex actionibus a fide, atque amore proficiscentibus aeterna solet prouenire felicitas ac

beatitudo, nobis alioqui per fidem Iesu Christi, atque eius cruorem & necem conciliata: ne gloriatur homo, ut inquit Paulus, quasi ex operibus. Peragunt itaque sanctissimi Dei uiri suae uitae cursum non absque summo animi dolore, & moerore, propter ea, quae quotidie in honoris diuini contumeliam fieri intuentur, non deficientes tamen interim a coelestium admonitionum, atque exemplorum satione & cultura. Hos quidem sic admonet Paulus: Nolite deficere benefacientes, tempore enim suo metemus non deficientes. Etenim illud in primis in diuino obsequio requiri asserunt, in uirtutum scilicet itinere satis per se laborioso atque inamoeno perstare, nec ab extero quopiam quamuis uiolento ac concitata motu, a proposito dimoueri. Nam licet animae illae, quae iam propter laborum assi-

[assiduitatem]

{pdf 832, p. 408}

-duitatem in spiritus agone, & bello induruerunt, callumue obduxerunt, ac ueluti irreuocabili quodam gressu maiorem sui itineris peregerunt parum, non possint tum suam tum caeterorum non incusare tarditatem ac moram, atque propterea & dolere & ingemiscere: postea tamen in futura atque expectata retributione & praemio,

{126.6} Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Et est sensus, quasi si quis id dicat, aut cogitet: Quid spei illis erit, qui euntes eunt ac flent mittentes semina sua? Respondet spiritus: Venientes autem uenient cum exultatione, portantes manipulos suos: manipulos sane gaudii, & iucunditatis plenissimos, confertosue exultatione, ac tripudio: haud illos quidem myrrhae amplius insuaues, de quibus sponsa sic in Canticis: Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. Mos enim uniuersalis ferme omnium est, ut peractis agrorum laboribus, collectisue frugibus atque hordeis, nihil sese fecisse existiment, nisi minima quoque rerum fragmenta, ut sunt arborum, uitiumque purgamenta, stipulas, malleolos, sarmenta, atque huiusmodi alia, in fasciculos iunco aut uimine constricta, ad locupletiores usum domum referant. Sic sane beatae animae cum corporibus adhuc suis colluctantes, uberiores prius sanctarum operationum fructus ante se mittunt. Caeteras uero fidei reliquias postea cum e corpore migrare contigerit, uno confecto manipulo ac fasce, secum deferunt. Et hoc quidem idcirco dictum puta, ne dum qui nuncii tibi ad tumulum praemittendi sunt scire dissimulas, aut recusas, fasciculos nescio quos operationum, ne dicam confusionum post mortem iubeas per haeredes exequi, ac tanquam legatos, rerum uerso ordine, aut oratores post te mitti, Persuasum ne habes tuos liberos, aut uxorem, aut nepotes, etiam si testamento uel codicillo, iusiurando quoque addito, illos tibi deuinxeris, tuam magis quam tu salutem curaturos? Vis ne igitur uiuidos, atque amplos, nunquamque desituros offerre actionum bonarum manipulos? illos ipsos, dum in corpore hoc mortali uiuitur, hoc est, dum agrorum labor nos ad aratrum, ad falcem, ad cylindrum prouocat, colligamus, sanctaeque spei uimine ac uirgulto constringamus, praemittamusque, si sapimus, ante nos. Alioqui certe bona illa omnia, quae saluti nostrae utilia esse & uolumus & desideramus, post pompam funebrem, amicorumque lachrymas & dolorem, per haeredes plerumque ingratos fieri, ac post nos mitti, cum per nos exequi possumus, iubere, extremae dementiae est atque

ignorantiae. Sunt tamen quaedam, quae cum laude a nobis in uita ordiri coepta, post mortem quoque nos, uti umbra solet corpus, sequi, circumque sepulchrum ac cineres uersare expetimus, dignitatem scilicet, honorem, nomen, famam, auctoritatem, liberalitatemque, & id genus alia, quae extincta etiam corporis praesentia, permanere post nos, in rebus maxime publicis optime per nos administratis, efflagitamus, & quaerimus. Marmorea autem monumenta in uita, aut statuas, & sacella precioso emblemate, atque assentatorio epitaphio perornata, propterea erigere, ut inde nomen post mortem sanctissimum, quod in uita turpissimum fuit, adipiscamur, superflua cura est: sed ea tamen, quae famam nostram, ac nomen maculis uitiorum infinitis conspersum, immortale reddat uulgo, alioqui cito, ob anteactae uitae rationem, atque odium, desitutum. Vide igitur quid de te tuum istud monumentum moneat.

Canticum graduum.
PSAL. CXXVII.

{127.1} Nisi Dominus aedificauerit domum, in vanum laborauerunt qui aedificant eam.

Absque diuino praesidio atque ope, conatus omnes nostros, ingenium, artem, industriam, uires, studia, prouidentiam, frustra esse, in hoc Psalmo a spiritu sancto admonemur. Atqui illud potissimum cum a patrefamilias exoptandum sit, ut commodus familiae status obueniatur, id primum in ipso Psalmi exordio tractari arbitror, cum ipsum commodum uitae statum, domum appellat uates: quam quidem, non tantum corpoream illam speciem quam oculis cernimus, & habitationem, esse credimus, quantum dignitatem ipsam in Liberis, in uxore pudicitiam, fidem, rectitudinem, caeteraque familiae & ubertatem, & pacem. Huiusmodi enim domorum aedificia a Deo Iudaeorum obstetricibus data, ut in Exodi libro legimus, a

{pdf 833, p. 408v}

doctissimis Hebraeorum uiris accepimus, stabilem scilicet, commodam, ac numerosam familiam. Eo enim mortalium omnium conatus & labor spectare uidentur, ut sit ubi habitent, facultatibus interim, dignitate, honore, atque honesta familia perornatis. Haec igitur domus est, quam hic psaltes asserit frustra a paterfamilias construi, nisi dominus ipse construat: quanquam, quod postea dicemus, mens hominis domus ea uera sit, quae cura solertiori ac studio aedificari debeat, quam hae nostrae manufactae, quae corporibus solummodo inseruiunt, idcirco cum corporibus breui interiturae: illa uero aeterna, ac Deo similis. Vanae sunt igitur uires uestrae, o mortales, uanae prouidentiae, uana consilia, uana artificia, nisi dominus prouideat pro uobisque uigilet, & uestras formet cogitationes. Et quidem

{127.1} Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra uigilat qui custodit eam.

Et hoc uerissimum est, parum ad urbium tutelam, uel excubias, uel fossas, uel propugnacula caetera, & munitiones facere, si dominus pro moenibus stare, eaque tutari, & seruare noluerit & ciuitatem, & ciues. Vidimus enim aliquando per ualla, & fossas, pauperum agmina absque commiseratione in insupportabiles detrudi labores,

atque in mediis ipsis luti aggeribus inedia potius, quam labore (spectacula horrendum) consumi, & expirare. Quid sacrarum aedium parietes atque aras, in murorum aedificia coniectas memorem? quid sacrosancta templorum uestibula? quid columnas? quid ipsa profanis inaccessa sanctuaria ui erepta, ac nefandissima metamorphosi in propugnacula, in arces, in moenia transformata? Putasne huiusmodi impietate munitas urbes diutius perstare posse? Qui, quaeso, diuinum numen hostilibus tuae ciuitatis & regni obsidionibus affuturum sperare audes, quod uitae prorsus impuritate, & tyrannide, a tuarum rerum tutela abiecisti? Vin' tu, o princeps, Deum ipsum omnipotentissimum ad tui custodiam prouocare? Prouocat prius, atque intra urbis moenia ad habitandum eos ipsos ciues, si sapis, reuoca, quos a terris iam diu propulsos, ad coelum Deus asciuit, iustitiam scilicet, religionem aequitatem, in ciues amorem, temperantiam, diuinumque timorem, & reuerentiam: alioqui nihil est, quod tu tam anxie in comparandis classibus, muniendisque muris atque arcibus, te torques & affligis, si Deum ad rerum tuarum exitium praestolaris. Sed ad propositum reuertamur. Cum enim duplex sit in ecclesiae sinu populus constitutus, alter qui uetus dicitur, alter uero nouus: de primo quidem prius, qui carnis commodis tantummodo seruiens, humanamque rationem sequens, nihil non proprio ingenio tribuit, atque industriae, forsitan etiam sanctitati, & ut sibi uidetur, perfectioni, a propheta fit mentio, de altero postea. Nondum enim ille ad meliora experrectus, quippe qui iustitiam suam uolens constituere, Dei iustitiae, ut inquit Paulus, non est subiectus, ea quae sint opera, quae in nobis coelestis pater operatur, ne per tenues quidem rimulas comprehendere est potis. Cupida enim est admodum natura humana, atque maiorem in modum propriae excellentiae & uirtutis amatrix. In hoc quidem genere, ut Ciceronis* uerbis de poetis utar, nescio quo pacto, suum cuique pulchrum est. [Tusc. Disp. 5. 63] Huic itaque ueteri, atque in uia iustitiae prorsus decrepito, & oscitanti, a spiritu dicit: Quid tentas insane? nisi enim Dominus tua consilia, tuos conceptus, tuas operationes, mentisque domicilium, ac conscientiae domum, & ciuitatem aedificauerit, custodieritue, frustra in uirtutum exercitio & labore defatigaris.

{127.2} Vanum est uobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris.

Parum secus Hebraei. Frustra, inquiunt, uobis est, quod acceleratis mane surgere, quod differtis rursus sedere uescentes cibo aerumnoso. Monet hic spiritus, uno illo benignissimo, in donisque profusissimo Domino, qui dedit uitam, domumque ad habitandum, dari etiam absque tanto nostro negotio & anxietate, uictum & est perinde ac si dicat: Frustraneum est, & nihil omnino, quod tanta anxietudine & labore ad operas surgitis, tantou negotio uestras uos uobis res paratis, o mortales. Quinetiam illud uanum, tam solcite diem ipsum, alioqui ad actiones aptum, praeuenire, seroque ad ocium & quietem residere, nisi Dominus affuerit, uobiscumque simul & surrexerit, & laborauerit. Hunc sensum secutus paraphrastes sic reddit: Nihil, inquit, succedet uobis, etiam si summo mane surrexeritis, & sursum & deorsum [deorsum]

-sum cursitantes sedere recusaueritis, sicut hi, qui summis laboribus uictum parant. Nonne tibi uidetur hic superuacaneam quorundam in comparandis sibi aut rebus, aut honoribus, curam describi, & tolli etiam? Nec quidem interim de rerum ciuiliu ministris, aut mercatoribus, aut fabris, aut quorundam patrumfamilias more mihi dicendum arbitror, qui sane interdum forensium munerum onere, aut filiorum grege & multitudine oppressi, huiusmodi iure omni sollicitudinem & anxiam sibi uendicant curam. Verum quid de illorum in tractandis suorum beneficiorum prouentibus, accumulandaque suppellectili, & calore, & auaritia dicendum? qui ex tenuiori aliquando fortuna, ut uocant, seculari, ad Ecclesiae opulentiam acciti, illud in primis profiteri uidentur, ut auari sint, planeque iniusti, atque omnibus infensi. Horum itaque huiusmodi admonitione uellendae sunt aures: Quo frustra uestrae uos trahunt cupiditates? sunt ne haec bona tanti aestimanda, ut pro illis tutandis, aut potius, tanto cum iustitiae damno atque iniuria, amplificandis, nomen uestrum religiosum, famam, honorem, dignitatem, uenum exponere non uereamini? Nisi enim Dominus uobis meliorem concesserit mentem atque animum, ad ea magis quaerenda quae sursum sunt, non quae super terram, actum de uobis esse, & dicam, & iurabo. Non mirum quidem, simulatque primos ad Ecclesiarum gradus & administrationes, illos nonnunquam ascisci uideamus, qui in conficiendis contactibus, concinnandis ue ratiocinationibus, & ut uocant, computis, & litibus, acutiores sunt, licet in spiritualibus negociis tardi atque hebetes. Caeterum cum nostro interprete ferme conuenit graecus: sic enim habet: Vanum est uobis ante lucem uigilare: uanum surgere postquam sedistis, qui manducatis panem doloris. & erit sensus: O uos qui manducatis panem doloris, panem scilicet aerumnarum, ut uertunt Hebraei, tinctumque amaritudine, & luctu: hoc est, o uos qui uitam in miseria & periculis ducitis, id a uobis frustra fieri moneo, quod summo mane antelucanis operibus tam anxia cura incumbitis, & postquam quieuestis, iterum ad reassumendum opus intermissum surgitis: hoc est, qui nec noctu quidem uobis parcitis: Nisi Dominus aedificauerit, custodieritue res uestras, inane est ac cassum quicquid agitis. Sunt & qui piam quandam suam in hoc loco formare solent meditationem, quam sane breui quodammodo epilogo recensere non grauabor, nec ab re quidem ac proposito. Volunt enim in hoc psalmo ciuitatem, aut domum, animam esse: aedificatores uero praesules, atque antistites, quibus quidem inanem esse laborem omnem asserunt, nisi ipse aeternus purgatissimarum mentium habitator suam ipsemet sibi uel aedificet uel tutetur, & domum & ciuitatem: & quibus subinde a spiritu dicitur, Vanum est uobis ante lucem gratiae, atque instinctum spiritus, ad animarum aedificium surgere, nisi Dominus uos ad tam nobilem, omniumque difficillimam structuram, ad quam erigendam summa opus est doctrina & sanctitate, tum uocauerit, tum instituerit. Retunditur in hoc loco (ni fallor) quorundam superiorum temeritas, atque inconsiderata parum ue prudens in suscipienda animarum cura facilitas. Semper enim, cum in perdiscenda rerum humanarum arte aliqua adhibendus est delectus, ne inuitis, quod aiunt, diis rem prorsus inutilem, nostraeque naturae repugnantem aggrediamur, tum in hac maxime, quae ob sui difficultatem atque excellentiam, ars artium appellatur, adhibendus est. Quare illum, cui eius generis sarcina est imponenda, cuiusque animus titillatione, nescio qua, praeponendi se caeteris afficitur ac pungit, rem ipsam haud dissimulanter discutere oportet, quo uidelicet animo, quo fine, qua meritorum opulentia, cuiusue spiritus incendio ad illud appetendum, quaerendumque inflammetur. Accidit enim aliquando ut animi leuitate magis, quam diuini spiritus aut uocatione, aut ductu, moti quidam, rem tantam non solum obuiam, atque ab aliis ueluti offam Cerbero

obiectam acceptent, sed & impudentissime uenantur & emunt. quos sane, spiritus sequenti hemistichio admonitos esse uoluit: Surgite, inquit, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Longa, ait, uobis prius opus est sessione, hoc est, sancto ocio, atque animi pace, & quiete: a cuius quidem suauitate diutius remorati, ea in silentio, ad pedes scilicet domini Iesu sedentes perdiscatis, quae postea in caeterorum commodum & salutem, iam ebrii facti, in cellamque ui-
[vinariam]

{pdf 835, p. 409v}

-nariam introducti, effundere ualeatis. Alioqui ante hanc lucem atque inspirationem uelle ad alienam uitam informandam surgere, & sese ingerere, animi parum pensi habentis est, ne dicam stolidi. Neque illud rursus ab re dictum putant, quod animarum moderatores doloris panem edere affirmat uates: siquidem ad illorum maxime officium pertinere uolunt, non sua solummodo, sed & subditorum peccata ac lapsus deflere, expiareque lachrymis, & poenitentia: alioqui non pastores, non Dei uicarios, non patres, sed mercenarios, ac derisores, simul & irrisos animarum aucupes, illos appellandos censent. Flebam, aiebat Iob iustus, super eo qui afflictus erat.

{127.2} Cum dederit dilectis suis somnum.

Iam alter hic populus a spiritu in medium ducitur. Illo enim, qui suae iustitiae nimium fidens est, descripto, ad alterum illum qui bona sua omnia haud sibi, suaeque iustitiae tribuit, sed Deo potius, atque eius bonitati & potentiae, & quem hic dilecta suum appellat Deus, effigiandum transit. Felix principium huius uersus cum superiori conuenire opinatur, hoc modo: Vanum est uobis diluculo praeuenientibus surgere, retardantibus sedere, comedentibus panem dolorum: sic dabit dilecto suo somnum: uel, certe dabit somnum: hoc est, requiem & quietem a laboribus suis dilectis absque negotio dabit, quam uos tanto studio, atque tum animi, tum corporis defatigatione a uobismetipsis scilicet, non a Deo, habere contenditis. Solet enim diuina bonitas suis charis ac dilectis omnia, ne petentibus quidem, uerum in utranque aurem dormientibus, ut est prouerbum, abundanter suppeditare. & est perinde atque dicat: Quid est quod tanta animi anxietate & labore horsum sursum cursitantes curam uentris quaeritis? Sinite iam tandem o curuae terris animae, Dei prouidentiam suas partes agere: nam quemadmodum sine ipso factum est nihil, ita nihil omnino ducendum, quod uos uestro tam anxio studio & labore agere molimini, nisi ipse egeret actumue seruare decreuerit. Vides ne quam de suis curam habeat Deus? quantique eos faciat? cum ne cogitantes quidem, aut multum elaborantes, donorum cumulo ditare soleat? ad illos uero, qui proiecto pudore atque aequitate, toti sui sunt, uel in ipsis immensis suis laboribus uitam efflantes, ne oculum quidem uertere? Nihil solliciti sitis, inquit, dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? Scit enim pater uester coelestis quid opus sit uobis. Verumenimvero oscitantiam aut torporem hic a spiritu probari haudquaquam ducimus: nam sui persimiles coelestis ille opifex ex petit, suaeque dignat beneuolentia: qui licet die septimo ab omni opere quod patrauerat requieuerit, usque modo tamen, ut diuinus scribit Ioannes, operatur: neque, uel tantillum temporis (si fas est temporis nomine in illa aeterna natura uti) a sui opificii cura & moderatione cessat. Iusti enim quanque perpetuo, etiam in hoc mundo alioqui sollicitudinum plenissimo, superuacuas non

admittant curas, ex quibus inquietum omnino eorum cor reddi possit atque intellectus, in negociosissimo tamen uersantur sabbato. Non quidem torpens est diuinus spiritus, sed uiuax: quique coelestes, uiuas, ac concitas, in corda uegeta, atque in Dei amore flagrantia iaculari soleat & faces & flammis. Quarum quidem perustione excitati sanctissimi uiri, non possunt non uicem diuino amori rependere, proque igne ignem in operationibus, referre. Requiescunt sane semper ab omni opere suo, quod sapiat scilicet amorem proprium, quodque sibi adblandiatur, manumue propriam, ut ait Iob, exosculetur: uerum ardenti quodam ac miro, planeque diuino instinctu atque impulsu, patris opus cum ipso patre simul operantur. Quicquid enim fidei illius, e cuius radice optimae tantummodo erumpere solent, uti e uite gemmae aut fructus, operationes, in se esse cognoscunt, id totum libentissime Deo acceptum referunt, fatentes quidem, quod neque qui plantat, neque qui rigat, ei quid est, sed qui incrementum dat Deus. Sic itaque dabit Deus dilectis suis bonorum satietatem cum quiete, & facilitate ea, ut illa dormientibus obuenire uideantur: laboresque illorum non labores, sed somnus potius ac somnus, & is sane quietissimus censeantur.

{127.3} Ecce haereditas Domini filio, merces fructus ventris.

Canit hic psalter, ac docet, qui sint dilecti illi, quibus somni metaphora superius cuncta cum quiete cessura asseruit, Domini scilicet filii, quos tam charos habet, quam bona haereditaria inter homines haberi solent. Maxime enim curae semper

{pdf 836, p. 410}

-per fuit apud homines patria haereditas, quae quidem, nisi in extrema rerum inopia, ab haeredibus, absque turpi infamia atque ignominia, a patera domo abalienari potest: quo uel hinc perdiscamus, quam non libenter a patre optimo atque amantissimo nostri Deo, abdicemur. Ius enim illud in nostra iam factum est potestate, ubi in domo filium manere in aeternum a sanctissimo accepimus Euangelio, seruum uero non ita. Atque illi quidem sunt uentris, Ecclesiae scilicet ac fidei fructus. Hunc enim uentrem melioribus bonis, quam sint terrenarum rerum facultates, grauem, ac foetum, ob morum candorem, doctrinaeque puritatem, eburneum uocat sponsus in Canticis. Quis hic malus suam non defleat ingratitude, qui postquam tam amantissimis appellationibus atque elogiis, dilecti scilicet, haereditatis, filii, fructus, a coelesti patre est dictus, peccando tamen sese ingratis ausibus, ab ipso patre, a uita, a Deo, uel inuito, ut sic per excessum dicam, diuino proposito & uoluntate, euellere conatur? Merces enim in hoc loco Hebraeis est potius donum liberum, atque ingenuum, quam merces debita: & est fere idem significans repetitio cum superiori, ut idem sit filium esse, ac uentris fructum: rursus haereditatem idem cum mercede. Quare optime a Paraphraste est redditum hoc modo: Ecce, inquit, haereditas quam Dominus dat, filii sunt, & praemium praecipuum, fructus uentris. An uero donum praecipuum sit, apud homines praesertim qui rei uacant uxoriae, honestoque, & ut uocat Paulus, immaculato toro dant operam, habere liberos (de liberorum gregibus per clericorum aut sacerdotum cellulas uagientium, aut in suae pellicis gremio uidente quoque uxore ludentium, negarem hic a spiritu dici, nisi huiusce foeturae homines, uel usque ad summum totius orbis apicem euectos, & uidissem, & uti maximum fortunae ludibrium exhorruissem) hi scire possunt, qui haeredem alienum, &

quem forte rerum suarum ingenti cum periculo, & tum animae tum corporis iactura comparatarum, prodigum, subitumque decoctorem praeuident.

{127.4} Sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum.

Suo more uates similitudine utens, filios affabre gnauos, optimeque institutos & morigeros, sagittae a ualida potentissimi uiri manu e neruo emissae, ob illorum agilitatem, atque in feriendo certitudinem, comparat. Excussorum nomine in metaphora perseuerans utitur. Sagittas enim ab arcu eiectas excuti, seu excussas dicimus. Ita filii olim ex Iudaeis incredulis credentes, atque ex spiritu & aqua renati, a reprobis parentibus, a diuina scilicet luce abiectis excussisque, ui quadam in naturam ipsam saeuiente amoti atque euulsi, citissima celeritate atque impetu, tanquam scintillae in harundinetis discurrentes, hostium fidei corda alto uulnere sauciarunt, hos quidem ad interuentionem, illos uero ad uitam. Non defuere tum plane, ut nunc etiam non desunt, uel ex excellentioribus ingeniis, qui audita ab ipsis idiotis uiris, prorsusque infantibus ac rudibus ueritate, indignati magis in antiqua perfidia induruerunt. Fuerunt etiam quorum mentibus alterius generis uulnus infixum, contra naturam uulnerum, ab antiquis illos uitiorum plagis ac putore sanaret, uiuidamque conualescentiam, hoc est, spiritus libertatem, reclamantibus quoque excussis illis scribarum ac pharisaeorum turbis & monstris, obduceret, Deo, inquit Paulus, gratia, qui semper per nos triumphum agit in Christo Iesu, ut odor simus aliis quidem mortis ad mortem, aliis uero ad uitam. Vides, ni fallor, ex his unius excussorum filii non prorsus idiotae uerbis, duplex, sed longe diuersum ab sese uulnus. Ex Hebraeis tamen quidam pro filiis excussorum, filii iuuentutis reddunt, seu filii adolescentiarum, ut uult Felix. Nam uetustate, senectuteque legis a ceruicibus nostris per robustissimos in spiritu iuuenes, licet mundo debiles atque imbecilles, Christi discipulos, excussa, longeque proiecta, nihil iam in religione atque academia Christiana & doctrina, uetus est, ac senio affectum, sed uegeta omnia, uiuida, robustaque sunt, ac succi plenissima. Quam ob rem pro populo ueteri nouus subrogatus est, qui senescere non nouit, sed quotidie magis in spiritus adolescentia reuerascit, atque de die in diem, ut inquit Paulus, renouatur. Ecce, ait Dominus, noua facio omnia. Nec satis quidem fuit olim nobis alioqui natura ad malum pronis, antiquum illud oneris, ut uocat Esaias, iugum, aut sce-

[sceptrum]

{pdf 837, p. 410v}

-prium exactoris superasse in die Madian, nisi & quotidie nostra, ueluti aquilae innouetur iuuenta, in diesque magis paruulus ille qui natus est nobis, in mortalium animis reformetur, crescatque, ut monet Paulus, in uirum perfectum: hoc est, in perfectiorem, quam quousque actum est, uitae statum, deposito peruersae consuetudinis senio, & uetustate seu serpentium more, antiquo abiecto cortice, ac pelle, noua in Christo, ut ait Paulus, simus creatura. cui quidem innouationi nostra haec uidetur aetas ab aeterno illo diuinae prouidentiae decreto destinata. Tantum illi, quibus cura haec incumbit, non torpescant, ac leporem, quod aiunt, experrectum insequi non recusent. Videor enim uidere omnium animos ad ueritatis amissae recuperationem intentos, modo non desit, qui uiam praemonstret.

{127.5} Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis, non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Hebraei, quo sagittarum metaphoram seruarent, pro desiderio, pharetram interpretati sunt. Sic Felix sic caeteri Hebraeorum interpretes. & est ac si dicat: Beatus plane uir ille erit, cuius domum talibus filiis, robustis scilicet, moratisue, ac mira dexteritate prudentiaque praeditis, impleri contigerit. Summam in terris hanc esse felicitatem opinantur homines. Qui enim huiusce generis atque excellentiae habuerit filios, quomodo pudefiet, aut pertimescet, cum loquetur, contendetque cum hostibus suis in porta, hoc est, in iudicio? Conuentus enim atque iudicia, in portis per antiquos patres haberi consueuerant. Quare portas, quod alias me admonuisse recolo, pro iudiciis, comitiisque forensibus in scripturis haud raro accipi legimus. Euthymius monachus super hunc locum interrogat. Ex ipsis? quae ipsa? quae superius, inquit, memorata sunt, quod sanctae ciuitatis constructio perficiatur, quod ab omni perturbatione requies detur ac pax, quod multam prolem suscipiat Ecclesia, quodque alia dona recipiat. Vides quae desideria in fidelium animis inesse oporteat? Qui enim eiusmodi curis ac uotis sua impleuerit desideria, cordisque abdita castissimis occupauerit appetentiis, non confundetur sane, non repulsam, cum negocium illi fuerit cum hostibus in porta referet: hoc est, in iudicio illo uniuersali, uel in priuato quoque uniuscuiusque obitu, per quem ueluti per portam ad immortalem statum transitur, constans, atque ad hostium accusationes intrepidus perstabit, quippe qui rationes suas omnes iam antea, cum sanus esset, uitamque in uirtutum adeptione laborans sudansque exercuerit, optime cum Deo uirtutum omnium erogatore instituerit. Is itaque cum caducis hisce rebus corporeis per mortem concedere iubetur, non potest non sanctissime, cum in sanctissimis uixerit desideriiis, e uita emigrare. Iam primum quidem conceperat animo, nihil in re praesertim salutis humanas uires, ingenium, conatus, studia, quamuis sublimia, uulgaesque doctrinas excedentia, subsidii afferre posse, nisi Dominus aedificauerit, custodieritue dona sua, ac beneficia, Deinceps a spiritu eruditus iam probe nouerat uanam quietem nostram esse, uanum ocium, uanum item laborem, uanas curas, uanum quicquid agimus, quicquid cogitamus, quicquid animo molimur, nisi dominus nobiscum fuerit, nobiscumque illud, utpote qui omnibus animae motibus atque actionibus uelle perficereque instillare non cessat, & egerit, & perfecit. Neque id quidem postremo sic affectam animam latere potuit, quod cum dilectis suis dederit somnum Deus, requiemque a curis omnibus humanis & solitudinibus praestiterit, praesto aderit haereditas Domini, hoc est, ipse filius Dei, qui nostra est haereditas, nosque ipsius: qui quidem in porta, iudicioque illo supremo, iudex omnium factus, molestissimo imperabit hosti, Sile tu perfide: uos autem haereditas mea mihi, percipite regnum uobis ab origine mundi decretum, atque a coelesti patre praeparatum. Est qui pro uobis exacte soluit, postquam uos non eratis soluendo, filius Dei uiui, qui cum patre ipso, ac utriusque spiritu regnat Deus in secula seculorum. Amen. Canticum graduum.

PSAL. CXXVIII

{128.1} Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in uis eius.

Bona profecto corporea, quae media appellamus, idcirco mortalibus a coelesti parent elargiuntur, ut omni supervacua ex animo reiecta cu-

[cura]

{pdf 838, p. 411}

-ra, & solitudine, quietius ad ea contemplanda quae uera bona sunt, atque expeditius parati sint: quanquam, nescio qua sorte id accidat, quod ea in primis & quaerimus & amamus, quae iure omni, tum humano, tum diuino, in secundis haberi oportuerat. Quotus enim quisque est, & ex illis quoque qui ecclesiastici, singulari quadam religione appellantur, & se uideri cupiunt, cui non magis uitae commoda, atque deliciae curae sint, quam quomodo paucis, minimisque contentus, illam in terris degat uitam, quae angelica potius quam humana dici queat? Eo enim iam nostra paulo ante deuenerat religio, ut is solus in rebuspublicis in regnis, in urbibus, in aedibus etiam sacris, & felix, & beatus uulgo censeretur, atque propterea magis honoraretur, cui ampliores erant fundi, maior armentorum numerus, aedificia editiora, preciosior suppellex, aerarium copiosius, atque animus ad appetenda illa quae nunquam satiant, ardentior, & sagax magis. Ex quo illud potissimum Christiana in re ortum habet uitium, atque error, quod aut nulli, aut pauci ex his, qui hoc mundo utuntur, ut monet Paulus, tanquam non utentes, sapientes scilicet qui sunt, aut, ut uult Plato, sapientiae student, ad magistratus, curamque animarum asciscantur: uerum illi magis, qui aut sese totos quicquid sunt, abiecto pudore, saluteque animae neglecta, ac plenis, ut aiunt, uelis, in sui principis gratiam & commodum, aeternis cruciatibus deuouent (ut olim Decii illi, fortissimi quidem uiri, pro suae reipublicae salute egere: quanquam hi melius atque honestius occubuere, utpote qui pro omnium ciuium suorum salute propriam deuouerunt: nostrates uero quid? pudet literis ea mandare quae aeterna nostram religionem forsan afficient ignominia, & contumelia: dicam tamen ex nostris multos haud iam in ancipitem terrae hiatum, ut quondam Q. ille Curtius, sed in certissimam atque aeternam mortem, & suam, & caeterorum ciuium, quantum in illis fuit, salutem deiecisse, ob rem quidem nihili, quam sane impraesentiarum silentio praeterire malui, quam rem unam tam crebro inculcare) aut nihil non agunt, quo ex alienis incommodis ac damno, suas res, aut liberorum augeant. Unde lachrymae illi infelicis turbae a propriis laribus, a focus, a tectis, ab agris etiam ipsis paternis ui eiectae, per urbium triuia audiuntur ululatus, ac gemitus. Ex qua quidem crudelitate illud maxime contingere est necessarium, quod ciues aut sedes alias extra patriam sibi parandas cogitabunt, aut perpetua aerumna miseri intra ipsissimos suae patriae terminos incertis sedibus & domiciliis peragrabunt. Verum haec, dum aliud agimus, per excessum sunt dicta. Impossibile enim est aliquando satyras num scribi, ab ingenis praesertim illis, qui nihil in uita tam auide cupiunt, quam quod orbis uniuersus flamma, non iam cupiditatum atque auaritiae, sed mutuae charitatis, beneuolentiaeque principi in ciues, uicissimque in principes ciuium deflagret, quo elogium istuc propheticum de cunctis in Ecclesiae sinu commorantibus dici possit: Beati omnes qui timent dominum, uel, ut reddit Hebraeus interpres: O beatos omnes qui dominum colunt: non aurum, non scortum, non se tandem. Et in uis eius ambulant. In alio enim psalmo initium sapientiae, hoc est, uerae cognitionis exordium esse asserit timorem diuinum, quo homo, animal alioqui durum atque arrogans, ad eius opera & iudicia trepidet, ac moueatur. Sanctum quippe est, terribileque ac uenerandum nomen eius, quocirca metuendum. Sensus igitur: Alii eos beatos appellare soliti sunt, quibus amplae diuitiae, forma, dignitas, honor, pulchritudo, humanarum diuinarumque rerum scientia ac notio, principum fauor,

magistratus, sublimesque & primi in rebuspublicis gradus, atque eius generis alia, quae nobilitatem quandam plusquam humanam prae se ferre uidentur, cumulatissime insunt. Nos, ait uates, illum solum, licet mundo despectum, ab illoque male habitum, uere felicem ac beatum esse ducimus, qui timet dominum, atque in iustitiae semitis, quae sunt uiae eius, graditur. Et quia, sicut scribit Lucas, non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi, propterea in ipsa statim fronte psalmi atque exordio, uniuersalem affixit dictionem, omnes scilicet: ne hic nobis persuaderi patiamur, particularium duntaxat hominum Deum esse, & non omnium quod sane contra illos uidetur esse, qui ex solo Dei proposito & uoluntate, absque humano aliquo arbitrii subsidi-

{pdf 839, p. 411v}

-dio atque ope, electos saluari disputat. Verum aliud nunc agimus: id quidem, quod beatos illos omnes esse affirmamus, qui plus quam humanam, diuinam timent, ac uenerantur praesentiam: & qui nec in superiorum suorum gratiam, quamuis potentium ac formidabilium, eo uecordiae deueniunt, ut a iustitiae itinere uel tantillum quidem declinent. Quare nunquam bonis illa uisa est ingenuo digna animo uox, qua quis turpiter atque iniuste magistratum sibi aut a principe, aut a republica aut etiam a nescio quo euentu & casu demandatum exercet, quo scuto utitur, dicens: Sic iussit princeps, sic rex, sic praesul. Diuina enim maiestas, quod alias quoque diximus, imperatoriae non est subiecta, multo uero minus tyrannicae. Caeterum ambulare in uis domini, nihil aliud esse scribunt patres, quam in cunctis nostra & cogitationibus & actionibus seruare iustitiam, quam perfectam mandatorum De obseruantiam, & cultum esse diffiniunt. Tantum enim porro abesse debet ut proprii amoris uisco impediti, non in uis Domini, sed in nostris potius, quae prauae sunt, atque ad interitum pertrahentes, libenter ambulemus, ut etiam quicquid in nobis est, quod nostrum uidetur, abiiciamus, nedum uias nostras, quae multarum cupiditatum spinis obsitae sunt. Abiit uagus, inquit Esaias, in uia cordis sui. Et, Quam uilis facta es iterans uias tuas.

{128.2} Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.

Pulcherrima, ut sic dicam, deductione utens propheta, tota animi fiducia illum asserit, qui timet Dominum, atque in uis eius ambulat, beatum in primis esse, aeternaeque uitae securum. Deinde nec corporea haec quidem bona illi deesse posse. Laborabis, inquit, manibus, o tu quisquis es talis, uti sanctos decet: Caeterum uero tui curam Deo relinquo uelim. Laborant alii, sed frustra saepenumero, partisque non absque maxima animi molestia atque aerumna utuntur. Hi sunt enim quibus ne diuitiarum quidem oceanus sedaret habendi sitim. Soli igitur qui timent Deum prae sentibus contenti sunt, summaque animi tranquillitate ac quiete, rebus obuiis, quantumcumque dederit Deus, uti solent. Semper enim illis bene, beateque & feliciter omnia euenient: quia quicquid sors rerum attulerit, illud omne in suum pertrahunt gustum & commodum. Quomodo, quaeso, sui curam Deum non habere exostulabunt, cum sibi a diuino spiritu praeceptum illud esse non ignorent? Timete, inquit, Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. A timore igitur hoc casto ac uenerando, omnis

mortalium omnium felicitas ac beatitudo, hoc est, tranquilla perturbationum appetentiarumque sedatio emanat, pignus scilicet atque arrhabo futurae uitae, quae sane abscondita est, ut inquit Paulus, in Christo Iesu: quo adepto anima ueluti in fine proprio conquiescit omnino, neque aliud ultra quaerere aut uult, aut potest. Proinde haud mihi quis hic dicat, beatitudinem quidem in Christo nobis promissam, ad futurum uitae statum pertinere solummodo, non ad praesentem, cum impossibile iam factu sit ob assiduas affectuum commotiones ac tumultus, animam prorsus conquiescere, sedarique omnino. Non inficior equidem illic perfectissima esse beatitudinem: hic uero in perfectionis desiderio atque conatu sudare animam, niti, instare: quod quidem exercitium, aut laborem, beatitudinis nomine dignari non inconueniens erit. Quare non immerita uirum sic affectum alloquitur Psaltes: Beatus es, inquit. postea uero, bene tibi erit: hoc est, in utroque uitae statu, licet non aequo gradu, felix eris, ac beatus, O beati. ait Campensis, & felicem te: sic enim quae labore manuum tuarum paraueris, frueris: quanquam praesens haec aetas ad exercendas solummodo uires animi apta uidetur, atque ob id potissimum a Deo opifice maximo mortalibus concessa, ut in sudore uultus uescamur pane: futura uero huc spectare uidetur, ut ea quae hic maximo cum labore acquirunt, aeterna pace, in Deo summo rerum conditarum bono ac fine, perennique felicitate, ac beato gaudio possideamus.

{128.3} Uxor tua sicut uitis abundans, in lateribus domus tuae.

Illud enim quod maxime in uxore expetunt uiri, foecunditas est: quam quidem felicissime marito illi, qui timet Dominum, contingere promittit uates. Verum quid interim de illis censendum, qui, cum in timoris diuini studio atque exercitio die

{pdf 840, p. 412}

noctuque vivunt, uxorem tamen interdum sterilem, & quo magis sese excruciant miseri, impudicam, rixosam, atque adeo immorigeram, ut Xantippem dicas, in patriis domibus alere coguntur? Ex duobus enim, alterum diffiniendum esse arbitror: aut illud quidem, quod non timore eo, quem uiro perfecto conuenire par est, afficiuntur: aut, quod magis placet, de alia uxore, quam quae mortales pariat liberos, intelligi oportet. Sapientiam hanc uolunt esse, de qua quidem legimus: Ama sapientiam tanquam sponsam, & ipsa amplexabitur te. Illa uero: Ego quasi terebinthus extendi ramos meos. Sed quemadmodum uitis, quae natura caduca est, nisi alieno adminiculo, quod clauiculis illis suis complexa quasi manibus serpit, fulta sit, ad terram fertur, atque propterea sterilibus malleolis, sarmentisque luxurians syluescit facile, ac per omnes partes nimium sui prodiga funditur: ita huius effigiem rerum diuinarum cognitionem, quam sapientiam appellamus, secum ferre arbitror: quae nisi a timore, ueluti ab ulmo uitis, aut fraxino, subfulciatur, in aridos saepe pampinos leuitatis atque arrogantiae desinit. Huic uero nixa, atque apposita, fit sicut uxor uberrima coniuncta uiro, aut sicut uitis arbori innixa. Diuus enim Augustinus, uxorem hanc feracem, ecclesiam uult esse. Alii animam, quae timori diuino, tanquam uiro nupta, uberrimos ex sese sanctorum desideriorum atque affectuum emittit fructus. Non displicet tamen, quo ad assequendam huiusce timoris gratiam magis accendantur mariti, uxorem illam in hoc loco intelligi, cui in sui peccati mulctam, sub execratione est dictum: In aerumna & dolore paries: ut uel hinc quam longe a Dei timore absint, perdiscant, postquam fertilitas illa in sua uxore desideratur,

quam timentium Deum uxoribus dari non dubitant. In lateribus domus addit, quo liberorum copiam in lateribus omnibus, atque angulis aedium undique uersari sentias. Quid si uideas huiusmodi foecunditatem liberorum in uxoribus Deum haudquaquam metuentium? num ob id reprehendendus est Deus? num donorum liberalitatem, uel in immeritos, in liberalissimo Domino carpere audes? num quod se timentium uxoribus pollicitus est dare, non timentium negabit? Tu enim, si sapis, Deum time, atque eius uoluntati pare, & obsecunda. Caetera uero quae tibi est pollicitus, si ex usu tibi erunt, dabit, tantum non Dei iudicia nimio festino appetitu nostro anteuertere cupiamus.

{128.3} Filii tui sicut nouellae oliuarum in circuitu mensae tuae.

Solent enim parentes, post anxiam rerum uel domesticarum uel publicarum curam, e foro domum redeuntes, extra limem ad tempus negocia omnia relinquere, quo tranquilliori consuetudine atque ocio, curis uacui, cum reliqua familia cibum sumant. Accurrit primum uxor, si non gressu, animo saltem: serui, ancillaeque festinant, lectos sternunt, apparant cibum, & pro se quisque sedulo facit, quo Domino fiat satis. Verum pater nulla alia a domesticis tam afficitur consolatione, quam si numerosa liberorum copia mensae, dum pascitur, circumstet. In his enim (modo pater sit) oculos, mentem, animum, affectum denique omnem atque amorem, fixum habet. Putas ne mediocre hoc donum esse dei? Aiunt enim patres hanc omnium maximam esse consolationem, ueram, & quae inter alias cor magis tangat, atque afficiat. opinor equidem: sed eam omnium maximam in homine illo, qui ob liberorum commodum atque amorem, timorem Dei omnem abiecit, esse non iudico. Impossibile enim omnino est, cor illud, quod prius aequitate, iustitia, timoreque illo, de quo nunc loquimur, non affectum sit, uero ac solido affici gaudio. Non (crede mihi) animum impium, uel ipsa tota, quantaue sit fortuna & fauoris, & prompta, cum cornu illo suo rerum omnium bonarum copia referto, atque si lubet exundanti, sedare potest, ueraque oblectare laetitia & consolatione. Cum recolit animo quam periculosa res sit, quamue odiosa aliena rapere, filiisque, ex aliorum fundis atque agris, diuitias parare, non potest non miserrime uiuere: ex praeteritisque periculis edoctus non potest, nedum capiti proprio, uerumetiam filiorum, totiusque posteritatis saluti non maximopere timere. Hunc igitur nunquam dixero felicem, sed miserrimum, miseriamque suis posteris comparantem. Huic ne dicam astare posse filios tanquam nouellas oliuarum plantas, uirentes scilicet atque intuentium mire oblectantes aspectum? Ve-
[Verum]

{pdf 841, p. 412v}

-rum, ut ad sapientiam reuertamur, ea est uxor, quae in lateribus domus nostrae, hoc est, in omni parte animae elegantissimos effundit foetus, ac liberos, qui sunt, honesti motus, castaeque appetentiae, atque undequaque ad iustitiae libram ponderata consilia. Hac enim similitudine mirabilem exprimere uoluit Psaltes delectationem, qua maxime ex actibus a sapientia profectis afficitur uir sapiens. Circumstant igitur, atque immenso oblectant gaudio, ueluti laute instructam mensam, cor sanctissimi illi affectus, ac motus fidei, qui a sapientia producuntur: nam absque sapientiae dono, legitimi filii, sancta scilicet opera, atque, uti in oliueto plantae sunt semper uirides & aspectu gratissimae, usque uirentia, oblectamentumque praestantia, a fide exire nequeunt: ita neque a

sapientia, absque fide. Vtraque enim, & mensae, & uxoris nomen sibi vindicat. Quid ergo?

{128.4} Ecce benedicetur homo qui timet Dominum.

Ad hunc, ait, modum, ut dixi, uir ille qui Dominum reueretur, ditabitur. Quod si porro mortalium liberorum grege, aut foecunda uxore toroque nuptiali carere sese uiderit, uti carent (modo careant) complures templis sacrisque aedibus inseruientes, eo quidem sanctissimae huiusmodi beneficentiae pollicitationem, alia in re, alioque in loco, quam sint mortales amplexus, aut secreta conclauium, sibi dandam esse existimet. Intus enim in anima eiusmodi canitur hymenaeus, ubi immortalis est uxor, immortales liberi, immortales oliuarum surculi, immortalis cibus ac mensa. Non timentibus quidem Deum, dura haec omnia uideri solent: illa uero mollia, utpote quae in carnis lasciuia, ocio ac mollitudine solummodo uersant: haec aspera atque dumosa uti caetera illa sunt, quae, nisi summo nixu & labore, uigilisque assiduis, ac perpetua carnis afflictione & morte, uel intelligi uel adipisci possunt. Caeterum cum nihil aeque animam a Deo tam longe abiiciat, quam peccatum: nihilque tantum diuinis gratiarum infusiones, ne cor nostrum, alioqui siccum & aridum, scatebris spiritus & temperent & foecudent, sistere soleat, quantum torpor & ignauia: timor ipse diuinae praesentiae, eo quod torporem omnem desidiamque a somniculoso pectore excutiat, ipsumque a uitiiis, libidinosue affectibus & retrahat & repurget, atque ad assequendum omne bonum praeparet, uidetur quodammodo totius bonitatis adipiscendae origo & fons esse, a quo quidem uirtutum omnium deducuntur riuuli.

{128.5} Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitae tuae.

{128.6} Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

Verendum enim nequaquam est, ne firma nos maneat de promissa benedictione certitudo, simulatque spiritus ille, qui patris iram in nos merito accensam, quae est eius suauissima natura, restinguere solitus est: nobis alioqui stupidis, atque ad intelligendum tam amplum beneficium prorsus plumbeis ac tardis, bene precatur hoc modo: Beatum te faciat, o tu quisquis es, qui times eum: teque in bonis tam mentis, quam corporis felicissime augeat, ac tibi res omnes tuas secundet Dominus ille, qui habitat non in opacis nemoribus, in excelsis, aut in statuis, idolisque manu factis, sed in loco Sion sancto, quae est Ecclesia, quam fidelium conuentum, & communionem esse diffiniunt sancti Dei interpretes. Quid postea? Videbis filios filiorum tuorum: hoc est, longaeuus adeo eris super tetram, ut auus de nepotibus gaudere possis, cernesque posteros posteris longa annorum serie succedere. Sed interim bona alia uersare animo recusabis, illa nimirum, quae neque oculus uidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt? Nam cum terrestres Hierusalem bona corporea sint, quippe quae in diuitiis, opibus, potentia, corporisque pulchritudine, & caeteris huius generis rebus, quae fortunae ludibrio expositae sunt, consistunt: illa coelestis, quae sursum est, mater nostra, ut inquit Paulus, in immortalitate, aeternisque seculis, atque indiffinito aeuo ac beatitudine fundata sunt: illa, inquam, quae neque tineis, neque furibus, neque cruentae praedonum siti obnoxia sunt. Dies enim uitae huius cum finem habeant, illorum etiam bona finem habere necesse est. Caeterum quis ambigat an futurae uitae bona aeterna

sint, cum Deus ipse illorum dator aeternus sit, qui est tota felicitas nostra, merces, uita &

{pdf 842, p. 413}

pax? Est & alia filiorum soboles & posteritas nobilior, quam ea quidem est, quam crebris quotidie exemplis funditus excidi conspiciamus. Quod ne longius in recensendis antiquis familiis, hisque nobilissimis ac potentissimis, euagemur, duas recentiores breuiter e memoria pene hominum abolitas, excitemus. Sfortiadum prima est, quae toti olim Italiae, Galliae, ac duabus Hispaniis formidabilis, tandem in Franciscum ultimum Insubriae ducem, qui decessit absque liberis, desiit. Altera est, quam cum Alexandro Medice turpissimo mortis genere interempto, pene interiisse uidimus. O uanas hominum de comparanda posteris felicitate curas. Is qui modo a Clemente patruo, una cum Hippolyto altero eius nepote, ad tam ardentem dominandi cupiditatem iniectus fuerat, ut iam alius quaerendus esset orbis, cum hic tantae duorum adolescentium siti non satisfaceret, subito tamen fato e medio sublatus est: quem Hippolytus ueneno oppressus, paulo antecesserat. Alia igitur posteritas concipienda est animo, cuius quidem foecunditate hoc magis diuturna, quo ab omni corruptione immuni, utpote quae ad animum, qui aeternus est, attinet, sancti Dei uiri ecclesiam augeri & coalescere, miro afficiuntur gaudio. Maximum enim illud in primis gaudium his e uita decedentibus sole esse, si in Christi religione ac fide, haeredes & successores, antequam demigrent, optimos fore conspiciunt. De procurando uero haerede, successoreque plerunque facinoroso in bonis Ecclesiae, cura est impia omnino. Verum ne diutius in peruestiganda huiusmodi felicissima haereditate torqueamur, a Psalte est additum, pacem illam esse, quam super Dei populum, quem Israelem uocat, sese in diuino timore perseuerantes conspecturos pollicetur. Et uideas, inquit, filios filiorum tuorum, pacem super Israel. Nam summa ea est illorum Dei felicitas in terris, sedato animo, pacataque conscientia ac mente, diuinis frui contemplationibus. Alioqui cor nouis quotidie uitiorum monstris exagitatum, impossibile est non continuis conscientiae morsibus exedi ac perrodi: unde pugnaces illi animi motus oriri solent, quibus inter sese conflictantibus, humanam mentem haud amplius fanum Dei, sed theatrum cruentissimum, atque omnium teterrimum nuncupati par est, Sic aedes caeteras, sic respublicas, sic urbes, sic religiosa domicilia ac templa, in quibus nulla est pax & concordia, appellare placitum erit,

Canticum graduum. PSAL. CXXIX.

{129.1} Saepe expugnauerunt me a iuuentute mea, dicat nunc Israel. Saepe expugnaverunt me a iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. /{129.1}

Improbos homines, etsi diu multumque Dei ecclesiam, sanctorum scilicet conuentum ac coetum affligant, haud tamen plus quam opus est, aut quam hi sufferre possunt acerbius, praeualituros, in hoc decimo graduum canit Psaltes. In hac enim parte non possum non aliquando nostram detestari mollitiem atque ignauiam, quod in tam antiqua, utpote a rerum exordio incepta, consuetudine, eadem illa pertimescamus, ac uti insolita, & noua ueluti quaedam monstra exhorreamus, quae iustissimi uiri, ut hic queruntur, uel ab ipsis mundi incunabulis perpassi sunt. Nonne ab ipso saltem praeteritorum temporum more perdiscendum fuit, nusquam non uiris probis

afflictiones deesse non posse? Scilicet nostrorum nunc Deo magis placet morum corruptio, quam olim patrum aequitas, uitaeque innocentia ac fides placuit. Id equidem illud est, quod in hoc psalmo sancta expostulat Ecclesia: O filii, ait, quid ista quasi noua miramini? quid tam perfracte in aduersis doletis? nonne haec eadem ipsa, & saeuiora quoque, ab ipsa meae prima aetate & iuuentute toleraui? Quid aliud sane illud fuit, quando ab impio fratre, iustus occisus est Abel, nisi, cum adhuc tenera essem, primum atque atrox illud quidem ac saeuum uulnus in iuuenili pectore? Quid tam altis gemitibus considerandum, deflendumque est, quam casus ille primi hominis miserrimus? num tanti uulneris absque acerbissimo dolore refricanda est memoria? Saepe igitur praeteritis seculis improbi me expugnauerunt, expugnantque etiamnum sedulo homines, turpesque concupiscentiae, avaritia, ita, libido, ambitio,

{pdf 843, p. 413v}

inediaque, ac ipsa omnium miserrima aegritudo, sui amor. Expugnauerunt, inquam, me matrem: quid ergo mirum, si uobis imbecillioris uirtutis filiis non parcunt? Bellum enim huiusmodi cum mundo coeptum, non nisi cum mundo finiri potest, quandoquidem Deus suos in deliciis non alere decreuit. Omnium, ut diuus inquit Gregorius, electorum, qui a principio mundi fuerunt, & usque ad seculi consummationem futuri sunt, est una ecclesia, cuius caput Christus est: semper autem in ipsa peruersi sunt molesti, ut semper fuere, electis: nec unquam defuit, non deest non deerit malignitas persequens, & aequitas patiens. Haec Greg. Praeterea uide quid sanctissima concionatur Iudith: Abraam, inquit, pater noster tentatus est, & permultas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moses, & omnes qui placuerunt Deo, permultas tribulationes transierunt fideles. Transierant ne aliter Petrus? Paulus? Andreas, ac caeteri Dei electi? Quid cruenta illa martyrum multitudo? quid integrae cruciatarum uirginum legiones? quid pater meus, meique ordinis autor Benedictus? quid Maurus? quid Placidus? quid reliquas grex Casinas? Num stertentibus illis atque ociosis aeterna bona contigisse arbitramur, an laborantibus? an in cruce attritis? an perpetuo, sub angustiarum malleo atque incude, proposito desudantibus? Dicat igitur mecum Israel, fateatur ingenue, non dissimulet, non cesset, quo aliis sciant praedicare: Saepe expugnauerunt me a iuuentute mea. Verum una extat salutis spes, quod non potuerunt mihi. Multis enim, ait modis ut me funditus euerterent, elaborarunt: sed non potuerunt, quin potius mea in aduersis excreuit uirtus. Atqui illud in primis in pugna spiritus haudquaquam est ignorandum, sed diligentissime disquirendum, qui fit, quod tam crebro sanctissimos uiros a malo daemone oppugnari cernimus? Ea sane est ratio, quod hi non tam facile, quam plerique alii, nequissimo suasori assentiuntur: alii uero, qui unico, & hoc leui, occumbunt uulnere, ab hoste, uti uicti solent, turpissime deseruntur. Fortis uero animus, ne repetitis quidem uulneribus, pedem mouet. Quare diuinae uirtutis conscius clamat: Non potuerunt suis frequentissimis ictibus me subuertere. hoc est, tantum abfuit ut perterrefactus peccato consentirem, ut etiam ex iisdem ipsis uulneribus sanior euaderem. Verum illud interim periculo obnoxium, quod licet peccato ut assentire facere nequiuissent, fecerunt tamen ut portem illos, & quidem diutius. Nam

{129.3} Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitates suas.

Felix sic: Supra dorsum meum arauerunt arantes, prolongauerunt sulcum suum: hoc est, diutino uulnere meum prosciderunt dorsum, miris scilicet modis oppresserunt me, milleque obiecerunt periculis. Illa enim dictio, iniquitates, Hebraeis est iugera, siue sulcum. Etenim cupiens uates, quam diuturna sit apud sanctos tentatio, quamue aspera & dura, non nesciri, huiusmodi uerborum utitur amplificatione, edisserens longa illos iugera, quibus nimirum supra suum dorsum ararent, produxisse. quem sane sensum sic reddit Paraphrastes: Dorso meo tantum oneris imposuerunt, ut signa in eo apparuerint, qualia aratores agris imprimere solent, & uelut sulcos longos induxerint. Et uere prolongauerunt: nam momentaneae hostium insidiae non sunt, sed longae, sed diuturnae, sed in infinitum quodammodo protractae. & quemadmodum crebro mortalibus infesti sunt, ita diu. Quamuis enim huius uitae tentatio ac pugna, aeternae felicitati comparata, momentaneum quiddam sit, & leue, ut inquit Paulus, animae tamen Dei sapientiam contemplanti, peruestigantique aeterna, quaecunque altissimae eiuscemodi indagationi uidentur posse officere, atque illius candorem deturpare, longa nimium uidentur, atque diuturna. Quare alio loco conqueritur dicens: Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est. Quid? ipsa etiam uita, alioqui desiderabilis, atque omnibus iucunda, nimis in longum protrahi uidetur coelestia contemplantibus.

{129.4} Dominus iustus concidet cervices peccatorum.

Vide quomodo assiduis spei stimulis suos saepe reuisit Deus. Quis, oro, actutum non desperaret audiens, quod continuis atque iis longissimis tentationum sulcis nostram proscindant mentem atque animum, uti aratores solent agros, impuden-
[impudentes]

{pdf 844, p. 414}

-tes daemones? quid tam graue, tamue intolerabile effingi potest? Verum diutius in suos hostium saeuitiam debacchari diuina non sinit bonitas, nisi quatenus nostrae sufficiant uires. Amat tamen milites Deus audaces, robustos, & qui in pectore ac fronte uulnera ostentare ualeant: non desides, effoeminatosque, palantes, atque ad minimas hostium minas exterrefactos. Felix sic: Dominus concidit iugum impiorum, periit spes eorum. Arbitror equidem tunc hominis spem interire, cum illud quod quaerit minime assequitur, frustraue conatur, Alia litera: Dominus conscidit, seu rupit funes improborum, quibus adstrinxerant me. Porro ceruix in impio, superbia est: iugum, imperium: funis, astus, dolus, insidiae. Haec sane omnia nostro labore atque ingenio superari posse, arduum: uerum a Deo bonorum omnium erogatore, tam molestissimorum hostium uictoria expectanda erit. Ipse quippe est, qui impedimenta illa omnia diruit, frangitque improborum fastum, atque eorum funes, dolos scilicet, fraudulentias, oppressionesue atterit, & comminuit. Ipse, inquam, est, qui, ut ait Esaias, marcere facit a facie iugi ceruices peccatorum, superbiam scilicet, tyrannidemque peccati, quo electi tandem a nodis illis periculosissimis, quibus ueluti plaustrum funes, quemadmodum ipse asserit uates, ab hoste pertrahuntur, enodati respirare queant, qui nunc mille mortis generibus obnoxii sunt. Verum quid tandiu supersunt? Iam demum

{129.5} Confundantur, & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion,

In fugam, ait, uertantur, quotquot odio habent Sion, sanctas uidelicet animas, atque eorum instituta. Frendant, ut lubet, dentibus, oppugnentque: tantum abest ut expugnare ualeant, simulatque in hoc mundo absque cruce uiui nequeat. An ignoramus uirtutem, quod ait Paulus, in infirmitatibus perfici, circaque ardua uersari?

{129.6} Fiant sicut foenum tectorum, quod prius quam euellatur exaruit.

Non paruipendendae quidem sunt huiuscemodi seruorum Dei imprecationes. Nam cum ex assiduo coelestium contemplationum usu ac studio, toti in diuinum transfusi sint amorem, unumque cum ipso iam cognito bono effecti, non possunt, nec uolunt quidem aliud uelle, quam quod a diuina uoluntate, cuius cognitionem adepti sunt, emanare compertum habent. Idcirco non secus aestimandae sunt, quam si ex ipso Dei ore, ac uerbo prolatae essent. Spiritus enim coelestis amor, non odium atque irae ardor, sanctissimos uiros ad ea mortalibus imprecanda, quae certo sciunt uentura, & mouet & impellit. Caeterum e Palaestinae tectis hanc desumptam esse metaphoram arbitror, e quorum rimulis ac fixuris, cum plana sint, gramen nescio quod erumpere consueuit, sed quod tamen, cum solo commodo atque humore illo careat, qui herbarum radices alere per se possit, diuturnum nequitam est. Exarescat itaque, antequam euellatur aut resecetur, necesse est. Ex quo, eo, ut inquit Paraphrastes, non implet manum suam metens, nec sinum is qui precario manipulos a messoribus praeteritos colligere solet pauper. Ita igitur fiant hi, qui Dei ecclesiam insectantur odio & simultate. Improbi enim in aperto superbiae culmine ac tecto plantati, cum pingui humo, humoreque uiuido spiritus & amico sint destituti, e fixuris latibulisue petrarum, ipsi petris aridiores emergentes, facile, ut diuus ait August. exiccantur, ac antequam e uita abeant, dissipantur. His quidem uerbis, improborum ab humanis celerem atque a diuino aspectu euulsionem exprimere mens est prophetae. Et quia messis, ut inquit Dominus, consummatio seculi est, messorum angeli: tunc enim ne quis uilissimum illud gramen finis maneat, te scire dissimules mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminum ignis. Vides ne infructiferae plantae descriptionem? Nae absque periphrasi & circumlocutione res uti est, a Domino est expressa. Cum itaque coelestes illi spiritus messorum munus obeant, neque operationes, quae per manus hic dici iudico, neque cogitationes, quae per sinum, quae bonitatem referant, ab arido illo gramine atque herba colligere poterunt, quare a uate additur,

{129.7} De quo non implebit manum suam qui metet, et sinum suum qui manipulos colliget.

Solet enim planta aut gramen a subterraneo humore, aut rore, aut rivulo destitutum perlangescere, prorsusque collabi, atque in nihilum ferme resolui, propterea

{pdf 845, p. 414v}

nulli usui aptum esse. Ita mens hominis a spiritus pinguedine atque imbre derelicta, eo interdum miseriae & calamitatis deuenit, ut nulli omnino usui, neque suo quidem proprio commoda sit. Et cum in eiusmodi aerumnosam deiectionem perditissimus quisque facile prolatur, ad fastuosos tamen potissimum atque elatos haec attinet

miseria. Et quemadmodum quidem laetioribus in campis messe res non solum plena, quod aiunt, manu, graues, quos ex ordine per sulcos disponant fasciculos manipulosque constringunt, sed & spicarum culmos pone sequentibus adeo abundanter relinquunt, ut duplici ratione felices mihi uideantur: una, quod depositam apud omnium matrem tellurem, sationem multo recipiant foenore: altera uero, quod complures ab sese iuuari cernant: quod quidem consolationis genus ego in aliis admirari soleo, in me autem, ob sortem illam, quae maiorem in rebus humanis interdum sibi uendicat partem, quam uirtus aut bonitas, non esse doleo: Ita sane ea a fertilissimis sanctissimorum hominum agellis ubertas prouenire solet, quae non tantum sibi ipsi, quantum caeteris ut consultum sit, dat operam. Contrariae uero qui sunt disciplinae et professionis, nec sibi, nec caeteris utiles sunt.

{129.8} Et non dixerunt qui praeteribant, benedictio Domini super vos: benediximus uobis in nomine Domini.

Mos erat olim in Iudaea, ut diui referunt autores, quod praetereuntes in agris operantibus felicia imprecarentur, quemadmodum in secundo Ruth capite est uidere. Booz enim cum suos inuiseret messorum, illos hoc modo salutauit: Dominus uobiscum, illi uero gratae respondentes imprecationi dixerunt: Benedicat tibi Dominus. Eundem etiam morem apud nostros seruari cernimus, quibus ea est consuetudo, ut si forte per opimas messes suum habere iter contingat, ad messorum in aestu illo meridiano sudantes conuersi dicant: O messorum, felicem uobis optamus messem, o beatam segetem: uide quam longae sint aristae, quam plenae, quam maturae: o felicem agrum. In sterilibus autem campis, infoecundisque satis, pigritantem agricolam nemo ex praetereuntibus est qui sic salutet. Itaque cuncta apud improbos infructuosa, steriliaque esse, hic dic arbitror, ut ab huius uitae exilium praetereuntibus uiatoribus illis, qui non se mundi huius incolas, aut ciues profitentur, sed aduenas ac peregrinos, nulla Domini benedictio comprehendatur in eis, sed cuncta detestanda, execranda, maledicta. Cui improborum aliquando est dictum, Benedictio Domini super caput tuum? Nonne illud magis, benedictio Domini super caput iusti? Atque hic rursus admonendi sunt populi, ne motu animi potius effraeni atque inordinato, quam publici commodi, diuinique honoris gratia atque affectu permoti, Deum ad suorum principum magistratumque perniciem obsecrare audeant. Quod si iura tamen omnia, tam diuina, quam humana, fas, leges, ciuilesque sanctiones, atque statuta id expetere uideantur, tolli scilicet debere e medio seditiosos ciues ac magistratus, haec tamen optio ac desiderium ad eos solummodo pertinet, qui cum iam omni sedata mentis perturbatione atque ira, toti in diuinam transformati sit uoluntatem, eadem illa tunc uelle incipiunt, cum sic Deum uelle non ignorant. Alioqui diuina cupere ab humanis praeuerti iudicia & decreta, animi parum sui compotis est, stultique omnino.

Canticum graduum. PSAL. CXXX.

{130.1} De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi uocem meam.

Narrat hic uates modum, quem ipse tenuit, quando in aerumnis & tentationibus constitutus ad Deum clamauit. Hinc docemur, ait Euthymius, ex profundo cordis clamandum esse ad Dominum, nedum ex summis labiis. Alter, inquit, clamor

ardentissimus est, alter frigidissimus: cum hic quidem superne ab ore remissus sit, ac maxima cum facilitate: ille uero inferne intensus e intimo corde ascendat, & cum labore. Ille etiam orantem prorsus trahit ad Deam, alter autem sola uocis organa commouet. Haec Euthymius. Per clamorem igitur uocem illam a cordis radicibus euulsam intelligit uates, qua mens in Deum toto affectu dirigitur: ne tibi clamorem, nescio quem, imagineris, uocalissimum quidem, sed spi-
[spiritu]

{pdf 846, p. 415}

-ritu illo uacuum, quem Paulus asserit gemitibus inenarrabilibus pro nobis nobis. Nam cum ipse ignis consumens sit, ut inquit Paulus, idcirco accensa in nobis esse cupit omnia, ac uult. Vide igitur in sanctissimo hoc uate, an in lingua solum fuerit eius clamor ac dolor, cum suas calamitates & tentationes profunda appellauerit. Hoc itaque stimulo excitus ego aliquando, non tantum pro me foedissimis alioqui peccatis sordido, quantum pro toto populo Dei, de miseranda lachrymarum ualle, de corpore isto mortali infinitis miseriis obnoxio, de tribulationibus multis, quas secum fert mundus, de immensa uitiorum uoragine, de periculis illis horrendis, in quae quotidie cum ab haereticis, tum a nonnullis gregis dominici custodibus coniiicimur, clamare ad Dominum decreui eodem fere modo, quo praeteritis annis in Surrentinis latitans agellis, pro mei ordinis congregatione multorum insidiis circumuenta, uel usque ad raucedinem clamaui, dicens: De profundis aerumnarum calamitatibus, populus tuus pater pientissime, atque idem iustissime arbiter, ad te incircumscriptum totius pietatis pelagum suspirans clamat. Is est enim quem syncerissimus ille tuus, inscrutabili celsitudini aequalis filius, multorum transfugarum uix residuum, in unum congegessit fasciculum: fasciculum, inquam, amarissimi fellis, & insuauis absynthii. Erubescimus enim, confundimurque suspicere. Quo quidem ausu, corda, haud cor unum, multimoda flagitiorum labe impura, ad te purissimum illibatissimumque sanctitatis fontem, aliquando excitabimus? qua fronte? qua impudentia? En hostes acclamantes quotidie aduersus nos, & aduersus Christum tuum, insultant cuneatim. Ubi est Deus tuus o insulse grex? ubi pastor? ubi dux? Hinc sunt nobis panes lachrymae die ac nocte, dum tam acerbe oblatrant. Ecquid Cerbereas inter fauces, ouis pauida respondeat? Facti sumus elingues, quorum in ore non sunt redargutiones. Confusi igitur, diraque acerbitate intus affecti, obmutescimus. O bone pastor, qui tuas ab hoedis cognoscis ac seuocas oues, usquequo obliuisceris nos in finem? usquequo auertis faciem tuam? Peccauimus. Et quis nos ab inexorabili irae tuae seueritate abscondet, tutabiturque? Te percutiente quis sanabit? Itaque de insupportabilium anxietatum profundis, hinc inde conglomeratis malis, miseriisque, clamamus ad te Domine: de profundis rerum mortem intentantium pessimarum, ad te uitam nostram, spem nostram, sydus nostris tenebrarum profundis gratissimum, earumue salutiferum illustratorem, in puluere & cilicio positi confugimus. Quot siquidem sunt uitia, tot sunt profunda. uere insomnis custos, salua, nos perimus. Extincta est fides, spes facta est expes, amor insuper confusionis diploide circumamictus, obfuscatur atque alget. Vae nobis quod a mandatis tuis declinauimus. Quo enim a facie tua, cuius sicut tenebrae sunt, ita & lumen, fugiemus? Ne quaeso pater, cuius miserationis non est numerus, spiritus tuus maneat super nos in aeternum, quia caro sumus. Ne, obsecro, nobis miserearis, ut discamus

facere iustitiam: sed exaudi uoces nostras, uoces gemebundas: quinimo in Rama ululatus, moestificaque supplicia. [Matthew 2.18]

{130.2} Fiant aures tuae intendentes in vocem deprecationum nostrarum.

Licet enim (tu scis Domine secretorum inspector, qui sunt) hi tuam ad pietatem, sanctumque cultum obtorpeant: licet huius tuae semifractae ac rimosae nauiculae, uelum uoraci diroque aquiloni explicare satagant: licet sua, non quae Iesu Christi unigeniti tui, quaerant, atque ob id, quot mala sacris in aedibus recrudescant, quis haud sciat? sunt tamen quorum mentes in te, tantis in procellarum nimbis deuolutae, ut ualent figuntur, nec nisi in te tutam a fluctibus stationem esse aduertunt. Horum igitur licet paucorum, deuota fidei & pietatis studia, placatus respice, & illos in curribus, in equis ferocientes dissiice. Quid contra Israellem, si tu pro Israelle? quid dicam? prope est ut fores confringant: instant, oppugnant, & nisi propugnes, expugnabunt. Ah rabidae leenae tantum iam demum uirus compescite. Iam, quaeso uos, obtestorque, rapacissimas in sinum unguulas conuertite. Resipiscite inuicem, atque alta uicissim deponite supercilia: totum siquidem aedificium eo periculosius labat, quo bases pertinacius compage dissoluunt, Esto o aequissime arbiter, nulla est in nobis sani-
[sanitas]

{pdf 847, p. 415v}

-tas, artus aegro sub capite perlanguent: sit an, siue a membris caeteris, siue a corde morbi origo, nescio: hoc tamen scio, quod si iniquitates obseruaueris, nemo sustinebit. [{130.3}] Quis enim si misericordiae iudicium superexaltaueris, sufferet? quis ad hoc fortis? quis potis est? ubi insuper Adam? ubi uir ille secundum cor tuum Daud? ubi Solomon? ubi denique Petrus, si ultrici uindictae mortalium seruas facinora? Omnes quippe peccauere, & egent gloria tua. Gratis ne homo tuus factus est filius? afflictus? irrisus? ac crudeli ligno affixus? qui nobis haec proderunt una postremo salus erit nullam sperare salutem? nemo ne saluus? ergo tu mendax. Absit pientissime pater, tua a plebe immanis haec impietas, fidesque prophana. Scimus enim

{130.4} Quia apud te propitiatio est.

Tuus quidem unigenitus, immitissima clauorum uulnera coram te denudans adstat, necnon crudele lateris, ex quo tantus mortalibus emanauit dulcor, foramen detegens, pro tota eius plebe propitiatur. Is est enim, quem tu clementissime Domine, propitiationem posuisti in sanguine ipsius. Ille, ille est, qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, qui sanat omnes infirmitates nostras. Id est super arcam propitiatori illud aureum, ex quo Mosis filii secundum repromissione, etiam nunc diuina tuae maiestatis oracula sitibunde hauriunt, & de cuius plenitudine nos quoque omnes accipimus. Timeamus ne filio tuo apud te propitiante? propitiante eius matre? propitiante innumerabilium coelicolarum conuentu? quorum meritis ac suffragiis, si, pro dolor, ceciderimus, non collidemur, quia tu Domine manum suppones. Ideo

{130.4-5} Propter legem tuam sustinuimus te. Sustinuerunt animae nostrae in verbo tuo, sperauerunt animae nostrae in te o Domine.

O exoptabilem legem, o uerbum omni gladio ancipiti penetrabilius. Quam suaue iugum, quam leue onus, sub quo etiam indomitae tigres, & cruentae incuruantur phocae: hoc est enim salubre tum patientiae, tum amoris praeceptum, quo qui, ut par est, bene utitur, sustinet quidem in spe, & spes non confundit, propter spiritum sanctum, qui datus est nobis. Igitur non diffidat, sed

{130.6} A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino.

Tu qui implesti desiderium tuum ex ipsis, si laeta prosperitatis aura arriserit, si gaudium & exultationem obtinueris, matutinam adesse custodiam reris, o quam tum leue est sperare in Domino, & ponere in Domino Deo cor tuum. Sed quid si inopinata Boreae feritas superuenerit? quid si Auster nostram flatu aduerso domunculam concusserit? En dicimus noctem instare, conquerimurque inuoluisse diem nimbos, ac noctem coelum humidam abstulisse. Aduersae siquidem res obductae sunt tenebris multis. Quid enim? desperandum ne est? haudquaquam: sed in Domino a custodia matutina usque ad noctem speret Israel. Indoctus quippe nauta, nisi sedato freto clauum agere non nouit: sed peritus, cautus, prudensque ligni magister, quicquid inclemens Notus, procellosusue Aphricus intorserint, sapientiae clypeo repercutit, vanumque reddit. Post nubes igitur sperandus est sol. Veniet profecto Dominus, & non tardabit, qui & diuidet lucem a tenebris, confusoque & effuso passim Nembrotico ausu, disperdet illos Dominus Deus noster. Tunc enim ex tot cordibus, o tot linguis, ex tot haeresibus, fiet cor unum, lingua una, cultus unus.

{130.7} Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Redemptio misericordiam consequitur. Ipse est misericordia, ipse est copiosam demptio: ipse est, inquam, qui miseretur & commodat, qui & propitiatur. Sed quia ego puluis & bulla? ad illum ne tuum altissimum aeternum atque inaccessibilem maiestatis montem accedam? Non accedam pollutus, ne peream de uia iusta. Quis non paueret? Miserebor, inquis, cui uolueris, & indurabo quem uolueris. Idcirco ad Pharium regem dixisti o Domine: Posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, narretur nomen meum in omni terra: adhuc retines populum meum, & non uis eum dimittere? O rem infandam. Percutit Dominus, & induratur seruus. Flagellat Deus, & non ueretur homo, insultat, reluctatur, & perinde ac si adamantina cordis duritie Dei benignitate ac patientiam expugnare credat, insurgit demens. Sed mentita est iniquitas sibi. Nam paulo post, quam ortis sis atque omnipotens, & sua, &

{pdf 848, p. 416}

suorum pernicie sensit miser. Legimus enim quod interfecisti exercitum Aegyptiorum, & subuertisti rotas curruum, ferebanturque in profundum, & liberasti in die illa populum Israel de manu Aegyptiorum. Sic & nunc hisce in nouissimis diebus, o clementissime, liberare potes Israel ex omnibus iniquitatibus eius: non quod Israel iniquus sit, sed quod iniqua ab iniquis patiatur: de quorum interitu quamprimum ducent funera. Notandum uersu quarto: Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine. Diuus Hieronymus ex hebraeo legit: Quia apud te propitiatio est, cum sis terribilis. Felix

uero: Nam apud te propitiatio, seu uenia, ut timearis. Idem Paulus hebraeus. Quorum uerborum is erit sensus: Apud te, o Domine, propitiatio est ac uenia, quoniam a te solo culparum omnium remissio est expectanda, ideo timendos es. Nam nisi tu remiseris, quis alius remittere poterit? Timendae igitur sunt tuae offensiones, ne forsam aliquando non remittas. Caeterum amandus es, quia bonus solus es, propitius, & cuius miserationum non est numerus. Sic itaque dum nos nostra non dissimulamus peccata, sed ea uere agnoscimus ac confitemur: te uero redemptorem nostrum, atque unice colendum & scimus, & inuocamus, remittis illico, & ita uincis cum iudicaris. Quare sic reddit Paraphrastes: Remitte misericorditer peccata, ut omnes ad uenerationem tui inuites. Ideo quod nos legimus, propter legem tua sustinui te Domine, Hebraeis est ac Graecis, propter nomen tuum: uel, ad uerbum tuum suspicio: hoc est, tuum ne nomen contemneret, quasique is esses, qui tuis succurrere non posses, reprehendereris, te sustinui, atque expectaui. Simile huic ferme est quod apud Ezechielem legimus: Non propter uos, inquit, hoc facio, sed propter nomen meum, ne despiciatur in gentibus. Expectaui igitur te, & ad uerbum tuum aspexi, quo tu te nobis affuturum nostris in miseriis promisisti Nunquam, quo minus promissis staturus esses, dubitauit, ideo sustinui te Domine. Illud etiam in uersu sexto non omittendum: quod nos legimus, A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino: Hebraeis est, anima mea sperauit in Domino supra obseruantes mane. hoc est, plus quam illi, qui mane obseruant aliquam rem expectantes, quam cupiunt maxime, ne ab aliis scilicet intercipiat. Aliis uero alia magis probatur litera, qua legunt: anima mea ad Dominum fertur mane antequam prodeant custodes. Ita quod saepe, antequam custodes suas obeant uigilias, mane sese anima ad orandum Deum conferat. Dum enim alii uino somnoque sepulti stertunt, Israel, populus scilicet Dei, uel ipsas noctis excubias, in uigiliis anteuertit, quippe qui probe nouit, quam non cessetur ab hominibus in inferendis iniuriis Deo. Quocirca nulla temporis rationem in suis deflendis erratis habet. Semper enim opportunum esse tempus arbitratur, quo sua defleat peccata, cum se sciat absque interuallo temporis peccare: & quod ex dierum strepitu per diu assequi non potest, id in noctium silentio ac solitudine consequi nititur. Caeterum noctem antiqui in quatuor diuidebant uigilias: quarum ultimam, utpote proximam aurorae, quae matuta dicitur, matutinam appellabant. Hinc illae, credo, ortum habent uigiliae, quarum mentionem facit Christus haud semel in Euangelio. Summa igitur haec erit, quod semper ab ipsis primis infantiae annis usque ad decrepitam aetatem, sperandum est in Domino. Paraphrastes autem secus reddit sensum: anima mea, inquit, ardentius expectat aduentum Domini, quam uigiles nocturni tempus matutinum: uigiles, inquam, qui somno grauati matutinum expectant tempus, quo dormire liceat ipsis.

In ultimo quoque uersu illud notandum, quod Israel se uendere potest, redimere autem minime. Verum ubi sunt qui negant, ut pene ego in expositione huius uersus negaui, in Dei populo iniquitates esse? Sunt profecto, alioqui non diceret uates Dominum redempturum Israelem ex cunctis iniquitatibus suis. Earum enim absentia mala omnia facile absunt, praesentia uero adsunt, nobiscumque commorantur. Canticum graduum.

PSAL. CXXXI.

{131.1} Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulauit in magnis, neque in mirabilibus super me.

Summae eruditionis plenus hic psalmus est, et ad illos maximi spectat]

{pdf 849, p. 416v} ~~

-ctat, qui excelsa nimium sibi arrogantes, intolerandumque caeteris prae se ferentes tumorem, primi illius superbissimi angeli uestigia sectantur. Contra uero hi agunt, qui cum sibi ipsis diuini spiritus radiis illustrati probe sint noti, sua omnia quamlibet alta, atque ad regulam iustitiae illius, quae uirtutum omnium perfectio dicitur, fabrefacta sint, deiiciunt, ac de sese nihil aliud sentiunt, praeterquam humilia, dignaque quae ab omnibus reprehendantur. Qui tamen, ne diuina in se obtegere beneficia uideantur, uerecunda, ut sic dicam, iactatione audent cum Domino sic colloqui: Domine non est exaltatum cor meum, neque propterea elati sunt oculi mei: indicium nimirum elati animi. Volubilitas enim, ac crebra oculorum excellentia, maximam indicant animi superbiam. Certe, inquit, (utcunque a populari pertenter gloria) cum me exacte considero, omnis illico cadit tumor. Tantum enim abest ut, si quid in me est, quod magnum aestimari queat, illud tanquam meum uenditem, ut etiam id totum Deo acceptum referam, atque in eundem fontem unde egressum est refundam. Non ambulauit, inquit, more suo: hoc est, non uersatus sum in maiori de me aestimatione, quam captus ferret humanus. Quid? Non solum enim superbiam omnem exhorruui, uerumetiam cum hominibus illis, qui huiusmodi uitio laborarent, consuetudinem non habui. Quod si quoque de disciplinis aut scientiis dicendum est, quis me unquam uidit de tua illa imperscrutabili, tibi que soli cognita substantia peruestigasse? Quis mihi unquam persuasit posse hominem absque arrogantiae nota de aeterna, aut temporaria quoque Dei filii natiuitate quicquam, aut de spiritus emanatione, de libero arbitrio, de praedestinatione, aut de occultissimis diuinae prouidentiae iudiciis, uel disputare, uel alios docere? Haec sane omnia humanum excedunt intellectum. Idcirco qui ab huiusmodi in diffinitis, prorsusque reconditis rebus putant se lucem illam excutere posse, quam suis tum scriptis, tum disputationibus pollicentur, hos dicas in magnis nimium, mirabilibus, suumque excedentibus captum, ambulare ac uersari. Non alta sapientes, aiebat Paulus, sed humilibus consentientes. Quanquam & contra ignauos, ac ad coelestia inquirenda tardiores illud dicat: Crescite in scientia Dei. Est & aliud genus hominum, res quoque huius mundi, ac negocia sibi ob tarditatem ingenii admodum inaequalia, facile amplexantium, quaerentiumque boui, quod aiunt, clitellas apponi. Admonendi hi quidem sunt, ut imparia suis uiribus onera quam primum e dorso excutiant, ne sarcina oppressi uulgo irrideantur, dicanturque magna sibi nimium ac mirabilia ascuuisse, impossibiliaque attentasse.

{131.2} Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. Sicut ablactatus super matrem suam, ita retributio in anima mea.

Diuus Hieronymus ex hebraeo: Si non proposui, & silere feci animam meam Felix uero: Si non posui, & humiliavi, seu silere feci animam meam. Sicut ablactatus super matrem suam, sicut ablactatus super me anima mea. Alius quoque ex hebraeo: Vere depressi, & mussare feci animam meam, uti est ablactatus matri suae: uere instar ablactati habet mihi anima mea. illud enim, Si non humiliter sentiebam: seu, si non posui animam

meam, ut inquit Felix, forma est iurandi apud Hebraeos, ut eo atrocius, magisque horrendum id uideatur, quod siletur & est idem pene iurandi modus, qui in scripturis antiquis tam creber est: Hoc faciat mihi Dominus, inquit, & hoc addat. Caeterum tam uariae lectionis is erit sensus: Si non summis de me sensi, atque adlatrantes in me affectus non compescui, silereque feci, tunc animae meae id accidat, quod puero ab ubere matris amoto accidere uidimus: is etsi doleat, uagiatque se a consueto lacte reuulsum esse, non flectitur tamen mater, neque amplius illi mammas admouet. Ita, inquam, fiat animae meae, internoque priuer consolationis lacte ac suctu, licet clamem, & querar. Saepe enim accidit, ut Deus suos, si, quia homines sunt, sese illos extollere uiderit, aduersitatibus premat, eisque neget quaecunque nouerit illis obesse posse, ut negato consolationis lacte, grandescant in Deo: quod quidem fit crucis auxilio ac beneficio. Siquidem illum puerum existimari posse arbitror, licet grandaeuum, decrepitum, ac in omnifariis spiritus consolationibus enutritum, si deest crux & afflictio illa, per

{pdf 850, p. 417}

quam ad solidiorem contemplationis cibum asciscimur. Nam cum Christus ad ea assequenda, ad quae nati sumus, nobis solus dux sit & norma, non aliam suis in carne uiuens ostendit uiam, quam crucis, & quam ipse a primo, ut sic dicam, conceptu, usque ad ultimam suae aetatis horam, secum adeo libenter tulit, ut nullum alium uitae modum adamasse uisus sit. Verum ne crucis amaritudine ab incepto absterreatur cursu,

{131.3} Speret Israel in Domino ex hoc nunc & usque in seculum.

Vide quantum ualeat ad superandas mundi aduersitates, confringendasque eius acies, spei telum. Sed quia in Deo, qui aeternus est, fixa esse debet, idcirco in seculum & in seculum seculi, hoc est, aeterno aeuo protenditur & clauditur, alioqui tamen cum hoc mundo finienda. Quare a spiritu, quicumque in Dei sorte censetur, ad amplexandam firmam hanc spei anchoram, ut eam uocat Paulus, inuitatur. Speres igitur in Domino semper, o tu quisquis es, qui ex assiduis cum Deo colloquiis Israel uocaris. Utcunque enim tibi mater, hoc est, diuina gratia lac deneget, & te abiicere uideatur, ne frangaris animo, sed aeterno sperato consilio, certus quod tibi ad salutem lac denegetur, cui ad salutem antea dabatur.

PSAL. CXXXII. Canticum graduum.

{132.1} Memento domine David, et omnis mansuetudinis eius.

Haud dictu facile est, quanto instaurando Dei religionis studio ac desiderio, rex conflagrauerit mansuetissimus, quam prope extinctam propter suum a patria exilium, aduersamque fortunam uiderat. Hincque inconsolabiliter, an digna tandem arcae sedes inueniri posset, quae Deo grata esset, angebatur. Huiusmodi itaque sui animi aestus in hoc plane toto ostenditur cantico, rogatque ut pollicitationes iam olim tum sibi, tum patribus factae, coelitus exhibeantur, atque in Sion certam sui numinis sedem stabiliat altissimus, regnumque posteris usque eo, quoad ueniat qui mundo salutem afferat, confirmet. Haec summa est psalmi: quem tamen in uerum Dauid, uerumque illius

regnum, nempe Ecclesiam, transferri debere uult spiritus. Dubitant nonnulli, an psalmus iste a Dauid aeditus fuerit, propterea quod in fine orationis filii in regnum successoris quaedam sunt, quae is hoc quoque leguntur psalmo: illud etiam afferentes, absurdum uideri posse, tam sanctum regem suam iactare uoluisse mansuetudinem, quod sane filio potius quam patri conuenire arbitrantur. Verum ut rem breuiter expediamus, quid uetat credere filium sua in oratione quaedam a patre tam de Dei religione benemerito antea dicta, mutuatum fuisse? Nec rationi quidem spiritualium rerum repugnare uidetur, quod duo eundem, iisdemque prorsus uerbis, in una simul re sensum proferant. Quod uero suam ostendet mansuetudinem, atque praeterea in tertia loquutus sit persona, dicens: Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius: praeter illud, quod ex hebraeo afflictionem potius reddunt, quam mansuetudinem, id carmen etiam loco precatationis populo decantandum instituerat. Sed hic non multum torqueor, cum mihi persuasum sit, quod alias testati sumus, totum psalmorum uolumen a Dauid, quem hymnorum autorem appellat Philo, compositum fuisse. Quare huc eum, qui suos erga Dei religionem exponat conceptus, introducamus. Mirum nisi hic & tu ardeas, simulac omnia ardere conspicias. Ardet sane in Vate nostro animus, ardet fides, ardet religio, ardet ipsum demum poema, quod non tantum spiritu, atque flagrante erga omnes charitate, quantum arte quoque, copia, ac mirabili tum similitudinum, tum troporum structura, & grauitate exuberat. Ut diximus, ex hebraeo legunt, afflictionis eius. Vnde Paraphrastes: Rationem habe domine, idque in bonum, ipsius Dauid malorum, quae perpeusus est plurima. Verum neque mansuetudinis uox superuacanea uidetur, quae in ipso tanta fuit, ut Dionysius ad Demophilum monachum scribens, asserat Dauid merito suae mansuetudinis maximam apud Deum gratiam nactum esse. Ergo mansuetissime se semper habuit in tot suis aduersis, etiam cum truculentissimis suae salutis hostibus, proinde clamat: Memento domine tui David,

{pdf 851, p. 417v}

Dauid dico, quem tu secundum cor tuum inuenisse testatus es. Memento illius mansuetudinis, memento afflictionis, memento miseriae, memento quoque fidei, ac tua in reparanda religione studii & laboris. Istiusmodi animi affectionibus mirum in modum, donec uixit, affectus fuit Dauid: sed sanctioribus Christus, cuius rex ille typus fuit, & de quo illud scriptum esse non ignoramus: Reuertentur filii Israel, & quaerent dominum suum, & Dauid regem suum. de Christo loquitur Oseas, qui aetate post Dauid longissima (fuit enim synchronos Esaias, ut diuus inquit Hieronymus) uixit.

{132.2} Sicut iurauit domino, votum uouit Deo Iacob.

Aptius ex hebraeo uerti poterat, qui iurauit, ut sit sensus: Memento domine Dauid, qui iurauit, uotumque nuncupauit Deo Iacob. Voti uero summam mox addidit

{132.2} Si introiero in tabernaculum domus meae, si ascendero in lectum strati mei.

{132.4-5} Si dederō somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inueniam locum domino tabernaculum Deo Iacob.

Iuramento, inquit, se astrinxit Dauid, sancteque promisit, se suas nequaquam ingressurum aedes, quietemue capturum ullam, priusquam locum sedemque numini gratam nancisceretur. Requiem temporibus meis, non est in hebraeo, sed a Graecis additum. Cuius tamen sensus cum superioribus ualde conuenit, & est aequae ac si dixisset: Non dabo requiem capiti meo, nempe per somnum, donec aptam inueniam arcae mansionem. Multa quidem periphrasi quietem, quae fit per somnum, describit. Caeterum, si introiero, si ascendero, si dedero, modus erat iurandi apud Iudaeos. Unde illud quoque est: Si introibunt in requiem meam. Vide aestum animae Dei honorem simul & pacem propriam percupide desiderantis. Non requiescam, inquit, non quamuis inaccessum detrectabo laborem, donec inueniam locum in me dignum Deo. Porro Iacob dicens, suo more ad Ecclesiae contemplationem nos subleuat. Vir quidem ille sanctissimum typum gessit Ecclesiae quae uera est sedes, quam sibi elegit Dei filius in Ephrata, campisque dumosis nemorum. Dum haec itaque secum commentatur Dauid, de improviso illi ostensus est locus:

{132.6} Ecce, inquit, audiuius eam in Ephrata, inuenimus eam in campis syluae.

Forsan, illum, uertendum erat, ut uertit Felix: nam de loco apto numini fit sermo: Donec, inquit, inueniam locum. Putant hic nonnulli Vatem de aedificatione templi praedixisse, quod illi inuenerit locum in campis syluae, hoc est, in tribu Benjamin, quae syluis densa prius fuerat, quam in ea exaedificaretur Hierusalem, in qua templum. Alii de arca diutius per regiones translata exponunt, quae in area tandem Aruenae Iebusaei iussu angeli requieuit. Quod autem in Ephrata dixerit, sic exponit Rabbi quidam. Audiuius, inquit, a senioribus Ephratae, reuelandum adhuc locum, in quo Deus uellet arcam reponi, quem locum postea ab angelo didicit in area esse Aruenae, propterea cecinisse: Inuenimus eam in campis syluae. Hac enim circumlocutione putat a Vate aream Aruenae designatam. Ephrata enim terram fertilem interpretantur, idcirco uolunt id praedii nomen Aruenae propter fertilitatem fuisse. Eam ob rem asserunt & Ephratam, & campos syluae, pro eodem omnino loco positum. Verum inter haec prorsus inexplorata illud exploratissimum Vatem constructo altari in area ab Aruena seu Hornan siclis auri sexcentis empta, oblatoque sacrificio, atque ab igne absumpto, dixisse, Haec est domus Dei, & hoc altare in holocaustum Israel. Sed longius prospexit Vates, nempe Dei filium, quem uerum Dei tabernaculum non manu factum, neque creationis huius mundi, ut inquit Paulus, in quo quidem omnis plenitudo diuinitatis habitauit corporaliter, uere nimirum absque uelo & umbra, fore aedificandum in Ephrata, Bethleem scilicet (id enim illi quoque erat nomen.) Nulla igitur data fuit requies tum prophetis, tum legi etiam ueteri, donec in Bethleem natus est Christus finis legis, & in quem cunctae desiere Vatum praedictiones. Audiuius, inquit, a natu grandioribus, a prophetis, a lege, templum illud sanctissimum diuinitatis in Bethleem Iudae exordium auspicaturum, illicque fundandum. Verum cum res

{pdf 852, p. 418}

postea, mysteriumque illud praeteritis seculis incognitum, manifestandum tamen sanctis eius, quibus, ut idem ait, uolet Deus notas tacere diuitias gloriae sacramenti huius in gentibus, indagaretur, inuenimus illud in campis syluae, reperieturque refixum

a Iudaeis, ad gentes densitate uitiorum asperas, incultas, prorsusque senticosas atque inferaces demigrasse. Agro itaque illo legis caeremoniarumque uomere culto, abiecto & derelicto, in nemorosam sese insinuabit culturam Dei filius: hoc est, populo nostro ingratisimo reiecto, exteram pro dolor immundamque: suam ad religionem accerset gentem. Ergo umbratili cultu istiusmodi nostro omisso, temporarioque illius abiecto usu & frequentia,

{132.7} Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.

Visibiles quidem ritus describens, ad inuisibilia nos condocere nititur Propheta. Parato, inquit, loco, illius intrabimus templum, atque ad arcam, scabellum sane pedum Dei prostrati, uenerabundique illius adorabimus maiestatem. Reor equidem hic Vatem solito clariori diuinitatis perlustratum radio uidisse, atque adeo humi pronum in specu illo informi, duroque cubili, puerum Iesum modo natum a purissimo uirginis pectore pendentem, nostramque tum primum uagitibus contestantem miseriam adorasse, exclamasseque: Adorabimus tuae ubi prima infantiae steterunt uestigia, o rex noster. Quae uero fuerint perpetua Christi uestigia in terris, non solum infantiae, a nobis qui induere Christum, ut nos hortatur Paulus, contendimus, haud secus amplexanda, atque amoenissimae solent deliciae, si interrogor: istiusmodi fuere, fames, sitis, frigus, nuditas, horror, fletus, atque extrema cum matre inope pauperies. Haec sane regia illa fuere noui partus crepundia. Idcirco obseruandum, quod quando Christum nominari contingit, tunc caput Ecclesiae illum esse non dubitemus: proinde a sponsae filiis, ne membra absque capite posse esse somnias, imitandum, uimque ab illo uitae sumendam. Vera haec est in primis rimandarum coelestium rerum ratio atque ordo. Pater enim ipsum dedit, ut inquit Paulus, caput esse supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet: hoc est, qui in omnibus est, ac sufficit pro omni bono, adimpletur, consummaturque in omnibus membris sui corporis, quae est Ecclesia, Siquidem caput, ut ait Oecumenius, corpore completur & perficitur, & ipsum etiam corpus capite. Vide igitur an factu possibile sit electos a Christo diutius separari posse: alioqui Chimaeram quandam horrendam pro pura sponsa in Ecclesiam introducimus, cum perfectissimum sanctissimumque caput turpissimis conuestimus membris, aut ab illo excidimur. Caput igitur a membro hic nobili atque integro, ad nobiscum habitandum inuitari cernimus. quid si & a nobis? o nos felices.

{132.8} Surge domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuae.

Agedum expergiscere, iam plus satis modo huc, modo illuc, peruagatus es. Quo non locorum te asportarunt Philistaei? quo non tui ipsimet mystae? quo non impurissimi tuae religionis hostes? En tandem locus, en sedes. Age, surge, atque eadem qua tu, tuae sanctitatis arca requiescat mansione. Puto hic Deum, quo ad uiuificandam una cum sanctitatis suae arca, quae est caro Christi, accedat Ecclesiam rogari, purissimisque sponsae blanditiis inuitari, ad hunc fere modum: Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in uillis, mane surgamus ad uineas, uideamus si floruit uinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. Hic obruor mysteriis, mi lector: ad altiozem adhuc peruestigandum euehor sensum. Est uox patris, o filii. Exantlatis mundi istius ingratisimi aerumnis, ad me ueni. Iam tua perfunctus es legatione, impletum est

iuramentum, uotum absolutum, sedem inuenisti in Ephrata, fundasti Ecclesiam, eamque, quo uel ipsae mandragorae suum afflent odorem, tuo irrigasti cruore. Ascita tecum est sponsa. Quid restat, nisi ut ad me, unde nunquam discessisti, remigres? Quin tecum exurgat arca, nempe Ecclesia, a te e millibus electa, tuoque sanctificata spiritu atque adeo tibi coniuncta, ut tu caput sis, illa corpus. Quod porro Ecclesia facta si arca sanctificationis, innuit Paulus, cum inquit: Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit seipsum ut sanctificaret

{pdf 853, p. 418v}

illam. Verum non omittendum, dictione sanctificationis, Hebraeis esse, fortitudinis hoc est, ut reddit Paraphr. Veni cum arca, per quam saepe omnipotentis tua apparuit. Ex eo quidem loco admiranda illa prodibant numinis oracula, minaeque, terrores, quibus auditis rebellis ille populus exterrefactus in officio continebatur. Secus modo in Ecclesia fieri conspiciamus, quae amoris clavo transuerberata, amore magis suos ac lenitate coercet, perficitque in Deo, quam formidine ac minis. Unde errant hi, qui arcae praediti potestate nimium turgide insolescunt, putantque subditos sibi homines feras esse cicurandas, uique & uerbere in officio retinendas. Ab hoc prorsus more aliena est Ecclesiae modestia & mansuetudo, quae in Christo fundata nihil non agit, quo Christi uitam referat, qui sic suos admonet discipulos: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Atque de his quidem id dictum esse non ambigimus, quod sequitur:

{132.9} Sacerdotes tui induantur iustitia, & sancti tui exultent.

Luce hic clarius apparet, quid uestes adumbrent sacerdotales: nempe iustitiam, eam sane, qua per fidem ornantur sancti Dei uiri. quocirca additum est, Et sancti tui exultent. Nulla quippe potest esse uera animi exultatio in illo, in quo non est sanctitas, uel saltem ad sanctitatem assequendam studium & conatus.

{132.10} Propter Daud seruum tuum non auertas faciem Christi tui.

Vncti tui, quo dilucidior sit sensus, uertunt. quanquam Christus (sic rudioribus consulendum est) idem sonat Graecis, quod Latinis unctus. Et est ac si diceret, propter promissiones Daudi factas, ne reiicias illius preces, qui tuus unctus est, rex nimirum, qui de more ungi solet. Volunt enim istiusmodi loquendi modum, non auertas faciem, haud infrequentem esse in scripturis, ut fere illud est, quo usus Adonias sic Bethsabee alloquitur: Petitionem unam deprecor a te, ne confundas faciem meam. Ex hebraeo uertunt, ne auertas faciem meam. Sed Paraphrastes rem clarius exprimit, cum ait, ne auertas faciem a Christo tuo. Alius adhuc apertius: Ne differas, inquit, aduentum Christi tui. Is quidem ad aduentum filii Dei in mundum respexit, de quo sane permultae extant Dei pollicitationes Daudi factae: extantque frequentes ille in Salomonem minae, sed propter Daud patrem temperatae. Ait itaque: Propter promissiones Daudi factas te petimus, ne Christi praesentiam diutius deneges: sed illum iam tandem nobis uidendum, ut toties pollicitus es, exhibe. Et quidem

{132.11} Iurauit dominus Daud veritatem, & non frustrabitur illi.

Difficillime nimirum nostrae persuaderi poterat imbecillitati, quod Christus nostra futurus esset sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio. Idcirco Deus iusiurandum suis addidit pollicitationibus quo nihil de illius ambigeremus fide. Astrinxit itaque sese Deus iusiurando Dauidi, quod sane nunquam uiolaturus esset, dicens:

/ {132.11} De fructu ventri tui ponam super sedem tuam.

Sic Deus in Regum secundo: Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse aedificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum eius regni usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse mihi erit in filium. An certe istuc totum de Salomone interpretandum sit, tu qui legi cuique syncerus est animus, atque ad discernendas umbras a corpore acutus, iudica. de Christo haec uerius dici possunt quam de Salomone, qui omnium ingratus Astarthen deum Sydoniorum, Chamosque deum Moabitarum, turpissime pro Deo uero coluit. De fructu igitur uentris tui, ne uerearis, tuo in solio collocabo.

{132.12} Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea haec, quae docebo eos, & filii eorum usque in seculum sedebunt super sedem tuam.

Quid si non custodierint, peribit ne promissio? Minime quidem: nam si filii erunt, custodient: si non custodient, filii neutiquam erunt. Ceciderunt quidem olim a terrenarum rerum dominio Iudaei, quia non seruata est foederis conditio. Verum Dei sermo & promissio perseuerat in Christo Dauidis semine, a quo propagati fideles, quae pollicitus est Deus obtinent. Hi quidem, atque illorum posterum, diuinas adamussim seruant, seruantque praeceptiones, ac uitae instituta, non quae si-
[sibi]

{pdf 854, p. 419}

-bi somniant & effingunt, sed quae praecepit altissimus. Atqui hic mihi uidere uideor aeternam promitti felicitatem his, qui pactum cum Deo in initum in baptismo, ac legis mandata seruant. quam quidem ob rem perpetuus id piis deberet esse stimulus, quo periculi ab omnibus minime praeuisi admonerent, quodque marmoreis in aedium aditis inscribi deberet literis: Qui bona egerunt, ibunt in uitam aeternam: qui mala, in ignem aeternum. Caeterum ex hebraeo uertunt: Foedus meum, & testimonium meum. quae duae uoces Euangelium signant, si ad Ecclesiam eas referas. Si uero ad Dauid atque eius successores in regnum, foedus hic erit priuatum, testimonium autem lex generalis. Et haec omnia ad perfectionem attinent fidelium.

{132.13} Quoniam elegit dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.

{132.14} Haec requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam.

Perpendi quomodo paulatim Vates ad exprimenda Ecclesiae tum electionem, tum perpetuitatem, descendit. De religione quidem illa ueteri synagogae minime id dici potest, quod in seculum seculi in ea requieuerit Deus. Reiecta penitus suam ob

impietatem, atque, ut inquit Eusebius, ob sacerdotum auaritiam & ambitionem, Hierusalem, reiectus est & illius cultus, nouaque introducta est per Christum religionis forma, pura scilicet, atque illius sanguine, tum nimia, qua occubuit, dilectione, consecrata. atque haec quidem praeter omnium spem & expectationem. Nanque ex Dei electione Christo coniuncta est Ecclesia, ex quo suam ineffabilem commendauit in nobis Deus charitatem, ut inquit Paulus: quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Itaque ex electione ac Dei charitate in immeritos, uocata est Ecclesia. Unde non absque ingenti est mysterio, quod hic ex hebraeo uertunt: Quoniam elegit dominus Sion (en electio) concupiuit eam (ecce amor) in cathedram sibi. Quare sic Paraphrastes: Elegit enim diis Sion: sic amauit eam, ut habitare constituerit in ea. Sed ornatum intueamur sponsae istiusmodi gratuito ad sponsi amplexus admissae: intueamur, inquam, sponsi erga illam munificentiam, atque profectam ab amore liberalitatem. In primis, inquit,

{132.15} Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus.

Volunt hi, qui interpretis lapsum non animaduertunt *thuran** pro *chiron** [Greek] legisse uidetur: prima enim uox uiduam significat, altera uero uenationem, seu, ut uertit Felix cibum uiaticum: ceda est Hebraeis) uolunt hi, dico, pro uidua uiri subsidio destituta, animam intelligi, quae abiecta lege, contemptoque iustitiae itinere, suo uiuit arbitrato. Verum a Deo uocata ad uitam, se statim numini consecrat: quae sane diuina est bene dictio atque amoris signum. Quid, oro, tam insperatum, quam parricida, adulterum, auarum, scortumque infame, in purissimum Ecclesiae sinum introduci, membrumque Christi effici? Verum, ut dixi, uox haec cibum huiusmodi, quia uiatoribus suppeditatur, significat. Paraphr, annonam interpretatur: quare uberem prouentum rerum, quae ad sustentandum uitae huius exilium & peregrinationem necessariae sunt, a Deo hic promitti exponunt. Et certe legitimis Ecclesiae filiis non possunt non copiose res ad uitae usum necessariae, a coelesti patre suppeditari. Nunquam uidi, clamat Vates, iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem. Ideo in sponsi obsequio frigidiores, filiosque, ut eos uocat Paulus, diffidentiae, obiurgatos fuisse tunc arbitror, quando sic suos admonuit discipulos Christus: Et uos nolite quaerere quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite in sublime tolli. hoc est, ne praesentibus minime contenti, copiosioribus, quae humanarum cupiditatum est natura, inhietis: haec sane omnia gentes inquirunt: pater autem uester scit quoniam his indigetis. Vult igitur pater, ut nos, nostrasque indigentias in illum reiiciamus, quippe qui maiori nos prosequitur charitate, quam liberos nos nostros, aut nostram ipsi propriam salutem. Res, ait, illis ad uictum concernentes abunde suppetent, qui in me confidunt. Praeterea

{132.16} Sacerdotes eius induam salutari, & sancti eius exaltatione exultabunt.

Pulchre is uersus superiori respondet, quo dictum est: Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultent. Salutari, suo more uertit interpretes, pro salute [salute]

{pdf 855, 419v}

-te. De sacerdotibus id nouae legis cani non est qui ambigat. Caeterum istiusmodi praefert sensum, salutem induere sacerdotem, quod ita & doctrina & sanctitate ornatus esse debeat, ut futurum beatitudinis statum prae se ferat. Sacerdos quidem in terris imago quaedam est bonorum coelestium: neque in illo pars ulla conspici debet, quae pietatem, quae dilectionem, quae Deum tandem, salutem nimirum animarum non sapiat. Secus uero quomodo in illorum numerum censebitur, de quibus illud canitur spiritus elogium? Vos sacerdotes domini uocabimini, ministri Dei nostri. Nunquid de se illud rite proferre poterit? Induit me dominus uestimento salutis, & indumento laetitiae circumdedit me. Sanctissimum istud est ostentationis genus, quod non tantum a suae salutis commodo metiri quis solet, quantum ab illo, quod debet populis, impenso. Ergo a sacerdotibus, tanquam ab optimis bene uiuendi formis pendere debent e uulgo caeteri, qui plerunque in his quae fidei sunt, nutare consuescunt, si sacerdotes, atque alii uerbi Dei ministri non iustitia & salute, sed turpissima uitae consuetudine induti sunt. Eo quidem loci interdum istiusmodi deuenisse hominum ordinem & numerum uidimus, ut plures omnino essent quam ipsi in urbibus ciues, atque in uillis agricolae, & hi nonnunquam absque literis, ac spiritu. Ex quo (malum) illud contingere non nescii sunt (modo scire uelint) episcopi, quod in aedibus ipsis propriis ne ipsae quidem consanguineae uirgines tutae sint. Quid in aliis porro aedibus? Ad tantam enim impudentiam nonnullos processisse ferunt parochos, ut hinc illos sacra agere, illinc infantes in concubinae gremio uagire audierint. Hos certe malae fidei antistites & pastores, iustitia nunquam indutos esse dixero & salute, e quorum moribus in greges mors ipsa desaeuiens haud secus exire solita est, atque ex antro horrido in uiatores latro, aut e nemore in armenta lupo. Res tamen non prorsus desperata uidetur, si dioecesani, ut audio, praesules ad tam patentia templorum portenta non conuiuent. Sed ad psalmum, ad puriores Dei administros, ad candorem Ecclesiae reuertamur.

{132.17} Illuc producam cornu Daud, parauit lucernam Christo meo.

Diurnitatem uirtutemque spiritus, quae in Ecclesia per Christum florere debet, ostendit. Ibi florere faciam cornu Daud, uertunt ex hebraeo. Caeterum cornu in scripturis, quod alias annotauimus, pro robore, uictoria nonnunquam, gloria regno, amplitudine, potentia, maiestate tandem sumi solet. Sic Iob suum se cornu in puluerem deiecisse dicit: hoc est, regium fastum, atque omnia quondam magnifica se abiecisse fatetur. Haec sane omnia, mirum quam copiose exuberent in Dei regno, si tamen in spiritu cerni datur. Gloria uero illa, pompaque & maiestas, qua superbissimum in modum insolescimus in regnis ac rebus publicis mundana omnino est, & periculosa. De istiusmodi non loquitur hic Vates: sed de illa, cuius uirtute animae a mundo separantur, cum altera illa a Deo hominem facile separet mundoque fortissimis ambitionis atque arrogantiae clauis affigat. Augebo, inquit prorogaboque potentiam & dignitatem in regno Daud. Quae quidem dignitas tametsi in Iesse filio temporaria fuerit & caduca, in Christo tamen atque eius membris stat solida, renouaturque de die in diem in spiritu. Stupidi nimium sumus, si pulcherrimam Ecclesiae uiriditatem, qua incomparabilem sibi uindicat dignitatem & gloriam, non saltem fide comprehendimus, simulac nusquam non desit fax spiritus, qua mens irradiata, nihil tam altum reconditumque inuenitur, quod fide non assequatur. alioqui frustra illud addidisset Deus, Adornauit lucernam Christo

meo. Verum lucernam hic positam alio sensu pro posteritate arbitrantur, in qua progenitorum imagines, tanquam in lychniis accensae thryallides, vivunt. Non sane infrequens est in scripturis, huiusmodi appellatione posteros nuncupari. Vide an illud in comminationibus Salomoni a Deo factis, ad hunc intelligi debeat modum: Auferam, inquit, regnum de manu filii eius, & dabo tibi decem tribus, filio autem eius dabo tribum unam, ut remaneat lucerna Dauid seruo meo. Illud rursus de impietate Hieroboam loquens: Propter Dauid dedit ei dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, ut suscicaret filium eius post eum. Ergo lucerna Christi in Ecclesia sunt illius posteri, qui ex Deo nati sunt, qui etiam quaecunque agant,

{pdf 856, p. 420}

aut cogitent, aut scribant, suum referunt progenitorem, felicissimamque illius repraesentant imaginem. Parata quidem haec fuit lucerna a patre suo unigenito ante orbis molitione: quam sane propterea usque ad mundi ipsius occasum lucere iussit, ut suo hic in regno essent, qui filii sui dilectissimi praesentiam uitae sanctitate referent. Felicem illum, qui tali dignatus appellatione, nihil quod tenebras obducat, in se esse patitur. Is quidem istiusmodi se habebit modo, ut dixi, uirescetque in dies magis, atque in aedificium corporis Christi coalescet: lampades uero fatua tum uirginum extinguentur. Ideo subinfertur:

{132.18} Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem effloreat sanctificatio mea.

Ex hebraeo: Super ipsum autem floreat diadema, seu ornamentum. Unde sic Paraphrastes: In capite illius fulgebit diadema. qua utique periphraasi splendorem regum perpetuo duraturum in Dauidis semine, qui Christus est, innuere uoluit. Putant doctiores pro eodem accipi, & cornu Dauid, & lucernam, & diadema: nempe regiam potestatem atque splendorem in Dauid posteris nunquam desituro, quod quidem uaticinium in Ecclesia quotidie perfici uidemus per Christi spiritum, qui nostrae pignus est haereditatis, ut inquit Paulus, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius. Impiis uero terror est & interitus. Quare non absque ratione dictum fuit ab eo: Inimicos eius (Christi uidelicet) induam confusione. Possunt certe nonnihil in hoc mundo tyranni contra Ecclesiam, atque proborum uitam: possunt haeretici, possunt obloquentes, inuidi, superbissimique religionis ministri. Verum istorum minae iniuriaeque temporariae sunt, somnoque persimiles aut fumo, idcirco a sponsa ludibrio habitae. Breui enim, cum uisum fuerit sponso, molestissima huiusmodi monstra dissipabit altissimus, pudoreque ac confusione, tanquam infamiae lacerna et pallio circumamicta, interficiet spiritu oris sui. Cui laus sit aeterna. Amen.

PSALMVS CXXXIII. Canticum graduum Dauid.

{133.1} Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in unum.

Pacato regno, sedatisque bellorum dissidiis, atque propterea accita inter ciues concordia, carmen hoc mutuis cecinerunt adhortationibus sacerdotes inter sese, canuntque assidue hi, qui Dei spiritu renati nihil antiquius habent & quaerunt, quam ut

unum sit cor, unaque uoluntas, atque unum omnino studium inter Dei filios, quos istiusmodi hortatur uerbis Apostolus: Solliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis, unum corpus, unus spiritus. O uere aureum dogma & diuinum. Et ut uerissimum illud sit, quod nec ethnicos quidem ipsos latuit autores, concordia scilicet res paruas crescere, discordia etiam maximas collabi: istud non minus uerum quam necessarium, membra unius corporis inter se dissidentia quamprimum interire. Ita sunt sane omnes sub Christo merentes, illiusque facti per fidem membra, qui caput est, ut inquit Paulus, ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui charitate. Hanc quoque spiritus doctrinam diuus non ignorans Benedictus, suam ita hac de re promulgauit legem: Infirmitates mutuas siue corporum, siue morum, patientissime ferant. Obedientiam sibi certatim impendant. Nullus, quod sibi utile iudicat, sequatur, sed quod magis alteri. Potest ne quicquam tam sancto addi secreto? Hic quidem nec falsus sum totam naturae legem innouari uideo. Quid illud? Deum, inquit, timeant, Christoque omnino nihil praeponant. En Euangelicae disciplinae summa & perfectio. Diuus etiam Bernardus non raro res has tantas suo quoque tempore in monasteriis refrixisse queritur, atque adeo acerbe in transgressores inuehitur, ut maledicentiae notam ab improbissimis mea etiam aetate hominibus non evaserit. Sic semper in terris candor animi fuit invisus et odiosus. Quid de me dicerent homine omnium ignauissimo in Dei obsequio, si eadem, quae tam sanctus anti-
[antistes]

{pdf 857, p. 420v}

-stes de suae aetatis monachis dentatus scripsit, ac questus est, ego de praesentibus & modice & uerecunde mandarem literis? Verum interim quod turbae ex Heli cacabo atque olla deferueant, nos qui in causa sumus, sed liberari contendimus, uelimusque nolimus rem optimam esse concordiam fatemur, una cum puris illis animis, de quibus ille merito celebratur uersiculus, Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultent, clamemus: Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in unum. Quid bonum? quid iucundum tantummodo? Istuc omnino optimum est, atque id quidem, quo uel solo ex hominibus dii efficimur. Nam sane quidem nihil aliud aeternas esse beatorum sedes arbitror & domicilia, aut ut illas uocat omnium magister, mansiones, quam communis omnium in Deo consensus, unusque animus, amor unus, ac pax. Sanctissimum id igitur est, cum homines simul uno connexi charitatis nodo, uniformi uiuunt uitae genere. Turpissimum uero illud, cum discordiis inter sese obortis, dissipato uiuunt animo. Non est, puto, tam nigra apud inferos regio, quae queat cum huiuscemodi uitae caligine comparari. Ita nihil amoenius concordi fratrum uita et quiete. Quocirca unguento illam preciosissimo assimilat spiritus dicens:

{133.2} Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.

Is unus est uersus Hebraeis, alioqui interruptus esset sensus. Comparat igitur fraternam concordiam (fratres omnes sumus quotquot credimus) unguento illi Aaronico, nempe sacerdotali, cuius forma in Exodo disertissime describitur a Mose. Eo quidem non solum sacerdotes, atque illorum liberi inungebantur, uerum etiam tabernaculum,

arcaque testamenti, atque uniuersa omnino religionis uasa & suppellex. Hoc oleum, inquit, unctionis sanctum erit mihi in generationes uestras. Gratiarum porro coelestium id erat oleum, quo homo, ut in lege cauetur, haudquaquam ungi debet. Caro, inquit, hominis non ungetur ex eo, cuiusque liquor in misericordiae pyxide seruatur in generationes prorsus uenturas absque fine in Deo. Illud itaque effusum super caput Aaron, odoratissimo a uertice per frontem ac barbam demanans riuulo, ad extremam usque oram chlamydis descendebat: quo quidem pigmenti illius fluxu, mira passim sentiebatur odoris fragrantia. Tota ipsa tum demum religio suauiissimam quandam sanctitatis maiestatem spirare uidebatur. Ita sane sunt Christianorum coetus, inter quos cor unum est atque anima, in Dei cultu & religione. Ad haec, capiti propiores qui sunt, hi ad barbam attinent sacerdotis. Siquidem spiritus oleum e regio sacerdotalique Christi uertice defluens, barbam primum occupat, pectus deinde, atque ad ima sensim delabitur. Nanque uarii in Ecclesia constituti sunt gradus, ipseque, ut impleret omnia, quosdam dedit Apostolos quosdam autem Prophetas, alios uero Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi. Elegans profecto metaphora, atque ad ostendendum uitae odorem in sanctis De magnopere apta. Cui tamen alia subinde non minoris efficaciae adiuncta est a Vate, adeo copiosissima pene obruimur mysteriorum ubertate.

{133.3} Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Est quidem, inquit, concors hominum conuictus gratiis aequae omnibus abundans, ac quauis spiritus pinguedine beatus, atque ros est qui descendit in montem Hermon, atque ille qui descendit in montem Sion, loca nimirum ob felicissimum, frequentemque roris illapsum foecundissima, proinde pascuis commoda, atque a gregibus frequentata. Caeterum Hermon mons est ultra Iordanem positus, statio, ut dixi, propter herbarum copiam a pastoribus frequentata. Sion uero mons notus est, ad cuius radices sita fuit Hierusalem. Hisce enim montibus propter fertilitatem absimiles haudquaquam sunt unanimes in Christo fideles: cum Caucaso porro sterili, aut Pyrenaeo monti, niuosoque Atlanti, comparari possint dissidiorum fautores, atque inter sese rixantes. Etsi enim quae hic dicuntur de concordia, ac unanimi fratrum consensione, a nonnullis ad monasteria tum uirorum tum dun-

[duntaxat]

{pdf 858, p. 421}

-taxat referri uidentur, nihilominus ad omnes pertinere arbitror, qui in Ecclesia Christi uitam uiuere tranquillam modis omnibus inquirunt, siue monachi hi sint, siue patresfamilias, siue in quouis alio uitae genere occupati. Tam quidem in rebuspublicis Christianorum, atque in priuatis ciuium aedibus necessaria est pax & concordia, quam in ipsis religiosorum domiciliis. Nullo quippe pacto res spiritus uniuersales ad has angustias obtrudi debent, ne homines, ut uocant, seculares se a suavitate Evangelica reiectos esse doleant: aut ubi vitae perfectionem expectari par fuerat, nihil minus interdum conspici detur. Gratia quidem Christi res est universalis, omnes uocat, omnes admonet, omnes trahit, omnes amplectitur.

{133.3} Quia illic mandauit dominus benedictionem, & vitam usque in seculum.

Ubi pax est, atque amor mutuus. Ab istiusmodi quidem gratiarum copia atque ubertate nemo excluditur, non rex, non princeps, non miles, non mercator, non sutor, non faber, non ipsa demum paupercula ducens e colo stuppam anus. Illic, inquit, ubi istud uiuendi genus, nempe concors atque uniforme cum Deo inuentum fuerit, suam praesto adesse beneficentiam, uitamque beatam, ac perpetuo duraturam, praecepit Deus. Cui laus sit in secula. Amen.

PSAL. CXXXIII. Canticum graduum.

{134.1} Ecce nunc benedicite dominum omnes serui domini, qui statis in domo domini, in atriis domus Dei nostri.

Inter Dei ordinationes, quas Aaron in functione sacerdotii coelitus audiuit, illa fuit: Sint tecum Leuitae, & excubent in custodiis tabernaculi, & in omnibus caeremoniis eius. Eam ob rem hunc psalmum ad eos noctis potissimum tempore exuscitandos directum esse censent quidam. Verum cum uocem hic uniuersalem poni uideo, de cunctis hic dici arbitror, qui dies noctesque quibusdam maxime statis diebus in templo morabantur: quare prima uix facta omnibus admonitione, a Vate infertur: Qui statis in domo domini, in atriis domus Dei nostri in noctibus. In atriis domus Dei nostri, non est in hebraeo, sed solummodo, qui statis in domo domini in noctibus, iam cunctis omnino, qui coelestibus die noctuque dant operam contemplationibus, compertum esse potest, quam commodum sit contemplationi silentium, atque propterea nocturnum tempus. Perdiu quidem raro eo ob strepitus conscendere apti sunt, quo sancto iam attriti usu & consuetudine, facile de nocte conscendunt. Mirum quantum tranquillae officiant uitae diei turbae. Ideo non nouum id esse debet ignauis atque insolitum, si quando tum a Dauid, tum a caeteris quoque spiritus sancti uatibus se audiunt moneri, ne quietissimo noctis tempore abutantur, totumque dedant somno, ne dicam ludis, iocisque scurrilibus, ac iunctis cum libidine comessionibus. Parasitorum lenonumque haec est uitae ratio, & meretricum: haud illorum quidem, quibus quanti aestimandum sit temporis beneficium, perspectum est. Eia, inquit, o uos qui serui Dei, quique illius religionis cultores uideri uultis, quid totas stertitis noctes? Vos, inquam, qui in domo Dei, ubi lux est fidei, excubias agere decreuistis, appello. En surgite, en laudibus Deum extollite. Si interdium id integre propter diei strepitus peragi nequit, en nox ad illud assequendum idonea. Paulo diversum hunc reddit sensum Paraphrastes, pium tamen et sanctum. Nunquam illum, inquit, satis laudare poteritis, etiam si totas noctes in templo domini laudantes perstiteritis.

{134.2} Extollite manus vestras in sancta, & benedicite dominum.

Veterem adorandi morem Iudaeorum non omittens Propheta, ad ueriores nos sancta sanctorum introducit. Deprecaturi tum quidem, & manus, & oculos, & uocem quoque illo supplicabundi dirigebant, unde diuina dari responsa arbitrabantur. Id loci sancta erat arca & propitiatorium, quibus adumbrabatur Christus & Ecclesia. Qui enim altiori praediti erant spiritu, nescio quid sanctius in manufacto illo cernebant opificio, fore

aliquando, ut in Christo umbrarum veterum termino orbis plane universus, nedum angustus terrarum angulus, ut erat Iudaea, aspiceret, gratiasque ab illo hauriret. Huc absque dubio spectavit Vates, quando

{pdf 859, p. 421v}

suos adhortabatur populos hoc modo, ut hic uides: Sustollite, inquit, manus, ut moris est, ad sanctuarium, arcamque foederis, ac quanto potestis studio & nisu, dominum laudibus efferte. E regione autem

{134.3} Benedicat te dominus ex Sion, qui fecit coelum et terram.

Quidam hic uertit, uos. Ditabit uos, inquit, dominus de Sion. Siue te, siue uos legere libeat, idem omnino erit sensus. Etenim optat Vates, ut bene illis sit a domino ex Sion (ea est Ecclesia) qui in illo toti sunt, quomodo a mundi amore atque occupatione alienati, arcae illi coelesti, non quae olim in tabernaculo bracteolis contacta aureis uidebatur, sed quae in coelis, opificio nimirum Dei, & creatione, templo sane nulla elaborato hominum arte, ad dexteram Dei patris suam nacta est sedem, aeternam nimirum, atque hostibus Ecclesiae formidabilem, quoniam illius mansio est qui fecit coelum & terram, obsequi possint. Cui honos sit perennis in secula seculorum. Amen.

PSAL. CXXXV Halleluia.

{135.1} Laudate nomen domini, laudate serui dominum.

{135.2} Qui statis in domo domini, in atriis domus Dei nostri.

{135.3} Laudate dominum, quoniam bonus es dominus: psallite nomine eius, quoniam suave.

Quamobrem hunc psalmum composuerit Daud, nulla certa est coniectura. Verum quantum ad inscriptionem attinet, coniectare licet, uel hunc, uel caeteros huiuscemodi notatos titulo, ad celebrandas Dei laudes, renouandamque beneficiorum Dei memoriam, in populo illo ingratisimo, atque adeo in deorum cultum mirum in modum prono, institutos. Magnum id est improbitatis signum, beneficiarii animum in benefactorem obdurescere: uitium sane haud raro Iudaeorum populo cum a prophetis, tum a Deo ipso obiectum. Quantum porro nos Iudaeis in hoc peccati genere praestemus, maiora in nos, quam in illos exhibita testari possunt Dei beneficia. Nos amentes. si nondum tantarum gratiarum cumulus, uel dormientibus innotuit: imo uero notum auersamur, dissimulamisque ingratisissimi illius munera: hincque ortum habet, quod ad Dei laudes frigidi omnino sumus, ad nostras uero igne ipso flagrantiores. Quare non mirum esse debet, si nobis nostris in aerumnis & miseris, non est, neque in coelis, neque in terris, qui misericordiam praestet. Condita iam omnia in nos obduruere, quemadmodum nos in Deum. Exuendum itaque iam tandem istuc est cor lapideum, atque ad diuinum amorem, cuius uirtute etiam ipsae mansuefieri possent Tigres natura durae & intractabiles, assuefaciendum. Etenim a suauissimo coelestium rerum gustu pro: pulsus, quem alium cibum, quo nostra haec infelix sustentari queat uita, opperiemur? Iam pro maximo erit lucro, si a spiritu ad laudandum Dei nomen inuitat, lenem saltem praebuerimus auditum. Laudate, inquit, nomen domini, laudate serui dominum, qui

statis in domo domini, in atriis domus Dei nostri. Laudate dominum, quoniam bonus est dominus, psallite nomini eius, quoniam suaue, Haec sunt quae potissimum in Deo laudanda uidentur: bonitas, seu clementia, & suauitas, qua etiam crucis amaritudo fit dulcis & delectabilia. Porro serui Dei omnes generatim credentes intelliguntur. Qui uero stant in domo domini, in atrisque illius perseuerant, pro illis usurpant, qui speciali atque adeo feruentiori cultu diuinae uacant religioni, ut olim erant sacerdotes, leuitae, quique in tabernaculo assiduis excubare consueuerant uigiliis. Quem sane morem imitari uelle cernimus frequentia illa per orbem interspersa coenobia, ad tranquilliores quidem uitae usum a maioribus inuenta, maximoque erecta fidei feruore & disciplina: in quibus si pristinus candor animi, ac pax, in qua mutua necessario inest charitas, seruatur, non est quamobrem angelorum desideretur in terris uita & conuersatio. Ait itaque: Vos omnes, o qui diuina initiati estis religione, moneo, hortorque, ut Deum quanto ualetis studio, laudibus efferatis: sed uos in primis, quibus praecipua sacrorum peragendorum concredita est cura, cultusue purior. Agitedum, laudate Deum quotquot illi uestra dedistis nomina: laudate, inquam, illius bonitatem,

{pdf 860, p. 422}

prouidentiam, facilitatem, in miserosque clementiam. Siquidem bonus est dominus, suauis, atque apprime misericors. Ab istiusmodi enim irrigationibus, tanquam a felicissimis inexhausti fontis riuulis, in nos natura steriles bona omnia deriuat tam bonus pater.

{135.4} Quoniam Iacob elegit sibi dominus, Israel in possessionem sibi.

En quomodo crebro in sacra lege fit electionis mentio. Laudibus itaque prosequendus est dominus ob id potissimum, quod gratis Israelem in peculiarem sibi populum, cuique infinita suae benignitatis signa praebuit, elegit. Suapte, inquam, sponte Israelem (idem est qui & Iacob) populum nimirum Israeliticum, ut esset illi ueluti ornatus quidam rarus, ac gemma, a caeteris secreuit: uoluit quidem eum suas esse diuitias, suam haereditatem, suum patrimonium. Alias diximus non rarer Israeliticum populum credentium adumbrasse, quem, ut hic uides, ab inquinata profligatorum illuue coelestis ab aeterno delegit pater.

{135.5} Quia cognoui quod magnus est dominus, et Deus noster prae omnibus diis.

Aliam adducit causam, cur laudandus sit Deus. Quia, inquit, egomet novi, haud raroque expertus sum, quod magnus est dominus, quodque caeteros reliquarum nationum deos potentia sua infinita superat. Valet perinde atque, quicquid potentiae est rarioris infinito antecellit: quandoquidem

{135.6} Omnia quaecumque uoluit dominus fecit in coelo & in terra, in mari, et in omnibus abyssis.

{135.7} Educens nubes ab extremo terrae, fulgura in pluuiam fecit, & producit ventos de thesauris suis.

Hic cernis quomodo nequaquam ociosum sit uerbum, cognoui. Etenim ex illius operibus Dei magnitudinem se comprehendisse asserit Propheta: fateturque quod solus is demum sit, qui quaecunque libet, siue in coelis, siue in terris, siue in mari aut lacubus fluminibusque altioribus, operatur. Abyssos pro uortiginosis, miraeque pro funditatis aquarum alueis posuisse uidetur. Quare sic Paraphrastes: Potestatem habet in uastissima illa maria, & in omnia quae usquam obstrusa latent, & in locis profundissimis. Diuus uero August. cuncta haec suo more ad allegorias pertrahens, abyssos profundissimas humani cordis cogitationes interpretatur, sanctissime id quidem. Caetera quoque de ipso, quid scilicet prae se ferat coelum, quid tellus, quid mare, diligens poterit lector cognoscere. Meum est institutum a literae serie non nisi coactus discedere. Iam quid e coelorum influxu ac ministerio proueniat, quo magis admiranda appareat Dei potentia, aperit. Educit, inquit, seu eleuat, ut ex hebraeo transferunt, exhalationes & uapores ex abditis terrae uisceribus, quae longissimo dissidet a coelis interstitio: cogitque in nubes, unde ortum habent uenti, tonitrus, fulgura, fulgetraque, & id genus alia, ut sunt niues, grandines, rosque illud herbis gratissimum, ac pluuiae. Ab extremo terrae interpretantur, ut diximus modo, Hebraeorum doctiores. quanquam non me praeterit ad mare illud referri ab aliis, eo quod ex illo nubes oriri uideantur: nanque ex mari cum densae exeant, attollanturque exhalationes, nimbosos illos, quos in aere circumferri cernimus, procreant globos, e quibus praecipites erumpunt pluuiae, caduntque grandines, agrorum nimirum exitium & calamitas. Caeterum fulmina pluuiis, ignemque aquis commiscet, quo rei miraculo haud dissimilis admoneamur, ignem scilicet in tam uasta aquarum mole non extinguui, imo excitari. Nonne illud terrificum, stuporemque omnem mortalium superans uidetur, ignem inter largissimos saepe nimbos emicare, fulguraque late omnia conflagrantia prosilire, ac tandem uentos alterno ueluti impetu e reconditissimis terrae locis, tanquam a Dei thesauris prouere, atque horrendum in modum cuncta commiscere murmure ac stridore? E thesauris Dei uentos afflare asserit idcirco, quia incerta omnino est illorum origo, ut fere sunt thesauri. Quocirca naturae effector de uento similitudinem afferens in Ioanne, sic ait: Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, & nescis unde ueniat, aut quo uadat. Proinde somniis philosophorum omissis, haec omnia a Dei potentia atque arbitratu, cui soli rerum istiusmodi notae sunt origines & causae, proficisci fateamur. Audi & alia summae potestatis argumenta in Deo:

{pdf 861, p. 422v}

{135.8-9} Qui percussit primogenita Aegypti usque ad pecus, et misit signa et prodigia in medio tui Aegypti, in Pharaonem et in omnes seruos eius.

Summatim quae gessit Deus in gratiam populi illius ueteris perstringit, quae tamen alias copiosius edisserit, nempe insigniora, in quibusque summae illius tum potentiae, tum bonitatis reluxerunt indicia. Usque ad pecus, addidit, quo maiorem exprimeret calamitatem.

{135.10-11} Et percussit gentes multas, & occidi reges fortes. Seon regem Amorrhaeorum, & Og regem Bassan, et omnia regna Chanaan.

{135.12} Et dedit terram eorum haereditatem, haereditatem Israel populo suo.

Hic fuit Seon ille ferocissimus, qui expulso Moab illius regnum occupauit. Hincque illud iactari coeptum est uulgo prouerbii loco: Venite in Esebon, aedificetur & construatur ciuitas Seon. Qui tamen a Dei exercitu superatus interiit. Og uero Bassan rex e Seon interitu perterrefactus, fortunam belli tentare uoluit, in quo & ipse, & illius liberi, cum totis copiis infelicissime occubuere. Verum ne militum robori, quod gestum fuit, adscriberet quispiam, uide quid Mosi Israelitici exercitus imperatori dicat Deus: Ne timeas eum, quia in manum tuam tradidi illum, & omnem populum ac terram eius. Atqui robur id est in primis, quo armati nostri debent esse principes, qui in Turcas expeditionem adornant, ne suis duntaxat fidentes classibus, aut uectigalibus ui exactis, & munitionibus littora illa crudelia Christianorum sanguine madere faciant. Vidi equidem reliquias illas miseris militum e fluctibus sub Cirthae (Argirium uocant) oppugnationem eiectas, oras has nostras applicuisse, onustas quidem uotis, quibus sese seruatas arbitrabantur. Caeterum uero nulla uitae correctio, nulla religio, nulla exactionum remissio: nam quas aduerso Marte aut tempestate amisere fortunas, furtis eas actutum, latrociniiis, ac pauperum bonis resarcire adorti sunt. Scilicet imminentem barbarorum cladem ab armato impietate milite perfractum iri nostri opinantur principes. Superbissimis itaque profligatis, duce Deo, a Mose regibus, illorum regnum, ut fuerat pollicitus, ac terram dono dedit perinde atque illius esset patrimonium, atque sperata a maioribus haereditas, populo suo charissimo. Quapropter

{135.13-14} Domine nomen tuum in aeternum: domine memoriale tuum in generatione & generationem, quia iudicabit dominus populum suum, & in seruis suis deprecabitur.

Memoriale tuum: clarius ex hebraeo, memoria tui, uertisset interpres. Rursus, iudicabit populum suum, pro populo suo. quare sic Paraphrastes: Suscipiet dominus patrocinium causae populi sui contra aduersarios. Iudicabit igitur pro populo suo. Iam illud omnino male uersum uidetur: Et in seruis suis deprecabitur. Quod si deprecationis uocem hic locum habere existimauit interpres, exorabit potius, ut ex graeco transferunt, uertendum fuerat: hoc est, ad preces populi sui facilis erit, sinetque se exorari. Ex hebraeo tamen, consolabitur, reddunt. Videtur id eum ad modum dictum, quo illud Dei in Esaia: Eia, inquit, consolabor me super hostibus meis, & ulciscar de inimicis meis. Apparet enim tum Deus affici consolatione, cum nostra ulciscitur scelera: quemadmodum dolore, cum a nobis peccando irritatur. Anthropopathia est, quod alias admonuimus. Sumpta enim de illo, cui male uult, poena, uolue est homini irato ac saeuo. Intelligit igitur hic Vates, Deum tandem longis satiatum suorum plagis, iri placatum. Ideo sic uertit quidam: Erga seruos suos placabilis erit. Itaque propter immensa illa, atque adeo infinita tuae benignitatis signa in populum tuum exhibita, propter portenta, propter summam in moderandis illorum rebus prouidentiam, tuum erit nomen aeternum: memoriaque rerum sic per te in tuorum gratiam gestarum, a generatione in generationem perpetua transibit successione. Siquidem tuos semper ab impiis tutatus es idcirco, quod cum illis in gratiam reuersus, in clementissimo tuae pietatis sinu eos plagis diutius uexatos purgatosque, tanquam rem tibi charissimam collocasti. Caeterum

{135.15} Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.

{135.16} Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt.

{135.17} Aures habent & non audient, neque enim est spiritus in ore

{pdf 862, p. 423}

eorum.

{135.18} Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

Vates considerata Dei potentia, atque erga omnes, qui ad illum confugiunt, dilectione, facilitateque ad opitulandum illis qui ueram amplexantur religionem, uanitates deridet Gentium, quae inanimos, nulliusque omnino sensus ac uirtutis deos sibi effingunt atque adorant. Haec plane ad uerbum in alio habentur psalmo, ibique explicata sunt.

{135.19-20} Domus Israel benedicite domino, domus Aaron benedicite domino, domus Leui benedicite domino. Qui timetis dominum benedicite domino.

Deriso superstitioso gentium cultu, hortatur quotquot uerae addicti sunt religioni, ut propter antedicta coelitus beneficia Deum laudibus, ut meritis est, extollant: sed primum Israelem, totum nempe populum: sacerdotes postea, quorum princeps fuit Aaron: Leuitas deinde, ac postremo cunctos Deum timentes. Quod Aaron primum meminerit, Leui postea, qui eiusdem erant tribus, id consulto factum uidetur, quo quis autor fuerit tribus Leuiticae innotesceret. Is Leui fuit, non Aaron: sed is dignior, ideo primum a Vate ponit. Vos igitur posterius Iacob, uos posterius Aaron, uos posterius Leui, uos quibus diuinus cordi est timor, laudate dominum, illique gratias agite. Siquidem

{135.21} Benedictus dominus ex Sion, qui habitat in Hierusalem, halleluia.

Vide quam caute Vates a more antiquo adorandi non discedens, Ecclesiae dignitatem effigiat. In Sion quippe monte erat templum, in quo propitiatorium, sedes utique Dei, mira seruabatur religione. Unde hic ex Sion, loco nimirum unde coelestia audiebantur responsa, promissionesque illae numinis frequentes, ac minae interdum uenerando quodam prodibant silentio, laudandum esse Deum fatetur, cuius certa atque adeo aeterna futura esset mansio in Hierusalem, quae Ecclesiae fidei typus fuit ut sacer, ita illis qui caeteris e uulgo hominibus uitae sanctitate praestabant, exploratus. In qua quidem Ecclesia perpetuum se fore ueluti ciuem, non semel testatus est benignissimus seruator. Cui laus sit perennis. Amen.

PSALMVS CXXXVI

{136.1} Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Haec laudis oda una cum multis eiusdem est argumenti, Deum scilicet quia bonus est & clemens, laudandum esse. Et ut quidem omnes ad id muneris pertrahat prudentissimus

Vates, nonnulla quae Deus in prima mundi effectione exhibuit beneficia, atque mox alia, commemorat. Hoc idem prorsus precatationis exordium suum edocuit exercitum rex Iosaphat, qui pugnaturus cum posteris Moab & Amon, sic suos hortatus est milites: Credite in domino Deo uestro, & securi eritis. Credite prophetis, & cuncta euenient prospera. Deditque consilium populo, & statuit cantores domini, ut laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac uoce consona dicerent: Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Vides ne quo in primis armorum genere suos armari uoluit milites tam pius rex? fide nimirum, ac prompto laudandi Dei studio & affectu. Quo non irrumperet istiusmodi instructus armis miles? Verum alio se habet nunc modo disciplina militaris. Vidi interdum milites ad numerum tuba accitos, uocatosque centuriatim ad signa, uno insedissee equo cum scorto: nulla interim a ducibus reprehensio, nulla seueritas, nulla omnino grauitas. Quo abiit syncera illa militiae ratio ac disciplina? uos igitur, inquit Vates, qui diuinorum haudquaquam immemores estis beneficiorum, Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Illud notandum, cuilibet psalmi huius uersiculo addi ex hebraeo, Quoniam in seculum misericordia eius. Unde mirum uideri posset, quomodo tam sancta, dicam quoque necessaria, a psalmo subtracta sit particula. Taedio (opinor) psallentium consulere maluerunt, nescio qui, choris praepositi, quam rei diuinae integritati ac perfectioni. Nulla certe dissimulanda esset ob torporem iniuria spiritus. Sensus igitur is erit: Laudandus ab omnibus est Deus, celebrandusque tum ob multa, tum quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. hoc est, sicut omnia

{pdf 863, p. 423v}

uirtute superat & prouidentia, ita clementia & bonitate. Nanque omnia haec aeterna sunt in Deo, quocirca aeterna illius in nobis debet esse laus & confessio. Ergo

{136.2} Confitemini Deo deorum, quoniam in seculum misericordia eius.

{136.3} Confitemini domino dominorum, quoniam in seculum misericordia eius.

Non id proinde dicit, ut deorum numerum esse opinemur, sed ob id, quod qui potentiores sunt in mundo, nescio quid diuinum prae se fere uideantur. In ipsis enim ueneranda quaedam potentiae plus quam humanae relucet imago, atque id adeo, si potentiae coniuncta sit probitas & clementia: alioqui furor est tyrannicus, si princeps exuta probitate quamplurimum potest. Sub haec Deum deorum illum appellat etiam, quo nulla re alia nixi, in ipso solo confidere perdiscamus. Dominum rursus dominorum, ne quem alium praeter eum timeamus. Iam quae res in terris tam ualida erit, quae mentem sic a terrae crassamento atque ambitione liberam perterrefacere queat? Ille igitur solus, in cuius manu mors est & uita, timeri solet ab his, qui illum super omnia & amant, & uenerantur. Et

{136.4} Qui fecit mirabilia magna solus, quoniam etc.

Mirabilia magna, auxesis est. Stupendissima, inquit, operatus est Deus, atque ea quidem ullo absque extero adminiculo solus.

{136.5} Qui fecit coelos in intellectu, quoniam etc.

Hoc est, non temere aut inconsulto tam pulchram machinam molitus est coelorum, sed prudentissime, exquisitaque arte & ingenio. Etenim summa in his potissimum deprehenditur sapientia, uirtus, immortalitas illius.

{136.6} Qui firmavit terram super aquas, quoniam etc.

De fundamento terrae, quod Dei uoluntatem esse magnus asserit Basilius, quartodecimo dictum est psalmo. Felix tamen, Extendit terram super aquas, uertit. Alius item, expandit. hoc est, terram ab aquis denudans, ipsas seorsum in abyssis contra eorum naturam stagnare fecit. Ad illud, opinor, respexit Vates, quo dictum fuit a rerum omnium opifrice: Congregentur aquae quae sub coelo sunt, in locum unum, & appareat arida quemadmodum & illud quod sequitur:

{136.7} Qui fecit luminaria magna, quoniam etc.

Quae istiusmodi fuerint luminaria, actutum aperit.

{136.8} Solem in potestatem diei, quoniam etc.

{136.9} Lunam & stellas in potestatem noctis, quoniam etc.

Creauit, inquit Moses, Deus duo luminaria magna, luminare maius, & luminare minus. Maius quidem, ut diei praeesset negociis, ipsumque illustraret, & perficeret: minus uero (ea est luna) ut cum stellis praeesset nocti, illamque mutuatis a sole radiis, ut possent, irradiarent. Lunae quippe beneficium ac stellarum, hi sentiunt inter caeteros, qui noctu loca peragrant inuia & deserta: hi quoque qui nauigant, qui stellarum suffragio, uel potissimum Cynosurae, uti consuescunt. Unde non iniuria, a rerum effectore est dictum, quod erunt in signa, & tempora, & dies, & annos. quanquam horum alia omnino est ratio.

{136.10} Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum, quoniam etc.

{136.11} Qui eduxit Israel de medio eorum, quoniam etc.

{136.12} In manu potenti, & brachio excelso, quoniam etc.

{136.13} Qui diuisit mare Rubrum in diuisiones, quoniam etc.

{136.14} Et eduxit Israel per medium eius, quoniam etc.

{136.15} Et excussit Pharaonem et uirtutem eius in mari Rubro, quoniam etc.

Nota est historia, quam nihilominus in superioribus psalmis nonnunquam fusius, quam hic modo fit, tractauimus. Libenter enim a nimia earundem rerum repetitione diuerto. Illud notandum, in brachio excelso, siue extento, inuictam Dei potentiam suo in asserendo populo ab Aegyptiis, ostendi. Rursum ex illo [in diuisiones] nacti quidam occasionem, illud quod afferunt Thalmudici, uere esse arbitrantur. Scribunt enim mare in duodecim tunc sectum partes, quo unaquaeque tribus suam seorsim ab aliis haberet uiam. Sed id dictum potius uidetur ad exprimendam uastissimam aquarum molem illius maris tam late Dei imperio distracti. Caeterum, excussit Pharaonem & uirtutem eius in

mari, clarius ex hebraeo sic uertunt nonnulli: Et impulit Pharaonem & exercitum eius in mare Rubrum, ualetque perinde ac si diceret: Ipsum etiam renitentem

{pdf 864, p. 424}

coegit una cum exercitu mare ingredi. Tum quidem istud contigisse arbitror, quando rei miraculo exanimati clamarunt: Fugiamus Israellem, dominus enim pugnat pro eo. Atque illo sane modo, terrifico nimirum & procelloso, suos submersit hostes Deus.

{136.16} Qui traduxit populum suum per desertum, quoniam in seculum misericordia eius.

{136.17} Qui percussit reges magnos, quoniam etc.

{136.18} Et occidit reges fortes, quoniam etc.

{136.19} Seon, regem Amorrhaeorum, quoniam etc.

{136.20} Et Og regem Bassan quoniam etc.

{136.21} Et dedit terram eorum haereditatem, quoniam etc.

{136.22} Haereditatem Israel seruo suo, quoniam etc.

Haec eadem, atque eodem omnino spiritus ardore, in superiori cecinit psalmo propheta. Traduxit, mitius uertisset, duxit, seu deduxit, ut uertit Felix. Caeterum rerum spiritualium ea est uirtus, ut quibusdam propositis, reuocatisque ad memoriam, syluam illam ingentem beneficiorum Dei considerandam latenti quadam ratione ac modo, perspicacioribus proponat ingeniis. Nam quod canit populum illum Dei manu ex undis ereptum, per solitudinemque circumductum, atque potentissimis occisis regibus, illorum bona in haereditatem Israel cessisse, maximam aperire uidetur rimam ad illa omnia, quae tunc gesta fuere, peruestiganda: quibus sane cognitis, mirum quam flagret animus tam potentem, copiosumque in dona, amare benefactorem: qua luce insolita perlustratus, fateri cogit, idcirco admirandas illas in totius generis humani gratiam exhibuisse operationes altissimas, quoniam in seculum misericordia eius: &

{136.23} Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, quoniam etc.

{136.24} Et redemit nos ab inimicis nostris, quoniam etc.

{136.25} Qui dat escam omni carni, quoniam etc.

{136.26} Confitemini Deo coeli, quoniam etc.

Confitemini domino dominorum [{136.27}], quod in fine psalmi nostra habet editio, non est in hebraeo, sed illud solummodo, ut uertit Felix: Celebrate Deum coelorum, quoniam in aeternum misericordia eius. Vide igitur quam ob rem mota Dei clementia, tam largum gratiarum sinum in istuc genus nostrum cum olim effudit, tum impresentiarum copiosiori quoque effundit additamento. Quia, inquit, memor fuit nostri, & id sane in afflictione, deiectioneque & miseria. Sic hoc loco uox humilitantis interpretanda est, ne cum illam uirtutem esse somnies, somnies & illud, propterea nostri misertum esse numen, quod illa praediti fuerimus uirtute, atque hoc modo gratia amplius non sit gratia, sed merces: ut nonnullos de Christi matre interpretari uideo, quae cum suam exploratissimam haberet deiectionem, despectamque, si cum Dei magnitudine conferas, naturam, illud candidissima protulit fide: Quia respexit humilitatem ancillae suae. qui sane sensus ex his quae sequuntur, deprehendi potest, Et

redemit, inquit, nos ab inimicis nostris: regibus nimirum illis fortissimis, qui daemonum, atque adeo seditionum, rixarumque autorum imaginem adumbrarunt. Verum illud consolatorium in fine additur, quod noster Deus is sit, qui perpetua suae benignitatis serie quaecunque in terris, quae spirabilem saltem vivunt uitam, alit, pascitque continue. Universae, inquit, carni cibum suppeditat. Res certe uel sola, quae nostram ualida sit emortuam suscitare fidem Quis talem non amaret dominum? Quis similem unquam expertus est benefactorem? Itaque, confitemini Deo coeli, qui pulcherrimam hanc orbis regionem. coelorumque elegantissimam fabrefecit machinam, quoniam in aeternum misericordia eius. Siquidem ab illo dimanarunt fonte, manantque quotidie inexhausti gratiarum riui, quibus obrutae electorum animae insaniunt propemodum in Deo, vivuntque in illo magis quam in se: cuius amore percitae, atque in silentissima illa perpauca cognita diuini amoris caligine immersae, sopore profundissimo in sponsi amplexu, ubi sedes est amoris, atque ecstasis, emoriuntur. Cui laus sit aeterna. Amen.

PSALMVS CXXXVII.

{137.1} Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion.

In hoc psalmo Vates futuri excidii Hierosolymorum, atque exilii illius famosi Iudaeorum apud Babylonios sub Ioachim rege praedicit calamitates. Namque rex ipse cum peccasset, diuina statim destitutus fuit ope: quocirca a Nabuchodonosor captus, una cum primariis urbis hominibus & sacerdotibus

{pdf 865, p. 424v}

abductus est captiuus, nihilque relictum est in ciuitate, ut sacra refert historia, exceptis pauperibus, qui tamen & ipsi non adeo multo post sub Sedechia rege, caeteros sequuti sunt. Obtruncatis porro filiis regis, atque effossis ipsius oculis, incensoque templo, ac dirutis urbis moeniis, luctuosa facta sunt omnia, & moesta. Omnem, inquit, domum combussit igni, & muros Hierusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldaeorum. Reliquam autem partem populi quae remanserat in ciuitate, & profugos qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquum uulgus transtulit Nabuzardan princeps militiae, & de pauperibus terrae reliquit uinitores & agricolas. Atque hoc sane modo superbissima cecidit Hierosolyma. Vnde non immerito miserabilem illius flens casum Hieremias, sic queritur: Facta est quasi uidua domina gentium. Sederunt in terra, conticuerunt senes, Filiae Sion consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis: abiecerunt in terram capita sua uirgines Hierusalem. Quid illud? Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per uiam. Sibilaerunt, & mouerunt capita sua super filiam Hierusalem. Haecine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium uniuersae terrae? Quid flebilius unquam auditum fuit? In Babylone igitur captiuus populus Dei, miserandumque in modum a uictore hoste habitus, suas quotidie lamentabatur aerumnas, atque adeo id maxime, quod derisus a barbaris rogabatur, ut illa caneret carmina etiam in Babylone, quae Hierosolymis canere consueuerat. Hisce quidem lamentationibus & querimoniis totus is scatet psalmus. Ex uulgo porro homines ob propriam solummodo angebantur calamitatem, neque ultra aliud. At qui altiori praediti

erant mente, ut primates & sacerdotes, non tam ipsas horrebant catenas & carceres, quam Dei religionis interitum. Exciso quippe templo, atque urbe diruta, timebant ne & ipsa simul cum parietibus collaberetur religio, toleranter alioqui laturo exilium, & si quid acerbius obrusissent uictores. Ad ripas itaque fluminum Babylonis sedentes desolati, sic suas exponebant querimonias. Super fluminum Babylonis illic sedimus, & fleuimus dum recordaremur tui Sion. Multis irrigari fluminibus Babylonem tradunt autores, quorum notissima sunt Tigris & Euphrates, qui mediam ipsam intersecans ciuitatem iucundissimo praeterlabitur aspectu, commodaque non mediocria affert loci incolis. Puto captiuos sua potissimum domicilia in ripis illis fluminum solitariis habuisse, ibique dato paululum respirandi ocio ab hostibus, frequenti coetu ad memoriam desolatae patriae mutuis suspirasse questibus, simulque infelicissimum templi excidium defleuisse: quibus ita afflictis, nihilque aliud admittentibus praeterquam lachrymas & dolorem, insultare soliti erant praetereuntes hoc modo: Agitedum, & Chaldaeos quoque rudes & in doctos, uestris illis quae in templo magnifico Hierosolymis canere consueueratis, oblectate carminibus. Illi contra, laetitiae cantus in tam graui moerore se haudquaquam proferre posse respondebant. His, inquit, tam inhumano ac fero iactatis in nos animo, in ripis illis sedimus, fleuimusque cum dulcissimae recordaremur patriae: atque proinde

{137.2} In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.

Citharas legunt ali. Solet id genus arboris, quippe quod humidis delectatur locis, amnes proxime, atque per ripas fluminum sparsim emergere. Caeterum siue organa, siue citharas, quod magis quadrat ex hebraeo, legas, nihil aliud sibi uolunt haec uerba, quam illos omnino ab omni animi uoluptate cessasse. Quod secum enim attulerint citharas, aut organa, durum id dictu uidetur, in strage potissimum illa omnium saeuissima, & direptione. Quare nonnulli uocem illam, qua nos legimus organa, a uerbo quod Hebraeis est ululo, deriuari opinantur, uoluntque hunc esse sensum: Cum inter hostes ulularem, ipsi insultantes incitabant nos ad cantum. Ideo infertur:

{137.3} Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos uerba cantionum: & qui abduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Nos uero contra:

{137.4} Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena?

{pdf 866, p. 425}

Quasi dicerent: Scilicet nobis uoluptas est domini laudes in ea terra concinere, quae statuas, deosque nihili pro uero colit Deo. Qui abduxerunt nos, non est in hebraeo, sed sic fere uertunt: Ibi postulauerunt nos, qui nos ceperant, uerba canticum, & suspenderamus laetitiam, canite nobis de canticis Sion. Tota illa erat ironia, a cuius dente, tanquam ab acutissimo transuerberati gladio, sic respondebant: Quo animo carmina Deo tantummodo nostro debita cantabimus in terra hostili & peregrina? Id minime quidem licet. Proinde

{137.5} Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea.

Illi qui uolunt Iudaeos instrumenta musica secum in exilio tulisse, sic uersum interpretantur: Suae artis immemor mea fiat dextera, nunquamue tangat citharam, si tui immemor fuero exterminii, o Hierusalem. Alii uero sic: Non possum obliuisci Hierusalem: quod si eius obliuisci possem, tum arriperet dextera mea citharam, & exerceret artem suam. Cui & quadrat quod sequitur:

{137.6} Adhaereat lingua faucibus meis si non meminero tui, si non proposuero Hierusalem in principium laetitiae meae.

Hoc est, mutus fiam potius, quam in terra aliena canere audeam canticum domini. Verum litera Paraphrastae mihi uisa est lucidiorem expressisse sensum. Ita ille: Si unquam oblitus fuero tui Hierusalem, & dextera mea officii sui oblita citharam pulsauerit in gratiam alterius quam unius Dei mei, opto ut sic haereat lingua mea, ne possim loqui: imo & palato meo affigatur, si non quoad uixero, memor fuero tui, & si non proposuero laudes ipsius Hierusalem summo gaudio, quod unquam contingere poterit mihi. Felix tamen ultimam uersus particulam sic reddit: Si non extulero Hierusalem super caput laetitiae meae. quorum uerborum is uidetur sensus: Nulla potest laetitiae occasio accidere, quin illam statim excludat memoria excidii meae patriae, atque subinde moerorem pro oblato gaudio ingerat. Atqui rursus ne nostram omnino uideamur contemnere aeditionem, is suus sit sensus: Si tuae aliquando oblitus fuero ruinae Hierusalem, tum omne pereat auxilium, non sit mihi unquam Deus praesidio, sed mei penitus obliuiscatur (dextera enim pro salute poni in scripturis solet interdum) irrauceamque omnino: & si te, o Hierusalem, tuamque sortem non ante initium cuiuscunque mei praetulero gaudi, obmutescam. Id est, charior mihi erit luctus pro te assumptus, quam quiduis laetitiae, quam in Babylone unquam sperare possem. Interim uero

{137.7} Memento domine filiorum Edom in die Hierusalem, qui dicunt, exinanite exinanite usque ad fundamentum in ea.

Eius, tum ex graeco, tum ex hebraeo uerti debuerat, polletque perinde atque, euertite, excinditeque eam a fundamentis. Vox erat Edomitarum, siue Idumaeorum, descendentium quidem ab Edom, nempe Esau fratre Iacob, idcirco eiusdem sanguinis cum Israelitis: quibus cum dolere debuisset fratrum casus, ex ipso magis incruduerant: tanta est uis interdum liuoris atque odii. Nam cum urbem, fratrumque bona cernerent a Chaldaeis diripi, non solum opem non attulere, uerumetiam fraternitatis obliti, hostes, quo illa funditus euerterent, incitauerunt. Putas ne deesse nunc fratres, qui fratrum interitum sitiunt, proindeque Chaldaeos, ab loqui per se incitados, atque in Dei amicos contumeliosos instigent? Da mihi hominem modo in ruinam aliquam coniectum, Deus bone, hinc atque hinc, uel ab ipsis propriis illius aedibus cernes Chaldaeos ebullire, qui malum inferant, qui prouocent, qui irritatos crabrones irritent. Rident postea, tanquam rem mirum in modum Deo gratam obtulissent. Ab aris ne? a sacris ne focus? a fanis tandem ipsis istiusmodi sperare debuit probitas insaniam? Verum domine simulac homines obliuiosi sunt, memor esto tu filiorum Edom, qui nostram maiorem ad miseriam Chaldaeos prouocant, dicentes: Excindite, euellite radicitus, exinanite, urgite interim, suffocate, uitam, nedum existimationem, adimite: sic uictores erimus. Ad hunc

igitur modum Idumaeis, pessimis scilicet fratribus, atque ipsis Babyloniis uicissitudinem imprecatur captiuus populus, rogatque ut illis par pari referatur, retalie- [retalieturque]

{pdf 867, p. 425v}

-turque, ut meriti sunt: his quidem, quoniam hostes crudelissimos ad urbis euersionem incitabant: illis uero, quoniam ulla absque commiseratione euerterant. Caeterum diem Hierusalem, diem illum extremum excidii uocat propheta. Siquidem frequenter in scripturis dies pro fatali, ut sic loquar, cuiusque hora sumi solet. Acerbissimus sane omnium is est dolor, cum nostris in calamitatibus nostri ipsi rident domestici, atque de malis nobis illatis, qui impulsores fuere, triumphant. Belluinam quidem omnem superat immanitatem istiusmodi fratrum saeuitia & plausus. Et tamen hisce bellissimis adornati facibus & lampadibus, sponsi aduentum securissimi omnium opperimur, putamusque, quemadmodum mundo (quanquam nec mundo quidem) ita Deo imposturam fieri posse. Iudicium certe id est Dei, hoc timendum magis, quo a plerisque minus animaduertitur, aut, quod magis dolendum est, animaduersum contemnitur, adeo alter alterius calamitates sitimus miseri, atque audissime, ut alii solent obsonia, pergustamus. Fusius haec quam putaram scripsi: querelae enim quae passim ab his, qui istiusmodi obnoxii sunt naufragio, audiuntur, me ad haec commemoranda citra propositum adegit. Ego quidem in istiusmodi tragoediarum genere, neque Iudaei, neque Edomitae, neque Babylonii personam induo: tantum quod suggerit spiritus ad aedificationem scribo. Ut alii afficiantur, non multum moror: mihi sat fuit admonuisse. Tu uero

{137.8} Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

{137.9} Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.

Inuehitur in Babylonem ad hunc fere modum: O misera Babylon, o infelix, o desolata praedictio haec est futuri o improuida, quae nunc tam insolenter ob nostra exultas incommoda: te fortior, beatiorque ueniet, qui tibi reddet pro hisce omnibus talionem, suppliciumque de te sumet inexorabiliter. Fortunatus, inquam, superueniet de improuiso hostis, qui te apprehendet, strictimque connodabit (infelix) ac teneros liberos tuis ab uberibus abstractos durissimis allidet saxis. De Babylonis exterminio sic uaticinatur Esaias: Omnis qui inuentus fuerit occidetur, et omnis qui superuenerit cadet gladio. Infantes eorum allident in oculis eorum diripientur domus eorum, & uxores eorum uiolabuntur. Et ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quaerant, nec aurum uelint: sed sagittis paruulos interficient, & lactantibus ubera non miserebuntur. Vide rursus quid in Abdia uate sceleratis comminetur Idumaeis Deus. Propter interfectionem & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, opperiet te confusio, & peribis in aeternum, in die cum stares aduersus eum, quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & super Hierusalem mittebant sortem. Tu quoque eras quasi unus ex eis. Cogita, mi lector, seuerissimam Dei esse retributionem in eos, qui alienam excitare consuescunt iracundiam contra illos, quorum uirtutibus inuidet ac fortunis. Cohorresco (fateor cum haec mihi in mentem ueniunt uereorque interdum, ne eadem tandem detur ab irritato Deo, aut Phrygibus, aut Aphris,

desaeuendi in res nostras ac filios potestas, quae olim Parthis data est & Medis in Babylonios. Totus, inquam, exanimor, cum certissimum atque adeo seuerum illud Dei iudicium uerso animo. Sicut, inquit, fecisti, fiet tibi: retributionem tuam conuertam in caput tuum. Audio, o domine, & contremisco. Verum tu, qui ipsa met es pietas, retribue seruo tuo. Id non deprecor, non detracto, sed uiuifica me secundum uerbum tuum. ut imperium sit, atque ultio in contumaces, in secula seculorum. Amen.

PSAL. Daud CXXXVIII.

{138.1} Confitebor tibi domine in toto corde meo, quoniam audisti omnia uerba oris mei: in conspectu angelorum psallam tibi.

Non potest sanctissima Vatis anima non continenter Dei nomen laudibus efferre, atque omnibus ferme psalmis suum erga Dei religionem zelum ac studium attexere. Quocirca multos hac de re composuit psalmos, eiusdem ni mirum argumenti, ac in Deum fidei, ut in hoc uidere licet, mellifluo sane & suauis.

{pdf 868, p. 426}

Quid non in se habet suauitatis Dei laus? Putant quidam Vatem odam hanc cecinisse, cum interfecto Absalon, Deum templum ingressus adoraret, illique ob restitutum regnum gratias ageret. Verum incertum id omnino: illud autem certissimum, laudes hic Dei celebrari. Ait itaque: Confitebor tibi domine in toto corde meo, quoniam audisti uerba omnia oris mei: in conspectu angelorum psallam tibi. Hucusque Hebraeis unus est uersus, expuncta nihilominus particula, quoniam audisti omnia uerba oris mei, quae insititia uidetur. Sic Felix: Celebrabo te in toto corde meo in conspectu deorum, seu iudicum, ut habet Chaldaeus. Siue igitur angelorum, siue deorum, siue iudicum legas, seniores populi si intellexeris, non errabis. Illiusmodi quippe appellationibus uocari soliti erant sapientiores, quique potestate aliqua digniori caeteris praestarent. & est ac si dixisset: Te laudabo, o domine, tibi que, quaecunque in me insunt bona, accepta feram: & id sane toto animi affectu, non simulate aut dolose, atque in frequenti populi corona, ubi de more seniores atque optimates conuenire consuescunt, te dignis celebrabo canticis. Ad haec,

{138.2} Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo super misericordia tua & ueritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

Si transtulisset, super omnia nomen sanctum tuum, tota fere extremae huius partis ablata esset ambiguitas. quanquam nec sic omnino quidem: nanque Hebraeis additur in fine, eloquium tuum. Sic Felix: Super omne nomen tuum, eloquium tuum. ut sit hyperbole, ualetque perinde ac, super omne eloquium tuum nomen tuum. & est sensus: Ego in templo, ubi tua peculiariter inhabitat sanctitas, ubique mundissimi tuae religionis celebrant ritus, te adorabo, tuumque nomen, ob tuam erga nos misericordiam, ac qua in seruandis promissis constantissimus es, fidem praedicabo. Et illud sane serio: siquidem multo plura, quam tu uerbis promiseras, tuum nobis praestitit nomen, nomen nimirum sanctissimum, atque laude quamlibet immensa superius. Quod si tamen

simpliciter absque hyperbole ordinanda est litera, sic ex eodem fonte, unde hausit Felix, traducunt nonnulli: Nam extulisti super omnia nomen tuum & eloquium tuum. Verum prior sensus uidetur esse germanior.

{138.3} In quacunq̄ue die inuocauero te, exaudi me, multiplicabis in anima mea uirtutem.

Per tempus praeteritum uertit Felix, atque adeo caeteri ferme ex hebraeo, hoc modo: In die quo inuocauisti, exaudisti me, roborasti me, atque animae meae adiicias uirtutem. Sed in idem recidit tum sensus, tum litera, nempe Deum inuocatum nostrae praesto adesse imbecillitati. Mirum quam iucunde nostro Deus oblectet in precationibus & studio & sedulitate: uult enim suo a figmento quaeri, rogari, diligi, tandemque ab anima in orationibus feruida inueniri: quo postea inuento, profundissimo illa tunc fruitur silentio ac pace. In Deo quippe longo quaesito labore conquiescens, nihil aliud praeter Deum uel sentit, uel se sentire intelligit. Hincque fidei robore, quam hic uirtutem auctam, multiplicatamque appellari duco, nixa, in illud quod sequitur, ut uerissime, ita confidentissime prorumpit:

{138.4-5} Confiteantur tibi domine omnes reges terrae, quia audierunt omnia uerba oris tui. Et cantent in uis domini quoniam magna est gloria domini.

{138.6} Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta longe cognoscit.

Melius doctorum iudicio haec uerba per futurum uertisset interpres, confitebuntur, audient, cantabunt: ut esset sensus: Reges terrae omnes te laudabunt, & te dominum esse fatebuntur, simul ut nouerint te, quaecunq̄ue pollicitus fueras, re praestitisse. Indeque in uis domini, id est, ob res illius gestas admirandas, in quibus Dei undequaque relucet sapientia, cantabunt, & dicent: Quoniam magna est gloria domini, qui tametsi sublimis sit atque excelsus, quippe qui in coelis residet, ima haec nostra tamen respicit: neque illius fallunt oculos, si quae tumida sunt, licet a nobis semotus, longeque positus esse uideatur. Nonnulli uertunt, humilem, seu depressum, ad hunc modum: Quoniam excelsus dominus, & humilem uidet, & sublimis a longe facit cognoscere, nempe iudicia sua aequissima esse, dum humiles in altum euehit, contraque tumidos atque arrogantes deiicit. Istiusmodi sane uicissitudinum ra-
[ralectatus] [sic]

{pdf 869, p. 426v}

-lectatus, mites cominus, ut sic dicam, respicere uidetur: elatos uero eminus, atque uti res solent neglectae, procul Quare

{138.7} Si ambulauero in medio tribulationis, uiuificabis me: Et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.

Illud non segniter expendendum, omnes reges, in superiori uersu, pro uicinioribus regibus sumi oportere, qui Daudid nouerant, quique audierant promissum illi regnum a Deo fuisse. Quapropter perspectis uis domini, consiliis scilicet atque actionibus in Daudid fauorem exhibitis, illi gratias egerunt. Nanque uiae domini, per quas ad illius peruenitur cognitionem atque amorem, sunt illius operationes, consilia, prouidentia, in rebusque administrandis ratio, ordo, decretumque illud amoris aeternum, quo condita omnia tanquam fraeno, suo in officio, naturalique uigore continere solitus est. Sancta hac itaque armatus persuasione Vates, clamabat: Si mihi etiam per medios ipsos angustiarum forcipes eundum fuerit, tu uitam meam tutaberis. O ardentem Vatis fiduciam. Mirarer equidem si sic de se, ut solent nostri, testatus esset: Occumbam subito, neque erit qui manum periclitanti porrigat. Vitam, inquit, meam tu reparabis, fraenabisque si quid in me turpissimi isti malorum inuentores moliti fuerint: & sic tua me seruabit dextera, non mea, quae imbecillis est ac pauida: non amicorum, quae fallax & uana: non principum quae superba est, ac grauis: non tandem pastorum ipsorum ac magistratui, quoniam de more quae sua sunt quaerunt, non quae gregum, non quae filiorum, non quae Dei. Ergo

{138.8} Dominus retribuet pro me, domine misericordia tua in seculum, & opera manuum tuarum ne despicias.

Dominus perficiet pro me, uertunt ex hebraeo: hoc est, si quid in me debile fuerit & infirmum, supplebit dominus. Quanquam Retribuet uerbum, si ad mortaliu referas ignauiam atque egestatem, suum habet leporem, ualetque perinde, quasi id diceret: Egentio rem me prorsus esse fateor, quam ut quae digna tanto sint domino rependere ualeam. Ideo is qui dedit, datori quoque ipse retribuet. hoc est, Deus quemadmodum in dona effusissimus fuit erogator, ita meam ipse in referendo gratiam suppleat indigentiam, parcatque, ac pro accepto habeat, si quid minus datum fuerit. atque ita causam, quamobrem id agere debeat Deus, subinfert, & est mutatio personae, conuersioque ad Deum ualde ardens. Domine, inquit, misericordia tua aeterna est: quare coepta manuum tuarum opera in me tutando ne intermittas, sed, ut coepisti, ad finem usque perfice. Cui honos sit ac benectio [sic, benedictio] in secula seculorum. Amen.

PSAL. Daudid. CXXXIX. Vincenti.

{139.1-2} Domine probasti me. Tu cognouisti sessionem meam, et resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longe.

Difficillimus is omnium est psalmus, in quo exponendo, ut in multis aliis accidit, si nostrae duntaxat aeditionis litera expositores uti uoluerint, quod nonnullos obseruare uideo, hi nihil aliud assequi posse mihi uidentur, quam sudando nihil omnino agere. Qui uero hebraea tantummodo, simplicioris hi fidei hominibus, quorum saluti consulere debent eruditiores, satis minime fecisse iudicabuntur. Verum utranque rationabili (ut sic dicam) harmonia commiscere uelle, id operis est plusquam Herculei, atque hominis infiniti prope ocii & laboris. Et tamen ea uidetur ratio & uia, quam nos sequi debeamus, quo utrunque uitemus scopulum. An uero hactenus, quod optabamus, quodque ab amicis expectari non inscii eramus, simus assecuti, aliorum sit iudicium. Id solum

profiteri de me possum, in hoc meo labore prodesse uoluisse, non officere. Fateor & illud, me supra uires mihi asciuisse prouinciam: non defuisse tamen studium, atque in illum, qui intellectum dat paruulis, tum fidem, tum illius captandi fauorem desiderium. Quid, oro, quod summam non saperet doctrinae spiritus siccitatem, a monacho abiecto, indocto, addo & exagitato, subindeque ab omni discendi literas commodo re-
[morato]

{pdf 870, p. 427}

-morato, expectari potuit? Ego ne a libris, doctorumque hominum congressu ac solatio longe semotus, rem tantam, in qua primi iam olim Ecclesiae proceres maximo desudarunt ingenio, atque dicendi copia aggressus? Stultus ne fuerim, an audax nimium, non dico. Illud interim non diffiteor, quod mihi ingentem afferre solet animi consolationem, me meis in scriptis & mentem, & ingenium, & quicquid demum sum, Dei filio, cuius honorem illustrari sanequam cupio, consecrasset. Vtut igitur res caeterae defuerint, id mihi neutquam defuit. Quare illius ductu, ut hactenus tanquam a uasto pelago peruentum est, ita quod restat cursus absoluendum erit. Atqui, ut dicere incoeperamus, permulta sunt in hoc psalmo obscura & difficilia, quae tametsi ingenium, quo intelligi possint, perspicax requirere uidentur, animum nihilominus in primis expetit purgatum & candidum. Ingenia quidem quantumlibet acuta & docta, si nulla est cordis puritas, ac succus spiritus, uanissima pro ueris amplecti consuescunt. Diuina, atque adeo aeterna hic celebratur prouidentia, & in omnibus, quae Deus ipse condidit, & praesentia, & bonitas: atque ita suum exprimit affectum Vates, dicens: Domine probasti me, & cognouisti me. Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longe. Quidam sic uertunt: Cognouisti cogitationem meam longe ante: hoc est, longe antequam incidat in animum meum, tu meam nouisti cogitationem. Domine, inquit, quid miser caecusque omnino de me sollicitus sum? id enim non me clam est, te nequaquam solum generali res cunctas perpendere moderarique ratione, uerumetiam seorsim me, meaque opera, uerba conceptusque animi, atque ipsas penitus latentes cogitationes, longe antequam in mentem ueniant, exploras, rimarisque: quin & ipsa mea quoque sessio atque ambulatio, priusquam ego aliquid essem, nota tibi erant. Nulli dubium, sessionem hic, & resurrectionem, seu, ut uertunt, sedere meum, & resurgere meum, idem prae se ferre ac, quae sim cogitaturus, quaeue consilia ad agendum cessandumque agitaturus, tu probe nosti. Unde statim quasi se ipse exponens, addidit:

{139.3-4} Semitam meam & funiculum meum inuestigasti, & omnes uias meas praeuidisti.

Hoc est, ades & uides omnes operationes meas. Parum secus ex hebraeo uertunt: Semitam meam & accubitum meum circundedisti, & cunctas uias meas explorasti. Unde nullam hic fieri mentionem de funiculo conspicis, sed uno omnes consensu uertunt ex hebraeo, accubitum. & erit sensus: Si quopiam mihi iter facere contigerit, aut cubitum noctu ire libuerit, tu circum me es semper: atque ita studia omnia mea & actiones, compertissima tibi sunt. Quid tam reconditum unquam fuit, quod tuum uigilem latere potuerit oculum? Omnia uides, omnia imples, omnia contines, permeas, animas, perscrutaris.

{139.4} Quia non est sermo in lingua mea, ecce Domine tu cognouisti.

Non ultra procedit uersus Hebraeis. Felix sic: Quoniam non est sermo in lingua mea, ecce domine tu cognouisti totum ipsum, hoc est, ut se ipse interpretatur, nondum fuit sermo in lingua mea, & tu domine cognouisti ipsum. Totum ipsum, ut uides, necessario fere ab Hebraeis positum, ab interprete omissum est. Ne uerbum, inquit Vates, ullum est in lingua mea, quod ecce tu (res mira) non praenoueris. Quare

{139.5} Omnia nouissima & antiqua tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.

Necesse est literam in hoc psalmo potissimum, intercidere nonnunquam, ab aeditio neque nostra paululum, ut iam praefati sumus, dissentire, ne si illa, prout nos legimus, interpretari coner, aut nodum in scirpo quaerere uidear, aut ea somniare, quibus offensus spiritus, meas has satis per se frigiditas & ieiunas, conspuat merito lucubrationes. Sic uertunt: A tergo & a facie tu formasti me: id est, undique finxisti me, ideo mirum minime esse debet, si nihil te latet tuo in figmento. Siquidem posuisti super me manum tuam, qua operante, certa mihi impressa est forma. Quod me ex informi illo parentum meorum semine compegeris, corque in primis, sedem utique animae addideris, formauerisque & carnem, & ossa, & neruos, & corpus tandem id totum sensibus, infinitisque propemodum distinctum membris effigia

{pdf 871, p. 427v}

ueris, altior res est, quam ut ab humano comprehendi queat ingenio. Quocirca exclamare libeat,

{139.6} Mirabilia facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.

Tam, inquit, excelsa atque admiranda est horum cognitio, ac supra me posita, ut nullo ea modo assequi possim cogitatione: captum nimirum omnem superant humanum. Sed multo magis id uideret, si de animarum creatione tantilla saltem subiret cogitatio. Caeterum confortata est, clarius ex hebraeo reddunt, exaltata est Excedit, inquit, intellectum humanum. Itaque

{139.7} Quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam?

{139.8} Si ascendero in coelum tu illic es, si descendero in infernum ades.

{139.9} Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitauero in extremis maris.

{139.10} Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.

Deum ubique praesentem esse memorat. Infernum pro sepulchro, quod aliis annotauimus, ponit Vates, seu pro abditissimis terrarum locis. Pennas meas diluculo, uertunt alas aurorae: allusit enim ad celerem solis cursum, quo ab oriente ad occidentem uelocissime transcurrit. nanque extrema maris, pro occidente posuit, idcirco quod sol nostrum relinquens hemisphaerium, in mare se mergere apparet. Sed & illud,

a spiritu tuo, ad morem respexisse hominum naturalem uidetur, quorum anhelitum cum ualde proximi sunt sentimus. Ait igitur: Cum totus, o domine, ubique sis, atque omnia, etiam anteaquam sint, intuearis, quo hinc abire potero, quod tuum non sentiam afflatum? fugiam ne? quo obsecro? quo, ut a tuo me subtraham aspectu, diuertam? certe si ascendero in coelum, tua propria ibi est sedes: si in penetralia quoque terrae descendero, & illic te offendam. Porro si ea mihi contingat uelocitas, ut assumptis alis cursum solis, imo ipsos solis radios, qui ab oriente ad extremum subito micant occidentem, anteuertam, neque sic tuam uitare potero praesentiam: siquidem quocumque ferar, sub tua ero potestate, ac, ne ultra progrediar, tua me retinebit dextera, sustentabitque uel inuitum. Rursus aliam excogitauit imprudens fugae rationem,

{139.11} Et dixi, forsitan tenebrae conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis.

Vide an conculcabunt, pro occultabunt, uerterit interpres. Sic Felix: Tenebrae operient me. Caeterum quid sibi uelit, & nox illuminatio mea in deliciis meis, non satis exploratum habeo. Sic quidam uertit: Et nox quasi lux circa me erit. Id dicere uoluit Vates, noctem ac tenebras rem eandem in Deo esse, quam diem at lucem. Proinde statim intulit:

{139.12} Quia tenebrae non obscurabuntur a te, & nox sicut dies illuminabitur. Sicut tenebrae eius, ita et lumen eius.

Si igitur mecum ita ratiocinatus fuero, Fortassis occultabunt me tenebrae: quid aio demens? En nox, en tenebrae, non magis me tua a notitia celare poterunt, quam meridiana ipsa lux. Siquidem tenebrae quantumuis densae, nunquam rem aliquam ita obscurare poterunt, quin tibi omnino nota sit: noxque ipsa tantum tibi dat lucis, quantum dies. Etenim res eadem prorsus apud te sunt, & atrae tenebrae, & lux ipsa fulgentissima. Neque propterea mirum id esse debet,

{139.13} Quia tu possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meae.

Renes, ut aliquando agere consuevit, pro occultis uiolentissimisque cordis affectibus & cogitationibus accipit Vates quanquam & pro generationis exordio, quod in renibus potissimum esse asserunt, sumi potest. Caeterum, suscepisti, ex Hebraeo reddunt, operuisti: & est uox illis quae perinde sonat, quasi tabernaculo contexisti. Intelligit enim de corpore, quod animam contegit. Felix uero interpretatur, orditus es. Paraph. item: Non mirum si nihil te latet mei, cum secretissimas corporis mei partes ipse possideas, & compegeris me incredibili artificio in abditissima parte uentris genitricis meae. Quod porro deus hominem ex matris utero suscipiat, nascique faciat, atque per aetates alat, exploratiores res est, quam ut multis describatur. Sed nequaquam ea est nunc Vatis intentio: uerum illa, quo ostendat nihil tam abditum in rebus conditis posse esse, quod diuinos fallere queat oculos.

Idcirco fassus est Deum intima cordium secreta, affectusque alioqui imperscrutabiles possidere: quod uehementius est, quam si cognitionis uoce dumtaxat usus esset. additque

{139.14} Confitebor tibi quoniam terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.

Hoc est, supra naturam per fidem cognoscet. Hic Daudid uastum pelagus, atque immensum diuinae sapientiae potentiaeque & administrationis profundum intuitus, oculorum pene uertigine affectus est: quare cum timore atque admiratione ad seipsum reuersus exclamauit, dicens: Gratias tibi agam (sic uerbum Confitebor, interpretandum est) quod non solum a te formatus sum, sed etiam terribiliter, hoc est, tremendis modis, rationeque captum omnem mortalium excedente, formatus sum. nanque, magnificatus es, Hebraeis est, formatus sum. Quocirca immensa omnino sunt ac stupenda opera tua: quod sane mens mea naturaliter in tam sublimium rerum contemplatione caecutiens, fatetur, cognoscitque nimis, uehementer nimirum, ac cum stupore.

{139.15} Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto, et substantia mea in inferioribus terrae.

Propheta in stupendae formationis humani corporis admiratione perseuerans, plusculum in ea praedicanda immoratur. Seu os, seu corpus, seu uirtutem illam quae ossibus fere inest, legas, optima est lectio: & erit sensus, nullum esse os quantumlibet paruum in tam abdita corporis parte, quod deum lateat. Sub haec, per inferiora terrae, maternum intelligit uterum. Iam & illud notandum, uocem illam, quam nostra habet aeditio, substantia, nonnullis esse in principio uersus, hoc modo: Non est a te occultata substantia corporis mei, quando formatus sum in abscondito, & uariis distinctus membris in inferioribus terrae. quae quidem ultima particula aequae Hebraeis est, atque si diceres, ut interpretatur Fel. phrygiatis formatus sum imaginibus: uocatque opus phrygionum texturam illam mirabilem in corpore humano, ossium, neruorum, arteriarum, uertebrarum, spinaeque illius tam musice fabrefactae, quae a collo ad os usque sacrum mirabili protendit artificio. Quare sic Paraph. Veluti tapetum e neruis & uenis contextus sum in utero matris, loco magis abdito, quam ullum est antrum terrae. Atque hic uides quo sensu Campensis accipiat uerba illa, in inferioribus terrae. Et certe

{139.16} Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

Quia obscurissima est pars ultima huius uersus, ideo mollius reddi poterat ex hebraeo, ad hunc modum: Informe meum uiderunt oculi tui, & in libro tuo omnia scripta erant, quae per dies formata sunt, cum adhuc nullum eorum extaret. Vocat imperfectum suum, siue informe, embryonem, massam nimirum illam confusam conceptus in utero: quae tamen successiue per dies effigianda, in membraque distinguenda, iam nota erat Deo, quippe qui artus illos omnes in tempore formandos, tanquam in libro scriptos perspiceret, cum nihilominus ne unus quidem ex illis extaret. Antea quidem quam formam acciperent, iam formata erant in Dei mente. Sic Paraph. Veluti in libro apud te descriptam habes omnium membrorum rationem: quae etsi non nisi multis diebus in

iustam magnitudinem excrescere possint, apud te tamen, o domine, non est ea dierum uarietas, sed unus perpetuus dies. Verum si cui magis nostra arridet litera, alioquin obscura, sic forte dici posset: In libro tuo, o domine, omnia sunt scripta, & dies uenient, in quibus nondum sunt qui postea in lucem aedentur, & tamen omnia eorum nosti. Diuus enim Chrysostomus rei difficultatem confessus, huiusmodi ex alio autore affert sensum. Informem me, inquit, uiderunt oculi tui, atque ita uiderunt, ut eos uident, qui die, hoc est, tempestiue creati & nati sunt, ita ut ne una quidem dies ad perfectam eorum creationem deficiat: hoc est, imperfecta aequae ac perfectissima tibi sunt nota. Grauissimi, atque adeo doctissimi & sanctissimi uiri sententiam palam facere uolui, quo non nescius sis, quanta in explanandis psalmis inueniatur difficultas, his maxime, qui Hebraeorum non consulunt libros atque interpretes.

{pdf 873, p. 428v}

{139.17-18} Mihi aut nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum: dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur, exurrexi, & adhuc sum tecum.

Videtur is uersus, si nostra sequaris literam, ad ea quae dicta sunt, non satis apte quadrare. Nam cum Vates de mirabili corporis humani opificio disseruisset, imo cum nondum quae dicere coeperat absoluisset, inepte quodammodo uisus est nonnullis, ita de improviso ad celebrandos Dei amicos transire uoluisse. Quare germaniorem secuti Hebraeorum interpretationem, sic hunc uersum transtulere: Quam preciosae fuerunt apud me cogitationes tuae, o Deus: quam inualuerunt summae eorum: si dinumerauero eas, multiplicabunt super arenam. Vigilabo, & hucusque ago tecum. Admiratur itaque uir sanctus incomprehensibilem diuinorum consiliorum in figurando paruo hoc mundo nostro ratione, & est sensus: Tam mirabilia sunt ac uaria Dei inuenta, consiliaque, ac in formando homine cogitationes, ut numerari haudquaquam possint: & ego adeo attente in his rimandis distineor, ut etiam nocte de illis somniem, cumque euigilauero inueniam me adhuc apud te, animo nimirum in tuis operibus occupato. Vltimam tamen particulam ad alium retorquet sensum Paraph. in hunc modum: Si peruigil durauero tota uita mea in enumerandis illis (nempe consiliis Dei) idem egero: hoc est, facilius arenas numerauero in maris littore. Verum alii uulgarem aeditionem secuti, quae & una propemodum est cum Chaldaea, sic literam exponunt: Celebrandus es tu die super omnia, qui me tam stupenda figurasti ratione: sed & preciosi sunt dignique honore amici tui in oculis meis, quos tantopere auctos, ut omnem superent numerum, esse uoluisti. Et quidem dum illorum coner numerum recensere, arenam mihi uideor maris numerare uelle. Hincque ab his, quae me in mundo hoc aerumnoso premunt, tanquam e graui somno euigilans, reuixi, atque me non prorsus in tanto, tamque honorato tuorum numero destitutum arbitrans, adhuc, ut olim, me tecum esse glorior. Hic Vatem ad numerum sanctorum, qui Christum, cuius ille typus fuit. secuturi erant, respexisse asserendum est: sed in primis Apostolorum, quorum uirtus & principatus ita firmum sumpsit robur ac uirtutem, ut ob Christi nomen & religionem tyrannos ipsos potentissimos ac reges spreuerint, abierintque gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti essent qui pro nomine Iesu contumelias paterent. Vides amicorum Dei uirtutem? uides honore? uides imperterritam propter Christi gloriam uitae rationem? Poterat certe mundus odisse Christum: extinguere uero omnino, aut perterrefacere non

poterat, non potest, neque unquam poterit. Proinde iucundissimum mihi est illum sic patrem alloquentem audire: Exurrexi, ab improborum nimirum iniuriis pene obrutus, ab insidiisque illorum dolosissimis, ac morte tandem interceptus, & adhuc, uitam nequa mundi telis obnoxiam nactus, sum tecum, quamlibet in me, meaque membra crudeliter insaniant hostes isti mei perditissimi.

{139.19-20} Si occideris Deus peccatores, viri sanguinum declinate a me, quia dicitis in cogitatione accipient in vanitate ciuitates suas.

Ex hebraeo, peccatorem, seu impium, numero singulari uertunt: & ad seditiosorum caput refertur, quo de medio sublato, respirat innocentia, audacterque in seditiosos ipsos insurgens ita illis insultat: Viri sanguinari, uiri maledici, uiri absque fronte, facessite, abiteque impudentissimi, nulla quippe uobis mecum potest esse necessitudo, nulla amicitia, nullum foedus: tantum uero abest ut uos timeam, ut etiam tam floccipendam, quam res soleam nihili. At uersus qui sequitur subobscurus est: nulla enim in hebraeo fit mentio ciuitatum: sed sic reddunt: Qui loquuntur contra te quod nefas est, & eleuati sunt frustra aduersarii tui: uel accipient ad uanitatem, & est subaudiendum, nomen tuum: hoc est, uane contemptimque tuum usurpant nomen, perindeque de ipso loqui consuescunt, ut de re omnino uana & futili. Ex graeco quoque ita uerti posset principium uersus: Quoniam contentiosi estis in colloquiis. Quid autem sibi uelit, accipient in uanitate ciuitates suas, uix coniectari potest, nisi ad ipsa referas populorum capita, ac factionum duces, ut nonnullos referre uideo. Et est pulcherrima ad illud, quod alio uersu est dictum, antithesis: Nimis confortatus est principatus eorum. Est itaque sensus: Hi in uanum accipient ciui-
[ciuitates]

{pdf 874, p. 429}

[Page number mismarked 426]

-tates, locaque sibi a te, ut illa sancte incolant, regantque, credita: nam nihil prorsus efficient pigri, inutilesque, ac malae fidei pastores: loqui quidem possunt de te etiam elegantissime, sed dolose, sed corde duplici, sed, quia uanissimi sunt, absque fructu. Quis bonus tales aut amat, aut metuit magistratus? Quantum ad me attinet,

{139.21} Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam?

{139.22} Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.

En perfectissimum probitatis morem, turpem improborum uitam perfecto odio, hoc est, super omnia odisse. Cum enim Deum summe diligant, quomodo non poterunt consummato illorum mores odio persequi, qui illi aduersantur? Caetera si qua re indigent, ad opitulandum praesto sunt, in eoque maxime Dei imitantur naturam, qui tametsi sceleratissimos quosque supremum in modum abominetur, nunquam tamen uniuersalem suam adeo illis subtrahit beneficentiam, quin solem suum oriri faciat ex aequo super bonos & malos. Nonne, inquit, odio te habentes, o domine, odio habebam? nonne illos tanquam rem prorsus letalem ex horruui? a me abegi? execratus sum? nonne

quemadmodum uehementer tuos deamo familiares, honoroque & laudo, ita uehementer tuos odi inimicos? detestor? in illosque amarissima inuehor indignatione? Haec sunt nimirum perfecti odii signa, pro Dei honore contra improbos assumpti. Verum interuerso rerum ordine haec omnia in particulares nostros effundimus inimicos, ac leuissima interdum occasione. Iam querelarum innocuorum clamoribus tum occisorum, tum crudeliter ab immanissimis istiusmodi Dei hostibus oppressorum, ipsum resonat coelum, nedum terra alioqui inquinatissima, atque propter facinorosorum hominum licentiam probis omnibus odiosa. In istos igitur quamuis primarios homines perfecto exarsi odio, nihil interim illorum ueritus magnitudinem. Simulac enim in te odii dederunt signum, hi extemplo inimici facti sunt mihi. Quod uero superest,

{139.23} Proba me Deus & scito cor meum, interroga me, et cognosce semitas meas.

{139.24} Et uide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via aeterna.

Quamlibet enim in his, quae ad animarum salutem pertinent, profecerint pii homines, nihilominus in se semper quasdam inesse prauitatis reliquias non bene exploratas suspicantur, neque ita exacte se sibi notos esse arbitrantur, quin semper pauidi sint, ac suis in ratiocinationibus cum Deo initis suum aliquid commiscere, quod peccatum sit, reformident. Attamen tunc plane se tutos esse opinentur, cum sua omnia, quamuis obstrusa, Deo syncere detegunt, ut hic a Vate fieri cernimus. Proba me, inquit, o Deus, discute, examina, & mea omnia explora interiora: & uide tui (isti caeci sunt) an tale, quale est in ipsis, sit te irritandi in me desiderium. Vide, inquam, an illorum in me odii ego autor fuerim, an illorum potius liuor, suspicioque: ambitionis assecla, istuc excitauerit incendium: atque hoc sane modo re optime inspecta, deduc me in uiam tuam, quae sancta est, recta & aeterna: istorum uero diuerticula, obliqua, inquinata, atque ad mortem pertrahentia sempiternam. Non hic sileo dictionem, aeterna, a nonnullis uerti, seculi: ualetque ac si dixisset, deduc me in uiam seculi: hoc est, occide me: etenim seculi uiam ingredi, est mori. Hanc lectionem Campensi placuisse uideo, qui sic reddidit: Quod si fuerit (nempe studium irritandi Dei) mihi commune cum impiis patiar aequo ut imo ut more aliorum impiorum occidas me. Sanctissima haec est hominis diuinum honorem maximopere affectantis deuotio, qui mori mauult, quam Deum uel minimo quidem prauae appetentiae motu offendere. Idcirco deuouet se simul cum sceleratis morti potius, quam cum sui conditoris iniuria diutius uiuere? At uero magna est improbi audacia, illa uiuere animi securitate, melius dicerem temeritate, ac si in sinu Dei esset omnium iustissimus, cum tamen mille uitiorum capitalium telis transfossus sit: Crudelissimum quidem id esset uisu spectaculum, si oculis cerni posset corporeis mens improbi, corque sanguinarii hominis, auari rursus & ambitiosi. Sed crudelius illud, si ita obduruit anima, ut malint uiuere nonnulli, & mori quoque cum Dei odio, modo non id resciscant homines, quam probitati studentes a uulgi plausu

{pdf 875, p. 429v}

praeteriri. Modo regnent in hoc mundo, suasque expleant cupiditates, quid in alia futurum sit uita, nihil pensi habent. Ergo hi e uita, ut expetunt, abeant: nos uero, qui istorum scalpro ac lima libenter expolimur, illum expectamus qui nostrum ueterem

reformat hominem, illique interim castis insusuramus suspiriis, Deduc nos domine in uiam aeternam. Cui laus sit & benedictio in secula seculorum. Amen

PSAL. Daud CXL. Vincenti.

{140.2} Eripe me domine ab homine malo, a viro iniquo eripe me.

Hoc uno maxime indicio, quanti extiterit momenti persecutio Saul, Doeg, caeterorum adulatorum contra Daud, commonstratur, quod tot propterea composuerit eiusdem argumenti psalmos, ut is unus praecipuus est. Haud facile exprimi posset, quam exitialiter piorum tranquillitatem turbet istiusmodi orbis lues, nempe adulatorum, falsoque traducentium proborum uitam, apud illos potissimum iudices, qui leuissimo cum sint animo atque ingenio, facile quo impellit astutorum acuitas praecipitantur. Ita miser ille rex affectus fuit, qui cum se totum Doeg, atque illius generis hominibus credidisset, quid non insidiarum molitus est in Daudem hominem sane innocentissimum, ac Deo charum? Solenne id est in mundo, synceram uiuendi rationem simulatoribus atque inuidis infensam esse. Ab hisce enim, tanquam a duobus riuulis ex uno ambitionis fonte proruentibus, tota illa deriuata est Saul immanitas in generum: qui fons postea funditus in mitissimum seruatorem nostrum, tanquam in rem signatam, cuiusque rex ille typum gessit effusus fuit. Vide igitur quid hic dicat innocentia in arcto persecutionum posita, afflictaque in purissimo Iesu corpore: Eripe me domine ab homine malo, a uiro iniquo eripe me. Fingas malum hominem & iniquum hic esse Doeg, cuius consiliis usus Saul, tam immenso insectatus est odio Daud. Totus is primus uersus eundem tanquam digito designat hominem, adulatorum scilicet principem. Ab homine, inquit, maligno illo, noxio, exitiali, iniquissimo, scelerato, me exime. Sic uocem, iniquo, interpretari liceat

{140.3} Qui cogitauerunt iniquitates in corde, tota die constituebant praelia.

Tametsi ex hebraeo plerique uertunt hunc uersum per tempus praesens, cogitant, constituunt, seu concinnant: non multum tamen interest, ut alias diximus, quo tempore uerba ex hebraeo reddas, modo Vatis mentem non ignores. Machinati sunt, inquit, adultores illi res admodum iniquas, utpote falsas & sceleratas, contra me. Quae porro res illae fuerint, alio statim aperit hemistichio: Quotidie excitauerunt praelia. Vide perpetuum nocendi animum in maleuolis, quocirca dictum est de illis: Tota die dissidia struunt ac bella. Ecquae illorum fuerunt ama, atque ad demolitionem innocuorum machinae? Dicam:

{140.4} Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum.

En arma adulatorum, en oblocutorum tela ac spicula, en quibus expugnantur tormentis principum animi. Quare non superflue in fine uersus additum est Selah, quo admonemur, quam mortiferum sit uenenum assentatorum lingua. Sed neque minoris est incommodi principum ipsorum leuitas, qui simul ut aures adulatorum persuasionibus admouere occoeperint, in omne facile prolabantur uitae dedecus. De

ueneno aspidis praesentaneo alias diximus: sunt tamen qui uenenum araneoli, qui natura uenenosissimus, est, si ex rhacinorum maxime genere sit, transferunt. Expende quibus potissimum aequiparantur animantibus adulatores. Quid non inficiunt coenosae istae belluae? quid non corrumpunt? Idcirco

{140.5} Custodi me domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me, qui cogitauerunt supplantare gressus meos.

Idem ferme repetit, quod in primo oratum est uersu. Non dico, inquit Augustinus, ut non noceam in causis seculi sed in uia Dei. & recte: nam quemadmodum iactura illa, qua ab improbis & tyrranis, in rebus fortunae obnoxiiis afficimur, est ridenda: ita illa, quae ad animam attinet, extimescenda. Caeterum sup-
[supplantare]

{pdf 876, p. 430}

[Page number mismarked 427]

-plantare uerbum, ad fraudulentos pertinet homines & dolosos: ad superbos uero quod sequitur:

{140.6} Absconderunt superbi laqueum mihi & funes extenderunt in laqueum, iuxta iter scandalum posuerunt mihi.

Artes sunt eae superborum illorum maxime, quorum tumori coniuncta est ambitio. Quoquouersus te uertas, hi tensos habent insidiarum laqueos, ac, ut tuos fallant gressus, pedicas. Nihil intentatum relinquunt superbi, nullumque non mouent lapidem, ne cui inferiores sint. Superiores enim inextinguibili persequuntur odio. Pares contemnunt, aut effoeminate metuunt. Inferiores uero uel prorsus calcant, uel turpissimis sibi conciliant artibus. Istiusmodi quidem rerum uenaticarum nominibus anxium superborum animum, atque ad suppeditandos innocuos describit studium: quocirca aptissime rursus hic additur Selah. In hisce, ait, tam uariis constitutus periculis, nunquam, quamuis supra uires pressum, despondi animum. Proinde

{140.7} Dixi domino, Deus meus e tu, exaudi Domine vocem deprecationis mea.

{140.8} Domine domine uirtus salutis meae, obumbrasti super caput meum in die belli.

Domine domine, Hebraeis est, Deus domine. Caeterum, obumbrasti super caput meum, sic uertit Felix: Operuisti caput meum in die armorum hoc est, in die, quo arripienda fuerant arma. Paraph. uero paulo aliter: Armasti caput mei quoties confligendum fuit cum hoste armato undique. Vides ne quomodo Vates quicquid roboris aut uirtutis in se esse cognouit, illud totum Deo acceptum retulit? Id porro capitis operimentum, salutis galeam uocat Apostolus: nempe animum uigilantem, nihilque non in bello hoc cum mundo periculosissimo prospicientem. Omnis quippe ignauia, atque animi stupiditas militum in exercitu quantumlibet numeroso, atque armorum elegantia insigni, res est

periculosa. Ait itaque: Cuncta quae me obsident mala uigilantissime circumspiciens, nullamque meis uim uiribus adscribens, dixi Domino, domine tu mihi Deus es, tu dux, tu ille, qui caput hoc meum alioquin hostilibus peruium telis, ne uulneraretur, armasti. A te igitur armatus, num daemonum insidias, aut linguarum uirulentiam inter homines pertimescam? Id tamen orare non desistam, dicamque, a quantum maximo potero ingeminabo clamore:

{140.9} Non tradas me domine a desiderio meo peccatori, cogitauerunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur. Selah.

Ut dilucidior esset sensus, verti poterat: Ne perficias domine desideria impii. nefarium cogitatum eius ne permittas progredi, ne exaltentur. Orat Vates, ne cogitata scelera succedant peccatori, impio nimirum Doeg assentatorum principi. Siquidem uoti is compos factus, una cum illuue illa sceleratorum de adepta gloriari poterant uictoria. Ne concedas, inquit, illum, quae machinatus est, perficere, ne sumpta de me occasione insolescant, tumideque sese efferant illius sicarii. Selah adiectum indicat, praeter naturam omnino esse impios extolli, atque honoribus perornari: pios uero praeteriri & opprimi.

{140.10} Caput circuitus eorum labor labiorum ipsorum operiet eos.

Laborem hic pro molestia positum esse exponunt. Caeterum duobus modis uersum sic legi posse, etiam ex hebraeo opinantur: Principem circundantium me afflictio labiorum eius operiat illum. ut sit sensus: Molestia quam mihi illorum dux impuro inferre ore connititur, in illius caput recidat. uel ita: Labor consiliorum ipsorum obruat caput eorum qui me circumueniunt.

{140.11} Cadent super eos carbones, in ignem deiicies eos, in miseriis non subsistent.

Non praeteribo quorundam sententiam, qui sit superiorem interpretantur uersum. Caput circuitus eorum, hoc est, caput & summa totius illorum impugnationis, qui me obsident, amabor est, ac dira linguarum uirulentia, qua me perdere penitus adnituntur. Verum omnia haec tandem in illorum retorquebuntur infamiam atque exitium. Quicquid enim improbi oblocutores aduersus moliuntur innocentiam, la-
[laboriosissimum]

{pdf 877, p. 427v}

-boriosissimum est ac molestissimum, quoniam id contra Deum excitari certo sciunt, praeter illud, quod perpetuo afficiuntur conscientiae laniatur. Nihil sane non molestissimum atque amarum experiri potest, aut gustare, mens turpis. Quod si quidem neque humanitate, neque Dei religione, neque propriae existimationis respectu nequeunt quidam permoueri, deducique, quin semper mali sint, atque in alios iniurii, timor saltem poenarum, quas hic minatur spiritus, illorum fraenare deberet proteruitatem. Cadant, inquit, super illos, Sodomitarum more, carbones ignis. Quid? Tu illos in flammis conice, exureque, ac in profundissimum miseriarum barathrum

proiice, atque adeo penitus obrue, ut nunquam emergere ualeant. In hebraeo post ignem addunt foueam, seu foueas. Sic illi: In ignem deiicies eos, & in foueas, ut non insurgant. Hac enim uerborum periphrasi extremam illorum fore calamitatem praedicit, quam sane quotidie etiamnum contingere cernunt uel caeci. Longa iam usu edocti nescire non possumus, quod

{140.12} Vir linguosus non dirigetur in terra, uirum iniustum mala capient in interitu.

Vir linguae, fere ex hebraeo uertunt. Intelligit uirum loquacem, atque proinde multa mentientem, cui nihil eorum, quae in alienam effingere consuescit perniciem, succedere, imo uero malum, quod alteri praeparauit, fore illi in interitum precatur. Fiant, inquit, peruersis istis uilitigatoribus ac maledicis in exitium, quae piis mansuetisque animis cooperantur ad uitam: dirae nimirum oblocutiones, confictae delationes, exilia, calumniae, ac demum iunctae cum cauillationibus ac mendaciis iniuriae. Probi quidem & temperati in miseriis quamlibet acerbis diuino confisi praesidio perstant immoti: sed improbi in paruis, nullique momenti aduersis succumbunt illico, ac mulierum more lamentantur, atque ita in miseriis non subsistunt, sed de miseria in miseriam infelicissime prouunt. Quid porro intellexerit Paraphrastes per uirum loquacem & iniustum, operae premium erit dicere. Quisquis, inquit, fuerit maledicus & proditor, nunquam stabilis erit in terris. Contra uero

{140.13} Cognoui quod faciet dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.

Fides enim etiam in maximis exagitata malis, si in sincero inuenitur animae affectu, non perturbatur, sed res suas prudentissime colligens sic secum ratiocinatur. Non semel quidem, quantum Deus in subueniendo miseris praesto sit, experta sum. Id fore quoque persuasum habeo, quod inopum causas, nempe illorum, qui nullo fulti hominum subsidio, a Deo solo pendere contenti sunt, tutabitur, deque illis, qui nos, quorum saluti nemo est qui opituletur, affligunt, supplicium sumet, & ita nostras ulciscetur iniurias clementissimus dominus.

{140.14} Veruntamen iusti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum uultu tuo.

Veruntamen, etsi non inepte positum uidetur, tamen ex hebraeo aptius reddi posset, utique: seu, ut Paraphrastes, tunc. Sic ille: Tunc iusti celebrabunt nomen tuum. Caeterum quid sibi uelit, habitabunt recti cum uultu tuo, quemue sensum afferat, ita puto intelligi posse, quemadmodum illud Dei ad Abraham: Ego, inquit, Deus omnipotens, ambula coram me. atque seipsum exponens mox addidit: Esto perfectus. Vis ne, mi lector, longiori instrui circumlocutione? Vis ne, inquam, te dignum reddere, cuius praesentiam, cuius lachrymas, cuius deprecationes, diuinus non auersetur uultus? Esto perfectus, esto, quemadmodum Christus fuit in mundo, deiformis omnino. Hoc sane modo in portu nauigas illius ductu, qui nostrum ita informat arbitrium & uoluntatem, ut nihil iam libeat uelle & appetere, quod ipsius non sit, ab ipsoque

proficiscatur, atque in ipsum demum. tanquam in gratiarum omnium fontem redeat. Cui laus sit aeterna in secula seculorum. Amen.

PSALMVS DAVID CXLI.

{141.1} Domine clamaui ad te, exaudi me, intende voci meae cum clamauero ad te.

David cum exul esset, atque proinde longe a tabernaculo atque arca foederis, ubi sacra fieri consueverant, semotus, mirum in modum discruciabatur animi. Verum ut poterat, uotis sanctisque precationibus, cultu illum resarcire decreve-
[decreverat]

{pdf 878, p. 431}

-rat. Tum quidem, opinor, nostra adumbrabatur religio. Siquidem exclusus Christus e templo, a propriisque reiectus consanguineis & ciuibus, sanctiorem fundauit religionem: cuius exordia tum primum deliniari coepta sunt, cum apud Samaritas, nempe alienigenas, & hostes quoque a Iudaeis execratos, asseruit, affore aliquando ut homines neque in monte Moria, neque Hierosolymis adorarent patrem, qui spiritus cum sit, in spiritu & ueritate adorari expetit. Haec Dauid uiderat. Attamen ritibus illis, qui donec uerius aduentaret sacerdotium atque incensum, seruandi fuerant, se non interesse mirabiliter angebatur: itaque Deo suum non raro aperuit dolorem, conquestusque est, dicens: Domine clamaui ad te, exaudi me, intende uoci meae cum clamauero ad te. Ipsa quidem prima uox tenerum Vatis prae se fert animum erga Deum. Mi domine, inquit, simulac a uenerando illo te colentium coetu, a ritibus, a sacrificiis, a thure, me extorrem uidi, num propterea omni quoque religione uacuum esse debui? Ad te itaque, cui ubique sincera praestari debet pietas, meis in afflictionibus clamaui, clamoque: tu modo, quae tua est clementia, exaudi, sineque te exorari. quin mentem tuam illam aeternam, qua cuncta quoque abstrusissima permeas & rimaris, uoci meae lamentabili atque suspiriis admoue.

{141.2} Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum.

De incenso, fumigationeque & mixtura thymiamatis, fuse admodum in libro Exodi scribitur. Sume, inquit, tibi aromata, stacten, onycham, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum: aequalis ponderis erunt omnia. Et paulo post: Cum in tenuissimum puluerem uniuersa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonii. Hem quantam mysteriorum sylvam hic detegi uideo: sed aliud agimus. Illud tamen obiter annotandum, ad hunc respexisse morem, praemonstrasseque sacramentum octauum angelum illum, qui thuribulum gestans manibus aureum, stetit ante altare, cuique uis magna incensi data fuit, ut & ipse daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum. Caeterum de sacrificio matutino ac uespertino frequens in sacra lege fit mentio. Erant duo agni, quorum alter mane, alter uesperis super altare ritu immolari sempiterno iuebantur. Pro his igitur tam operosis ritibus, se puras extulisse manus ad Deum fatetur Vates: Vice, inquit, suffitus illius thuris odoratissimi,

sacrificiique uespertini, mea tibi grata sit oratio, gratum uotum, grata manuum eleuatio. quod uespertinum solummodo sacrificium memoret Vates, ea uidetur ratio, quod occultissimo quodam modo ac typo sanctius reputabatur. Etenim agnus qui mane occidebatur, ad illum qui uesperis, respicere uidebatur, cum is perfecti quodammodo illius diei sacrificii, uenturaeque alterius rationis uictimae, & consummationem & imaginem prae se ferret. Sed quae orare statuisset sanctissima Vatis anima, consideremus.

{141.3} Pone domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiae labiis meis.

Neque ex hebraeo, neque ex graeco uertunt circumstantiae. Ex graeco sic: Ostium munitio ad labia mea. Ex hebraeo autem simpliciter transferunt: Conserua ostium labiorum meorum. Unde Paraphrastes sic totum reddit uersum: Adhibe domine fraenum ori meo, & custodiam ianuae labiorum meorum. In praecedenti quidem psalmo maledicentiam in Doeg atque illius assentatoribus detestatus, in hoc orat, ne & ipse quid impie in Deum aut homines iratus proferat. Nouerat enim quam prona esset lingua ad remaledicendum, compensandumque par pari in reddendo conuicio. Detestanda omnino haec est consuetudo, & quae ex diametro Dei repugnat Euangelio. Dum enim alter alteri morsum infigimus, uicissim omnes absumimur, linguaque, instrumento nimirum ad celebrandum Dei nomen formato, ad mutuas abutimur contumelias, famaeque dilacerationem. Et tamen tam capitali morbo, peneque ob usum immedicabili, confessiunculis nescio quibus obscuris, dubiis, obiectis, ridiculis tandem, mederi opinamur. De redintegrandi uero fratris

{pdf 879, p. 431v}

aut re, aut existimatione, nulla interim neque ab illo qui audit, neque ab illo qui confitetur mentio: atque hoc modo cascus cascum duxit, caecusque caecum exoculauit. Quam libenter, mi lector, in re nostra caecutimus, deludimurque insani. Vide, te oro, quid hac de re quidam ethnicus nostrum ad ruborem senserit: Cum inquinatissimis, inquit, hominibus non est conuicio decertandum, neque maledictis aduersum impudentes & improbos uelitandum: quia tantisper similis & compar eorum fias, dum paria & consimilia dicas atque audias. Quid sanctius dici posset? quid magis euangelicum? Ne itaque in eandem plane omnium uniuersalem incidat pestilentiam Dauid, orat sibi fraenum iniici, firmoque obsignari uecte linguae ostium (haec quidem omnia una conficit patientia, iunctaque cum mansuetudine temperantia) additque:

{141.4} Non declines cor meum in uerba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum.

Hactenus hunc terminant uersum Hebraei, & quidem apte: alioqui sensus omnino lacerus esset atque intercisus. sed concinnior illis est litera. Sic fere illi: Ne patiaris cor meum labi in uerbum malum, ut cogitem cogitationes in impietate cum uiris qui operantur iniquitatem: ne comedam de his, quae illis sunt iucunda. hoc est ne ullo unquam teneat desiderio comedendi parta rapinis atque usuris, quantumuis furibus ipsis ac rapacibus suauissima. Breuibus hic quidem, mea sententia, expressit, quid sit in

reprobam tradi mentem. Huius sane indicium rei est, cum Deus conceptam animi malitiam sinit in opus egredi, oblectarique sese inuicem mutua ueluti scabie improbos. Hi a spiritu uasa irae nuncupari soliti sunt. Porro tametsi ad excusandas excusationes in peccatis, quod proprium profligatorum hominum est, suam scilicet extenuare culpam, causamque nescio quam peccati praetexere, huc utcunque aptari posset, tamen quae germanior uisa est litera, hanc posui. Ne seducar, inquit, obsecro, istiusmodi prauorum hominum lenociniis atque adulatione, sed potius

{141.5} Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Praefert enim bonorum reprehensiones, improborum fauori & blanditiis. Quantum ad literam nostram attinet, planior uidetur sensus, ut uir iustus malit a suo haudquaquam dissimili reprehendi, cuius reprehensiones beneficii loco habiturus sit, quam oleo peccatoris, adulationis scilicet amoenitate, cui comes est mendacium, deliniri. Verum litera quae est Hebraeis, etsi eundem, subobscurum tamen reddit sensum. Sic illi: Percutiat me iustus in bonitate, atque redarguat me, oleum autem praecipuum non frangat caput meum. hoc est: Opto ut me potius percutiat iustus (beneficium enim id erit) quam ut impii oleo, cuius usus iam celebris est (ita est assentatio) & praecipuus, caput meum inungant: & id proinde, ne illorum deliciis inescatus, nefariis etiam illorum consilis assentiar. Oleum quippe istiusmodi non sanat, sed uulnerat, frangit, perturbatque caput, atque attonitum reddit. Simplicior tamen ea uidetur expositio, quae oleum ad iustum illum, qui corripit in misericordia, refer, quamque e Felicis litera posse excuti arbitror. Sic ille: Percutiet me iustus misericordia, & redarguet me, oleum capitis non prohibebit caput meum. hoc est: Cum me percutit iustus, misericordia ea est. Cum arguit, oleum est capitis. Idcirco tam salutarem perfusionem non prohibebit caput meum, sed libenter admittet. Illud quoque non praetereundum, quod huic fauere sensui uidetur, oleum capitis, unguentum primum, seu optimum, a nonnullis uerti, quo omnino non sis nescius nullam hic de peccatore fieri mentionem: atque ita uersum sequenti assuunt hoc modo: Quia adhuc oratio mea contra mala eorum. Unde sic totum explicat uersum Paraphr. Verberet me potius iustus, & beneficii loco habiturus sum: & si castiget me, uulnus illud capiti meo molestum non erit, sed pro saluberrimo illud medicamine amplexurus sum, nec a proposito deterrebit me, sed pergam potius orare dominum ut seruet me quam alienissimum a sceleratis impiorum operibus. Alius uero, pro malis istorum orabo, uertit. Haec diffusius forsitan quam mea fuit intentio. Verum tan-

[tanta]

{pdf 880, p. 432}

-ta interpretum uarietas nonnihil me interdum a proposito deerrare compellit. Quod si tamen nostrae adhuc inhaerescere quis cupit literae, sic dici potest:

{141.5} Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum.

Id est, non cesso orare, dum illi interim suis in actionibus quibus delectantur, ualdeque sibi placent, perseuerant. Huic & conuenit Felicis litera: Et oratio mea, inquit, inter mala

eorum. hoc est, dum interim in malis perdurant, ego pro illis oro. Pium certe Vatis animum atque imitandum, Sed & quod sequitur, non minorem secum affert obscuritatem:

{141.6} Absorpti sunt iuncti petrae iudices eorum, audient verba mea quoniam potuerunt.

Is unus est uersus Hebraeis, quem sic reddit Felix: Distrahantur super acumina lapidum iudices eorum, & audient eloquia mea, quoniam iucunda erunt. Ita etiam Symmachus ultimam reddit particulam. Caeterum qui literam nostram secuti sunt, ad Mosen & Aaron, qui ad aquas iurgii iuxta petram subdubitarunt, referre conantur. Alii uero ad Platonem, Aristotelem, Pythagoram, ac caeteros Ethicae professores, detorquent sensum. Verum non uideo quo id fundamento astruant, cum de aequissimo Dei iudicio in sceleratorum principes, ut erant Saul adulatores, quos hic iudices appellat, sit sermo: nihilque aliud uult Vates in istiusmodi uerborum tropo, quam ut crudeliter intereant fautores improbitatis. quare litera, quam ex hebraeo adducunt, ad id asseuerandum uidetur aptior: Tantum, inquit, abest ut sceleratorum gratiam & beneficia exoptem, ut etiam illorum iudices atque altores, e sublimi tanquam rupe in saxa cotesque acutissimas praecipitari efflagitem, ut uel sic addiscant hi, qui modo illorum persuasione dementati, meas spernebant admonitiones, illas salutare fuisse, atque ab amanti animo profectas: quippe quae de pace, de religione, de pietate fuerant. O si his miseri auscultassent, id certe, quod dicturus sum, neutiquam contigisset.

{141.7} Sicut crassitudo terrae erupta est super terram, dissipata sunt ossa nostra secus infernum.

Hucusque legi debet uersus, quem sic ex hebraeo transferunt: Sicut qui findit, & secat in terra (ligna scilicet) dispersa sunt ossa nostra ad os inferni, seu sepulchri. Vide an forsitan pro **eruta, erupta** uerterit interpretis: aut scriba uicinitate literarum, quisquis ille fuerit, deceptus, **p** interseruerit. ut sit sensus: Quemadmodum enim terra interior, quae pinguior de more est, ac crassa, uomere eruitur, & super terram aliam spargit: sic ossa nostra a nobis eruta sunt, fractaque, atque ita dissipata, ut sepulchro proximi magis essemus, quam uitae. Metaphora ossium fractorum erutorumue, ad significandum uires adeo interdum nostras ab improborum saeuitia & frangi & attenuari, ut nonnunquam mortuis persimiles appareamus, utitur Paraph. uero de lignis super terram securi incisis uersum interpretatur, in hunc modum: Sicut qui amputant arbores, & findunt ligna, & per terram spargunt huc atque illuc quae amputata sunt: sic ossa nostra dispersa fuerunt, & soluta prae metu mortis: ad ipsum enim usque sepulchrum perueneramus. Mirum quam copiosus sit Vates suo in exprimendo conceptu similitudinibus. Caeterum non infrequenter diximus infernum pro sepulchro in scripturis poni.

{141.8} Quia ad te domine domine oculi mei, in te speraui, non auferas animam meam.

Suo more Deum, per spem, fiduciamque, qua suis semper in aerumnis usus est, obtestatur dicens: Quoniam ad te, mi domine, mi, inquam, domine confugi, clamauique, atque illorum ritu qui supra uires affliguntur, oculos hosce meos prae moerore

semimortuos extuli, subindeque tuo in praesidio meam omnem collocaui fiduciam, ne sinas periclitari uitam meam. Auferas, seu effundas uerbo usus est, quo certi simus Deum, quando illi placitum fuerit, mortalium auferre animas, non ensem, uenenumque, aut hostis dexteram. Qui quidem Deus nunquam suis uitam hanc fragilem adimi sineret, nisi daturus esset feliciorem. Ille solus, qui dedit, auferre potest. Alioqui certe si quaecunque in nos moliuntur improbi, illis integrum esset perficere, iandudum mundus probum haberet neminem. Verum Deus, qui cuncta aequissimo collibrat iudicio, aeternaque dispensat prouidentia, quicquid siue in coelis, siue in terris geritur, id totum in suorum salutem cedere & uult, & sic nobis persuasum esse praecipit. Qui sa-
[sane]

{pdf 881, p. 432v}

-ne istiusmodi vivunt persuasione, quaecunque accidant, semper tuti sunt & quieti. Neque aliter quidem affectum fuisse Vatem censendum est, licet has diras in perfidos illos Saul adultores, non absque animi permotione contorquere potuisse pressis humi animis uideri posset. Tranquillo cuncta haec, quemadmodum & ea quae sequuntur, imprecatus est animo.

{141.9} Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, & a scandalis operantium iniquitatem.

Quem tetenderunt mihi, uertunt ex hebraeo, Rursus scandalum pro tendiculis, seu uinculis, ut uertit Campensis, posuit: quae omnia dolosorum hominum insidias praeferunt, & est fere idem, quod in superiori precatus est psalmo, dicens: Custodi me domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me, qui cogitauerunt supplantare gressus meos. Huc sane spectant superborum machinationes, ut simplicium cursum ad uirtutes, atque proinde ad dignitates, intercitant retrahantque, ne ipsi praeuertantur, ab instituto. Idcirco passim, sparsimque insidias obtendunt, atque occultissimo fraudulentiae consilio & arte expansa, si qua, uel uerbo saltem, oberrare contingat, obducunt retia. Horum igitur pertimescens insidias uir sanctus clamat: Pro me uigila domine, ne in laqueum, quem in meum extenderunt exitium, prolabar aliquando, neque in illorum muscipulas, qui tot subdoli sunt, incidam. Quin potius

{141.10} Cadant in retiacula eius peccatores: singulariter sum ego donec transeam.

Praecipitentur, inquit, maledici illi palpones in retia illius, ducis nimirum illorum, qui seditiones alere consuevit: ego uero singulariter ab illorum uita semotus ero quoad uixerem. sic nostram exponunt literam, quae paulo secus Hebraeis est. Sic illi: Incidat in retia impii una omnes, ego in seculum transibo. hoc est, ipsi in eadem cadant retia ac dolos, quos mihi adornarunt: ego autem in seculum, perpetuoque illorum euadam laqueos: uel, ut reddit Campensis, quoad ego saluus praeteriero. Vterque sensus immensam Vatis fiduciam in Deum celebrat. Cui honos sit ac gloria in seculorum secula. Amen.

PSALMVS CXLII. Eruditium Daud: cum esset in spelunca, oratio.

{142.2} Voce ad dominum clamavi, voce mea ad dominum deprecatus sum.

Prima inscriptionis uox altioris nos admonet mysterii, quam sit fuga illa uia Dauid in specum Engaddi, in quo tanquam in extremo suae salutis perfugio delituit tam pius rex. Tum sane uisus est penitus animo concidisse: omni enim temporis momento saeuissimum opperiens persecutorem, anxie admodum afflictabat. At quae tum egerit cogitaueritque, praesens demonstrat oratio, pia ualde, atque eruditionis plenissima, quippe quae Seruatoris nostri in antro isto mundi obscurissimo commorantis imaginem retulerit. Sed tu uide, an secus hi agere debeant, qui improborum crudelitati expositi sunt, atque ipse egit Dauid in specu illo ancipiti metu pene exanimatus. Quid tum egerit rogas? Primum quidem ad consuetum diuinae confugiens misericordiae praesidium, illius implorauit opem: deinde uero nihil prius habuit, quam ut inimico parceret: nam cum Saul occidere potuisset, quo occiso res suae omnes in tuto esse uidebantur, noluit tamen, dixitque illis qui secum aderant militibus: Propitius sit mihi dominus, ne faciam hanc rem domino meo Christo domini, ut mittam manum meam in eum. Consideras ne o tarde, quomodo tum plane ueram illius, cuius ipse typus fuit, expressit imaginem? Quid tam exacte Christus egit in terris, quam ut sibi patrem, orando, benefaciendoque non solum amicis, uerumetiam ipsis infensis hostibus, demereretur? Et ut nunquam caecis perspectum, usquedum uixit, illud fuerit, ne tum quoque quidem, cum in cruce moribundus in illam auream amorisque plenissimam prorupit uocem? Pater dimitte illis. Haud graues forsan hostium in illum extitere iniuriae. ut non multum fuerit illas condonasse. Credo, si haud multum est, uirum omnium innocentissimum, beneficumque in omnes, crudelissimis prius exagitatum iniuriis, cruciatibusque lacerum, uinctum, consputum, irrisum, tandem cruci latronum ni-
[nimirum]

{pdf 882, p. 433}

-mirum supplicio, suffigere, clauisque acutissimis transuerberare. Ita habitus fuit a suis Christus in mundo, pepercit tamen omnibus. Imo uero (res mira) factus est crudelissimorum hostium suorum praes, fideque iussor, atque aduocatus apud patrem, alioqui filii iniurias uindicaturum. An modo hac in parte sint qui Christum referant & imitentur, me omnino praeterit. Illud uero minime, mortales fere omnes, atque in primis potentiores, ad odia, ad iniurias, ad persecutiones, ad uindictam, promptiores esse, quam ad charitatem, ad beneficia, ad pacem, ad ueniam. Quae in Dei contumeliam fieri conspicio, tum dico, tum ut resciscant posteris, mando literis: dicoque cum sanctissimo meo Vate in specu ab hostium armis circumsepto, imo cum Christo Dei unigenito in mundo hoc ab innumeris scribarum, Pharisaeorumque ac synagogae principum insidiis obsessio: Voce mea ad dominum clamaui, uoce mea ad dominum deprecatus sum. Repetitio quidem, uoce mea, uoce mea: item, ad dominum, ad dominum, solitum fidei ardorem in Vate demonstrat. Hae e sane omnia, inquit Hieronymus, in humilitate corporea loquitur Christus, ut se uerum hominem manifestaret. Sed & uox ista, uox est cordis, affectus nimirum igneus, flagransque desiderium, quo anima in Deum fertur. Nec quidem quempiam uerba haec recte proferre posse arbitror, qui totus non ardeat, uiuatque fide in Deo magis quam in sese: quod uenuste admodum is, qui sequitur, indicat uersus.

{142.3} Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.

Elegantissime expressit ueri deprecatoris morem interpres in uerbo, effundo. Num putas componendas esse syllabas, aut quaerendam dictionis elegantiam, cum Deum oras? In corde enim tota res illa transigitur: quod quidem si moerore aliquo graui aut pauore affici contigerit, quae desiderat, quae uel orare intendit, magis euomit & effundit, quam loquitur. oram, inquit, illius conspectu, qui ferre potest miseris suppetias, meam effundo precationem: seu, ut reddit Campensis, eloquium doloris mei: & sic illi meam aperio afflictionem.

{142.4} In deficiendo ex me spiritum meum, & tu cognouisti semitas meas, in uia hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.

Is unus integer est uersus, quem sic fere reddunt ex hebraeo: Cum torqueretur in me spiritus meus, tu cognouisti semitam meam, in uia qua ambulabam absconderunt laqueum mihi. Superbi, non est in hebraeo. Videtur hic additum ex alio psalmo, cuius initium est, Eripe me domine. Sunt qui, semitam meam, ad pauorem illum extremum referant, quo in spelunca ualde anxius sic secum: Me hic tutum fore arbitrabar: quis unquam putasset rupes istiusmodi solum ibicibus peruias, meos petiisse aduersarios? Iam sentio uiam, qua elabi possim, extare nullam: quandoquidem in tramite etiam isto sic inaccessa, laqueum, quo me tandem comprehendant, suboccurarunt. Verum semitam, qua euadam, tu probe nosti. Alii ad uitae innocentiam, quam uitae semitam appellant, referri debere opinantur. Vtrunque Vatis mentem exprimit. Et quidem nullum adeo inculpatae uitae genus inuenitur, cui laqueos non obtendant inuidi: quod sane Christo omnium sanctissimo saepenumero contigisse legimus. Quare alio in psalmo ita suum palam facit dolorem: Circudederunt me uituli multi, tauri pingues obsederunt me. Hic quoque: Cum adeo, inquit, acerbe meus conturbaretur spiritus, ut omnino deficerem, me tamen illa omnia insontem perpeti non ignorabas. Quid te unquam latere potuit? Tibi certe uitae meae omnis nota est ratio ac uia. Interim tamen (malum) in itinere istiusmodi purissimo, laqueos, quo me irretirent, composuere. Quid illud, quod omnem superat calamitatem?

{142.5} Considerabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognosceret me. Periit fuga a me, & non est qui requirat animam meam.

Heu desolatam innocentiam. Clamat Christus in Esaia: Circumspexi, & non erat auxiliator: quaesiui, & non erat qui adiuuaret. Tametsi uox fugae hic conuenire uidetur, tamen ex hebraeo uertunt per fugium, aut huic simile. Nanque de alieno loquitur auxilio, non de fuga propria. Solent enim qui in maximis constituti sunt

{pdf 883, p. 433v}

aerumnis, non prorsus despondere animum, si, qui opem ferre uelint, circum se stare uiderint. Verum cum ab omnibus se cernunt deseri, ac pro ignotis & peregrinis haberi, intolerandum in modum affliguntur, ut hic uides. Circumspiciebam, inquit, ad dexteram

& sinistram, ut uiderem an quispiam mihi adesse uellet: sed neminem, non dico qui subueniret, sed qui me agnosceret, uidi. Vnusquisque enim, etiam ex charioribus meis & familiaribus, sua quaerens commoda, ne agnoscere dissimulauit: atque ita omne mihi ereptum fuit suffugium, nec quisquam tunc uisus est, cui mea cordi fuerit salus. Sic se habet mortalium fere omnium consuetudo. Quid tunc egissent caeteri, nescio: ego enim ex praeterito tuo fauore edoctus, animatusque

{142.6} Clamaui ad te domine, dixi, tu es spes mea, portio mea in terra uiuentium.

Illud, quod pene exciderat, non omittendum, quod in superiori additum est uersu, ad sinistram: ita enim subaudiunt ex hebraeo. Volunt quidam uerbum, uidebam, illuc spectasse: sic Kimhi hebraeus interpretatur. quare sic Paraphrastes: Respiciebam nunc in partem dexteram, nunc ad sinistram. Porro magna ea est consolatio afflictorum, cum illis in mentem uenit, nullam posse esse tam calamitosam sortem, quam non emolliat Deus, & dissipet inuocatus. Omni, inquit, humano denudatus praesidio clamaui ad te domine, dixique te meum esse Deum, meam fiduciam, meam salutem, meam omnino portionem: neque inter uiuos alium esse quempiam, cui me tuto credere debuissim. De terra uiuentium, quam mundum hunc esse opinantur, alias diximus. Sperat hic Vates, Dei se bonitate in hoc quoque mundo, qui locus est uiuorum, fruiturum: idcirco eum uocat suam portionem. Qua quidem persuasionem hi solum tenentur, qui nulla alia in re sua statuunt bona, praeterquam in Deo: qui, quaecumque contingant, semper electorum pars est ac portio. Siue igitur ex hac uita demigrem, siue in uita maneam, tu mea es portio, o domine, atque is es, in quo spem omnem meam, uel a puero, collocare didici. Non multum adeo referre arbitror, quod meis me expoliarunt bonis, nomenque meum traduxerunt scelesti isti oblocutores: adhuc mea omnia salua esse uideo, simulac te haereditatem habeo ac portionem. In te quidem tantummodo me intenti sunt oculi. Ideo & tu quoque

{142.7} Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt super me.

Nimis pro vehementer, suo more transtulit interpres: quemadmodum uoce, humiliatus sum, pro abiecto, misero, attenuato, summeque oppresso, uti consueuit. Caeterum, confortati sunt, ualet perinde atque, praeualuerunt mihi. Sit, inquit, iam finis malorum: equidem omnino depressus sum, hostes uero praeualent, quicquid moliuntur efficiunt, quicquid de me cogitant, obtinent. Dormis ne domine? audi, meamque lamentabilem admittens deprecationem, me a meis istis tam mihi infestis assere persecutoribus.

{142.8} Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo. Me expectant iusti, donec retribuas mihi.

Custodiam, siue carcerem, uocat Propheta speluncam illam curarum plenam Engaddi: umbram nimirum afflictionum Christi, Christianorumque in hoc mundo. Ab hisce enim penitus liberari impossibile uidetur, nisi per mortem. quanquam & in uita quoque possumus, cum aut aequissimo Dei consilio e medio tolluntur persecutores, aut fide, re nempe illa, qua uelit nolit (ut sic per excessum dicam) Deum in nostram cogimus

factionem, superantur. Ergo me e teterrimo eductum ergastulo in spiritus libertatem, quo tui (ut mea est consuetudo) celebrare queam nominis maiestatem, uindica. Quod si (ut spero) impetrauero, tunc me in modum coronae cingent iusti, stipabuntque innocentiae fautores, postquam te mihi bene fecisse senserint. Ita hunc hemistichium reddunt ex hebraeo: Me circundabunt iusti cum retribueris mihi: hoc est, cum mihi benefeceris. Cui laus sit in secula seculorum. Amen.

{pdf 884, p. 434}

PSALMVS Daud CXLIII

{143.1} Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam. In ueritate tua exaudi me, in tua iustitia.

Volunt interpretes hunc psalmum eiusdem esse argumenti, atque eodem in loco compositum cum superiori. Illud notissimum, animae extremo in moerore constitutae ac metu, precatione esse, ardentem eam quidem, uariisque intertextam spiritus aculeis, concitam, peracutamque, & mire ingeniosam. Domine, inquit, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam. In ueritate tua exaudi me, in tua iustitia. Ut solet interpres, ueritate pro fide transtulit. Etenim hic Dei tum fidem, qua constantissimus est in promissis, tum iustitiam, qua undequaque perfectissimus apparet, uerecundissime implorat. Verum tu interim, quid inter iustitiam huiusmodi diuinam atque humanam intersit, cogita. Homo quidem si suam humano iudici fatetur culpam, damnatur & occiditur: si uero Deo, absoluitur, atque ad uitam restituitur. Confugiendum itaque ad illum esse, qui ueniam reis sua execrantibus scelera est pollicitus, a spiritu admonemur. Siquidem quod promisit, constantissime seruabit: promisit uitam, uitam dabit. Cur dabit, oro? quia fidelis est, quia iustus, quia misericors: non quia nos iusti, aut fideles, aut erga conseruos nostros misericordes sumus: alio qui stultissimum omnino esset, hominem natura labilem, atque ad Dei iniurias procliuissimum, cum Deo mille quotidie offensionibus lacescitur, uelle in iudicio disceptare. Id sane periculum haudquaquam ignorans Propheta, istiusmodi cum Deo rixandi genus detrectat, dicens:

{143.2} Et non intres in iudicio cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

Ne summo, inquit, iure mecum agas, o altissime: quandoquidem ne unus quidem est, si illius ad amussim uitam expendas, qui integer dici queat: utinam non inquinatissimus. Atque istuc quoque idem coelestibus usu euenire animis credo, si sic tecum congregari audeant. Non angelus igitur, non apostolus, non martyr, non propheta, prae te, iusti dici possunt: sunt tamen ea, quam tu illis praescripsisti, mensura ac fine. Tu uero tanquam bonorum oceanus, in immensum in diffinitumque, absque temporis spacio, aut locorum intercapedine, protenderis. Ego itaque meam damnans iustitiam, tuam imploro, iudiciumque tuum illud seuerissimum, in quo me iamiam damnatum iri praesentisco, deprecor. Id certe crudelissimus exhorruit Cain, cum te pro scelus clementissimum fugiens patrem, abit profugus super terram. Exhorruit & Iudas, qui ueniam non expectans laqueo se suspendit. Haud eo sane modo tuum refugiunt iudicium pauperes spiritu, qui idcirco se a iure subtrahunt, contentionesque tecum in iudicio auersantur,

quod tua a misericordia solummodo seruari expetunt. Illi uero animi desperatione fracti, uel ipsam eos insequentem rogantemque misericordiam spreuerunt, atque indignabundi reiecerunt. Quoquo igitur modo res se habeant, aut se habiturae sint, illud mihi abs te persuasum esse gaudeo, quod gratia seruari me oportet, quodque nulla mea est iustitia quae id mereatur, et quod tuo semper, quoad vixero, egebo patrocinio.

{143.3} Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam, collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi.

Sicut mortui pridem, uertunt nonnulli: hoc est, qui multo antea tempore (seculum spacium erat centum annorum) mortui fuerant. Augent haec omnia Vatis timorem (desperationem non audeo dicere) & est sensus: Non solum quidem hostis me capitaliter persecutus est, uerumetiam id quod efflagitauerat assecutus, meam penitus prostrauit uitam, deiecit, afflixit, ac demum me eo loci compulit, ut plane mortuo persimilem iudicarent. Alii de seruato in carcere ad mortem, cui omnia obscura sunt, ac pauoris plena, similitudinem hanc esse existimant. Vtrunque enim ad significandum tum Vatis animum in spelunca illa obscura latitantis, tum illius affectum, qui iudicii Dei memoria perterrefactus, mortuis ipsis potius inuideret, quam ui uis, etsi felicibus ac beatis. Nam dici facile qui posset, quam caliginoso vivunt

{pdf 885, p. 434v}

uitae genere & calamitoso hi, qui grauem secum ferunt sarcinam conscientiae, quae perpetua ueluti accusatrix reum continuis diuerberat flagellis? urget? lacerat? exterrefacit? impropertat? Miserandum profecto spectaculum ac lachrymabile, cum mens rea est, accusatrix conscientia, lex laesa causam actitat, memoria litem contestatur, ac demum iudicii timor reum peragit. Putas ne illum, qui sic affectus est, posse aliud docere, quam illud, quod hic dicitur? Persequutus est inimicus animam meam (en hostis audacia) humiliavit in terra uitam meam (en ictus propemodum immedicabiles) collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi (en hostis victoria et triumphus.)

{143.4} Et anxius est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Obstupefactum est cor meum, uertunt quidam, prae metu nimirum & dolore, ex uulneribus ab hoste acceptis contracto. Frigent hic, scio, iustissimi nostrae aetatis homines, quippe qui nullius sibi conscii cum sint homicidii, aut furti, aut adulterii, hos animae stimulos atque anxietates ne tenue quidem experiuntur. Caetera uero, illa dico quae in animae theatro peraguntur, quomodo se habent? Quod si nullus adhuc in te sensus est, id saltem: cogita quae hic dicuntur, ab innocentissimo dici Christo. Tuam ipse bene nouerat ab aeterno oscitantiam. Idcirco pro te (quo doleas tandem) hasce doloris atque amaritudinis notas aequae ac si ipse solus scelestissimus omnium esset, & tu iustissimus, promit dicens: Anxiatur, mireque exagitur in me spiritus meus. Quid? torquet sese cor meum, atque ob uulnerum acerbicatem & dolorem obstupescit, peneque sensum amisit. Verum & tum quidem.

{143.5} Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, et in factis manuum tuarum meditabar.

En suavitas illa ac dulcor, quo tota animi aufertur amaritudo. Spem dico, quae ex gestorum Dei memoria iam inde a primis annis in mortalium salutem exhibitorum oriri solita est. Unde alio in psalmo ita de priscis Iudaeorum patribus testatur, dicens: Clamauerunt ad dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Non est quidem tam uetus aetas, in qua non reluceat Dei in homines beneuolentia, appareantque beneficia & gratiae quibus sane animaduersis mirabiles excitari solent spei stimuli in anima, ut & ipsa aliquando eisdem frui posse sperare audeat. Obruor, dicet aliquis, culparum cumulo. Audio: at uide, an ulla unquam fuerit aetas, in qua, qui paribus, aut grauioribus forsitan premerentur delictis, inuenti sint, & tamen efflagitantibus data est uenia. Illud tantum expetit numen, ut usu peccandi abiecto execratoque, te tuae pigeat turpitudinis. Caetera Deo committe. Ait itaque uir fide uegetus: Ego illorum, quae superioribus operatus es seculis, nequaquam immemor, uaria illa quidem & multa, animo diligentissime pertractaui, in illisque contemplandis totus fui. Unde actutum meam sensi erectam esse pusillanimitatem, firmatam spem, atque omnino cognitam Dei uirtutem, quae in inferenda suis ope nunquam non praesto adfuit. (Ipse, inquit Paulus, seruator est omnium, sed maxime fidelium.) Quare spe hac nisus, prorsusque animatus,

{143.6} Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Iam diximus manuum extensione in sublimi, orantis affectum exprimi. Caeterum animi uehementer aegrotantis indicium est in hoc uersu reticentia. Volunt nonnunquam suam exprimere miseriam atque indigentiam orantes, sed singultibus intercepti narrationem amputant & interrumpunt. Unde non absque spiritus consilio hic additur diapsalma. Anima mea, inquit, quae terrae instar siticulosae, prae nimioque aestu fatiscentis, adusta facta est, tibi: uoluit dicere, anhelat, suspirat, ingemiscit: quandoquidem prae gratiarum ariditate, nec quid appetat, nec quid uelit, integre exprimere potis est. quasi diceret, aridus, planeque adustus ad aquas confugio. Atqui terra, quae imbre aut fonte non irrigatur, herbis nequaquam uestiri potest, non abundat messe, non floribus, non fructibus: ita anima nega-
[negato]

{pdf 886, p. 435}

-to gratiarum irriguo arescit penitus, atque, ut diuus inquit Gregorius, non operitur uirtutibus, non cogitat de coelestibus, & Deum esse magis suspicatur, quam persuasum habet, tantum abest ut quae hic dicuntur, intelligat. Suum quidem ignorans periculum, nullum, quod firmum sit, implorare poterit auxilium, neque id quoque quod sequitur percipiet.

{143.7} Velociter exaudi me domine, defecit spiritus meus. Non auertas faciem tuam a me, & similis ero descendentibus in lacum.

Clarius ex hebraeo uertunt: Ne similis efficiar descendentibus in puteum, seu foueam. Porro uelociter, arctam subueniendi arguit necessitate. Videntur mihi eae uoces, uelociter, exaudi, defecit spiritus, hominem non iam cum metu aut dolore, sed cum ipso mortis extremo colluctantem prae se ferre. Ita nimirum affecti sunt, qui serio suum aduertunt periculum. Caeterum explicatius rem aperuisset, si proruentibus, seu decidentibus in lacum aut foueam, uertisset interpret: alioquin potest quis citra periculum in foueam & puteum ultro sensimque descendere: qui uero decedit, is non absque maximo uitae periculo uel cedit, uel illic immoratur. In eodem omni non sunt salutis discrimine, qui ab atrocissimis, atque, ut nunc est usus, inexorabilibus oppressi persecutoribus, aut daemonum insidiis irretiti, sine Dei auxilio cum infortuniis afflictantur. Clamat igitur Vates: Num auertas, quasi indignabundus atque iratus, faciem tuam a me, sed placido mihi, ne desperem, arride uultu, adblandireque, ne illis similis efficiar, qui in profundissimum delabuntur puteum, qui absque dubio, nisi praesto adsint qui ferant opem, ab aquis suffocantur. Exinde

{143.8} Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speraui: notam fac mihi uiam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam.

Mane, ut alias admonuimus, Hebraeis est saepenumero, confestim, tempestiue, ualdeque celeriter. unde illud est Dei apud Hieremiam: Misi ad uos seruos meos prophetas mane consurgens: hoc est, tempestiue monens. Ita in hoc quoque loco sumi debet, ut plane idem sit quod in superioribus precatus est, dicens: Velociter exaudi me domine. Quare sic uertit quidam: Ocyus annuncia mihi bonitatem tuam, te enim fido. Verum, mane nescio quid praetendit efficacius, quam si simpliciter dixisset, celeriter, aut mature: spectat enim ad praeteritam angustiarum noctem, ualetque perinde quasi pronunciasset, disiecta persecutionum, tentationumque obscuritate ac nocte, splendidum succedat mane, quod tua mihi euehat clementia. A te quidem quantusquantus sum pendeo. Quocirca uia illa recta, qua itur ad te, per te mihi innotescat. Ad te, non amplius ad me, aut ad uana hominum suffugia cor meum dirigo, atque a terrae crassamento eleuo: hoc tu rege, affla, lumenque illi, ne in tetro isto uitae labyrintho hallucinetur, admoue. Ad haec,

{143.9} Eripe me de inimicis meis domine, ad te confugi.

Non paruae quidem securitatis est confugere ad Caesarem: sed immensae omnino, ac certissimae, ad dominum, in quo tota animarum, non modo corporum posita est quies. Ex hebraeo uertunt quidam, Ad te obtego: seu, ad te latiturus confugi. Possunt sane homines procella aliqua aduersitatum acti in aedita atque hostibus inaccessa sese loca recipere, antraque & solitudines habitare: uerum a Deo, quod tuti sint, expectandum. Vide igitur quid de se beatissimus testetur Vates: Tametsi, inquit, locum hunc abditum, in quo latere possim, me nactum esse existimem, id tamen nihil prorsus esse arbitror, nisi tu serues, ac me ab hostium manibus eximas. Quare, o tu qui potes, me eripe, ad te enim confugio, te inuoco, te meum esse latibulum, atque inter tot rerum pericula, defensorem uolo. Eia tu (eruditores istos indoctos fastidio)

{143.10} Doce me facere uoluntatem tuam, quia Deus meus es tu: spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.

In uiam rectitudinis, uertit Felix. Alius uero, in terram innocentiae. Vocat uiam rectam, seu terram innocentiae, uiam iustitiae, rectum nempe uitae institutum. Caeterum spiritus Dei bonus, est ipse spiritus sanctus: quem bonum idcirco appellat. quia omnis spiritus humanus, prae illo, prauus est & erroneus. Clamat proinde Neemias: Spiritum tuum

{pdf 887, p. 435v}

bonum dedisti eis, qui doceret eos. Cui & tanquam umbrae corpus illud succinuit euangelicum: Et docebit uos, inquit, omnem ueritatem. Huius sane ductu atque auspicio uiae illae. quae asperae uidentur & inamoenae, planae prorsus efficiuntur & delectabiles. Spiritus is est Dei, quo si quis imbuit, deiformis omnino fit, atque ad capessendas eiuscemodi iustitiae semitas idoneus. Ideo haudquaquam mirum esse debet, si qui istiusmodi donati sunt munere, diuinum quiddam prae se ferant in terris: ab omni quidem libidine immoderata alieni, caeteras facile superant uoluptates. Calcato quippe mundo, in coelis cum Deo iam suas habent mansiones, uitamque istam aerumnosam, peregrinationem, & se mundi peregrinatores, non ciues, appellare soliti sunt. Non te igitur iam praeterit, quid boni afferat spiritus huiuscemodi bonus Dei ab humano autem quod bonum prodire queat non uideo, cum natura superbissimus si atque mundanarum rerum appetentissimus. De utroque enim sic loquitur Vates quidam: Spiritus leuauit me & assumpsit me, & abii amarus in indignatione spiritus mei. Spiritus igitur tuus, o domine, non huius mundi seductor nimirum trahax, impurus procax, dolosus, fugax, per eam me ducat semitam, quae ad te ducit recta, quae tua aeterna est uoluntas, doctrinaque spiritus: nam Deus meus es tu. Quocirca

{143.11} Propter nomen tuum Domine uivificabis me, in aequitate tua educes de tribulatione animam meam.

In iustitia tua, uertunt fere omnes ex hebraeo. ut sit sensus: Nullum hic meum iacto meritum, aut ostento arbitrium: sed id duntaxat oro obtestorque, ut propter nominis tui maiestatem, mihi uitam iamiam ab hostibus interceptam restituas, atque in iustitia tua, non mea, sorde omni impuriori, ex his, quibus pene obruor aduersis, educas animam eam.

{143.12} Et in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos, ut perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego seruus tuus sum.

Tua hic res agitur, o Deus: etenim quoniam ego seruus tuus sum, idcirco impetor & affligor. Si quidem de mundo hoc essem, suum mundus diligeret, non persequeretur: nunc uero & te, & qui te amant, odit. Verum non id dico, quod tuam me demeruisse gratiam arbitrer, sed tua solum imploro misericordiam. Per ipsam igitur obtestor te, ut crudelem in me hostium compescas rabiem, iram fraenes, atque impurissimos illorum cutus, qui non tantum in me, quantum in tuam conspirauerunt religionem, subuertas. Factiosos haec lues terrae deamat: non pacificos, & eos quidem qui nihil habent antiquius, quam ut in te uiuant, mortemque tandem in te oppetant tranquillam. Cui laus sit aeterna. Amen.

PSAL. Daud CXLIII

{144.1} Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, et digitos meos ad bellum.

Composuerit ne hunc psalmum uates ob insignem illa & famosam contra Goliath Philistaeorum ducem uictoriam, an ob aliam, ignotum est penitus. Illud uero notum, synceras hic Deo agi gratias ob deuictos hostes, suamque in regnum restitutionem, in quo tum cuncta amoenitate floruisse uisa sunt. Nos interim a Vatis mente non longe discedentes, ad animum haec omnia, ut par est, traducere condiscamus. Et quemadmodum frigidi omnino atque ieiuni sunt sensus, qui in enarranda solummodo gestarum rerum serie immorantur: ita parum calidi, imo inepti existimari a doctis hi solent, qui ad allegorias, omissa interim litera, actutum transeunt. quare tertium quoddam interpretandi genus inuentum est, atque a spiritu Dei sancto administratum, quo pulcherrimam utriusque sensus, tanquam licia uersicoloria, intertextentes picturam, uti consuescunt eruditiores. Quod & nos secuti, etsi non assecuti, utcumque nostram hanc ordimur tela, atque, ut in caeteris actum est psalmis, cum sapientissima Vatis anima sic diuinam extollimus bonitatem, admirabundique exclamamus: Benedictus diis Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, & digitos meos ad bellum Illud in primis dicendum uidetur, multa in hoc esse psalmo, quae fere in XVIII. habentur: ideo non omnia exacte admodum, ne idem saepe dicamus, hic tractabuntur. Lau-
[Laudat]

{pdf 888, p. 436}

-dat propheta Dei uirtutem, illique gratias agit. quod hostes suos prostrauerit. Laudandus est, inquit, dominus & Deus meus, qui cum pugnandum esset cum hostibus, meas edocuit manus arma contrectare, ac digitos, quibus potissimum tela iaciuntur, ensisque uibratur, diligentissime perarmauit. Sed arma quae ad animum attinent, pulchre ab armamentario Pauli deligi possunt, qui suo primum militi baltheum accinxit castimoniae, loricam deinde iustitiae, ocreisque in praeparationem Euangelii pacis suras deuinxit: fidei scutum postea deauratum sinistro alligauit humero, caputque salutis galea communiens ei, tandem optime collimatum obtulit gladium uerbi Dei haec sane est Dei armatura, qua induta anima, iam ualet, ut ipse ait, contra diaboli insidias, atque dolosas illius artes consistere. Quantum (pro) laudibus dux efferendus est noster, qui tam diligenter suos armat milites, quique eos admonet & instruit, qua animi uirtute cum hoste concurrentum sit, quando eminus, quando cominus, uel caesim, uel punctim res peragi debeat, edocet, hortaturque, & ne nisi uictores ex acie secedant, canantque receptui, imperat. Interim uero miles, si sapit, ne momentum quidem temporis a duce, aut ducis uexillo (ea est crux) detorquet oculos, in medioque ipso praelii ardore conclamat:

{144.2} Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus. Protector meus in ipso speraui, qui subdit populum meum sub me.

Notat Felix, populum meum, & populos, absque pronomine legi posse. Diuus etiam Hieronymus populos legit. ut sit sensus: Ipse dominus turmas illas hostium pene infinitas mihi subdidit. Quod si populum meum mauis legere, ad obedientiam disciplinamque militarem referendum censeo. Nihil propemodum tam celeriter militum dissipat alas, & cuneos in ordinem digestos, quam inobedientia atque confusio. Quod quidem uitium suo in exercitu minime fuisse asserit Dauid, cum inquit: Qui subdit populum meum subtus me, nempe Deus: cuius auxilio fretus gigantem illum immanem Philistaeorum ducem obtruncavit, indeque passim fusi fugatique hostes, maximam opum uim, munitioumque & impedimentorum, Iudaeis in illorum castra irruentibus reliquerunt. Tanta ne unquam expectari potuit a populo illo ingratisimo Dei beneuolentia?

{144.3} Domine quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius homini, quia reputas eum?

{144.4} Homo uanitati similis factus est, dies eius sicut umbra praetereunt.

Admiratur Vates, qui fit quod Deus, tanta scilicet maiestas, tam ingens, tam in comprehensibilis, uanissimae rei, somnoque simillimae, ut homo est, curam habeat? Haec eadem admiratio in psalmo octauo, subindeque mortalium uanitas in trigesimo nono copiosissime sunt scripta, atque, ut dedit spiritus, exposita. Illic enim: Universa uanitas omnis homo uiuens. hic uero: Homo uanitati similis factus est, dies eius sicut umbra praetereunt. Certe si uitam hominis inspectas, mera est umbra, imagoque rei potius, quam ipsa res. Nihil sane uelocius uita hominis: uix natus interit, & id quidem tanta celeritate, ut uentos ipsos quoque pernicissimos anteuertat. Ex hebraeo reddunt: Quid est homo quod agnoscis eum? hoc est, quid audisti in homine, ut eum agnoscere digneris? quod eum tam charum habeas? quod foueas? quod extollas? tantum (res mira) non fecisti illum Deum.

{144.5} Domine inclina coelos tuos & descende, tange montes & fumigabunt.

{144.6} Fulgura coruscationem, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.

Haec rursus in psalmo habentur decimo octauo. Optat Vates ut Deus terrificis sese ostendat signis omnipotentem, alioqui nulla re alia suos exterrefaciendos hostes. Alludit enim ad montem Sinai, in quo horrendis data fuit lex portentis & terraemotibus, quippe quae lex fuerat timoris & poenarum. Imo uero populus ille contumax & rebellis, istiusmodi potius minis & terroribus a peccatis arceri consueuerat, quam beneficiis. Quare in accipienda in monte lege, aut ab arca Dei uoce, adeo perterrefacti sunt, ut in Mosen aliquando indignabundi exclamauerint: Loquere tu nobis, non loquatur nobis dominis, ne forte moriamur. Ita in subiugandis Dei hostibus non tam uitibus atque armis, quam diuinis coelitus miracu-

[miraculis]

{pdf 889, p. 436v}

-lis signisque de coelo emissis, usi sunt: atque hoc sane modo quid non audebant? Ad hunc itaque Dei morem, in subueniendoque suis consuetudinem, ut uides, recurrit Vates. Paraphrastes, montes ad hostium superbiam referens, sic reddidit uersum: Percute superbos illos reges, qui montibus uidentur similes, sentiant iram tuam, & ueluti fumus euanescant. Sed haec ad allegoriam pertinent, quae propemodum hic necessaria uidetur. Caeterum, inclinari seu demitti coelum a Deo dicimus, cum montes nubibus, globisque caliginosis tegi facit: tangitque montes, quando eos fulminibus tanquam sagittis ferit: qui fumare porro apparent, cum uapores illos spissos ac nigros attollunt, atramque euomunt caliginem: quae quidem omnia si fulgetris potissimum ac tonitrius [sic, tonitruis, 1585] commixta cernuntur, quammaximo afficiunt metu homines. Verum ad aliud timoris genus, fumumque alium, & montes, transferenda haec esse uult spiritus: de quibus cum nonnulla in superioribus psalmis sint dicta, expositaque a nobis, ad alia considerata descendamus.

{144.7} Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.

{144.8} Quorum os locutum est uanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.

In alio psalmo, quod hic rogat fieri, factum esse commemorat. Misit, inquit, de summo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis. Aquas multas uocat aduersitatum cumulum, & procellam, ut illic declaratum fuit: filios uero alienos, filios iniquitatis, a Deo nimirum religione extorres: quos sane ueluti digito commonstrauit cum dixit: Quorum os locutum est uanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. hoc est, & lingua, & actione uani sunt, fallaces, perfidiosi, & simulatores. Ab hisce quidem monstris, tanquam a Minotauro quodam infami & saeuo, aut Cerbero etiam, sancti Dei uiri non iniuria una hic cum Vate petunt eximi: quoniam id iam longo perdidicere usu, pii animi tranquillitatem ab impudenti istiusmodi hominum colluie mirandum in modum diuexari solitam. Dexteram itaque uocat iniquitatis, actiones illas hominum nefarias, quibus nobis imponere consuescunt fraudulentis. quis me, inquit, a tam scelestis perfidiosorum hominum reparabit consuetudine? Quis tam impie dirus fuit, qui meam ausit dolis mendaciisque interturbare uitae quietem? Verum a coelo (sat scio) tota haec expectanda fuit, estque impraesentiarum uictoria: qua sane impetrata, quid amplius in terra aueo? Ergo

{144.9} Deus canticum nouum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi.

{144.10} Qui das salutem regibus, qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno.

Tum, inquit, nouam te laudandi, in nabloque & decachordo tibi psallendi me occasionem nactum arbitrabor. Te dico, qui non solum cunctis generaliter hominibus opem ferre solitus es, uerumetiam ipsis potentissimis regibus atque magistratibus, & id genus aliis in mundo hoc conspicuis. Puto equidem de regibus peculiariter mentionem hic fieri propterea, quod cum Dei uicem in terris gerant, speciali quoque a Deo tutela gubernantur. Nihil sane iucundius, addo & uniuerso orbi utilius contingere potest rege integro, sapiente, atque religionis Christi defensore. Is certe plus quam homo est. Heu

quid audio? Verum ne est Otomanorum classem Christiani regis stipendiis accitam, atque ipsius iussu in Christianorum uiscera (malum) obrusam? O tempora, o aetatem plusquam ferream. Hucusque direpta est Nicea, stupratae uirgines, abductusque ui populus, ac demum diruta & exusta est ciuitas. Futurae calamitatis hoc est praeludium. Sed ad psalmum. Gladium malignum pro subobscuris dolosisque insidiis metaphorice hic poni censeo, eodem fere modo, quo Maro lunam malignam appellauit. Mirum quam inter caetera nefandorum hominum uitia, semper maiori detestatus sit stomacho dolos & fraudulentias candidissimus Dei uates. Quare non absque causa fassus est se canticum nouum, tanquam de re omnium difficillima exorata, si a perfidiosorum hominum insidiis immunis extitisset, cantaturum: inculcatque,

{144.11} Erue me, & eripe me de manu filiorum alienorum, quorum os loquutum est vanitatem, et dextera eorum, dextera iniquitatis.

{144.12} Quorum filiis sicut nouellae plantationes in iuuentute sua: filiae eorum

{pdf 890, p. 437}

compositae, circumornatae ut similitudo templi.

{144.13} Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud, oues eorum foetosae abundantes in egressibus suis.

{144.14} Boues eorum crassae, non est ruina maceriae, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.

Id enim est quod tam saepe nostros olim doluit maiores, & in praesentia quoque illos dolet, qui impiorum sortem miserantes, altius nescio quid contemplantur, illorum scilicet fortunas, dignitates, honores, rerumque omnium lautitiam & felicitatem, ad maiorem illis data esse miseriam. Putant insani neminem posse esse felicem, qui his careat: imo miserrimum illum appellare soliti sunt, qui aut haec non obtinent, aut adepta mittunt. Idcirco in maximam illos decidere miseriam necesse est, cum illa uel casu aliquo inopinato, uel per mortem saltem, rem certe ineuitabilem, deserere compelluntur. Vide igitur quomodo in hoc psalmo, quod & saepenumero agere consuevit, hos deplorat, simul & deridet uanam istam mundi felicitatem. Nam simulatque filios illos uocauit alienos, hoc est, spiritu Dei uacuos, quorumque uerba uana essent, atque actiones subdolae, ad res illas enumerandas, quas illis miseriam comparaturas esse praeuiderat, etsi felicitatem promittere uiderentur, sese conuertit, dicens, numerosam illis fore sobolem, ac uti plantam mire auctam ornatamque in adolescentia sua: pecora deinde multa & foecunda, uim tritici ingentem, incolumitatem, pacem, atque omne bonum. Quid eiusmodi posset addi opulentiae? Vide horum stultitiam, ac ineptam gesticulationem:

{144.15} Beatum dixerunt populum, cui haec sunt.

Comparat igitur Vates illorum filios teneris elegantibusque arbustorum plantis, frondibus nimirum, ac floribus onustis & amoenis: filias uero, templi angulis undique ornatis. Quemadmodum, inquit, in festis diebus totum ornatur templum, sic illorum filiae pulcherrimo gradiuntur mundo: nulla quippe est illarum pars aut angulus in

membris, quin tota ornata sit. Immensum sane amantium ad libidinem illicium, ut perbelle meriti sunt, qui huiusmodi, ut hic depingit spiritus, sunt patres. Tessellati anguli, uertit Felix: quod quidem ad diuitum puellas, quae ab imprudentissimis parentibus uenum exponuntur, quadrare mirum in modum arbitror. nonne illae tessellato sectilique propemodum opere compositae tibi uidentur, cum purpurisso, cerussaque, minio & stibio, fuce nimirum uariegate pictae in publicum prodeunt? Quid onera catenarum? armillarum? inaurium ex unionibus auroque fusorio elaboratarum memorem? Vestes omitto uersicolores, ne ex opere tarseato, musaeaque, ad upupas aut pauones effigiandos transire uidear. Sat sit igitur suam Chimaeram uecordibus impegisse parentibus, ne dicam maritis. Caeterum, ex hoc in illud, id habet significati, quod illorum promptuaria, seu, quod uox hebraea uelle uidetur, penuaria, adeo ubertim implebuntur, quod futuri anni fruges in praeteritas refundentur, uenienteque unius anni prouentu, alium cedere, transportarique peropus erit: atque hoc modo non solum atque horrea, uerumetiam anguli (sic hanc uocem interpretatur Felix) grano, atque omnis generis annona exuberare uidebunt. Ad haec oues eorum foetosae abundantes in egressibus suis, etsi eiusmodi praefere sensum uidetur, quod foetum adeo copiosum audent, ut egredientes e caulis maximam spectantibus afferent uoluptatem, tamen ex hebraeo maiori reddi posset efficacia ad hunc modum: Greges quoque millia producent, & centena millia generantes in uicis nostris: ualetque perinde ac, adeo illorum greges agendos, ut omnes circumiacentes impleturi sint uicos. quod si ad uerbum redderetur, latinaeque aures paterentur, myriadicantes uerti posset, Immensum hic numerum uult intelligi. Boues eorum crassae, per masculinum genus aptius reddidisset. quanquam ex hebraeo, boues ualidi, transferunt, seu oneri assueti & idonei: hoc est, qui ad agriculturam, plaustraque trahenda ualidi sunt. Postremo, ut rem tandem, inquit, absoluam, nulla est ruina, nulla discordia, querimonia nulla. Nemo tam audax est, qui illorum diruat maceriem, pertranseatque illorum sata, aut uineas, aut hortum, sepesque a loco moueat, atque, quo damnum aliquod inferat, circum]

{pdf 891, p. 437v}

-cum positas exurat uepres. Nullus est clamor miseriae, nullus afflictionis, nullus calamitatis? Quid? Non est qui in illorum irrumpat fortunas, hostis, neque qui a propriis eos emigrare compellat laribus: nullus tandem in illorum plateis auditur plangentium ululatus, sed tympana, sed tibiae, sed plausus, sed choreae, sed laetitiae cantica. O, inquit, fortunatum populum cui huiusmodi contingunt bona. Vos stultos potius dixerim: ego enim secus rem pondero: non uos utique beatos appello, non felices, non tranquillos, sed dico, inculcoque, quod solus ille est

{144.15} Beatus populus, cuius est dominus Deus eius, /

Licet bonis omnibus illiusmodi careat, atque a mundo isto uestro ludibrio habitus sit, ac fabulae. Calculis sane omnibus felicissimum illum esse pronuncio, qui Deum habet. Neque proinde quidem diuitias reprehendi hic opinor, sed illos qui diuitias adorant, hoc est, qui mundum Deo proponunt, eumque propter diuitias offendere non reformidant. Iam illud ultimo notandum, Hebraeorum interpretes ad Vatem, atque illius populos haec omnia referre, quo pia quaedam illius sit precatio ad opima illa bona, ipso

regnante, populis suis concilianda. Unde illi sic reddunt: Penuaria nostra plena sint. greges quoque nostri, filii nostri, filiae nostrae, boues nostri. Et sic uolunt Vatem ad se omnia adaptasse. Verum cum rem pensiculatus discutere libuit, aduerti tandem ea magis a superbis illis diuitibus, quorum os loquutum est uanitatem, prolata esse: unde quae istiusmodi fuerit illorum uanitas, in istis expressit uersibus. Postquam igitur dixit os eorum loqui ex more uanitatem, paulo post intulit quid sint loquuti. Penus, inquit, nostri pleni sunt. atque in hunc modum caetera quae sequuntur sibi petulanter arrogantes, in hanc demum dilabuntur animi impietatem, ut illos uere beatos clamitent, quibus bona illa a mundo suppeditentur. Quos tamen castigans spiritus, illos solummodo beatos nuncupat, quibus dominus, non diuitiae, non celebritas, non dignitas, est Deus: hoc est, quibus Deus pro omnibus sufficit bonis. Cui laus sit in secula seculorum. Amen.

PSAL. CXLV. Laus Dauid.

{145.1} Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi.

{145.2} Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum, & in seculum seculi.

Ex psalmi inscriptione facile dignosci potest etiam argumentum. Laudes hic Dei ob beneficia, quae effusissime in omnes, tanquam purissimas aquarum e fonte uiuo scaturigines deriuat creaturas, celebrant. Et quidem extra uires positum est humanas, immensam beneficiorum illius congeriem erga homines posse uel ore effari, uel mandare literis, aut cogitationibus assequi, adeo infinita illius est liberalitas, cuius opera, potentiam, splendorem, mirandas res gestas, clementiam, iustitiam quoque, qua impium gratis iustificat, patientiam qua peccantes ad poenitentiam praestolatur, misericordiamque qua nostras nobiscum deflet miserias, prouidentiam tandem, unde omnibus subuenitur creaturis, non est cor tam eruditum, aut rimandis rebus coelestibus assuetum, quod cum peruestigare nititur, non lassescat, non uel in ipso primo limine caecutiat. Audet tamen mens pia & quod nequit assequi intellectu, amore saltem ac desiderio subgustare contendit. Procax, ut sic loquar, amor est, nec fere, etiam impossibilia pertentans, erubescit, raroque in suo laudando amato defatigatur, ut in hoc psalmo uidere licet, cum ait:

{145.1} Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi.

{145.2} Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in seculum et in seculum seculi.

Primus enim versus ab Aleph incipit, secundus a Beth, tertius a Gimel. Et sic seruato per singulos uersus ordine alphabeti, ad calcem usque protenditur psalmus Illud considerandum, istiusmodi Dei laudes uix absque peccati nota proferri posse, nisi ab anima, quae frequenter & suauis sit dominus experitur. Purissima quidem omnia esse debent, quae ad Dei attinent religionem, cuius potissima pars est ac nobilissimi-
[nobilissima]

{pdf 892, p. 438}

-ma sanctum Dei nomen laudibus efferre. Laudes uero illas, quae in templis ab impudicis contaminatisque celebrant animis, cuiusmodi uocari debeant nomine, me ignorare fateor. Aut hi quidem ita duri sunt & stupidi, ut nullam de Deo omnino, quae tanto digna sit numine, conceperint opinionem, aut in malis obdurati in Deum ultro iniurii sunt. Danda est igitur opera, ut cor totum prius a terrenarum rerum crassitie releuet, quam cum Deo, qui purissimae est naturae, loqui incipiat. Porro terrenarum rerum crassitiem appello, nimium erga illas amorem, libidinem, auaritiam, ambitionem, carnis commoda, delicias, irritamenta nimirum uenerea, & caetera id genus mollia, quibus eneruatur animus, terrenusque penitus fit, atque a Deo alienus. Nihil sane a terra, terraeque uisco sustollitur, qui huiuscemodi irretitus est affectibus. A quibus quidem propheta, qui ut Christi, ita & omnium qui sunt Christi, typus extitit, abhorrens, alio omnino motu animi sic suas orditur ad Deum laudes: Exaltabo te o Deus meus, o rex, o qui condita omnia praeclarissima moderaris ratione ac prouidentia. Te magnificabo, tuumque sanctum nomen, quoad eius uixero, laudabo. Et id quidem per dies singulos. Dies autem? Imo uero per singulos dierum horas, per ipsa quoque minutissima horarum momenta te laudibus extollam, ac tuam mirabilem perpetuo, ultraque, si fieri id potest, celebrabo maiestatem. Certe

{145.3} Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.

Nimis, quod saepenumero diximus, pro ualde, seu, ut interpretatur Paraph. modis omnibus uertit interpret. Puto hic Vatem non tantum ex pulcherrima rerum effectione, quantum ex mortalium dignitate, atque a morte per ipsum Deum redemptione, quam tum praeuiderat, Dei magnitudinem considerasse, Quamuis enim semper, atque in omnibus magnus apparuerit Deus, in redemptione tamen hominum magnitudinem omnem, & seipsum quoque (si sic de Deo loqui conuenit superasse uisus est. Vide itaque quanto id animi stupore, atque admiratione proferri debeat: Magnus est dominus. Quis tam immensam potis est scrutari magnitudinem? nonne omnem illa excedit hominum inquisitionem? nonne conatum? non ne laudem? Et tamen nostro a nobis modulo laudandus es, atque inquirendus, o altissime. Siquidem ut ius ipsum tum diuinum, tum humanum postulat,

{145.4} Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt.

Generatio generationi, seu, posteritas posteritati opera tua laudabit, uertunt ex hebraeo. Unde sic Paraphrastes: Generatio una ueluti per manus tradet alteri laudes operum tuorum. Vide gratissimarum erga Deum mentium argumentum. Proprium id est parentum munus, ita liberos diuinis imbuere persuasionibus, ut & illi, quod in posteros deinceps effundant, habeant. Atque hoc modo sanctissima Dei in terris conseruat religio. Ita ueri agunt pastores, ita praesules, ita episcopi. Quod sane non ignorans Paulus, sic suum admonet Timotheum: Quae audisti a me, inquit, per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Atqui ociosum non debet esse Dei uerbum in terris, neque alicui absque spe foenoris irrogatur. Idcirco

enim ad multitudinis imperium, conuentuumque hominum gubernationem in Dei Ecclesia constituuntur Episcopi, atque caeteri antistites, ut sunt inter meae professionis homines, Abbates, Praepositi, & illi quidem qui nouis adhuc in huiusmodi uiuendi ratione instituendis praepouuntur adolescentibus (alii pene gradus superuacanei sunt, nec si diuus nunc uiueret Benedictus aliter sentiret) ut candida sint uerbi Dei uasa, e quibus tanquam ab aureis aquarum uenis mirabilis illa, uiuaxque spiritus doctrina, qua ex hominibus prope dii efficiunt auditores, manare solet. Ab istiusmodi quidem heroum genere, qui scilicet nostrae amantiores sunt salutis, quam rerum nostrarum, suffragiorum, pensationum, aut (ut uocant) beneficiorum & pensionum, toti spirituales reddimur, atque illis prorsus similes, graues nimirum, eruditi, nostri in re spiritus haud absimiles, atque in Dei obsequio ne digitum & quidem a maiorum degenerantes institutis. Quare illud asserere possumus: si quid a subditis peccat, a patrumque decretis, laxioribus ueluti habenis deflectitur: aut si statur, seruanturque maiorum instituta, atque in primis lex spiritus, ac ignis

{pdf 893, p. 438v}

ille tam Deo charus, quem mutuam appellare dilectionem libeat, intactus, a fumoque immunis reparatur, id totum nostris pastoribus, qui nostram suae uolunt esse obnoxiam uoluntatem, acceptum referri debet. Sed ad psalmi dilucidationem hisce non ab re delibatis reuerto. Potentiam tuam, omnipotentiam illam in Deo intelligit, cuius uirtute condita omnia in lucem prodire. Ad haec,

{145.5} Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur, & mirabilia tua narrabunt.

{145.6} Et uirtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.

Paulo aliter hos duos uersus reddunt alii. Sic Felix: Decorem gloriae magnificentiae tuae, & uerba mirabilium tuorum loquar, & uirtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabo. Hac sane uerborum amplificatione uult Vates intelligi Dei bonitatem in omnes effusam creaturas. Verum, ut quod sentio, proferam, ad Christi glorificationem respexisse Vatem arbitror, qui se maxime conspicuum mundo praebuit per miracula, per crucem, per doctrinam spiritus, per resurrectionem, per felicissimum suum ad patrem reditum. In his omnibus cunctis late mortalibus illius patere potuit magnificentia, uirtus, decor, splendor, sanctitas, omnipotentia. Immensissima quidem fuit uirtus crucis. Aut ego quidem quae non sunt somnio, aut absolutissimam Dei notionem in rudi illo, undequaque tamen suauitatem amoris spirante, stipite uidere mihi uideor. Ut caeteri e crucis diuitis afficiantur, ditescantque, nescio: ego in illa non minus Deum contemplari soleo, quam alii forsitan in tertio illo Pauli coelo, in quo quaedam humanis auribus plane inaudita & insolita se uidisse testatus est. Omne certe bonum in cruce Christi inesse sentio, simul ut ab illa Dei filium pendere, passimque infinitae suae sapientiae, uirtutis charitatisque liquorem etiam in hostes effundere conspicio. Id quidem sensisse Vatem puto, ubi tam amplam uerborum Dei magnitudinem referentium aggregauit congeriem. Scio equidem non mediocre diuinae esse prouidentiae ac splendoris signum, temperatas temporum mutationes, florentes item campos, fontes uiuidos, maria, foetus arborum, terramque uariis uestitam

fructibus atque animantibus, uentos, grandinem, nimbos, fulgura, solisque lampadem illam uniuersalem, lunam, stellas, addo & diluuaia, incendia, terraemotus, & uastos hiatus, famem, bella, pestem, atque innumeras prope animantium species tum in mari, tum in terra, tum in aere quoque degentium. Verum his omnibus quiddam maius ac splendidius est crux Christi. Tamen & haec & illa tanquam diuinae maiestatis potentiam ac bonitatem testantia, nostris praedicanda sunt posteris, non fabulae, non naeniae, aut quae ad morum corruptionem faciunt, commemoranda, quo & illi aliis in posterum enarrent, aliique aliis. Interea autem omnis pariter

{145.7} Memoriam abundantiae suauitatis tuae eructabunt, et in iustitia tua exultabunt.

En crucis summa, amor & fides. Suauitas quidem ad amorem attinet, iustitia uero ad fidem, per quam iusti effecti pacem habemus, ut inquit Paulus, ad Det. In uulneribus igitur Christi, in quibus suum habent nidum amor & fides, pernatat anima: unde suauitates illas spiritus ineffabiles a sponsi sanguine epotatas. quia exprimere nequit, eructat, atque e purissimo (ut sic loquar) stomacho uomit potius, quam ordinate porrigit. Hi nempe sunt affectus spiritus, ad quos quidem nanciscendos longo, atque adeo pertinaci opus est exercitio. Pertinaci dico, propter illos qui a spiritu in carnem facile dilabuntur. Delicata certe uia est crucis, &, ut ita dicam, morosa, quippe quae purgatissimum, firmumque postulat obsequium. Etenim hodie incredibili aduri flamma ad amorem crucis, cras uero aut ad summum perendie ad amorem mundi, defectionis animae a Deo signum est, ne dicam summae leuitatis argumentum atque amentiae. Quantos (pro pudor) in adolescentia ardere uidi, in senectute uero, quae propria sanctitatis sedes est, adeo refrixisse, ut plane ignem illum puerilem fuisse, atque ab animi leuitate profectum iudicarem. Quod si tamen optimum fuit exordium, & mature praemeditatum, uicti nihilominus itineris difficultate plerique, planiorem postea aggressi sunt uiam, atque ita spiritum extinguunt in turpissimam, cunctisque molestam incidere senectutem, non iam ut prius diuini

{pdf 894, p. 439}

amoris suauitatem eructantes, sed tristem crapulam, uinumque hesternum, aut, quod foedius est, meretricios amores & libidines: tantum abest ut quidpiam, quod oblocutiones, scurrilesque facetias non saperet, proferrent. Tali sene nihil ineptius uideri potest. Secus uero alii, de quibus hic loquitur spiritus, quod immensae Dei suauitatis, benignitatisque memoria plenis, ut aiunt, buccis eructantes in illius exultant iustitia, non in propria, quae nulla est, multo minus in dignitatibus huius mundi ac diuitiis, quae uitro fragiliores sunt, atque aura fugaciores: dicuntque, ut de re adeo sublimi & ineffabili dici potest, ac clamant:

**{145.8} Miserator & misericors dominus, patiens & multum misericors. /
{145.9} Suavis dominus uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.**

Non te confundat uocum repetitio, miserator, misericors, atque iterum misericors. Sic ex hebraeo mitius reddi posset: Clemens & misericors est dominus, lentus ira, multus

pietate: rursum bonus dominus omnibus, & miserationes eius super omnia opera eius, extendentur scilicet. Relucet, inquit, illius misericordia, quae uariis ostendi solet effectibus in cunctis operibus suis. De hisce quidem pietatis, clementiae, misericordiae, & bonitatis uocibus, quomodo uidelicet una sit Dei uirtus, quae multifariam in res effusa sit conditas, alias & crebro, prout suggestit spiritus, nonnulla diximus. Eae quidem particulae sunt numinis dotes, sed tardis animis uix per aenigmata cognitae quas tamen optime intellexisse Mosen arbitramur, qui duabus iterum excisis e saxo tabulis cum montem ascendisset, conspexissetque pertranseuntem dominum, exclamauit: Dominator, Domine, Deus, misericors & clemens, patiens, & multae miserationis, & uerax. Quod & nos etiam, si non eodem affectu, experientia saltem, atque rerum conditarum tum usu, tum cognitione sentire possumus. nanque cum sceleratiores in dies efficimur, modusque Dei iniuriis statuitur nullus, neque unquam uere ad cor redimus (celerius enim faciliusque ad ignem colliquescit adamas, quam cor in peccatis induratum ad poenitentiam) ipsum tamen tardissimum ad ultionem, celerrimum ad ueniam experimur. Verum illud miserrimum omnino, quod unde placabilem & pudibundum formare debuimus animum, asperiores fecimus, atque ipso ferro duriores impudentioresque, ac plane in ipsam Dei pietatem impium & saeuum. At ipse nihilo secius sic male a nobis habitus, ab uniuersali illo suo in res omnes influxu neutiquam cessat. Idcirco

{145.10} Confiteantur tibi domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi.

Aptius uertisset interpres per futurum, confitebuntur, & benedicent. Nam paulo post intulit, gloriam regni tui dicent. Sic Paraphrastes: Cum gratiarum actione laudabunt te domine uniuersa opera tua, praecipue autem sancti tui magnifice loquentur de te. Id proprium sanctorum officium est atque oblectamentum, Deum laudare, illique, quaecumque contingant in mundo, gratias agere. Nos contra, ipsum quidem cum nobis bene est, laudamus: cum male, excandescimus, atque illum reprehendimus. Neque ob id tamen ab erogandis donis benignissimus absterretur dominus, adeo sui amantissimus est figmenti. Celebrabunt itaque te suum creatorem omnia opera tua, siue inanima illa sint, siue animata: sed in primis electi, sanctitateque praediti, magnifice de te & gloriose praedicabunt. Insuper

{145.11} Gloriam regni tui dicent, & potentiam tam loquentur.

{145.12} Ut notam faciunt filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiae regni tui.

Opera quidem Dei suum magnificentiam conditorem, quando a creaturis mirabilia ac beneficis praedicatur. Coelum, terra, mare, sol, luna, sydera, prouidentiaque illa aeterna demum in creaturas late benigneque effusa, Deum suo in opificio mirabilem extitisse clamitant, naturalique sibi ingenito celebrant modo. Verum sancti Dei uiri non solum ea omnia cum caeteris admiranda esse fatentur, uerumetiam fide percipiunt ac retinent, cum interim dicat impius in corde suo, non est Deus: hique subinde regni Dei gloriam splendoremque, quam iustitiam & iudicium, seu aequitatem appellare mauis, esse iudico, confitentur, mirisque efferunt laudibus. Fatentur, inquam, in Dei regno, quae est illius Ecclesia, peccata gratis condonari, seruarique

{pdf 895, p. 439v}

electos ad uitam per Dei clementiam, ut qui gloriatur, in domino, non in se gloriatur. Fatentur rursus felicissimi istius regni potentiam, qua propria motus bonitate Deus, omnia facit, disponit, conseruat, punitque impios, & tyrannos deprimat, pios uero oppressos erigit, ac beatissimo suo recreat spiritu: & id quidem propterea, quo filios hominum, nempe rudes adhuc & mundo addictos, non prorsus istiusmodi regni Dei tum gloria, tum uirtus, tum, qua maxime oblectantur, misericordia, lateat. Nam certe

{145.13} Regnum tuum, regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.

Videtur hic mihi Vates illud dicere, quod uates alius postea de regno Christi uaticinatus est, dicens: Potestas eius potestas aeterna. Illud quoque coelestis paronymi ad Virginem: Regni eius non erit finis. Regnum, inquit, tuum in omnia extendetur secula, in cunctasque in tua regia prorogabitur potestas generationes. Infinitum tuum erit imperium. Et certe

{145.13} Fidelis dominus in omnibus uerbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.

Is totus uersus in hebraeo non inuenitur, cuius tamen is sensus esto: Dominus quidem suis in uerbis ac pollicitationibus uerax est, ac dignus cui constans habeatur fides. Sanctus rursus, atque adeo irreprehensibilis, ut nullam alicui iustae praebeat querelae occasionem. Id dictum esse puto propter ea quae sequuntur. Etenim nulla unquam tam remota a nobis fuit aetas, quin Deus miseros iuuerit, subleuaueritque ab impiorum tyrannide: ut uerissimum semper illud extiterit, quod in psalmi fine dicitur: Custodit dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet. Quare ut semper uerbis pollicitus est, reque praestitit,

{145.14} Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos.

Solent enim mundi huius potentiores ac principes, diuitibus tantummodo & fortunatis esse utiles, abiecta pauperum interim ac miserorum curatione. Contra uero Deus, illis plerunque contemptis, alleuat omnes qui corruunt, elisosque erigit & consolidat. Corruentes uocat spiritus illos, qui in uariis periclitantes aduersis, morti magis quam uitae sunt proximi. Elisos uero, seu, ut uertit quidam, incuruos, appellat morbo aliquo grauiori & egestate pressos, aut tyrannorum iniuriis atque odiis obnoxios. Ex hebraeo autem sic quidam transtulit: Fulcit dominus omnes qui casuri sunt, & erigit omnes collapsos. Miror nisi hic rubore suffundantur regionum, religionumque primates. Surdis ne canit spiritus? non audiunt. Idcirco, honesto atque aliis potius debito destitutus auxilio,

{145.15} Oculi omnium in te sperant domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.

{145.16} Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Benedictionem perinde ualere hic arbitror ac, abunde omne animal saturas. Quid, inquit, tam anxie tyrannos, illosque qui communia sibi uindicantes aeraria, nulla unquam habendi tenentur satietate, in subditam sibi plebem auarissimi & crudeles, sibi uero ac suis, de re non sua liberalissimi, pertimescitis? Ab illo enim qui cibum ubertim omnibus suppeditat animantibus, uestra expectanda sunt & spiritus & carnis alimenta. Si auari sunt pastores & indocti, ut magna in mundo est copia, nobis tamen qui pauperem atque aerumnosam sponte nos nostra potius uitam elegimus, quam uanam illorum felicitatem, deesse non potest deus, qui non auare, ut illi agunt, sed effusissime res suas porrigit, satiatque omne animal benedictione, cibo nimirum unicuique apto & idoneo, atque eo quidem ad uitae usum copiosissimo. Hic certe meam pungi sentio pusillanimitatem, ac frigidam de deo persuasionem & fidem. Quid mihi iam tandem (uah) istuc afferre potest incommodi, quod is aut ille iniquissimus rerum communium administer sit? quod unus sibi & suis tantummodo prospiciens caeteros negligat? alius uero neque se ipse, neque caeteros diligens, in sorde marcescat auaritia? Vtut hi suas abunde expleant cupiditate, id haud me praeterit, quod

{145.17} Iustus dominus in omnibus uis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.

{pdf 896, p. 440}

Est ferme idem, quod in alio dictum est uersu: Fidelis dominus in omnibus uerbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Et est tanquam epiphonema superioribus respondens Dei laudibus. Caeterum uiae domini in hoc loco sunt sapientissima illius consilia, cogitationesque & decreta, quorum uirtute cunctis, ut illorum expetit indigentia, opitulatur. Multa, inquit, dixi quae ad Dei laudes, tyrannorumque uituperationem facere iudicau: uerum quo piis tandem sed subtimidis consulam animis, dico iustissimum esse dominum ad omnes, ac suis cunctis in actionibus sanctum, blaneque [sic, plane] beatum. Ideo

{145.18} Prope est dominus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate.

Permagna hic omnibus iniecta est electis consolatio, quandoquidem prope illis esse dominum, utcunque procul absint homines, affirmat spiritus ille, qui uerax est, & de quo illud canitur uaticinium: Spiritus meus erit in medio uestri. Proinde nulla pertimescenda est rerum mundanarum inopia, aut aduersitatum copia. Prope est iustus meus clamat ad timidos Deus in Esaia egressus est saluator meus. Sed & prope est interitus Moab. En quanta armantur fide cedentes: en quam efficaci, firmaque promissi auxilii spe fulciuntur hi, qui serio, non subdole & frigide diuinum implorant subsidium, Sic quidam ex hebraeo hunc uersum transtulit: Dominus adest omnibus qui se inuocant, dummodo inuocent ex fide. Fide igitur opus est in petitionibus quae Deo fiunt: alioqui nullus rogatarum rerum sperari poterit effectus nisi confusus, & qui mortem animae afferre consueuit. Nam foediorum quendam in modum diuina offenditur maiestas ab his qui haesitantes orant, quam ab his forsitan nihil omnino. Omnibus igitur illis

duntaxat, qui invocant eum in veritate, spe videlicet ac fide exorandi quae petunt, praesto adest dominus, qui

{145.19} Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.

Clare exprimit, quid sit haud procul esse dominum ab his, qui hypocritarum nequaquam more orare consuescunt. Optata, inquit, illorum faciet dominus, qui puro uenerabundoque & fideli, res suas cum orant, exponunt animo. Domine, inquit ille, non sum dignus leuare oculos meos ad coelum. O immensam certe erga miseros, seque agnoscentes, Dei facilitate. Vide quid inferat scriba ille sanctissimus: Et descendit, ait, iustificatus prae illo, qui sua secum insolenter annumerans merita non Deum orauerat, sed se ipse laudauerat. Puto Pharisaeum illum, sordidum aedes sacras ingressum fuisse, sordidissimum uero discessisse. Illorum itaque uota coelestis admittit pater, qui in humilitate, timoreque illo, qui filiis conuenit, orant: hos audit, hos seruat, hos, quantacunque incidant mala, uult esse incolumes. Siquidem

{145.20} Custodit dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet.

Perpendis ne copiam, & eam quidem elegantissima in Vate hoc nostro? Prius enim Dei filios in ueritate deprecantes appellauit, postea uero Deum timentes, nunc demum amantes nuncupat. Eae nempe praecipuae sunt animae dotes, quae nihil charius habet in hoc mundo, quam quomodo superuacaneo spreto curarum tumultu, Deo per amorem uniatur. Haec est uoluntatis Dei summa, quod se amantes amat, seruat, tutaturque, ac beat tandem. Contra uero peccatores, hoc est, qui sponte sua mali sunt, & qui in peccatis non tantum perseuerant, uerumetiam oblectantur, ac suum more uoluntur, a sese abigit Quocirca diuino destituti patrocino, in omnem prolabantur uitae turpitudinem, traditique in mentem reprobam, infelicissimo degunt uitae genere, etsi felices in terra esse uideantur. Non est quidem ferarum laniatus cum illo aequiparandus, quo illarum laceratur conscientia, qui pessime sibi conscii sunt, quique cum nulla affecti sint spiritus suauitate, in sceleribus facile obbrutescunt: id est enim hominem a Deo, ut canit Vates, disperdi. Quod sane cum mihi in memoriam uenit, ab imis unguibus usque ad uerticem totus cohorresco. Video nescio quid in me, tum in his quos aequae atque proprium diligo cor, non omnino ab hoc periculo tutum. Ut uero uideant alii, haud mea multum interest scire: quantum ad me attinet,

{145.21} Laudationem domini loquetur os meum.

{pdf 897, p. 440v}

Quid os tantummodo? Egone qui & ore, & corde, & animo, in Deum non multo pridem iniurius fui, nunc demum ad gratiam ascitus, os solummodo tam immensi beneficii testem esse patiar? Laudes itaque indefesse dicat os, dicat cor, dicat anima, dicantque uel ipsi minutissimi corporis mei nerui & arteriae. Totus enim cum mundus factus sim, qui non totus quantus quantus sim, in diuinis occuper laudibus? Id quidem aueo, id quaero, id non tantum a me fieri expeto, petoque a coelesti patre, uerumetiam ab

omnibus id fieri creaturis maximopere efflagito. Quare, quicquid conditum est suum laudibus efferat conditorem.

{145.21} Et benedicat omnis caro nomini sancto eius in seculum & in seculum seculi.

Omnis uiuens, inquit. At ego inanima quoque addo, ut sunt, sol, luna, astra, plantae etiam, atque ipsa inertia montium saxa & cotes, suum celebrent effectorem, atque sanctissimum illius nomen, uel usque ad coelum condignis euehant panegyricis in perpetuum, & si quid ultra est. Amen.

PSALMVS CXLVI. Halleluia.

{146.2} Lauda anima mea dominum, laudabo dominum in uita mea, psallam Deo meo quamdiu sum.

Is eiusdem est argumenti psalmus, cuius est praecedens, eo excepto, quod in hoc peculiariter nos admonet Vates, nullo modo hominem in homine quamlibet principe & magno, sperare debere. Eo quidem ipso quod homo est, mille uitae huius miseris est obnoxius. Tametsi enim diuites sint homines & potentes, possunt ne seipsos ineuitabili fortunae uulnere reparare? possunt ne, inquam, continua mundi infortunia deuitare? Quod si possunt, quanquam impossibile id omnino, possuntne mortem? Velint nolint, illorum demigrat spiritus: quo sane abeunte, tunc studia illorum omnia, curae deliberationesque, & quicquid moliebantur interit. Itaque in domino, cuius potentia summa est, immensae opes, uis infinita, quique & coeli, & terrae, & maris, & omnium omnino rerum effector est sapientissimus, atque earundem tutor & conseruator, sperandum esse condita omnia proclamant, nedum mens humana, ad peruestiganda coelestia a summo opifice formata. Haec fere summa est psalmi. Quod uero oppressos ulciscitur, collapsos erigit, uictumque cunctis uiuentibus suppeditat, uinctos a carcere & catenis asserit morbo fractos consolidat, atque hospitibus tandem, pupillisque ac uiduis, nempe miserorum turbae subuenit, id omne ad prouidentiam illius aeternam, qua cuncta suo procedunt ordine, referri debet: nisi malis speciali quadam praerogatiua mortalium naturam a Deo, ut facta fuit, sic seruari, atque ad feliciorum uitae statum, quam is praesens sit acciri & disponi. Quam quidem rem considerans Propheta, timensque ne mens in rebus hisce nihili occupata creatoris amorem in creaturas retorqueret, illam pene sopitam dormitabundamque, blandiusculis inuitat uerbis, dicens: Lauda anima mea dominum. Mea animula, inquit, uagula, delicatula, quid in imis uersaris? quo tuum destinasti amorem? infelix. Quid, oro, in terris est, quod admodum laudare debeas, & admirari? quid putas inueniri posse in hoc mundo, quod tuum non quaerat interitum? Quod te non deprimat? quod tetra tuam non obducat caligine dignitatem? Agedum te tandem in diuersa dissipatam collige, rebusque hisce caducis, quibus sane omnibus longe melior es, neglectis, tuam inspice nobilitatem. Quid tam altum, sublimeue in toto terrarum orbe, quod uel cogitatione comprehendi, uel cerni oculis possit, quod te inferius non sit? Id ne tanquam Deum laudabis? non credo. Dominum igitur pulcherrimarum rerum autorem lauda & admirare, mecumque delibera, & dic: Laudabo dominum in uita mea, psallam Deo meo quamdiu sum. Id firmum esse debet hominis propositum, ut Deum quoad uixerit, tum ore, tum optimis,

quae a charitate uitaeque sapientia & candore proficiscunt, actionibus referat. Ea quidem uera est in primis Dei laus, quam ante omnia ab homine requirit Deus, a templis exigit, a mundo quoque uniuerso, ut solent foeneratitiae pecuniae, uel inuitis dominis, extorquet. Adeo salutis hominum generaliter amantissimus est deus. Quocirca tempus laudandi dominum tota haec est uita. Vnde non iniuria clamat Vates: Laudabo dominum per omnem uitam meam, ipsique Deo meo usquedum uixero, cantabo psalmos. Donec, inquit, halitus in me fuerit in diuinis occupabor lau-
[laudibus]

{pdf 898, p. 441}

-dibus. Sanctissimum certe animae uotum, dignumque quod serio nuncupent hi, qui nihilominus fatentur sese in laudando Deo occupatissimos. Admonuisse non inutile fuerit. Laus quippe Dei, quod alias diximus, omni ex parte synceram requirit hominis uitam, fidemque unam in illo fixam solummodo, quem toto uitae nostrae curriculo laudare intendimus: Quamobrem aptissime addita est a spiritu generalis, quae omnes tangit, omnes admonet, omnium uellit aures praeceptio, clamatque ex alta ueluti specula Deus: O qui sublimem iustitiae montem ascendere contenditis, quique ex ima hac uestra aerumnarum ualle extrahi desideratis,

{146.2-3} Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.

{146.4} Exhibet spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Aut uertendum erat, in filio hominis: aut, exhibit spiritus eorum. Sic Felix in filio hominis, in quo non est salus. Quanta uis, inquit, potentia praediti sint homines, mortales tamen sunt, proinde instabiles & uarii, uariaque illorum salus & infirma. Haud secus enim in illis tua firmanda est spes, o homo, atque solent in glacie uestigia firmari. Si gelu quidem lapsantibus securitatem bona pollicetur fide, ita uos uobis inter uos fidere permitto. Vos hortor, ut uana & caduca spe hominum contempta, in me solo sperare condiscatis. Vide hic, oro, quam prudenter nos Vates a spe in homine collocanda deterreat. Nam posteaque principi mentionem fecit, actutum addidit, in filio hominis, nos interim ad fragilem illorum naturam consideranda excitans. Quamlibet, inquit, potentes hi sint & diuites, sunt tamen homines, sunt mortales, sunt caduci, & qui ne sibi quidem auxilio esse possunt. Siquidem dicto factum illorum auolat spiritus: ipsi uero in terram, unde formati sunt, relabuntur: atque hoc modo in ipso mortis tempore omnia illorum peribunt consilia, deerit fauor, cessabitque hodie potentia in illo, qui heri cunctis formidini fuit ac terrori. Heu uanissima omnium fere mortalium consilia. Putas ne illos meae patriae ciues, ad quos tanquam ad triarios, res cunctae omnino a principe, alioqui natura gratioso, atque, ut tota illa est familia, ingenuo & liberali, reiectae fuerant, pensi aliquid de futuris habuisse euentis, cum principis facilitate abusi, illud sibi in rebus administrandis conciliarunt apud ciues odii genus, ut mortuum ex dysenteria principem, illi haud multo post, fato tamen diuerso, sed uiolento & miserando, secuti sint? Quae (pro Dei fidem) exempla, percupidos, importunosque in rebus publicis magistratus mouere possunt, si haec non mouent? Non igitur illi beati, ut forsitan fortunae risu decepti sibi persuaserant: sed

{146.5} Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in domino Deo ipsius.

{146.6-7} Qui fecit coelum & terram, mare, & omnia quae in eis sunt, qui custodit veritatem in seculum.

Magno profecto inter se distant interstitio, Dei potentia, uirtus, bonitas, magnitudo, & quaecunque in homine quamuis in terra beato esse possunt, cum Deus quidem omnipotentissimus sit, fortissimusque omnium & sempiternus: homo bulla est, infirmus, mortalis, ac, siue is princeps sit, siue rex, aut imperator, nihili. Vanissima itaque spes ea est, quae in tam tenui ponitur recula, ut homo est: firmissima uero, quae in Deo. Quare hic clamat Vates: Felix nimirum, atque iterum felix is est, cui Deus Iacob, Deus, inquam, ille quem sanctae colunt animae & adorant, est praesidio, cuiusque fiducia solum domino Deo suo, non conseruis se interdum debilioribus, nititur: qui Deus coeli autor est, terraeque, marisque, atque omnium omnino rerum quae in illis insunt, conditor. Idcirco infinitae illius sunt diuitiae, opesque immensae, atque incomprehensibilis illius ad omnia fides ac prouidentia, nempe omnia quae condidit perenni salutarique gubernantis ratione, uiuificantis, adaugentis, seruantisque incorrupte. Unde additum est: Qui custodit ueritatem in seculum. Et

{146.7} Qui facit iudicium iniuriam patientibus, dat escam esurientibus.

{146.7-9} Dominus soluit compeditos, dominus illuminat caecos, dominus erigit elisos, dominus diligit iustos, dominus custodit aduenas.

{146.9} Pupillum & uiduam suscipiet, & uiam peccatorum disperdet.

In limine haec quidem omnia domorum principum, atque aliorum, quorum interest res urbium regionumque administrare, inscribi debent: melius dicerem in corde. Tametsi

{pdf 899, p. 441v}

enim ad omnes uulgo homines spectare uidentur, ad illos tamen in primis attinent, qui uice Dei caeteris praesunt. Eae certe uerae illae sunt operationes, quae ei promerentur gratiam, quibusque omissis mirum quam inexorabiliter in nos seuerissimus animaduertat dominus. At uide quid in totius enarrationis capite affixit Vates. Deus, inquit, est qui oppressorum iniurias ulciscitur, statque in acie pro calumniis passis tanquam imperterritus uindex. Quid postea? Victum omnibus, tum mentis, tum uentris, modo cibum appetant, ab eoque opperiantur, largissime impartitur. Soluit insuper in carcere detentos, uinctisque manicas non tam ferreas, quam in corde effoeminatas laxat. Caecis uisum, non solum corporeum, uerumetiam spiritualem elargitur: collapsos, afflictosque, quod non faciunt nostri proceres, erigit, sustentat, recreat, iustosque omnes, qui sibi fidem adhibent, deamat, ac tandem hospitem, peregrinorum, pupillorum, uiduarumque, ac caeterorum id genus desolatorum curam habet indefessam, illosque utpote ab aliis reiectos suscipit, fouet, exosculatur, beat tandem. Contra uero, uias impiorum erroneas, consilia uidelicet, instituta, machinationes, temeritatem, fundet, dissipabitque, ac, uti res solent leuissimae, disperdet. Atque ita uictor

{146.10} Regnabit dominus in secula Deus tuus Sion, in generatione & generationem. Halleluia.

In hoc ultimo uersu sempiternum Dei esse regnum canit Propheta, illudque Sion, tanquam praecipuo religionis domicilio congratulatur. Ex eiusmodi quidem contemplatione immenso afficitur gaudio mens nostra, speque erigitur in illo, qui esse aeternum nouit. Caeterum ab aeterno, quid nisi aeterna expectari possunt? Aeternus igitur cum sit benefactor, aeterna quoque esse beneficia necesse erit, aeternam protectionem, aeternam salutem, aeternam uitam. Ait itaque: O Sion, o sancta Hierusalem, o Dei sponsa, nutantem iam tandem collige animum, siquidem dominus ille, ut dixi, tam potens, tamque tui cupidus & amantissimus, Deus, inquam, ille tuus, hoc est, quem tuam esse felicitatem, uel sero, intellexisti, regnabit in aeternum, aliusque protectio in generationem a generatione ullo absque unquam fine prorogabitur. Cui laus sit in secula seculorum. Amen

PSAL. CXLVII. Halleluia.

{147.1} Laudate dominum quoniam bonus est psalmus. Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio.

Rursus, ut in proxime praeteritis egit psalmis, accingit se ad Dei laudes beatissima Vatis anima, quod facile absque alia lectoris admonitione ex titulo comprehendere potest. Nihil certe tam amantis animum delectare consuevit, quam cum crebra illius laudandi quem amat, offertur occasio. Vnde iucundissimum id esse solet spectaculum, intueri, ut interdum intueor, hilari quempiam tum ore, tum animo, quaecumque agi contingat, exclamantem: Semper laus eius in ore meo. Quem unquam sermonem alium? imo uero quam actionem? quos mores tam gratos aut cernere, aut audire possumus, quam illi sunt, qui Dei laudes referunt? E contrario quid tristius? quid, quod animum candidum tam efflictim laceret, prosternatque & conturbet, experimur, quam sermones noxios & illiberales? Blasphemi uero atque oblocutoris uerba quo nomine appellare, aut qua arte exprimere debeam nescio: quandoquidem ipso suo horrore & turpitudine omnem superant dicendi uim & copiam. His proinde, caeterisque, qui instrumentis eiusmodi idcirco homini datis, ut suum laudet opificem, abutuntur, omissis, animam diuini honoris studiosissimam audiamus, ita caeteros adhortantem: Laudate dominum quoniam bonus est psalmus, Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio. Sic Felix: Laudate dominum, quoniam bonum est psallere Deo nostro, quoniam iucundi, decora est laus. Ex eodem item fonte ita alius: Laudate dominum, quoniam bonum est canere deo nostro, atque iucundum, optabilis est laus. Vide quam suauibus appelletur uocibus Dei laus: decora, inquit, est, pulchra, decens, optabilis, amoena: quae quidem nomina laudi nequaquam illi adulatrici, quae fit principi, aut turpi, quae fit scorto & adulterae, conuenire arbitror, cum e contaminatissimo proficiscatur affectu, cordeque mire anxio & perturbato. Bonum itaque, imo optimum omnium est psallere, ut nos facimus: sed Deo: canere item, sed Deo: laetitia affici, gestire & exultare, sed Deo, non lenae,

& meretrici. Quod sane fit, cum cor in his tantummodo, quae Dei honorem repraesentant, occupatum, os alioqui mutum atque iners ad promendas Dei laudes assuefacit retorquetque a praua loquendi futilia, atque ut ea uocat Christus, ociosa consuetudine, ad castos Dei sermones & uiuidos, ut olim edocta fuit uirgo illa celebris diui Benedicti soror, ad quam de more e summo Casini uertice, in quo amplissimum exaedificatum erat coenobium, ut nunc quoque est, ad planitiem, in qua secretissimus quidam erat secessus, nympharum quidem coelestium domus, descendere consueuerat. Quid putas? tesseris ne ut luderent, aut bacchantium more pergraecarentur? Vt de quomodo uirgo tam sanctum fratrem iamiam cum suis ad montis ascensum se accingentem compellat, obtestaturque: Quaeso te frater, inquit, ut ista nocte (iam totum diem in Dei laudibus, sacrisque colloquiis ad noctem usque produxerant) non me deseras, ut usque mane aliquid de coelestis uitae gaudiis loquamur. Felix pectus & beatum, quod diuino exaestuans incendio, a Deo, quod a fratre negabatur, obtinuit. Videor enim uidere, cum haec scribo, aut aliquando locum semidirutum inuiso (uix parua extant ueteris illius lararii uestigia) inter senem & puellam ardentissimas, tanquam duobus igneis simul collisis lapidibus, in suis illis colloquiis felicissimoque congressu, emicare diuini amoris scintillas, cordaque illorum ex beatissimis illis sermonibus a corporeis euulsa fibris in coelum rapi. Quem quidem effectum in illis minime locum habere sat scio, qui non noctem unam atque alteram cum die, sed menses integros, annosque, ac totam demum suam aetatem in scurrilibus consumunt tum iocis, tum ineptissimis facetiis & moribus ita dissolutis, ut illam nunquam mei pastoris legisse prae se ferant admonitionem: Scurrilitates, inquit, uel uerba ociosa, & risum mouentia, aeterna clausura in omnibus locis damnamus. Aurea profecto institutio, atque euangelicis consentanea praeceptionibus. Quid ni igitur laudes illius pure, ab omnibus, ubicunque degant homines, pro fabulis, uanisque naeniis, persolui efflagitemus, qui tam ardentem nostram diligit salutem? Ipse quippe est

{147.2} Aedificans Hierusalem dominus, dispersiones Israelis congregabit.

Apertius uertisset interpres, si sic ex hebraeo uestisset: Dominus aedificat Hierusalem, dispersos Israelitas congregabit. Hic Vates ad ueterem illa Hierusalem instaurationem post reduces a Babylonico exilio Iudaeos alludens, Ecclesiae effigiat exordia. Iam, inquit, uideo praesentiscoque Deum diruta Hierusalem moenia instaurantem, aedificantemque meliora: ad haec, afflictas Israelitarum reliquias passim per orbem dispersas, in unum, quo tandem unus unis sit pastor ouilis, colligentem. Id quoque praeuidit Esaias, quando in suis de Ecclesia uaticiniis illud addidit: Congregabit [sic] profugos Israel. Quales uero futuri hi essent Israelitae, alio in loco aperit. dicens: Congregamini, uenite, & accedite simul, qui saluati estis de gentibus. En ecclesiae sagena peregrinis repleta piscibus. En libertas filiorum Dei, quibus data est requies, ut ait Oseas, ut quiescant paulisper ab onere regis & principum, nempe a mundi tyrannide, atque immiti hominum imperio, cui fere ueri obnoxii sunt Israelitae, qui in spiritu, non in carne circuncisionem profitentur. Atqui si Dei manu instaurata fuissent urbis illius moenia, quae prophetarum, atque adeo filii Dei interemptrix fuit, adhuc suum seruaret decorem, extaretque ciuitatum omnium pulcherrima, ut modo extat Ecclesia, cuius typus illa fuit, manerentque etiamnum reliquiae illa Iudaeorum incorruptae. Verum aliam exaedificanda fore Hierusalem, aliudque templum reformandum, quam illud fuit a Chaldaeis excisum, atque alios colligendos Israelitas ab illis, qui dicturi erant, Super

flumina Babylonis, illic sedimus & fleuimus, praeuidit Vates. Ecce, inquit, noua facio omnia. Noua itaque deducenda erat sponsa, nouae constituendae nuptiae, noua erigenda conclauia, nouum tandem construendum aedificium: atque haec quidem omnia in humano perficienda fuerant corde, quod postea breuissimo expressit Paulus, Corinthiis scribens, apophthegmate: Vos estis templum Dei uiui. Ecce in quam paruum desiit reculam acruus ille templi ueteris caeremoniarum, uictimarumque, laboris nimirum ac defatigationis propemodum infinitae. Cor igitur humanum rerum omnium illarum in spiritu

{pdf 901, p. 442v}

capax factum est, cuius structura amore deliniatur, fide construitur, sed Dei clementia perfectissimam nanciscitur formam. Ipse quidem est, haud ars nostra, uel ingenium,

{147.3-4} Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina uocat.

Contritos corde, uocat summe afflictos & deiectos. Caeterum alligat uerbo propterea usus est, quoniam uulnera, quibus medemur, institis fasciisque diligentissime a medico stringi solent, ac quo dolor mitigetur, concinne admodum obligari. Unde sic Paraphrastes: Qui sanat eos qui fracto sunt animo, & leniter curat dolores illorum: quique numerum plane infinitum stellarum supputare solitus cum sit, atque illarum singulas suis appellare nominibus, perfectissimam rerum cognitionem in se esse testatur. Siquidem quibus nomina imponimus, ea nobis sunt nota. & erit sensus: Eadem facilitate, minori etiam, posse Deum dissipatos per regiones Israelitas in unum coire facere, qua sparsas per uastiores multo regiones coeli stellas, alioqui innumerabiles, numero complecti. Sed de aeterna hic proborum electione, quorum nomina scripta sunt in coelis, uerba fieri arbitrantur nonnulli, de quibusque sic diuus Deum alloquens edisserit Augustinus: Quos tu tibi elegisti de multis in templum sanctum tuum, ipsos mundas, effundens super eos aquam mundam, quorum nomina, numerumque tu nosti. Quocirca cum purissima Vatis anima exclamare liceat:

{147.5} Magnus dominus noster, & magna uirtus eius, & sapientiae eius non est numerus.

Felix, atque adeo caeteri uertunt ex hebraeo: Intelligentiae eius non est numerus seu mensura. In idem tamen recidit sensus. Siquidem mens est Vatis, Dei potentiam, qua suos seruare potis est, rursusque sapientiam, qua uias ad id perficiendum probe callet, extollere. Unde confestim addidit:

{147.6} Suscipiens mansuetos dominus, humilians autem peccatores usque ad terram.

Est idem fere, quod in superiori cecinit psalmo, dicens: Dominus erigit elisos. & non multo post: Viam peccatorum disperdet. Mansuetos appellat illos, qui aequo placatoque animo ferunt aduersa. Et tunc quidem illos aequabiliter, toleranterque idcirco res ferre aduersas asserimus, quoniam illis fauet numen, suscipitque eo plane modo, quo a

medico, aut parentibus grauius aegrotantes solent suscipi liberi atque refocillari. Caue-
putes minorem esse in Deo erga afflictos & peccantes commiserationem, quam illa est,
qua afflictim commouentur in filios patres morbo aliquo grauiori pressos. Imo hanc
patrum curam nullam omnino esse prae illa, qua Deus assidue lapsantes in uia iustitiae
sustentat, non desunt qui experiuntur. Afflictos itaque, aerumnosos, in turpitudinemque
aliquam peccatorum delapsos patientissime tolerat, illisque, ne in pressuris desperent,
secretissimis non cessat illud insusurrare monitis: Ego sum, nolite timere. contra autem
superbos innocuorum persecutores, atque in secundis fortunae euentibus elatos, deiicit,
prosternitque penitus, atque eo allidit modo, quo res solent uitreae in terram proiectae
collidi. Ergo cum haec fore persuasum habeamus,

{147.7} Praecinite domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara.

{147.8} Qui operit coelum nubibus, et parat terrae pluuiam.

Qui producit in montibus foenum, & herbam seruituti hominum.

**{147.9} Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus
eum.**

Hac quidem uocum naturalium annumeratione innuere uult Daud, nostris in
calamitatibus, uel quas persecutores irrogant, uel quas aeris inclementia, atque
coelorum intemperies deuehit, nullatenus despondendum esse animum. Siquidem
aeterna Dei prouidentia, quae minutissimarum etiam rerum curam habet, non potest
res suis amicis necessarias atque opportunas, non affatim suppeditare. Canticum,
inquit, quod laudes, gratiarumque actiones resonet in cithara, sono nimirum
suauiissimo, Deo nostro praecinite. Ipse enim, cum nobis est commodum, tegit coelum
nubibus, tonatque, atque inde aquas praeparans imbrem omnibus gratissimum etiam in
siticulosos perpluit montes, unde herbae egerminant, uersicoloribusque loca illa arida &
inculta conuestiuntur floribus, atque diuersi generis oleribus ad usum ho-
[hominis]

{pdf 902, p. 443}

-minis foecundantur. Ad haec cuncta terrae animalia suo cuiuslibet apto naturaliter cibo
enutrit: quia & coruorum pullis a matre destitutis, conuenientissimam illi aetati
subministrat escam, id agens (opinor) illorum miserans crocirationem, questusque
lamentabiles, qui uotorum loco ac supplicatione a patre exaudiuntur aeterno. Ferunt
enim coruum uiso partu degeneri (albi nascuntur coruorum pulli) indignabunde
auolare, nidoque derelicto suum execrari foetum: quem tamen cum implumis sit, atque
ad quaerendum pastum inutilis, nocturno pasci rore, uermiculisque nido
subnascentibus, mirabili Dei prouidentia nutricari asserunt. Res mira sane, atque
quidem, quae omnem superet bonitatis modum. Unde non immerito, in superiori
dictum est uersu: Et sapientiae eius non est numerus. Verum neque absque mysterio de
coruis facta est mentio. Contra omnino coelestium rerum naturam uidetur, teneras in
fide adhuc animas diuino alii posse edulio, nisi eas mater deserat, antiqua nimirum
peccandi consuetudo, ac lex peccati: qua quidem a conscientiae nido & domicilio, nostro
laesa candore, abeunte, a Deo mens pascitur, coalescitque in spiritu. Sed alii haec
uideant, nos ad institutum. Semel enim discipulorum anxiam quaerendi uictum
solicitudinem castigans Christus, coruorum adduxit similitudinem, inquiens:

Considerate coruos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos: quanto magis uos, qui pluris estis illis? Considerate, inquam, lilia, quomodo crescunt, quomodo non laborant, quomodo omni uacant uitae cura & anxietudine. tardos in credendo animos. Iob quoque inter miranda diuinae prouidentiae consilia & res gestas, coruum interserit esurientem, facitque Deum interrogantem in hunc modum: Quis praeparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad eum uagientes, eo quod non habent cibum? Istiusmodi itaque argumento, quo usus est Christus de coruo, foeno & liliis, usus est & Vates. Modo surdis haec decantata non sit fabula, summa certe infidelitate infectus est orbis uniuersus. Dic, te oro, colitur ne Deus syncere, ab his etiam qui culto Dei profitentur? Id nego. quid uulgus aget? quid simplices mulierculae? unde tanta ortum habet concupiscentiarum rabies? unde auaritia? unde insaturabilis illa habendi scis? Vin dicam? a fidei penuria, speque omnino in hisce caducissimis mundi rebus prostituta. Iam illud annotandum, serui uti hominum, non inueniri in hebraeo, sed sic duntaxat, ut uertit Felix: Qui facit germinare montes herbam. ita & alii.

{147.10} Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibiis viri beneplacitum erit ei.

{147.11} Beneplacitum est domino super timentes eum, & eis qui sperant in eo.

Tibias hic poni pro fortitudine non est ambigendum, ne quis instrumentum nescio quod, musicum imagnetur. Est enim tibia, quae a genu incipiens ad malleolos usque protenditur: cuius partes sunt, crea ac sura. Igitur pro eleganti hic hominis gressu ac robusto ponitur. Vult Vates syncerioris nos admoneri fidei ac religionis, quae potissimum in illo uim habet, quod persuaderi nobis patiamur nulla illam externa mundi gloria aut ambitione delectari. cuius sane rei imaginem perbelle equorum adumbrat superbia, atque arduus ille, cum e stabilis educuntur, hinnitus: uir item alto gradiens passu, atque in digitis obambulans, signum nimirum ut fortitudinis, ita uani, elatique animi & gloriosi. Hos uersus elegantissime sic reddidit Paraphrastes: Fortitudinem equi nihili faciet, nec quae uidentur esse fortia crura uiri ad amorem inuitabunt illum: sed amat dominus, qui reuerenter colunt eum, & qui spem ponunt in clementia ipsius. Et sic uides, voluntatem beneplacitumque, pro amore hic usurpari. Non illius, inquit, amor in his transitoriis occupatur rebus, neque illos qui istiusmodi fidunt rerum inanitati amare potest. Verumenimvero tota illius uoluntas, amorque totus & cura in illos solum directa est, qui metu filiorum more uenerando affecti, spem suam omnem in illius collocant misericordia. Hi quidem Deo grati sunt caeteri infensi. Cui laus sit in secula seculorum Amen.

{pdf 903, p. 443v}

Divisio secundum nostros.

{147.12} Lauda Hierusalem dominum, lauda Deum tuum Sion.

Omni sublata in his quae dicta sunt, diffidentiae origine, rursus Hierusalem, nempe proborum multitudinem, & Sion, quo Deum laudibus concelebrent, hortatur: dicitque

Deum illius offirmaturum portas, ciuibusque benefacturum, pacem insuper, annonaque abundantiam suppeditaturum. Ex coelestium quidem donorum commemoratione, Dei laudem elicere conatur Vates: alioqui certe ignaua adeo mortalium est natura, ut raro ad diuinum laudandum nomen, nisi praemiis illecta, excitaretur. Vtinam & sic quoque. Desunt ne in mundo, qui gratiarum actionum loco blasphemias referunt? Non est scelus, modo eluceat tantillum commodi, quod non aggrediantur homines. Clamant coeli, sol, luna, sydera, elementa, laudandum esse Deum: & quod quidem clamant, re quoque ipsa exhibent: nec est in rebus conditis, quae a praefixo sibi ordine, legeque naturae, uel paululum aberret. Solus homo animantium omnium ingrattissimus, in suum creatorem iniurius inuenitur. Solus, inquam, homo a praescripto Dei mandato etiam (malum) a conditarum rerum exordio discessisse repertus est. Qui istiusmodi uiuunt uitae genere, quique adhuc a facie Dei ambulantis in paradiso post meridiem, tanquam stolidus Adam, se occultant, hic retracti a fuga inuitant, ut omissis in Deum iniuriis, excussoque reatum onere, ac reiecto in Christum, atque omni prorsus eliminata diffidentiae caligine, ad lucem, ad ueniam, ad uitam confugiant, nouaque laudum cantica pro antiquo uae Deo dedificent. Ait ergo: Hierusalem, quid Deo pro beneficiis reddere non erubescis iniurias? pro amore odium? pro gratia damnum? lauda honoraque dominum, lauda, inquam, Deum tuum o Sion.

{147.13} Quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.

Haec est effigies Ecclesiae, cuius filii et cives, sanctorum sunt animae. Seras posuit pro uectibus, quibus serari solent portae atque obfirmari. Tutam urbis custodiam hac uoce denotat. Rursus abundantiam, cum dicit, Hierusalem ciues, seu liberos, a domino benedicendos: quod magis exprimit in sequentibus.

{147.14} Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumentis satiat te.

Felix profecto ea est ciuitas, quae nullo affecta bellorum incommodo ac sectarum, rebus illis, quae ad uitae usum ac lautitiam attinent, abundat. Contra autem longis afflictis praeliis ciues, atque inter sese dissidiis consumpti, etiam rebus uitae necessariis plerumque carere uisi sunt. Verum ut huiusmodi rerum humanarum exitia a peruersis ciuium animis oriri solent, ita salutem a benignissimo domino proficisci non est qui dubitet. quare a spiritu dicitur: Qui posuit fines tuos pacem: hoc est, non solum intra urbis moenia pacem, concordisque ciuium animos esse uoluit, uerumetiam in omnibus late finibus, conterminisque locis & regionibus. Hincque illud quod sequitur euenire necesse erit, locorum scilicet incolas rebus omnibus affluere, non tantumque pasci a domino, sed opipare pasci. Adipem enim frumenti pro similagine, nempe farina cribro tenuissimo extracta, idcirco candidissima & delectabili, posuit. hanc sane tritici medullam appellare soliti sunt hi, qui furnariam exercent. Delicatissimo itaque istiusmodi panis genere, rerum omnium lautarum copiam intelligi uoluit Propheta. Quae tamen omnia ad interiorem quoque opulentiam relata, mirum quam iucundo afficiant gustu animam. Et ut breuiter dicam, adeps hic tritici, Dei est uerbum, quod diligenter ab haereticorum furfure secretum, mirabilem illum in corde panem, qui de coelo descendit, quoque refocillantur animae, atque in eo uiuunt, conficit. Unde subinfert Vates:

{147.15} Qui emittit eloquium suum terrae, uelociter currit sermo eius.

Cum iubet, inquit, illi subito dicto parent omnia: nam summa currit uelocitate sermo eius: hoc est, quod iusserit, quodque uoluerit effici, efficitur illico. Per id signatur, felicitatem huiusmodi non diutius suspendendam, quippe qui solo uerbo, quaecunque uult, efficere potis est. Quod sane in niue, pruinaque & grandi-
[grandine]

{pdf 904, p. 444}

-ne, quam ueluti buccellas quamprimum e coelo deiicit, uidere licet. Quare sequitur:

{147.16} Qui dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.

{147.17} Mittit crystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit?

Pruinam sicut cinerem spargit, uertunt ex hebraeo, & apte quidem: nam nulla est cum cinere similitudo nebulae, quae uelum potius, aut tentorium, si densior est, prae se fert, quam cinerem. Pruinae uero quadrat magis comparatio. Sic Paraphrastes: Qui tribuit niuem similem lanae, & pruinam tanquam cinerem dispergit. Caeterum crystallum neque ex graeco, neque ex hebraeo uerti debuit, sed glaciem aut grandinem quae globulis quibusdam frigidissimis instar buccellarum, utpote glacie concretis, e coelo repentina aeris mutatione ac nimbo erumpere consueuit. Verum ex gelu quoque uehementiori nasci formarique crystallum asserunt: sed non in atre, ut grando, sed potius in locis ubi perpetuae fere sunt niues, ac gelu. Iam illud admirandum diuinae potentiae argumentum, aquas aestiuo tempore congelascere, formarique buccellas illas non longe a terra plerumque a Syrio perusta frigidissimas: & has quidem tanta celeritate atque impetu, ut anteaquam animum aduertat, sata una interdum cum uineis populata, syluasque frondibus denudatas expostules. Quid rursus? (mira res)

{147.18} Emittet uerbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius & fluent aquae.

Iubente, inquit, domino glaciem illam dictum factum cernes liquefieri, in pluuiasque cum uentum, quencunque uoluerit, spirare fecerit, resolui. Atque haec quidem omnia derepente fiunt, mutanturque subito. Quo sane colligi uoluit Propheta, nullam posse esse tam conclamatam miseriam, quin statim in feliciorum commutetur statum, si sic iusserit numen. Certe is est qui ducit ad inferos, & reducit. Ipse, inquam, est, qui deponit potentes de sede, & exaltat humiles. Quod si interdum tamen superbos humilibus praeponi, exaltarique, ac mitra nonnunquam, pileo sceptroque regio donari conspicias, tardus nimium es, si felicitatem, quam suis pollicitus est Deus, in hisce rebus fortunae ludibrio expositis inueniri cogites. In spiritu quidem dona haec insunt aurea, atque in conscientia sibi optime conscia, menteque tranquilla, ac rerum mundanarum contemptrice, praeter id, quod spe firma uenturam iam possidet beatitudinem in Deo, sentitque intra sese, atque expetitur, quid sibi uelint conuersiones istiusmodi grandinis, induratiue gelu in pluuiam: quid rursus nix, ad instar lanae ob candorem e coelo

lapsa: quid pruina, quid frigus illud grandinis fere tactu intolerabile, nisi id Deus temperaret prae se ferat, intelligunt in diuinis exercitati contemplationibus. Putas ne animam in istiusmodi rebus peruestigandis occupatam, ab illoque accensam igne ac spiritu, quo flante, suauissimi, ut hic canit Vates, defluunt aquarum riui, minori illis affici gaudio, qui secundarum rerum successibus elati, uix se homines esse aliquando cogitant? hos certe miseros calculis omnibus, licet in sinu, quod aiunt, fortunae dormire caecis appareant, affirmare possumus. Siquidem, quae nobis ueram conciliant felicitatem, aeternamque comparant beatitudinem, pro qua sanem adipiscenda uniuersus omnino contemnendus est orbis, haec fere sunt: fides, amor, pietas, ultroneaque mundanarum rerum atque honorum despicientia: simplex uitae usus & consuetudo: gaudium item spiritus, quo mirum in modum oblectatur Deus: ac sui prorsus, ob Dei honorem, salutemque proximi, neglectus. Si haec quidem in diuite homine, mitrato ue capite contingere uideris, nihil amplius in hoc mundo, quod coelestem referet statum, perquiras. Verum illud nunquam me intellexisse fateor: qui fit, quod cum primum ad ecclesiasticas, ut uocant, dignitates quispiam ascitus est, nihil prius quaerere uidetur, quam ut lautius, fastuosiusque, quam prius egerat, uiuat? Quis nodum hunc mihi soluet? Aut certe Dei religio laxior, dissolutiorque, quam ipse sit mundus, facta est, proinde ludibrio habita: aut hi bonarum rerum corruptores dici possunt. Mihi nunquam persuaderi passus sum, fidei synceritatem in capite superbo, menteque mundo addicta, manere posse. Quod si porro se a mundo alienissimos esse, ut profitentur, mihi iu-
[iurarent]

{pdf 905, p. 444v}

-rarent, uix crederem: siquidem quae fidei candorem testentur, nisi omnino plumbei simus, non ignorare possumus. Et haec quidem ad reconditiorem sensum eorum quae dicta sunt, scribere non sum ueritus, quo uniuersalem esse spiritus doctrinam, uel ipsae sciant textrices mulierculae, ac caeteri e uulgo rudes per officinas mechanici, quos hic a spiritu ad laudandum Dei nomen inuitari cum caeteris arbitror.

{147.19} Qui annunciat uerbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel.

Statuta sua, seu caeremonias & iudicia, transferunt ex hebraeo: quibus sane uocibus Dei legem intelligi uolunt, quae uni data tunc fuit populo, exteris exclusi gentibus. Indicium nimirum summae Dei beneuolentiae erga Iudaeos, quos solos in terris suae consecratos esse uoluit religioni. Quod quidem admirans Mose, sic populum illum ingratisimum, atque in Deum contumacem exhortans, aiebat Quae enim est alia gens sic incluta, ut habeat caeremonias, iustaque iudicia, & uniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos uestros? Dauid uero:

{147.20} Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

Alias diximus morem esse spiritus in scripturis, Iacob, seu Israel, Dei amicos appellare, quibus solis nota sit Dei uoluntas: id est, quod fide de Deo persuasam habent, re id praestare satagunt. Peculiaris illa Iudaeorum cura, eorum qui in Dei Ecclesia Christum uitae ratione & cultu imitaturi erant, fuit typus. Quibus sane haud minus, quam populo

illi Iudaico, facta illa fuit Mosis admonitio: Custodi, inquit, teipsum, & animam tuam sollicite. Sollicitudinem uero hanc in seruandis Dei praeceptis, quae iustitias ac iudicia, in superioribus appellari uidimus, in arduo uersari exercitio, longoque usu, experimur. Et ut quidem nulla extat natio, at inquit Moses, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster suae adest Ecclesiae: ita id proprium illius munus est ac cura, ob omni se gentium contaminatione alienissimam seruare. Et ne quae sit istiusmodi gentium contaminatio te nescire causeris, illam sub nomine operum carnis ita adumbrat Paulus: Manifesta sunt, inquit, opera carnis, quae sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, inuidiae, homicidia, ebrietates, comessiones, & his similia: quae, inquit, praedico uobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt regna Dei non consequentur. Haec sunt uerba Pauli illius, qui de se olim sic apud Corinthios testatus est: An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christi? Ergo Christus est qui asserit, neque scortatorem, neque effoeminatum, neque idolorum cultorem, neque ueneficum, neque inimicitiarum satorem, contentiosum, inuidum, rixosum, dissidiaque spargentem, homicidam, ebrium, heluonem, parasitum, sectam nimirum ac disciplinam sanequam egregia, primariis etiam mundi hominibus gratissimam, posse Dei regnum ingredi. Eae sunt fere immundarum gentium de more operationes, quas purissima Christi sponsa tur: cuius sane alia est uitae ratio, fructusque ali, qui a spiritu Dei sancto ortum habent, nempe charitatis, ut idem inquit Paulus, gaudi, pacis, patientiae, bonitatis, benignitatis, mansuetudinis, fidei, modestiae, continentiae, castitatis. Felix profecto ea est arbor, quae huiusmodi spiritus onusta est fructibus. Quam uereor, ne peiora multo adhuc in mundo, quam illa quae a Paulo in recensendis carnis operationibus iam lasso commemorata sunt, perpetrentur. Si haec quidem in excellentioribus fieri locis, etiam palam, cernimus, quid de uulgo censendum? Ad haec si Iudaeos, populum nimirum a caeteris selectum, & de quo id dici audio, quod non fecit taliter omni nationi, cuique data est lex & testamentum, a iustitiae semitis deerrasse legimus, quia impios tum egisse Philistaeos arbitramur? quid Chananaeos? quid Hiericontos? Quid modo (ne multis) arrogantes agere Mahumetanos, Turcasque exit Christianorum sitibundos existimamus, cum audiunt, nobiliora religionis nostrae membra corrupta esse? Rident haec, scio, carnis lenociniis irretiti. Ridet mundus, subsannatque illa, quae a spiritu huc sunt ad electorum solatium adducta. Verum ut mundo, mundique amantioribus suis breui debetur interitus, ita Ecclesiae

{pdf 906, p. 445}

suus semper inest decor, mercesque aeterna, quae est uita abscondita in Deo per Iesum Christum. Cui honos sit in secula, Amen. Halleluia.

PSALMVS CXLVIII. Halleluia.

{148.1} Laudate dominum de coelis, laudate eum in excelsis.

Iam tandem ueluti laboriosissima peracta nauigatione, uela contrahimus, portumque haud procul aspicientes, Deo unico in freto hoc mundi tempestuosissimo desudantibus effugio, laudes, laetumque celeuma canere instituimus. O si quod tanta sit dignum maiestate, a frigido meo pectusculo atque ad meditanda coelestia tardo & ieiuno,

prodisse quicquam iudicabitur, tunc me beatum dixerō. Proinde si quid, quod spiritum sapiat & eruditionem, est dictum, id totum Dei esto: sin minus, meum, hominis nimirum indocti, inertis, imbecillis, incauti, qui tamen illius sanctum nomen laudare conatus sim, mortalium uero rudiores instituere, doctiores monere, atque meae professionis homines ad grauiora scribenda allicere, & me tandem minimum Dei mancipium profiteri, assuefacereque ad illius cognitionem & amorem, quem in terris pene extinctum esse non semel questus sum, querarque tantisper dum uixerō, non alios sane reprehendens, sed me ipse, meamque desidiam arguens. Siquidem cum secundum & quinquagesimum iam agam annum, sexque & triginta in habitu hoc lugubri transegerim (melius dicerem, propter meam stupiditatem atque in Dei obsequio inertiam, perdiderim) uix unius quidem horulae spatii, ut decuit, peracti mihi conscius sum. Sero quidem (infelix) cognoui uirtutem crucis: cuius ductu ego haud ita pridem pacatiorem quaerens uitae statum, ad solitudinem una cum uno ex fratribus meis confugi. Quid tunc insidiarum contumeliarumque in solitudine etiam illa moliti fuerint nonnulli, quidue iniuriarum subierim, non uacat modo, neque opus est recensere, atque adeo id magis, quod querelas illas omnes iam pridem ad in Deum aequissimum omnium iudicem retuli, penes quem maxima indelebilisque pro me in extremo omnium examine producenda extat dica. Illic enim innocuorum causae aurificis (ut ait ille) statera, non populari trutina, ut nunc fit, examinabuntur, sed diuina, hoc est, optima expendentur aequitate, absque dolo, quae in praesentia plerisque a tribunalibus inauditae reiiciuntur. Ab eodem porro spiritu a solitariis locis retractus, rursus noua mihi subeunda fuit ob ualetudinem crucis necessitas. In qua quidem nonnihil impeditus, hos meos paululum distuli commentarios, finiendos tamen secundum voluntatem domini mei Iesu Christi, cuius splendorem in terris extolli, emergereque tanquam e caligine, propter quorundam ignorantiam, atque coniunctam cum improbitate superstitionem, tam ardentem cupio, quam quis alius: cuique praeterea omnes fere liberos pientissimi mei parentes olim consecrauerant: quorum primum diuus sibi asciuit in Scopetea familia Augustinus: sex, inter quos una fuit soror, quorumque ego pene ultimus aetate eram, Benedictus. Ad cuius nunc sepulchrum in Casini uertice meos recogitans annos in amaritudine, extremam manum hisce ponere commentariis, anno a Christo nato quingentesimo, & supra millesimum secundo & quadragesimo, uolui. Cuius quidem Christi benignitate silentissimo Albanetae receptu, haud multo procul a coenobio monachorumque conuersione semoto, nunc utor, conorque iam tandem istiusmodi animi exercitio ab hac dissolui uariarum incursionum turbarumque molestia, qua nolens premor, & frui Deo: qua re impetrata, uitam aliam, quae infortunio obnoxia sit nulli, me tunc impetrasse mihi persuaderi patiar. Verum pene sero illius datorem noui: notum uero & quaero, & in ipso purificari operam nauo sedulam: & nisi, anteaquam e uita demigrem, assequor, perii. Assequar tamen, spero, ipsomet duce, quem, quoquouersum me uerto, uidere mihi uideor meam increpantem oscitantiam. Interim autem quod misellum hunc uermem e puluere suscitet, atque ad se accedere iubeat, in ipsius continenter occupabor laudibus, dicamque cum Propheta: Laudate do-
[dominum]

{pdf 907, p. 445v}

-minum de coelis, laudate eum in excelsis. Condita hic omnia, tum coelestia, tum terrestria, ad celebrandas Dei laudes inuitantur, ualetque perinde quasi diceret: Laudate

dominum, o uos coelestia. In sequentibus uero de his, quae in terris sunt, ita ait: Laudate dominum de terra. Vos, inquit, coelestes spiritus, quique corporeae sarcinae expertes uitam uiuitis in supernis felicissimam, laudate Deum.

{148.2} Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius.

In primo uersu coelestes omnes generatim complexus est spiritus, in hoc uero particulares, eos nimirum qui in ministerium illorum mittuntur, ut inquit Paulus, qui haereditatem capiunt salutis: idcirco illos angelos appellauit [Hebrews 1.14]. Caeterum uirtutes eius, pro exercitus eius, positum esse non est qui ambigat. Sunt enim beatissimi illi spiritus tanquam satellitium Dei patris, quo quaecumque fieri in terris decreuerit, ad ea perficienda uti solet. Unde alio in psalmo ministros illos uocat, qui faciunt uoluntatem eius. Maxima profecto ex istiusmodi purificatarum mentium obsequio dignitas apparet humana: quae quidem (si fas est in coelestibus illis animis aegritudinem aliquam imaginari) graui afficiuntur molestia & cruciatu, si ex his, quibus hi seruiunt, perire quempiam contigerit. Quanquam nulla illis adscribi debet incogitantia, atque in curanda mortalium salute tarditas & socordia: sed tota illa culpa est lapsi, qui etiam inuitis reluctantibusque custodibus cadere uoluit. Etenim inexcusabilis iam omnino uidetur anima quae peccat: quandoquidem tam tutis circumuallata praesidiis, ultro tamen succumbit, ac sese turpissimo prostituit moeche.

{148.3} Laudate eum sol et luna, laudate eum omnes stellae et lumen.

Stellae luminis, vertunt plerique: hoc est, stellae lucentes. Sentit (opinor) de Planetis, quas stellas erraticas uocant, & quae stellis caeteris lucidiores sunt. Unde sic reddit Campensis: Laudate illum Planetae, qui lucetis prae caeteris stellis omnibus. Sol igitur, lumen nimirum stupendum, lampasque ardentissima atque uniuersalis, lauda Deum. Laudet rursus luna, laudent stellae, sed in primis lucidissima Planetarum sydera, quorum ordine ac motu, pulcherrimis distinctum esse coelum formis ad signanda quidem tempora, distinguendasque mortalium actiones plerasque, ut sunt res nauticae, agricolationisue, medicorum, & similia, a Deo fabrefactis, non ad Alchimistarum, magorumque diuinationes, & uanitatem, contra rerum naturam, summique opificis mandatum coelitus ostensis. Nulla unquam fuit tam bene instituta res a Deo, quin statim ad maleficium impia hominum retorserit audacia. Hoc sane modo coelestium rerum effector non laudatur: quoniam quo illae conditae sunt fine, aut qui in illis inditi sunt effectus, atque ad ima haec terrae influxus & deriuationes, aut ignorant homines, aut cognitum suis inseruire affectibus, excusso propemodum e Dei manu prouidentiae sceptro, modis omnibus conquirunt. Stultissima illa est scientia, atque uana omnino, quae diuinationibus nixa mortalium animos fascinat potius, quam futurorum notitiam impartit. Qua quidem nostro a theatro, ut par est, explosa exhibitataque,

{148.4} Laudate eum coeli coelorum, & aquae omnes quae super coelos sunt.

Hic non ultra procedit uersus Hebraeis. A suprema quidem coelorum molitione, per tractus arios ad terram usque, ordine seruato naturae, descendit Propheta. Siquidem cum a mentibus illis aethereis coepisset, ad coelestiaque mox transiisset corpora, ab his

iam ad coelos coelorum nempe loca ubi sedes est ignis atque aeris, delabitur: indeque statim ad terram, atque illa quae circa nos sunt, commemoranda procedit. Non raro quidem aerem coeli nomine uocant autores: nullique dubium esse debet, supra aerem hunc nobis proximum, quem, ut diximus, coeli nomine dignantur autores, aquas quasdam tenuiores, quam ut destillare queant, esse: nam pluuiae ex crassioribus formantur nubibus. Vnde dictum est, & aquae quae supra coelos sunt: quod & de primo illo firmamento die secundo condito intelligi uolunt Hebraeorum expositores, quodque expansum appellant. Fecit (inquit Moses) Deus firmamentum, diuisitque aquas

{pdf 908, p. 446}

quae erant sub firmamento, ab his quae erant super firmamentum: hoc est, raras illas & tenues, proinde in sublimi ob leuitatem pendentes, ab illis aliis, posito inter sese interstitio: quae cum graues sint ac densae, aut in pluuias conuertuntur & defluunt, aut infra nubibus retentae stagnant. Sunt qui coelum huc Crystallinum aduocent, quod supra sydereum locatum esse uolunt. Verum non longius hic est philosophandum, de his maxime, quae ut immensas Dei laudes sua excitare queunt pulchritudine atque ornatu, ita occulta propemodum sunt, & (blaterent ut lubet Philosophi) incognita. Quod porro coelos coelorum dixit, amplam illam ac uastam aeris regionem, cuius terra mareque tam immenso ambiuntur complexu, exprimere uoluisse arbitror. O uarii igitur, uagique coelorum orbis, o aquae, quae supra coelos ipsos stupendo Dei miraculo manetis, laudate Deum. Insuper

{148.5} Laudent nomen domini, quia ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. {148.6} Statuit ea in seculum, et in seculum seculi, praeceptum posuit et non praeteribit.

Vide prudentiam Vatis. Ad terram enim e coelis descensurus, mortales prius admonitos esse uoluit, illa omnia tam admiranda, de quibus mentionem fecerat, solo Dei uerbo fuisse condita, suoque in officio ac lege a Deo praescripta, perpetuo permansura. Iam diximus, seculum seculi, sempiternumque, & his similia, non semper aeternitatem significare in scripturis, sed longissima tempora, ut tunc fusius adnotauimus. Quare Paraphrastes sic hunc ultimum reddidit uersum: Et stabilitas, quam tribuit illis, durabit seculis plurimis, legem dedit singulis illorum quam nequaquam transgredientur. Illius itaque iussu in lucem prodire, suntque modo id, quod sunt. Atque propterea aeterna quaedam fixa illis est lex, ac praescriptum, quod transgredi haudquaquam possunt. Ad haec (ne in superflua inter Facere & Creare differentia nequicquam immoremur, quod nonnullos facere uideo) non uos lateat sic solummodo ab Hebraeis uersum legi Laudent nomen domini, quoniam ipse mandauit & creata sunt. Quod si tamen adhuc uerbo instare libeat, illud compertissimum, uanam illam omnino esse differentiam quam ponunt, facere ad Deum & ad hominem pertinere, creare autem ad Deum tantummodo. Princeps quidem Romanae eloquentiae proprium artis esse affirmat creare & gignere, uocatque Romulum creatorem urbis Romae. His itaque de coelestibus leuiter summatimque praelibatis, inquit: Vos quoque

{148.7} Laudate dominum de terra, dracones & omnes abyssi.

Hoc est, o quaecunque de terra estis, uel in primis uos immanes belluae, atque profundi aquarum gurgites, mariaque, lacus atque amnes, laudate dominum. Dracones hic uolunt intelligi monstra marina: abyssos uero cuncta aquarum receptacula, quae omnia mirabilem sui fuisse conditoris potentiam testantur, clamantque Deum ob tam stupendam rerum effectiōnem laudandum esse. Ad haec,

{148.8} Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt uerbum eius.

Faciens uerbum eius, uertit Hebraeus: id est, quicquid iusserit Deus, parens dicto. Et ad ipsum spiritum procellarum, seu uentum turbinis, ut reddit quidam, referunt, haud ad ea omnia quae in superioribus commemorauit. Siquidem istiusmodi uento tempestuoso solet Deus res exequi admirandas, ultionesque in homines grauiore, ut de Aegyptiorum interitu legimus. Per ignem quoque tonitrua intelligit, fulminibus horrendisque aeris mugitibus coruscationibusque permista, quae cuncta in aere terrae proximo formari cernimus. Caeterum uox quam noster uertit interpres, glacies, Hebraeis est uapor, per quem notantur siccae illae exhalationes, unde exeunt uenti, noxiique flatus ac turbines. Neque hic te moueat, difficillimum uideri res omni carentes ratione ac uoce, laudare posse Deum. Laudant nihilominus, nosque itidem ad laudandum opificis sapientiam, admirandis excitant stimulis, quippe quae ne tantillum quidem a praescripto sibi ordine deflectunt, parentque continuo numini. Et quidem nemo tam durus est, qui conditarum rerum motum, ordinem, situm, pulchritudinem, uim, formasque uarias, atque illarum effe-
[effectus]

{pdf 909, p. 446v}

-ctus contemplans, non mirabilem in illis Dei sapientiam deprehendat, potentiam rursus & bonitatem. Hincque anxium quoddam oriri solet laudandi Dei studium, addo & exercitium, iunctaque cum hilaritate solertia. Itaque & uos etiam

{148.9} Montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri.

{148.10} Bestia, & uniuersa pecora, serpentes & uolucres pennata.

De pennis, seu alis uolucrum, mentio quae hic fit, apte posita mihi uidetur, tantum abest ut superuacaneam iudicem. Quid enim miraculo simile potest audiri, si quis pennis aut alis ornatam uolucrum dixerit? Sed nisi usus rem attenuaret, tam immensum in illis diuinae relucere conspiceres potentiae signum, ut pene stupore insanires. Quid non mirabile apparet, dignumque Dei honore, si alarum, pennarumue ordinem in aue, texturam, formam, decorem, coloremque, & ad uolandum aptitudinem ac celeritatem, diligenter inspicias? Quod etiam de uaria arborum tum syluestrium, tum domesticarum natura intelligere nos admonet spiritus, cum ligna fructifera, ac cedros ad Dei laudes concinendas hortatur. Cedros pro sterilibus, syluaticisque poni arboribus asserunt interpretes, proceris tamen, atque ad aedificia uel nauium uel aedium aptissimis. Ait igitur: O uos montes, o loca omnia aedita, e planitieque surgentia, ut sunt colles, cliuique humiliores: quin arbores plantaeque ad producendos fructus procreatae, inferaces quoque & incultae, quarum nobiliores sunt Cedri, laudate Deum. Quid? Vos

item belluae immites, mitesque & mansuefactae, uos reptilia, uos alites tam uariis ornatae plumis, hucque illucque tam concinne celeriterque uolitantes, laudate Deum. Serpentes, pro quibuscumque animantibus quae repunt serpuntque, posuit. At iam, ut ad nobiliorem laudandi opificis uniuersi occasionem descendamus, uos appello, o mortales, sed in primis

{148.11} Reges terrae, & omnes populi principes & omnes iudices terrae.

{148.12} Iuuenes & uirgines, senes cum iunioribus.

Omnes qui potestate aliqua insigni praediti sunt ac dominio, ut sunt potissimum reges, hic a Vate ad laudandum Deum admonentur. Omnes populi, respublicas omnes intelligit, illosque qui priuatis utuntur legibus, ut nunc sunt Veneti in Italia, Lucenses, Sena ciuitas in Hetruria, Perusium, atque non multo pridem Florentia, ac caeteri istiusmodi generis proceres, qui turmatim res populorum moderantur, uelut indice commonstrat. Principes uero & iudices, pro magistratibus generaliter ius populo administrantibus, fraenoque iustitiae nocentes homines coercentibus, hic sumi possunt: qui si boni sunt & iusti, quid in regionibus optabilius? quid sanctius? quid tam dignum, quo diuina laudari queat prouidentia, uisum est unquam? secus uero si inueniuntur, nonne illud stuporem omnem excedere censi debet (proinde maximis efferendus est Deus laudibus) cum regi improbo, aut magistratui, tot hominum millia parere absque seditione & tumultu cernuntur, illosque pro diis in terra uenerari? Tametsi quidem maximum id sit infortunium, ab impiis aut stolidis magistratibus hominum multitudinem gubernari, non idcirco tamen temere diiudicanda sunt Dei consilia, qui nostra ob scelera sinit nonnunquam regnare, ut olim comminatus est, hypocritas. Sub hypocritae nomine pessimum undequaque intellige hominem. Sint itaque amentes nostri, ut lubet, atque iniqui superiores, semper tamen, ut dixi, laudandus est Deus: cuius in disponendis hominum rebus consilium ac prouidentiam uelle arguere, fraenoque nostrae temeritati iniecto reluctari, genus omne superat socordiae, ne dicam superbiae. Caeterum neque mediocre id quidem est laudandi Dei argumentum, quod in aetatibus hominum uarietate splendescere cernimus. Morum enim candor & simplicitas in adulescentulo, aut uirgine, nonne res est diuina? Quid robur in iuuenes? quid agilitas? quid promptum ad arma, ad literas, ad disciplinas perdiscendas ingenium? Debet ne in his laudari Deus, an reprehendi? Senum uero maturitatem, grauitatemque, prudentiam, in rebus agendis mentem ue-

[vegetam]

{pdf 910, p. 447}

-getam & pudicam, quis non miretur? quis non, uti donum a supremo Deo collatum, mortalibus gratuletur? Vide igitur quomodo in quauis hominum aetate euidetissima non desit laudandae Dei bonitatis occasio. In omnibus sane his uestigia quaedam numinis impressa esse animaduertimus, exin tremendam illius ueneramur maiestatem. Quapropter

{148.12-14} Laudent nomen domini, quia exaltatum est nomen eius solius: confessio eius super coelum et terram.

Is unus est uersus in hebraeo, cuius sensum elegantissime a Paraphraste sic redditum accepimus: Laudent nomen domini, exaltatum enim est & suspiciendum nomen illius solius. Honor & gratiarum actio debetur illi ab his, qui sunt uel in terra, uel in coelis. quid? non solum quidem coeli ipsi & terra, diuinis resonare debent laudibus, gratiarumque actionibus, sed & laudes illae omnes quamlibet excelsae & perfectae, superandae omnino sunt, in diesque magis amplificandae. Merito igitur Dei nomen solum, non nostrum, aut immoderate principum amicorumque, colendum est tum in coelis, tum in terra: merito celebrandum, merito laudibus efferendum: nanque solus ipse suam adamauit sponsam, auxitque illi gratias, dignitatem, robur, existimationem. Ideo infertur,

{148.14} Et exaltauit cornu populi sui.

Diximus nonnunquam, quid cornu signet in scripturis. In hoc loco, dignitas est ac robur: nisi malis opinari. Vatem tum Christum Dei uirtutem hic praesagisse, quem non raro in prophetis cornu appellari legimus: sed illud in primis, Exerxit cornu salutis nobis, quod de Christo accipi non est qui ambigat, modo sit uel mediocriter in prophetis exercitatus. Ergo

{148.15} Hymnus omnibus sanctis eius, filiis Israel populo appropinquanti sibi.

Ab illis, inquit, quos ipse sanctificauit, quosque ut iui essent ab aeterno delegit seculo, nempe Israel filios, credentes nimirum, atque illi per amorem, uitaeque imitationem, propinquos & familiares, hymni panegyricique ardentis, atque gratiarum persoluantur actiones. Cui laus sit & benedictio in secula seculorum. Amen.

PSAL. CXLIX. Halleluia.

{149.1} Cantate domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia sanctorum.

Nulli dubium, hic Vatem populi Dei liberationem e Babylone praeuidentem, liberationem alia, cuius illa typum gerebat, praedixisse. In illa quidem seruitute, a Chaldaeis, hostibus scilicet immanibus & cruentis, miserandum in modum oppressi fuere Iudaei: in hac uero, a peccato, a morte, a diabolo, totum genus humanum. Ab illa, inquam, tantillam orbis portionem per Cyrum Babylonis regem manumissam legimus, ab hac autem per Christum uniuersorum dominum, orbem totum. Idcirco ut illi solitis suis cantiunculis, atque instrumentis musicis, a consueto seruitutis onere liberi, Deo tum gratias egere: ita nos ab insperata erepti captiuitate, nouo scilicet liberationis genere liberi facti, ad nouum dedicandum Deo canticum a spiritu inuitamur, qui sic suam orditur paraclisim: Cantate domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia sanctorum. Ob nouum, inquit, atque eximium beneficium, nouum benefactori rependite canticum, resonentque illius laudes non sane in qualibet Ecclesia, ut est illa malignantium, sed in Ecclesia sanctorum, purarum scilicet mentium coetu & congregatione. Vos itaque, qui noua facti estis per Dei filium creatura, nouam uiuendi rationem, quod nouum est canticum, assumite. Vetus iam error abiit, ueritas uero per

Iesum Christum facta est: quare novum canendi modum constitue, gaudeteque gaudio magno.

{149.2} Laetetur Israel in eo qui fecit illum, & filiae Sion exultent in rege suo.

Siue Hierusalem filias, siue Israelem, aut Iacob, in hanc scenam introducas, hi omnes Ecclesiae personam referunt: cuius id proprium esse debet, in suo laetari sponso, in illoque oblectari, atque omni reiecta mundi consolatione, exultare, quem suum regem esse ac dominum persuasissimum habet. In suo igitur conditore sapientissimoque architecto, laetetur Israel, populus uidelicet cedentium: atque sub-
[subinde]

{pdf 911, p. 447v}

-inde, qui e Sion progeniti sunt sancti, coelestibusque speculationibus assueti, talem contigisse sibi regem gaudeant, exultentque & triumphent. Hinc

{149.3} Laudent nomen eius in choro, in tympano & psalterio psallant ei.

Eae sane instrumentorum uoces ingentem debere esse laetitiam, gaudiumque in spiritu sancto, in electis arguunt. Eiuscemodi quidem instrumentorum modulationes non nisi in praecipuis populi gratulationibus, stisque diebus, ac solennitatibus adhiberi consueuerant. Eam ob rem ut innuat qualis debeat esse ob reconciliatum genus humanum Deo per Christum laetitia & gratiarum actiones, uult Dei nomen & choro, & tympano, & psalterio celebrari. Sunt qui, in choro, uertunt, in tibia, illud opinantes, de instrumentis solum musicis fieri mentionem. In honorem igitur illius nominis psallant choro, psallant tympano, psallant chely, quotquot ad sanctorum numerum attinent.

{149.4} Quia beneplacitum est domino in populo suo, & exaltabit mansuetos in salutem.

Apertius ex hebraeo uerti poterat, ut uertit Felix: Quoniam diligit dominus populum suum. polletque perinde, ut ne graue sit uobis illum, qui uos diligit, laudare: deamat certe dominus populum suum. Effectus uero huiusce amoris qualia? Exaltabit, inquit, mansuetos, depressosque, quo salui sint, sustollet. Idest enim mansuetos exaltari in salutem. Homines quidem de more praeteritis in honoribus mansuetis, exaltant turgidos & superbos. Contra Deus, exclusis fastuosis extollit humiles, quod sane maximam tum nobis, quibus permagna est cum mundo concertatio & pugna, conciliare deberet uim fidei, tum illis qui se uictores putant, metum, suaeque ruinae praenotionem atque infortuni. Verum quomodocunque hi suum non aduertant periculum, atque ideo in rebus exultent pessimis, in innoxiosque efferatioris in dies appareant, nihilominus

{149.5} Exultabunt sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis.

Hoc est, tanta illorum erit de superatis hostibus gloria, quod non solum laetitia gestient, uerumetiam in ipsis suis lectis & cubiculis, alioqui curarum altoribus, gaudebunt,

iucundeque requiescent. Sed aliud hic mihi gloriationis genus subolere fateor, quo hilarem in modum efferri solent piae sanctorum animae, optimum scilicet conscientiae testimonium. Non est (opinor) gaudium quod id aequare ualeat. quare non iniuria clamat Paulus: Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae. Quid illud? Absit mihi gloriari, nisi in cruce domini mei Iesu Christi. Ergo gloriatio sanctorum crux Christi est, sancteque sibi conscia mens. Alii ut lubet, de adeptis, uel usque ad summum, diuitiis, deliciisque & honoribus gloriantur: mihi autem (inquit mens sobria) tota mea erit gloriatio in cruce Christi: cuius uirtute adeo in sublime euehor, ut sperare audeam fore aliquando, ut in futura illa gloria, in qua multae sunt mansiones, cubiculaque multa & conclauias, exultem, laeteque in sponso, qui est perfectissimus animae status ac felicitas: ad quam quidem die noctuque suspirant sancti. Interim uero quod eo proficiscatur, ubi suus est amor,

{149.6} Exultationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum.

Exultationes Dei in gutture eorum, hebraismus est, quo iucundam illis fore exultationem exprimitur. Rursus pro gladiis utrinque collimatis, inuictam illorum uirtutem, roburque hostibus formidabile intelligi uult Dauid. Unde sequitur:

{149.7} Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

{149.8} Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.

{149.9} Ut faciant in eis iudicium conscriptum.

Hoc est, iudicium a Deo praefinitum, & de quo in sacris scriptum est annalibus, suum tandem sortietur finem. Iam illud uidetur fuisse hac de re atque ultione scriptum in Deuteronomio iudicium ac sententia, a Deo quidem lata, a prophetis uero scripta: Si acuero, inquit, ut fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam. Propterea, inquit, laeti, gloriosique in aciem progredientur sancti Dei uiri, ensesque bicipites & denudatos idcirco gestabunt manibus, quo sese queant de exteris peregrinisque ulcisci nationibus, populosque pene infinitos castigare, ac suis a finibus arcere: re-
[reges]

{pdf 912, p. 448}

-ges insuper, & caeteros sibi infestos tyrannos, catenis, arctisque compedibus ac bois ferreis, & manicis, deuincire. Atque eo sane modo Dei iudicium suis a prophetis conscriptum, promissumque in scripturis, suo non frustrabitur effectu. Quae quidem res sanctorum gloriae atque existimationi non poterit non feliciter verti, obvenireque ad vota. Ideo additum est:

{149.9} Gloria haec est omnibus sanctis eius.

Hanc gloriam puto esse sanctorum in acie spiritus uictoriam, ad quam sane in hoc toto supercoelesti psalmo spectasse Prophetam arbitror. Etenim quae hic dicuntur, tametsi

ad bellum, quo corporeis concurritur cum hoste telis atque machinis, aptari & possunt & debent, attamen ad spiritum, cuius tutissimis armis muniri solent credentes, transferenda sunt. Arma enim militiae nostrae, ut inquit Paulus, non carnalia sunt, sed potentia per Deum ad destructionem munitio. O certe arma a piis tantummodo tractata animis. Tu uide quas arma istiusmodi demoliantur arces & propugnacula. Consilium, inquit, destruentes, atque omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei. Credo equidem, si nostrates hac proceres instructi forent armatura, quod felicius suis in expeditionibus in infideles sese haberent. Verum cum his careant, quid illa ex aere, fuluoque auro fabrefacta ostendant? In Turcas quidem hoc maxime tempore & terra & mari bellacissimos uictores, atque cum ipsis Christianorum regibus (infandum) confoederatos, absque armis fidei, hoc est, non sedato prius ab omni turpi affectu animo & uoluntate, accersitaque in societatem, quae iam pridem nostris e castris aufugerat, Dei religione, exercitus parere, haud tutum est: imo periculosissimum, ut frequentissimis acceptis cladibus, amissisque Christianorum copiis, augurari possumus. Succedent (suspicio) & infeliciora, simul ut uideo una cum flagellis augeri scelera, planctusque miserorum ab atrocissimis rectorum prouinciarum depeculationibus exortos percrebrescere. Hinc enim (dirum spectaculum) milites Christianos ab inexorabilibus Arabis ac Turcis aceruatim contrucidari cernimus: illinc uno atque eodem omnino tempore Christianos a Christianis opprimi, affligi, bonisque propriis ac fortunis iniquissime expoliari. Quid? uidi ego his oculis Christianum (pro facinus inauditum) in Tyrrheno hoc nostro ab infidelium manibus elapsum, ad Christianum littus capta iam nauis confugere, opemque a spectantibus e litore implorare: qui tamen praeda (credo) allecti, miserabilem illum fesse admodum natantem (baltheum gestabat nummis plenum) afflictum, atque (impediore lachrymis) quanto poterat nisu uicina petentem littora, fuste praeacuto tranfixere [sic, transfixere, 1585], corpusque deserto in littore inhumatum deseruere.

PSALMVS CL. Halleluia.

{150.1} Laudate dominum in sanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius.

Non absque mysterio psalmorum concinnator (quisquis tandem ille fuit, qui psalmos in eum, quem nunc habemus, digessit ordinem) illos fere omnes, qui Dei laudes prae caeteris ardentius celebrant, sub finem uoluminis collocauit: sed hunc in primis, quem de laudibus in aeterna patria concinendis disserere non ignorauit. Tunc enim maiori affecti cognitione, in Deum purius intenti erimus. Etenim quandiu in hac mundi crassitie positi, cum tardis sensibus, cum peccato, cum morte, cum uariis uitae incommodis ac miseriis conflictamus, uix raro ad ea intelligenda, quae Deum nobis unice admirandum faciunt, adnitimur. Quare hebetiori, quae acutissimo debueramus, intuentes oculo, illius magnitudinem non eo, quo conuenit, studio atque animi libertate extollimus. Purius haec omnia atque ardentius a beatis iam animis in coelo peraguntur. De hoc itaque aeternarum rerum statu a Propheta hic dici arbitror, cum ait: Laudate dominum in sanctis eius. Videtur dictio, sanctis, absolute posita, pollereque perinde atque, in sanctis sanctorum, seu, ut diuus uertit Hieronymus in sancto eius. Felix uero, in sanctitate eius: hoc est, in sacrario Dei aeterno: quod de loco sacro in Sion monte

caeteroqui religioni consecrato, atque in quo erat arca illa celebris testamenti, ob ea quae sequuntur, minime dici posse iudi-
[iudico]

{pdf 913, p. 448v}

-co. Laudate, inquit, eum in firmamento uirtutis eius. Firmamentum Hebraeis est, expansum, quod quidem doctissimus adnotauit Fel. qui sic transtulit: In extensione uirtutis eius. quam sane extensionem de coelestis regni statu per catachresim intelligi uolunt. & est sensus: Laudate eum in firmamento potentiae eius: id est, ubi potentia eius, alioquin in hoc mundo, ob sensuum tarditatem pene incognita, sese detracto ignorantiae huiusce spissae uelo, clarius uisendam exhibet. Et ut quidem uerissimum hunc esse sensum non ambigo, ita illum quem uulgo sequimur, exosculator, & placuisse Paraphrastae uideo. Sic ille: Laudate dominum ob insignem sanctitatem illius, laudate illum ob coelum, quod argumentum est fortitudinis illius. Primus tamen sensus mirum in modum placere solet his, qui ex assidua psalmodum lectione ac gustu, in eam tandem deuenere mentis alienationem, ut perfecto psalmodum cursu, se metam, qui Deus est in maiestate residens, uel cum non animaduuerint, attigisse gaudeant. Unde si quid in psalmodum quod altissimum idem non sit, audire contigerit, fastidiunt illico. Siquidem coelestes iam facti, res illas solummodo admittunt & amplexantur, quae coelestem uitae statum referunt. Proinde & illos qui sequuntur uersus ad eum interpretantur modum:

{150.2} Laudate eum in uirtutibus eius, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

Virtutum nomine res ab eo, cum in terra, tum in coelis, sapienter fortiterque gestas intelligit: hoc est, ea ratione factas, quae humanum penitus superet ingenium & uires. Idem de multitudine amplitudinis eius, uariis nimirum suae prouidentiae, quae in coelis maxime relucet, argumentis ostensae, par est interpretari. Quae sane omnia quemadmodum in hoc mundo tenui magis apprehendimus coniectura, quam perfecte assequimur, ita simulatque moribundis his artibus exuti, Deum facie ad faciem intuebimur, infinito propius, quam nunc fit, illa uti sunt contemplabimur. Quanta, Deus bone, rerum illarum, quae modo in aenigmate, ac ueluti per transennam cernimus, tunc erit cognitio, quantusque amor, quam immensa uoluptas, quam inenarrabilis, quam longe a sensibus his brutis remota iucunditas. Interim uero quod statum illum felicissimum nanciscamur, mecum, inquit, una omnes

{150.3} Laudate eum in sono tubae, laudate eum in psalterio & cithara.

{150.4} Laudate eum in tympano et choro, laudate eum in chordis & organo.

{150.5} Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis.

Nunquam tanta usus est instrumentorum huiuscemodi Musices congerie Vates, quanta in hoc extremo omnium psalmo, quo nimirum ad nobiliorem copiosioreque nos hinc pertrahat considerandam, quam ea sit quae in hoc mundo etiam a perfectissimis uiris impenditur, laudem. Etenim si in istiusmodi cultu extero aut his aut illis quae rei, de qua uis canere, sint apta, utendum est instrumentis atque harmonia, in aeterna

nihilominus patria & beatitudine omnes intendendi sunt nerui, plectroque pulsandum, aut uoce contemperandum humana, si quid est, quod harmoniam ciere possit. Id quidem uidetur natura omnibus comparatum, ut si quem excellenter laudare, testimoniumque illi uirtutum insigne tradere affectant, quicquid laetitiam prae se fere potest, magno adhibeant studio ac plausu, sic uates mirabilem illam aeternae uitae laetitiam, ac tripudium cum Deo, uolens exprimere, tot adhibet, ut uidemus, instrumentorum uoces, tubae scilicet, psalterii, quam uiolam esse iam diximus, tympani quoque, chori, chordarumque. quanquam haec dictio Hebraeis est, minim, instrumentum omnino nostra aetate incognitum. Rursus organi, cymbalique bene sonantis seu auditis: hoc est, ut interpretatur Felix, quod adeo magnum excitet sonum, ut a longinquo audiatur. Unde sic quidam ex hebraeo uertit: Laudate eum cymbalis canoris, laudate eum cymbalis clangentibus, more nimirum tubarum in bello clangentium. Paraphrastes etiam: Laudate illum taratantaris sonoris, laudate illum taratantaris ad hilaritatem excitantibus. Vide quomodo ad exprimenda diuina, concita, summeque ardentia & festina inculcat Vates. Ita se habent res spiritus: qui carnali adhuc vivunt sensu, haec

{pdf 914, p. 449}

ut non intelligunt, ita derident. Raro enim quae non cognoscimus, amamus. At iam Vates suis impositurus modum ac finem laudibus, ad quas sane quaecumque passim per orbem uniuersum, addo & in coelo, sunt condita, ardenti, ut uidimus, inuitauit studio, ad nobiliorem se uertit uniuersi partem, dicens:

{150.6} Omnis spiritus laudet dominum.

Hoc est, omnis uita, cum hominum tum angelorum, & quicquid tandem uitae habet indicium, suum agnoscat creatorem, illique soli gloriam, qui uita est omnium in se credentium immortalis aeterna, beata, inuariabilis, & super omnem felicitatem felicissima, tribuat. Ad quam ego peccator, qui obstrusissima omnium mysteria frigidissimis hisce meis commentariis dilucidare, melius dicerem contaminare, ausus fui, suspiro, ingemiscoque. O si, humanissime Lector, uel dictionem unam atque alteram, quae diuinum referat honorem, in hoc meo tantillo labore scriptam inuenias, tum felix sum & beatus, per Iesum Christum dominum meum per cuius misericordiam te rogo atque obtestor, quisquis es, qui haec legere uolueris, ut meam miseratus infantiam sic apud te dicas: Is pauper, quia aurum aut gemmam non habuit, papyraceum dedit donum. Dei quippe confisus clementia, atque in peccantes facilitate, haec non est ueritus balbutire. Nouerat sane quidem & se & sua, sed & illum quoque cui se a puero consecrauerat. Cui laus sit, honorque & benedictio in secula seculo tum. Amen.

FINIS HYMNORUM DAVID REGIS ISRAEL

ELENCHUS OPERIS

Numerus, paginae: litera mox sequens, eiusdem paginae partis, quam ipsa margini adiecta occupat, index est.

GB Folengo, *Psalms*, 1543, Index (2203 entries)

{pdf 914, p. 449}

	{pdf 914, Index}	1543 Index page (c and d refer to verso (v))
1.	Abbatis officium	299.d
2.	Abel quale sacrificium Deo obtulerit	244.b
3.	Abiae ad hostes oratio	284.c
4.	Abimelech praecidit ramos	251.b
5.	Ablutiones Iudaeorum	314.d
6.	Abraham fidelium omnium pater.	349.c
7.	Abrahae filii qui revera nominandi.	302.b
8.	Abstinentiae commendatio	363.d
9.	Abusus in rebus omnibus perniciosissimus	346.b
10.	Abyssi significatio in scripturis.	143.d, 175.b, 264.c-d, 446.b
11.	Achab divina ultione quam evere [sic, severe] punitus	253.a
12.	Achitophelis astutia	262.b
13.	Actiones nostrae in re salutis cum sunt dubiae, dubia et ipsa redditur salus	38.d
14.	Actionibus nostris fidere nequimus, quantumvis candide et nobis et caeteris vivere videamur.	64.a
15.	Adam cur fugerit faciem Dei.	194.a
16.	Adae praevaricatio	252.a
17.	Adeps pro rerum affluentia	48.b, 270.a, 385.c, 443.d
18.	Adiurati qui dicantur	236.c
19.	Adolescentia ad vitia proclivis.	87.c, 380.a
20.	Adolescentia elegans descriptio.	380.a
21.	Adorare apud Hebraeos quid	5.d, 102.c
22.	Adoratores veri qui	330.b-c
23.	Adorandi ritus	375.b
24.	Adorandi vera ratio	334.b, 375.b
25.	Admonitio popularis ac benevola quo loco adhibenda	198.b
26.	Adversitates cur felicissimae appellandae	162.d
27.	Adulationis detestatio	211.a-b, 305.d, 339.d
28.	Adulterii et scortationis malum in universum orbem debacchari.	205.d
29.	Adulterii poena	355.c

30.	Aedes sacrae et coenobia quamobrem aedificata	94.b, 95.b-c, 96.c
31.	Aedomaei gens sordida	230.b
32.	Aegypti descriptio	288.a
33.	Aegypti ad fidem accessus	254.d
34.	Aegypti plagae	282.a, 351.b-c
35.	Aegyptiorum in Hebraeos odium.	296.d
36.	Aegyptiorum lingua Hebraeis incognita	Ibid.c [296.c]
37.	Aemulatio pro ira	289.b
38.	Aequitas quid	335.b
39.	Aeris frigidam plagam, et Solis ardorem, in scripturis pro adversitate accipi	195.b
40.	Aeruginis dictione scriptura quid velit	288.b
41.	Aetas nostra quare aurea dici queat	51.d
	{pdf 915, Index, p. 449v}	
42.	Aetatis felicitatis descriptio	130.b-c-d
43.	Aetatis nostrae imago et facies spiritus sancti penicillo efficta	73.d, 130.c
44.	Aetatis nostrae sanctimonia libentius publicis inservit aspectibus, quam secretis divinae maiestatis obtutibus	93.c
45.	Aeternum seu sempiternum Hebraeis saepe pro longo et indefinito tempore poni	200.a, 246.a
46.	Aethan locus	275.c
47.	Aethiopum religio	254.d
48.	Aevi nostri conditio tanquam penicillo depicta	39.b, 74.a, 130.c-d
49.	Affectiones unde nascantur	244.d
50.	Affectus et animi motus in constantem etiam virum cadunt	215.a
51.	Affectus humani in Deo qua ratione dicantur	51.c
52.	Affectuum ardores atque ignes unde	70.b-c
53.	Affectuum movendorum ratio ac summa	24.b
54.	Afflictio piorum assidua	243.d, 267.c-d
55.	Afflictio piorum quam necessaria.	294.a
56.	Afflictio quo crudelior, eo magis Deus interpellandus	236.a
57.	Afflictiones piorum quam graves. Vide crux.	366.d
58.	Agag typus	286.d
59.	Agarenorum origo	300.c
60.	Agnoscere quid significet in scripturis	204.c
61.	Agricolatio sedula ad quid prosit	240.c
62.	Agrorum dimensionis ratio	273.b, 289.a, 349.d, 350.a
63.	Alae propitiatorii quid doceant	258.a

64.	Alarum similitudo immensam Dei bonitatem erga nos demonstrat	47.d
65.	Alarum in scripturis significatio explicata	143.d, 144.a
66.	Alarum tutela quae	221.d, 318.b
67.	Alexandrinorum schola	254.d
68.	Alieni qui in scripturis	213.c
69.	Allegoriae non ubique in sacris literis querendae	435.d
70.	Altaris cornua	378.c-d
71.	Alter ut alterius vitam mordeat, omnibus quasi a natura ingenitum.	41.a
72.	Amalechitarum origo	300.c
73.	Amalechitarum crudelitas	267.a
74.	Ambitio aedificandi notatur	200.a-b
75.	Ambitio sacerdotum	301.d
76.	Ambitio spiritualis	240.d
77.	Ambitio atque dominandi cupiditas post deposita arma, abiicienda	58.b
78.	Ambitionis descriptio	276.d
79.	Ambitionis imago	354.b
80.	Ambitionis vis	126.a
81.	Ambitionis detestatio	269.d, 280.d, 291.b, 335.b, 370.b
82.	Ambitione labefactatur Christi Ecclesia	301d, 302a
83.	Amen dictio explicata	172.d
84.	Amens qui non satius ducit afflictionibus a deo probari et perfici, quam in croceis enutrir	101.b
85.	Amicus rectus et aequus quis	91.d
86.	Amicorum falsorum descriptio	338.b
87.	Amor divinus quantus	230.a
88.	Amor divinus quasi ignis consumens	244.c
89.	Amor divinus nulla temporum intercapedine intercidit	235.d
90.	Amoris natura	342.d
91.	Amoris vis	317.c
92.	Amoris exemplum explicatum	26.d
93.	Amoris divini vis explicata	128.b-c, 302.a, 319.b
94.	Amoris stimulus clementia	363.a
95.	Angeli triumphantis Christi comites	251.c-d
96.	Angelorum descriptio	52.d
97.	Angelorum obedientia	344.a
98.	Angelorum officium	318.d, 319.a, 344.a, 345.a
99.	Angelorum circa homines studium	128.d, 311.d
100.	Angelorum circa homines fidissima custodia	128.d
101.	Angelorum pro reprobis tutela	319.a
102.	Angelorum operationes laudandae	311.d

103.	Angelorum pravitas deprehensa	31.b
104.	Angeli inest vis ignea	344.a, 345.a
105.	Angustia inserviendi vitiis Deum immensum et amplissimum a nobis excludit	77.d
106.	Anima quid intelligatur	16.a
107.	Anima pro toto homine	19.a
108.	Anima pro desiderio et cupiditate nonnunquam in scripturis accipitur	98.d
109.	Anima pro corpore animato	108.d, 350.c
110.	Anima cur corpori a Deo infusa	84.b, 291.b
111.	Anima cur adversitatum lima corrodatur	205.a
112.	Anima plumbea notata	22.d
113.	Anima depositi nomine apud unumquemque hominem a Deo collocata est	142.c
114.	Anima terrenis rebus non satiatur.	268.b
115.	Animae variae acceptiones	285.c
116.	Animae fastus per iniuriarum limam et scalprum valde atteritur	159.c
117.	Animae conditio eleganter descripta	90.d
118.	Animae hominis praestantia	200.d
119.	Animae cum Deo coniunctio quae.	223.a-b
120.	Animae nigredo	250.d
121.	Animae voces quae	12.a-b
122.	Animae oculi, cognitio et fides	90.d
123.	Animae pedes, affectus esse	144.d
124.	Animae frustra corporibus unitae.	138.b
125.	Animae duritia miserabilis	217.c
126.	Animae calamitas maxima quae	173.d, 218.a
127.	Animae angustiae enarratae	112.c
128.	Animae anxietas depicta	35.d, 256.a-b
129.	Animae afflictae descriptio	207.b-d
130.	Animae exercitationes	216.d
131.	Animae tentationes descriptae	114.b
132.	Animae iacentis fulcra quae	222.b
133.	Animae sitis	234.d
134.	Animae quies et perfectio	205.a, 263.d, 272.d
135.	Animae perfectio unde	219.c
136.	Animae perturbationes et consolationes	216.d
137.	Animae voluptates ac deliciae summae quae	82.b-c
138.	Animae periclitantis liberatio explicata	80.c-d
139.	Animae consuetudo ut sui contemptum non multi faciat	126.a
140.	Animae secreta	90.b
141.	Animae laquei et retia quae	90.c-d
142.	Animae interitus indicium quod	139.c

143.	Animae mors quid sit	200.d
144.	Animam in manu ferre quid	389.a
145.	Animam scelestam corpore pro malleo uti ad fabricanda vitiorum simulachra	211.d
146.	Animarum perfectarum cibus quis	198.c
147.	Animarum purificatio in quo sita	208.b
148.	Animarum beatitudo perfectissima quae	85.a
	{pdf 916, Index}	
149.	Animarum domicilium descriptum	399.b
150.	Animarum sanctarum preces	30.b
151.	Animarum insidiatores qui	54.c
152.	Animalium vocibus pii interdum nuncupatur in sacris	249.c-d
153.	Animus humanus natura ad legum observantiam amore magis ducitur quam vi	120.a
154.	Animus languens in carnem quoque ipsam moereris notas emittit.	101.b-c
155.	Animus rectus qui	121.b
156.	Animi elati certa indicia; Vide Superbiam et Arrogantiam.	278.d
157.	Animi odoratus qualis	37.d
158.	Animi divitias omnes in fide erga Deus sitas esse	146.c
159.	Animi morbo affecti signa	38.c-d
160.	Annalia sacra	34.c
161.	Antiochi imperium crudelissimum.	291.a
162.	Antiochi impietas	274.d
163.	Anthropopathia Deo tributa	37.d
164.	Antistes ecclesiae quibus virtutibus praeditus esse debeat; Vide Pastores.	254.b
165.	Apostolorum sanctitas	255.a
166.	Apum labor et opus quid significet	63.c
167.	Aqua contradictionis	297.a
168.	ex Aqua quomodo orta salus.	345.c
169.	Aquae Aegypti sanguineae factae.	282.d
170.	Aquarum inundationes pro vitiorum profluviis	402.b-c
171.	Aquarum in scriptura significationes	54.a, 243.d, 256.a
172.	Aquarum translatio pulchre explicata	54.b, 81.a
173.	Aquilae renovatio; Senectus ibidem	342.a
174.	Aquilonis latus quid significet	195.c
175.	Arabiae felicitis descriptio	267.b
176.	Arbitrium liberum quod	89.b-c
177.	Arbitrium nihil aliud quam sui libertas	12.c

178.	Arbitrium an homini liberum.	348.a, 349. a
179.	Arbor plantata quae dicatur	2.a
180.	Arca Dei cur in bello capta	289.c
181.	Arcae veteris testamenti mysteria.	247.a-b
182.	Arcus pro celeritate poenarum	20.c
183.	Arcus pro robor ac fortitudine.	180.a
184.	Ardea avis	346.c
185.	Argentum in scripturis pro doctrina et vita puriore	35.a
186.	Arietes in scriptura quid	241.b
187.	Arma omnia, omnes vires in Deo sitas esse	50.b
188.	Arma Christiani militis	436.a
189.	Aaronis fides	351.b
190.	Aaronis sacerdotium quale; Erga Deum studium	365.c, 421.a; 333.c
191.	Aaronis familiae sanctitas	372.a-b
192.	Arrogantia et fastus docte confutata	87.d
193.	Arrogantia impiorum evanescit.	247.c, 436.a
194.	Arrogantiae detestatio; Vide Superbiam.	272.a
195.	Arundinis significatio in sacris	254.c
196.	Ascensionis Christi fructus.	251.d, 252.a
197.	Asini nomen quibus hominibus conveniat	249.d
198.	Assensus, voluntas, et ipsa quoque potestas amplectendi bona, Dei donum	31.d
199.	Assentatorum improbitas	211.b, 305.d, 339.d
200.	Astra etiam ipsa immunda coram Deo	31.b
201.	Astrologorum et magorum praesagia confutat	111.c-d
202.	Avaritiae imago	354.c
203.	Avaritiae malum in universum orbem debacchari	205.d
204.	Avaritiae studium	382.d
205.	Avaritia quae perniciosa	294.b, 369.b
206.	Avaritia sacerdotum taxatur	281.d
207.	Audaciae genus periculosissimum quod	87.d
208.	Aurum in scripturis pro fide et charitate	35.a
209.	Aurum Arabicum	268.a
210.	Aurum et lapides preciosos pro divinis eloquiis usurpari	63.c
211.	Autoritas principem ornat	291.a
212.	Azymorum solennitas	296.b
213.	Azotiorum poenae	290.a
	B	
214.	Baal deus	355.b
215.	Babylonis infelicitas	425.c-d
216.	in Babylone quanta Iudaeorum fuerit captivitas typus.	277.a

217.	Baculum, virga et pedum, quid significant	82.a-b
218.	Baptismi vera imago	359.a
219.	Baptismi iuramentum	236.c
220.	Baptismi votum quam sancte servandum	335.d
221.	Barbari Iudaeorum	370.d
222.	Basan divina ultione punitus	252.d
223.	Beatitudo et felicitas aeterna unde proveniat	407.d
224.	Beatitudo vera in quibus consistat.	302.b, 303.c, 304.c, 309.a, 368.a-b, 379.b
225.	Beatitudo vera quae	1.a, 117.b-d
226.	Beatitudo falsa quae	134.d
227.	Beatitudinis Christianae summa	1.a, 295.d
228.	Beatitudinis norma compendiosa	137.a
229.	Beel deus	355.a-b
230.	Bellum nostro tempore in Aegaeo et Punico mari contra Scythas et Arabes	20.d
231.	Belvarum genus nullum quod in sui simile, nec in alienum quidem ita saevire audeat ut homo in hominem.	402.c
232.	Benedictio et benedicere quid	8.a
233.	Benedicere in sacris quid	344.b
234.	Benedictio sacerdotis	246.b
235.	Benedictionem et misericordiam in scripturis frequenter idem significare	84.d
236.	D. Benedicti contra scurrilitatem praeceptum; Eiusdem de obedientia praeceptum	442.a; 344.a
237.	D. Benedicti cum sorore colloquium.	442.a
238.	Benedictinorum infinita coenobia; Eorundem regula qualis; Vota	340.c; 367.b; 389.d
239.	Beneficentiae divinae dona quam ampla	305.b
240.	Beneficentiae divinae effectus	268.a
241.	Beneficia Dei cum gratiarum actione extollenda	235.b
242.	Beneficia Dei ubique et ab omnibus celebranda	328.c
243.	Beneficiorum exprobatio	283.d
244.	Beneficiorum oblivio inhonestissima	373.b
245.	Benevolentiae divinae cogitatio quam necessaria hominibus	282.b-c
246.	Beniamin tribus omnium minima; unde nomen accipiat.	254.a; ibid.
247.	D. Bernardi laus	317.d
248.	Bethsaida patria trium Christi discipulorum	254.a
249.	Bona corporea, media appellari.	410.d
250.	Bona fortunae mutationem semper obnoxia	368.b-c
251.	Bona haereditaria qualia	43.d
252.	Bonum summum quod	102.c

253.	Bonorum omnium solus Deus autor	272.c
254.	Bonorum calamitates cito finiendae	108.a
	{pdf 917, Index}	
255.	Bonorum omnium consilium in hoc uno versatur perpetuo, ut Deus colatur	76.c
256.	Bonorum desideria et meditationes.	44.d
	C	
257.	Caesaris naufragium	347.c
258.	Cain quale sacrificium Deo obtulerit	244.a
259.	Calamitatem occasionem esse virtutis	108.a
260.	Calcaneus pro vitae exitu in scripturis	199.a
261.	Calicis descriptio	44.a
262.	Calicis significatio explicatur	33.b-c, 82.d, 83.a
263.	Calumnia quid	391.c
264.	Camilli Ursini exemplum memorabile	109.d
265.	Campaniae concionatores quales	388.a
266.	Campaniae mulieres piaae	Ibid.
267.	Candax Aethiopum regina	254.d
268.	Canticum in psalmis quid	278.d
269.	Canticum novum quod	121.d, 122.a
270.	Cantilenae quae pias aures offendunt inter Christianos non ferendae.	384.b
271.	Cantilenarum in templis usus	253.c
272.	Cantiones ad Deum referendae, non ad obscenos amores	60.b
273.	Cantionum novarum ratio et mos antiquus	121.d
274.	Canum in sacris significationes.	226.d, 227.a, 242.b
275.	Captivitas humani generis	40.b
276.	Caput quid in sacris significet.	252.d
277.	Caput erigere quid	6.d
278.	Capitum motio livoris et contemptus signum	363.d
279.	Carbones pro bonae naturae dotibus	52.b
280.	Cardinalatus desiderium	301.d
281.	Carnis quae natura	212.a
282.	Caro pro amore proprio	43.b
283.	Castigationes divinae fructus quam salutaris	377.b
284.	Cataractarum significatio et definitio	175.b-c
285.	Cedri arboris natura; usus.	321.c; 446.c
286.	Cedri arbores frequenter in scripturis pro mundi huius potentioribus accipiuntur	103.b-c
287.	Ceila urbs a Davide liberata	214.b
288.	Ceilae urbis obsessio	373.c-d
289.	Ceilae urbis exemplum	216, a

290.	Ceremoniae non pietas sunt, sed pietatis testificatio	55.c
291.	Ceremoniarum et rituum ratio.	188.b, 220.d
292.	Ceremoniarum ratio quae servanda sit	55.c
293.	Ceremoniarum ac libationum immensum acervum neminem unquam integre executum	204.b
294.	Cervi animalis natura et proprietas	104.d, 105.a
295.	Ceti marina natura	347.d
296.	Cham terra quid	350.d
297.	Chananae mulieris fides	264.d
298.	Chaos descriptio	345.b
299.	Charitas perfecta quae	41.c
300.	Charitas Christianorum symbolum	274.c
301.	Charitatis verae vis	86.c
302.	Charitatis verae praecipua indicia.	41.b
303.	Charitatis fructus uberrimus.	261, a-b
304.	Charitatem cur tam exacte a nobis requirat Deus	363.a
305.	Charitatem a seipso incipere, ut falsum abrogatur	41.c
306.	Cherubin	293.c
307.	Cherubin veteris testamenti quid significarint	332.b
308.	Cheteb daemon	318.c
309.	Chorae seditio	354.b
310.	Christus promissus in scriptura	303.d, 311.a-c, 315.b, 331.c
311.	Christus Abrahae olim promissus	268.c
312.	Christus ex semine Davidis	311.d, 418.d
313.	Christus cum suis consanguineis cur e tribu Iuda	254.a, 290.b
314.	Christus summum bonum constituitur, contra definitiones philosophorum	130.a
315.	Christus dum stulta in hoc mundo elegit, omnium dominus factus est.	381.a-b
316.	Christus verus Deus et homo	313.c, 364.b-c
317.	Christus Dei Patris misericordia dicitur	196.d
318.	Christus propitiatorium	247.a-b
319.	Christus solus mediator	331.c, 377.c
320.	Christus caput suae ecclesiae	251.d, 418.a
321.	Christus ecclesiae suae fundamentum	307.d
322.	Christus ecclesiae suae autor et instaurator	277.d
323.	Christus verus pastor	292.d
324.	Christus confractae religionis instaurator	245.c
325.	Christus sui Evangelii aeternus propugnator	266.b
326.	Christus sol iustitiae	254.c
327.	Christus cur soli assimiletur	314.b
328.	Christus scopus unicus salutis nostrae	307.d, 308.a
329.	Christus unionis nodus	241.c

330.	Christus immunis ab omni peccati labe	256.b-c
331.	Christus Oceanus quidam e quo gratiarum amnes profluunt	68.c
332.	Christus finis et perfecta virtutum omnium consummatio	32.a, 112.a
333.	Christus sanctorum omnium nexus est	133.a
334.	Christus omnia iura regnorum disponit, calcaturque regum colla	69.a, 191.c
335.	Christus cur exercituum dominus.	191.c
336.	Christus praeteritarum rerum omnium et vaticiniorum nodus et finis	196.c
337.	Christus solus, rex magnus vere appellatur	192.d
338.	Christus signum contradictionis lapis offensionis	307b, 377.c-d
339.	Christus cur in signum factus cui contradicitur	297.a
340.	Christus persecutionum imago	59.b, 247.a-b
341.	Christus quibus malis in hoc mundo expositus fuerit	307.a, 309.b-d
342.	Christus mundo fabula	257.c
343.	Christus a fratribus suis contemptus.	257.a
344.	Christus verus psalmorum multorum interpret	361.c
345.	Christus peccatores non reiicit.	241.c
346.	Christus quomodo dona accipere dicatur	251.d
347.	Christus cur admonitus a patre.	4.d
348.	Christus hodie quoque in suis membris proditur, vaenit, crucique affigitur	171.a
349.	Christi nomen aeternum	268.b
350.	Christi nativitas	307.b
351.	Christi miraculosa nativitas	365.b-c
352.	Christi nativitas in quibus praefigurata	266.b-c
353.	Christi nativitas fructus	295.d, 303.c-d
354.	Christi aetas aurea deliniata	191.d
355.	Christi adventus maiestas descripta	144.c
356.	Christi divinitas perpetua	314.b
	{pdf 918, Index}	
357.	Christi naturae duae declaratae	364.b-c, 156.d, 313.c
358.	Christi regnum	238.d, 289.b, 294.c, 311.d, 313.d
359.	Christi regnum quo loco inceperit.	364.b-c
360.	Christi regnum quale	265.b-c, 329.b
361.	Christi regnum universale	266.d
362.	Christi regnum quam amplum.	266.d, 313.c
363.	Christi regni vis tota in misericordia consistit	60.c
364.	Christi regnum, et aequalis cum Deo potestas	322.a

365.	Christi absolutissima in Deo sapientia	256.d
366.	Christi sacerdotum quale	289.b, 365.b
367.	Christi voluntates duae	68.b-c
368.	Christi vita qualis	137.d, 214.c
369.	Christi mores et virtutes pulcherrime enarratae	79.d, 80.a
370.	Christi clementia; humilitas; in hoc mundo paupertas	259.c; 309.b; 260.b
371.	Christi beneficia erga genus humanum descripta	155.b, 6.c-d
372.	Christi iugum quam amoenum	259.a
373.	Christi crux quam aspera	301.a
374.	Christi in monte Tabor transfiguratio	312.b
375.	Christi in Iudaeos pertinaces imprecationes	259.b
376.	Christi ad patrem oratio charitatis plena	305.b-c
377.	Christi ad patrem pro sua Ecclesia oratio	271.b
378.	Christi conciones omnibus expositae	198.b-c
379.	Christi verba, iacula erant ignita	183.d
380.	Christi in genus humanum immensa beneficia	223.b, 256.a
381.	Christi anxia pro suis cura	255.d
382.	Christi meritum	364.d
383.	Christi meritum quam amplum	304.c-d, 327.d
384.	Christi sacrificium quam efficax.	363.b-c
385.	Christi perfecta et consummata victoria	365.d
386.	Christi divina praesentia descripta.	202.c-d
387.	Christi crux Iudaeis scandalum, gentibus stultitia	256.d
388.	Christi cum tenebrarum principe congressus	252.a
389.	Christi obsidio ostensa	74.b
390.	Christi victoria et triumphus	85.c
391.	Christi triumphantis arma	304.a
392.	Christi mors quam preciosa	251.a, 273.b, 293.b, 353.b
393.	Christi resurrectio ad quid prosit	247.b, 251.d
394.	Christi ascensio	251.d
395.	Christi ascensioni fructus	252.a
396.	Christi ascendentis in coelum dona	251.d, 252.a
397.	Christi absentia quid toti orbi incommodet	131.b
398.	Christi in spiritu effigies deliniata.	137.c
399.	Christi iudicium quam horrendum.	277.a
400.	Christi nomen cur David sibi attribuat	303.a
401.	Christi amici quomodo in terris tractati	215.a
402.	Christi sectatores cur habeantur odio	258.a
403.	Christi hostium descriptio	256.b-c
404.	Christum in psalmis continuum esse	8.b
405.	in Christo omnes sapientiae thesauri	254.b
406.	in Christo duae naturae	265.c, 313.c, 364.b-c

407.	in Christo duarum naturarum typus.	299.a
408.	Christianae vitae descriptio	335.b
409.	Christianae religiones hostes potentissimi	256.a-b
410.	Christianae nominis professio quid requirat	277.b
411.	Christiani animi officium	257.d
412.	Christiani hominis vita quomodo instituenda	275.d, 242.d, 309.a, 319.d, 374.b
413.	Christiani perfecti typus	320.b
414.	Christiani pectoris signa	374.c
415.	Christiani fucati qui	13.b
416.	Christiano nil turpius quam mortis metus	39.c-d
417.	Christianorum in religione quanta oscitantia	378.b-c
418.	Christianorum arces Christi hostibus ob custodum avaritiam proditae	197.d
419.	Christianorum reipublicae membra diversa	10.a
420.	Christianorum libertatem coelorum alterationibus subiectam esse, summa impietas	99.c
421.	Christianorum cum Turcis comparatio	396.a
422.	Cibus coelestis quam efficax	286.b
423.	Cirtae obsidio; expugnatio	347.c; 422.c
424.	Citrus arbor quae, et quomodo a Cedro differat	103.c
425.	Cives urbis sanctae descripti	408.c
426.	Clamor in scripturis cordis est, non vocis	11.d
427.	Clamoris significatio explicata	77.c
428.	Clementis VI [sic, VII], Pontificis max. mors	351.c
429.	Coelum crystallinum	446.a
430.	Coelum pro aere	23.d
431.	Coeli animati	255.a
432.	Coeli qui vocentur	203.d
433.	Coelorum descriptio	60.d
434.	Coelorum servitus ad Christi nutum	203.b-c
435.	Coelorum structura ordinatissima.	60.d
436.	Coelorum nova facies	341.a
437.	Coelorum animatorum deliciae	255.a
438.	Coelestium rerum profunditas	238.a
439.	Coelestium rerum memoria quam delicata	348.d
440.	Coelestium rerum cognitio quam necessaria	320.c
441.	Coenobia cur a veteribus instituta.	340.b-c
442.	Coenobiorum verus usus	276.b
443.	Cogitationes tetrae et immundae quae	32.b, 113.a
444.	Cogitatio sui vera, totius salutis ferme summa est	142.b
445.	Cognitio nulla neque in coelis neque in terris de salute nostra esse potest, nisi Christus nos doceat	76.c
446.	Cognitio rerum quando noxia.	401.a

447.	Collium nomine in sacris quid intelligendum	265.d
448.	Colloquiorum levitas vitanda	227.c-d
449.	Columbae significatio	218.d
450.	Columbarum similitudo	215.b-c
451.	Comedere fructus viae suae quid signet	298.a
452.	Commodi proprii studium	257.b, 344.b-c
453.	Conceptus hominum turpitudine summa	207.d
454.	Concilio universalis expectatio.	406.c
455.	Conciliorum celebrandorum robur et fundamentum	8.a
456.	Concilia et conventus sancti qui.	137.c
457.	Concionatoris divini sapientia; Vide Pastores.	199.a
458.	Concharum natura	346.d
459.	Concordiae piorum	237.b
460.	Concordia in Ecclesia Christi quam necessaria	302.a, 420.b, 421.a
	{pdf 919, Index}	
461.	Concordia in Christo quaerenda.	340.b
462.	Concordiae commendatio	306.c, 420.b
463.	Conditarum rerum trifaria divisio	347.b
464.	Confessio quid	21.b
465.	Confessio auricularis	333.d
466.	Confessio auriculares tam crebrae unde natae	246.b
467.	Confessio fidei quam necessaria.	246.a
468.	Confessio ad salutem sit intrepida.	354.b
469.	Conscientiae felicitas quae maxima.	18.d
470.	Conscientiae vulnera	156.a-b
471.	Conscientiae malae tormenta	8.c, 434.b-c
472.	Conscientiae purificatae splendori sol ipse cedit	25.b
473.	Conscientiarum tranquillitas.	266.d, 444.c
474.	Consilia Dei inscrutabilia	320.b-c
475.	Consilia nostra quid valeant	36.a
476.	Consilia impiorum adversus veros Christianos	300.a-b
477.	Consilarii principum pravi descripti	35.c
478.	Consolationis nervus ac robur praecipuum	396.c
479.	Consuetudines sanctae supplicandi Deo quatenus in Ecclesia ferendae.	70.a
480.	Constantia fidei	233.c-d
481.	Contemplatio rerum conditarum mirabilis	21.d, 22.d
482.	Contemptus Dei et proximi unde nascatur	269.d
483.	Contemptores veritatis piorum interitu gloriatur	273.d
484.	Contemptores Dei ac Evangelii quam graviter puniantur	301.a

485.	Contentiosos, mundi amantiores esse, quam Dei, qui pax summa est.	116.b
486.	Conventicula impia in Evangelii ex pugnationem	253.d
487.	Conventus religiosissimi qui	398.c
488.	Conversatio impiorum fugienda.	336.a-b, 385.a
489.	Conversio vera ad Deum quomodo fiat	304.a
490.	Conviciis non certandum	431.c
491.	Convivia sacra olim instituta, in quibus Deo gratiae agebantur	374.d
492.	Conviviorum luxus et impietas	Ibid.
493.	Cor, animae receptaculum	210
494.	Cor humanum nunquam suos sedare potest affectus et appetentias, nisi illis in rebus quae aeternae sunt.	147.b
495.	Cor coelestis origine esse	8.d
496.	Cor quando sanctarum cogitationum domicilium fieri possit	65.a
497.	Cor purum et immaculatum Deo offerendum	235.b-c, 238.c
498.	Cor maris, pro medio maris	189.d
499.	Cordis perversi indicia	29.d
500.	Cordis mundi excellentia	208.d, 209.d
501.	Cordis puritas quae	208.d
502.	Cordis laetitia quid differat a terrena	11.b
503.	Corde inquirendus Deus	380.b-c
504.	Cornu in sacris quot modis accipiatur	278.a
505.	Cornu pro potentia	312.d
506.	Cornu in scripturis pro robore, virtute, potentia, gloria, et regno denique	50.b
507.	Cornua altaris	378.c
508.	Corporis odorama detestabilia.	37.c-d
509.	Correctio quam varie accipiatur	329.a
510.	Correctio divina quam salutaris	313.d, 385.d
511.	Correctio fraterna quam necessaria.	257.b
512.	Corruptum et integrum quomodo fumantur	37.c
513.	Corvi nigredo in sacris quid	250.d
514.	Corvorum pulli quam mirabili Dei providentia alantur	443.a
515.	Corvorum Noe typus	250.d
516.	Coturnices vento in Hebraeorum castra allatae	286.c, 352.a
517.	Credientium numerus diminutus	33.d
518.	Credientium unitas	306.c-d
519.	Cremium quid	337.c
520.	Crudelitatis detestatio	363.b
521.	Crux semper piis imposita	350.c
522.	Crux quam necessaria hominibus.	337.b
523.	Crux cur piis interdum onerosa.	259.d, 279.b

524.	Crux piis est vita, impiis mors.	377.b
525.	Crucis via delicata	438.d
526.	Crucis tolerantia	366.a
527.	Crucis suavitas et mysterium quod	229.c
528.	Crucis mysterium priscis temporibus cultum	24.a
529.	Crucis piorum vera effigies	235.a, 267.d, 307.a, 374.d
530.	Crucis ac persecutionis imago Christus	247.b
531.	Crucis et afflictionis fructus	292.b, 377.b, 385.c-d
532.	Crucis ac afflictionum finis quam gloriosus Vide Afflictio.	236.c
533.	Cubile in scripturis pro secretioribus cordis latebris	10.c, 143.b
534.	Cultus divini et munditiei morum discrimen	77.d
535.	Cultus divini rudimentum primum, linguae candori ac munditiae assuescere	130.b-c
536.	Cultus divini summa, amor, non cruor aut timor	204.b
537.	Cupiditatum comparatio ad belluas.	18.d
538.	Curarum nimirum vanitas declarata	408.d, 409.a-b
539.	Custos malus suarum rerum, bonus haudquaquam aliorum esse poterit	28.d
540.	Cyniphes quid	351.c
541.	Cynomiae quid	288.b
542.	Cysarae ducis interitus	300.d
	D	
543.	Daemonis imago	347.d
544.	Daemones docti	253.c
545.	Daemonum at tempus filio Dei praevalere videntur	54.b
546.	Daemonum acuitas; nequitiae; insidiae	257.c; 91.c; 258.a, 288.b
547.	Daemonum vastum imperium in orbe terrarum ante accessum divini verbi	25.b
548.	Daemonum malorum nomina	319.b
549.	Daemonum venatio in animarum perniciem	403.b-c
550.	Daemonum vates furore temerario atque impotenti perciti, nihil quam falsa effutire poterant	165.b
551.	Daemonum castra descripta	96.b
552.	Daemonum victoria quali	134.c
553.	Daemonum natura	346.c
554.	Damnatorum cruciatus descriptio	199.c-d
555.	Dathan interitus	354.b
556.	David an omnes hos psalmos scripserit	417.b

557.	David cur in psalmis contraria interdum adferre videatur	317.a
558.	David divina providentia pastor factus	290.c
559.	David Ceilae urbis defensor	213.a
560.	David in multis fuit typus Christi-venturi	236.d
561.	David cur se Christum vocet	303.a
562.	David et sancti viri cur aliquando tam dira hostibus imprecati sint	17.d
	{pdf 920, Index}	
563.	Davidis et Mosis mira convenientia.	23.c
564.	Davidis doctrina	225.c
565.	Davidis domus pro Dei familia	399.d
566.	Davidis in lege domini peritia	293.c
567.	Davidis erga legem Dei studium	380, 381, 382, 383, 384.
568.	Davidis fides quam firma	311.b, 374.b
569.	Davidis humilitas	375.a
570.	Davidis in regem electio	313.a
571.	Davidis imperium quam latum	313.c
572.	Davidis regnum aeternum dicitur quatenus definit in Christum	96.c
573.	Davidis persecutiones; exilium; angustia in deserto Ziph.	232.c, 373.b, 374.c, 376.b-c, 426.d; 430.d; 234.c
574.	Davidis in specum Engaddi fuga.	432.d
575.	Davidis scelus horrendum; poenitentia	207.a; Ibid.
576.	David factae de Christo promissiones	311.b, 315.b
577.	Davidi perpetua seminis successio promissa	311.b
578.	Davidi cur ob adulterium, promissiones divinae non factae sint irritae	313.b
579.	Deber daemon	318.c
580.	Decoctores haereditatem et bonorum ecclesiasticorum notati	161.a
581.	Defectio a fide quam perniciosa.	272.c
582.	Defectionis ultroneae a Deo indicium	55.b
583.	Defectionis Aegyptorum a fide.	254.d
584.	Delatorum impudentia	214.b
585.	Dentium significatio in sacris.	224.c
586.	Desperatio aliquando homines etiam perfectissimos occupat	116.c
587.	Detrectatio unde nascatur	363.b
588.	Detrectantium ingenia	270.c

589.	Detrectationis detestatio	336.b
590.	Deus nomina omnia, et nullum nomen habet	21.c-d
591.	Deus talis nobis est, qualem volumus nos esse ac credimus	55.d, 317.a
592.	Deus in scripturis more humano se nobis accomodat	33.a
593.	Deus absque simulachris cultus olim.	371.c
594.	Deus solus adorandus, et creaturae creatori non praeferendae.	327.d, 328.a
595.	Deus ubique et in omnibus	427.c
596.	Deus cur in coelis habitare dicatur.	67.c
597.	Deus quare certam sibi sedem in qua rogaretur praescripserit	65.d
598.	Deus in iudiciis non praeventendus.	103.d
599.	Deus in bonorum omnium copiae cornu	116.d, 262.c, 348.a
600.	Deus solus vere immaculatus ex se et est, et dici debet, nos vero per ipsum	57.b
601.	Deus in electorum cordibus qualem sedem habeat	330.a
602.	Deus suis semper praesens	352.a
603.	Deus perpetuus indefessusque suae Ecclesiae defensor	198.a
604.	Deus vicissitudine miseriarum et consolationum suos experiri solet	108.b
605.	Deus perfectissimos quoque interdum usque ad desperationem animi exagitari finit	174.d
606.	Deos suos igne adversitatem exercet	33.a
607.	Deus immutabilis	234.b, 314.a, 341.a
608.	Deus quibus placari possit virtutibus	328.b
609.	Deus sua dona vult nostra esse	46.a
610.	Deus cur terribilis esse a scriptura dicatur	327.d
611.	Deus quam constans in suis promissionibus; Vide promissionibus	255.c, 355.a
612.	Deus admonet antequam puniat.	355.a
613.	Deus eo proposito mortalis factus est, ut homo homini abolitam naturae legem innovaret	81.a
614.	Deus licet nefarios interdum homines in pios concitet, eos tamen non inultos finit	288.d
615.	Deus per daemones et angelos malos interdum punit homines.	288.b
616.	Deus oblivionis cur a piis accusetur	276.d
617.	Deus qua ratione quaerendus et inveniendus a peccatoribus	393.a
618.	Deus semper laudandus quoquoversum se sors et fortuna vertat	127.b, 312.a, 348.b, 357.d
619.	Deus quare ignis urens dicatur	345.c
620.	Deus zelotypus animarum	326.b

621.	Dei bonitas imperscrutabilis	342.d, 343.a
622.	Dei bonitatis deliniatio	83.b
623.	Dei digitus est ipse Spiritus sanctus	23.a
624.	Dei facies pro visitatione eius	115.a
625.	Dei vox seu verbum, vis et virtus eius appellatur	102.d, 103.a-b
626.	Dei nomen quid	65.c
627.	Dei nomen fortissimum	67.b
628.	Dei nomen cognoscere quid	319.b
629.	Dei nomen cur toties in psalmis inculcatum fidelibus	252.c
630.	Dei nomen duabus rationibus extollendum	255.b
631.	Dei nomen celebrandi desiderium unde nascatur	255.b
632.	Dei facies seu vultus quid	97.d
633.	Dei facies vera de illo notio est.	173.d
634.	Dei aures, sapientia et misericordia	110.c
635.	Dei uterus quid	365.b
636.	Dei clypeus	303.b
637.	Dei viis inambulare quid	411.c
638.	Dei praesentia in omnibus consideranda	298.d
639.	Dei super arcam foederis praesentia.	274.a
640.	Dei sedes descripta	51.b
641.	Dei cum Adae posteris pactum aeternum	372.c
642.	Dei cum Abrahamo pactum quale.	349.c-d, 352.b
643.	Dei in distinguendis moderandisque rebus conditis providentia.	275.c
644.	Dei magnitudo in terris quae	222.c
645.	Dei imperium omnibus numeris perfectum	351.d
646.	Dei potentia quam immensa	332.c
647.	Dei aeterna potestas ex quibus intelligenda	323.d
648.	Dei benignitas declarata	88.a
649.	Dei ingentia in nos beneficia	124.d, 233.c, 245.b-c, 252.b, 262.c, 363.d
650.	Dei in infimae sortis homines beneficia	245.a-b, 248.b, 298.d, 343.c, 345.c-d, 346.a-b
651.	Dei benevolentiae erga electos signa	280.b
652.	Dei dona etiam in Ethnicis agnoscenda	41.d
653.	Dei absque Christo nulla cognitio.	333.b
654.	Dei erga invocantes se clementia.	262.a
655.	Dei clementia etiam erga rebelles quam magna	356.c
656.	Dei longanimitas	176.-c, 287.c
	{pdf 921, Index}	
657.	Dei misericordia quam multiplex	245.c 258.a-b
658.	Dei misericordia quam abundans	342.b-d

659.	Dei erga suos vigilantia	293.b
660.	Dei iustitiae quae	110.b
661.	Dei maiestas ac splendor	255.c
662.	Dei sapientia in creaturis admiranda	345.c, 346.a
663.	Dei consilium immutabile	234.b-c, 349.d
664.	Dei consilia inscrutabilia	320.b-c
665.	Dei consilia immensa, et quae omnem numerum et cogitationem excedant	165.d
666.	Dei verbum pro signo et vexillo esse	229.d
667.	Dei verbum verum animae edulium	78.b
668.	Dei vox fortissima contra Hiericontos	105.a
669.	Dei verbum rerum conditarum exordium atque origo	125.d
670.	Dei vox etsi supera et infera omnia perterrefaciat, suos tamen occultissimum in modum recreat	105.b
671.	Dei populus qualis	8.a
672.	Dei servus quis	141.d
673.	Dei filiorum felicitas descripta	152.d
674.	Dei voluntas quomodo exploranda	380.d
675.	Dei furor et ira quae	15.c
676.	Dei ira quam terribilis	279.d
677.	Dei irati signa	288.b
678.	Dei, aut Dei nominis invocatio.	39.c
679.	Deum in sole habitare quid	62.b
680.	Deum magnificare quid	140.d
681.	a Deo eiusque verbo discedere quam periculosum	271.c
682.	Deo vel tantillum absente recidunt omnia in peius	47.b
683.	de Deo non superbe vel temere loquendum	278.a
684.	Deo soli omnis debetur gloria.	255.a-b
685.	Deo gloriam offerre quid	102.c
686.	Dii alieni qui	297.b
687.	Dii qui in scriptura appellantur.	102.a, 202.b
688.	Dii appellantur principes ac magistratus	298.d
689.	Dii gentium non adorandi neque colendi	327.d, 328.a, 330.b-c
690.	Deorum simulachra detestantur.	330.b
691.	Deorum terrenorum explicatio.	297.c
692.	Dextera Dei pro virtute et potentia eius; pro vita aeterna; pro misericordia	47.d; 46.a; 18.a
693.	Dextera patris Christus	57.d
694.	Dextera Dei quid	197.a, 377.a
695.	ad Dexteram patris sedere	364.c
696.	Dialogorum ratio	318.d
697.	Diabolus mendaciorum pater	242.b

698.	Dialectica tractandarum scripturarum spiritualis, quieta et pacifica est, non illa contentionum plenissima	31.b
699.	Dies coeli quid	313.d
700.	Dies pro fortunatis vitae successibus in sacra scriptura frequenter sumi	175.d
701.	Dilectionis fraternae commendatio.	274.c, 287.b
702.	Dilectionis fructus	261.a-b
703.	Diluvii aquae quid portenderint	105.c
704.	Diplois vestes	364.a
705.	Discipulorum Christi symbola quae	274.c
706.	Discordiae detestatio	252.d, 306.c-d, 373.d
707.	Discordia in Ecclesia Christi quam perniciosa	301.d
708.	Discordiarum fabricatores plurimi, pacis vero perpauci	396.b
709.	Dispensationis divinae ordo mirabilis descriptus	101.b
710.	Disputationes de gratia et arbitrio impudentes notatae	126.c
711.	Dissidium inter Ecclesiae proceres subditosque eleganter depictum.	169.b
712.	Dissipator quis	47.a
713.	Divina non nisi in vasa tanti numinis capacia infundi debent	198.d
714.	Divina in improbos severitas.	238.a-b
715.	Divinae potentiae signa	329.c-d
716.	Divini in nos furoris signa	310.b-d
717.	Divitiae qua conscientia parandae.	234.a
718.	Divitiarum natura	368.c
719.	Divitiarum ratio quae esse debeat.	148.c
720.	Divitiarum usus legitimus	369.b
721.	Divitiarum fragilitas	239.c
722.	Divitum in hoc mundo conditio.	149.b, 269.d
723.	Divitum descriptio	129.d
724.	Divitum impiorum exitus	202.a
725.	Doctores falsi qua ratione hominibus imponant	387.a
726.	Doctorum legis divinae arrogantia et perversitas notata	206.a
727.	Doegi crudelitas	210.d, 262.b
728.	Doegi delatoris assentatorisque interitus	211.c
729.	Dolus leviter, etiam cum non suspicamur, in spiritum clam repit.	119.a
730.	Dolum in spiritu versari quid	118.b
731.	Doloris descriptio	50.c-d
732.	Doloris notae	309.d, 310.a
733.	Dominus exercituum descriptus	9.c
734.	Domini tribus	399.b-c

735.	Domino canendum esse	26.a
736.	Domus iniquitatem	276.b
737.	Donec, indeterminatum tempus apud Hebraeos significat	364.d
738.	Dormire cur Deus interdum videatur	280.a, 339.a
739.	Dorsum incurvare quid	359.a
740.	Draco in veteri testamento quam varie accipiatur	275.b
	E	
741.	Eboris castitas	186.c
742.	Ecclesia magna, gentium multitudo significatur	138.c
743.	Dei Ecclesia quorsum erecta in terris	196.d
744.	Ecclesia Christi	370.c
745.	Ecclesiae definitio	67.d, 76.c
746.	Ecclesia bonis ac malis hominibus mixta	248.c
747.	Ecclesia cor unum et anima una in domino	241.c
748.	Ecclesia una tantum quae sponsa Christi	247.c
749.	Ecclesia Dei haereditas	249.c
750.	Ecclesia malignantium	253.d, 279.a
751.	Ecclesia suum splendorem a Christo accipit	266.b
752.	Ecclesia quibus artibus dissipetur ab impiis	274.a-b
753.	Ecclesia Christi quam misere lacerata hodie	291.a-c
754.	Ecclesia quantopere a Deo diligatur	273.b, 308.a-b
755.	Ecclesia cur lunae assimiletur	314.b
756.	Ecclesia Christi quam sit ampla.	322.d
757.	Ecclesia Christi quibus subnixa praesidiis	328.c
758.	Ecclesia quam improbis hominibus infecta	336.d
759.	Ecclesia naevis quidem aspergitur, sed non deletur	337.a
760.	Ecclesia Christi a gentibus instauranda	339.a
761.	Ecclesia Christi ex quatuor mundi partibus collecta	357.a-b
762.	Ecclesia ancilla iustitiae	375.b
763.	Ecclesia arca sanctificationis est	418.b
	{pdf 922, Index}	
764.	Ecclesia sanctorum et malignantium.	447.a-b
765.	Ecclesia suo sponso semper laetatur.	447.b
766.	Ecclesiae nostrae status notatur.	66.d
767.	Ecclesiae fundamenta, vates et patriarchae	109.d
768.	Ecclesiae puritatem ac sanctimoniam e turpissimis sordibus exuscitatam esse, miraculum ingens	188.a
769.	Ecclesiae exultantis gestus eleganter descripti	192.b-c
770.	Ecclesiae dominatio et potestas immensa	193.a
771.	Ecclesiae pulchritudo depicta	195.b
772.	Ecclesiae fundamentum;	204.a, 308.a, 328.c;

	quam firmum	277.d
773.	Ecclesiae puritas; felicitas; ubertas	238.b, 256.c; 241.b; 241.b-c
774.	Ecclesiae Christi vera bona	239.c
775.	Ecclesiae Christi iurisdictio	240.b
776.	Ecclesiae alae	250.c
777.	Ecclesiae antistitum munus	250.b
778.	Ecclesiae qui candor et ornatus.	250.c
779.	Ecclesiae candor ex Christi vulneribus	251.a
780.	Ecclesiae spiritualis pompa	253.b
781.	Ecclesiae consolationes.	273.b, 277.b
782.	Ecclesiae verae progressus	277.d
783.	Ecclesiae nomen cur etiam male et et [sic] impii recipiant	279.a
784.	Ecclesiae limites	294.d
785.	Ecclesiae typus	254.c, 260.d, 279.a, 294.d, 296.d, 328.a
786.	Ecclesiae sinus	302.b
787.	Ecclesiae dignitas	308.a-b
788.	Ecclesiae Christi descriptio	312.c, 322.c-d
789.	Ecclesiae reformatio quam necessaria	339.b-c
790.	Ecclesiae principes	354.a
791.	Ecclesiae ministri, Dei virtus, per verbum	254.b
792.	Ecclesia fidelium communio	255.c
793.	Ecclesiae muri sanctorum animae.	261.a
794.	Ecclesiae persecutio	261.d, 299.d, 419.d
795.	Ecclesiae fabrica quam artificiose a Paulo descripta	375.c-d
796.	Ecclesiae caput Christus	418.a
797.	Ecclesiae cum Christo affinitas	418.d
798.	Ecclesiae lucerna	419.d
799.	Ecclesiae concordia ad quid prosit.	340.b, 375.d, 420.b
800.	Ecclesiae species	419.d
801.	Ecclesiarum bona hodie minutissimi quique magistratus pro libidine et impune depopulantur.	400.a, 401.c
802.	Ecclesiae pastores sine spiritu sancto frustra laborabunt	255.b
803.	Eclipsis seu defectus dictionum admodum familiaris scripturae	101.d
804.	Effundere in sacris quid	233.d
805.	Elati animi certa indicia; Vide Superbiam.	336.c
806.	Electio	239.b, 316.a
807.	Electio non ex merito pendet	313.a
808.	Electionis ratio	290.a-b

809.	Electi moriuntur ut semper vivant	36.c
810.	Electi et sancti qui sint	129.a
811.	Electi viva Dei templa	330.a
812.	Electorum multitudo semen Dei appellatur	60.c
813.	Electorum praemia	239.b-c
814.	Electorum Dei conditio	306.c, 444.c-d
815.	Electorum corpus quidem sed fides nequaquam laeditur	318.c
816.	Electorum cum Deo testamentum.	311.c
817.	Electorum dolor in hoc mundo.	393.c
818.	Eleemosynae commendatio	369.b
819.	Elementorum concussionones quare a Deo factae	51.d
820.	Elisaei visio quid prae se tulerit	128.d
821.	Eloquia Dei quanto studio prosequenda	381.b-c
822.	Emanuelis nomen explicatum	191.c
823.	Ephraim superbia	284.c
824.	De Ephraim tribu cur carmen suscipere Christus noluerit	290.b
825.	Ephraim tribus in Deum tumida regnum affectavit	290.c
826.	Ephraim quid	417.d
827.	Episcopi sedes qualis esse debeat.	195.d
828.	Episcoporum munus	250.d
829.	Episcoporum ac pastorum Ecclesiae officium	251.a, 253.c-d, 438.b
830.	Equorum in sacris significatio	279.d
831.	Erubescitiae commoda enumerata.	86.b-c
832.	Esdrae exemplum	210.a
833.	Ethan musicorum princeps	311.a
834.	Evangelium praedicare omni creaturae, quid sit	189.b
835.	Evangelium rerum omnium bonarum finis et terminus	191.b
836.	Evangelium quibus revelandum	311.d
837.	Evangelium pure ac absque somniis praedicandum	253.d
838.	Evangelium in omnem terrarum orbem late spargendum	260.d
839.	Evangelium qua fide ac diligentia populo praedicandum	378.a-b
840.	Evangelii verba qualia puris aut impuris appareant	198.d
841.	Evangelii iugum levissimum	205.b
842.	Evangelii vis et excellentia	204.b
843.	Evangelii imago per Davidem expressa	221.b
844.	Evangelii salutaris splendor	317.d
845.	Evangelii suavitas	249.d
846.	Evangelii perpetuitas	367.c, 387.b-c
847.	Euax dictio exultantis	261.c

848.	Euge vox exultantis	Ibid.
849.	Eucharistiae fructus	366.d
850.	Exasperare in sacris quid	248.c
851.	Exequiarum ratio descripta.	408.a-b
852.	Exercitia spiritualis non parum prudentiae exigunt	106.c
853.	Ezechiae victoria memorabilis.	278.d, 276.a
	F	
854.	Facies pro favore	349.b
855.	Faciem peccatorum sumere quid	299.a
856.	Faciem avertere in sacris quid.	418.c
857.	Fames verbi Dei	228.c
858.	Fames Dei flagellum	350.b, 359.d
859.	Familia quomodo gubernanda	335.d
860.	Familiae integrae nostra aetate, parentum impietate funditus extinctae	70.c
861.	Familiaritas cum piis tantum hominibus habenda; Vide Conversatio	385.a
862.	Fastus et superbiae descriptio; Vide superbiam	31.a
863.	Favor divinus qua ratione conciliandus	245.a
864.	Favus vetus testamentum adumbrat	63.c
865.	Felicitas haec inferna, miseria est.	38.d
866.	Felicitas vera cum falsa ista comparatur	49.c
867.	Felicitas vera quae	126.b
868.	Felicitas vera in quibus consistat.	211.d, 302.b, 303.c-d, 304.c
869.	Felicitas impiorum	269.a, 270.a-c
870.	Felicitatis totius summa	126.a
871.	Felix vere quis dici possit	199.b
872.	Felicem fuisse summa est infelicitas.	74.a
873.	Felices quosdam ideo videri, quia impii et scelerati	404.b
874.	Fertilitatis causae	360.a
	{pdf 923, Index}	
875.	Fideles qui	42.d
876.	Fidelium animis quae desideria inesse oporteat	410.c
877.	Fides rei christianae summa	66.d
878.	Fides animae gloria appellatur.	188.c
879.	Fides Ecclesiae turri munitissimarum urbium comparata	197.c
880.	Fides etiam politica sanctissime colenda	336.c
881.	Fides animae cibus saluberrimus.	358.d
882.	Fides Davidis quam constans	374.b

883.	Fides porta ad iustitiam assequendam.	377.b-c
884.	Fides vera nunquam est ociosa.	383.d
885.	Fidei perfectissima definitio	375.c
886.	Fidei verae argumentum et indicium quod	286.a
887.	Fidei stabilitas ac constantia	211.d
888.	Fidei lex quae	211.d
889.	Fidei probatio quam necessaria	243.b
890.	Fidei lumen unde	245.b
891.	ad Fidei confessionem quae requirantur	246.a
892.	Fidei praeconium	249.d
893.	Fidei imbecillitatis causa	256.d
894.	Fidei et dilectionis unitas	261.a
895.	Fidei obedientia descripta	204.a
896.	Fidei gradus duo	205.a
897.	Fidei summa in quibus consistat	234.b
898.	Fidei naufragium ex episcoporum negligentia	277.a
899.	Fidei rudimenta in qua Iudaeae parte orta	312.b
900.	Fidei vis; virtutes	331.d, 342.d, 351.b; 337.b, 383.c
901.	Fidei confessio ad quid prosit	348.d
902.	Fidei necessitas	349.b-d, 352.d
903.	Fidei labefactantis imago	354.a
904.	Fidei modicae exemplum memorabile	355.c-d
905.	Fidei neglectus omnium malorum causa	358.c
906.	Fidei signa quam necessaria	383.d, 384.c-d
907.	Fidei in adversis constantia quam necessaria	430.d
908.	Fidei praecipuum argumentum quod	51.a
909.	Fide erga Deum ipsa quoque rerum natura immutari potest	46.d
910.	Fide gratis iustificamur	233.c, 357.d
911.	Fiduciae definitio	92.d
912.	Fiduciae in Deum vis	169.c
913.	Figuram et troporum cognitio necessaria est ad psalmos	35.b
914.	Filii Dei qui dicantur	261.b
915.	Filii pauperum qui	266.a
916.	Filii pro parentum delictis cur puniantur interdum a Deo	460.d, 292.b
917.	Filii Adam	316.a
918.	Filii a parentibus obliti in sacrificiis Moloch	356.a
919.	Filiorum defectio explicata	59.c
920.	Filiorum in parentes pietas in quibus consistat	284.b
921.	Finis in psalmis quomodo intelligatur	8.b
922.	Firmare pro exaltare	351.a
923.	Flagellarum nomine scriptura quid velit	269.d

924.	Flumina longo sub terra ferri intervallo, et tandem emergere	84.a
925.	Fluminum usus	345.c-d
926.	Foedus Dei antiquum cum homine.	55.c
927.	Foederis summa inter Deum et hominem	90.b-c, 311.b-c
928.	Folengius qua fide ac diligentia haec sua commentaria scripserit	280.b, 317.a-b
929.	Folengius quot annos egerit in coenobio	445.a
930.	Folengius deplorat vitae suae condiciones	337.b
931.	Folengius quando haec sua commentaria absolverit; quid potissimum in iis quaerat	445.b; 255.d
932.	Folengii parentes; patria; fratres	321.d; 355.b, 388.a; 445.b
933.	Folengii in Surrentinis agellis latitantis oratio ardens	415.a
934.	Folengii deambulationes amoenissimae	389.d
935.	Folengii aetas	337.b, 445.a
936.	Folium in scripturis quid significet.	2.b
937.	Fontium usus	345.c-d
938.	Fornicatio in rebus spiritualibus	356.b
939.	Fortitudo summa et doloris immensitas in pectore Christi coniuncta	72.c
940.	Fortunae insolentia	360.c
941.	Fortunae mutatio; unde procedat	271.c-d; 282.b
942.	Fortunarum et divitum vita ampullosa	146.b
943.	Fraterni amoris memorabile exemplum	354.d
944.	Fructus boni arboris qui	2.a
945.	Fructus spiritus quid vocet Paulus	239.c
946.	Frugum copia unde	360.a
947.	Fulgura divina quae	53.b-c
948.	Fulminis natura	345.a
949.	Fulminis miraculum in Casino monte spectatum	52.c
950.	Fumigationes in sacrificiis unde	431.a
951.	Fumi natura egregie depicta	150.b
952.	Funeralium sumptus notati	132.c
953.	Funibus olim haereditates metiebantur	44.b
954.	Fures in ecclesia Christi quid tentent	240.a
955.	Furoris diversa significatio	17.b
	G	
956.	Gabelitarum origo	300.c
957.	Galaad ubi	230.b
958.	Gaudium verum in quibus consistat	334.c-d
959.	Gaudii solidi sedes in corde	45.a

960.	Gaudii coelestis et solidi descriptio.	405.c
961.	Gedeonis stupendum miraculum.	266.b
962.	Genitricum immundities	208.a
963.	Gentium ritus impiissimi descripti.	43.b-c
964.	Gentium ecclesia quare ampla dicatur	77.c-d
965.	Gentes quae dicantur	3.b
966.	Gentes impurae et exleges e mundo et terra viventium eiiciendae.	31.b
967.	Gentes in sacris quid	292.c
968.	Gentium ad Evangelium vocatio.	240.b, 254.d, 260.c, 266.d, 267.a-b, 289.a, 294.c, 306.b, 308.b-c, 328.b, 329.a, 330.a, 365.a, 370.c, 375.c
969.	Gerrones futiles a iustorum congregatione longe expellendi	41.b
970.	Gestus corporis animi indicium.	434.d
971.	Gigas pro viro forti et strenuo.	125.b
972.	Gloria pro divinorum beneficiorum memoria	109.c
973.	Gloriatio sanctorum in quibus rebus consistat	447.c
974.	Gloriatio nominis Dei in quibus consistat	268.c
975.	Gloria solida	15.a
976.	Gradus in ecclesia	420.d
977.	Gradus perfectionum	216.a
978.	Graecorum haeretici conciliis victi	7.d
979.	Graecorum persecutio	292.d
980.	Gratiae divinae natura quam sit excellens	100.b
	{pdf 924, Index}	
981.	Gratiae Evangelicae dignitas	313.d
982.	Gratitudo erga Dei beneficia.	262.c
983.	Gratitudo erga Deum	331.d
984.	Gregorii Novariensis mors	324.b*
	H	
985.	Haereditas aeterna	4.d
986.	Haereditas Dei est Ecclesia.	249.c
987.	Haereditas divinae status	231.d, 367.b
988.	Haereditates olim funibus metiebantur	44.b
989.	Haraboth quid apud Hebr.	248.a
990.	Harmoniae in sacris usu; Vide Musicam	448.d
991.	Hebraeorum magna impietas	286.d, 287.a-d
992.	Hebraeorum in Aegypto clamor.	297.a
993.	Haereticus in Ecclesia magis tolerandus quam hypocrita	380.d

994.	Haereticorum persuasiones quam perniciosae	387.a
995.	Heman Levitarum sapientissimus; Musicorum princeps.	309.a; Ibid.
996.	Hermon mons	312.b, 420.d
997.	Herodes perturbatus gentium typus	203.a
998.	Hierusalem coelestis quae	399.b
999.	Hierusalem urbis cur tam crebra mentio	403.c-d
1000.	Hierusalem quare regis magni civitas appellata fit	195.b
1001.	Hierosolyma perturbata Iudaeorum typus	203.a-b
1002.	Hierusalem Ecclesia typus	210.c
1003.	Hierusalem devastationis vaticinia.	272.d
1004.	Hierusalem devastatur	291.a, 424.c
1005.	Hierusalem manufacta, et coelestis.	307.c-d
1006.	Hodie, dictio bifariam explicata	4.c
1007.	Holocaustum quid	244.a
1008.	Homo an maior angelis	23.b
1009.	Homo quanto minor beatis spiritibus	23.b
1010.	Homo qualis	27.c-d
1011.	Homo quicquid sibi arrogaverit, id totum divino honoris detractum aestimet	85.a
1012.	Homo in deligendo bono facile caecutit	89.d
1013.	Homo ipse humilis quomodo Deum exaltare dicatur	107.b
1014.	Homo quam miserum fit animal	15.d
1015.	Homo interior quis	178.a
1016.	Hominis via quae dicatur	1.b
1017.	Hominis conditio descripta	71.c
1018.	Hominis primi casus miserrimum quotidie deflendus	413.b
1019.	Hominis feritas descripta	200.b-d
1020.	Hominis animae praestantia	229.b
1021.	Hominis ortus duplex	209.d
1022.	Hominis Christiani in hoc mundo officium	372.d, 373.a
1023.	Hominis nobilitas	Ibid.
1024.	Hominis miseria; et fragilitas	202.b, 343.a; 255.d, 440.c
1025.	Homini vita cur data	16.c
1026.	Homini nil maius quam ipse Deus.	49.c
1027.	Homines dii appellantur mediatore divino spiritu	23.d
1028.	Homines ad perscrutanda Dei iudicia prorsus hebetes	28.a
1029.	Homines eo longiore intervallo a Deo distant, quo viciniore spacio vitiis insistent	85.b
1030.	Hominum perfectissimorum mos.	87.d
1031.	Hominum labes ac morbi varii descripti	93.d
1032.	Hominum genus infelicissimum	407.c

1033.	Hominum inconstantia et fallacia descripta	129.c
1034.	Hominum persuasiones ventosae descriptae	163.b
1035.	Hominum genus omne quomodo populus Dei vocatum	204.a
1036.	Hominum vanitates	233.d
1037.	Hominum mutabilitas	376.b
1038.	Honores studio et anxietate quaesiti, non honores, sed merae curae et profana negocia appellari debent	96.c
1039.	Honores ambiendi mos corruptissimus	335.c
1040.	Honoribus cur cumulentur impii.	233.a-b
1041.	Hora nulla, nullus locus a daemonum laqueis tutus	111.b
1042.	Hostiae omnes sanguinariae umbra fuere sanguinis in cruce oblati.	43.c
1043.	Hostiarum ratio	361.a
1044.	Hostes Evangelii cur piis feliciores in hoc mundo	269.a-b
1045.	Hostes Christi qui	364.d
1046.	in Hostes suos cur sancti interdum tam graviter invehantur	386.b
1047.	Hostium Christi audacia	274.b
1048.	Humanae naturae conditio	264.c
1049.	Humanarum traditionum vilitas	203.d
1050.	Humilium preces exaudit Deus	339.c
1051.	Humilitas sola legis divinae sensum assequitur	63.a
1052.	Humilitatis descriptio	91.b
1053.	Hyadum sydus	329.d
1054.	Hypocrita cur peccator in psalmis dictis	205.c
1055.	Hypocrita haeretico multo deterior	380.d
1056.	Hypocritarum descriptio	173.b, 205.c-d, 233.b, 357.a, 380.d
1057.	Hypocritarum turba copiosa.	256.b
1058.	Hypocritarum superbia	381.c
1059.	Hypocritas detestatur Deus	287.b, 303.b
1060.	Hyssopi herbae descriptio	208.b
	I	
1061.	Iacob cur Israelis nomen adeptus in Iacob tribus omnes originem duxerunt	349.c 289.d
1062.	Idolatria finis impietatis	295.b
1063.	Idolatria Hebraeorum	297.b-c
1064.	Idolatria vera	297.c, 371.d
1065.	Idolatriae peccatum quam late sese extendat	330.a-b
1066.	Idolatriae detestatio	327.d, 328.a, 330.b
1067.	Idolorum cultus unde ad nos translatus	371.c
1068.	Idumaeorum origo	300.c
1069.	Iecur quid in sacris	270.a

1070.	Ieduthun instrumentum musicum	281.a
1071.	Ieiunia precationibus semper coniuncta	363.d
1072.	Iesus cur dictus Christus	268.c
1073.	Ignis carbones pro fulgetris ac fulminibus	53.a
1074.	Ignis occultus de coelo lapsus holocausta quondam absumebat	66.a
1075.	Ignis coelestis descriptio	203.a
1076.	Ignis pro persecutione	243.b-d
1077.	Ignis spiritus sancti typus	255.b, 285.a
1078.	Iha dictio quid Hebraeis	252.b
1079.	Imagines deorum rudiorum sunt documenta	371.c
1080.	Imber quid in sacris significet.	249.b-c
1081.	Imperantibus quae scitu necessaria.	290.d
1082.	Imperatoris officium	336.c, 367.b
1083.	Imperfectiones nostrae quae	38.a
1084.	Impietas nulla tam execrabilis, quin per Christum possit abluī	303.a
1085.	Impietatis radix praecipua, ad consideranda Dei opera non applicare animum	100.d
1086.	Impietatis simulachrum	29.b
1087.	Impietatis gradus qui	299.c
	{pdf 925, Index}	
1088.	Impietatis captivitas	363.b
1089.	Impii hominis descriptio	1.a-b, 357.c
1090.	Impii si dilata a Deo poena, exaltentur sicut Cedri Libani, ferendi sunt aequo animo	103.d
1091.	Impii frequenter in scriptura mari aestuanti comparati	189.d
1092.	Impii saepenumero cadunt in laqueum, quem posuerunt piis	233.a
1093.	Impii in hac etiam vita puniuntur a Deo	236.b
1094.	Impii quibus artibus pios traducant et invisos reddant aliis	236.b
1095.	Impii vitae exitum non considerant.	269.c
1096.	Impii quaecunque expetunt, assequuntur, sed non sine magno male.	286.c-d
1097.	Impii puniti a Deo deteriores fiunt.	287.a
1098.	Impii non temere damnandi	287.b
1099.	Impii admoniti ac castigati, interdum resipiscunt	301.b
1100.	Impiorum animae et mores descripti	12.d, 218.c
1101.	Impiorum potentia et successus	29.a
1102.	Impiorum insidiae depictae	30.a-b
1103.	Impiorum successibus invidere, est tales successus etiam suos esse velle	145.d, 146.a

1104.	Impiorum studia frequenter paleis comparata	2.c
1105.	Impiorum conatus	213.c
1106.	Impiorum poena gravissima	176.c, 236.b, 247.c-d, 252.d, 259.b-c, 267. d, 289.a, 321.a, 325.c
1107.	Impiorum contra Christum consilia	237.c, 328.a, 300.a
1108.	Impiorum conatibus non resistit Deus, sed ad tempus tantum	238.a
1109.	Impiorum calumniae	257.a
1110.	Impiorum natura ac ingenium	259.d, 287.a, 371.c
1111.	Impiorum in hoc mundo felicitas.	201.c-d, 202.a, 224.d, 269. a-c, 270.c-d, 271.c-d
1112.	Impiorum interitus crudelis	176.d, 177.a, 300.d, 301.a
1113.	Impiorum in Ecclesiam Christi crudelitas	232.d, 274.b, 307.a
1114.	Impiorum consilia coelitus dissipantur	279.b-c
1115.	Impiorum concordia ad suppressendos pios quam firma	300.b
1116.	Impiorum ira toleranda ad tempus.	321.b
1117.	Impiorum felicitate pii etiam offenduntur	323.b
1118.	Impiorum de Deo iudicium	323.c
1119.	Imprudencia est, si nos constantiores et solidiores in fide futuros speremus quam ipsi viri perfectissimi fuerint, David et Petrus.	108.b
1120.	Inanimatae res cur Deum laudare dicantur	331.d, 332.a
1121.	Inclyti qui	9.a
1122.	Incredulitatis malum quam amplum	286.a
1123.	Induere in sacris quid	322.b
1124.	Infantium et lactentium argumentum mirabile	22.a-b
1125.	Infelix qui	38.d, 39.d
1126.	Inferni significatio in sacris	16.d, 306.d, 309.c, 324.c
1127.	Inferi qui	16.d
1128.	Inferorum cruciatus	372.d
1129.	Infidelitatis summae indicium quod	55.b
1130.	Infidelitatis contra Deum notae.	338.a
1131.	Infirmittatis propriae consideratio quid efficiat	87.b
1132.	Ingenia praeclara quomodo hodie perdantur	84.a, 153.b
1133.	Ingratitudo mundi erga immensa Dei beneficia	138.d, 260.b, 269.d, 284.d, 297.b, 312.a, 327.a, 332.a, 349.b-c, 361.d
1134.	Ingratitudo mundi erga Evangelium	254.d
1135.	Ingratitudo Iudaeorum quam magna.	286.d
1136.	Ingratitudo fons omnium peccatorum	319.b

1137.	Ingratitudo patrum erga Deum.	352.c
1138.	Ingratitudinis vitium explicatum	136.b
1139.	Ingratitudinis detestatio	373.b
1140.	Inimici mentiuntur quo potentiam adversantium imminuant	242.a
1141.	Inimici quatenus odio habendi.	389.b
1142.	Iniquitas summa quae	211.c
1143.	Iniquitatis filii qui dicantur	313.b
1144.	Iniquitatis nomine omnia simul peccata complectuntur	358.c
1145.	Innocentis definitio	84.b
1146.	Innocentia semper in terris male habita	258.d, 214.b, 237.c
1147.	Innocentia cordis dei sedes	290.d
1148.	Inopia pro afflictione	310.a
1149.	Insignia omnia quibus in dei Ecclesia inter caeteros conspicui sumus, servitutem magis, quam imperium aut dominium portendunt	102.b-c
1150.	Insultatio victis plerunque acerbior quam ipsa mors	36.c
1151.	Intellectus vis una, non plures	27.b
1152.	Intercessionis Christi umbra	354.d
1153.	Interitus et exitus pro negociis actionibusque vitae humanae	398.a
1154.	Inveterascere quid	17.c
1155.	Invidiae detestatio	325.b
1156.	Invidiae natura	369.c, 433.b
1157.	Invocare pro adorare	292.a
1158.	Ioannes Baptista quo pacto lucerna ardens	203.a
1159.	Ioannis Ludovici Gonzagae factum praeclarum enarratum.	71.a
1160.	Iob libri quis autor fuit	3.b
1161.	Iob magis credendum quam Plinio, vel eius deo Aristoteli	104.d
1162.	Iordanis reciprocatio miraculosa.	371.a
1163.	Ioseph quanta a Deo acceperit beneficia	293.b
1164.	Ioseph typus Christi	293.c, 350.b-c
1165.	Ioseph in fratres pietas	350.b
1166.	Ioseph historia	350.b-c
1167.	Ira laudabilis quando in zelum exit	10.a
1168.	Irae et excandescitiae motus in Deo quare dicatur	51.d
1169.	Irae divinae vehementia	279.d, 303.d
1170.	Irae divinae placatae indicia	304.b
1171.	Ismaelitarum crudelitas	267.a
1172.	Ismaelitarum origo	300.c
1173.	Israel Hebraeis quid	349.c

1174.	Israelis sanctitas	372.a
1175.	Israelitae, non omnes veri Israelitae	83.c
1176.	Israelitae quomodo per gyrum tabernaculi a Deo distincti	293.b-c
1177.	Israelitarum magna impietas	289.b
1178.	Iter ad coelestem patriam quale sit.	142.d, 206.d
1179.	Iudas Iscariota perfidiosorum typus	361.c
1180.	Iudas Iscariota num uxorem habuerit	369.b
1181.	Iudae scelus exagitatum	211.a-b
1182.	Iudae Iscariotis avaritia; Desperatio	262.b; 281.d, 294.b, 325.b
1183.	Iudae filiae in scripturis piorum animae dicuntur	291.b
1184.	Iudae sera poenitentia	325.b
1185.	Iudaei cur Christum sint persecuti.	257.a
1186.	Iudaei quantopere a Deo dilecti.	278.d, 279.a
1187.	Iudaeorum usurae	41.d
1188.	Iudaeorum mos antiquus circa nuptias; Item in conviviis	62.a; 82.c
	{pdf 926, Index}	
1189.	Iudaeorum populus olim omnibus nationibus terrori erat, nunc eo nil abiectius in toto orbe	69.b
1190.	Iudaeorum ritus altare circumeundi hostiarum corona	94.b
1191.	Iudaeorum sacrificandi mos antiquus.	97.d
1192.	Iudaeorum obstetricibus cuiusmodi domorum aedificia data	408.b-c
1193.	Iudaeorum mos legem suam convolvendi in oblongas membranas quid portendat	166.c
1194.	Iudaeorum reliquiae durae	185.a
1195.	Iudaeorum consuetudo in victoriis.	250.a
1196.	Iudaeorum crudelitas	258.d
1197.	Iudaeorum prisca religio	94.a-b, 97.c, 268.c
1198.	Iudaeorum famosa captivitas quid nos doceat	277.a
1199.	Iudaeorum reiectio	289.c, 293.c, 328.b
1200.	Iudaeorum festa et celebritates quae	206.a
1201.	Iudaeorum erga Deum ingratitude	256.c, 284.b, 297.d
1202.	Iudaeorum in servandi promissis levitas	298.b
1203.	Iudaeorum in captivitate Babylonica querelae	314.b-c
1204.	Iudaeorum praerogativa ac dignitas	373.c, 444.c-d
1205.	Iudex quomodo exoculetur	42.a
1206.	Iudicis integritas quae esse debeat.	25.c
1207.	Iudicis iusti descriptio	232.b, 312.c
1208.	Iudicis Christiani partes ac virtutes.	246.c, 373.d
1209.	Iudicis impii ac corrupti imago.	299.a

1210.	Iudicis incorrupti descriptio	299.a
1211.	Iudices nostri aevi taxatis	24.d
1212.	Iudices nostrae aetatis ad Deum comparati	46.b
1213.	Iudices iusti dii in terris quodammodo censendi	152.c
1214.	Iudicum arrogantia et perversitas notata	206.a
1215.	Iudicum iniquitas	214.c
1216.	Iudicum integritas et perversitas quae	223.c-d, 224.a
1217.	Iudicium pro lege	349.c
1218.	Iudicium Dei quam iustum ac integrum	246.c
1219.	Iudicium iustum a quo expectandum	46.b
1220.	Iudicium divinum contra impios.	212.d, 218.b
1221.	Iudicii humani perversitas	280.a
1222.	Iudicii iniusti sententia Deo cognita	280.a
1223.	Iudicio excelso in rebus divinis discernendis opus est	133.c
1224.	Iudicia hominum quam vana	393.a
1225.	Iudicia divinae iustitiae quae	379.d
1226.	Iudicia divina tacite praestolanda	147.c
1227.	Iudiciorum Dei inaequalitas accusatur	176.b
1228.	Iudiciorum pravitatis origo	224.a
1229.	Iugum gravissimum quod	3.d
1230.	Iuramentum quatenus permissum	41.c
1231.	Iuramentum monachorum quatenus pium	236.c
1232.	Iuramenti usus	418.d
1233.	Iurandi apud Hebraeos modus	59.d, 236.d, 314.a
1234.	Iurare Deo quid	236.d
1235.	Iustificationis ratio pulcherrime declarata	119.b
1236.	Iustitia a malis causidicis venundatur	200.a
1237.	Iustitia Dei pro ipso Deo	13.d
1238.	Iustitia nostra solus Christus	357.b
1239.	Iustitia gratuita	304.d, 312.d
1240.	Iustitia vera ex fide	304.d, 312.d, 438.d
1241.	Iustitia est qua Deo vivitur per fidem	201.c
1242.	Iustitia [sic, Iustitia] quando muta	223.d
1243.	Iustitia virtutum omnium perfectio; et cumulus	149.a; 121.b
1244.	Iustitia iudicio coniungenda	324.c
1245.	Iustitiae definitiones elegantissimae	80.b, 81.b
1246.	Iustitiae et aequitatis conservatio in quibus consistat	312.c
1247.	Iustitiae divinae iudicia quae	379.d
1248.	Iustitiae sacrificium descriptum.	10.c
1249.	Iustitiae fructus	321.C
1250.	Iustitiae statera	233.d
1251.	Iustitiae officium	305.b

1252.	Iustitiae plantatio	266.a
1253.	Iustitiae porta	377.b
1254.	Iustitiam omnium virtutum summam esse	80.b
1255.	Iustitiam a Deo datam, nostram esse dicimus ob fidei integritatem.	46.b
1256.	Iustitiam una cum innocentia laceram saepe a tribunalibus discedere	95.b
1257.	Iustitiarum	434.c
1258.	Iustus quae scriptura vocet	404.b
1259.	Iustus quando apud Deum propriam iustitiam iactare soleat	46.a
1260.	Iustus quare inops appelletur	40.a
1261.	Iustus et rectus quis	121.b
1262.	Iustus per Dei gratiam quomodo audacter divino iudicia alioqui severo ac terribili sese offerat	92.c
1263.	Iusto nullus locus sive in solitudine sive in multitudine tutus	110.d
1264.	Iusti hominis proprietates	395.a
1265.	Iustorum viae quae	2.d
1266.	Iustorum laetitia de vindicta malorum qualis	225.b
1267.	Iustorum gaudium et triumphus.	247.d
	L	
1268.	Labia pro sermone in scripturis	183.d
1269.	Laboris significatio quae	216.a
1270.	Lachrymae sanctae qua virtute praedite sint	163.b-c
1271.	Lachrymarum et gemituum qui effectus	221.a
1272.	Lacus significatio in Scriptura.	107.a
1273.	Laetitia vera in quibus consistat.	334.c-d
1274.	Laetitiae oleum pro Spiritu sancto.	185.b
1275.	Laus vera quae	59.b
1276.	Laus qua Deus delectatur in quibus consistat	262.c
1277.	Laus et gloriatio felicissima quae.	181.c
1278.	Laudis sacrificium	205.b
1279.	Laudis sacrificia Deo gratissima.	360.b-c
1280.	Laudis divinae cogitatio quo fructus adferat	235.c
1281.	Laudibus in Ecclesia semper celebrandus Deus dator bonorum omnium	253.d, 352.c, 421.d
1282.	in Laudibus Dei celebrandis ordo; Tempus	253.b-c; 440.d
1283.	Laudandus Deus non obiter, sed puro corde	238.d, 437.c
1284.	Lex quid intelligatur	1.d
1285.	Lex variis nominibus appellata.	62.d
1286.	Lex naturae	343.d
1287.	Lex Dei quid	334.b
1288.	Lex Dei quid revera doceat	389.c
1289.	Lex Dei quam preciosa	390.d

1290.	Lex vetus	342.c
1291.	Lex nova data per Christum	331.b
1292.	Lex vitae in Christo	358.a
1293.	Legis natura	382.c
1294.	Legis divinae commendatio; Certitudo; Terrores	379.a-c; 234.b; 249.c
1295.	Legis divinae usus	342.c
1296.	Legis priscae omnia, umbra fuerunt eorum quae postea viris sanctis acciderunt	43.d
	{pdf 927, Index}	
1297.	Legis divinae meditatio quam necessaria	387.a-c, 388.b-c
1298.	Legis divinae desertores qui iudicandi	392.d
1299.	Legis reiectio	365.b-c
1300.	Leges de promulgandis Dei beneficiis sancitae	284.b
1301.	Legum muniones	312.c
1302.	Legum et mandatorum Dei observatio quam necessaria	343.c, 390.d
1303.	ex Legum divinarum exercitatione quae bona proveniant	389.b-c
1304.	Leonum natura	347.a
1305.	Leviathan	275.b, 347.d
1306.	Libanus mons	321.b-c
1307.	Liber viventium quid	259.d, 260.a
1308.	Liberalitas in rebus spiritualibus Deo gratissima	382.d
1309.	Liberalitatis erga pauperes commendatio	369.b-c
1310.	Liberatio vera et sola, a vitiorum laqueis absolui	406.d
1311.	Liberationem a malis esse in adversis patientiam	132.b
1312.	Liberos habere, an donum Dei praecipuum	410.a
1313.	Liberorum foecunditatis ratio explicata	412.a-c
1314.	Libertas sancta in quibus consistat.	383.c
1315.	Libertas Christi a negociis huius mundi	309.c
1316.	Liberum arbitrium	348.a, 349.a
1317.	Liberum arbitrium homini quatenus datum	287.c
1318.	Libidinosorum nequitiae ostensae	206.a
1319.	Lignum pro arbore	1.d
1320.	Lilium testimonii quid	228.d, 293.a
1321.	Lingua cur a Deo hominibus concessa	130.c
1322.	Lingua effraenis nullum non malum in orbem invexit	160.d, 211.c
1323.	Lingua quanto studio fraenanda.	431.b-c
1324.	Linguae perversae mala innumera.	222.b-c
1325.	Linguae dispartitae cur discipulis praedicaturis apparuerint.	255.b

1326.	Linguarum cognitio quam necessaria theologo	388.c
1327.	Literarum studia qualia esse debeant.	40.d
1328.	Livoris natura	369.c
1329.	Livoris detestatio	294.b, 325.b
1330.	Locus sanctus, pro Dei habitaculo.	248.b-c
1331.	Locum nullum tam aptum esse ad decorandum Dei cultum, quam cor.	94.d
1332.	Locustarum ingens multitudo.	351.c-d
1333.	Locustarum natura	363.c
1334.	Longanimitatis Dei memorabile exemplum	287.b-c
1335.	Loquacitatis et mendaciorum detestatio; Vide Lingua	430.c
1336.	Lumbos nutare quid	259.b
1337.	Luminis appellatione quid significetur	10.d, 11.a
1338.	Lumini divini invisibilis plenitudo, tenebrae et caligo	52.d
1339.	Lunae motus, eiusque ratio	346.d
1340.	Lunae cursus quomodo ab Hebraeis distinctus	346.d
1341.	Lux vera quae	95.d, 204.d
1342.	Luxuriae pestis	286.d
1343.	Luxuriae poena	354.a-b
	M	
1344.	Madianitae Iudaeis quam infensi	300.d
1345.	Madianitarum crudelitas	267.a
1346.	Magistratus quam necessarius	243.c
1347.	Magistratus quomodo ambiendus.	336.b-c
1348.	Magistratum electio quomodo instituenda.	336.c
1349.	Magistratus officium	39.b, 336.c, 367.b, 370.b, 373.d
1350.	Magistratus boni commendatio.	436.d
1351.	Magistratum correctio	215.d
1352.	Magistratum dignitates	5.c
1353.	Magistratum in regendis subditis fastus et oscitantia notatur	333.a-b
1354.	Magistratum contemptus perditionis signum	360.c
1355.	Maledicentiae virus quam detestandum	237.b, 336.b
1356.	Malus quis sit in mundo, propter simulationes vix a perspicacissimis ingeniis deprehendi potest.	27.a
1357.	Mali sic moriuntur ut semper mortui sint	36.c
1358.	Mali non temere damnandi	287.b
1359.	Malorum omnium caput atque origo unde	101.a
1360.	Malignantes ex sanguine non ex Deo nati	43.c
1361.	Manasses tribus	230.b
1362.	Mandata divina in quibus consistant	368.a-b
1363.	Mane seu matutinum tempus frequens in scripturis	12.b-c, 217.b-c, 435.a

1364.	Manna quid	386.b, 352.b
1365.	Mansueti qui dicantur	127.c
1366.	Mansuetudo pro virium defectu	316.d
1367.	Mansuetudo Deo gratissima.	280.a
1368.	Manus Domini in scripturis quid significet	394.d
1369.	Manuum significatio in scripturis.	94.a
1370.	Manuum ablutio ac puritas quid in sacris	270.d
1371.	Maria cur de tribu Iuda	290.b
1372.	Marinae tempestatis descriptio.	359.b
1373.	Maris utilitas	359.a
1374.	Maris pericula	347.c, 359.b
1375.	Maris miraculosa animalia	359.a
1376.	Maris rubri descriptio	357.b, 401.d
1377.	Maris rubri miraculum	285.a
1378.	Maris rubri typus	242.c
1379.	Martyres celebrati	34.c
1380.	Mel pro rerum abundantia	298.c
1381.	Mel novum testamentum adumbrat	63.c
1382.	Melchisedech rex et sacerdos	365.b
1383.	Melchisedech Christi typus	Ibid.d
1384.	Memoriae vis una, non diversa	27.b
1385.	Mendacium quid	13.a, 14.b
1386.	Mendacii fons	242.a
1387.	Mendacii detestatio	287.b, 430.c
1388.	Mendaciorum inter homines omnia plena	33.d, 34.a
1389.	Mens hominis vera domus	408.c
1390.	Mens humana quando Deo dedicetur	160.a
1391.	Mentis conceptus a Deo formari	210.a
1392.	Mentis benignae et rursus ferinae indicium	47.c
1393.	Mentis bona quamobrem caeteris praestantiora	133.b
1394.	Mentis Christianae sublimitas et perfectio quae esse debeat	59.d
1395.	Mentis humanae stupor	264.c
1396.	Mentis tranquillitas et pax descripta	11.c
1397.	Mensa Christi in qua pii convivantur	374.d
1398.	Mensae significatio in scripturis.	82.b, 259.a
1399.	Mercenariorum in Ecclesia Christi descriptio	254.b
1400.	Mercuriales statuae	253.c
1401.	Merita nostra, dona Dei esse	117.b
1402.	Meritorum nostrorum vanitas	312.d, 313.a
1403.	Militis boni dotes	57.b-c
1404.	Militis Christiani armatura	436.a
1405.	Militis nostri temporis notantur.	50.c, 57.d
	{pdf 928, Index}	

1406.	Ministros Dei quid deceat; Vide Pastores.	336.c
1407.	Mirabilia quae vocitet scriptura.	24.b, 26.a
1408.	Mirabilia in Aegypto aedita	285.a, 286.a-b, 312.a, 351.b
1409.	Miracula Dei virtute facta quam integra	240.b
1410.	Misericordia et veritas inter Dei opera, maxima	88.b
1411.	Misericordia Dei quam dives ac ampla	235.b, 442.c
1412.	Misericordia divina piorum laudibus semper extollenda	311.a
1413.	Misericordiae divinae finis	235.b
1414.	Misericordiam cur tam exacte a nobis requirat Deus	362.d, 363.a
1415.	Mizraim pro Aegypto cur sumatur	288.d
1416.	Moab perversitas	384.a
1417.	Moabitae gens sordida	300.c
1418.	Moabitarum origo	300.c
1419.	Moabitarum impietas & in Iudaeos odium	Ibid.d
1420.	Moabitarum libido	355.b
1421.	Moenia et valla fortissima quae	400.b
1422.	Moeroris descriptio	337.d
1423.	Mollities animi quorundam notatur	54.c
1424.	Moloch gentilium deus	356.a
1425.	Monachi defuncti qua fronde coronentur	321.c
1426.	Monachos quid deceat	238.c
1427.	Monachorum vita qualis	215.b, 278.a
1428.	Monachorum in congregatione capitulo consuetudo	246.d
1429.	Monachorum solitudines	248.d
1430.	Monachorum in canendis psalmis oscitantia	306.c
1431.	Monachorum in diversa monasteria migrationes perniciosae.	363.c-d
1432.	Monocerotis descriptio	321.a
1433.	Mons Domini	251.b
1434.	Mons sanctus	7.a, 40.c
1435.	Mons sanctificationis	288.d
1436.	Mons Sion	290.b
1437.	Montis nomine quid in sacris intelligendum	239.d, 265.d
1438.	Montes, terra, flumina, etc. cur Deum laudare dicantur	332.a
1439.	Monumenta superba turpem immortalitatem ostendunt	408.b
1440.	Mordacitas Christianis prohibita	431.b-c
1441.	Mors poena peccati	358.a
1442.	Mors ab omnibus curis nos liberat.	309.a

1443.	Mors piorum quam salutaris	269.c
1444.	Mortis umbra	81.d, 182.a, 309.d
1445.	Mortis imperium quam latum	315.a-b, 340.a
1446.	Mortis metus	432.b
1447.	Mortem formidavit etiam Christus lege naturae	310.a
1448.	Mortales omnes et turpiter et crebro in peccata labi	120.b
1449.	Mortalium variae vivendi rationes descriptae	89.c
1450.	Mortui vocem filii Dei audient.	79.c
1451.	Mortuarum perfusiones meretriciae magis quam Christianae	82.d
1452.	Morum portenta enarrantur.	48.a
1453.	Mos eligendi antistites detestandus.	91.b
1454.	Mos lugendi antiquus	109.b
1455.	Mos in templis deplorandus inolevit	96.c
1456.	Mosis oratio pro impiis	354.d
1457.	Moses quantopere a Deo doctus	Ibid.
1458.	Moses veri pastoris typus	287.c
1459.	Mosis fides	351.b
1460.	Mosis fides non semper perfecta.	355.c-d
1461.	Mosis incredulitas graviter punita	Ibid.d
1462.	Mosis in Aegypto miracula divina virtute facta	285.a
1463.	Mosis severitas	354.b-c
1464.	Mosis cum Deo colloquium	247.a-b
1465.	Mosis comminatio in Deuteronomio explicata	133.b
1466.	Muliebris ambitionis exemplum.	267.a
1467.	Mulierum per Campaniam sanctitas	388.a
1468.	Mundus corde quis	84.b
1469.	Mundus tantum quae sua sunt amplectitur	300.a
1470.	Mundi creatio qualis	345.a
1471.	Mundi amor homines a Deo avocat	255.b
1472.	Mundi in rebus divinis caecitas.	259.b, 327.b-c, 344.b
1473.	Mundi curae ac molestiae	234.d
1474.	Mundi tribunalia quomodo corrupta	158.d
1475.	Mundi interitus	344.b
1476.	Munerum vis improba	42.a
1477.	Murus inexpugnabilis Dei potentia	15.b
1478.	Muri significatio quam late pateat in scripturis	197.d
1479.	Muri, piarum animarum typus	210.c
1480.	Musicae vis divina in canendis hymnis et psalmis	121.a
1481.	Musicae in templis usus olim apud Iudaeos	253.b, 296.a, 320.b, 332.a, 447.c, 448.d
1482.	Musicis instrumentis psalmi decantati	265.a-b
1483.	Musicae fructus	384.b
1484.	Musici comparatio	1.d

1485.	Mutui ratio quae	42.a
1486.	Mysteria	355.b
	N	
1487.	Nabli instrumenti musici definitio	121.c
1488.	Nathan prophetae gravitas in increpando Davide	227.a
1489.	Natio nulla tam remota quae non audierit voces rerum conditarum, suo more loquentium et praedicantium conditoris virtutes	61.c
1490.	Naturarum diversarum una persona in Christo	92.c
1491.	Naufragium in obsidione Cirtae	347.c
1492.	Navigationis pericula	359.b-c
1493.	Navigationis utilitas	347.b
1494.	Nautica ars admirabilis	359.b
1495.	Nephtalim tribus unde nomen accipiat	254.a
1496.	Nequitia quid	270.b
1497.	Niceae direptio	436.d
1498.	Noe diluvium	345.b
1499.	Nomen Dei quid	21.d, 212.c, 213.b
1500.	Nomine domini venire quid	378.b
1501.	Nomina mentita, et ab infimo inferorum barathro evocata	42.a
1502.	Nominum Iudaeorum commutatio miserrima	43.d
1503.	Norma ad intelligendas scripturas universalis proposita	164.b
1504.	Novi hominis exercitia	388.d
1505.	Nox in scriptura quid	201.a
1506.	Nox contemplationi ac precationi aptissima	282.a, 385.a, 421.b
1507.	Noctis usus ac fructus	347.a
1508.	Noctis divisio	316.b
1509.	Noctis apud Hebraeos vigiliae quatuor	392.d
1510.	Noctis gloria	61.b
1511.	Nubium definitio	102.d, 344.d
1512.	Numinis vis	357.b
1513.	Nycticorax avis	338.a
	O	
1514.	Oblationes voluntariae.	389.a
1515.	Obligationes pro improbis actionibus	404.c-d
1516.	Obtrectationis detestatio	237.b
1517.	Obtrectatorum nomen e libro vitae expunctum	212.b
1518.	Ocii detestatio	320.d
1519.	Odium piorum in impios quatenus probandum	348.c, 429.a
	{pdf 929, Index}	
1520.	Olei natura ac virtutes	431.d
1521.	Onagri natura	345.c-d

1522.	Onocrotali avis descriptio	337.d
1523.	Opera fidei quam necessaria	357.d
1524.	Opera nostra quamvis bona in re spiritus intertextere, peccatum turpissimum	93.a
1525.	Operum iustitia quam frivola	117.c
1526.	Operum nostrorum infirmitas	353.a
1527.	Operum quantumvis bonorum consuetudini plus tribuentes quam verae in Deum fiduciae, misere errant.	70.a
1528.	Operationum nostrarum audacia equo effraeni comparata	67.b
1529.	Operationes nostrae ideo bonae, qui a gratia habent quod bonae sunt.	126.b-c
1530.	Oppressorum pro Evangelio exitus describitur	268.a
1531.	Opus pro mercede	363.b
1532.	Orandi compendiosissima ratio	244.c, 334.b-c
1533.	Oratio qualis esse debeat	213.b
1534.	Oratio ad Deum fiat mente pura.	244.d
1535.	Orationes quae a domino exaudiantur	238.d, 373.c
1536.	Oratio spei stimulus est	115.a
1537.	Oratio spei auxilio denudata, impia est	115.a
1538.	Oratio sine fide manca et inutilis	440.a
1539.	Oratio sanctorum quam efficax.	333.d, 334.a
1540.	Orationis sive preceationis vis.	131.d, 244.c
1541.	Orationis quod initium esse debeat.	86.b
1542.	Orationes nostrae cur hodie a deo non exaudiantur	333.d
1543.	Orationibus cur ieiunia debeant esse coniuncta	363.d
1544.	Orbis terrarum totus ad aeternae vitae immensitatem collatus, angustissimus angulus est	345.a
1545.	Oreb Madianitarum factionis dux.	300.d
1546.	Organorum in templis usus Vide Musicam.	253.b, 307.b
1547.	Orphani significatio in scripturis.	30.d, 248.b
1548.	Ortus hominum turpitudine summa.	207.d
1549.	Os hominibus cur a Deo datum	262.d
1550.	Oris formandi vim a Deo esse.	210.a
1551.	Osculandi pedes summi Pontificis mos unde	267.b
1552.	Osianna quid	378.a
1553.	Ossium significatio quae in scripturis	113.c, 132.b
1554.	Otomanni crudelitas	436.a
1555.	Ovium comparatio valde elegans	80.c
1556.	Ovium cur tam crebra in scripturis mentio	283.c-d
	P	
1557.	Palma cur victoriae signum	321.b-c
1558.	Palmae natura	Ibid.

1559.	Panis doloris quid	409.c
1560.	Panis vitae Christus	286.b
1561.	Panis necessitas	346.b
1562.	Parabola quid	283.d
1563.	Paradisi descriptio	248.d
1564.	Parentum in filios affectus	315.c, 356.c, 362.c-d
1565.	Parentum munus ac officium	438.b
1566.	Partitiones in rebus sacris definiendis quatenus admittendae	261.a
1567.	Passer prudentiae typus	338.a
1568.	Passeris ad hominem comparatio exquisita	403.a
1569.	Passerum duorum sacrificium quale	208.b
1570.	Pastoris veri officium.	240.a, 254.c, 290.c, 315.c-d
1571.	Pastoris veri effigies	287.c
1572.	Pastores Ecclesiae, reges spiritus.	251.a
1573.	Pastores falsi	254.b, 302.d, 378.b
1574.	Pastorum cura et industria descripta	81.a
1575.	Pastorum bonorum virtutes	254.b
1576.	Pastorum Ecclesiae negligentia quam perniciosa	267.c, 277.a, 283.c
1577.	Pater coelestis per Christum omnia sapientissime condidit	57.d
1578.	Patris et filii consentiens voluntas.	251.b
1579.	Patrum peccata cur puniantur in posteris	362.c-d
1580.	Patres antiqui cur praesentis vitae adeo amantes fuerint	16.b-c
1581.	Patrum antiquorum in rebus divinis contemplandis celsitudo.	66.d
1582.	Patientia piorum	237.b
1583.	Patientiae exemplum	211.b
1584.	Paulus agnus ex lupo effectus	25.c
1585.	Paulus e tribu Benjamin	254.a
1586.	Pauperis in scripturis significatio quae sit	30.d
1587.	Pauperes qui	25.d, 26.b
1588.	Pauperum desideria descripta	31.c
1589.	Pauperum patientia non inanis	27.b
1590.	Pauperies homini bene instituto honesta mater, mendicitas vero noverca est	86.d
1591.	Paupertas vera	152.a
1592.	Paupertas pro contemptu	276.a
1593.	Pax piorum in medio persecutionum	279.b
1594.	Pax spiritualis quam necessaria hominibus	Ibid.
1595.	Pax conscientiarum	266.c, 304.d
1596.	Pax piorum qualis	394.a
1597.	Pacis finis et terminus gloriosissimus	400.c
1598.	Pacis divinae ratio duplex	141.b

1599.	Pacis totius orbis summa quae esse debeat	146.b
1600.	Pacis definitio elegans	148.c
1601.	Pacis custodia principibus data	265.d
1602.	Pacis amator Christus	266.c
1603.	Pacis commendatio	420.b, 421.b
1604.	Pacem non nisi maxima vi animi ab hominibus apprehendi posse.	131.a
1605.	Peccatoris descriptio; Eius poena	1.b; 206.b-c
1606.	Peccatoris laetitia quae esse debeat	208.b
1607.	Peccatorem se fateri non satis est, nisi peccata corrigat et emendat	118.a
1608.	Peccatores quatenus exaudiantur a Deo	239.d
1609.	Peccatorem habitatio	303.a
1610.	Peccatorum etiam in hac vita poenae	319.b
1611.	Peccatorum in mundo felicitas vertetur in damnationem	320.d
1612.	Peccatum maximum	64.d
1613.	Peccati epitheta	43, b
1614.	Peccati poena mors est	72.b, 358.a-c
1615.	Peccati labes	160.a
1616.	Peccati sordes inevitabilis	208.a
1617.	Peccati captivitas gravissima	303.c
1618.	Peccato excluso nihil mali nomine vocari debet	127.c
1619.	Peccata quae letalia	38.a
1620.	Peccata a Deo tegi dicuntur, cum nos non tegimus	117.b-d
1621.	Peccata quantopere extimescenda.	229.a
1622.	Peccata aliorum tegenda potius quam revelanda	257.b
1623.	Peccatorum dominium deprecandum	64.c
1624.	Peccatorum in homine multitudo aestimata	167.b-c
	{pdf 930, Index}	
1625.	Peccatorum gratuita est remissio	341.c
1626.	Pectoris erga Deum exercitatio quae esse debeat	26.b
1627.	Pecorum carnificinam nihil ad sacrificia facere	208.b
1628.	Pedicularis morbus	351.c
1629.	Pellicani avis descriptio	337.d
1630.	Pellis pro carne	Ibid.c
1631.	Penuriae causae	359.d
1632.	Perfectio hominis quae	208.d
1633.	Perfectionis summae indicium, nos nihil aliud nisi strumam ac luem peccati esse confiteri	119.a
1634.	Perfectionis summa	146.c
1635.	Perfectorum vita qualis	262.d
1636.	Perfidorum mores	218.a

1637.	Perfidiae poena	362.b
1638.	Perfidiam omnes locos occupare	35.d
1639.	Perfidiosorum hominum descriptio	233.b
1640.	Perfidiosorum poena cruentissima	236.b
1641.	Perfidiosorum typus Iudas	361.c
1642.	Periculum magnum existimari debet, in celebranda Dei erga electos memoria non sedulo versari	107.b
1643.	Periculo nihil vicinius quam periculum non timere	87.a
1644.	Periurium inter oris varia peccata maximum	84.d
1645.	Periurii genus quod periculosissimum	236.c-d
1646.	Persarum sapientes Christum adorant	267.b
1647.	Persecutio piis quam necessaria	259.d
1648.	Persecutio piorum	299.d
1649.	Persecutionis atrocitas ad desperationem fere compellit pios interdum	234.c
1650.	Persecutionis horror fidem extinguit	256.d
1651.	Persecutionis descriptio	363.c
1652.	Persecutiones piorum	256.b
1653.	Persecutionum tempus in scripturis aestui meridiano aut frigidis lunae radiis comparatum	397.c
1654.	Persecutionum immanitas quando probis ac improbis exitiosa sit	211.d, 212.a
1655.	Persecutionum imago Christus.	247.b, 267.d
1656.	Persecutionum frequentia terret etiam pios	279.b
1657.	Persecutionum acerbitas piis etiam movet indignationem	329.b-c
1658.	Persecutionum horrenda monstra descripta	46.c
1659.	Personarum in psalmis crebra mutatio	318.a
1660.	Personarum cur tam crebra in prophetis mutatio	333.a
1661.	Perturbationes unde nascantur.	244.d
1662.	Perversitatis nostrae summa, timoris divini absentia	39.a
1663.	Persuasio falsa quae	29.b
1664.	Pestis hominum et iumentorum memorabilis	288.c
1665.	Petrae significatio in scripturis.	231.c, 285.b
1666.	Petrae confractae miraculum	285.b
1667.	Petri lapsus	294.b
1668.	Pharaonis desperatio; Interitus	280.c; Ibid., 252.d
1669.	Pharisaeorum vita	212.d
1670.	Philosophorum iustitia	2.d
1671.	Philosophorum scholae notatae	83.d
1672.	Philosophorum haereses	345.a
1673.	Phinees quam iusto zelo scortatorem occiderit	355.c

1674.	Phlegethontis, Aetnae, aliorumque ignium comparatio ad desperatorum aestum	70.c
1675.	Physiognomi potissimum ex oculis iudicant, et maxime superbos.	56.b
1676.	Pietatis vis	306.a
1677.	Piscium marinorum magnitudo.	347.b
1678.	Pii cum regnant, populus velit nolit ad Deum convertitur	19.c
1679.	Pii eo minus se iustos arbitrantur, quo magis iustitia a Deo donantur	119.b
1680.	Pii a malorum impetu tuti	279.b, 317.d, 318.a
1681.	Pii Dei iudicia reprehendere interdum videntur	276.b
1682.	Pii quatenus odio homines prosequuntur	386.b, 429.a
1683.	Piorum ad impios comparatio arguta	19.d
1684.	Piorum querelae	33.d
1685.	Piorum imprecationes quare non parvipendendae	414.a
1686.	Piorum execrationibus atque diris subiici periculosum	168.b
1687.	Piorum lapsus	176.b
1688.	Piorum exercitatio ad perfectionem quae	218.b
1689.	Piorum praemia	239.b, 253.b, 341.a
1690.	Piorum consilia salutaria	247.d
1691.	Piorum irrisiones et opprobria.	257.c
1692.	Piorum poenis licet acerbis nunquam satiantur impii	259.d
1693.	Piorum vita laudatissima	262.d
1694.	Piorum cum Deo expostulationes	276.c
1695.	Piorum in afflictionibus consolatio.	281.c, 288.d, 330.d, 342.b, 350.a, 351.a, 352.a, 353.d, 364.a, 375.a, 376.a-b, 383.d, 393.d, 430.d
1696.	Piorum persecutiones tam diras cur Deus permittat	281.c
1697.	Piorum ad veram religionem amplectendam studium ardentissimum.	301.d
1698.	Piorum in hoc mundo dolores.	393.c
1699.	Pios cur contemni patiatur Deus.	259.d
1700.	Piis totius orbis confusio et fluctuatio in tranquillitatem cedit	148.a
1701.	Plagarum omnium miserrima, clamare ad Deum, et non exaudiri.	58.d
1702.	Plantae infructiferae in tecto superbiae enatae descriptio	414.b
1703.	pluviae fructus	266.c, 346.a

1704.	Poenitentia ad assequendam beatitudinem necessaria	53.d
1705.	Poenitentia vera quae	157.d
1706.	Poenitentiae forma	17.a
1707.	Poenitentiae luctus depicti	208.b-c
1708.	Poenitentiae descriptio	208.b-c
1709.	Poenitentia exemplum	209.a-d
1710.	Poenitentia agentes peccatores non aspernatur Deus	357.c
1711.	Pollicitationes divinae	213.d
1712.	Pomorum custodiae ratio	291.b
1713.	Ponere pro dare	241.d
1714.	Pontificis pedes cur exosculentur	267.b
1715.	Populi qui dicantur	3.b
1716.	Portae in sacris significatio	26.c, 308.a, 355.a
1717.	Portae mortis quae	26.c
1718.	Portae Sion	Ibid.d
1719.	Portarum tabernaculi typus	377.b-c
1720.	Portenta	349.b-c
1721.	Posteritatis relinquendae ratio	412.d, 413.c
1722.	Potentum immanitas descripta	37.b
1723.	Potentum consilia contra veritatem quam irrita	441.a
1724.	Potentia impiorum quam onerosa Ecclesiae	278.b
1725.	Potentiae divinae signa	247.c, 275.b-c
1726.	Potestas eorum perversa, qui ex aliorum subiectione atque humilitate solummodo grandes apparere contendunt	405.a
	{pdf 931, Index}	
1727.	Praeceptorum Dei summa	368.b
1728.	Praedestinatio	260.a
1729.	Praedestinatio in Dei amore sita	290.a-b
1730.	Praeses aut princeps quis	5.b
1731.	Praesulis veri ac falsi descriptio	315.c
1732.	Praeteriti temporis pro praesenti apud Hebraeos acceptio quam frequens	373.b
1733.	Precatio qua ratione ad Deum fieri debeat	244.c
1734.	Precatio ex corde immundo profecta, quam perniciosa	Ibid.d
1735.	Precationes quae exaudiantur.	238.d, 239.a
1736.	Precationes piorum quam efficaces; Vide Oratio.	333.c
1737.	Priapus deus	355.b
1738.	Primates cur praecipui hostes veritatis	237.a
1739.	Primogenitorum praerogativa	313.c

1740.	Principis officium	3.b, 336.c, 367.b
1741.	Principis boni virtutes	373.d
1742.	Principis boni laus	82.a, 436.d
1743.	Principes nobilissimi a mortalium memoria adeo elapsi, ut nunquam eos fuisse iures	104.a
1744.	Principes dii terreni	262.a
1745.	Principes cur dii in sacris appellati	292.d, 293.c
1746.	Principes cur hodie a subditis contemnantur	360.b
1747.	Principum institutio	380.b
1748.	Principum et aulicorum mores descripti	69.d
1749.	Principum est, attentis auribus audire subditos	262.a
1750.	Principum nostratium mores taxantur	211.a, 262.a
1751.	Principum facilitas	262.a
1752.	Principum levitas	Ibid.b
1753.	Principum bonorum descriptio	267.c, 373.d
1754.	Principum mores inciviles taxantur	360.b
1755.	Principum favor momentaneus	376.b
1756.	Probitatis studia maxime remunerantur	271.b
1757.	Proborum vita qualis	212.b, 218.c
1758.	Proborum vita periculosa	213.b
1759.	Proborum sermo, Dei sermo est	219.c
1760.	Proditionis poena	362.b
1761.	Proditorum mores et ingenia.	171.a-b, 219.c-d
1762.	Profunditas pro afflictione	253.a
1763.	Promissiones factae de Christo	311.a-c,
1764.	Promissiones a Deo factae quam certae	255.c, 304.b-c, 311.b-c, 314.a, 315.b, 349.c-d, 359.b, 375.c-d, 383.d, 384.a, 393.c
1765.	Promissiones divinas cur scriptura toties inculcet	359. b
1766.	Prophetæ falsi descriptio	387.a
1767.	Prophetæ cur subinde repetant, hæc dicit Dominus	253.a
1768.	Prophetæ falsi in suo nomine veniunt	378.b
1769.	Prophetarum verba quomodo accipienda	3.a
1770.	Prophetarum mos sententias easdem nonnunquam repetere et inculcare, ad maiorem vim orationis manifestandam	73.a
1771.	Prophetarum sanctitas	255.a
1772.	Propitiatorii veteris testamenti mysteria	247.a
1773.	Propitiatorii typus	332.c
1774.	Proverbium quid	283.d
1775.	Providentia Dei gubernantur omnia	255.a, 264.b, 293.c, 316.a
1776.	Providentiæ divinæ ratio occultissima	242.d
1777.	Providentiæ divinæ signa	442.d, 273.b, 346.c

1778.	Providentiae imago	346.c
1779.	Providentiae commendatio; Signa	291.a; 366.c-d
1780.	Psalmus ferme nullus in quo spei mentio non inseratur	109.d
1781.	Psalmum cantici, antiqui quid vocarint	307.c
1782.	Psalmi Solomoni adscripti quomodo censendi	3.a
1783.	Psalmorum concinnitudo pulchre observata	68.b
1784.	Psalmorum interpretatio quae requirat	225.c
1785.	Psallendi in Ecclesiis ratio	320.a
1786.	Psalmorum inscriptiones quam difficulter interdum intelligentur	232.c
1787.	Psalmorum in Ecclesia usus	253.c
1788.	in Psalmorum libro temporum nulla ratio observatur	329.a
1789.	Psalmorum subiectum et interpres Christus	361.c
1790.	Psalmorum cantationes Deo gratissimae; Vide Musicam	384.b
1791.	Psalmorum scriptores qui	417.b
1792.	Psalmos omnes a Davide compositos esse	3.a
1793.	Psalmos aliquos de Christo eiusque membris enarrari	169.a
1794.	Psalteri versionum obscuritates.	280.b
1795.	Puellarum apud veteres chori.	253.c
1796.	Puellarum ornatus superfluus taxatur	437.b
1797.	Puerorum exemplum inter miranda rerum maximarum exempla adductum	22.a
1798.	Pueris in Christi scholam introductis nihil minus quam Christus proponitur	94.c
1799.	Pugna multo atrocior quae cum vitiis et cupiditatibus conflictatur, quam corporis	96.a
1800.	Pugnae cum mundo finis	217.a
1801.	Pupillorum nomine scriptura quid intelligat	30.d, 248.b
1802.	Puritatis robur quod	92.b
	Q	
1803.	Quies perfecta in hoc mundo nunquam speranda.	26.c
	R	
1804.	Rahab quid	308.b
1805.	Rancoris similitudo per quam apta	38.c
1806.	Rapinae nomine quid in sacris intelligendum	234.b
1807.	Rationis humanae quaestio	10.d
1808.	Rectores animarum et vitae ali orum qui esse debeant	209.c
1809.	Redemptionis beneficium quam amplum	245.d, 317.c
1810.	Regnum qua ratione administrandum	243.c
1811.	Regnum Christi aeternum	314.a

1812.	Regnum Dei pax et tranquillitas.	247.c
1813.	Regnum Christi innovatum	360.d
1814.	Regnandi libido	266.d
1815.	Regnandi libido quam pernicioosa.	347.c
1816.	Reipublicae male ordinatae descriptio	336.d
1817.	Religio vera in quibus consistat,	76.d, 178.c, 304.d
1818.	Religio nostra quo hodie devenerit	411.a
1819.	Religio eorum qui timoris affectu ducuntur	287.a
1820.	Religionis summa et perfectio.	168.c
1821.	Religionis simulatae exempla pessima	47.a
1822.	Religionis falsa persuasio quam pernicioosa	372.a
1823.	Religionis neglectus Dei iram concitat	284.d
	{pdf 932, Index}	
1824.	Religionis contemptores quibus artibus piis insidientur	274.a
1825.	Religionem in animorum unione et tranquillitate sitam	223.c
1826.	Religionis reformatio quomodo instituenda	334.a
1827.	Religionis contemptus etiam apud Christianos	378.b-c
1828.	Remedium praesentaneum in angustiis acerbioribus	50.b
1829.	Res qua significatione in sacris accipiuntur	20.a, 44.c, 92.d, 270.a
1830.	Requiescere quid?	40.c
1831.	Rerum coelestium notioni quidam in terris praescriptus finis et modus, amoris vero nullus	129.b-c
1832.	Rerum conditarum magnitudine et pulchritudine, quasi proportione quadam conditoris excellentia consideratur	61.a
1833.	Rerum ordo et successio in structura mundi pulcherrima	61.b
1834.	Rerum sublimium notitia non cunctis aequae exposita et obvia est.	198.c-d
1835.	Respublica felix quae dicatur	86.a
1836.	Res prorsus latentes in rebus sacris interpretandis omittendae sunt	395.b
1837.	Risus proborum qualis	212.a
1838.	Ritus in Ecclesia qua ratione observandi	348.d
1839.	Resurrectio Christi	251.d
1840.	Resipiscentia impiorum Deo quam grata	301.b-c
1841.	Resurrectio Christi ab angelis nunciata	250.c
1842.	Resurrectionis Christi mysterium.	252.c
1843.	Resurrectionis Christi utilitas	247.b, 248.a
1844.	Rex magnus qualis	202.c
1845.	Regis boni commendatio	436.d

1846.	Regis officium	336.c
1847.	Regum potentissimorum familiae funditus excisae	104.a
1848.	Regum adoratio unde	267.a-b
1849.	Regum tremores doloribus mulieris parturientis elegantè comparati	196.a
1850.	Reges et principes crudelissime ab assentatoribus falli	145.b
1851.	Reges, principes et magistratus omnes suum integrum munus non obire	401.b
1852.	Reges spiritus qui	251.a
1853.	Reges terrae qui dicantur	3.c
1854.	Regibus duo necessaria	290.d
1855.	Ros voluntarium quid	249.b
1856.	Roris typus	266.b-c
	S	
1857.	Sabaea regio Arabiae	268.a
1858.	Sabbati vera observatio	319.d, 320.b
1859.	Saccus, genus est vestis lugubris	109.b
1860.	Sacerdotum vita sit inculpatissima	246.b
1861.	Sacerdotum ambitio et avaritia	257.a, 301.d, 444.b
1862.	Sacerdotum et monachorum vita sumptuosissima taxatur	278.a
1863.	Sacerdotum vestes quid adumbrent	418.c
1864.	Sacerdotum officium quae	419.c
1865.	Sacerdotum luxus et libido	419.c
1866.	Sacerdotum Christi quale	365.b-c
1867.	Sacrificii veri et divini descriptio.	204.d, 206.d, 210. b-c
1868.	Sacrificia puerilia quae	205.a
1869.	Sacrificia vera quae	210.b-c
1870.	Sacrificia quae Deo gratissima	260.c, 303.b
1871.	Sacrificia matutina et vespertina.	431.a-b
1872.	Sacrificiorum et rituum veterum magnus acervus brevis summa conclusus	166.c
1873.	Sacrificiorum veteris testamenti mysteria	244.a
1874.	Sacrificiorum lex abolita	204.a, 244.a
1875.	Sacrificiorum acervi atque oneris quae summa	204.c
1876.	Sacrificiorum acervos in unum corculum et illud quidem fractum contusumque desuisse per Christum	210.b
1877.	Sacrificiorum ratio quae	203.c-d, 361.a
1878.	Sacrificandi ritus apud Iudaeos	378.d
1879.	Sacrificiorum omnium veteris testamenti typus	378.d
1880.	Sagittae pro fidei verbis	184.c
1881.	Salomon novi testamenti	265.b
1882.	Salomonis regni amplitudo; eius typus	266.d; 267.a

1883.	Salutis nostrae vis ac summa	66.a
1884.	Salutis spes unica quae	413.c
1885.	Salutis summa ratio in quibus versetur	312.d
1886.	Samuelis sanctitas	333.c
1887.	Sanctificatio nominis Dei in quibus consistat	268.b-c
1888.	Sanctitas popularis descripta	110.b
1889.	Sanctimonia male suasa periculose sibi adblanditur	89.a
1890.	Sanctimoniae falsa persuasio quantum obsit hominibus	324.c
1891.	Sanctitas quot modis in sacris accipiatur	305.c
1892.	Sanctitatis male suasae natura quae.	79.b
1893.	Sanctitatis locus	235.a
1894.	Sanctuarium quid	271.b, 300.d, 301.a
1895.	Sanctus sat doctus est	29.c
1896.	Sancti Deo, et Deus sanctis haereditas	44.a
1897.	Sancti viri cur interdum tam ardentem in suos hostes invehantur	386.b
1898.	Sanctorum conditio	43.a
1899.	Sanctorum felicitas quae	169.d
1900.	Sancti qui vocentur	185.c
1901.	Sanctorum res gestae	220.b
1902.	Sanctorum dignitas	303.d
1903.	Sanctos non sui, sed gloriae divinae casus vindictam efflagitare	30.d
1904.	Sanguinarius quis	13.c
1905.	Sanguinis significatio in scripturis.	209.c
1906.	Sapientia mundi quam stulta apud Deum	320.c
1907.	Sapientia piorum stultitia iudicatur in hoc mundo	262.d
1908.	Sapientia munus proprium quod	198.c
1909.	Sapientiae verae descriptio	360.d, 368.a
1910.	Satan iurgiorum pater	258.a
1911.	Saturari consiliis quid	298.a
1912.	Saturnus deus a gentibus sanctissime cultus	356.a
1913.	Saul victor Musica excipitur	250.a
1914.	Saulis levitas	211.a
1915.	Saulis in generum crudelitas unde.	219.a, 429.c
1916.	Scabellum pedum Dei quid	333.b
1917.	Scandalum Hebraeis pro calumnia et opprobrio	206.b
1918.	Schola Christianorum Alexandriae.	254.d
1919.	Scientiae plenitudo, charitas est	52.c
1920.	Scortationis poena	355.b-c
1921.	Scribarum et sacerdotum apud Iudaeos conditio describitur	74.b
1922.	Scriptura divina imperitis mulierculis et parvulis sapientiam suppeditat	62.d

1923.	Scripturam virtus in quo posita	198.c
1924.	Sculptilium adoratores iusto Dei iudicio damnatur	330.a-b
	{pdf 933, Index}	
1925.	Scutum pro fiducia	20.b
1926.	Seculum seculi quid	69.b, 172.d
1927.	Seculi futuri umbra ostensa	92.b
1928.	Seculi nostri ob cognitam veritatem felicitas	357.a
1929.	Seditionum pernicies; poena	252.d; 354.b
1930.	Seditiosorum hominum mores; consilia	354.d; 237.b
1931.	Selah quid notet	27.a
1932.	Selah dictio explicata	190.b
1933.	Selmon mons	250.d
1934.	Senectus vivida	342.a
1935.	Senectus incommoda	316.d, 321.d
1936.	Senectutem quid deceat, quid non.	359.d
1937.	Senex bene moratus, mundi sydus	359.d
1938.	Sene intemperato nihil turpius.	263.a
1939.	Senilis prudentia; ignavia; probitas	263.a; 321.d; Ibid.
1940.	Senum studia	319.c
1941.	Seniores vigintiquatuor qui in Apocalypsi	189.a
1942.	Septenarius numerus pro indefinito in scripturis	34.d, 35.a
1943.	Septenarii numeri perfectio	293.a, 393.d
1944.	Sepulchra, divitum domus esse perpetuas	200.a
1945.	Sepulchrorum momentanea corruptela cum futura vita minime conferenda	45.c
1946.	In sepulchris habitare qui dicantur	248.b-c
1947.	Sermo nequam quid	237.c
1948.	Servitus vera in quibus potissimum rebus consistat	369.d, 370.a-b
1949.	Servi Dei qui nuncupandi sint.	261.a
1950.	Servorum Dei differentia	261.a
1951.	Servos Dei quid deceat	336.d
1952.	Sfortiadum familiae interitus	413.a
1953.	Siccitatis nomine quid intelligendum	248.c
1954.	Signum olim Cain datum in malum	307.b-c
1955.	Signum divinae benevolentiae; praesentiae	274.c, 307.b; 229.c
1956.	Silentium pro patientia	232.d
1957.	Silicernii descriptio	115.b
1958.	Silo reprobata ob peccata populi.	289.b-c

1959.	Similitudines cur in sacris literis tam frequentes	250.d
1960.	Similitudinum utilitas	250.d
1961.	Simpliciores hodie a recto perfectionis cursu non retardari, miraculo simile	95.b
1962.	Simplicitas Deo semper gratissima.	303.b
1963.	Simulachrorum superstitiosa adoratio	371.d, 372.a-b
1964.	Simulationis et hypocriseos pestis descripta	93.b
1965.	Simulatores odit Deus	303.b
1966.	Simulatorum et hypocritarum studia descripta	34.a-b
1967.	Simulatorum numerus infinitus.	256.b
1968.	Simultas semper plurimum Ecclesiae obfuit	48.d
1969.	Simultatis incommoda	373.d
1970.	Sinai mons	251.c
1971.	Sinai montis concussio miraculosa	371.b
1972.	Sinistra pro ira	18.a
1973.	Sinus pro interiori animae parte.	293.a
1974.	Sion mons descriptus	4.b, 195.b, 420.b
1975.	Sion mons in scriptura pro Ecclesia	197.a
1976.	Sion, Hierusalem est in scripturis	
1977.	Sion mons speculationum plenissimus	230.d
1978.	Sion mons fidei imago	238.c
1979.	Sitis animae	234.d
1980.	Solatia piorum in cruce; Vide, Piorum consolatio	383.d
1981.	Solis ardorem in scripturis pro adversitate accipi	195.b
1982.	Solis et lunae cursus	346.d
1983.	Solem prae caeteris coeli syderibus maiestatem Dei attestari	61.d
1984.	Solitarii qui	248.d
1985.	Solitudinis laus	317.b, 345.c
1986.	Solitudines cur piorum hominum refugia	276.b
1987.	Somno similis est vita humana.	279.d
1988.	Sopor pro morte acceptus	7.b
1989.	Sordidum atque impurum nil magis in terris, quam iustitia nostra, si tantummodo nostra	55.b
1990.	Specus in Iudea quatuor millia hominum capietes	221.b
1991.	Spes virtutum omnium necessarium condimentum	115.d
1992.	Spes quid	42.c
1993.	Spes orationis calcar est	115.a
1994.	Spes ignava est, nisi fervida oratione incalescat et inflammetur	115.a
1995.	Spes in afflictionibus piis non abiicienda	356.d
1996.	Spes in solo Deo firma ac quieta.	376.b
1997.	Spei definitio	18.c

1998.	Spei telum validum adversus mundi adversitates	417.a
1999.	Spei commoda et laudes celebratae.	154.d
2000.	Spiritualia carnali vocabulo deliniari	69.a
2001.	Spiritualium rerum meditatio qualis esse debeat	387.d
2002.	Spiritus arbor descripta	1.c
2003.	Spiritus finis est rerum coelestium	9.b
2004.	Spiritus copia in divinis odis.	42.d
2005.	Spiritus instructio bellica contra vitia	58.b
2006.	Spiritus odoramenta quae	82.d
2007.	Spiritus ebrietas quae	82.d
2008.	Spiritus fervores atque ignes explicati	398.b
2009.	Spiritus varii motus	215.a-b
2010.	Spiritus unitas in sacris quid.	248.b-c
2011.	Spiritus sancti dona et officia	249.b-c, 348.a-b, 435.c
2012.	Spiritus sancti necessitas	255.b
2013.	Spiritus sancti vis	198.c, 208.d, 321.b
2014.	Spiritus sancti ignis quam efficax	329.c
2015.	Spirituum beatorum castra quae.	96.b
2016.	Spirituum malorum potestati, nulla super terram comparanda.	402.c
2017.	Stare quid in sacris	1.b
2018.	Statuae sanctorum, rudiorum documenta	371.c
2019.	Statuarum vanitas	371.d
2020.	Sterilitatis causae	359.d
2021.	Studia et labores omnes vani, quibus divinam gratiam promereri speramus	140.b
2022.	Sub praepositio, pro in	244.c
2023.	Subditorum peccata quomodo corrigenda	357.b
2024.	Superbia quam odiosa apud Deum	323.a, 336.b-c, 381.c
2025.	Superbiae et fastus exitus atque eventus qui	145.c
2026.	Superbiae descriptio	276.d
2027.	Superbiae typus	347.d
2028.	Superbi omnes et potentia aliqua insigni praediti, vi verbi Dei confringendi	103.d
2029.	Superborum conditio descripta	47.d, 49.a
	{pdf 934, Index}	
2030.	Superbos in omnis generis errores prouere	145.b
2031.	Superborum finis et exitus	269.d
2032.	Superborum natura, mores ac ingenia	278.a, 362.a
2033.	Superstitio exitialis, lues religionis est	363.a
2034.	Superstitionis detestatio	348.d
2035.	Superstitiones unde emeruerint	393.b
2036.	Superstitionum genera varia notata	57.a

2037.	Supplicationum vis et virtus; Vide Oratio	52.c
2038.	Synagoga quando inceperit, et quando desierit	347.a-b
	T	
2039.	Tabernaculum verum	296.a
2040.	Tabernaculorum festum; Cur institutum	296.a, 315.d; 296.c
2041.	Tanis Aegypti oppidum Dei miraculis clarum	285.a
2042.	Tareph quid	366.d
2043.	Tempestas pro potentia divina.	203.a-b
2044.	Templum sanctum, est Ecclesia fidelium	105.b
2045.	Templi conflagratio per Antiochum	273.c
2046.	Templi novissimi sub Christo aedificandi descriptio	196.c
2047.	Templa cur aedificata	348.d
2048.	Templa Dei vera	244.b
2049.	Templorum usus legitimus	223.b, 257.a-b
2050.	Templorum insignis apparatus.	253.b-c
2051.	de Templis Christianorum vaticinium	274.b
2052.	Tempus gratiarum, seu miserendi, quando	119.b
2053.	Temporum mutationes in lingua Hebraea frequentissime	76.a, 373.b
2054.	Tendicularum et laqueorum genera varia	90.c
2055.	Tenebrarum in sacris acceptio diversa	368.d
2056.	Tentatio gravissima quae	6.b
2057.	Tentatio maxima piorum, dum felicitatem impiorum intuentur	269.c-d, 270.c-d
2058.	Tentationes a daemone diversis artibus exerceri	6.b
2059.	Tentationum utilitas	243.b
2060.	Tentationum malleus, tenacissima carnis forceps	46.d
2061.	Tentatori libentius servimus quam ipse nobis imperet aut dominetur	64.d
2062.	Terra mystica	246.d
2063.	Terrae significatio elegans	229.b
2064.	Terrae operationes	240.c
2065.	Tempestatis significatio	215.c
2066.	Terrena sectari et ambire fallacissimum	9.a
2067.	Testamentum quid significet	88.d, 205.b, 311.c, 314.a
2068.	Testamentum inter Deum et homines	311.b-c
2069.	Testamentum Dei aeternum quale.	349.d
2070.	Testamentum novum quid praestet veteri	203.c
2071.	Thabor mons	312.b
2072.	Thalmudicorum de divisione maris opiniones	423.d
2073.	Theophili Folengii hendecasyllabum	367.d
2074.	Thorah lex	379.a

2075.	Tharsis Ciliciae quondam metropolis descriptio	196.b
2076.	Thomae Apostoli in praedicando Evangelio studium	267.a
2077.	Tibiae pro fortitudine	443.b
2078.	Timor domini ad quid prosit	367.d, 368.a-b
2079.	Tituli psalmorum explicatu difficillimi	71.d
2080.	Tonitruum divinum descriptio	53.a-b
2081.	Topazii gemmae natura	390.d
2082.	Tormentorum et inferni loca indicata	39.d
2083.	Tormentorum genera horribilia descripta	33.b
2084.	Tradi in manus domini quid	30.d
2085.	Traditionum humanarum utilitas	203.d
2086.	Tranquillitas animi in quibus consistat	272.d
2087.	Tribum Ioseph cur repudiarit dominus	290.a-b
2088.	Trinitatis effigies	220.c
2089.	Trinitatis mysterium	247.a
2090.	Trinitatem totam rerum omnium quae conditae sunt, creatricem extitisse	122.c
2091.	Terrarum servitus ad Christi nutum.	203.b-c
2092.	Tristitiae descriptio	208.b-c
2093.	Triumphus Christi speciosissimus	251.c-d
2094.	Triumphus fidelium	251.c
2095.	Triumphat hodie etiam Deus in Christo	252.b
2096.	Triumphantium ceremoniae	251.c
2097.	Tumuli patens comparatio elegans.	14.c
2098.	Turcae superbia	347.d
2099.	Turcarum in Christianos severitas.	449.a
2100.	Turtur quot modis accipiantur.	275.d
2101.	Tyranni unde	292.b
2102.	Tyranni imperium quam grave	243.c, 262.b, 296.d, 298.d, 300.b
2103.	Tyrannorum interitus crudelis	299.c
	V	
2104.	Vanitas quid	382.d
2105.	Vasa pro instrumentis musicis	265.a
2106.	Vatis prudentia in explicandi sceleratorum vita	39.c
2107.	Venatorum malleus Turca	347.d
2108.	Venatorum officium	344.d
2109.	Verbum Dei cur assidue audiendum	388.c
2110.	Verbi Dei contemptus omnium malorum origo	358.a
2111.	Veritas Dei quid	318.b
2112.	Veritatis apud Christianos contemptus quam magnus	378.b-c
2113.	Versionum psalterii mira varietas et obscuritas	208.b
2114.	Vertex pro intellectu	21.b

2115.	Vestimentorum luxus taxatur	437.b
2116.	Vestis nuptialis quae	187.b
2117.	Via ad salutem quam scrupolosa	258.a, 282.d, 283.a
2118.	Vicissitudinis rerum causae	282.b
2119.	Victimarum ratio descripta	97.c
2120.	Victimae antiquae, umbrae et imagines fuere tantum	166.a
2121.	Victimarum carnificinam laniis potius quam viris iustis convenire.	116.d
2122.	Victimarum et sacrificorum nomina diversa explicata	166.a
2123.	Victimarum vim ingentem nulli usui Deo fuisse	204.b-c
2124.	Victoriarum in bello quae ratio esse debeat	52.a-b
2125.	Viduae significatio in scripturis.	30.d
2126.	Viduarum pater Deus	248.b
2127.	Viduarum misera conditio	323.c
2128.	Vigilare, pro observare	338.a
2129.	Vincula quid Iudaei vocent	3.d
2130.	Vinea domini quid	294.b-c
2131.	Vini modice sumpti utilitas	346.a
2132.	Visio divina quae	208.d
2133.	Visitationis significatum duplex in scripturis	226.c
2134.	Vita vera est quae futuram appetit.	99.b
2135.	Vita est ob nullam nostri rationem, attamen ut gloria dei emineat, instituta est	108.d
2136.	Vita alioqui desiderabilis et iucunda, nimis in longum protrahi videtur coelestia contemplantibus	413.d
	{pdf 935, Index}	
2137.	Vita cur a Deo hominibus data.	361.b
2138.	Vita longaeva magnum Dei donum.	319.c
2139.	Vita longaeva quam ob causam piis expetenda	373.a
2140.	Vitae autorem non cognoscentes, vita indigni	27.a
2141.	Vitae via quae	45.c-d
2142.	Vitae humanae descriptio	68.a, 79.a, 128.a, 160.d, 234.d, 243.d, 256.a, 279.c, 315.a-b, 316.b-d, 337.c-d, 340.a, 341.a, 363.c, 436.b
2143.	Vitae imitatione altissimi regis nato similes evadere, res est non parvi momenti	101.b
2144.	Vitae humanae institutiones non temere et populariter ab omnibus usurpandae	198.c

2145.	Virtus pro via Dei quae nos ad ipsum ducat	56.d
2146.	Virtus humana labilis et infirma.	100.a
2147.	Virtutis actiones omnes a Deo esse.	210.a
2148.	Virtutis honos ac premium	265.d
2149.	Virtutis nomine in sacris quid intelligendum	448.c
2150.	Virtutum gradus	302.c
2151.	Vitiorum monstra nobis ex ignavia emergere	173.b
2152.	Vituli, labiorum typus in sacrificiis.	210.d
2153.	Vituli cultu ac veneratione quid adumbratum	354.b-c
2154.	Vivendum ea ratione est in terris, ut bona nostra omnia in coelis esse et credamus et iudicemus	31.a
2155.	Ultio quomodo expetenda	227.c
2156.	Ultio divina iustissima	229.c, 238.a
2157.	Ultio divina in hostes suae Ecclesiae; Vide, Impiorum interitus	300.c-d, 301.a-b
2158.	Ultionis divinae signum	4.a
2159.	Ultionis divinae crudelitas	236.b
2160.	Ultionis divinae exemplum memorabile	286.b, 354.b
2161.	Umbra mortis quid	309.d
2162.	Umbrarum tempus descriptum.	78.d
2163.	Umbraculorum festum	296.b
2164.	Unctio in conviviis veterum	346.a
2165.	Unctio capitis in ieiuniis	363.d
2166.	Unctio sacerdotum	420.c
2167.	Unguentorum abusus	346.a
2168.	Unicornis similitudo perquam elegans	76.a
2169.	Vocatio in rebus sacris neglecta.	240.a
2170.	Unitas fidelium	250.b
2171.	Vocatio non negligenda	313.a
2172.	Vocatio ministrorum Ecclesiae sit legitima	378.b
2173.	Vocati, non omnes veri vocati	83.c
2174.	Voluntas Dei unde exploranda	380.d
2175.	Voluntatis vis una, non duae	27.b
2176.	Voluptatis poena	354.a
2177.	Votum solenne quod	214.d
2178.	Votum praecipuum	220.d
2179.	Voti nomen in scripturis cum Dei laude semper coniunctum	205.a
2180.	Vota subita et immediata, periculosa	205.a
2181.	Vota ultronea	214.a
2182.	Vota monastica quatenus pia	236.c-d, 286.c-d
2183.	Vota cum divinis laudibus coniuncta	238.c
2184.	Vota in baptismo Deo facta servanda	280.c-d
2185.	Vota qualia Deus a suis requirat.	280.c-d
2186.	Votorum ratio pulchre explicata	78.a, 205.a

2187.	Vox magna satis in canendo, si a magno et forti pectore proficiscatur	122.a
2188.	Vocis acerbitas in disputando, animum parum tranquillum indicat	116.b
2189.	Vocis significatio quae	214.d
2190.	Urbs quae optime aedificata	399.d
2191.	Uriae innocentia generosa	207.a
2192.	Usurae pernicies	267.c-d
2193.	Usurae detestatio	369.a-b
2194.	Usuram a Christiano homine evulsam vult Deus	42.a
2195.	Vulgi temeritas notata	185.d
2196.	Vulgi insipientia et stoliditas	275.d
2197.	Vulgi mores ac studium	307.a
2198.	Vulpium natura	236.b
	Z	
2199.	Zabulon tribus in Galilaea; Unde nomen habeat	253.d, 254.a; Ibid.
2200.	Zeb Madianitarum factionis dux.	300.d
2201.	Zelus quid; a zelotypia quomodo differat	257.a-b, 291.d, 391.d; 291.d
2202.	Zelotypia quid	291.d
2203.	Ziphaeorum proditio	213.a.b

ERRATA SIC CASTIGABIS.

Folio. 8.c. vers. 20. qua mentis.

38.d.24. derivari.

41.c.15. adeo discerptus.

53.a.24. ictae nubes.

73.b.23. quid tam lachrymis.

102.c.23.&24. Quid dignum.

Ibid.25. indicabo.

119.d.11. qui iacentem.

{pdf 937, End page}

[Stemma:] Palma Ising

[Michael Isingrin 1500-1557]

Giovanni Battista Folengo, Commentaries on Epistles of James, Peter and John, 1555
{1555 p. 1}
IN CANONICAS APOSTOLORUM EPISTOLAS, D. VIDELICET Iacobi unam, D. Petri duas, ac D. Ioannis primam, Commentarii IO. BAPTISTA FOLENGIO MANTUANO MONACHO AUTORE.
[Emblem:] VIRTUTE DUCE, COMITE FORTUNA.
LUGDUNI, APUD SEB. GRYPHIUM, 1555.
{1555 p. 2} [Blank page]
{1555 p. 3}
REVERENDIS ERUDITISQUE MONACHIS Eutychio Festino Abbati, Hieronymoque Syluae, suis in legatione ad Hispanos monachos collegis, Ioannes Baptista Folengius S.P.D.
CUM duplex sit ratio in primis res sacras interpretandi, collegae eruditissimi: ea mihi semper uisa est cum excellentior, tum tutior, cuius ductu pars illa animae, in qua amor uersatur, perfici solet, quam illa qua acuitur intellectus, atque ad peruestiganda etiam ea nonnunquam, quae sensum humanum excedunt, incitatur. Tum illud maxime me multum mouere solet, qui fit interdum ut securiori omisso tramite in illud potissime incumbimus, ferimurque (ut dicitur) et remis, et uelis, quo tanquam portu adepto nunquam securus fit animus et quietus. Sic est natura intellectus: secus uero amoris. Sed de his postea in commentariis ipsis, quos modo uestris auspiciis molimur,
{1555 p. 4}
nonnulla fusius. Faxit Deus, ut quae diu uestro hortatu in explicandis difficillimarum rerum maeandris ac nodis, quibus Apostolorum scripta passim redundant, parturio: ea demum tanquam emisso foetu aliqua cum felicitate pariam. Caeterum tota mea hac in re felicitas erit, si me scopum tam altum abstrusumque, si non assecutum, at saltem assequi uoluisse censebunt homines, conatumque laudabunt. Atqui in literis profanis solent docti nullum genus literarum, quod quis suo (ut aiunt) Marte minime cuderit, approbare: iccirco commentaria omnia uel fastidiunt: uel siquid in illis erudite est dictum, ut de multis legimus, eisdem tamen ne mediocre quidem locum concedunt inter autores. Aliter autem in sacratoribus commentandis literis aequiores sese exhibebunt iudices: si ingentes, multaque lucerna elucubratas cum Graecorum, tum Latinorum commentationes, in quibus maximopere desudarunt, uoluere non pigebit. Illis itaque, qui tali utuntur iudicio adeo non assentior: ut eos quoque admodum

errare existimem: quandoquidem sua primum seruata Apostolis in scribendo et maiestate et

{1555 p. 5}

gloria, proximum tenent locum ii, qui in commentandis eorum scriptis, dilucidandisque mysteriis fidam operam nauant. Neque id dico, optimi collegae, quo me inter priscos, sanctissimosque, et graues, et doctos autores annumerari appetam: ausimque inter olores uti anser improbus ad Maeandri ripas perstrepere: sed quo uos alioqui uiros prudentissimos minime fugiat, me in studiis nequaquam nihili, ociique ignobilis uel calamum uel ingenium attriuisse meum. Multum sane quidem referre arbitror, in quo quis gradu primum scalae pedem defigat. Scalae porro coelestis, quam a coelestibus planeque diuinis erectam esse Apostolis uidemus, uel imum ipsum gradum occupasse uiuacioris indicium: est animi, gloriaeque splendidioris fundamentum, quam illorum, qui in interpretando eruditissimo philosophorum omnium Platone supremum. Sed ad institutum redeo, rationeque prius reddita, cur hunc mihi interpretandi difficillimarum rerum laborem, uel primus qui istuc egerim integre, desumpserim: quodque ex me saepissime quaesiulistis, ad alteram descendam petitionem uestram, quae talis fuit: Liceretne monacho

{1555 p. 6}

literis operam dare simulatque se Deo nude semelque, addito etiam iuramento consecrarit, euulseritque a mundi plausu, atque iis omnino rebus, quae cum bonae sint, animum tamen a praestantioribus bonis auertere, sensimque summouere uidentur: ut fere sunt literae, earumque tum usus tum studium. Aiebatis enim, uos quodam in libello a Barbo Veneto nostrae Reipublicae fundatore scripto de monacho legisse quodam, qui cum in ipsis primis exordiis reformationis nostrae letaliter aegrotaret, dira permulta praedixerit, comminatusque fuerit monachis illis qui literas discerent, quasi una ea uel sola futura esset ratio, quamobrem uis tota religionis infringi debuisset et extingui. Huiusce itaque difficultatis nodum ut potero explicabo. Sed prius ad primum, ad secundum postea. Cum igitur assiduis occupationibus, quibus ob creditam mihi Bondenaciarum eleemosynarum dispensationem, grauem illam quidem, et curarum plenam, distineor, illic saepe mihi esse necesse sit, quod otii tunc superest id totum succisiuis secundariisque quasi temporibus cum ad legendum, tum ad scribendum aliquid, quod mihi sit utile futurum

{1555 p. 7}

impendo. Quid, quaeso, aliud a monacho uel cessatore, uel in precariis quoque istius generis occupationibus districto peragi debet? Ea quidem natura humani est ingenii, ut nisi assidue colas syluescat facile. Sed mirum quam totus egomet mihi in omnibus meis studiis displiceo, cum autem scribo placeo. Non quod certe scripturam ipsam meam talem eam quidem esse iudicem, quae aut me multum, aut alios oblectare possit: scribo tamen exercitatione ipsa scribendi contentus: nam id laboris genus, quod mihi cum studiosis quamplurimis commune esse uideo, quoque ego libentissime utor, ad sedandas mei ueteris Adae appetentias, fraenandasque cupiditates, aequae

esse statui, atque e tussi antiqua laboranti esse solet ecligma. Deuoerent alii, per me licet absque calamo qua suos qua aliorum libros: ego uero interim hisce meis delinctoriis non tam frequenter utar, quam mihi interdum ex causis nescio quibus uberioem illorum frequentandi usum intercisam esse occasionem querar. Nihil profecto in hac mea maxime praecipitata iam aetate tam aueo, quam confirmatum tutumque meae

{1555 p. 8}

quietis statum: qui quoniam uita haec praesens rotae instar uago perennique agitur motu: hoc tamen minus fugari irrequietaque concitatur orbita, quod hi minime desunt, qui ut possunt, ita nihil potius habent, quam ut cuilibet quod illorum sit consentaneum naturae cum attribuunt, tum modum rationemque qua id commodius effici possit, peruestigant. Itaque commentariolos in diui Iacobi epistolam unicam et in diui Petri duas illas difficillimas inter pias Bondenacii mei curas succisiuis (ut dixi) elucubratas horis ut potui perfeci: quam uero feliciter, ego mox uidero. Sed ad postremam nunc uenio uestrae petitionis partem, de monacho illo, qui in extremo halitu uitae positus nonnulla praeuiderit: horrida illa quidem et pauoris plena, in monachos uentura eos, qui literis operam dedissent. Ego sic uisum interpretor. Cum quidem monachi finis sit in terris mors ea sensuum, quam parit odium tum sui tum mundi: illis omnibus, qui mortem istiusmodi felicissimam assequi contendunt, necessarium uidetur, ut impedimentis (cuiuscunque tandem generis sint, quamuis ad speciem honestis ac utili-

[utilibus]

{1555 p. 9}

-bus) abiectis, in Deum mortis huiusmodi conciliatorem ullo absque medio alio praeterquam amoris ferantur. Studium certe literarium sobrium sumptumque mature et temperanter a monachis, quibus uia magis amoris usui esse debet, quam intellectus, laudari solet a patribus illis nostris, atque a nobis in primis, qui in spirituali harena plane attriti atque exercitati facti sunt uelut arietes filiorum Dei. Ad quos sane filios illud spectare arbitror, Afferte, inquit, domino filii arietum, afferte domino gloriam et honorem. Is porro honor, is cultus, haec gloria, ad animum potissime refertur et integrum, et innouatum, et ob assiduas rerum diuinarum contemplationes, crebrasque in perdiscenda Christi uita exercitationes feruidum, nudum, simplicem, suique semper haudquaquam dissimilem. Officiatne uero tam sanctis conatibus, an utile sit studium nimis anxium literarum, hi bene norunt, qui uia paulum intellectus satis ex se arrogantis, atque (ut dicere solet Polus grauissimus rerum istius generis disceptator) impudentis posthabita, illam quam terit amor peruigili sectantur studio. Ostensa

{1555 p. 10}

quidem uia qua iter est ad Deum amori, sistit se suis in finibus intellectus: amor autem praeteruolat, apprehenditque dilucide quod fuit ab intellectu ostensum et

obscurae et perplexae. Aiunt patres intellectum humanum esse tanquam statuam Mercurialem, quae uiam ostendit, amorem autem uehiculum: qui amor iam praemonstrati boni ardore accensus, praeproperusque quasi effectus quiescere non uult quoad eius in amati sinum simpliciter sese insinuet: neque singillatim interea quae de Deo proposuit intellectus peruestigat distinguitque: sed actu uno purissimo contentus in Christi amore, termino nimirum laborum nostrorum soporatur, requiescitque, unius plane naturae cum suo amato effectus: more scilicet surculi in arbore insecti, aut guttae aquae in oceanum proiectae. Atqui uiae huiusce nobilissimae amoris ueterum monachorum uestigiis frequentatae pertritaque mirabiles hi semper extitere fructus, pax mentis, quies, rerum caducarum despicientia, securitas. Dei fruitio. Ab altera uero ferme (nisi diligenter caueris) prodire solet fastus, uanitas, uitae spiritualis fastidium, amor pro-

[proprius]

{1555 p. 11}

-prius, ambitio, rabida scilicet illa feraque assequendorum honorum Erynnis, orexis'ue et improba et detestabilis. Quae profecto omnia ueterum instituta ut fastidiunt, sic fastidita et omittunt et oderunt. Ecquid? Literas etiam sacras non suis cum locis tum horis amatas quaesitas'ue, tranquillitati, ocioque illi, quod ad monachos pertinere diximus, utiles neququam esse, quis ex nostris literarum studiosis non experitur? Multo id magis de profanis fabulosisque literis, quas tamen mitioribus honestare solemus titulis, censendum erit. Quae certe literae tam apte conueniunt monacho, quam boui conueniunt clitellae, aut uro ephippia aut phalerae. Vultis ne dicam unico uerbo rei summam? Monachus totus spiritualis esse debet, atque a mundi necessitudine secretus. Ita requirit illius professio, ita solitudo, ita ipsum nomen, habitus, uictus, uocatio, et demum pollicitationes uel sequestro iuramento factae Deo. Ad literas autem adire quo doctus habearis reputerisque, cura sane ridicula est ac uana. Nec est subinde uerendum de conciliis quin optatum finem nanciscantur suum, nisi

{1555 p. 12}

monachi, quorum praecipuum id esse debet studium, ut ad Christi pedes incogniti qua sua, qua aliorum fleant peccata intersint literati mitratique. Fingimus enim, formamusque nonnunquam in nobis ratiocinationes nescio quas, specie quidem plausibiles et gratiosas: sed quae sensim a proposito fine nostros suffurantur animos. Amor quippe non tam literarum, quam mundi huius impostoris obscoenissimi istius generis occupationes nostrum ad illudendum intellectum machinatus est, atque tam alte nostris inseuit animis, ut perpauca iam inuenias, qui quorsum parentes ipsos suos charissimos, quorsum affines, quorsum amicos, quorsum patriam hisce omnibus iucundiolem reliquerint cogitent. Haec omnia (puto) eo spectant, ut qui id audeant hi se mundo tum mori uelle attestentur, praeque se ferant sublimiorem se inquirere professionem: eam nimirum, quae tota in caligine diuini amoris (sic eam appellat Dionysius) immersa, nihil approbat quod uel parum quidem a iam concepto sensu illo beatissimo et coelesti mentem auocat et retardat. Id censeo illo in spectro prae-

[praesensisse]

{1555 p. 13}

-sensisse aegrotum, cum a perdiscendis literis deterruit monachos. Tantum uero abest ut supinos hic monachos atque inertes laudari opiner, (quis tales unquam laudaret stipites?) ut acutissimis eos etiam morsibus, dicteriisque impeti debere iudicem.

Nam a literis, quo ociosius pergraecari quis possit abhorrere, huic tam apte Terentianum illud conuenire existimo, quam quod aliud maxime salse dictum. Caudex, stipes, asinus, plumbeus. Nihil sane turpius inter homines cerni potest, quam monachus qui utraque sit orbatum disciplina: hoc est, cui neque uia intellectus, neque amoris est nota: quanquam posterior haec simplici quaesita studio ac trita sufficere debet monachis. Quare quaecunque ab hoc nos itinere deturbare possunt, aut abiicienda omnino sunt, aut delectu habito temperanda. Credo equidem diuinam eam de altari ex lapidibus incultis infabricatisque erigendo sanctionem futuros quoque monachos spectasse, qui pretiosioribus mundi rebus calcatis, spretisque, puro, quasique natiuo affectu Deo litaturi erant in spiritu et ueritate. Est et aliud animaduersum hac in re incom-

[incommodum]

{1555 p. 14}

-modum, ut fere monachum illum morientem animaduertisse suspicer. Praeuidit, puto, homo ille iam agens animam, idcirco purgatoris sensus, atque a crassioribus corporis uinculis propemodum liberi, genus istuc nostrae obseruantiae (quod uocant) regularis qua maxime decor religionis perornatur, a literarum studiosis facile contemptum iri: illosque non tam rem aliam detestatos quam a literis auocari, quae literae totas sibi horas uendicare solitae sunt: atque si secus accidat indignari, cauereque quantum possunt ac succisiuis: proindeque commoda corporea, delitias, immunitates, et demum quaecunque animi causa nancisci possunt undequaque uenari. An uero habita omnium, ratione in locis id agi queat illis, in quibus communitatem, consociationemque uitae unam ad omnes eiusdem collegii homines pertinere natura etiam ipsa rerum fatetur, difficile uidetur. Alia quidem res est coenobia monachorum quempiam habitare uelle, alia literarum scholas. Verum quoniam absurdissimum esset statuere monachos post continuas in orationibus uigi-

[uigiliisque]

{1555 p. 15}

-liisque, atque illis tantopere necessariis laboribus corporeis, exercitationes, nullo debere uti literarum: studio. Dicam quod hac de re a doctissimo Polo accepi. Miles, inquit, Vegetium legat, Curtium, Liuium, Caesarem: Medicus Galenum, Mesuen, Hippocratem: Orator Tullium, Platonem **Academicus** uoluat, Peripateticus Aristotelem: et demum quilibet eos legat libros et autores quorum praeceptis ea in arte, ac quam profitetur disciplina fieri queat perfectus. Alioquin Euclidem non legat qui in re agraria nauticaue, aut piscatoria perdiscenda se exercet. Sic monachus eos legat autores, qui de illius uitae genere perscribere, qui eiuscemodi sunt efficaciae ut

animum plane quietum reddant et tranquillum: tantum abest ut aliquando, qui ita imbuti sunt monachi, sui eos status poeniteat, (ut permultos poenitere cernimus) illisque qui cum Paulo nihil se scire profitentur, praeter Christum crucifixum, detrahant. Quam sane notionem ineptus sim si putem nemini absque literarum linguarumque uariarum praesidio posse contingere. Id quidem esset clientem patrono, non patronum clienti uelle opitulari.

{1555 p. 16}

Haec habui, collegae doctissimi, quae de uiso illo terrifico, seu de uisi coniectura sub ipso fere Alpium transitu in Hispaniam a uobis rogatus afferrem. Valete.

{1555 p. 17}

IOAN. BAPTISTAE FOLENGII MANTUANI COMMENTARII IN DIVI IACOBI EPISTOLAM.

|1.1| IACOBUS Dei et domini nostri IESU Christi seruus duodecimi tribubus, quae sunt in dispersione, salutem.

IACOBVS huius Epistolae autor quis fuerit non in unam conueniunt sententiam scriptores. Verum si Aegesippo autori grauissimo, qui sub tempora fere Apostolorum floruit, habenda est fides, ut meo sane iudicio haberi debet, alius omnino fuit ab illis huiusce nominis apostolis, qui in numerum eum sacrum senatorum terrae cooptati cum Christo familiariter uixerunt, Volunt tamen Mariae materterae Christi filium fuisse, atque ob incredibilem quandam morum coniunctam cum innocentia uitae maiestatem cum Iusti, tum fratris domini cognomentum meruisse. Ut ut opinentur, secumque hac de re discordent autores, mira tamen de illius unanimes integritate referunt ac sanctitate: ob quas sane partes post Christi mortem statim ab apostolis ad id muneris electus, Ecclesiae praefuit Hierosolymitanae, usquedum ab Anano pontifice crudeli-

[crudeliter]

{1555 p. 18}

-ter occisus eam de se reliquit opinionem, ut passim creditum sit, exitium illud famosum ciuitatis propter immeritam tanti uiri caedem contigisse. Is itaque Iudaeis, qui ob acerbitatem persecutionum post mortem Stephani ortam aufugerant, sparsimque oras finitimas peruagabantur, iam senex scripsit: illos hortans, ne in ferenda Christi cruce, quae in aduersis fortiter tolerandis uersatur, fatiscerent: oblatumque laborem, exercendae nimirum uirtutis occasionem detrectarent. Primum quidem se seruum Dei appellat, qua appellatione nihil excellentius audiri potest. Seruus enim, si frugi seruus est, suo posthabito iudicio ac uoluntate quae domini sunt sui ulla absque cunctatione curat, illum ante omnes honorat, ab illoque uitae fere usum expectat. Seruio, inquit, potentissimo rerum omnium effectori Deo: seruio illius filio Christo, qui sua morte mihi uitam restituit: quique cum patre ipso mihi Deus est

ac dominus: et is quidem liberalissimus: cuique nomen est IESUS, unctusque a patre ut sit rex uniuersorum? Haec fere Iacobus in ipsa salutatione. Caeterum in tribus duodecim distincti erant Iudaei, qui tunc (ut diximus) propter immanitatem persecutionum per uicinas regiones dispersi erant. Hos ad hunc igitur modum consolatur dicens:

|1.2| Omne gaudium existimate fratres cum in uarias incideritis tentationes.

Pro maximo (ait) gaudio, lucro etiam ducendum erit, cum in uarias multiplicesque incideritis (haec est crucis effigies) et molestias, et aerumnas. Vocat probationem fidei tentationes, quarum attritu, tanquam in lapide lydio, cuius simus temperaturae ac roboris in palaestra spiritus a Deo probamur: quare intulit:

|1.3-4| Scitis quod probatio fidei uestrae pa-
[patientiam]

{1555 p. 19}

-tientiam operatur: Patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes.

Explorationem, ut dixi, fidei intelligit: quae in aduersis, ut aurum solet in igne, exacte exploratur: datque sui notitiam in istius generis flamma atque ardore, unde germen quoddam eximium diuinumque, quam patientiam appellat senex sanctissimus, emergit: expectationem nimirum caelestium bonorum, sufferentiamque in conflictu carnis pro Christo uoluntariam. Hoc enim scopo, firmaque animi persuasionem, nihil non mente etiam imperterrita toleramus. At uide tu excellentiam istiusmodi germinis prope infinitam, Opus, inquit, perfectum habet. Nullo alio certe tam digno, ueroque ornari potuisset elogio patientia, quam perfectionis: quippe cui nihil omnium desit. Beneuolentiam erga hostes quoque, non solum erga amicos, atque illos, qui aliqua nobiscum coniuncti sunt necessitudine, intelligit. Nam tum demum illud esse perfectissimum patientiae genus arbitramur, cum quis lacessitus affectusque iniuriis bene uult illis, qui inferunt: quae est norma Christianae philosophiae necessaria. Iccirco additum est, Ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes: hoc est, ut nullo sitis diminuti destitutique ad res spirituales pertractandas auxilio atque ope: ut eo sane modo rota Euangelica ac gyros a se exiens ad se laboriosissimo consummato cursu redeat: quae est quaedam imitatio diuinae prouidentiae, atque pulcherrimae in gubernandis rebus conditis sapientiae: Ex quo quidem fonte nostra omnis ortum habet diuinorum cognitio et gustus. Qua de re ait:

|1.5| Si quis uestrum indiget sapientia, postu-
[postulet]

{1555 p. 20}

-let a Deo, qui dat omnibus simpliciter, et non impropere, et dabitur ei.

A fonte quidem petendae sunt aquae lucidae, non a lacunis. Si cui deest, inquit, sapientia, nempe rerum earum, quae ad peragendum piae uitae cursum per opportuna sunt, disciplina: a Deo solo id petat. Ipse quidem uniuersalis bonorum erogator est, datque sua dona cum effluenter et copiose tum simpliciter et animo candido: nihil scilicet repositens ob collatum beneficium, nec impropere: multo minus indignabundus obiurgat obiicitque, ut solet arrogantia humana beneficia: sed dat ut abundanter, ita ingenue sineque spe ulla remunerationis. Quam ob rem qui Deum nostris interpellare precationibus audemus ut det nobis sua largiter et ingenue, qui ne aereum quidem obolum dare uolumus indigenti sine spe lucri et quaestus? At qualis is esse debeat cui sapientiam petenti non queat non praesto adesse Dei benignitas, mox aperit dicens:

|1.6| Postulet in fide nihil haesitans.

In fide haesitat, qui ueretur possitne dare Deus, uel ne uelitne curam nostri habere, uel ne. Vanum profecto istuc est genus timoris ac diffidentiae eo maxime tempore quo cuncta firma esse debent ac fixa in Deo. Alioqui,

|1.6| Qui haesitat similis est fluctui maris, qui a uento mouetur, et circumfertur.

Vide cuius rei aequiparetur instabilitati uir orans Deum haesitabundus: similis, inquit, est fluctui maris fracti, qui fluctus nulli aptus est formae suscipiendae, atque impressioni, eo maxime in statu quando a uento aliquo procelloso rumpitur, insanoque iactatur mugitu. Sic mens dubia nulli est idonea afflatibus Dei recipiendis,

{1555 p. 21}

nec capax est numinis. Qui igitur istiusmodi affectus est persuasionem, ut rogare debeat nihil cum fide, immo anxio animo et ancipiti, is in hac saltem parte certo statuatur, credatque se nihil prorsus rerum earum quas rogat impetraturum.

|1.7-8| Non enim existimet homo ille, quod accipiet aliquid a Domino. Vir duplex animo inconstans est in omnibus uis suis.

Virum duplicem uocat uirum inconstantem, sui dissimilem, atque suis in actionibus, quae sunt illius uiae, et uarium et futilem, et qui modo praesentium, modo futurorum tenetur desyderio: ut fere sunt nostrae aetatis spirituales: quibus, ne quid sibi ad corporis commodum, ne dicam luxum, deesse possit aliquando, prima est cura, et ea quidem solitudinum plenissima ac trepidationis: adeo imbecilli sunt nonnulli, etiam illorum qui grandiori sunt aetate, in fide Christi. Memini haud raro mihi iuueni a quodam sene ex primariis mei ordinis hominibus dictum esse, se prorsus regendarum animarum sarcinam, ut ipse aiebat, periculosam fastidire, exhorrereque: iccirco cupere, quam primum posset, onus illud a iam decrepita ceruice, ac rugosa, excutere:

nisi ne quid sibi in posterum ad copiam uictus, atque abundantiam illam rerum, qua solitus erat uti, deesset, continuis angeretur curis. Animum certe sene in illo non omnino malum inspexi, sed fidem desyderau. Sic erat ille, pauidus nimirum, anceps, tenax, semperque subtristis: et cui placuit magis tandem ferre ita sarcinam, tametsi uietis iam uiribus atque effoetis, quam deposita cum suae tum caeterorum consulere quieti: ne quidquam scilicet deesset, neue uictus sordidius forsitan, et auarius ab oeconomio sumministraretur: non essentque qui, ut prius, illius parerent dicto. Illa itaque tam me-

[meticulosa]

{1555 p. 22}

-ticulosa perseuerante in illo diffidentia, mollicieque animi senili atque enerui, mortuus est, nullo relicto sui desyderio posteris, neque rei administratae per tot annos nomine digno memoria atque immortalitate. Quo uero dubii istiusmodi abeant post mortem animi, ego quidem demens si id definitio: totum id Dei esto iudicium atque arbitratus. Domini domini certe sunt exitus mortis, non hominis suis in iudiciis proferendis parum cauti. Quantum autem ad nos attinet, qui sub Dei lege et instruimur, et custodimur, uenerabundi ad id, unde digressi sumus, reuertamur.

|1.9-10| Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, diues autem in humiliatione sui, quoniam sicut flos foeni transibit.

Vide quid pariat contemptus proborum in mundo, gloriam utique, atque exaltationem in coelis. Glorietur, inquit, homo oppressus, atque ob Christi religionem derisus. Nam eam demum solidam esse laudem ac gloriam arbitramur, cum quis dignus censetur qui pro nomine IESU contumelias subeat, quae uera est exaltatio, sublimitasque excelsa, ac diuina, etiam in terris. Nulla certe cum hac comparanda est dignitas, nulla celsitudo, nullus honos, nullumque potest esse triumphus genus quod huic non cedat. Contra autem, diues satis per se ob diuitias celebris et honoratus, in illo totus sit, ut ab iis, qui rerum facile caducarum imagine falluntur, amens existimetur: quippe qui pro religione diuitias negligat, illisque imperet, non pareat. Haud parua quidem ea est laudatio atque existimatio diuitis, si pro Deo atque illius religione tutanda uecors habeatur, ac insanus. Pro huiusmodi sane rerum copia ac mercede diues gloriari debet, non pro luxu, rerumque humanarum abundantia, unde facilis oriri solet a Deo defectio. Difficil-

[Difficillima]

{1555 p. 23}

-lima profecto res est, sublimem quempiam, et ab omnibus passim honoratum, et cultum, summis posse atque humiliter de se sentire, cupereque ab aliis sic haberi: uel saltem habitum sedato ferre animo ac tranquillo. Et ut quidem permultae sunt causae, quae possunt in hanc laudabilem cogitationem et conatum eum inducere, Cui quammaximae sunt diuitiae, neque illa in postremis censi debet, cum recolit istius

generis felicitatem quamuis in supremo locatam bonorum gradu, cito finiri, atque instar florum commarcescere et interire.

|1.11| Exortus est, inquit, sol cum ardore, et arefecit foenum, et flos eius decidit, et decor uultus eius periiit.

Vocat uultum floris, illius elegantiam, atque aspectum eum delectabilem cum uiret: Verum succisus mirum quam cito perlanguescat, atque elegantem illam amittat gratiam.

|1.11| Ita et diues in itineribus suis marcescet.

Ad eum sane, inquit, se habet modum omnino, quo flos, diues: qui in accumulandis opibus, non contentus mediocritate, totus est (flos, ait, foeni praeterit, marcescitque quamprimum) suisque in itineribus suum more in coeno cupiditatum uolutatur, et immoritur. Itinera diuitum appellat illorum tum consilia, tum motus animi, appetentiasque ad res caducas insaturabiles et infinitas. Talibus enim itineribus ac uiis gradiuntur diuites, et suum perficiunt uitae cursum, si ex illorum praesertim numero sunt, de quibus sic Daud, Diuites eguerunt, et esurierunt. Nam huiusce generis diuites egent ut plurimum, atque ea non magis possident quae habent, quam quae non habent. Et cum perpetua ueluti siti diuitias inhient, obtineant quoque, nunquam tamen sat est

{1555 p. 24}

dicunt. Propterea semper miseri sunt, licet uulgo fortunati uideantur ac beati. Verum non hi beati, sed

|1.12| Beatus uir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam uitae, quam promisit Deus diligentibus se.

Ecce iterum tibi explorationem in medium adducit fidei: quae sane per assiduos aduersitatum ictus erudita, atque ad ultimam demum perfectionem euecta, donatur corona: non querna, non murali, non laurea, non populea: sed uitae, sed salutis, sed merae beneficentiae Dei: promissa quidem ab origine rerum, non utique omnibus, sed diligentibus tantummodo tam eximii doni autorem, ac gratiae. O felix, inquit, uir illae ac beatus, qui pacato recipit animo et tranquillo correptiones Dei, fertque imperterrite flagella mundi: sed ea potissimum, quae religionis ergo ac pietatis ab impiis inferuntur. Is absque dubio coronam, brabiumque recipiet iustitiae, quae est uita immortalis, ac beata cum Deo, qui illam in perpetuum duraturam iam inde a conditarum rerum exordio pollicitus est se uere diligentibus: non (qui mos est simulatorum) et fecte et dolose. Et cum haec ad huiusmodi se habeant modum,

|1.13| Nemo tamen cum tentatur dicat, a Deo tentor.

Tentari hic uocat impelli ad malum perpetrandum. Talem profecto uim atque impulsum non Deus quidem ipse purissimus, sed ipsi omnino affectus prauis ac sordidi hominum ex sese creant, atque ex formis extrinsecus receptis (quas irritabiles appellat Lactantius) ad se reuocant. Scelus id esset igitur plane inexpiabile, impulsionem istiusmodi turpissimam ad peccatum Deo attribuere, qui adeo candoris amans est, atque innocentiae

{1555 p. 25}

animarum, ut nullam aliam ob rationem se illis uitam exhibiturum aeternam pollicitus sit, nisi quoniam aut peccatis abstinerint, aut ab illorum sorde emergerint, robustissimeque a tam turpi dominatu se ui naturae adhibita uendicauerint. Nemo itaque tam durae mentis sit, et crudelis in suum benefactorem ac patrem, ut cum ad peccatum sollicitatur impelliturque, dicere audeat, a Deo hasce in appetentias ineuitabiles obrudor, cogorque ad ea perpetranda, ad quae inuitus pertrahor. Ipse enim neminem tentat. Quid?

|1.13| Deus intentator est malorum.

Ad nullum, ait, committendum flagitium prouocari potest res tam sublimis ut est Deus. Et quemadmodum ad rem nefariam ullam commoueri non potest purissimae naturae Deus: sic neminem ad malum instigat et prouocat.

|1.14| Unusquisque uero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus.

En origo nostrae miseriae, en fons totius nostrae prauitatis. Vi quodammodo concupiscentiarum illecti, a rectoque iustitiae itinere deturbati, atque illecebris mundi uariis inescati labimur, deflectimusque a uia uitae, ac Dei: et tandem in tortuosissimos sponte nos nostra impellimur inextricabilis labyrinthi uitiorum maeandros ac gyros, ne dicam uoluptuarios anfractus, suauesque mortis species. Quilibet igitur a se irritatur ad malum, a se germen trahit peccatorum letale, a se cadit, atque suus ipse est ad mortem impulsor: tantum abest ut suum queat esse a tot malis leuamen atque effugium. Id Dei munus est, quo uerissimam illam Dei ipsius diffinitionem in nobis locum habere sentiamus: Ex te, inquit, perditio tua Israel: a me autem salus. Sed ordinem iam uideamus tam efferi partus, ut est peccatum.

{1555 p. 26}

|1.15| Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: Peccatum uero cum consummatum fuerit, generat mortem.

Concupiscentia primum, uti lena impudens, uoluptates proponit illicitas: quas sane ubi tanquam camarinam permouerit, in mentemque quasi foetum adhuc informem

obtruserit, parit peccatum, turpe illud quidem ac plumbo grauius: uerum suis nondum omnibus effigiatum membris, nisi posteaquam pleno omnino consensu in opus exierit: tunc mortem parit, aeternam nimirum, qua animae a Deo separantur deserunturque proinde mors depascet eas. Itaque a carnis illecebris, atque hamatis concupiscentiarum plagis formatur peccatum in anima, unde mors sequitur aeterna: non a Deo, qui peccati destructor est, atque illius imperii demolitor.

|1.16| Nolite igitur errare fratres dilectissimi.

Culpam scilicet uestri lapsus, atque ultroneae defectionis a uita in Deum reiicientes. A tam bono enim domino quid mali unquam quis timuit? Certe equidem

|1.17| Omne datum bonum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum, apud quem non est transmutatio, neque uicissitudinis obumbratio.

Omnis, inquit, res bona, donumque sublime et perfectum a Deo Opt. Max. proficiscitur. Non malum, non noxae, non ad lapsus, ut uos amentes suspicamini, impulsiones. Neque est Deus fallax: aut, ut sunt fere homines, inconstans et uarius. Qua de re nulla afficitur mutatione, semper idem est, sui nimirum similis, ac simplicissimae operationis: tantum abest, ut penes eum ne momentaneae quidem reperiuntur uicissitudines, ac rerum loco-

[locorumque]

{1555 p. 27}

-rumque intercapedines. Non profecto est Deus ut sol iste uisibilis, qui recedens a nobis inducit noctem. Ipse enim Deus semper lux est, atque omnium luminum et origo et fax, a qua lumen haurit quicquid uel in coelis uel in terris capax est lucis et uitae: ac tandem sicut tenebrae eius ita et lumen eius. At uero ut infinita illius bonitatis argumenta praeteream alia, id unum afferam, quo haud ignorent mortales cui rei ferre acceptum debeant quot sunt, quot uiuunt, quot beatitudinem spe minime dubia praestolantur, uide quid inferat.

|1.18| Voluntarie nos genuit uerbo ueritatis.

De noua, quae facta est per uerbum uitae, loquitur renascentia, atque innouatione in Deo. Volens (ait) Deus, ultroque, nullis nostris astrictus meritis, ac uitae integritate, cum digni potius essemus morte, nos uiuere uoluit: ultro nos suos fecit, ultro in sortem filiorum suorum cooptauit, acciuitque ad uitam uerbo ueritatis. nempe fidei, gratiae, uocationis, pollicitationisque suae aeternae. Hoc quippe uno promissorum fulcimento in primis excitati sustentamur, in Deoque uiuere incipimus perfectum uitae statum, ac tutum, post hanc tempestuosi maris procellam assequuturi. Ipse enim Deus ab aeterno uitam beatam suis pollicitus est, firmauitque iuramento pollicitationem. Quare ut esset uerax, uerbumque illius ac promissio firma esset, quod promisit praestitit: reque ipsa tot ueteribus patrum uaticiniis ac praedictionibus adeo

celeriter respondit, ut stantes iam sint pedes nostri in atriis felicissimis Hierusalem.
Et haec quidem omnia

|1.18| Ut simus initium aliquod creaturae eius.

Hoc est, ut nos inter caeteros homines, tanquam primitias e frugibus selectas, honoratiores faceret. Honorem quidem hunc, ac nobilitatem a uerbo habemus

{1555 p. 28}

ueridici Dei, qui sic promisit. Caeterum primitiae frugum de more pulchriores ad honorandum magis sacrificium Deo offerendum, aut munus principi, deligi solent. Ita ab aeterno a reliqua secreti sunt turba filii Dei in hoc mundo, quo donum unigeniti magis esset gratum Patri aeterno

|1.19-20| Itaque fratres mei dilectissimi, sit omnis homo uelox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim uiri iustitiam Dei non operatur.

Et si quidem uir sanctus uidetur uelle nobis sitim quandam laudabilem audiendi uerbi Dei, e cuius auditione uita oritur animae, quae uita est fides, insinuare: asserunt tamen sanctiores de illis potissimum hic loqui, qui facile, ne dicam arroganter, sumunt sibi prouinciam alios de iis saepenumero, quae ignorant, aut ad quae instituenda idonei minime sunt, edocendi. Mirum quam impudenter se ad id ingerunt muneris nonnulli: muneris inquam periculosissimi, magnique apud Deum momenti, cuius doctrina maxima cum trepidatione ac reuerentia est pertractanda. Quocirca leuitatem quorundum praeuidens uir sanctus aiebat, Sit homo uelox ad audiendum, tardus ad loquendum: quod perinde ac si dixisset, Eligat unusquisque potius nomen discipuli quam magistri in academia religionis: quae uitae ratio tutior est, magisque trita, ac patrum uestigiis frequentata. Immo, quo alium haud minoris periculi non ignoretis scopulum, dico inculcoque, Sit quilibet uestrum tardus ad iram. Causam afferro, dicoque, iram hominis iustitia Dei non posse exequi. Heu pestem neruis omnibus nostris a contuberniis exterminandam simulatque audimus hominem iratum iustitiae Dei haud posse obsequi. In animo certe irato nulla potest residere

{1555 p. 29}

pietas, nulla religio, lex nulla, nisi praua. Qua de re non sine singultu ac lachrymis, credo, clamabat Salomon: Vir iratus non paret Dei mandatis. Ubi igitur est iracundia, ibi locum habet nullum iustitia, nullum aequitas, nullum probitas: ac demum neque ius, neque fas seruari potest. Quam ob rem hominem iracundum (ut saepius rem tam necessariam repetam) nulli posse esse usui humano, multo minus diuino, ex iis quae dicta sunt quis non iudicat? Et tamen ad utrunque quoquomodo aptatur usum: quam uero apte, tu qui legis, forsan et experiris, esto arbiter, simul ut audis iratum hominem Dei praeceptis non posse (adeo induruit) obtemperare: et tamen iustitiae perfectionem in seruandis Dei iussionibus sitam esse non dubitamus. Verum usum

hunc turpem ac morem cum caeteris huius seculi (ferme dixi plumbei) infinitis ac deploratis, optamus magis tolli, quam speramus. Iccirco ne status rerum publicarum inturbetur, ut solent graues sarcinae atque onera a baiulis ferri, ferimus spe lucri.

[1.21] Propter quod abiicientes omnem immundiciem, et abundantiam malitiae, in mansuetudine suscipite insitum uerbum, quod potest seruare animas uestras.

Puto et hanc admonitionem ad superiora irati hominis referri posse: nam praeterquam quod nulla affectus est religionis persuasione, ut plurimum immundus est, malitiosus, abhorrensque ab insitione uerbi Dei, quo medio seruantur animae, uiuuntque in ipso ut solet surculus in trunco uiridi, aut malleolus in uite. Refertur etiam ad caeteros, quos ut filios Dei ingenuos admonitos esse de is omnibus uoluit, quibus iter impeditur ad Coelum. Immunditiam uocat omne genus inqui-

[inquinamenti]

{1555 p. 30}

-namenti, sordesque peccati omnes: Abundantiam autem malitiae, superfluum intelligit usum rerum illarum, quae ad perfectam adumbrandam uirtutum formam uiam obstruunt. Superuacua quidem illis omnia amputanda sunt, qui ad Deum tendunt, ut solent superuacua ab artificibus suo ab artificio detruncari, aut ramenta a fabris delimari. Cupiditates itaque ac mundi curas, uult nostro ab animo talibus monitis euulsum iri. Nam peruersae cogitationes (ait Sapiens) separant a Deo. Quare ne tam periculosam subeamus iacturam ut est amissio Dei, danda erit opera ut curae omnes, et cogitationes uel uanae uel inutiles nostro ab animo relegentur, proculque, quemadmodum solent exta proiici cruenta ad aras daemonum, proiiciantur. Contra autem uice rerum istiusmodi uitiosarum in mansuetudine suscipite insitum uerbum, uerbum dico, quod potest seruare animas uestras. Num talis de caeteris uerbis praerogatiua, quamuis diuinis et utilibus, id dici queat, atque illis applicari, haud sat scio. Illud autem maximopere cauendum a filiis Dei, ne arroganter, aliaue mente quam ut est institutum, aut discant, aut doceant tam salubre uerbum ac doctrinam plane coelestem, atque in secretissimis diuinae caliginis recessibus abditam: iccirco luce opus est, et ea quidem purgatissima, atque a caelesti patre per tubulos aureos sui amoris in nos effusa. Unde non sine maxima est additum ratione, In mansuetudine suscipite: hoc est, animo cum pacato, tum ab omni rixosa disceptatione, et sui confidentia, quemadmodum fieri solet a benemoratis discipulis, a uobis perdiscenda ac pertractanda diuina est lex: quod sane est uerbum insitum in regeneratione utique acceptum: naturale, non umbratile, non fictum, non commentitium: cuius ea est cumprimis uirtus, ut testimonium reddat spiritui nostro quod sumus filii Dei. Est quidem uerbum reconciliationis uer-

[uerbum]

{1555 p. 31}

-bum pacis, uerbum fiduciae, uerbum quo scimus (ut ait Ioannes) quod ex Deo sumus. Insitum certe inter sanctos homines semper uel a primis rerum exordiis fuisse Dei uerbum quis iam ignorat? Itaque naturalis quodammodo semper fuit antiquis patribus de Messia uenturo cognitio, naturalisque in lege ueteri ac prophetis sensus, atque intelligentia: licet in inuolucro posita, de aurea Christi aetate, in qua haud amplius lex danda esset in tabulis lapideis populo lapidibus ipsis duriori, sed in cordibus filiorum Dei stylo diuini amoris inscribenda. Ad hunc igitur modum uerbum illud aeternum in nobis insitum esse intelligimus, et ut nostrum cum naturale tum proprium: atque adeo proprium, ut coniunctissimum esse non dubitemus: interdumque, nisi prorsus ferrei simus, experiamur, cum ipsis medullis animae, haud secus quam sit ratio ac mens, et amplectimur et aliis non inuidemus. Verum longo usu peccati, atque antiqua a pietate rebellione ac fuga, pene abolitum erat. Erat sane in nobis, sed a cupiditatum spinis obrutum, planeque incognitum, atque a scriptura uitae fere expunctum, nostraque manu (res miseranda) oblitteratum. Quo circa non iniuria praemisit senex sanctus, Abiicientes omnem immundiciem, quam uniuersitatem uitiorum esse diximus: qua qui affectus est, obdurescat oportet audito uerbo uitae. In accessu itaque Christi ad nos, agricolae nimirum ueri, ac naturalis sui agelli, falce sua diuina dumos annososque paliuros ac tribulos succidit, semenque illud latens apparere occoepit: et tandem e dira illa lue ignorantiae stupiditatisque animorum, tanquam uita ex mortuis emersit. Hanc autem cognitionem ac sensum, ne dicam reminiscentiam, a lauacro uitae recuperauimus. Sunt tamen qui insitum uerbum rationem interpretantur, qua inter melius (sic illi aiunt) et deterius delectus habetur. Sed prima sententia purior uisa

{1555 p. 32}

est, propterea quod de uerbi cognitione in regeneratione* recuperata hic loqui apostolum arbitramur: atque est de salute nostra tuta (ni fallor) persuasio. Verum tam efficax uirtus in nobis iterum sterilest, latebitque obscura atque incognita, nisi ad actiones Deo dignas exierit. Si quidem Dei regnum non in sermone, sed in uirtute positum esse, nemo est uel mediocriter in lege fidei eruditus, qui non asserat.

|1.22| Itaque estote factores uerbi, et non auditores tantum, fallentes, uosmetipsos.

Fallitur indubie qui contentus legis intelligentia, nihil aliud ipsa in lege quaerendum esse opinatur. Hinc porro fit quod ad pietatis actiones fucis ignauiores appareant quidam: immo (malum) illis etiam ipsis detrahant actionibus, nimisque insolenter aduersentur. Quare nulla eis sua illa ex notitia legis ac mysteriorum, quibus grauida tota est lex, prouenire potest utilitas. At tu mihi cui rei comparetur istius generis hominum fatuitas, intuere.

|1.23-24| Si quis (ait) auditor est uerbi, et non factor: hic comparabitur uiro consyderanti uultum natiuitatis suae in speculo: consyderauit enim se et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.

Vult Deus suam uineam ab optimis uinitoribus custodiri et coli: quapropter ignauiam omnem sua in cultura abominatur. Atqui inter ipsos non desunt uinitores (dicet aliquis) qui scientiae istiusmodi cultum iactitent. Fateor: sed qui sudent ad solem, quorumque manus in uersandis ligonibus ac rastris occaluerint, aut rari aut nulli. Sed iis parumper omissis pulcherrimam eruditissimi episcopi excutiamus similitudinem. Solent enim hi,

{1555 p. 33}

qui faciem in speculo contemplantur suam, in ipsa inspectione simul et quae deturpant cutem aut componere, aut diluere. Quod si id non curant, sed contenti solum uanissimo illo prospectu in uitro abeunt, abit et memoria pariter inspectae formae. Consyderauit (inquit) et abiit: unde oblitus qualis fuerit prae se tulit inanem illum fuisse intuitum. Vultum natiuitatis Hebraice est dictum, pro uultu natiuo seu naturali. Inspexit solum, (ait) non sollicitus alioqui naeuos in speculo depraeheos corrigere. Quare non cogitans de honestanda cute simulac discessit, immemor fit euestigio inspectae formae, qualemque se uiderit aut falso, aut dubie meminit. Ita plane sunt ii, quibus a lege, tanquam a politissimo speculo, propria innotuit forma, quae est qualitas animae in lege ipsa expressa. Quae lex cum a patre luminum sancita sit, sine ulla errorum caligine uel ipsissimas in animae uisceribus inueteratas aperit maculas, ostenditque palam notas illas occultas, parum a plerisque animaduersas. Sic sane agit lex spiritus, sic est natura uerbi Dei insiti in nobis, sic sumit formam speculi abstersissimi pietas. Iccirco danda est opera, ut simul cum doctrina legis crescat et cognitio nostri: qua aucta, augetur etiam nostrae actae uitae detestatio, atque amor cogniti boni, quod in lucidissimo uerbi Dei speculo latere, immo latius in dies detegi et splendescere conspiciamus. Atque hoc sane modo ac ratione, cum assiduo legis intuitu coniuncta erit nostri curatio, creabiturque in nobis habitus quidam atque usus ad spiritualem nitorem informandum perpetuus etiam sine noua legis instructione quae lex cum spiritualis sit, in spiritu perficitur, illique obtemperatur in primis: exin ad actiones transitur externas, quibus cum Deus potissimum honoratur, tum proximus, qui re nostra indiget, quam non fuerimus ignaui legis auditores experitur: sentitque re ipsa Dei filios cuti cu-

[curandae]

{1555 p. 34}

-randae interiori assuetos, nec externum quidem cultum negligere: qui cultus in subleuandis maxime fratribus ac domesticis fidei cum re, tum uerbis atque hortatu, ad uitam Deo dignam uersatur. Talibus (opinor) est dictum quod sequitur,

[1.25] Qui perspexerit in lege perfectae libertatis, et permanserit in ea: non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit.

Vocat legem Dei, speculum nimirum animae, legem perfectae libertatis. Encomium hic Euangelii nobilissimum depraehenderunt sacri interpretes: ut pote qui nullam aliam in ueterum scriptis agnouerunt libertatem, quae huius nostrae umbra non extiterit. Lex uetus cum minarum plena esset, ac terrorum, seruis potius quam filiis imperabat. Contra uero noua filiorum lex est, et quae lex Christi Dei unigeniti nuncupari debet: tanquam quae amoris plenissima sit ac libertatis, per filium quidem a iugo tam legis, quam mortis exempti sumus. Nam de ueteri illa, quam seruis conuenire diximus, in Paulo legimus, nil eam ad perfectionem adduxisse: noua uero Christum docet, ac nobis conciliat: qui cum filius sit, liber est, libertatemque subinde caeteris suppeditat: nanque in spiritu, qui huiusce sedes est libertatis in primis colitur. Huc igitur tanquam in abstersissimo speculo, non solum mentis figendus est intuitus, uerumetiam in ipsa et dies et noctes perseuerandum est inspectione: ne cito a conspectu illo necessario cessantes cito etiam in corruptae naturae obliuionem incurramus. Proinde additur, Qui permanserit in ea, lege utique libertatis, fructum procul dubio suae referet perseuerantiae. Nam qui durat in conflictu, uictor tandem ex acie di-

[discedet]

{1555 p. 35}

-scedet, et beatus in facto suo erit. Prorsus (inquit) mortalium excedet conditionem, eritque ad exequenda Dei opera et felix et beatus. Audeo equidem affirmare beatum censi posse neminem, si perfectae cognitioni legis, si perseueranti in illa instituto ac studio, si miraculis, si ecstasi tandem illi sublimes, qua Deo similis fit anima, sanctas renuerit addere operationes cum offertur occasio. Operosa certe est fides, et quae perpetuo sudore et exercitatione in iis, quae ad Deum attinent, occupetur. Ne, oro, sinamus nos semiuiri tam imprudenter a persuasione nescio qua inertes deludi, nostraeque imponi socordiae. Regum quippe Dei paucis sudantibus, nullis fere supinis atque ociosis concedi solet: At uero quidem quo impedimenta cursus huiusce nostri spiritualis omnia facilius et demonstrari possint et quoad eius fieri potest amoueri, sic erit dicendum:

[1.26] Si quis putat religiosum se esse, et non refrenat linguam suam, sed seducit cor suum, huius uana est religio.

Seducit cor, ait: hoc est, errare, in curisque turpibus uagari permittit et superuacuis. Mortifera sane haec est seductio, cum quis ultro domicilium diuinitatis (id nomen cor sibi uendicat humanum) obscoenis turpificari sinat habitatoribus: saeuus nimirum affectionibus, et cupiditatibus: ex quo quidem fonte turbido petulantia linguae prodire solet. Ideo asserere non est ueritus, huic uanam esse religionem atque inutilem, qui effrenem habet linguam, ac procacem. Sed de uitiis linguae nonnulla postea: hoc tantum in praesentia dicere non uerebor, Superfluum penitus nostram fore seruitutem in obsequio religionis, uanum item sudorem, inane studium, ac plusquam nihili conatum ad diuina, si linguam permiserimus in quaeuis, quae ad religionem non pertinent,

{1555 p. 36}

diuagari. Qualia uero sint ea, quibus tanquam columnis fulcitur religionis structura, non est nostri instituti modo, qui aliud agimus in hac maxime commentariorum breuitate, scribere: quanquam in caeteris commentariis nostris, partim in psalmos omnes, partim in primam diui Ioannis epistolam editis, cum fusius, tum opportunius dicta sunt multa. sed ad sanctissimum Christi legatum redeamus.

|1.27| Religio (inquit) munda et immaculata apud Deum et patrem haec est, Visitare pupillos et uiduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire in hoc seculo.

Opera (ut uocant) misericordiae uniuersa sub duabus uocibus pupillorum et uiduarum complectitur, quae proprie naturaliterque sunt opera (ut sic dicam) cognata fidei, itaque coniuncta, ut si his careat, inutilis prorsus sit, et (ut illam appellat Iacobus in sequentibus) mortua censeatur: hoc est, quae Deo non probetur. Neruus is igitur est robustissimus religionis nostrae, ac necessarius, uiduis in miseria aliqua constitutis et oppressis, destitutisque orphanis et pupillis opem ferre, illosque ab auara tum magistratum, tum affinium ingluuie asserere: atque de propriis fortunis, si re nostra indigent, illis opitulari. Mirumque frequenter legimus in libris ueterum, Deum se defensorem turbae istiusmodi calamitosae appellare. Nouerat sane quidem diuina illa mens, quam tardi futuri essent homines ad actiones pietatis. Quare illorum se fore uindicem tutoremque hominum pollicetur, quos a plerisque contemptum iri praeuidebat. At tu, quae ad perfectissimum nanciscendum religionis statum, integrum nimirum innouatae uitae candorem et puritatem afferat Iacobus animaduerte: Et

{1555 p. 37}

immaculatum, inquit, se custodire in hoc seculo, illecebrosi sane, et usquequaque blanditiarum plenissimo De innocentia, (ut diximus) morumque integritate loquitur: quemadmodum de affectu illo miti ac pio, quam misericordiam appellare consuescimus, iam antea dixerat. Id enim ad subleuandos miseros attinet, illud ad os: utrunque uero ad promerendum nobis Deum necessarium. Nam in misericordia (id membrum est charitatis, atque adeo fidei praecipuum) et innocentia tota uis nostrae religionis est posita.

CAPUT II.

|2.1| Fratres mei nolite in personarum acceptione habere fidem domini nostri IESU Christi gloriosi.

Fides aequae patet omnibus. Proinde nefas esse existimamus, quam uniuersalem esse uoluit Deus, particularem arbitrari, atque propterea absurdum quendam in censenda Dei familia delectum facere. Erant in primis annis Ecclesiae qui in coetibus sanctorum (ita tum uocabantur Christiani) morem nescio quem alienissimum a professione apostolica inducerent: ex quo non parua oriebatur non solum admiratio, uerumetiam confusio, ac non raro a iam incoeptis institutis defectio, et fuga. Hos castigat Apostolus noster grauissimis utens argumentis, probansque, in Academia Christi haud alios quidem aliis praeponi debuisse iccirco quod diuites essent ac nobiles: sed quatenus nobiles essent uirtutibus, bonisque animi diuites. Hi quidem in conuentis quotidianis sua haudquaquam carere debuissent cum existimatione, tum dignitate. Sic erant illius tempestatis homines prauo nimirum usu illo corrupti, quem nostri postea audacius auxere, Deus bone, quae monstra rerum? Quas

{1555 p. 38}

chimeras, hippocentaurusque aspectu horrendos, consuetudine intolerandos, conuictu mortiferos exaltant nostri aevi principes? Iam fere istiusmodi loca illa omnia, quae moestae lugubrique debentur probitati, occupauerunt: expulsis interim uirtutibus, ac pie sancteque uiuendi norma pro hoste habita: nullaque subinde proposita ratione, sint me uirtutes in causa, an turpes artes, obsequiaque minime dicenda, atque coniunctis cum sordidissimo quaestu dolis illis infinitis, quibus comes est perfidia, perampla ambitio.

Fratres (inquit) ne committatis ut mos ille pene apud uos inueteratus post hac in domo fidei perduret, et inualescat: neque uelitis communi in re proprios uniuscuiusque sectari affectus.

Christus enim sacrosanctae suae religionis fundator aequae omnes ad fidem uocat, et nisi refugiant recipit et amplectitur: in ipsoque uocatu ac ductu nullum habet delectum magni'ne sint, an parui atque neglecti in mundo, qui uocantur. Quod si habet, pauperes illi magis sunt cordi quam diuites, ditissimus ipse in coelis et gloria insignis. Quemadmodum enim (arcanum id est occultissimum) inops in terris uixit, inglorius, aerumnisque infinitis obiectus sic pauperes, sic inglorios, sic aerumnosos, atque a caeteris contemptos pro filiis habuit. Vos contra,

|2.2-4| Si introierit in conuentum uestrum annulum aureum habens in ueste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum qui indutus est ueste praeclara, et dixeritis ei, Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis, Tu sta illic, aut sede hic sub scabello meo, et non diiudicati estis in uobis ipsis, et facti estis iudices cogitationum iniquarum.

{1555 p. 39}

Hic non loquitur Apostolus noster de ratione delectuque habendo in honorandis magistratibus magis quam turba reliqua. Illis enim suus semper, omnique in loco, atque ab omnibus debetur honos: sed de more quodam loquitur absurdissimo, orto nimirum ab animo quorundam adulatorio et ambitioso, quo qui uti solent, aurum mihi quidem potius, aut gemmas spectare uidentur, quam probitatem, quae saepe in pertenui homine ac rusticano locum habet honoratiorem, quam in purpuratis, aut serico indutis, addo et mitra ornatis. Hinc fit, quod reclamante hominum illorum quoque conscientia (quorum interest cuiuslibet uel probitatem, uel improbitatem in partiendis honoribus metiri) diues nonnunquam scelerosus mendico praefertur probo, atque honestissimis praedito moribus, in diuinisque erudito. Quare additum est a sancto autore, Et facti estis iudices cogitationum iniquarum: hoc est, non recte discernitis, non intra uos conquiritis probusne sit diues ille quem honorare uultis, an secus: atque ita re non probe existimata disquisitioneue (quae fieri solet in rebus dubiis) omissa, contra fas, contra ius, contra ipsam eandem religionem quam profitemini, et demum contra id quod admonet conscientia, diuitem insolentem atque impium inopi uerae religionis studioso praefertis. Atque hunc ad modum quae uobis peruersae suggerunt cogitationes iudicatis, et ut rem sanctissime aestimatam et statuitis et decernitis. Quid, oro, monstri id est mendicam conspicerem honestatem, uirtutemque nullo numero habitam, ac probitatem in homine pannoso contemptam in partiendis honoribus praeteriri, uitiosoque diuiti atque auaro, qui iccirco exaltari solet a uobis, quoniam aut improbus est, aut quia affinis, et eiusdem uel patriae, uel factionis, postponi? Immanis certe istuc est iniquitatis indici, pauperem (ut idem saepius repetam) quia pau-

{1555 p. 40}

-per est postponi diuiti quia diues est, nulla habita ratione uitae alia.

|2.5-6| Audite fratres mei dilecti, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, et haeredes regni, quod promisit diligentibus se. Vos autem exhonoratis pauperem.

Videsne diuitias hic fidei iure sibi haereditario Dei regnum uendicaret? Melius dicerem spe illud nequaquam dubia iam pene tenere possidereque, quoniam qui promisit Deus est. Certa igitur nos, qui diuinae consecrati sumus religioni, manet Dei promissio, nempe uitae beatae cum sanctis. Pauperes porro dicens, humiles intelligit illos, de quibus sic Daudid, Dum superbit impius incenditur pauper. Hi sane quidem sunt, qui ob Christi amorem res omnes mundi caducas ducunt et abiiciunt, cum plane sint in fidei regno ditissimi. Caeterum fidei diuitias, ut diximus, sanctas esse operationes a patribus accepimus. Vos autem exhonoratis pauperem: talem profecto pauperem fidei thesauris diuitem, atque in bonis Reipub. coelestis locupletissimum: haud aliam ob causam, nisi quod pauper, nullique usui penes mundum sit, contemptui habuistis. Ecquid tandem (ut semel dicam) in causa est, quam ob rem tam immodico, atque inepto, et reprehensibili cultu diuites honoratisne dicam, an adoratis nescio?

|2.6-7| Nonne diuites per potentiam opprimunt uos, et trahunt uos ad iudicia? nonne ipsi blasphemant nomen bonum, quod inuocatum est super uos?

Eant modo diuites istiusmodi tam male de diuitiis coelestibus meriti, simulatque eo crudelitatis nonnunquam

{1555 p. 41}

deueniunt, ut Christi pauperes tanquam oves macello destinatas iugulent, plebemque Dei sicut escam panis (ut praedixit propheta) deuorent: atque subinde sanctum Dei nomen, ac tremendum, ostentui habeant ac derisioni. Dicite, uos oro, cuiusmodinam sunt illi, qui et uos, et liberos uestros, et totam denique familiam uestram crudelissime atterunt? nonne diuites? Quinam sunt, qui uos ui atque armis sibi obnoxios reddunt? qui uos ad tribunalia interdum iniqua pertrahunt? Qui exactiones ab omni abhorrentes humanitate a nobis inuitis illachrymantibusque exigunt? Exigunt? extorquent potius, et uestris iacturis et incommodis suas coaceruant fortunas: nonne diuites? nonne potentiores? Quinam sunt qui uestras sibi simplices conciliant uirgines? qui uxores? qui filias? qui nurus suo defraudant pudore, atque erga maritos, parentesque et consanguineos tum fide, tum reuerentia? nonne diuites? nonne illi, de quibus legimus quod gigantes erant super terram? Agitedum o uos, qui purpuratos et nummosos uestris in congressibus pannosis ac laceris praefertis: nonne uos terret ubi illos eo progressos uidetis impudentiae, ut audeant nomen Dei sanctissimum (e cuius umbra ecquid non audetis uos?) pessum habere, illique non solum uerbis, sed etiam et moribus, et uita ipsa sordidissima tota obstrepere et obtrectare? Si quidem nulla unquam esset ratio causaque alia tam efficax, quae uos ab isto uestro ambitioso ritu, atque adulatorio, reuocare posset: at saltem horribiles, ut dixisse uideor, illorum blasphemiae ac maledicta in Deum, et reuocare, et ita procul arcere ab illorum contubernio et conuictu deberent, ut ne nomen quidem diuitum huiuscemodi audire contingeret.

|2.8-9| Si certe legem perficitis legalem secundum scripturam, diliges proximum tuum

{1555 p. 42}

sicut teipsum, benefacitis: si autem personam accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege ut transgressores.

Longo seiuncta sunt ac dissita interuallo, Dei legem, quae uniuersalis esse debet, uelle ad amussim seruare, et in illius obseruatione, in his maxime, quae ad alium cum subleuandum, tum debito honore prosequendum honestandumque rebus illis, quae uirtuti debentur ac probitati, priuatum falsumque habere uelle delectum, ut hactenus uidimus. Si animus, inquit, uobis est legem regiam (omnibus scilicet obuiam, atque, ut solent esse leges ciuiles a regibus sancitae) formidabilem seruare, de qua ita est

sanctio, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, recte sane statuitis. At illud uos non praetereat, minime id quidem a uobis perfici posse, si diuiti facinoroso probum post habueritis pauperem. Haud ita quidem seruanda est Dei lex: quae cum aequissima sit, sua cuilibet impartitur praemia: quae partim ob animi uirtutes, partim ob uitae sanctitatem, cuique sic ornato uel ipsa ciuilis iustitia concedere solita est, nedum diuina, cui in primis obsequi oportet. Si itaque habenda est optio et delectus hisce in partiendis honoribus: qui non potius probitatem in obscuro homine deamemus, quam in locuplete improbitatem? Qui secus actitat transgressor fit legis, etiam si palam haud uetita appareat occulta istius generis uiolatio et transgressio. Ea quidem charitatis uis est, quae lex spiritus appellatur ac regia, ut cum a scopo uel parum deerraris, haec statim te errati moneat et arguat. Et ut sane in multis hac de re peccare contingat: in nullis tamen erratis, atque a diuina lege transgressionibus ac lapsibus, tam euidentis deprehenditur peccatum, quam cum in amoris charitatisque defectu peccatur. Maximum robur istuc in Dei

{1555 p. 43}

est lege ac uis, immo altior res est atque profundior, quam quae ab humano sensu percipi possit: in qua quidem lege ita est scriptum, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Si haec quidem ad mitem illum animum, ac tum pium, tum ab omni uanitate semotum, tum uel potissimum in iis quae ad perfectionem assequendam eam (qua in Deo uiuitur) attinent, et occupatum et uegetum transferas, uelisque illum quid hac de praeceptione sentiat percontari: fatebitur, credo, se nil tam obscurum, atque ad intelligendum difficile in lege Dei tota reperire: causamque difficultatis afferet quod scilicet aut a paucis, aut a nemine tam necessarium praeceptum, addo et conuenientissimum naturae, seruari uideat. Verum ego equidem incogitantiam potius hominum, atque ignauiam, ne dicam (quod si dicerem non errarem) spiritualium rerum neglectum in causa esse arbitror, quam rem aliam. Dum enim plerique sibi duntaxat ac suis prospiciunt, nullam propemodum habent de iis, quae in primis agi debent cogitationem: itaque uiuunt, ac si ipsis solis orbis terrarum uniuersus esset conditus. Quare minus admirandum uideri debet, si neque quae debentur Deo, neque quae proximo, aut non intelligunt, aut intellecta praetextu difficultatis exequi renuunt. Ex quo fit, ut quae ante omnia nesciri non debuerant, tum nesciant, tum praetextu, ut dixi, fictae ignorationis atque difficultatis (nate nimirum ab indurato inueteratoque iam incessu in uiis, quarum a uanitate abhorret pietas) omittunt. Quocirca miserrimum in modum creuit in mundo ambitio, exorta sane a proprio amore: creuit perfidia, creuit in pactis, in foederibus, in conuentis, in emptionibus, in distractionibus: in ipsis demum coniugi et fraus et dolus, atque illud absurdissimum (de quo hic loquitur Iacobus) iudicium, prausque mos ac turpis, praeferendi probitati improbitatem, insaniam sa-

[sapientiae]

{1555 p. 44}

-pientiae, modestiae procacitatem, Deo tandem in distribuendis gradibus affectus humanos, non tantum creuit, quantum late adeo iam peruagatus est, ut loca etiam ipsa diuino cultui consecrata cum inuaserit, tum ut sua iam possideat. Sed dicet

aliquis, leuem hac in re una sola fuisse lapsum, atque una in parte tantum laesam Dei legem. Respondeo,

|2.10| Quicumque totam legem seruauerit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus.

De dilectione cumprimis id uolunt ob antedicta intelligi: propterea quod mandatorum omnium nodus sit ac summa: qua uiolata tota machina praeceptorum diruitur: sed de singulis id quoque dici posse praeceptionibus iudico. Quid porro sibi uelit, Factus est omnium reus, exponit cum ait, Factus est transgressor legis. Siquidem haud multum adeo refert (si plenam legis obseruantiam quaeris) parumne an multum legem uioles et transgrediaris, ut de facie una in parte laesa est uidere: pustulisne, an ulcusculis, maioribusque etiam notata sit maculis, quid attinet? laesa est. Ita semper legislatorem offendit, qui ab illius praescripto uel parum semelque recesserit. Quod si tam grauis non est culpa, culpa tamen est in eo, quod a scopo legis deerratum est: quod sane clarius ostendit dicens:

|2.11| Qui enim dixit, Non moechaberis, dixit et, Non occides. Quod si non moechaberis, occides autem, factus es transgressor legis.

En qui legem sanciuit totam, sanciuit et partes legis. Unde qui legem tulit de adulterio, tulit et de homicidio. Quod si adulterium commiseris, furto autem abstinueris aut occisione, legem tamen totam foedasti: cu-

{1555 p. 45}

-ius ea est mens, ne qua aberres. Itaque excisus semel quispiam a charitate, quam plane uiolat, qui in religione personas, non probitatem intuetur, uniuersae erit reus legis a se corruptae. Rupto deinde semel nodo, aut dissoluta rei alicuius compage, necesse est ut res illa tota fatiscat, et corruat: sic laesa dilectione tota lex laeditur: immo nulla est, cum forma legis sit dilectio, quemadmodum formam hominis ipsam esse animam definiunt eruditi. Ergo his omnibus perspectis,

|2.12| Sic loquamini, et sic facite, sicut per legem libertatis iudicandi.

Sic lingua, inquit, sic moribus, sic actionibus, tanquam liberi uestram testimonium apud Deum iuxta et homines dilectionem: non ut serui, qui poenarum metu officium praestant suum. Vobis autem secus agere conuenit, qui per legem libertatis, quae ad filios spectat, diiudicandi estis. Legem libertatis, ut in superioribus diximus, legem Christi intelligit: quoniam liberam hominis in sui obsequio requirit uoluntatem, non coactam, non ancipitem, non seruilem: seruus enim minis in officio solet contineri, et flagris: filius uero amore magis ducitur, quam inuitus trahitur. Praeterea lex libertatis appellari potest, quoniam Dei est lex, penes quem nulla est personarum acceptio: sed ut aequae, ita pro cuiusque meritis iudicat libere, atque absque tricis humanorum affectuum. Dominus (inquit Dauid) libere agit iccirco nulli quod a ratione abhorreat subiectus est (quasi pedicis, ut sunt plerique mortales) iudicio, et de quo illud

scribitur, Iudicat populos in aequitate, ac pauperes in iudicio: de illis uero, Vsquequo iudicatis iniquitatem? et facies peccatorum sumitis? Iudicat igitur comite libertate Deus, ac iustitia: tantum abest ut quaestuosus sit iudex, iniquusue, aut uenalis nam cui libet quod suum

{1555 p. 46}

est liberalissime concedit: omnesque, siue sericati sint, atque gemmatis annulis insignes, siue ueste induti sordida, quorumque digiti ac manus ad acquirendum sibi uictum occalluere, felicissime munerat: modo fide diuites ad illius adeant iudicium. Contra autem multa afficit suae legis praeuaricatores, siue reges hi sint in mundo opulentissimi, siue Iro ipso nudiores. Atque hac sane lege ac iudice istiusmodi postremum illud etiam ac formidabile peragetur iudicium: et tunc finis uniuersi. Interim autem

|2.13| Iudicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam.

Gratis quidem uocati estis, cooptatique in numerum ac sortem filiorum Dei, et liberi effecti: ita et uos gratis uestras inter uos condonate iniurias, alioquin acerbius subituri iudicium atque dominationem, quam illi, qui nondum Christo se dediderunt. Id dicit Iacobus propter, illos, qui tam neglecte, immaniterque habitis egenis, solos bene nummatos honorabant.

|2.13| Sed gloriatur misericordia aduersus iudicium.

Superat, inquit, iudicium iurisque sententiam uir clemens: ab ipsoque rigore legum et seueritate tutus (quemadmodum pugil solet unctus de manu elabi colluctatoris) elabatur. Omni igitur iudicio superior est misericors. Inspice quam nobili hic ornatur oratione misericordia. Nulli, ait, iudicio, nulli iuris sententiae, nulli iudici humano (fere dixi diuino) obnoxius est misericors. Habet sane quidem Deum iudicem, sed remuneratorem iudicem, atque liberalissimum agonothetam. E contrario uero immitem, inexorabilem, saeuum, et qui suis in sententiis statuendis trux est ac ferus, omni iu-

[iudicio]

{1555 p. 47}

-dicio et diuino, et humano, et tartareo, subiectum esse existimo: immo qui huiusmodi sunt, iam uel uiuentes diiudicati a Deo sunt. Quo ausu, obsecro, misericordiam a Deo petent immisericordes, atque in proximos suos crudeles? Nequaquam igitur tam incaute nostram quaeramus obtegere dementiam cum nonnullis, qui sibi, forsitan et aliis, persuadere posse opinantur, solam nudam fidem ad assequendam beatitudinem, atque aeternum Dei aspectum in coelis, satis esse: ideo quaecumque agere instituunt, siue id bonum sit, siue malum, nihil interesse clamitant, modo fide nixi ad Deum tendant: quem magnopere fide formata in homine delectari,

etiam sine actione externa ulla, disputant, ac (malum) nonnunquam obtinent. Verum, ut ait senex uenerandus,

|2.14| Quid proderit, fratres mei, si fidem dicat quis habere, opera autem non habeat? nunquid potest fides seruare eum?

Iam cunctis persuasum esse potest ex his quae a patribus dudum nobis tradita fuere, a conciliisque decreta, atque usu longo et experientia illorum, qui spretis rebus caducis Deo in spiritu adhaeserunt, ostensa: fidem, qua seruantur credentes, neutiquam ociosam esse et cessantem, sed circa opera Dei occupari. Et cum Iacobus sciscitatur, num fides ualida sit seruare eum qui aliter sentiat, illius persuasionem inanem esse demonstrat. Quae res quo magis lucida appareat, exemplum adducit ad hunc modum:

|2.15-17| Si frater aut soror nudi sint, et indigeant uictu quotidiano, dicat autem aliquis ex uobis illis, Ite in pace, calefiatis et saturemini: non dederitis autem eis quae necessaria

{1555 p. 48}

sunt corpori, quid proderit? Sic est fides, si non habet opera, mortua est in semetipsa.

Fides quidem instar ignis est, cui suus insitus est naturaliter calor, splendorque annexus, ac celeritas. Ita cum fidei natura coniuncta est dilectio, cum dilectione uero sanctarum actionum copia: quae porro actiones eodem omnino curru amoris una cum fide auriga in coelum ferri sunt solitae, ut admirabili delitiosissimoque prae se tulit spectaculo Eliae raptus in Carmelo, loco sane ob illud factum celeberrimo ac religionis pleno. Neque igitur fides sine illis, neque sine fidei patrocínio operationes aptae sunt ad regnum Dei assequendum: ita ut illa omnino uanida [sic] reddantur absque fide: sic fides humi iacet sepulta et inutilis absque exercitatione uirtutum. Mortua, inquit, est per se: hoc est, sola in se manet uacua et extincta, utpote cui sua desit anima, quae est charitas. An uero amor queat esse ullus sine aliqua amoris significatione non credo. Quod si potest, potest et ignis esse ignis sine calore ac luce. Simile propemodum huius argumentum adducit Ioannes in sua Epistola his plane uerbis, Qui habuerit substantiam huius mundi, et uiderit fratrem suum necessitatem habere, et clauerit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Non uerbis igitur diligendus est proximus solum, non gerris, non ficta beneuolentia falsisque pollicitationibus et uanitate, sed opere (ut ait idem) et ueritate.

|2.18| At dicet aliquis, Tu fidem habes, ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, et ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam.

Ridicula plane res esset, si cui, qui te aut cibum aut potum aut tectum rogaret, responderes, I tu calefias ac sa-

[satur]

{1555 p. 49}

-tur sis, neque illi quae petit tribueris. Et certe ut uentosa tua illa sunt uerba, nihilque illi qui rogat utilia: ita Deum irridere uidetur, qui uerbis duntaxat ulla sine fidei significatione, quae fit operibus, fidem profitetur. Alioqui tam isti sua utilis erit fides, quam illi egeno tua charitas, quae nihil dedit. Coniunctissimae itaque sunt, atque inseparabiles sorores Fides et Dilectio, unoque atque eodem omnino incedunt passu in uia iustitiae, quae admirabili quadam ratione utriusque perornatur praesentia atque amoenitate: Neque aliud uult dicere Iacobus in hac sua tota interrogatione, quam quae propemodum diximus. Quae porro ut dilucidiora appareant, id statim infertur de fide quod sequitur: de operibus postea.

|2.19| Tu credis quod unus est Deus. Bene facis: et daemones credunt, et contremiscunt.

Nudam fidem nullius esse momenti asserit his uerbis, caeteroqui daemonibus, caeterisque illorum impietatis imitatoribus, quibus omnibus persuasum est Deum unum esse, profuturam. Recte, inquit, agis si unum esse Deum credis: uerum tua ista fides cum daemoneis etiam conuenit, quibus coniuncta trepidatio quaedam est miserrima, qua poenas ab eo illi expectant, quem potentissimum credunt poenarum exactorem. Alio proinde fidei genere ducuntur amici Dei, ac filii: qui ut credunt Deum unum esse, ita eundem ipsum super omnia et amant, et colunt: ab eoque feliciorum uitam, quam haec sit praesens, opperiantur. Interim autem cuius sit uigoris ac flammae ipsa illorum fides, benefactis, quae ab amore prodire solent, attestantur. Non illos quidem fugit, fidem, cuiuscunque tandem generis sit, flaccidam penitus esse et quae uix fidei nomine sit digna, cui suus annexus non sit bonarum actionum, tum uigor, tum usus

{1555 p. 50}

frequens. Vide quid dicat:

|2.20| Vin scire o homo inanis quod fides sine operibus mortua est?

Exemplum proferam notissimum omnibus,

|2.21| Abraam pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?

Inanem uocat hominem illum, qui nomine tantum haud benefactis profitetur fidem, et quem uentosum recte appellare possumus. Notior est historia Abraae, quam ut a me nunc repeti debeat. Norunt quoque uel mediocriter exercitati in ueterum scriptis, quam feruida extiterit in illo fides, quam prompta obedientia, quam integra uita ac religio. Quam ob rem credentium pater est appellatus. Immensa profecto tanti uiri gloria, qui non propterea tali honestatus fuit a Deo titulo atque encomio, quod fide

nuda contentus uixerit. Is quidem iuncta fidei dilectione et quae credidit, et quae amauit, sanctis testari uoluit operationibus. Quare ex actionibus fidei coniunctis iustitiae laudem promeruit: alioqui neque Deo, neque hominibus unquam ostensurus, quantum robustus fuerit in fide, cum spe fultus praeter spem Dei uerbis credidit. Credidit sane ex filio Isaac innumerabilem hominum turbam ex uerbis Dei iri multiplicatum. Credidit et simul de ipso eodem filio suo obtruncando ad aras, non secus promissiones diuinas consequuturas, atque si nunquam tam castus puer sub gladio iamiam innocuo gutturi imminente, atque animam ab illo (de quo tam crebrae extiterant coelitus promissiones) auferente, occidisset. Et quidem fecisset, nisi angelus Dei rem fide absolutam cernens calorem diuini amoris in sene temperasset, atque aciem gladii manu

{1555 p. 51}

tenens patrem a filii nece cohibuisset, clamassetque, nunc notum factum est mundo, quod timeas Deum. Ex actu itaque illo sublimi, et perfecto, datum fuit signum cuiusmodi uigoris fuerit illius fides: unde est dictum,

|2.22-23| Nonne ex operibus iustificatus est? [2.25] Vides quod fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est, et impleta est scriptura dicens, Credidit Abraam Deo, et imputatum est illi ad iustitiam, et amicus Dei appellatus est.

Quemadmodum quidem ex operibus fit robustior fides, ac uera esse declaratur, ita synceras nostras esse operationes, ac robustas, praesens fides manifestat. Ergo quod actiones nostrae ualidae sint, et efficaces apud Deum, facit fides: unde sequitur, Abraam ex operibus iustificatus et: ostensus scilicet iustus, qualisque iam esset in coelis declaratus: gratissimus nimirum Deo, atque amicitia coniunctissimus. Amicus, inquit, Dei passim per regiones terrarum orbis uniuersas appellatus est. Dedit sane quidem suae fidei significationem Abraam, cum quod fide hauserat re ipsa praestitit. At quaeri solet quo genere iustitiae iustificatus fuerit Abraam in mirabili illa obedientia immolandi sui unigeniti, cum nondum ditatus esset mundus tum praesentia tum copia spiritus sancti: quod non prius contigit, quam Christus onustus spoliis peccati ac mortis coelum petierit gloriosus. Puto enim (sententiam meam, atque hac de re iudicium simpliciter afferam meum) puto, inquam, Abraam iustitia Christi iustificatum rem insuetam, ab aliisque intentatam aggressum esse. Vicit tum quidem humanam conditionem Abraam, fretus Christo, quem credidit fore mortalium seruatorem: quemadmodum

{1555 p. 52}

eum nos credimus rem ipsam totam in cruce ualidissime perfecisse: neque aliud esse mihi persuadeo quempiam iustificari, quam amotis impedimentis omnibus iustitiae, Dei amicum ex hoste fieri, cooptarique in numerum atque ordinem filiorum Dei gratis, ulloque sine adminiculo alio fide illa uiua donari, quam a suis requirit Deus, ac

ut rem suam propriam repetit: quaque iustum factum olim Abraam cum puto, tum uigorem illum, qua fulcitur uel fides, uel pietas, factis eum prae se tulisse, et agnosco, et ueram inde mihi fidei ipsius formam assumo. Ait Hilarius in libro de Trinitate, Iustum fide consummari. Quam sane assertionem ad omnes aetatum omnium homines pertinere sciunt ii, quibus ea nota est prophetae illius diffinitio, Iustus (inquit) ex fide uiuet: hoc est, perfecte Deo, qui uera est uita animae, unietur. Qui tali itaque imbutus est persuasione, tutissimam is degit uitam. Et quemadmodum Deo nunquam sua deesse potest iustitia, e qua sane tanquam a perenni fonte quotquot iustificationem assequuntur in eo magis sunt ac uiuunt, quam in se ipsis: ita et nobis non deest nostra, ex illa tamen pendens et deriuans, aqua quicumque olim uel ab ipsa prima orbis genitura iter iustitiae frequentarunt, tam felix nomen ac tutum adepti sunt: nam agnum ab aeterno occisum in Ioanne legimus. Ab agno igitur (is erat Christus) ab aeternis seculis immolato cum patres omnes uetustissimi, angeli: quoque, et qui propiores sunt Deo spiritus, tum posteri omnes nostri generis, uim sumant, sumpseruntque olim iustitiae, atque in illius cruore abluti sunt. Quod quidem bene sensit Paulus, cum ait: Iam abluti estis, iam sanctificati estis. Quod porro sint qui asserant Abraam quidem iustificatum fuisse, sed iustificatione futura: uox certe noua in scripturas introducit, et quae sexcentas pariat absurditates, si magnitudinem mysterii, addo et

{1555 p. 53}

amorem erga homines immensum antiqui dierum consyderes. Praesenti itaque iustitia Christi iustificatus fuit Abraam, seruatus tamen ad praemium tum fidei suae perfectae, tum obedientiae, tum earundem actionum illarum quae natura coniunctae sunt cum fide, futurum ut uerissima omnino ea quae sequitur appareat conclusio.

|2.24| Videtis quod ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum.

Opera igitur bona secundum definitiones patrum sic unita sunt fidei (quod saepe repeto) ut ex utrorumque accessu Deus hominem iustificare uelit, gratis tamen: hoc est, praeter meritum iustificandi. Quanquam hoc in loco nihil aliud uult Iacobus quam Abraam iam antea iustum effectum suae fidei specimen caeteris ex praeclarissima actione illa obedientiae dedisse. Fidei certe dignitas cum sit Dei munus in corde humano, ipsi duntaxat cognitum est donatori: aliis uero non sic, nisi calor ille, quo anima tanquam ferrum candens in Dei fere naturam transfunditur, e corde erumpens ad actiones fide dignas sese effundat. Haec sunt quidem (ni falsus sum) asserenda, ne meritum uel fidei, uel operationum, Deum, illisque gratuitam uocationem ad fidem anteuertere praeuenireque suspicentur rudiores: quae tamen operationes post iustificationem incipiunt esse aliquid per gratiam, quae antea nullius omnino erant ad iustificationem obtinendam efficaciae ac praesidii. Sentiunt sane iustificati id muneris sibi ob unam solum Dei gratiam contigisse per medium fidei, instrumentum nimirum a Deo ad hoc nanciscendum aptissime excogitatum. Fons agitur tanti boni, ut est iustificatio, Dei est gratia: riuus per quem puritas illa iustitiae fluit, est fides: amoenitas uero ripae atque aluei fluminis, sunt bona opera, sine quarum insitione pene riuulus a cursu cessaret: Nam

{1555 p. 54}

fides, inquit, sine operibus mortua in se est. Acceptum, igitur quidquid id est Dei gratiae referri oportet in causa iustificationis, haud nostrae fidei, neque merito ulli alio seu operationum seu uoluntatis nostrae bonae. Quod si tamen interuenire meriti quidpiam necesse est, id totum Christi esto, atque illius cruoris ac mortis. Qui tali uiuunt animo, atque erga diuinis largitiones persuasione et fide, tuti uiuunt, atque suae uocationis et salutis minus dubii. Qui secus, continua agitantur trepidatione, uiuuntque in re certa ancipites. Opera itaque quae nunc fiunt, factaque sunt olim a sanctis Dei hominibus, per Christi uirtutem uigorem habent ac uitam, suntque modo quodam occultissimo ad iustificationem illam, comparandam (de qua sic legimus, Qui iustus est iustificetur adhuc) consentanea. Sed errant plerique ex nostris, qui neque inter fidem ac fidem distinguentes, neque opera gratiae ab operibus legis dissociantes in lectione Pauli, qui dissentire uidetur ab assertione Iacobi, hallucinantur. Ait Paulus Romanis scribens, Abraam haudquaquam iustificationem adeptum ex operibus. Nihil sanctius dici posset. Nam tunc edisserens Paulus de ui operum legalium, siue de lege operum, inter quae praecipua erat circuncisio: et uolens neque ipsam pelliculae abscissionem, neque caeteras legis cerimonias atque operationes alias, necessarias illis esse, qui sub gratia uicturi erant: sed fidem, quae affectu amoris constanti et firmo erga Deum sese in honestissimis probatae uitae studiis exerceret, sic scripsit. Et cum fidem, cuius uirtute ac medio iustificari hominem non ambigebat, nominat: intelligendum semper est de genere illo toto fidei, cui annexus sit amor, atque in operando delectatio. Ita de istiusmodi operationibus a purissima quadam animi uoluptate proficiscentibus (et de quibus sic senex sanctus, Ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tan-

[tantum]

{1555 p. 55}

-tum: fide scilicet illa, quam superius scripsit esse etiam in spiritibus immundis) loquuntur Dei interpretes, cum scribunt hominem per opera quoque iustificari, nedum per fidem. Quam sane rem antea Iacobus attigerat, cum definiuit fidem tunc Abraae cooperatam esse, ex illiusque operationibus fidem perfectionem habuisse suam: et est perinde atque si dixisset, nihil omnino defuit iustitiae Abraae, quin perfecta fuerit: unde absolutissimam, et eam quidem praesentem sortitus est iustitiam: non utique umbratilem, non imaginariam, non somniorum plenam: sed ueram, solidam, beatam, ut pote ab agni sanguine profectam ac morte: quae mors mirabiles, uel a primis orbis terrarum exordiis, habuit effectus ac uires in sanctis, Expuncta autem istius generis de Christo opinione ab animis nostris, nulla unquam fuit, neque esse poterit in posterum animarum iustificatio, nisi sordida, imaginaria, nutansque, ac periculosa. Quod si patres illi ueteres peracto religiosissimae suae uitae cursu haud statim beatitudinem in coelis adierunt, sed felices quasdam secretasque a nobis regiones ac sedes incoluere, usque dum ueniret is, qui uenturus erat, quique suae iam collatae antiquis iustitiae praeberet fructum, non iccirco tamen iusti minus fuere, deoque reconciliati et grati: nam agno illi potentissimo, qui portas aereas perfregit, portarum prima aeternarum coelestiumque seruabatur apertio, tanquam qui primitiae futurus esset dormientium, atque unus quidem, qui humanam secum

naturam ducens, eam in coelis ad dexteram patris felicissimo suo ingressu esset locaturus. Haec fere sunt, quae in distinctione uel fidei, uel operum, uel iustitiae priscorum cogitanda mihi occurrerunt: et ne actutum in limine ab indoctis erraretur, quem diligentissime potuit, tractanda. Alioqui sicut ancipiti, quae tuto ac certo eum audienda tum legenda sunt animo, et audimus in coelis ad dexteram patris felicissimo suo ingressu esset locaturus.

{1555 p. 56}

et legimus: sic uita nostra, mors quoque neququam erit dissimilis a lectione: neque ullum unquam erit tempus, quin lapum (ut est uetus adagium) auribus teneamus. At tu uide quomodo sacer senex non contentus unum in medium adduxisse tantae autoritatis exemplum: aliud item non minoris celebritatis foeminae e gente impura oriundae protulit.

De eadem fide ipsa, quae fundamentum est salutis, Paulus Hebraeis scribens, idem exemplum Raab, quae exploratores exercitus Dei a Iericontinis texit militibus et abscondit, caeteris sanctorum patrum attexuit exemplis. Quo testimonio quis non uidet quam immensus fidei feruor in muliercula, nondum plane de Dei religione a quoquam admonita, extiterit? Dominus, inquit, Deus uester ipse est Deus in coelo sursum, et in terra deorsum. Quid hac confessione unquam auditum fuit uerius? quid sublimius? Et tamen uix uiuae illud fidei testimonium fuisse crederem, nisi opera illius respondentia fidei uiderem. Quanti porro momenti illius opera fuerint, ut nullum aliud appareat indicium, certe Iacobi testimonium post Paulum mihi copiosissime satisfacit. Nonne, inquit, ex operibus iustificata est? Paulus quidem perfectam, et cui naturaliter coniuncta sunt opera Dei, in Raab fidem fuisse memorat: Iacobus uero illius benefacta, quae necessario unita sunt fidei, adeo extollit, ut per ea iustificationem a Deo, quem antea confessa fuerat, accepisse dicat:

|2.25| Suscepit, inquit, nuncios, et alia uia eiecit.

Data igitur occasione factis prae se tulit quid (en fons iustificationis) credidisset: nam contempto uitae propriae periculo uitae alienae consuluit, certo sciens a Deo nuntios illos missos fuisse: quapropter eorum salutem propriis ciuibus, et focus, et aris praeferendam. At tu demum tam longi sermonis de fide sententiam, et unde-

[undequaque]

{1555 p. 57}

-quaque absolutissimam perpende finitionem.

|2.26| Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

Quemadmodum (ait) corpus anima destitutum exangue, et inutile, ita fides cui desit charitas, quae naturaliter actiuosa est, interit, solumque nomen fidei statu illo suo uanido atque inertis contenta retinet.

CAPUT III.

|3.1| Nolite multi magistri fieri, fratres mei, scientes quod maius iudicium accipiemus.

Arguit ambitionem, aususque impudentes quorundam sese doctorum nomine uenditantium. A tam ampla quidem copia illorum, qui se ad id muneris ingerebant, ampla arguebatur eorum cum ambitio tum cupiditas uarias spargendi opiniones atque haereses. Nam qui a spiritu Dei mouentur agunturque, istud docendi alios onus sanequam periculosum aut oblatum refutant, aut summa cum trepidatione suscipiunt. Non illos certe fugit, unum tantum esse cui id nomen uere apteque conueniat magisterii. Unus, inquit, est magister uester: qui rem utique unam atque alteram sua in doctrina primas habere uoluit: ad quas sane reliquae omnes, tanquam suum ad finem, reduci deberent. Diliges, ait, eum toto animo, ac proximum sicut teipsum. Ex his quidem duobus praeceptis lex omnis, siue humana siue diuina ea sit, originem ducit. Da mihi hanc legem seruari in terris, nulla opus erit amplius doctrina alia, nullo alio doctore, mandato alio nullo. Nolite, ait, multi magistri esse, nolite tam procaciter ad istud uel ipsis angelicis spiritibus uenerandum munus, tanquam sues ad prote-

[proterendos]

{1555 p. 58}

-rendos Dei uerbi uniones, et eos quidem preciosissimos, irruere. Qui sic effreni trahuntur cupiditate, permagnum certe iudicium, peracerbamque sibi comparant, ob male actum officium damnationem.

|3.2| In multis enim offendimus omnes.

Haud pauci quidem sunt, qui lubricitate linguae labuntur, atque alios offendunt: sed facilius doctores, qui norma esse debent modestiae, ac legis seruandae.

|3.2| Si quis uerbo non offendit, hic perfectus est uir potens freno circumducere etiam totum corpus suum.

Is ter beatus ac felix, qui tam lubricum membrum et uolubile, ut est lingua, ita intra claustra labiorum continet, ut nunquam labatur. Iam qui talis est, sibi ipse non multo negotio imperare poterit, siue corporis dominus erit et rex. Est quidem non mediocris uirtutis ac laudis, uel uentrem, uel gulam, uel ipsam oculorum lasciuiam, aut manus quoque continere posse, itaque moderari, ut rationi pareant: sed omnem superat laudem, qui linguae frenum ita constanter adhibet, ut neminem offendat. Talis, inquit, perfectus est uir, quippe qui molem totam sui corporis regere, carnisque petulantiam refringere et edomare ualidus sit ac potens.

|3.5| Ecce equis frena in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus eorum circumferimus. Ecce naues cum tam magnae sint, et a

uentis ualidis ferantur, circumaguntur a minimo gubernaculo, quocumque impetus dirigentis uoluerit. Ita et lingua tantillum membrum est, et magna iactat.

{1555 p. 59}

Pulchra admodum [sic, admodum] similitudo, qua uis tam paruae rei immensa exprimitur, ut est lingua. Quantulae, obsecro, portionis est frenum? et tamen equi ferociam pene insuperabilem ita deiicit et mansuefacit, ut eo feratur quo frenum ipsum direxerit: alioqui neque flagello, neque repagulis et carceribus, neque ipsi tandem domitori obtemperaturus. Adhaec quis satis unquam mirari posset quanta arte, quantoue ingenio aut robore temo, minimum scilicet gubernaculum, tam uastam molem nauium regat, uel eo maxime tempore, cum uelis turgidis per freta ui ingenti uentorum agitata fractaque immenso spectantium stupore ac metu raptantur, atque ad arbitrium turbinis impelluntur ac procellae? Quod frenum igitur est equo ac naui temo, id homini est lingua. Tantillum, ait, membrum est, et tamen ut est turgidum? ut est iactabundum? Quid non interdum exitii commiscet? quid non bellorum? quid non discordiarum excitat tam parua res? Magna, inquit, iactitat, blatteratque magnifica, et in quemuis ferocit monstrum istuc uolubile, pertinax, procax, exitiosum. Proinde cui tam insolenti belluae atque effraeni fraenum ponere modestiae ac temperantiae integrum est, is sui prorsus fit dominus, sibi imperat, et aequae caeterarum sui corporis partium compos fit ac uictor, atque solet clauus nauibus, aut equis fraenum et dominari et legem cursus statuere. Quid?

|3.5| Ecce paruus ignis quam magnam syluam incendit.

Syluam pro omni materia combustibili posuit. Dictu mirabile a quam paruo exordio tam uastum interdum excitetur incendium, ut nullo placatum remedio adeo nonnunquam late diuagetur atque in immensum crescat, ut ui nequeat ulla opprimi, et extinguui. Ita est linguae ardor et petulantia. Quid multa?

{1555 p. 60}

|3.6| Lingua ignis est.

Quare color illi est igneus, ex quo celerrimam sortita est a natura uolubilitatem, formamque propemodum pyramidalem. Ne id quidem solum, sed est etiam

|3.6| Uniuersitas iniquitatis.

Aceruus est (ait) et cumulus malorum omnium lingua. Hic mundum legunt Graeci, more hominum consueto, qui rem penitus incredibilem, et quae communem excedat opinionem uolentes exprimere, mundi uocabulo utuntur: ut fere illud de infinitis Christi miraculis, inauditisque mysteriis a Ioanne suo in Euangelio fuit dictum, ubi asseruit mundum totum neutiquam capere potuisse quae de rebus gestis a Christo in terris potuissent uel dici, uel scribi. Caeterum pro ornamento mundum intelligunt

atque exponunt Graeca scholia, ad hunc fere modum, quod lingua uel quadam dicendi uehementi ornatam reddat iniquitatem, adeo ad defendenda crimina sagax est atque elegans: qui est intolerandus quorundam mos, qui propter acuitatem in defendendis perornandisque flagitiis impauide peccauit, apud praesertim ignauos (forsan et data opera conuiuentes ad scelera) pastores et magistratus. Sic est natura linguae,

|3.6| Quae constituitur in membris nostris, et maculat totum corpus, et inflamat totam natiuitatis nostrae inflammata a geenna.

Summa praedictorum. Videtisne quantulum ferri infreno sit? quam parua item ligni portio in temone nauium? quantulus deinceps ignis quantam uim habeat? sic linguae tantillum membrum non est paruipendendum. Illis enim siue a natura, siue ab arte ingenioque humano, quemadmodum rebus cunctis, sua inest uir-

[uirtus]

{1555 p. 61}

-tus: huic et sua inest, tenacissima nimirum, pennisque quibusdam praepetibus, ut sic dicam, celerrima, ac uentis ipsis inconstantior et uelox magis: quamquam naturam non accuso, sed naturae uulnus: quod ita iam incruduit, lateque saniem diffudit, ut plane totum corpus infecerit, lueque letali contaminauerit. Caeterum uitam hominum rotam uocat iccirco, quod in se reflexa et reuoluta more turbinis concitatissimi feratur. Et certe uita haec praesens rotae instar est ac gyri, qui ab ortu ad occasum celerius quam comprehendere potest, perpetuis ueluti quibusdam impulsionibus ac raptibus et flectitur, et reflectitur. Ex qua quidem indicibili uolubilitate, cursuque uiolento, ac flexu concito, quaedam passim erumpunt scintillae igneae, quarum aestu atque ardore ipsa prius uita, exin reliqua, quibus natura perornatur, quorumque foecundissima parens est atque alitrix, et consumuntur et finem habent. Neque proinde mirum, siquidem neque ab ea ipsa, quae optima est natura, neque a sapientissimo naturae autore Deo id uirus hausit: sed a rapidissimo infandoque geennae incendio correpta et inflammata, quae circum se sunt tum corripit, tum inflamat, tum in cineres quodam modo occultissimo collabi facit. De geennae loco et horrendo et tetro sic scribit Cyprianus: Est locus, inquit, magno saeuens plangentium murmure et gemitu, eructuantibusque flammis perhorridus. A tam igitur amoena regione, et campo, morbum mutuata est suum lingua mortalium: caetera ad celebrandos diuinos honores, communicandosque cum caeteris animorum conceptus a Deo opt. max. fa-

[fabrefacta]

{1555 p. 62}

-brefacta, conclusaque, ne aliquando efflueret, ad ineptiasque dilaberetur, uallo dentium ac labiorum muro. Verum haec omnia nequicquam.

|3.7-8| Omnis enim natura bestiarum, et uolucrum, et serpentium, et cetorum domantur, et domita sunt a natura humana: linguam autem

nullus hominum domare potest, inquietum malum, plenum ueneno mortifero.

Suis coloribus depingit intemperantiam linguae autor sanctus: quae lingua adeo interdum effera fit, ut omnem uincat ferarum immanitatem. Ex huius quidem ferocia atque impudentia quid iam non uidimus rerum earum, etiam quibus sustentatur religio, nedum concordia ciuilis, atque ipsa regna, et imperia, dissolutionis? ruinae? calamitatis? Nullum proinde tam sanctum opus, nullum tam firmum aedificium, nulla unquam fuit tam uel sexcentis sancita foederibus et iuramentis cum pax tum concordia, quin unico linguae, ariete uerberata uel corrueret, uel incerto, miserrimoque, ac nutabundo steterit fulcimento, compageque rimis undique fatiscente? Legimus autem leones, ursos, uros, pantheras, tygresque ipsas immanes ab humano mansuefactas ingenio. Cicurantur etiam crocodili, delphini, forsitan et phocae, atque ipsi demum ceti ingentes ad beneuolentiam nonnunquam hominum arte alliciuntur humana. Nec serpentes quidem quamuis letales detractant imperium hominis. Sola lingua nobilissimum hominis membrum fraeno pertinacissime reluctatur: neque ulla adhuc reperta est ars, nullum artificium, nulla (ut sic dicam) magia, quae linguae ferociam, intemperantemque illius ardorem linire [sic, lenire?] potuerit: adeo inquietum malum est, uarium, mortiferum, infidum,

{1555 p. 63}

atque in omnes se uertens species ac formas. Hisce quidem uerbis Iacobus non potentiam illam diuinam in sanctis hominibus, qui iam coelestes in terris ob sedatas appetentias carnis effecti sunt, adimit: sed usum malum linguae fere omnium ob oculos ponere studuit, ut plane fecit, Quid?

|3.9| In ipsa benedicimus Deum et patrem, et in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem et similitudinem facti sunt Dei.

Astuta profecto fatuitas, atque impostura nimium patens. Quo (obsecro) illum appellabimus nomine, nisi fatui, et uecordis, qui cum maledicus sit, ac saeuus in homines ad Dei similitudinem creatos, audet tamen Deum ipsum patrem, et eum quidem benefactorem appellare? sacra illi facere? postulareque ab eo quae ipse negat aliis? Eadem ipsa, inquit, lingua Deum laudibus extollitis, et hominem uituperatis laceratisque conuiciis, quasi Deum non tangant sui figmenti, pro cuius recuperatione mortem ipse oppetiit crudelissimam, iniuriae. Cum Deum dicit apostolus, rem dicit potentissimam, et maiestatis plenam: cum uero patrem, rem nostri amantissimam. Ex iis praeterea uerbis diuinae imaginis similitudinisque cognitio haberi potest, quod homo cum arbitrii potentia praeditus sit, Dei prae se ferat imaginem similitudinem uero amore, atque ad omnes beneuolentia et charitate: quanquam Hebraeis idem omnino hae duae sunt uoces, atque idem significant, unde posterior prioris est interpretatio. Crudelis igitur, implacabilis, maledicus, cum deformatam in se habeat Dei imaginem, neque Deum, neque homines laudare potest nisi fecte. Et tamen haud rari sunt, qui hoc se nomine ostentant, ac sua obtegunt flagitia laudantium scilicet Deum, feris ipsis immaniores in proximum. Ergo,

{1555 p. 64}

|3.10| Ex eodem ore procedit benedictio et maledictio.

Nihil aliud id est, quam niti in naturam. Quare indicium istud est ingens animi leuissimi, addo etiam maligni et assentatorii. Quid (oro) magis in se dissonum inueniri potest, quam laus et uituperium? celebritas atque infamia? Ex eodem, inquit, ore, eademque ex lingua, dimanat laus et obtrectatio. Quid absurdius? quid magis secum pugnant? quid minus homine Christiano dignum? cui proprium esse debet rectum cum probitate iudicium? cuique insita esse debet a uerbo uitae cum ueritas, tum religio? Age afferam hac de re a natura ipsa exemplum.

|3.11| Nunquid fons de eodem foramine emittit dulcem et amaram aquam?

Id certe fieri nunquam poterit, ut dulcis pariter et amarus liquor ex eadem decurrat fistula, tubuloque ex eodem et scaturigine. Tu ad scaturigine linguae naturam applica, quam necesse est, ut uides, aut totam puram esse, aut impuram et inquinatam: alioqui quod amarum natura est nunquam in dulcedinem uerti poterit: sed contra, quod dulce erit, in amaritudinem.

|3.12| Nunquid potest fratres mei ficus oleas facere: aut uitis ficus? sic nullus fons salsam, et dulcem potest facere aquam.

Utrunque praeter naturam fieret, etiam si alterius surculus, aut malleolus alterius arbori, aut pampino insereretur. Quod autem ficus cum olea coniungat, duas per se naturas disiunctissimas ostendit. Ficus enim gustu est suauissima, olea aspera et amara. Quod uero uitem cum ficu componat, eiusdem qualitatis naturam,

{1555 p. 65}

specie tamen dissimilem, atque ut uocant incompatibilem, quatenus ad insitionem attinet, in medium adducit: cum utraque dulcis sit: uitis tamen ficus non est, neque ficus uitis. Ita lingua formata nimirum a sapientissimo rerum machinatore Deo iccirco ut humanarum mentium interpret esset, ac perpetua diuini honoris concionatrix, tuba item disseminandae ueritatis et concordiae inter homines uocalissima: si quid ab istiusmodi aberrat scopo, atque pro honore cum Deo tum proximo debito conuicia referat et maledicta, non secus agit atque si quis naturae conuenire assereret riuum eundem salsas simul aquas et potabiles, aut oleae baccas ficetum proferre posse. Aequae erit dicendum, eundem ipsum quidem hominem eodem ex corde probitatem improbitatemque per eandem linguam tanquam per fistulam proferre posse. Quod si quidem conatur perficere, id uult natura, ut quod dulce est uertatur potius in amarum, quam secus. Ergo qui maledicus est, aut usu malo inueterato assentator et mordax, eum necesse est malum semper esse, et maledicum, etiam cum aliquem laudare, aut Deo gratias agere uideatur. Sic de istius generis hominibus Christus: Progenies, inquit, uiperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? Haec sane

omnia in eruditissimo gymnasio Christi perdiscuntur: quod cum totum purum sit, et coeleste, coelestibus delectatur ingenii ac puris: Caeterum is candor, statusque coelestis et diuinus in fidei uel potissimum, cui sedulum inest natura studium exercendae uirtutis, consistit, cuique tanquam grauissimae dominae assurgit charitas, arridet spiritus, atque operationes ancillantur illae, quas Deus praeparauit ut in illis ambularetur. Qua de re concludi potest, quod qui linguae instrumento ad struendos dolos, concinnandasque iniurias, aut excitandas discordias ac rixas utuntur, hi in-

{1555 p. 66}

-dubie athei censi debent: hoc est, absque foedere, (ut illos graphice depingit Paulus) sine fide sine dilectione, propterea malos eos semper esse, indignosque proborum amicitia et contubernio. Atqui ut ne altius rem huiusmodi occultissimam, atque a sensu omnino rudium semotam ac peregrinam, peruestigemus, uitae qualitas quantae unusquisque sit fidei ac probitatis dat signum. Proinde

|3.13| Quis sapiens et disciplinatus inter uos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiae.

Id sane dictum ad omnes qui sapientes uideri uolunt pertinet. Illud etiam, Nolite multi magistri fieri, scientes quia maius iudicium sumitis. Siquidem uniuersalem ferme omnium se subire censuram putent qui docendi prouinciam ambiunt. Hos quidem necesse est, quo multiplices hominum de se queant sustinere opiniones, permulta praeditos esse tum eruditione, tum probitate. Estne, inquit, inter uos qui sapientiae scientiaeque amans sit? Estne qui uerae ac solidae disciplinae (ea est scientiae professio) studere cupiat? Is quidem neque ad pompam, neque ad scientiae ostentationem se ostendat eruditum: sed puris in primis moribus, et cui naturaliter uirtus illa eximia praeclaraque humilitatis annexa est, mansuetudine ac modestia cuius sit eruditionis declaret. Sapientia ad motus appetentiasque animi sedandas subigendasque rationi, scientia uero ad res probe atque cum iudicio instituendas pertinet. Illud igitur primum a sapiente queritur, ut non solum mentem habeat ab omni cupiditate liberam, semotamque a rebus illis atque impedimentis, quibus iter ad diuinas obstrui potest contemplationes: uerum etiam cum lenitate atque modestia eadem illa, a quibus ipse non abhorreat, eum docere

{1555 p. 67}

conuenit. Alioqui uanissima illa censebitur eruditio, quae contentionibus innixa fastum auramque popularem incaute nimium uenetur. Cum enim diuina tractantur, maximo certe ornamento uirtutum omnium, tum potissime sui cognitione, quae humilis esse debet, necesse est ipsos ornatos esse interpretes: tantum abest ut ex illorum numero esse uelint, qui suis malint in congressibus cum doctis uictores dici, etiam sine eruditione, quam ueriores afferenti assentiri et acquiescere. Ex quo sane fonte nostris quotidianis malis experimur lites eas omnes et discordias oriri, quibus comites sunt ut plurimum odium, ambitio, inuidia, arrogantia: quae quidem omnia tam directo pugnant cum purissima Christi doctrina, quam quiduis aliud pugnacissimum.

|3.14| Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus uestris, nolite gloriari, et mendaces esse aduersus ueritatem.

Haec sunt uitia, quibus carere debent ante omnia hi, qui in diuina sapientia erudiuntur: cuius sapientiae is scopus est, ut superatis uitiiis animi, in quibus euincendis longo opus est usu atque exercitio, totum hominem in ipsum transmutet Christum: quo quidem obtento, eadem ipsa omnino requiescit fine suo tandem reperto sapientia: fides quoque ultra progredi non audet. Solus amor sempiterno delitiatur gustu in eum transfusus, quem hic, tum maxime in futura uita suam fore beatitudinem, atque curarum omnium finem, certo nouit. An uero spectent eo primarii nostrae aetatis homines, qui id in primis curare uidentur, ut tenera adolescentium ingenia in omnibus magis aliis erudiantur doctrinis ac disciplinis, quam in ea, quae ad neglectum ducit cum sui tum mundi, tum uel maxime ad amorem illum Dei purum informat, de quo nunc loquimur, affirmamusque

{1555 p. 68}

cum penitus necessarium illis esse, qui iccirco a mundi foedere descuerunt, ut Deo se prorsus dederent et consecrarent: parum interim aestimatis studiis aliis omnibus, quamuis ad speciem bonis, quae ad diuinum non incenderent amorem, atque supernorum desyderium. An (dico) eo spectent ii, qui rerum potiuntur inter nos? Me ignorare fateor, simulac uideo absurda alia complura ab illis ferri, temporibusque quaecunque accidant inserui. Alitur, inquiunt, iuuentus in artibus, disciplinisque illis, quae usui postea esse poterunt in conciliis futuris, ac synodis iam pluries coeptis: ex quo non mediocris cum gloriae, tum laudis existimationisque accessio proueniet religioni. Audio, proboque, si cogenda concilia, concilia hominum appellanda erunt, non Dei. Sed his omissis, quae nihil ad rem eam tractandam attinent, cui incumbimus, ad senem nostrum redeamus. Zelum amarum uocat inuidiam, affectumque illum subtristem ac tabidum, quo urgente non patimur in re etiam turpi aequalem. Est et zelus suauis, ac (ut sunt semper ea omnia, quae ad animi ingenuitatem attinent) multa conditus dulcedine, et de quo sic Esaias: Zelo zelatus sum pro domino Deo exercituum. Et est uis quaedamque uehemens, qua instar Dei nolumus sancto in amore, ut sic dicam, riuales: hinc Zelotypus Deus appellatur in scripturis, cuius praeclarissima ea est natura, ut neminem uelit suo in amando figmento parem. Si habetis, inquit, animos infectos inuidia et aemulatione: si cor, si affectus intimos contentionum, peruicacisque superandi caeteros conatus et simultatum plenos, idque animaduertitis, cedite potius docendi officio, quam, Euangelio, quod est seminarium pacis, aduersari. Ecquid uana uestra eiusmodi cum uobis, tum caeteris prodesse poterit gloriatio, nomenque superati hostis, qui solida nequaquam fulti estis sapientia? sed magis

{1555 p. 69}

sapientiae, honestarumque disputationum praetextu prauas disseminatis haereses ac sectas? Ita sane hi dicuntur gloriari in mendacio, hoc est, gloriam uenari mentiendo, qui pietatis praetextu nouas introducunt assertiones, qui mos haeticorum est, atque

eorum, quibus illud dictum (si uis regnare diuide) haeret tenacius quam Dei lex, quae in primis ueritate nititur ac pace.

|3.15| Non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.

Terrena, ait, uestra est sapientia, crassa nimirum, ac terrenis inhians praemiis. Animalis item est, quippe quae spiritu agitetur humano (sic Animam, unde uox haec Animalis ducitur, sumunt saepenumero eruditi in sacris literis: nempe pro affectu carnis uiolento: ita et Paulus animalem hominem accipit.) Diabolicam porro uocat huiusce generis sapientiam, ut pote quae instinctu daemonum, non Dei afflatu inuenta sit. Olim antiquitas opinabatur artes omnes repertas fuisse a daemone, cui scientiam quoque, a qua nomen illud ductum est, attribuebant. Sed uanae prorsus, ut reliquae, istiusmodi fuere ueterum opinationes. Nam Deo, quaecunque bona in orbe terrarum sunt, nedum in coelis ferre accepta, tanquam origini rerum omnium, quae uere existunt, debuere. Sic itaque, atque suo plane depicta est colore mundi sapientia: dissidorum nimirum, et contentionum artifex atque altrix.

|3.16| Et ubi zelus est et contentio, ibi inconstantia, et omne opus prauum.

Absolutissimum, istuc est Axioma. Ubi igitur usus frequens est contentionum, ubi zelus amarus, ubi aemulatio, ubi inuidia: ibi nulla potest esse uel morum uel opinionum firmitas, actioque non potest esse ulla, quae pra-

[praua]

{1555 p. 70}

-ua omnino non sit, atque a recto itinere iustitiae, procul remota. Contra uero

|3.17| Quae de coelis est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordiae, et fructuum bonorum, diiudicans sine simulatione.

Nonnulla hic ex his uocibus supersunt Graecis. Pudica et casta idem prae se ferunt in hoc loco, significantque sapientiam illam, quae de coelis est, puram esse, atque ulla absque commistione extera et adulterina (ut plane est sapientia humana) synceram. Ex quo rarum illud adepta est nomen quod sequitur. Pacifica (inquit) est, abhorrensque ab omni genere litigiorum. Cum sit inter uos, aiebat Paulus, zelus et contentio, nonne homines estis? Ad haec modestam eam appellat, nempe facilem, suauem, non elatam, non morosam, non difficilem, non feram. Hinc Suasibilis, dicitur, id est tractabilis, cedensque si quis in congressibus eruditus meliora attulerit. Quare statim additur in nostro interprete, Bonis consentiens, haud improbis: alioqui stoliditatis accersenda, si indifferenter sineque delectu cuilibet assentiretur. Misericordiae tandem plena est, ac, bonorum fructuum. Vide atque exosculare suauissimum nostrae sapientiae e coelo lapsae finem et exitum. Sanctissimis, inquit, fidei fructibus onusta incedit huius generis sapientia. Harum sane duarum sororum,

fidei scilicet atque misericordiae, eae partes sunt praecipuae: pio nimirum commoueri affectu erga lapsos et errantes, de omnibus bene mereri, cessantes stertentesque in agro pietatis stimulare, hortari, monere, rogare, ac demum illos eosdem ipsos afflictos amplecti et consolari. Hae sunt, ut dixi, cum fidei, tum misericordiae partes: quas qui pos-

[possidet]

{1555 p. 71}

-sudet beatus in facto suo erit. Qua de re ut uere, sic elegantissime Dei sponsam circumamictam esse uarietate scripsit Dauid. Atque est interea loci quoad illo reuertatur unde discessit cum filio Dei, iudicans sine simulatione, nihilque suis in iudiciis atque finitionibus habens fuci, nihil doli, nihil insidiarum: ex animoque bene uult omnibus, neque in iudicando personas respicit, ut hi agunt, qui a spiritu peragitantur humano, a sapientia uidelicet terrena, animali, diabolica: cuius fructus hi sunt ut plurimum, rixae, discordiae, contentiones, pugnae, simultates, odia, caedes, rapinae, ac caetera istius generis monstra ab imo inferorum barathro excitata.

|3.18| Fructus autem iustitiae in pace seminatur a facientibus pacem.

Fructus qui colliguntur uberrimi ab Euangelio pacis, iustitiaeque plantario, et quos ab audientium profectu atque incremento, tanquam a sacra arbore decerpi arbitramur, non seruntur nisi a seminatoribus pacis: hincque mox alium suboriri fructum, fructuum sane caeterorum terminum ac perfectionem experimur, et de quo sic Paulus: Qui seminat in spiritu (ea est iustitia) de spiritu et metet uitam aeternam.

CAPUT IIII.

|4.1| Unde bella et lites in uobis: Nonne hinc: ex concupiscentiis uestris, quae militant in membris uestris.

Mirum quam graphice senex sanctus adumbrat statum nostrae aetatis, perditae ne dicam, an breui periturae haud sat scio: adeo iam fere a cunctis, ab illis etiam qui in uisceribus ecclesiae ociantur, a uero deerratur itinere. Certe quidem sua in aede pacem concordiamque esse

{1555 p. 72}

decreuit Deus: unde igitur bella? unde lites? unde mutuae illae odiorum plenae uel rixae, uel altercationes? Ex libidinibus, inquit, uestris et concupiscentiis: quae non solum domicilium habent inter uos suum, uerumetiam et dominationem et imperium. Res quidem alia est, non esse quempiam sine peccato, quod proprium est hominis: alia parere tanquam domino ac regi, peccato: quod ad homines quidem attinet, sed perditos, atque in extremam usque miseriam proiectos. A libidine itaque, quod nulla habita ratione tum Dei tum hominum, quicquid libuerit uultis, uestrae ortum habent

discordiae. At tu mihi miserabilem illorum sortem, qui sic appetunt quidpiam, intuere.

|4.2| Concupiscitis, inquit, et non habetis.

Eo quidem spectant mortalium appetentiae, ut cupitis potiantur: quod si nequeunt, ecce tibi agmen actutum bellorum, en sectae, en seditiones, en discordiae, simultates, calumniae tandem, ac saeuae illae nunquam desiturae altercationes, coniunctaeque cum insidiis conspirationes. Agitedum, ex quo (oro) fonte erumpunt tam crebrae caedes? nonne hinc? dum quilibet suas quaerit explere cupiditates, nec potest?

|4.2| Occiditis et zelatis, et non potestis adipisci.

Occiditis ex Graeco legimus, inuidetis. Quare inuidia ad aegrum illum animi dolorem, quo quis afficitur ex felici fortunatoque successu alterius, refertur: Zelus uero ad immoderatum rei alicuius amorem, quam quis sic immodice amat ac deperit, ut a nemine uelit in rabie illa amoris superari: ex quo fit, ut cum omnes timeat, omnes pro hostibus habeat: proinde uitam agit curarum solitudinumque plenissimam, iccirco miserrimam, dum non assequitur quae alium uel assequutum

{1555 p. 73}

esse conspicit, uel assequutum timet. Eam ob rem ut continuis agitur intemperis, ita in caeteros adeo rabido ac furenti debacchatur animo, ut et coelum, et terram uno, et eo quidem confusissimo permisceat tumultu, ac strepitu. Unde a sancto sene est additum,

|4.2| Litigatis et belligeratis.

Et est perinde quasi diceret, et manu, et lingua, et animo nunquam quiescitis, quin in aliquem lites excitetis ac pugnas: una extincta emergit alia. Adeo quibusdam ea uidetur inquieta esse natura, ac pugna, ut aliquem semper habeant qui cum certent: iccirco est dictum, Litigatis et belligeratis: nec sic tamen uestrae sedantur cupiditates. Atqui re si aliqua, quae ad uitae usum attinet (absit luxus) egetis, a Deo certe bonorum omnium autore petenda erit: sed in hoc a uobis, ut in caeteris, turpissime peccatur: quod quae petenda sunt a Deo, a mundo, qui natura fallax est, petitis. Quod si tamen suadet religio ut a Deo ipso petere debeatis, tum aut quae non conueniunt petitis, aut modum quo peti debent ignoratis.

|4.2| Non habetis propterea quod non postulatis.

At dicet aliquis, non desunt qui inter nos postulent. Respondeo,

|4.3| Petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in uoluptatibus uestris insumatis.

Eo, inquit, animi proposito Deum, ut ea quae cupitis administret, tanta solitudine rogatis, ut in usus ea turpes absumatis. Ergo ut pravae sunt ac foedae uestrae appetentiae, ita et postulationes quae fiunt Deo, de cuius benignissimo fonte tantum abest ut quicquam, quod non sit uobis profuturum, deriuetur. Consulit enim

{1555 p. 74}

uobis uel inuitis, et quae uobis magis expediunt ignorantibus tam pius dominus.

|4.4| Adulteri et adulterae, nescitis quod amicitia huius mundi inimicitia est Dei?

Idololatriam, facilemque ad alienos amatores transitum, relicto uiro legitimo, metaphorice carpit. Infelix profecto conuersio eorum, qui amore sapientiae coelestis neglecto, ad amplexanda stercora, mundi scilicet amicitiam conuertuntur: transfugium sane indignissimum uiro Christiano. Sic sunt illi, qui rupto foedere illo celeberrimo, percusso in exordiis fidei cum Deo, desciscunt a promissis, fiuntque periuri ac fallaces: unde non iniuria adulteri et adulterae a nostro Apostolo nuncupari merentur, quorum que aures hisce uelli admonitionibus desyderat, AMICITIA huius mundi inimicitia est Dei. Ad haec,

|4.5| Quicumque uoluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur.

Initio quidem haec est cunctis numeris absoluta, atque suis lineamentis musice admodum depicta. De hac intellexit Paulus cum ait, Qui in carne sunt, placere Deo non possunt: sed qui sunt eius, (nempe Dei) carnem suam crucifixerunt cum uitiis et concupiscentiis. At uero ista aegre audiunt nostri uoluptuarii, qui in delitiis tanquam noui Heliogabali immersi, nihil quod honestatem referat approbant. Hinc propterea oriri cernimus quod loca fere omnia profana, forsitan et religiosa, nil iam in hac maxime plumbea aetate amare uideas quod delitiosum non sit ac molle: adeo tam cruentae bestiae late diffusum est imperium, atque uel usque ad globum lunae propagatum. O certe ignorantiam omnium prope mortalium, sed illorum maxime, qui priuato cultu ac

{1555 p. 75}

religione se extra mundum esse uideri uolunt.

|4.5| An putatis quod inaniter scriptura dicat, Ad inuidiam concupiscit spiritus, qui habitat in uobis?

Auet Iacobus hoc toto uerborum contextu amoris illos diuini erga homines illicio ad resipiscentiam trahere: quos tamen efficacissimis utens argumentis in superioribus, ductis sane a foeditate rerum quas amabant, commouere debuerat. Dixi, inquit, quod

quicumque uoluerit amicus mundi esse, inimicitiam mox Dei incurret. Rationem affero, quod illum, qui uos uehementer amat, non redamatis. An censetis absque causa passim in scripturis legi spiritum Dei sanctum, qui per Lauacrum noui ortus iam coepit habitare in uobis, ad inuidiam usque alterius amatoris, uos deperire, ferreque impatienter si quis in uestram se insinuauerit amicitiam? Vos certe tam sublimis spiritus flagrantissimum in modum inuidet alteri: Ego, ait, sum dominus Deus tuus, Deus aemulator. Hoc est, is sum, qui ferre nequeo ut a me diuellaris, et ames alium: te totum solus appeto. Porro uelle quempiam ualde atque unice amari, ab amore proficiscitur uehementi, impatienterque amantis. Sic Deus est qui

|4.6| Maiorem dat gratiam,

Atque efficacior ostendit beneuolentiam erga suos, quam mundus natura perfidiosus, aut quam expeti unquam possit. Deus enim ut uera bona promittit, ita et fideliter quae promisit seruat. Mundus uero quemadmodum res falsas pollicetur, sic falsa fide quae pollicitus est aut negat, aut fucum facit cum risu. Quis talem unquam obseruaret amantem. Quis non potius hoc uanissimo amatore contempto, alterum illum eligat se-

[sequaturque]

{1555 p. 76}

-quaturque? qui sicut puriorem a suis cultum quam antea sub Mose postulat, ita copiosior suis impartit gratiam.

|4.6| Propter quod dicit, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Superbis (ut fere sunt qui mondana tam anxie appetunt, ut diuinos oculos offendere in illis assequendis non uerentur) obiicit se Deus. Humilibus autem (ut semper sunt qui calcato mundo, caelestia et quaerunt et contemplantur) suam dat gratiam: beneuolentiam nimirum, donaque illa ditissima, quae neque oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ob suam immensitatem ascenderunt unquam. Quare

|4.7| Subditi estote Deo: resistite autem diabolo, et fugiet a uobis.

Eam uos seruare oportet hac in re consuetudinem ac legem cum Deo, quam seruat mulier pudica in lege connubii erga uirum suum. Praeest ille quidem, haec subest: ille imperat, haec paret. Quod si diabolus, ut est natura acutissimus, inuidus, insidiator, a tam felici conatur uos seiungere connubio, uestramque inter uos bene uolentiam atque amorem infringere: repellite quamprimum sacrilegum, adulterum, mendacem: et sic minimo uestro labore fugiet a uobis. At qui non fugit Dominus, etiam millies a uobis expulsus: fugit uero daemon uel leuiter fugatus: adeo debilis, meticulosusque factus est a Dei filio carnifex qui prius non nihil poterat. Hic aperte humanum arbitrium astruit apostolus. Gratia quidem, quae est eius uniuersalis beneficentia, bonum offert, et suggerit: arbitrium uero suggestionem non detractat. Quod si uelle

nostrum et consensio a Deo est ut uere est: nostrum tamen id totum quoque est per gra-
[gratiam]
{1555 p. 77}
-tiam, immo iam nostra ipsa facta est gratia, simulae autor gratiae homo factus est: qui non solum gratiam ipsam cum homine ueniens communicauit, uerum etiam et bonitatem, et iustitiam, et seipsum tandem aequae nostra esse uoluit, atque si nobiscum naturaliter orta essent, et non potius gratis nobis concessa. Ergo
 4.8 Appropinquate Deo, et appropinquabit uobis.
Nulli dubium esse debet, conceptus animi omnes honestos, firmatamque uoluntatem in amore coelestium, ac sanctas demum operationes, adeo esse, ab eiusque proficisci liberalitate et gratia: cui tamen nostri non displicent conatus atque exercitationes ad ea obtinenda, quae ultro ipse elargiri solitus est. Quare cum audio a spiritu Dei dici, Appropinquate Deo: ipsius agnosco munera, cognosco afflatus, cognosco et tum quidem cum maxime inuitor robur mihi suppeditari, uiamque quam terere debeam complanari. Qui audit, inquit, dicat uenio. Sic sane uocatorum promptitudini, atque ad ea ad quae uocantur studio plane infracto et (ut sic dicam) pertinaci adest Deus, in mentemque ita affectam placidissimo delabitur susurro: perficitque in anima ea omnia quae illi propter tarditatem molis huiusce corporeae deesse uident. Atque ea est, de qua loquitur uir sanctus, appropinquatio Dei ad animam. Vno enim atque eodem gradiuntur incessu ad Deum gratia et arbitrium in corde humano. Quo circa qui alterum ab altero in salutis cursu seiungunt, illud conari mihi uidentur, quod in struendis aedificiis caementarii, qui calcem sine harena aut harenam sine calce, in committendis lateribus aut lapidibus submittunt. Fatendum igitur erit, tunc numen animae lassae, ut eam uocat Esaias, praesto adesse, ac prope fieri, cum ipsa numini propior fit, nec reluctatur uo-
[uocanti]
{1555 p. 78}
-canti, trahentique ad sublimiora. Verum tu animaduerte, qua prius falce repurgandum sit iter, quam pedem, eo iturus quo coelitus uocaris, moueas.
 4.8 Emundate (inquit) manus o peccatores, et purificate corda o duplices animo.
Vocat duplices animo, qui nullo certo detinentur uitae proposito, ut hi agunt, qui partim quae Dei sunt, partim quae mundi expetunt: nunc fouent carnem in delitiis, nunc spiritum in obsequio religionis: modo hoc, modo illud sequuntur uitae institutum: et tandem neque hoc neque illud integre assequuntur. Caeterum Manus in hoc loco, ut in multis scripturae locis, pro actionibus ponit Iacobus. Corrigit, inquit, uestras illas ueteres prioris uitae actiones, o uos qui hactenus in uitiorum, errorumque

uolutabro uersati estis. Resipiscite: uidete ne quid resideat in uobis uetustae uitae, nequid antiquae uanitatis, atque adeo inueteratae iam inconstantiae ne uestigium quidem appareat in uobis, o qui duplici inconstantique semper incessistis animo. Vultisne felices esse? Id (scio) omnes expeditis. En uiam uobis ostendo compendiarium:

|4.9| Miseri estote, et lugete, et plorate. Risus uester in luctum conuertatur, et gaudium in moerorem.

Miseri estote, Graecis est, affligimini. Breuibus hic crucem Christi describi uideo, derisam certe a plerisque mortalium, cum tamen necessaria sit cum omnibus, tum uel potissimum illis, qui uitae incommoda, quo liberius ad coelestia contemplanda euehi possint, tanti faciunt, quanti complures alii et commoda, et delitias. Afflictiones (inquit) carnis, fletusque salutaris ac moeror, uobis magis sint usui, quam risus, perniciosaque

{1555 p. 79}

gaudia, et luxus diuturni. Ea quidem uel praecipua est filiorum Dei felicitas in terris, nihil commune cum mundo possidere. Quod si quis appetit gloriam, si quis celsitudinem, si quis celebritatem, fiat ultro humilis in conspectu Dei: cuius natura est, demissos, tenues, uilesque in oculis propriis erigere, uereque sublimes facere ac beatos. Et hoc est quod uult dicere senex noster cum ait,

|4.10| Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit uos.

Deponite, deponite fastum istum uestrum intolerabilem o mortales, si quidem cupitis honorari. Deus ipse est, qui deprimit potentes et extollit humiles. A uestra etenim, arrogantiamne dicam an temeritatem, haud sat scio, liuor ipse mortiferus (si nescitis) oritur, a liuore autem detractio.

|4.11| Et qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, et iudicat legem.

Iudicium in hoc loco pro condemnatione posuit. Quid autem sit, aut quantum momenti habeat detractio, notior res est, quam ut nunc a me exponatur. Quod si meum etiam iudicium, quid de hoc sentiam uitio, non graueris audire, dicam duobus uerbis. Detractor daemon est: quare non mireris a Salomone dictum, fugiendum esse tanquam a facie colubri a detractore. Et ut nihil aliud illius impudentiam graueque periculum manifestet, satis ualde ex uerbis huius apostoli comprehendi potest. Qui detrahit (inquit) fratri, detrahit legi: quasi non recte praeceperit abstinendum esse a detractio: atque hac sane audacia condemnat legem tanquam superuacanea mandantem. Ita nostra est proteruitas atque superbia, qui neque Deum interdum uerentes neque homines, et sacra et profana effrontes uituperamus.

{1555 p. 80}

|4.11-12| Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex: unus est enim legislator et iudex, qui potest perdere et liberare. Tu quis es, qui iudicas alterum?

Proximorum quidem errata a conseruis ferri debent, non iudicari: haec praecipua est regula spiritus. In magistratibus uero, qui uices Dei gerunt in terris, alia est ratio. Si quis igitur tam procax est, atque impudens, ut legem, a Deo sancitam negligat: is indubie haud factor legis quidem, sed arbiter censi debet, quae maxima diuinae est prouidentiae iniuria et contumelia: quando hominis est proprium parere, Dei autem, qui solus arbiter est uniuersi, in cuiusque manu uita omnium sita est ac mors, imperare. Iussit Deus amandum esse proximum ac ferendum, non illi obloquendum: proinde obloquutores mulctare solet, ac grauiter punire: et tamen cum legem tum legislatorem deridentes nihil antiquius nonnulli habent, quam ut fratrem, pro quo uiuificando mortuus est autor uitae, deprimant, linguaeque uirulentia et atterant et occidant. Nam inter sicarios atque homicidas qui non annumerem obloquutorem? Qui non eodem in eculeo ac furca suspendantur cum furibus et parricidis detractores? Qui non a uulgo et pueris (postquam ad tam ferale conuiuent exitium Principes) saxis lutoque, ac publica omnium acclamatione ab urbibus, a uicis, ab aris, a focus expellantur, proculque ab omni conuersatione humana exterminentur hi, qui praesentaneo ueneno linguae pacem a mundo auferunt, leges abrogant, et religionem Christi totam (quod in se est) a mortalium cordibus extirpant?

|4.13-15| Agite nunc qui dicitis, hodie aut crastino ibo in illam ciuitatem, et faciemus qui-

[quidem]

{1555 p. 81}

-dem ibi annum et mercabimur, et lucrum faciemus (qui ignoratis quid erit in crastino. Quae est enim uita uestra: Vapor est, ad modicum apparens, et deinceps exterminabitur) pro eo ut dicatis, Si dominus uoluerit faciemus hoc, aut illud.

Non tollit hic apostolus prudentem ratiocinationem inter homines cum quid agere instituunt: sed uanum illorum consilium, parumque rationi consentaneum aufert studium, ac solitudinem adeo anxiam hisce potissimum in rebus, quae ad mundum spectant, ut propemodum uideantur Dei immemores esse: iccirco commodum longa interposuit periodo, pro quo dicere debueratis, Si dominus uoluerit faciemus hoc aut illud. Tollit igitur (ut dixi) anxietatem illam nimiam, atque ad res mundi comparandas solitudinem, quae in auaris insaturabilis esse solet. Caeterum uolens illos penitus ab omni genere uanitatis abduci, utitur argumento ab incertitudine uitae ac breuitate: Vapor, inquit, breuis est uita uestra, quae antea pene quam apparere incipit euanescit. Desinit fere esse priusquam sit uita haec praesens. Homo (aiebat Sophocles) spiritus est, et umbra tantum. Pindarus item umbrae somnium appellabat uitam hominis: umbram dicere non est ausus: adeo nihil propemodum uisa illi est humana esse conditio. Velut somnium auolans non inuenitur, clamabat antiquus ille theologus Iob.

Attamen rem tam breuem, tam incertam, tam fugacem sic efflictim deamant plerique, ac si aliam diuturniorem felicioremque, diuinitus quidem promissam, et iam in manibus positam, non praestolarentur. Unde (oro) tanta fatuitas? unde tanta stupiditas animorum atque incogitantia?

Omnes, ait Dauid,

{1555 p. 82}

sicut umbra declinauerunt, et ego sicut foenum arui. Quid his uerbis potest esse concitatus? quid uerius?

|4.16| Nunc autem exultatis in superbiis uestris.

Cum haec uita, ait, breuissima nihil habeat cui tuto possitis fidere, cum tot casibus pene infinitis sit exposita, cum infortuniis pateat sempiternis: tamen perinde atque immortales essetis in mundo, cristas erigitis superbissimas, ac in utranque dormitis aurem securi futurorum.

|4.16| Omnis exultatio talis maligna est.

Stulta, inquit, talis uestra est persuasio et maligna, uitae longioris: stulta et illa, qua freti etiam in his, quae aequae atque solent umbrae praetereunt, superbitis.

|4.17| Scienti quidem bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.

Hic aperte demonstrat se illis, quibus iam iter salutis innotuerat, scripsisse: quos etiam admonitos esse uoluit quanti foret periculi, scientiam tenere legis, nec factis legi respondere. Si persuasio (inquit) illa, de qua tam multa in superioribus, illis omnibus, qui spem non habent, quibusque nihil hominis a rogo super esse uidetur concedi posset: uobis non ita, qui diuinae religioni consecrati qua pergendum sit non ignoratis.

Seruus certe ille (ut ait magister) qui cognouit uoluntatem domini sui, et non se praeparauit, et non fecit uoluntatem eius, uapulabit multis: qui autem non cognouit et fecit digna plagis, uapulabit paucis.

CAPUT V.

|5.1| Agite nunc diuites, Plorate et ululate, in miseriis uestris quae aduenient uobis.

Mirum quam seure inuehitur Iacobus in diuites illos

{1555 p. 83}

qui res mundi caducas, quibus uberrime abundant, tanti aestimant, quod cura egenorum contempta, se solum, immo secum et scorta, et canes, et parasitos infarciant: aut domi rodendas potius a tineis blattisque inertibus, quam a Christi pauperibus, recondant. De his sensit propheta cum scripsit, illos adipem suum conclusisse. Hi certe quo fine dantur homini a Deo diuitiae uidentur ignorare. Tales itaque cum monitis tum minis urget, ut abiecto sensu illo sordido et auaro ad diuitias non sint immemores futuri examinis. Ecce, inquit, iudex ante ianuam cubat. Audite igitur, o qui fortunam occipitio tenere arbitramini, quid sacer moneat Pater. Plorate ululantes propter calamitates quae proxime uos manent. Ululate, flete: Vae uae diei, quia prope est dies domini, et ueniet gladius. Pro extremo id prophetae uaticinium intelligi potest iudicio, quod de exitio Hierosolymitano scriptum uolunt interpretes. Ulula (inquit) abies, quia cecidit cedrus: sublatis enim de medio potentioribus, ac magis fortunatis, timeant fleantque caeteri diuites eundem expectantes exitum cum illi. De istiusmodi scripsisse hominum genere censeo Hieremiam in suis praedictionibus, ubi ait, Accingite uos ciliciis, plangite, et ululate, quia non est auersa ira furoris domini a uobis. Ergo quibusne fulcimentis uestra haec sustentatis effugia o diuites? En,

|5.2| Diuitiae uestrae putrefactae sunt, et uestimenta uestra a tineis comesta sunt.

Fingite iam uitam hanc effluxisse: quid? Nonne opes uestrae tanto sudore comparatae abeuntibus uobis in putredinem conuertentur? Mauultisne igitur ipsas uel computrescere, uel a uermibus consumi, quam egenis quod suum est impartiri? heu socordiam.

|5.3| Aurum et argentum uestrum aeruginem

{1555 p. 84}

contraxit, et aerugo ipsa in testimonium uobis erit, et manducabit carnes uestras sicut ignis.

Nisi mihi persuaderem beatum patrem haec scribere diuitibus, auaris, et crudelibus, iurarem sane nihil aliud esse diuitias accumulare, quam perpetuos condere cruciatus in die irae furoris domini: ex his maxime quae sequuntur.

|5.3| Thesaurizatis uobis iram in nouissimis diebus.

Aurum (ait) uestrum, argentumque defossum humi contraxit aeruginem. At ea ipsa aerugo in testimonium uobis erit: hoc est, ipsa putrefacti apud uos argenti atque auri memoria uestras excruciat animas, carnesque uestras: carnes, inquam, illas tam molliter educatas ignis instar exedet. Exaggeratio haec est ad excitandum poenarum futurarum metum. uide autem aequissimam, Dei compensationem: nam qui in

praesenti uita opes, nulla habita ratione aequitatis, sibi comparant: hi etiam in futura Dei iram pariter cum diuitiis sibi reponunt: quae quidem compensatio neququam uidetur modo, uidebitur autem in extremis diebus, quando mors depascet eos. Tales profecto sunt thesauri diuitum illorum, qui usuris, incommodisque caeterorum aucti, furcam tandem sibi, posteris item suis perniciem asciscunt, ut nonnullos etiam nos iam senes uidimus. Thesaurizate (inquit Christus) thesauros in coelis, quos neque aerugo, neque tineae demoliuntur. Hi sane sunt thesauri filiorum Dei, quos diuites in fide supra appellauit uir sanctus. De caeteris uero illis, quorum uestimenta, aut gemmae, ne semel quidem in decennio solem uiderunt, sic scribit noster apostolus.

|5.4| Ecce merces operariorum qui messue-

[messuerunt]

{1555 p. 85}

-runt regiones uestras, quae fraudata est a uobis, clamat, et clamor eorum in aures domini sabaoth introiuit.

Est hoc peccatum de numero illorum, quae uociferantur ad dominum, et de quo sic cautum est in lege Mosis: Eadem die (inquit) reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum: ex eo sustentat animam suam: Laborem messium ponit pro omni genere operarum quae fiunt in agris, domi etiam apud ditiores, ut pote qui grauior sit caeteris. Quod si erga istiusmodi sudantes, atque in feruido illo aestu soleque puluerulento laborantes crudeles sunt diuites, qui erga alios erunt humaniores? Fraudastis, inquit, illos sua mercede, qua cum suam, tum filiorum sustentant uitam. Cor certe habent aeneum auari, si ad ista non commouentur. Quid crudelius unquam uel ab ipsis Cyclopibus expectari potuit? Clamant interdum pauperes, suaque fraudati mercede per triuia suam lamentantur sortem: siquidem oclusa est illis uia ad principes propter immanitatem sitim quin saturabilem aulicorum. Iudices uero ac magistratus, habita in primis ratione opulentiorum, aures habent plumbeas ad miserorum gemitus ac fletus. Verum enim uero ea ipsa impietas, ipsa inclementia, ipsa feritas horrendas ad Deum emittit uoces: qui, ut est perpetuus miserae turbae patronus, sic suum illis iam propheta pollicetur fauorem Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exurgam. Caeterum dominum sabaoth perinde est Latinis, atque dominum exercituum, hoc est, potentissimum. Ne putetis, inquit, pauperem destitutum esse penitus, habet enim potentissimum protectorem Deum, qui pauperum iniurias ad se pertinere uoluit. Vos tamen hisce auditis pariter et derisis,

{1555 p. 86}

|5.6| Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda uestra, ut in die occisionis.

Vos, ait, interim quod illi fame periclitabantur, lasciuiebatis, lauteque conuiuia frequentantes omni uoluptatum genere uestros saginabatis animos: id est, et corpore et animo toti in patinis eratis (hi sunt, ait, Iudas, in epulis suis maculae conuiuantes.)

Et hoc quidem tanquam in die, quo scilicet occiduntur uictimae, quo sane tempore festiuius solent esse dies, atque hilariores: Omnes, inquit, dies perinde curandis corporibus impendistis, quasi perpetuo dies festi essent, et geniales. Vos (malum) in die ipso, quo occidendus erat agnus umbratilis, occidistis uerum.

|5.6| Addixistis, et occidistis iustum, et non restitit uobis.

Vendidistis, mortique destinastis iustum: ita Addicere nonnunquam a Latinis usurpatur. Iustum porro ad Christum referunt: neque iniuria. Volens enim rei grauitatem ostendere in explicanda saeuitia diuitum erga pauperes, mortem domini IESU iusti interposuit: qua audita aequae esse intelligerent pauperem opprimere, et suo defraudare uictu, atque Christum occidere. Ergo qui pauperem negligit, illique mercedem sui sudoris aut negat, aut in longum protrahit, Christum occidit, atque iterum affigit cruci. Haec est finitio tanti Apostoli, axiomaque clarius quam quod obscurari debeat a solitis, uel res ipsas impartibiles tanquam atomos partiri, frustatimque concidere. Cum tam igitur horrendum scelus commiseritis, delitiis tamen ac uoluptatibus secure operam nauatis, cum uobis potius ob laesum Deum perpetuo lugendum esset: atque id magis ideo, quod tam potens dominus et iustus suas dissimulat iniurias:

{1555 p. 87}

neque etiam millies lacessitus resistit uobis: adhuc uos tolerat, fertque uestram prauitatem, ne dicam malignum animum, atque obstinatam in malis uoluntatem. At uobis parumper omissis, uos Christi pauperes alloquor.

|5.7| Patientes estote fratres usque ad aduentum domini.

Suadet patientiam, nempe certam futurorum bonorum, uitaeque promissae a Deo, expectationem afflictis laborantibusque sub onere crucis Christi. Non uos, ait, poeniteat sortis uestrae: neque illis praeterea, qui prospera abutentes fortuna, uos insectantur petulanterque derident, inuideatis. Adhuc paululum, et qui uenturus est ueniet. Tolerate itaque forti animo, confisique diuinis promissionibus, Dei aduentum, qui nequaquam procul est a foribus, expectate.

|5.7| Ecce agricola expectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens donec accipiat pluuiam temporaneam et serotinam.

Pulcherrimam affert similitudinem solertis agricolae, qui commendato terrae semine, quae ad augmentum frugum faciunt spe firma praestolatur: alioqui neque sereret, neque tot ferret labores, arando, stercorando, glebasque uomere toties uersando atque ad suscipiendum nouum semen aptando. Pulchram, inquam, similitudinem prudentis agricolae illi ipsi aptissimam, qui in campo spirituali excolendo sese exercet, inducit. Is multa in primis sibi proponat dura adeo atque aspera ferenda esse, ut pene intoleranda uideri possent, nisi compertissimum haberet illa omnia a coelesti patre

tanquam instrumenta ad subigendam fidei tellurem suis proponi: nam quae sunt agricolis et rastra, et uomeres, et ligones, et dentalia, atque id genus alia ad excolen-
[excolendos]

{1555 p. 88}

-dos agros necessaria, idem ferme sunt filii Dei in aruo dominico aerumnae, afflictiones, aduersitates, dura imperia, exilia, et mille aliae species mortis. Quarum sane rerum stimulo atque attritu expergefatae piorum mentes, dici non potest quanto cum oblectamento suas perficiant operas in fundo uirtutum haud interim animum a spe mercedis abiicientes. Eas quidem non praeterit in aduentu eam patris familias tutam certamque seruari. Quod si tardior, quam illorum fert desyderium fruendi optatis, uidebitur agricolae patientiam imitari ne pigeat, qui iacto semine tempus colligendae messis opportunum patientissime opperitur. Sic Deus opem fert suis opportune: nam nihil temere agit tanta maiestas, nihil praepropere, nihil summa absque ratione atque ordine: utpote qui cuncta in pondere et mensura sapientissima collibrat prouidentia. Habet quidem crux suum tempus, habet et suum gloria: tantum qui in istiusmodi descenderunt harenam animum in ferendis aduersis non despondeant. Caeterum pluuiam temporaneam pluuiam intelligit illam primam, quae sementem statim sequitur et comitatur serotinam autem quae postea, ut grandescant fruges, et maturescant. Ita sunt dona Dei, quae sua conceduntur maturitate: tantum abest ut quicquam praecox a felicissima illa uitae arbore decerpi possit.

|5.8| Patientes igitur estote et uos, et confirmate corda uestra, quoniam aduentus domini appropinquauit.

Ne sitis, inquit, animo meticuloso, et ancipiti interim quod ueniat dominus. En prope est, fertque secum praemium illud uobis ab orbe condito praeparatum, a uobisque tanto calore fidei tum optatum, tum spe solida iam repertum. Latetne uos eum in Deo esse morem erga suos, ut tum quidem nec opinato appareat, cum res prorsus

{1555 p. 89}

deploratae uidentur? preciosum fructum uocat fructum (ita sunt ut plurimum res preciosae) et carum et gratum, quique multo redeat foenore ad agricolas.

|5.9| Nolite ingemiscere fratres alius aduersus alium, ut non condemnemini.

Maxima hi sunt digni reprehensione, qui moram in Deo ad ferendas suis suppetias accusant. Hi quidem, si quid durum emerit et calamitosum, se statim infelices clamitant, queruntur, atque aliis qui mitius habent inuident, eosque fortunatos existimant. Hinc porro querimoniae, hinc suspiria, hinc plusquam foeminei audiuntur eiulatus et gemitus: quae sane omnia indicia sunt impatientis nimium animi, deque spe futurorum plane incerti. Haec igitur summa est eorum prope, quae ad afflictorum

consolationem a sene sancto audiuius adducta et ut efficacius, quae dixit illorum insiderent animis, atque ad meliora erigerent, de aduentu domini nonnulla replicat.

|5.9| Ecce, ait, iudex ante ianuam assistit.

Iam uos, inquit, temporis breuitas, certitudo praemii, iudicisque qui iam pulsat ostium beneuolentia consolari debent, Nihil certe quod momentaneum sit terrere uos debet. Manet autem uestra in coelis dignitas, manet gloria, manet immortalitas, quae nulli huiusmodi obnoxia est miseriae.

|5.10| Exemplum accipite fratres mei laboris et patientiae prophetas, qui loquuti sunt in nomine domini.

Confirmat illorum animos exemplo ueterum, qui nullo metu, iniuriisque tyrannorum nullis exterrefacti, Dei iussiones impauide diuulgarunt. Id fere est quod dicere uult apostolus, cum ait, illos locutos fuisse in nomine

{1555 p. 90}

domini: hoc est, a Deo missos. Vide argumentum: Si legati Deo carissimi tam immaniter habiti sunt a mundo, ut scitis: quid uos ne serui quidem extremi, tam impatienter illius iras, uobis nimirum: debitas, toleratis? Non uos igitur soli neque tam acerba, neque tam diuturna perpessi estis. Duriora quidem pertulerunt prophetae, homines certe illi, sed qui terrores mundi fortissime contempserunt. Saepe, ait sponsa, expugnauerunt me a iuuentute mea: supra dorsum meum arauerunt aratores, prolongauerunt sulcos suos, Vide mysterium crucis etiam ab ipso primo rerum exordio a sanctis patribus cum cognitum, tum immensa animi alacritate frequentatum. Nos uero ignaui nihil tam horremus in uita, quam Christi crucem ab omnibus (malum) iam pro fabula habitam, et irrisam. Et tamen

|5.11| Beatificamus eos, qui sustinuerunt.

Ea est probitatis natura, ut ab improbis quoque laudari soleat. Unde cernimus contaminatissimos etiam homines, et libidinosos, laudare in aliis temperantiam et continentiam. Virtus tamen ac probitas etiam sine laudatore laudabili est, dignaque cum amari, tum tacita quadam admiratione et suspici et honorari. Si veteres, inquit, illi praecones Dei, ac uates, tam saeua perpessi sunt a tyrannis, non est cur uos uestram execremini sortem tanquam insolitam, ac nouam filiis Dei: cum maxime sic male habitos non miseros illos quidem, aut a Deo desertos censi fas sit: sed beatos etiam in terris, sed felices, sed ipsissima electionis uasa, atque misericordiae. At uero quo unum tandem, aliis omissis, antiquissimum praeclarissimumque patientiae exemplum in medium afferamus. Sufferentiam Iob audistis et finem domi-

|5.11| Sufferentiam Iob audistis et finem domi-

[domini]

{1555 p. 91}

-ni uidistis, quoniam misericors dominus est, et miserator.

Putant nonnulli, finem hic domini ad Christum referri, quem pater post crucis ignominiam gloriosum effecit. Alii, quos in hac parte sequor, totam hanc dictionem de Iob dici ad hunc fere modum opinantur. Audistis a patribus nobilissimum patientiae exemplum in Iob, quam immensam scilicet malorum struem pertulerit impauide, praeterque naturam humanae conditionis. Contra etiam spectastis tanquam in uulgatissimo theatro quem illi finem calamitatum dederit dominus, nempe celeberrimum nomen, rerumque omnium, quarum iacturam patientissime tulerat, multiplicationem, honoratissimamque, compensationem. Nam (ut legimus) dominus benedixit nouissimis Iob magis, quam principio eius. Causa uero? quia misericors est, et miserator: hoc est, infinitum in modum est misericors. Nullo certe terminatur fine Dei misericordia. Quod autem homo natura caducus et fragilis, sexcentis die una expositus sit infortuniis, id corruptae illius conditioni adscribi potest: quod uero post infortunia nanciscatur felicitatem, finisque illius miseriarum sit gloria, istuc opus humanam excedit uirtutem. Ergo Dei id totum esto, quicquid praeter naturam sit excellens et salutare in homine. Quare a uenerando sene est dictum, Vidisti finem domini.

|5.12| Ante omnia autem fratres mei nolite iurare neque per coelum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo uester. Est est, Non non: ut non sub iudicium decidatis.

{1555 p. 92}

Artuatim (ut sic dicam) suam exponit doctrinam uir sanctus. Vetat inter caetera iuramentum, ne ex usu longo et frequenti peierandum sit. Sic Christus, Sit sermo uester est est, non non: hoc est, Tuum est, sit est: Tuum non, sit non. Certe iustitia Pharisaeorum erat non peierare, Christianorum uero non iurare. Quod si tamen actis necessitate iurare libet, ut olim iurauerunt prophetae et apostoli, uel in primis Paulus, eo quo permisit Deus modo in Hieremiae uaticiniis iurandum erit. Iurabis (ait) uiuit dominus, in ueritate, in iudicio, in iustitia. Haec forma debet seruari apud iudices praesertim ne tam audacter, ut nunc fit, a quacunque hominum faece tam sacrum opus exigant, tormentisque et minis, extorqueant. Iurabis (inquit) in ueritate: hoc est, quo ueritas appareat et firmetur in iudicio: non temere et ubique, sed prius considerata rei necessitate et grauitate. Caeterum in iustitia, ut pro aequo, et iusto, honestoque iures. Verum iuramentis, ut monet Ecclesiastes, non assuefacias os tuum, ne sub iudicium (condemnationem intelligit) decidas. Quanquam sacrosanctum semper habitum fuit a patribus iusiurandum, quo uiolato maximae irrogabantur poenae uiolatoribus: tamen hunc morem, sanctissimum sane ac uenerandum nostris e tribunalibus pridem excessisse quis non uidet? Eam ob rem illud accidere necessario uidemus, ut tantundem iam credas iurato quantum iniurato: adeo frequentiam istiusmodi turpis usus assuendi in leuissimis quoque rebus iuramenti totum fere orbem occupasse tum cernimus, tum a nostratibus tam ferum monstrum tolerari sane

quam querimur. Addit praeterea senex sanctus, Ne que per coelum, neque per terram: ne uidelicet quidpiam illis diuinitatis tribueretur: nam per maiorem se iurare homines consuescunt. Ad haec erant inter Iudaeos, non solum inter Aegyptios et Chaldaeos, a quibus omnibus

{1555 p. 93}

non paruam uim superstitionum hauserant Iudaei, qui coelorum lumina colerent, illisque tanquam diis supplicarent. Hos obiter sapientissimus senex a nefario illo cultu ac religione remouet: nihilque aliud in uerbis illis intelligi uult, Est est, Non non: quam si quid confirmant, ex animo (nihil aliud addendo) confirmant. Si quid negant, ex animo negent: nec aliud, quam quod ore proferunt, in corde habeant. Quod uitium, moremque nefandum, simulationis nomine designant expositores. Quare quibusdam placuit, Ne in iudicium decidatis, ne in iudicium simulationis incidatis, interpretari, atque ex Graeco transferre. Utrunque apostolico candori seruire arbitror. Iam in sequentibus aperto iam ulceri, morboque fere omnium detecto medelam tanquam eruditissimus medicus his adhibet uerbis.

|5.13| Affligitur aliquis uestrum, oret: aequo animo est aliquis, psallat.

Admouet, ut dixi, medelam morbo maxime consentaneam. Si inter uos, ait, sit qui a mala exagitetur fortuna, atque imparem se diris aduersitatum ictibus sentiat, suffugium habet orationis praesentaneum ac tutum. Liber est, aut aequo robustoque animo res duras tolerat, ne insolescat, sibique quod est Dei proprium arroget: unde hymnis panegyricisque Christiano uiro dignis Deo (id psallere est) ob liberationem immunitatemque a malis gratias agat.

|5.14-15| Infirmatur quis in uobis: inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini: et oratio fidei seruabit infirmum, et alleuiabit eum dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.

{1555 p. 94}

Institutum illud extremum ungenti morientes ex hoc loco sumpsisse uidetur Ecclesia, ut fere omnes tractatores sacramentorum huc spectant, sumpta tamen autoritate a Christo, ut in Marci euangelio est uidere. Quid autem prae se ferat mysterii unctio illa, sic scribit Augustinus: Ipsa olei sacri delibutione spiritus sancti typica unctio intelligitur: quam sane rem, ac sensum, ante omnia non nescire opus est aegrotum cui tale adhibetur ministerium: quo intelligat quanta cum fiducia exire debeat ex hoc mundo, quippe cui inter manus, orationesque astantium praesente spiritu sancto, cuius ope seruari debet, e corpore demigrandum sit. En quam laetandum sit illi, cuius mors tam dignis fulcitur ministris: fide nimirum, seniorum sanctorum ministerio, orationibusque a fide profectis, ac consolatore illo tam necessario, ac tutore spiritu Christi, cuius praesentiam, ueneranda ea unctio adesse significat. Infirmaturne (ait) aliquis ex uobis? Audite legatum Dei quid hac de re sentiat. Seniores primum fideles, ac sacerdotes accersat: non dico sacerdotes Babylonios, aut Magos, aut astrologos, aut

diuinatores, qui uel ipsis mundi regnatoribus imponere consueuerunt: sed Dei, suaeque sanctae Ecclesiae sacerdotes: qui cum pudicis ornati sint moribus ac sanctimonia, Deum orent pro aegritudine affecto. Atqui (ne dubitetis) oratio fide nixa seruabit infirmum quamuis grauiter laborantem. Neque id porro solum (tanta uis est fidei) uerumetiam condonabuntur aegroto si quae unquam admiserit peccata: modo non desit fides, condimentum utique cum orationum, tum caeterarum rerum omnium, quibus pietas religionis sustentatur. Magna profecto uis est orationis ad Deum assiduae, magna sacramentorum, si fide ea qua conuenit quis imbuatur. Haud solum enim corpora (si sic expediat aegroto) a morbis, sed et animas a peccatis istiusmodi reme-

[remediis]

{1555 p. 95}

-diis subleuari affirmat. Verum totum istud negocium coniunctae fidei preces in sacramentis perficiunt, Nam talibus (ut sic dicam) incitamentis placatus pater, spiritum filii sui ad nos, quamuis scelestos ac profugos, tum mittit, tum suum in nobis habere domicilium immo regnum, dominatumque, et imperium, ne in nobis regnet peccatum, et iubet et uult. Quae omnia cunctae illae actiones ac ministeria, quae in distribuendis fieri sacramentis cernimus, occultissimum in modum prae se ferunt. Alioqui leuiter et temere ad sacramenta accipienda se se quempiam insinuare, aut in ipsis impartendis conficiendisque indoctos, uitae ue qualitate cum sordidos tum infames promouere: censendum est, neque illos qui imbuuntur, neque qui imbuunt antiquam ueterum seruare institutionem ac legem: qua nimirum cauetur, ne quis pollutus in sacramentis pertractandis se se immisceat. Pura omnia uult esse Deus suo in obsequio. Sed de iis satis: pene commentariorum legem oblitus longius forsitan quam par fuit diuagatus sum: quare unde digressa fuit reuertatur oratio.

|5.16| Confitemini alterutrum peccata uestra, et pro uobis orate inuicem, ut saluemini: multum enim ualet deprecatio iusti efficax.

Quo, inquit, penetrantior fiat oratio fidei, danda est opera, ut quilibet infirmitatem indigentiamque agnoscens suam, caeteris benignus sit cadentibus, nec a mutua iniuriarum confessione ac uenia abhorreat. Alter igitur alteri acceptas remittat iniurias. Sentit hic de quotidianis offensionibus Christianorum inter ipsos, quos uult mutuo in gratiam redire, et est perinde quasi diceret: Reconciliamini inuicem, noxasque mutuas fatemini, uicissimque condonate, orateque mutuo ut sanemini: nam uberrimum affert fructum uiri iusti oratio tum assi-

[assidua]

{1555 p. 96}

-dua, tum efficax. Sane huius loci expositionem non sum ueritus ponere, fultus sane, ac tectus omnium fere ueterum expositorum et umbra et autoritate. Caeterum de confessione illa, qua nos utimur, quam maximi certe momenti et necessarii, praeter hanc, alias etiam habet diffinitiones Ecclesia et firmas et tutas. Per me stet licet suo in

robore tam necessarium nostrae corruptae naturae remedium. Et certe non est tam profligatae uitae quispiam ac deploratae, qui non experiatur (si uerum fateri uelit) quanto onere, quantaue mole ac sarcina se liberum sentiat et expeditum, si oblatam istius generis medelam eo, quo conuenit modo, fide scilicet rata, poenitentiaque illa, quae a pertrito corde, ac conscientia afflicta, atque in ara crucis combusta proficiscitur, non aspernatur. Ac in primis fucum sibi fieri a se ipso non sinat ullum, fingatque se prorsus mundatum, si consuetudinem solum, neque aliud praeterea, respexerit. Consuetudini quidem parendum est, modo quae comitari debent consuetudinem non desyderentur.

|5.17-18| Helias homo erat similis nobis passibilis, et oratione orauit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursus orauit, et coelum dedit pluuiam, et terra dedit fructum suum.

Adducit in causa orationis, quae suis perfecta sit numeris, sanctissimi prophetae exemplum: qui orando tam potens fuit, ut pene Deum ipsum, alioquin iratum iuxta, et propter peccata tum Regis tum populi irritatum, sibi obtemperare coegerit. Helias, inquit, homo erat mortalis, nostri similis, uariis scilicet obnoxius miseris ut nos: attamen oratione coelum, ne dicam coelorum machinatorem, ita subegit, ut pluuiam quando uoluit

{1555 p. 97}

cohibuerit, quando item uoluit attulerit. Quod primum inedia laborauerit tantus uates illud indicio fuit, quod a uidua in Sareptha, cui uix pugillus farinae paulumque olei in lecyto domi asseruabatur, pastus fuit. Quid illud maximae imbecillitatis signum? A minis, ut sacri referunt annales, Iezabelis exterrefactus aufugit, abiitque quocumque eum ferebat uoluntas. Ita igitur erat Helias charissimus tamen Deo et gratus. Dicit apostolus noster quantum ualeat atque impetret a Deo precatio hominis fidelis. Si piis itaque unius uiri uotis coelum quasi incantatum dicto parens fuit: mirumne uideri debet Deum multorum sanctorum hominum precibus iri placatum? At illud consyderandum: permagnum id quidem esse, siquis communibus multorum precibus a morbo aliquo corporeo membrorum leuetur: uerum illud maximum omnium planeque diuinum, si animi morbo succurratur. Quare commodum intulit:

|5.19-20| Fratres mei, si quis errauerit a ueritate: et conuerterit quis eum, scire debet, quod qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiae suae, saluabit animam suam a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

Si quem ex uestro coetu, inquit, ab itinere iustitiae, a lege Dei, a Christoque deerrare contigerit: fidumque aliquem Dei ministrum, qui se moneat, atque ad omissam bene uiuendi semitam reducat, inuenerit: non solum ipse qui monitus est a morte seruabitur aeterna: uerumetiam ille qui monuit: in hoc sane functus Dei natura, cuius proprium est seruare, coelum ipsum demerebitur: hoc est, actu ipso charitatis raro, atque apud proceres mundi ac uultuosos insolito, cumulum quamuis immensum atque enormem peccatorum teget: et, ne amplius a Deo, quae in hac parte imitatus est, imputentur, ueste operiet stragula.

FINIS.

GB Folengo, Commentary on 1 Peter, 1555

{1555 p. 98}

**IN PRIMAM DIVI PETRI EPISTOLAM IO. BAPTISTAE FOLENGII
COMMENTARIUM.**

**|1 Peter 1.1-2| PETRVS Apostolus IESU Christi electis aduenis dispersionis
Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae secundum praescientiam
Dei patris in sanctificationem spiritus in obedientiam et aspersionem
sanguinis IESU Christi, gratia uobis et pax multiplicetur.**

EANDEM omnino casam diuum Petrum ad praesentem scribendam epistolam
impulisse arbitror, quae et diuum Iacobum impulit: ut Iudaeos nimirum, qui finitimas
oras acti a tyrannis iam rerum fessi peragrabant, ad conseruandam animi uirtutem in
aduersis hortaretur, simulatque compertum illis esse poterat signis euidetissimis se
in electorum numerum per spiritus Dei uirtutem cooptatos esse.

Et certe sine huius afflatu, ac medio, tota salutis nostrae ratio dubia esset, et incerta.
Quare danda est opera ne ipsum spiritum, ut admonet Paulus, extinguamus. Vis
quaedam diuina est atque

{1555 p. 99}

energeia [Gk: ἐνέργεια], qua suas exequente partes in nobis certi reddimur quod
sumus filii Dei, quod est pignus futurae uitae cum Deo certissimum ac tutum. Tunc
quidem pax illa (de qua sic Petrus in ipso epistolae exordio, Gratia uobis et pax
multiplicetur) etiam atque etiam Indies magis, ut solent in bene culto agro segetes,
augescit, foelicissimeque propagatur.

Verum quoniam id Dei donum est, praecipuum illud quidem et rarum, huic nomen
gratiae praeponitur a sancto sene: quo nimirum asserere non uereamur, quicquid in
nobis. bonorum coelestium inesse sentimus, id plane totum spiritui Christi referri
acceptum debere.

Id sentit Petrus in tota ferme hac epistola: quam uerecunde exercitationis gratia cum
libenter, tum spe fructus haud mediocris mei frigidi ingenii, ne dicam caeterorum,
interpretari meditor. Ecquam (oro) exercitationem aliam? quem laborem alium tam
gratum Deo, atque adeo uel illis qui scribunt, uel his qui legunt aliorum scripta
indifferenter, sumere unquam potui, quam illos ipsos mei animi conceptus iam
tandem senex mandare literis, quos a castissimis eruditissimisque sanctorum patrum
seminariis, plantariisque Dei manu consitis, uel inde a puero excerpere didici?
Nunquam enim tam stolidi fui ingenii ac iudicii, quin curas mundi, atque ea omnia
quibus fulcitur ambitio, rebus seriis postponenda duxerim: illaque, quorum praesidio
bene colitur animus, mensque in Deum fertur, et libentissime curauerim, et cunctis
humanarum rerum ambagibus praeposuerim.

Ocium quidem graui homine dignum etiam puer semper optaui: eaque omnia, ut potui, sectatus sum, quae in grandiori postea aetate mihi usui fore non ignorabam. Aiunt patres, ingenium humanum molam quandam esse trusatilem, quae perpetuo se uoluens gyro indifferenter quicquid subieceris terit. Quare maximo elaborandum est studio, ne

{1555 p. 100}

mens ad commolendas res serias a Deo condita naturae humanae tanquam mola catillo imposita, aut lentem, aut uiciam, aut eruum pro tritico molat: assuescatque ad habitus illos informes ac turpes, quos diutino quodam usu et consuetudine in animo formatos, fixosque tenacius, quam ut facile refigi possint, uixdum cum uita hominis finiri cernimus. Adeo fit tenax plerunque mos inueteratus. Insunt enim in anima motus quidam ac stimuli, concitatissimi illi quidem, atque ad appetentias illam uarias incitantes, impellentesque ui quadam naturae afflictae in quaeuis interdum neque honesta, neque digna homine, animanti scilicet omnium nobilissimo, quique ratione suauitateque magis duci soleat, quam naturae impulsu atque impetu raptari, qui mos ferarum est, atque hominum illorum, qui cum longo usu in libidinibus iam plane attriti consenuerint, in ferarum naturam cum moribus ipsis exteris, tum animo, mente, ratione, legeque ipsa tota humanitatis translati sunt.

Stellae hi sunt (ut ait alius Apostolus) erraticae, quibus caligo tenebrarum in aeternum seruata est. Hisce itaque atque simillimis illorum penitus omissis, ad illos, quibus haec diuina scripta est epistola, nostra sit concio, atque interpretatio. Tertullianus in libro de proscriptionibus haereticorum sic inter caetera argute docteque eo in libro relicta posteris edisserit. Nobis nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed ne eligere quidem quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos habemus, qui nec ipsi de suo arbitrio quicquam quod inducerent elegerunt: sed acceptam a Christo disciplinam nationibus assignarunt. Ita sane ab apostolo nostro hac in epistola, nisi prorsus hebetes simus, seruatum cernimus. Petrus (inquit) apostolus Christi: quod aequae est, atque si ita dixisset, Legatus sum Christi: quare non mea, sed ipsius mittentis uerba re-

[referre]

{1555 p. 101}

-ferre uolo. Ecquid ergo aliud a fidelissimo tanti principis oratore audire opinamini, quam uera, solida, uestramque salutem tractantia? Quis (oro) Dei legatum non libenter audiret? Audite itaque quae per me loquitur Deus, qui iccirco me atque mei similes publicos ad omnes destinauit legatos, quo omnes seruet, quoque sibi iam inde a prima rerum conditarum origine profugos ac rebelles offensus reconciliet, ditetque suis bonis aeternis in coelis pro iniuriis acceptis: atque ex hostibus, et illis quidem antiquis, et plane inexorabilibus, amicos, quid amicos? filios inquam efficiat charissimos ac se dignos. At uobis interim peculiariter electis, uerae scilicet consecratis religioni, quique dispersi fugatique a tyrannis, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiamque et Bithyniam, tanquam oues errantes peragratis, gratia abunde sit, ac Pax. Nihil profecto non copiosum a Deo prodire potest, cum sit infinitae ipse naturae, inexhaustaeque benignitatis et potentiae. Oceanus quidam gratiarum est

Deus, a quo bonorum omnium ad nos deriuantur scaturigines: siquidem de illius plenitudine nos omnes accipimus. Caeterum uerba illa [secundum praescientiam Dei patris] ad electos referri arbitror: quo electionem huiuscemodi qua quis fit dignus qui cum Christo affligi in hoc mundo e caeteris eligatur, iuxta Dei consilium esse ac decretum non ambigamus. Haud paruus quidem is Dei est fauor, quempiam posse pro illius religione odio haberi a mundo, uexari, bonisque priuari, ac demum uita. Propterea a sancto uiro est dictum, Secundum praescientiam Dei patris: hoc est, Vestra omnino electio non temeraria quidem fuit, aut inconsulto, casu'ue inopinato contigit: sed sapienter a Deo sapientissimo ordinata, proprioque illius consilio, legeque aeterna, ac decreto sancita: tantum abest, ut uestra ulla intercesserint merita. Verum quo fine? quauae

{1555 p. 102}

id actum est ratione? Nempe illa, quo spiritus sancti: afflatu sancti et ipsi efficiamini: atque ommissa naturae humanae persuasione, quae nimium debilis est ac uaria, diuinis obtemperetis monitis, uitamque adeo a peccati contagione liberam inculpateque uiuatis, ut sacrosanctae aspersionis sanguinis Christi (ita finis effectusque mortis Christi appellari solet, quo delibutae animae in eam transeunt formam, et pulchritudinem ut deiformes reddantur) suauissimum sentiatis effectum: remissionem utique peccatorum, quae est arrha uitae aeternae cum Deo: quae sane omnia per sancti Spiritus effusionem sanctificationemque gratis a Deo obtinentur. Ad morem antiquum legis alludit Petrus, qua cautum erat, ne sacrificia nisi prius conspersa sanguine perficerentur. [Gloss: Exod. 24] Sic Moses, postquam audiuit populum clamantem omnia quae loquutus est dominus faciemus, et erimus obedientes, sumptum sanguinem respersit in populum, et ait, Hic est sanguis foederis. Sic Paulus Hebraeis scribens, lecto omni mandato legis a Mose uniuerso populo accipiens sanguinem uitulorum, et hircorum cum aqua, et lana coccinea, et hysopo ipsum quoque librum et omnem populum aspersionemque dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandauit uobis Deus. Et concludit Paulus omnia ferme in sanguine secundum legem mundari: nam sine sanguinis effusione non erat remissio. Atqui haec omnia cruentam Christi mortem portendebant: cuius uirtute orbis terrarum quantumuis contaminatus mundandus esset. O beatus sanguis, clamat Rudolphus monachus, cuius aspersione lepra nostra, nempe peccatum, mundatur: cuius tactu mortui (haec est innouatio uitae) exsuscitantur. quam sane gratiam beneficiumque diuinissimum uates alius praeuidens clamabat, [Gloss: Ezech. 47] Sanabuntur et uiuent omnia ad quem ueniet torrens. Sed de his satis.

{1555 p. 103}

| 1 Peter 1.2 | Gratia uobis et pax multiplicetur.

Gratia est Dei fauor: Pax, quies conscientiae, atque de illis quae fides exigit uera notitia. Sic Christus, Haec loquutus sum uobis ut in me pacem habeatis. Ob id sane uenit Dei filius in mundum, suamque sparsim edocuit legem, ut tuti essemus in illo: qui quoniam non eramus soluendo, praes factus pro nobis, debita illa omnia

liberalissime persoluit, de quibus sic legimus, precamurque ab ipso edocti Deo, Dimitte nobis debita nostra, quae peccata esse non dubitamus. Crescat, inquit, indies magis inter uos Dei fauor, crescat amor mutuus, crescat tranquillitas mentis, qua sane habita tota coelestis fit anima, planeque diuina, ac tuta in Deo. Quare,

[1 Peter 1.3] Benedictus Deus et pater domini nostri IESU Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem uiuam, per resurrectionem IESU Christi ex mortuis.

Dicturus quidem Petrus de grauissimis mysteriis redemptionis nostrae, a laude gratiarumque actione orditur, Deus nomen est naturae, Pater personae: sed et Deum Christi iuxta humanitatem assumptam, patrem uero iuxta diuinitatem illi cum patre ipso aeternam esse censemus: cuius quidem et nos etiam filii (ut inquit Ioannes) dicimur et sumus, ut omnia nostra sint, ut ait Paulus: nos Christi, Christus autem Dei. Laudibus igitur efferendus est Deus non Moses, aliusue quispiam ex antiquis in Dei religione celebris, sanctitateque insignis. Deus itaque ille, quem domini nostri IESU Christi et patrem et Deum esse fatemur, sit semper laudandus. Causas uero quamobrem laudandus sit aperit. Sua, inquit, ipsius propria, et ea quidem immensa mo-

[motus]

{1555 p. 104}

-tus actusque misericordia, non nostris meritis, quae nulla erant, nos male ortos ex Adae lapsu regenuit. Qui enim peccato, atque adeo morti aeternae nati eramus per Adae praeuaricationem et lapsum, mox per benignitatem amplamque (nam parci immeritis) aeterni patris clementiam regenerati sumus ad Christi uitam: cuius merito atque ope iam Deo uiuere incipimus. Hic primum nos nostrae miseriae, quo diuitias spiritus non ignoremus, admonet. Ex Adam quippe ortus nos calamitosos, planeque mortuos effecit ex Deo uero uitae filios ac salutis. Spem uiuam, Hebraea est dialectos, quae prae se fert spem uitae. Atqui nondum apparet, ut inquit Ioannes, quod erimus: cum autem apparuerit uita nostra, tunc similes ei erimus. Spe quidem aluntur animae ad Deum, uiuuntque in illo: qui non solum uiuidam, ut sic loquar, mortuis restituit uitam, uerum etiam sementem in nobis admirabilem quandam inseuit, qua nescio quid magnum praeclarumque expectare audemus, quod est uita animae, qui Deus est ipse. Unde haud frustra spes hic uiua a diuino hoc interprete nuncupatur: utpote quae animam res uiuas, ueras, solidas, aeternasque sperantem uita ea enutriat, quae sola uera uita est, abscondita interim in Deo cum Christo. At uero quisnam huiusce modus est reconciliationis regenerationisque ac uitae? Resurrectio. Nam quemadmodum ipse Dei filius obruncata peccati tyrannide, morteque peccati stimulo superata resurrexit a mortuis: ita et nos ad uitae innouationem resurgere post lapsum peropus erit. Alioqui parui omnino fuisset momenti, peccata nobis remissa esse a Deo, nisi et nouam simul assumeremus uiuendi formam. Ecquae anima tam dura est, quae Christum cogitans per mortem spolia omnia deposuisse humanae infirmitatis, uicisse peccatum, ac mundum plane attriuisse, demumque e tumulto illo nouo in quo non-

[nondum]

{1555 p. 105}

-dum quis positus fuerat, ad gloriam patris resurrexisse, non idem agere contendat, coneturque mori scilicet mundo, mori peccato, mori sensibus hisce brutis ac carni omnino, atque subinde uitam amplecti nouam, quod est ueterem uietumque exuisse hominem, per plaga discerpti pueri IESU transiisse, atque antiquum deposuisse corticem, hoc est, nouam fieri creaturam in Deo? Ita nimirum quaedam in nobis oritur uis ac robur, quo in rem illam, quae a fide ostenditur, tendimus: ferimurque in eundem ipsum bonorum coelestium datorem Deum. Vis itaque huiusmodi spes uiua dicitur a Petro, spes uitae, spes certa adipiscendi desiderata, et spes tandem illa de qua sic Paulus, spe salui facti sumus. Spes autem Iudaeorum spes fuit uanida et mortua: quandoquidem terrena solummodo sperare didicerant et caduca: nec magis porro uiua est nunc spes hypocritarum et gloria, quam instar puncti (addo et atomi indiuisibilis) esse legimus, continuisque experimur exemplis: nostra uero animosissime fertur.

| 1 Peter 1.4 | In haereditatem incorruptibilem et incontaminatam.

Nobis utique promissam a Deo: iccirco certam, aeternam, uiuam, et quam minime praestare potest mundus, uetusque lex, ac Moses: cum quidem coelestis sit, circaque aeterna uersetur atque immortalia, corruptioni obnoxia est nulli. Quare incontaminatam appellat illam Petrus: pulchre sane, nam nemo inquinatus ingreditur. Quocirca non iniuria percontatur Dauid Deum ad hunc modum: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Respondet Deus: Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam. Quae est perfecta animarum iustificatio, Innocuum scilicet, atque a peccatis abhorrentem innouari per iustitiam fidei in Deo.

{1555 p. 106}

| 1 Peter 1.4 | Immarcescibilem.

Metaphora haec sumpta est a floribus, qui euulsi a culmo tenero commarcescunt illico, atque intermoriuntur. Et certe mundi huius facies flos est ac gramen, ut alius ait apostolus, ad modicum apparens. In supernis autem, in quibus tota est posita spes electorum, nullum senium, nullus situs et squalor, sed omnia lucida, perfecta, uiuida, aeterna.

| 1 Peter 1.4 | Conseruatam in coelis in uobis.

Magnae profecto est Dei beneuolentiae signum qui, quemadmodum solent ueri parentes erga filios, iam inde a primis rerum exordiis promissam conseruat haereditatem in nobis: hoc est, spe firma nutritur in cordibus nostris (et si in coelis sit) haereditas: quae tamen omnia a Dei benignitate proficiscuntur. Et spes itaque, et haereditas, et quicquid bonorum ad nos e caelis prouenit, id totum Dei esto. Unde non absque causa doctissimus intulit apostolus,

|1 Peter 1.5| Qui in uirtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo.

Alia significatio diuini amoris. Non solum quidam iam dudum nobis pollicitam conseruat haereditatem illaesam, uerum etiam haeredes ipsos: idque agit in primis tam benignus dominus, ne illa tandiu sperata expectataque fraudemur. Verum quonam uallo? qua fossa? quo tandem nos custodit propugnaculo? fide nimirum, cuius finis est salus: nam haec est uictoria quae uincit mundum. Hic humanum deprimitur supercilium a Petro cum ait, Paratam, a Deo scilicet: cum sane paratam audis, illius donum, non tuum meritum cogita. Caeterum animo imperterrito ac sensu expectandum est tempus,

{1555 p. 107}

in quo pater post finem luctae, omnia quae ab aeterno parauit, seruauitque in coelis, his omnibus qui diligunt aduentum eius donare instituit. Non est hic locus neque praemio, neque triumpho: sed luctae, sed sudori, sed pugnae. Satis proinde sit nobis, quod tuto nostra seruantur bona in coelis, statque immobilis Dei sententia proferendi praemii in tempore, ut illud appellat Petrus, nouissimo: quod quidem illud esse existimo, cum primum e uiuis excesserimus, seu cum nouissimus destruetur hostis, nempe mors, eritque finis uniuersi.

|1 Peter 1.6| In quo exultabitis modicum nunc si opus erit contristari ob uarias tentationes.

Fieri neutiquam potest, quin sponsa quandiu in tentoriis habitat Aegypti, notas quasdam obscuras ac maculas uel inuita contrahat, queraturque saepenumero se ab aestu solis decolorari, cogique solitis intermissis cum sponso colloquiis ad illa cogitanda quae nollet. Verum breuis ea est temporis iniuria (quid multum in uita hac mortali ac longum dici potest?) breuis afflictio, breuis incolatus, quo inter illos qui oderunt pacem diuersari coguntur electi. Quare ea quae hic sanctissimo dicuntur apostolo, ne parum quidem nobis excidant. Maximopere, inquit, uobis exultandum est, imo ut uerius dicam, iam ex hac facta uobis promissione exultatis: nam uobis certa parata est salus, et conseruata in coelis, nedum promissa. At qui (obsecro) exultare unquam poteritis, exclusa a uobis adipiscendi quae sunt promissa a Deo fiducia ac spe? Nondum (fateor) reuelatum est bonum nostrum: latet etiamnum salus nostra in Deo, quam tamen certissima praestolamur fide: iamque stantes sunt pedes nostri in atriis tutissimis Hierusalem. Interim uero si necesse fuerit pro Christo affligi, breuis certe ea erit molestia, breue praelium, breue

{1555 p. 108}

periculum. Iniuriae quidem mundi quamuis amarae sint, ac si lubet diuturnae, finem tandem habent. Ergo si res ipsa exigit, ut toleranda sint aduersa, duremus: breui enim terminabuntur. Ad hoc quidem a piissimo patre nostro Deo inferuntur,

|1 Peter 1.7| Ut probatio fidei uestrae multo preciosior auro (quod perit, et probatur per ignem) reperiatur in laudem et honorem, et gloriam tum cum reuelabitur IESUS Christus.

Pressuris, inquit, atque aerumnis expositi a Deo estis, quo fides uestra, per afflictiones molestiasque prope infinitas explorata, multo nitidior preciosiorque appareat auro re nimirum, ut caetera sunt mundi, et pereunte, et caduca: quod tamen in igne probatur, multisque exploratur experimentis. Inueniaturque uestram in laudem et gloriam cessisse quod hic illatum uidetur ad dedecus atque ignominiam. Aurum certe in ignem coniectum ab aurifice uidetur perire et consumi: non perit tamen, imo lucidius fit ac defaecatius. Sic fides in aestu feruido tentationum uiuacior redditur ac purior, et si secus non nunquam uidetur: ut pene idem uidere licet in lucerna cum emungitur: pressa enim forcipe intermori uidetur, emuncta uero clariorem ostendit lucem.

|1 Peter 1.7| Cum reuelabitur IESUS Christus.

Omnes fere expositores de iudicii die istiusmodi reuelationem interpretantur. Cum, inquit, uenerit Dei filius in maiestate sua, manifestabitque consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo: iccirco dictum esse a sanctissimo sene, ut inueniatur in laudem, et gloriam, et honorem, cum reuelabitur IESUS Christus. Alii autem ad illum intelligunt modum, quo Paulus Corinthios monuit diem domini ostensurum cuiusmodi fu-

[futurum]

{1555 p. 109}

-turum opus esset hominum quorumlibet. In igne, inquit, reuelabitur. Agit hoc persecutionum flamma, ut facile quale uniuscuiusque sit opus reuelet. Diem hunc appellat Paulus diem domini, quamque domini dictio superest Graecis. In reuelatione igitur IESU Christi, accipiunt ad hunc fere modum ut dominus IESU dicatur reuelari, seque suis manifestari cum immittit tentationes ac molestias: tunc sane quidem cuius sint temperamenti dant specimen, in illisque quantae uirtutis sit Deus optime reuelatur.

|1 Peter 1.8| Quem cum non uideritis diligitis.

Laus fidei immensa in electis: nam cum non sit Amor sine rei amatae cognitione, uos diligitis non uisum, sed fide cognitum. Unde intulit, causamque cur ita fit expressit dicens.

|1 Peter 1.9| In quem cum non uideritis, credentes tamen exultatis laetitia inenarrabili, et glorificata, reportantes finem fidei uestrae salutem animarum.

Maius, inquit, est gaudium uestrum, quam quod lingua possit exprimi: ineffabile certe est. Quid? Iam cum futuro gaudio conuenit, iam arrham tenetis aeterni gaudii, sic

glorificatum interpretamur. At illud non omittendum, quanta ui fidei, ne dicam certitudine, affecti esse debeant sancti Dei uiri, simulatque legunt, cum hic tum alias aliis in locis scripturae, fructum illos extremum fidei, ac finem in hoc etiam mundo sentire posse atque experiri. Maximo (inquit) gaudio, ineffabilique exultatis laetitia, et quae certe futuram aequare possit consolationem, atque animi pacem, nempe salutem uestram, qui est indubitatus fidei uestrae terminus ac fructus. Aperte hic ostendit causam salutis nostrae fidem

{1555 p. 110}

esse: sed illam fidem quam uiuam appellarunt patres: hoc est, quae uiuidis ornata fulctaque esset operationibus: alioqui nuda fides, atque suis defraudata fulcris ac pedamentis, flaccida est: et quae solum nomen, haud rem fidei prae se ferre possit.

|1 Peter 1.10-11| De qua salute exquisierunt et scrutati sunt prophetae, qui de uentura in nos gratia uaticinati sunt, scrutantes ad quod uel cuius modi tempus significaret qui in illis erat spiritus Christi: qui priusquam acciderent testabatur uenturas in Christum afflictiones, et quae essent consequuturae glorias.

In scribendo eo usi sunt more apostoli, ut sublimia diuini consilii de seruando genere humano mysteria exponentes, ueteres scriptores, prophetas nimirum Dei in testimonium adduxerint, tanquam qui per Christi spiritum, et intellexerant, et futuris seculis praedixerant, fore aliquando ut Deus nostram miseratus conditionem per gratiam, nexos tot inextricabiles peccatorum sine Mose atque illius legis patrocinio solueret, uitamque illis, qui ne praesenti quidem digni essent, donaret aeternam. Haec Vates illi sanctissimi nouerunt. Verum haud nuda istiusmodi contenti cognitione pia quadam commoti curiositate, immo ut uerius dicam, amore erga homines immenso ultra in peruestigando quae in spiritu intellexerant, progressi sunt, quod scilicet, quoue tempore, aut quali rerum statu passurus esset Christus, atque proinde ad quantam ille gloriam euehendus esset. Glorias dicens, excellentissimam atque adeo infinitis accumulata bonis intelligit gloriam Hebraismis istiusmodi non raro etiam Graece scribentes utuntur apostoli.

{1555 p. 111}

Ab hac porro anxia prophaetarum peruestigatione septuaginta illae ortae sunt hebdomadae Danielis, quibus [Gloss: Dan. 9] peractis finem accepturum esset peccatum, atque in iis duabus aliis additis occidendus esset Christus. Illud stupendum, quomodo Christi spiritus in prophetis quid futurum esset de Christo uaticinaretur. Spiritus enim Christi, qui est spiritus Dei, semper cum Christo aeternus est: unde illud, Dominus IESUS heri et hodie: quod idem de illius spiritu dici debet. Quare non absurdum id est putandum spiritum Christi prophetas in suis illis praedictionibus afflasse mouisseque ad illorum uaticinium quae Christi praesentiam pollicebantur.

|1 Peter 1.12| Quibus et illud reuelatum est, quod non sibi ipsis, sed nobis [sic, uobis] ministrarent ea, quae nunc annuntiata sunt uobis per eos qui praedicaerunt euangelium per spiritum sanctum emissum de coelo.

Non defuit sane piae illorum peruestigationi Dei spiritus. Quicquid certe tam castis desideriis optarunt, sunt assequuti. Acceperunt itaque ab illius afflatu, quod quae de Christo annuntiabant id prorsus in aliud tempus transmittendum esset: illudque omnino sibi persuaderent, se illa haud sibi ipsis tantum canere, sed nobis: non suo tempore, sed nostro. De me, inquit Christus, loquuti sunt. Atque haec omnia a prophetis praeuisa, proculque ostensa, hi quos spiritus e coelo lapsus mirabiliter diuini ardoris calore accenderat, praesenti imperterritoque diuulgarunt animo, ut diuina omnia natura praeclarissima, cognituque necessaria diuulgari debent.

|1 Peter 1.12| In quae etiam angeli prospicere desiderant.

Male uersum est, In quem: nam de arcano Dei consilio modoque ac ratione seruandorum hominum loquitur

{1555 p. 112}

Petrus. De iis quidem redemptionis humanae mysteriis, uisque difficillimis in Deo et consiliis occultissimis, non solum ut datum fuit peruestigarunt sancti dei uates, peruestigataque mandarunt litteris: uerumetiam ipsi beati spiritus in coelis inexplebili etiamnum illa contemplantur desyderio, illorumque delectantur intuitu, ut de re illis charissima, sed nondum prorsus intellecta. Iccirco dictum est a sanctissimo sene, In quae desiderant angeli prospicere. Sentit Irenaeus de promissis prophetarum, quae Christus ueniens (sic ille loquitur) repraesentauit. Haec igitur cum uideant angeli, nouo tamen semper tenentur uidendi desyderio, ob noua quae reuelantur, quotidie mysteria. Id agit amor, cum in Deum, tum in genus humanum, quo ardentissimum in modum afficiuntur coelestes illae mentes. Sunt qui opinentur eos nondum illud totum (quale tandem est) assequutos, ob ea quae continenter ad perfectionem corporis Christi fieri uident. Sic Paulus, Ut innotescat nunc principatibus et potestatibus in coelestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei. Cernentes enim quam ineffabili quotidie ratione, et modo homines ad se trahat Deus, quotidie experiuntur quam bene ipse mereatur de toto isto genere humano. Ait Nissaenus ante Christi accessum ad nos coelestes potestates simplicem habuisse de Deo cognitionem, uidelicet quod sola uoluntate cuncta creauerit, atque eidem licere omnia. Verum quando uiderunt uidentque omnia contrario quodam ordine naturae succedere, per mortem scilicet uitam excitari, per infirmitatem potentiam, per ignominiam gloriam, ac demum per stultitiam sapientiam insinuari, mirantur, discuntque noua indies. Caeterum de missione spiritus Dei e coelis, non est qui dubitet de celeberrimo illo die Pentecostes hic dici, atque hunc formant sensum. Quae illis occultissimis quibusdam ueluti fistulis ac cunicu-

[cuniculis]

{1555 p. 113}

-lis nuntiata fuere, uobis palam per apostolos, quibus in linguis igneis missus fuit spiritus sanctus, innotuere. Magna uis est profecto, ac tenax in mente humana maiorum testificatio in re aliquaene quod dicitur, repente de improvisoque contigisse uideatur. Qua in re Paulus quoque, ut scribit Lucas, coram Agrippa erat testificans, nihilque extra dicens, quam ea quae prophetae loquuti sunt, futura esse.

|1 Peter 1.13| Quapropter succincti lumbis mentis uestrae, sobrii, perfecte sperate in eam quae ad uos defertur gratiam, dum uobis manifestatur IESUS Christus.

Modus is est loquendi, quo strenuitas quaedam, atque ad aliquid agendum apparatus ostenditur. Sic Elisaeus ad Giezi puerum suum, Accinge (inquit) lumbos tuos, et tolle baculum in manu, et uade, hoc est, accinge te et appara itineri. Hic haud dubie Petrus de apparatu interiori, cuius indicium est exterior, loquitur. Sensus igitur is esto: State ad ea quae sunt Dei parati: imo in his uestra omnis oblectatio locetur. Aiunt enim lumbos, quibus adhaerent renes, reconditiores prae se ferre affectus, ipsosque renes organa esse libidinis, ut cor est pauoris ac fiduciae, splen risus et gaudii, iecur uero odii atque amoris. Quare haud rarus uocum istiusmodi in sacrificiis maxime Iudaeorum hostiisque pacificis erat usus, quo admonebantur, non tantum exta ac uiscera animalium rationis expertium esse Deo offerenda, quantum affectus omnes mentis, appetentias, amorem, laetitiamque, ac omnes demum cogitationes cordis, et motus animae. Iecur, ait quidam ex antiquis, renes. adipem, pinguedinem, et reticulum offert Deo, qui amore, libidine, delectatione, uoluptate, laetitia mortificatis, Deum

{1555 p. 114}

amat, Deo fruitur, in Deo delectatur. Hinc porro ortum habet frequens illud dictum in scripturis ex ore Dei, Ego dominus scrutans corda et renes. Iccirco clamabat Dauid, Ure renes meos, et cor meum domine. Atque de his satis. Sobrii, inquit, perfecte sperate in eam quae offertur gratiam, dum uobis manifestatur IESUS Christus. Sobrietatem intelligit in primis ab effrenatis animi cupiditatibus obscoenisque appetentiis, nedum a cibo, potuque ac somno: quanquam etiam in his moderatus requiritur usus siquidem experientia probe eruditi patres definierunt, Inedia atque abstinentia, malos impudicosque euelli posse atque extirpari affectus. Hisce itaque armati praesidiis ne ingrati (inquit) sitis gratiae diuinaeque uocationi, ac pollicitae saluti, pergite dum lucem habetis, ne tenebrae uos comprehendant. Non est quidem, uti stertentes solent atque inertes, cessandum, dum maxime se nobis ostendit Christus lux nimirum animae ac uitae. Non est fugienda gratiae istius occasio. Appraehendenda sane est dum se appraehendi patitur, dum inuitat, dum monet, dum urget, dum trahit. Haec fere senex noster sanctissimus in his uerbis dum uobis manifestatur Christus. Quomodo effugiemus (ait Paulus) si tantam neglexerimus salutem? Cum omnibus in rebus torpor execrabilis sit, tum potissimum in exercitatione religionis et execrabilis est, et tam noxius, quam quiduis aliud letale. Feruere plane debent omnia in terris quae ad Deum attinent. Ad hos quidem, qui ita affecti sunt, scribit Petrus cum ait,

|1 Peter 1.14| Ut filii obedientes, non configurati prioribus ignorantiae uestrae desideriiis.

Tanquam filii, inquit, obedientes et grati, tum moribus, tum uita ipsa tota patrem referatis qui in coelis est, pristinisque illi, quae ignorantiae uestrae tempore uos pre-
[premebant]

{1555 p. 115}

-mebant, appetentis, infinitis illis quidem et uariis, minime obtemperetis. At Paulus medium ipsum, quo homines filii Dei efficiuntur, edocet dicens: Per fidem uiuam facti estis filii IESU Christi. Fide igitur uiua animati patrem audemus appellare Deum, fratrem Christum: imo utriusque spiritus acti persuasionem ac monitu, ad utrumque nostram referimus adoptionem. Nam quemadmodum spiritus sanctus utriusque est spiritus: ita homo eodem operante spiritu recte utriusque appellari potest filius. Quae res cum ita se habeat, turpissimum uidetur, contraque naturam omnino, rerum etiam infimarum, non solum coelestium atque aeternarum filios, illis a rebus non abhorreere quas detestatur pater. Quanto autem stomacho in lasciuas turpesque uel appetentias uel actiones inuehatur Deus, quem patrem nostrum esse iam non ambigimus, nihil aliud tam frequenter inculcant scripturae. Unde non iniuria monet nos Petrus, hortaturque non configurari prioribus ignorantiae nostrae desideriiis.

|1 Peter 1.15-16| Sed quemadmodum is qui uocauit uos sanctus est, ita et ipsi in omni conuersatione sancti sitis: quoniam scriptum est, Sancti estote, quia ego sanctus sum.

Solet quaeri, id ne praeceptum sit, an consilium. Vocent alii ut lubet: ego praeceptum esse, et illud quidem quod inter nobiliora censeretur opinor. Quae enim ad salutem adipiscendam in primis faciunt, ea necessaria esse, atque proinde debere pro praeceptis existimari iudico: et id magis ideo, si e Dei ore prodeunt, qui summa est ueritas ac sapientia: tantumque abest ut frustra quid moneat. Et ut quidem quod sentio libere dicam, huc nostrae omnes dirigi debent actiones, cogitatus, consi-
[consilia]

{1555 p. 116}

-lia, deliberationes, fides tandem, ac tum in Deum, tum in proximum charitas, ut Deo et nos et nostra probari possint: quod sane absque sanctitate fieri non est qui asserat: modo sit in studiis scripturarum uel mediocriter institutus. Quare audacter fatendum erit, finem totius uitae Christianorum esse sanctitatem. Audiunt haec (scio) indignanter desides, atque ad ignem ipsum ardentissimum pigri et frigidi. Ad hos quidem neque consilia neque praecepta pertinere arbitror, simulac eos uideo nihil quod altum sit, atque homine dignum cogitare: humo enim fixi quid censes? humum spectant solum, humum contemplantur, humum (hoc est, se ipsos) duntaxat, et amant et mirantur: et cum neque consiliis, neque iussionibus diuinis parere unquam

didicerint, in utrisque torpent. At his uero omissis coelestem audiamus patrem, qui sic suos in Leuitici libro alloquitur ministros: Sancti estote, quia ego sanctus sum dominus Deus uester: ad haec, custodite praecepta mea, et facite ea: ego dominus qui sanctifico uos. Vide quomodo nostrae sit seruitutis atque obsequii, praecepta seruare: Dei uero, sanctitatem tribuere. Ego (inquit) sum qui sanctifico uos. Caeterum qui habet hanc spem sanctificat se (aiebat Ioannes) sicut et ille sanctus est. Hic puto maximam omnium formari posse iustificationis regulam, stimulum sane urgentissimum ad sanctitatem illam assequendam, de qua nunc loquimur: Deum nimirum sanctitatis autorem praecipuum esse, ac solum fateri: cuius tamen suauiissimo tractui atque aspirationi liberum nostrum assurgit assentiturque arbitrium, quod quidem a Deo moueri solet et rogari, cogi nunquam. Is quidem iubet, monet, rogat, trahit: illud uero ad haec omnia praestanda, ad quae dirigitur, se facile praebet. Permagna certe uis additur cordi humano, atque ad amplexandas res etiam difficillimas uirtus ac robur,

{1555 p. 117}

cum dignum id censeatur, cui suos immittat afflatus Deus siquidem absque Deo in cor nunquam humanum diuinae ingrediuntur illuminationes: quibus admissis tota uiuida fit mens: et quae erant in animo uetera et uieta, ut fere erat arbitrium, consanescunt et innouantur. Qua postea innouatione habita per Deum, difficile haudquaquam erit liberum arbitrium sponte iam sua trahenti obtemperare: quod pridem ne manum quidem trahentis aut senserat, aut propinquantem purgato uiderat oculo. Rudolphus in libro de mysteriis Leuitici, causam ait iustitiae etiam Iudaeorum fuisse fidem: ut nunc quoque esse iam non est qui in dubium uertat. Homo (inquit) per peccatum pollutus a reatu sanctificari nequit, nisi per fidem illius qui sanctus sanctorum a Daniele appellatur. Non enim aliud nomen datum est nobis sub coelo in quo oporteat nos saluos fieri.

Unde illud est: Omnis alienigena non comedat de sanctificatis. hoc est, sola familia Aaron, nempe familia Christi summi sacerdotis comedat: esus uero iste ad fidem pertinet. Quare ab ipso Rudolpho infertur, Odibilis (inquit) est illorum praesumptio, qui cum infideles sint, sine fide iustificari se credunt: aut si etiam fideles sunt, infidelium mores habent. Vide quid Deus homini uel usque ad sudorem operanti sine fide, ei nimirum qui suis ualde nititur tum uiribus, tum meritis, improperet. Si laueris te nitro, et multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me. [Gloss: Hier. 2] Sancti igitur estote, ait Petrus: hoc est, sanctimoniae forti animo studete, uosque ad ea quae uobis desunt accingite, urgete, uimque uestrae quodammodo inferte naturae ad ima facile relabenti, reluctantique iustitiae freno ac stimulo. Id tam diligenter monet sanctissimus senex, ne in suscipienda gratia illa, in quam sperare nos uoluit, desides simus: nam nihil amat sanctus sanctorum quod idem

{1555 p. 118}

sanctum non sit: totum sane hominem uult Deis suo in obsequio: et haec est sanctitas quam a nobis requirit apostolus, haec puritas: is tandem candor ille est quem probat, atque a suis exigit altissimus, et de quo sic loquitur Petrus.

|1 Peter 1.17| Et si patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum uniuscuiusque opus, in timore incolatus uestri tempore conuersemini.

Si Deum (inquit) patrem uestrum esse cupitis, ne speretis illum uos ut filios agniturum, nisi uos filios praestiteritis tanto patre dignos: nempe morigeros, tractabiles, suiue honoris amantiores quam proprii commodi atque utilitatis. Illius autem ea est natura ac mos aeternus, ut neminem habita ratione uel generis, uel fortunae, iudicet: sed ex uitae meritis illis potius, quae in fide uiua, sanctis uidelicet ornata operationibus, sunt posita. Hae enim nostrae in Deum indicatrices sunt fidei: alioqui nunquam cuius uigor sit aut caloris ostensurae. Et certe in extremo illo iudicio uniuersali, Christianusne fueris solum et baptizatus, non rogaberis: sed hunc ad modum: Si Christianus es, ubi sunt tuae professionis fructus? ubi signa quibus tuam probare queas fidem? Cum itaque patrem habeatis in coelis Deum, qui in iudicando personarum neutiquam delectum habeat: date operam, ut conuersationem uestram in hoc peregrinationis tempore, atque exilii, in timore eo quem decet liberos, ac sanctos, retineatis: non metu id quidem poenarum, non ultionis, non quod agunt serui atque impii terrore mortis aeternae. Verum enim uero castus uos amor, iunctaque cum trepidatione ueneratio, eo afficiat timoris genere, ut ne uos uestra culpa deserat

{1555 p. 119}

continue anxii sitis. Sic sunt ueri aeterni patris filii, quibus uita haec peregrinatio quaedam est onerosa, uiuuntque in terris quo aliis sint iter atque exemplum ad sanctitatem. Caeterum hunc nostrum uitae statum tam uarium, tam sui dissimilem, tam fallacem, quis unquam patriam appellauerit? Diuersorium potius quoddam est, ne dicam tugurium in cucumerario, uita haec praesens. Porro in diuersorium qui se recipit, unius tantum noctis hospitio contentus, nihilque interim aliud peruestigans, aut quaerens, discedit. Ita sane uitam hanc breuem, quasi unius noctis mansionem nuncupare possumus. Quare cum timore suspensoque animo is mundus a uobis colendus est, ne cauponariam esse patriam existimetis.

|1 Peter 1.18| Scientes quod non corruptibilibus auro uel argento redempti estis de uana uestra conuersatione paternae traditionis.

In timore (inquit) Dei praesens ducenda est uita, simulatque tanti uestra ei constat redemptio. Ciues sane antea eratis mundi, nunc coeli: erepti nimirum a turpissima uestra antiqua conuersatione, quam a maiorum superstitione hauseratis. Sic uox Graeca sonat, conuersationem scilicet a patribus traditam. Legalia sentit iam superuacanea facta per gratiam Christi: proinde magna adhibenda est patribus cautio, ne res futiles ac uanas pro seriis filios doceant. Quid si portenta interdum morum edocent male uiuendo? Dicam cum Mose, Ne tetigeritis immundum super mortuo: uel cum Paulo, Nolite effici participes eorum. [Gloss: Ephes. 5?] De auro atque argento hic fieri mentionem arbitror iccirco, quod licet utrunque magni aestimari

soleat apud homines, inter bona tamen caduca uel in primis adnumerari debent. Quod si res illae tantae aestimationis nihili pendendae

{1555 p. 120}

sunt hominibus, in quonam pretio ponendae erunt uiliores, magisque corruptioni expositae? Nulla (ait) re corporea, nulla fragili, nulla quamvis magnae aestimationis in mundo redempti estis.

|1 Peter 1.19| Sed pretioso sanguine agni immaculati Christi, et incontaminati.

Ad Leuitica sacrificia alludit sanctus senex, inter quae illa erat institutio. Agnum accipietis sine macula. Qui sane mos Christum, qui solus inter homines sine peccato inuentus est, designabat. Alioquin in tam amplo, atque adeo necessario soluendo debito totius generis humani debitor (sic homines erant omnes) qui unquam pro debitoribus satisfacere potuisset? Caeterum immaculatum dicit, atque incontaminatum non absque ratione: illud enim ad originem spectat, istuc ad uitam: utrunque in Christo admirandum in modum fuit purissimum, atque omnino diuinum et coeleste. Homo quippe uerus extitit per omnia hominibus caeteris (peccato excepto) simillimus. Qui sane status in terris excellentissimus, et coelestis potius, quam humanus ac mortalis, censi debet: et quem nulli unquam hominum contigisse non est qui ambigat, praeter uni Christo. Quare in scripturis agnum illum passim immaculatum a patribus appellari uideo. Quem proinde morem doctrinamque sequutus Petrus, ait homines non auro quidem argentoue, aut re alia simili redemptos esse, sed sanguine agni immaculati Christi. Ad haec,

|1 Peter 1.20| Praecogniti ante mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus propter uos, qui per ipsum creditis in Deum.

Dei dignitatem et excellentiam ostendit dicens, tam salutarem hostiam puri agni ab aeterno ordinatam a Deo

{1555 p. 121}

fuisse, atque ut sic per excessum dicam, ad totius orbis terrarum salutem iugulatam. Hinc agnum occisum ab origine mundi legimus, tum propter aeternum Dei consilium ac decretum, quo statuerat Christum pro toto genere humano iri immolatum: tum ob efficaciam, atque mirabiles effectus illius cruoris, qui uim maximam iam inde ab ortu rerum in hominibus (purgationem faciens peccatorum) obtinuit. haec quidem omnia iam antea per legem, per prophetas, per signa et sacrificia, uarie multifariamque ostensa, felicissimum gratiae statum pollicebantur. Propter uos: hoc est, ad hoc uos elegit, ut Christo ipso mediatore in Deum credatis, uobisque persuadeatis illum a patre, quo mundum a peccatis purgaret, innouaretque omnia in spiritu, missum. Et haec est uita aeterna, haec aurea illa aetas, quam perpetuis ueluti tubulis ac uenis spiritus, tot antea uates, sanctissimi illi quidem uiri, et in his quae postea acciderunt

eruditissimi summo animi conatu ac stylo, et praedictionibus retulerunt, et ne uetustate exciderent, mandarunt literis, quo nulla unquam deesset hominibus, cum expectandarum pollicitationum diuinarum, tum efferendi laudibus Dei prouidentiam, bonitatem, atque erga suum unigenitum tutelam, et curam, occasio.

| 1 Peter 1.21 | Qui suscitauit eum a mortuis, et dedit ei gloriam.

Saepe enim resurrectionis Christi meminerunt apostoli, non ab re quidem: nam ipse surrexit propter iustificationem nostram, ut inquit Paulus: quae sane res mundo plane insolita, praeclarissimum fuit exemplum omnibus qui peccatorum lepra affecti essent, resurgendi ad uitae innouationem, cuius effigies aqua est baptismi, seu ab aqua ipsa emersio: e qua necessario Dei ipsius promissione ortum habet uita aeterna, qui totius

[religionis]

{1555 p. 122}

-gionis nostrae finis est ac terminus. Christo igitur, agno utique purissimo immolato, occisoque a Iudaeis, sed breui e morte ad immortalitatem experrecto, ad gloriamque aeternam a patre euocato, perampla in nobis uis spei exsuscitatur, certique reddimur, quod cum ipso etiam nos homunculi et moriemur et suscitabimur, et eadem ipsa qua ille donatus est gloria donabimur: iccirco a sancto apostolo est additum,

| 1 Peter 1.21 | Ut fides uestra, et spes esset in Deum.

Haec omnia (inquit) geri uidimus, ut fides uestra ac spes in Deo esset, non in homine puro. Cum quidem Christum credimus suapte sponte tum animam posuisse, tum resurrexisse, coelosque gloriosum ascendisse, atque proinde ad patris dexteram perpetuo sedere, illinc uero suum misisse spiritum, quo nostrum inflammaret algorem, amoueretque errores a mundo, eundem ipsum sane Deum esse, mediatoremque nostrum ad immortalitatem capescendam et credimus et fatemur. Siquidem a puro homine tanta haec sperari nunquam potuissent. Quod certe mysterium non latuit discipulum illum ancipitem cum exclamauit, Domine meus, et Deus meus: et hominem et Deum in Christo fuisse cum sensit, tum fassus est, praeque se tulit maximum fidei lumen hausisse a Deo. At illud maximopere curandum, ne mens sordida adhuc, atque humi prona ad illa sublimia contemplanda, quae purissimis duntaxat cernuntur oculis apprehenditurque affectibus illis niueis et synceris, quos purgat fides, se attollere audeat. Nam lege olim sancitum fuit, bestiam quae montem tetigisset lapidatum iri. Quapropter a nostro apostolo, simul ut quantum satis uisum fuit detexisset, seu potius quasi per transennam ostendisset mysterium, infertur,

| 1 Peter 1.22 | Qui animas uestras purificatis in obe-

[obedientia]

{1555 p. 123}

-dientia ueritatis per spiritum.

Sole ipso clarius iam factum est, cor scilicet humanum fide purificari, in deumque pennis leuissimis innocentiae ferri. Nonnihil autem ad domandam carnis petulantiam extera ipsa conducere possunt remedia: cuiusmodi sunt ieiunia, inedia, nuditas, atque id genus caetera. Verum nihil propemodum hisce agi medelis experimur, nisi per spiritum Dei sanctum, qui in secretis animarum recessibus eo libentius commoratur, quo fuerint purgatiores, magisque a carnis crassamento liberae, remediis in primis incubuerimus internis: quod est, uerbi Dei lucem, qua ueritas ipsa potissimum fulcitur, non auersari: sed auido amplecti animo, quae in ipsa audiuntur lege: cuius sane ministerio effrenes facilius sopiuntur concupiscentiae, quam maceratione carnis alia, exitio quoque ac morte. His quidem corporeis afflictionibus attenuari potest corpus, occidi etiam: at uero sic atteri posse, euellique concupiscentias menti affixas, quasque in ipsis medullis animae ebullire, quotquot carne ista infirma induti sunt experiuntur, non credo absque internorum subfugio. Id autem maxime sibi uendicat ueritas illa, de qua sic Daudid, Et lex tua ueritas. quae est efficacia quaedam fidei, atque amor uerbi Dei, quod gladium ancipitem penetrantemque usque ad diuisionem spiritus et animae, crassos scilicet ac spissos carnis affectus, a leuitate candoreque spiritus separantem, ab apostolo appellari legimus. Atque ea est castitas, purusque status interior, fructus nimirum uiuae fidei in Deum: de qua sic Esaias, Et erit fides cinctorium renum eius. Ergo fides uiua illud est remedium cumprimis, quo superbae carni fraenum uerius iniicitur, quam res alia extera sine fide. Et certe parum promouet, si uino abstineas corporeo, uinum autem illud non haurias, de quo

{1555 p. 124}

sic Zacharias, et uinum germinans uirgines. Ad hanc porro ueritatem allusit quando dixit, Deum patrem in spiritu et ueritate adorandum esse: cuique sententiae subscribens Paulus aiebat, Lex spiritus uitae in Christo IESU liberauit me a lege peccati et mortis. Vidistine unquam chirurgum alium malagma tam praesentaneum putri alicui admouisse ulceri? Spiritu (inquit) ambulate, et desyderia carnis non perficietis. Itaque qui sic, ut dictum est, interiori delectantur cultura, facillime quae in membris saeuit lasciuiam frangunt, extinguuntque obscoenitatem omnem quam lex membrorum concitat, atque spiritui obiicit. Ex qua quidem postea re quoddam in nobis oriri solet lumenne dicam, an incendium plane diuinum, haud sat scio: quo accensi pie casteque afficimur erga proximos, in illisque Deum diligimus ac ueneramur. Unde additum est,

| 1 Peter 1.22 | Amore non simulato.

Ne ex illis simus, qui in corde, et corde loqui consueuerunt. Nihil enim tam detestatur Deus quam cordis duplicitatem ac fucum.

| 1 Peter 1.22 | Ex corde (inquit) uos inuicem diligite attentius.

Ne amor uester mutuus inconsideratus iudicetur, atque inconsulto initus. Omnia quidem in disciplina religionis sapienter agi debent, prouide, attente, consulto, absque omni fuco et simulatione. Quod si ante salutiferum Christi aduentum nonnihil carnalis affectus in amando concedebatur Iudaeis: iam illa noua exorta luce, consuetudo atque indulgentia ab illorum uita, qui ex Deo nati sunt per Christum, semota esse debet. Noua, noua inquam cognatio atque affinitas nouum requirit affectum, nouam conuersionem, nouum modum uitae ac morum, a uobis utpote qui estis

{1555 p. 125}

|1 Peter 1.23| Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per uerbum Dei uiui, quod manet in aeternum.

Semen quidem terrenum in generatione corrumpi, atque intermori necesse est: semen uero spiritus in te tanquam in agrum bene cultum iactum durat, manetque incorruptum: et te, quo in ipsum transmueris, tum mutat, tum innouat, tum beatum facit cum Deo. Qua nam uero id contingat ratione, audi: Deus enim sui sancti spiritus semen, foecundum illud quidem, immittit in cor nostrum uetustum, atque animam: quod si tenacius haeserit nouum continuo effingit hominem. Hinc fit quod alia subinde in nobis cernuntur opera, aliae formantur cogitationes, uerba alia, et tandem noua omnia. Quare quaecunq; antea fugiebamus quaerimus, et quae quaerebamus fugimus. Noua igitur ea est renascentia, diuina nimirum et aeterna, qua in Deo regeniti per uerbum Dei uiui, quod est semen immortalitatem afferes, in eo magis uiuimus quam in nobis. Dei uiui, non absque ratione positum arbitror. Id quidem posuit ne te, quantae sit efficaciae atque uirtutis Dei uerbum, fugeret. Quid aliud censes prodire posse a Deo uiuo nisi uitam? nisi amorem? nisi rerum omnium uetustate fatiscentium innouationem? Atqui omnia quae sub coelo sunt ex semine procreantur: aliquo, iccirco in noua hac generatione ut semen quoque sit necesse est: et hoc est uerbum Dei, non sane corruptibile ut caetera semina, ac mortale, sed aeternum: quo accepto aeterni efficimur atque immortales: illo uero mortales, infinitisque obnoxii calamitatibus ac miseriis. Et certe

|1 Peter 1.24-25| Omnis caro ut foenum est, et omnis decor eius tanquam flos foeni, exaruit foenum,

{1555 p. 126}

et flos eius decidit: uerbum autem domini manet in aeternum.

Verius illud est, quam quod multis probari debeat, Omnia scilicet orta occidere, sensimque ad interitum delabi: Dei uero uerbum manere illaesum. De hoc sane semine sensisse Ioannem arbitror, cum ait, Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen eius in eo manet, et non potest peccare. Obsesso quidem a uerbo atque in ipso meditando occupato nullus in eo relinquitur peccati locus. Iam anima, quae eiuscemodi tenetur cura, pars illius effecta est aedificii, quod continuis

tanquam operis crescit in templum sanctum Dei, ut ait Paulus. Caeterum inter res conditas quid speciosius? quid flore uiuido recensue nato iucundius? Sit autem uiuax ut lubet flos, atque aspectu decorus, breui tamen succisus perlanguescit ac moritur. Aequae itaque humana censenda est felicitas, atque fortunae fauor. Comparat Esaias Babylonicam felicitatem gramini ac flori: liberationem uero suorum aeternam dicit ob fidem diuinis habitam promissionibus: Clama, inquit: quid clamabo? Omnis caro foenum et omnis gloria eius sicut flos agri. Diuus Cyprianus Claritatem in hoc loco legit, non Gloriam. Hebraei uero misericordiam, benefactaque illa, quae absque spiritu fiunt, interpretantur. Sic Cyprianus, Neminem Christianum decet claritatem ullam carnis computare et honorem: sed solum appetere sermonem Dei. Verum si in carne gloriandum est, cum Paulo id fieri conuenit. Ego (inquit) stigmata domini mei in corpore meo porto. Haec sunt quidem preciosissima carnis monilia, hae armillae, inaresque et corollae maximis intertextae unionibus, quae sunt afflictiones pro Christo susceptae, caraeque habitae.

| 1 Peter 1.25 | Hoc est autem uerbum.

{1555 p. 127}

Perinde id est, quasi inferre sic uellet Petrus: Hactenus de fide, fundamento nimirum bonorum omnium, quae ad animum spectant, disseruimus: de patientia similiter renascentiaque in Deo, ac sanctimonia mentionem hucusque fecimus: qui sane euangelii praedicandi scopus est uerus: is scilicet quod pater filium suum charissimum, atque hunc unigenitum, ut pro nobis hostia esset, e coelo misit: quodque prophetis antiquis hanc Dei benignitatem et gratiam reuelauit: hoc est, quando, quoue temporum statu uenturus esset Christus, quae passurus, quomodo glorificandus, simul ac nostras, proprio sanguine abluisset notas, spiritumque ad consolationem desolatorum misisset suum: quo aspirante, durissimumque cor nostrum intractabileque mouente ad tanta amplectenda mysteria renasceremur in Deo totique efficeremur non spirituales solum, uerum etiam Dei persimiles: quae una uia est, qua quaecunque occurrant incommoda praesenti toleramus animo, paremus Deo, ac mutuam inter nos ita diligenter casteque seruamus beneuolentiam, ut etiam hostes ipsos nostros complectamur et tandem beati in hoc etiam statu uitae, alioquin innumeris exposito periculis, et uiuimus, et nihil aliud iam optamus quam his solui curis, et esse cum Christo, quae est perfectissima renascentia in Deo ac finis cursus. Hoc est autem (inquit) uerbum, quo ut conuenit accepto traiectoque in animam, haec omnia felicissime obtinemus. Ecce tibi in manibus iam positum est, quia annuntiatum. Haud longius quidem peragrandum est, tantum illud cum auditur sitibundo complectaris animo. Iuxta te est sermo, clamat Moses, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum. Verum (ut tandem finiam) quod nam istud est uerbum, aut quale? Dominus IESUS, qui uobis annuntiat, cuius legati sumus, quem (scio) iam fide tenetis, gustatisque amore atque rerum illarum con-

[contemplatione]

{1555 p. 128}

-temptatione, quae circa tam mirabilis uerbi cum doctrinam tum religionem uersantur intuemini. Hoc, inquam, uerbum illud est, non aliud, quod per euangelium denuntiatum est uobis.

CAPUT II

|1 Peter 2.1-2| Proinde deponentes omnem malitiam, et omnem dolum et simulationem, et inuidiam et omnem detractionem, ut modo nati infantes lac illud non corporis, sed animi quod dolum nescit appetite.

Haec omnia ueteris signa sunt Adae in nobis, qui olim peccans sui etiamnum similes gignit posteros. Hisce prorsus infecta est natura humana uitiorum notis, quas hic noster commemorat apostolus. Pro simplicitate quidem in prima illa origine cum homine nata, succreuit dolus, malitia, simulatio, inuidia, atque proinde detractio, odium, mala mens, malus animus: peruersaeque uite consuetudo, et caetera istiusmodi uitiorum errorumque portenta, sedem Dei in nobis occupauere. Verum per Christum tanta haec monstra attrita sunt, atque a corde humano (modo uelimus) deturbata. Nam uires illas nostras in Adae lapsu afflictas, peneque emortuas in Christi morte recuperauimus, sentimusque uim longe maiorem uitae atque efficaciam in nobis per Christi innocentiam, quam olim mortis per Adae peccatum. Ex quo sane illud asserere possumus, aliquid iam posse hominem per Christum, qui nihil antea per Adam poterat. Quare aequae nos hic diuinissimus hortatur senex atque si omnino iam integrum factum esset nobis, cor liberum ad Deum dirigere. Deponentes, inquit, malitiam ac dolum, quibus antiquus alitur in nobis Adam,

{1555 p. 129}

quae sunt innocui pueri sectemini edulia. Figurata haec est loquutio: siquidem de lacte hic loquitur spirituali, quo aluntur animae, et quod Dei uerbum esse interpretamur. In superioribus hoc idem lac Semen Dei appellare libuit. Nanque euangelium semen illud est, quo in Deo nascimur: est item lac recens natis, est iam adultis cibus solidus, est armatura, est omnia demum in nobis: quoniam uitam eam affert fidei, qua uiuit in Deo anima. Fides uero per Dei uerbum addiscitur, hauriturque in spiritu, ex quo lac istuc purum, de quo loquimur, abunde dimanat. Audire enim Christum pro nobis mortuum esse, gratisque seruasse mundum uniuersum, lac est suauissimum. Verum mox crucem afferre, affirmareque necessariam illam esse omnibus quibus diuina cordi est religio ac uita Christi, cibus fit austerus, atque insauis: quare non nisi mollem cibum pueris afferre soliti sumus, adultis uero fortiolem, quem plane refugiunt infantes, unde illud est in Exodo, Ne coquas (ait) hoedum dum a matre lactatur, hoc est, ne in fide tenerum in ferenda Christi cruce continuo horteris. [Gloss: Exod. 23] Et recte, Coquas, dixit: nam crux ipsa ignis est. Sine igitur ut sensim puer adolescat, Christi'ue cognitione, antequam illius lanienae idoneus sit, pinguescat: tunc sane fit aptus qui ad aras tormentorum Christi iuguletur, comburaturque totus in camino diuini amoris.

Hac ferme usus est metaphora lactis, cibique firmioris, Paulus Corinthiis scribens: Ego (inquit) fratres non potui loqui uobis ut spiritualibus, sed loquendum fuit ut carnalibus, ut infantibus in Christo, lactis potu uos alui, non cibo. Qui uero illi fuerint,

quibus nondum suppeditandus fuerat cibus solidus, aperuit, illos carnales uocans, hoc est, nondum perfecto utentes iudicio cum rationis, tum spiritus.

{1555 p. 130}

|1 Peter 2.2-3| Ut in eo crescatis, si tamen gustastis quam commodus sit dominus.

Ad perfectiorem gradum quaelibet aetas suos habet annos, suaque incrementa. Ii qui lacte nutriuntur, ut natura sunt pueri, facilius quidem, sed non robustius, ut illi qui grandiori iam sunt aetate, subolescent: quocirca quantum cuilibet crescere contingit, tantum illi propinandum est cibi: Commodum porro Deum dicit esse, iccirco quod cuilibet sese accommodat aetati: quanquam alii uertunt, Humanus, seu Dulcis. Si haec (ait) gustastis, utilia sunt: sin minus, surdis cano: nam quae non gustantur raro enutriunt. In re certe spirituali crescere hi nequeunt, quibus nondum sapuit Christus: qui uero gustarunt quam suavis sit, quam commodus, quam humanus, eo plane centies mansum reuertuntur. Atque haec etiam ebrietas spiritus appellari solet. Caeterum nequid in apostolicis uerbis praetereamus, Malitiam hic uocat omnem nocendi libidinem, atque ad animum degenerem contaminatumque refertur, de quo sic Salomone: Vir uersutus odiosus est. Simulationes porro dicens, notat hypocrisim et prodiones.

De huiuscemodi religionis peste sic ait Ecclesiasticus: Vae duplici corde et labiis scelestis, et peccatori terram ingredienti duabus uiis. Ita etiam Christus, Vae uobis scribae et pharisaei hypocritae, qui decimatis mentam, et anetum, et cyminum, et dimittitis quae grauiora sunt legis. Sed quae obsecro? Iudicium, misericordiam, fidem, amorem mutuum, atque obsequium. Duces caeci excolantes culicem, camelum autem deglutientes. Percolatis quidem uinum aut lac, si casu inciderit culex. Quasi diceret dominus, In minimis superstitiosi estis, in maximis incogitantes. Inuidiam item dicens, morbum illum grauissimum ani-

[animi]

{1555 p. 131}

-mi, ex quo caedes, odiaque oriri solent innuit. Alitur sane ambitione, pedissequasque habet praecipuas, contumelias, contentiones, rixas, discordias, falsas delationes, et malorum omnium inuentricem superbiam: sed in primis dicto illi paret obtrectatio. Refert Clemens, ipsum apostolum obtrectatores inter homicidarum species recensuisse. Susurrones autem occultiori utuntur artificio, Hi enim in auribus obstrepentes tacita maledicentia, dissidia fabricantur. De his quidem intellexisse Dauid arbitror cum dixit, Detrahentem secreto proximo suo hunc persequer: hoc est, caeteris peccatis omissis id solum persequer odio. Tanta est ruinae detractio, auersionisque a Deo.

|1 Peter 2.4-5| Ad quem accedentes, qui lapis est uiuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum uero electus et preciosus, ipsi quoque

ueluti uiui lapides aedificemini domus spiritualis, sacerdotium sanctum ad offerendum spirituales hostias acceptabiles Deo per IESUM Christum.

Non est fas in imis semper manere fundamentis: sed inuento lapide angulari structura est ducenda: neque est agendum ut olim Iudaei, qui tam salubre saxum auersati, alio suum direxerunt aedificium. Is sane lapis ille est, qui excisus e monte absque manibus, ut inquit Daniel, creuit in montem excelsum, cuius fundamenta in montibus Sion, et de quo illud dicitur, Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundauit eam Altissimus. Atqui lapides et nos quoque antea eramus: sed sicci, et arentes: nunc uiui effecti sumus per fidem, quae est uita anima et quam tamen uitam assiduae testari debent oper-

[operationes]

{1555 p. 132}

-rationes: nam proprium uiui hominis est operari. Fide igitur uiua accedimus ad saxum uiuum: hoc est, qui longe eramus, facti sumus prope in sanguine Christi, quod fundamentum est spiritualis aedificii. Nam cum essemus aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis: id est, cum alienationem illam nostram hostili animo, atque ultro prauis testaremur actionibus reconciliauit in corpore carnis eius per mortem. En lapis uiuus atque angularis a Deo electus preciosusque: hoc est, cum Deo, tum piis hominibus in precio habitus: si tamen (inquit) permanetis in fide fundati et stabiles. Siquidem nihil aliud est fundari firmarique in fide, quam Christo niti. Sed quid est niti Christo, illumque pro fundamento habere? Nempe illius imitando uestigia, credere donata nobis esse peccata, filios nos Dei factos, atque proinde uitam nobis aeternam promissam esse. Ex qua quidem persuasione, atque in Deum fiducia domum illam spiritualem (de qua sic intulit, Aedificemini domus spiritualis) in nobis erigi sentimus: et de qua sic Paulus Hebraeis scribens. Christus ueluti filius in domo sua, qui sumus nos, si fiduciam, et gloriam Dei usque ad finem firmam retineamus. Domus itaque aedificamur spiritualis per Dei uerbum, iccirco lapides haud iniuria uiui nuncupamur sumusque: sumus structura, sumus aedificium, positum nimirum super lapidem uiuum angularem Christum, in quo nostram omnem iandudum posuimus fiduciam: nam eundem ipsum esse non ambigimus, qui totum hoc nostrum connectit aedificium, et continet unitque: et qui (ut ait quidam) totum portat, et a nemine portatur. Sine Christo enim uiuo lapide nulla stare potest aedificatio spiritualis. Siquidem fundamentum aliud nemo potest ponere praeter istud, cuius participatione uiui aptique ad tam praeclarum aedificium lapides euadunt homines, qui sine ipso solitaria

{1555 p. 133}

sunt glareas et sicca arena. Ab ipso itaque habemus quod sumus, quod uiuimus, quod mouemur, cooptamurque in nobiliores illius sacri templi parietes sancti spiritus opera fabrefacti. Spiritum (inquit) meum ponam in medio uestri Iam illud uero considerandum, quomodo uiuos eosdem ipsos lapides minime inertes cessantesque esse uelit, asseratque fungi illos sacerdotio oportere: qua quidem assertionem liquido apparet de animis hic humanis, electisque a Deo in unione spiritus, haud de pario

lapide, marmoreue alio fieri mentionem. Aedificemini, inquit, domus spiritualis sacerdotium sanctum. ex quidem uetus suas habebat uictimas et sacerdotes, mortales certe et peccatores. Lex autem nostra, ac domus, suas et ipsa habet hostias, leuitasque et ministros alios, qui spiritualia Deo offerant sacrificia, quemadmodum illi carnalia. Illi quidem taurorum, hircorumue, aut uitulorum carnibus Deo litare consueuere: nos concupiscentiarum affectuumque crassiorum litamus occisione: quod sane genus uictimarum odoratissimum esse solet Dei filio, qui primus omnium mortuus est, ut nos offerret patri, iustus pro iniustis: mortificatus quidem carne, uiuificatus autem spiritu: etiam haec est hostia Deo gratissima acceptaque, sed per Christum: alioqui nihil salutare potest esse homini sine Christo. Gratia igitur IESU Christi ac merito lapides facti sumus uiui, qui eramus mortui peccandi consuetudine. Iam Dei structura sumus, Dei aedificatio, domus tandem ipsa ac templum in quo tanta non dedignatur commorari maiestas. Quid? nonne et sacerdotes simul, et uictima, et ara facti sumus Dei uiuentis? Ita sane omnia iam nostra facta sunt, nos Christi, Christus autem Dei:

|1 Peter 2.6| Quapropter et continet scriptura. Ecce pono in Sion lapidem in summo ponend-

[ponendum]

{1555 p. 134}

-dum angulo, electum, preciosum: et qui crediderit in illum, non confundetur.

Testimonium adducit Esaias ad ea quae dicta sunt de Christo lapide uiuo, necessarioque fundamenti exordio. Ecce inquit, hoc est, haud alio spectandum est, huic omnes inniti debent. Porro nitida aptaque ad speculationes diuinas corda adumbrat nunc Sion, quae alias Iudaeos De hoc lapide angulari memorat Paulus Ephesiis scribens: nam simul ac Ephesios sanctorum Deique domesticos et familiares appellauisset, dixissetque illos super fundamentum apostolorum et prophetarum constructos esse, mox intulit, ipso summo angulari lapide IESU Christo: utpote qui duos condiderit in semetipso utrunque unum faciens: nam ipse pax nostra est, ad id nimirum a Deo electus, quo totius esset fabricae spiritualis fundamentum: ipsam sustentans, imaque summo tecti fastigio connectens, adornans, firmansque in Deo. Verum quonam modo? quae ratione tam profundo niti unquam poterunt fundamento lapides adhuc plane rudes atque inexpoliti? fide. Iccirco additum est, Qui crediderit in illum non confundetur: repulsam (inquit) suis in petitionibus neququam patietur, neque illius spes uana erit ac fides. Oblatus enim ad fabricae structuram cum caeteris suo illi ab architecto parato collocabitur loco, tantum abest ut rubore suffusus reiiciatur. Sic de huiusmodi loquitur confusione pudoreue Dauid: Accedite, inquit, ad eum et illuminamini (nempe per fidem) et facies uestrae non confundentur. Qui credit (ait Esaias) non festinet: nam qui festinat facile impingit, et (unde rubor atque animi confusio oriri solet) cadit. Quae res (ait) uobis, qui iam in sortem filiorum Dei acciti estis, contingere haudquaquam potest: sed fauor, sed gloria, sed honor. Quare sequitur:

{1555 p. 135}

|1 Peter 2.7| Vobis igitur honor credentibus.

En quomodo qui credunt non padefiunt, sed honorantur, locoque ignominiae laudantur, ac securi incedunt.

|1 Peter 2.7-8| Non credentibus autem, lapis quem reprobauerunt aedificantes hic factus est in caput anguli: et lapis in quem impingitur, et petra ad quam offendunt, nempe his qui impingunt in sermonem, neque credunt in id, ad quod et instituti fuerant.

Verum quidem tam illud est, quam quiduis aliud uerissimum: credentibus scilicet bonum esse odorem Christum ad uitam, non credentibus uero malum ad mortem. Unde si qui sunt, qui Christi beneficia non ignorant, hi certe ne passum quidem a fundamento se subtrahunt: sin secus, in tenebras actutum mentes in ipsum salutare alioqui fundamentum, ueluti attoniti solent, impingunt. Lapis sane is coelestis ea affectus est natura, ut omnes in suum uelit cooptari aedificium, in quo ipsemet caput effectus est anguli: totam scilicet connectens structuram, atque inuitis etiam, reclamantibusque architectis, ad summum usque fastigium consummans. Per se semper beneficus est dominus. Quod si nonnunquam secus accidere uidetur, culpa id nostri, qui sic uolumus, contingit. Ecce iste (inquit senex ille euangelicus) positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel. Sed quam hic uocat ruinam? in signum, ait, cui contradicetur: haec est ruina, haec impactio, is casus infelicissimus, forsitan et irreuocabilis, contradicere Christo, Deique pollicitationibus haud fidem habere. Qui impingunt, inquit, in sermonem, nempe euangelicum promissionum aeternarum refertissimum, neque cre-

[credunt]

{1555 p. 136}

-dunt in id ad quod instituti sunt, a prophetis nimirum, atque apostolis. Vetus translatio habet, In quo positi sunt: quod sic interpretamur, Ab antiquis illis patribus, ad hoc ut crederent in uenturum Christum, eumque praesentem reciperent, instructos paratosque. Graeca scholia ad petram offensionis id totum referunt: ut non a Deo, sed a seipsis propriique malitia atque obstinatione, qui se ultro uasa irae aptauerunt, essent positi ad id quod ipsi sibi parauerant. Sic de is Paulus, Verbum (inquit) crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem, qui salui fiunt, Dei uirtus: nam uirtus est ad salutem omni credenti. Verum illi, ut lubet, increduli sint, atque in obsequio mundi pertinaces.

[1 Peter 2.9] Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitus, ut uirtutes praedicetis illius, qui e tenebris uos uocauit in admirabilem suam lucem.

Ab obseruatione quidem praeceptorum Dei deprehenditur electio. Electi uero non queunt non operari. Statuit illi legem, inquit Daudid, in uia quam elegit. Unde illud est in Mose, En dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, et custodias omnia praecepta illius. Alioqui certe uanum illud esset consilium legislatoris, ea sancire, quae nemo seruaret. Satagite, inquit Petrus, ut per bona opera certam uestram uocationem, atque electionem faciatis. Calor quidem ac lumen ab igne exiens, calidum prae se fert ignem esse ac splendidum: idem de rigore in gelu ac niue censendum erit. Ab assiduo itaque operandi studio atque exercitatione (in his maxime quae preparauit Deus ut in ipsis ambularem, ut inquit Paulus) assiduum infatigabilemque in nobis esse erga Deum tum amorem tum conatum ad

{1555 p. 137}

perfectiora intelligi potest. Regale sacerdotium uocat in primis Christianorum dignitatem, ad differentiam nimirum sacerdotii Leuitici, quod tenue fuit et imbecillum. Ab illo tamen haec uidetur sumpta futuri sacerdotii appellatio, quod in Exodi libro legimus: Eritis inquit, mihi in regnum sacerdotale. [Gloss: Exod. 19] Quod perinde est, atque si diceret, Sacerdotium istud, quo meos uolo fungi electos, praecipuum erit: et, ut ferme sunt omnia, quae ad reges spectant, potentissimum. Verum hi plerunque, qui maximis imperant regionibus, a propriis superantur cupiditatibus: nos uero et mundum, et nos ipsos, et caetera caduca, non solum uincimus, uerum etiam tanquam hostias pacatissimas diuinae consecramus religioni. Unde illud est ad Alexandrum regem tunc omnium potentissimum suo a praeceptore dictum, Tu qui caeteros sapientia ac fortitudine uincis, teipsum uince. Caeterum de potestate regia, quam in suis requirit Deus, sic ait Chrysostomus: Pius et Christianus uere regnat, et est rex uerius, quam qui diademate est ornatus. Rex multos habet exercitus, Christianus microcosmum, copiosumque cogitationum numerum: et non solum numerum, sed duces, imperatores, hastatos, sagittarios, fundibularios: exemplumque Abraae ponit uir sanctus, qui in filii occisione tam uarias rebellesque subegit cogitationes. Quid Ioseph (inquit) dicam prouocatum a domina? excellentior fuit rex quam Daudid uictus a libidine. Sacerdos igitur uerus est uir probus, diuinoque cultui addictus. Is certe perpetuis ueluti excubiis in templo Dei se ipse continenter super aram crucis immolat, offertque. Atque hanc perfectissimam iustitiae esse partem affirmant patres. Quod sane litationis genus intellexisse Daudidem ipsum arbitror, cum ait, Sacerdotes tui induantur iustitiam: infertque suam naturaliter inditam electis unctionem, Et sancti tui (inquit) exultent. Quo sane

{1555 p. 138}

dicto spirituale ostenditur in anima quoddam esse pigmenti genus, atque unctionis, quod est gaudium in spiritu sancto, unde alia illa quae sequitur ortum habet appellatio ac dignitas.

|1 Peter 2.9| Gens, inquit, sancta, populus acquisitus.

De sanctitate qua ornati esse debent ii, quibus Dei religio, rebus caeteris omissis, maximopere est cordi, in superioribus diximus. Huius sane figura, quaedamque (ut sic dicam) praemonstratio illa fuit Dei in Deuteronomio. Aras eorum subuertite, confringite statuas, lucos succidite, sculptilia comburite: quia populus sanctus es domino Deo tuo. Caeterum, populum acquisitum, hoc est, magno emptum, nos uocat Petrus: ut pote qui non corruptibili re, auro nimirum aut argento redempti sumus, sed precioso sanguine Christi: ex quo quidem felicissima illa facta est de nobis transmutatio, cum de seruis, et illis quidem uilissimis facti sumus reges, de prophanis sancti, de sacerdotibus Belial sacerdotes illi, de quibus sic Deus, Sacerdotes eius induam salute: de perditis item acquisiti, de mortuis uiui: de parietibus ruinosi, imo diruptis, soloque aquatis, aedificium spiritus sancti: de quo sane aedificio sic Paulus Ephesios pastores cum esset Mileti adhortans, concionabatur. Attendite (ait) uobis et uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Verum frustrane id factum est? Minime id quidem omnium.

|1 Peter 2.9| Ut uirtutes (ait) annuntietis eius, qui uos uocauit de tenebris in admirabile lumen suum.

Rationem mysteriumque redempti generis humani aperit, narratque uias, quibus ad id perficiendum usus est

{1555 p. 139}

Deus et uariis et occultis, et de quibus sic Dauid hyperbole usus, Narrabo, inquit, omnia mirabilia tua. Atque illud etiam in Esaia (Populum iustum formaui mihi, laudem meam narrabit) rem istiusmodi adumbrasse mihi uidetur. Quorsum uero istuc? Ut caeteri audientes salui fiant. Cuiusmodi autem uirtutes hae sint, ac laudationes in portis filiae Sion exponit dicens: |1 Peter 2.10| Qui aliquando non populus, nunc populus Dei: qui non misericordiam consequuti, nunc autem misericordiam consequuti. Haec sane ex Oseae uaticiniis sunt excerpta: mirabilia illa quidem ac profundiora, quam quae ab humano ingenio disquiri possint, atque enarrari. quae tamen se narraturum pollicetur Dauid: et de quibus sic Paulus: quae sit supereminens magnitudo uirtutis eius in nos qui credimus secundum operationem potentiae uirtutis eius, quam operatus est in Christo: quod est mysterium illud absconditum a seculis in Deo, quod multiformem Dei sapientiam appellare placuit apostolo: uarias scilicet in Deo, ac multas redimendorum hominum uias et rationes: quas tandem in Christo, lampade nimirum fulgentissima, quam paulo ante lumen appellauit admirabile, tum conspici, tum perfectissime consummari uoluit. Nam cum desides in regione umbrae mortis ociaremur, nostraeque prorsus dignitatis obliti in tenebris, atque in obducta caligine errorum nocte sederemus attoniti, non solum

nostrae uos admonuit oscitantiae ac periculi, uerum etiam extraxit eduxitque in admirabilem lucem illam, de qua sic ipse, Ego (inquit) sum lux mundi: causamque quamobrem lux dici uelit attulit, dicens, Qui sequitur me non ambulat in tenebris. Lumen itaque illud admirabile Christus est, ex quo alia euestigio emergit lux, quae est sacratissimi illius uerbi notio, atque in anima fulgor quidam diuinus amoris. Aliis certe populus eramus abiectus, infidelis,

{1555 p. 140}

pro nihiloque habitus: imo non populus, nunc autem populus, et populus Dei: populus, inquam, tam magno, ut est mors Christi, comparatus: gens sancta, gens electa. et honorata. Utinam uero de nobis illud dici posset apostoli, Qui aliquando conuersati sumus in desyderiis carnis nostrae et mentium, nunc sancti simus, ac populus Dei lectus: Qui non consequuti misericordiam, nunc autem misericordiam consequuti. [1 Peter 1.10] Antea quidem nostra eramus culpa filii irae, nunc gratuito facti sumus filii Dei uiuentis: hoc est, uocatio nostra circa ea uersatur, quae in Deo, qui uita omnium est, et uiuunt, et semper uiuunt: atque haec omnia per Christum, qui conuiuificauit nos, cum essemus mortui delictis et peccatis nostris, in quibus ambulauimus secundum seculum mundi huius. Faxit Deus ut ne magis, quam olim, in nobis uiuat nunc mundus. quod sane ex his quae passim fieri uideo cogor suspicari. Iam lux illa uniuersalis fidei pene culpa nostri e mundo excessit, uiuuntque inter nos ea in primis, quae naturaliter uerae expertia sunt uitae. Quare haud mirum uideri debet, si a sene hic nostro sanctissimo tanta cum beneuolentia admonemur.

[1 Peter 2.11-12] Charissimi (inquit) obsecro tanquam aduenas et peregrinos abstinere uos a carnalibus desyderiis, quae militant aduersus animam: conuersationem uestram habentes bonam inter gentes.

Iam aedificium nostrum super tam Sanctum fundamentum, ut est Christus positum sanctum esse asseruit: hinc nos proinde hortatur ne contempta renascentia illa, quae a Deo est, ingrati simus: itaque uiuamus, quasi is mundus piorum patria esset ac domicilium. Aduenae certe et peregrini non libenter ociantur in uia: non, quic-

[quicquid]

{1555 p. 141}

-quid in aliena contingat republica, aut tristantur, aut laetitia efferuntur. Quid illis, oro, commercii cum exteris, quibus nulla est cura praeterquam patriae? Verum lutulentum iter est uitae, ac dumis consitum: quare illud semper est mente pertractandum, quod tametsi munda facta est anima per gratiam, nihilominus tamen quoad in carne, quae continua saeuit rabie ac furit, commoratur: uerendum est, ne sordes interim contrahat, aliquouo impingat, et periclitetur. Non est quidem in hoc mundo status tam sublimis et tutus, quin aut labi queat, aut perfici. Quod ex fermento mulieris farinae iniecto, donec tota fermentaretur, coniiici potest. Farina quidem fermento conspersa non continuo fermentatur, sed sensim ac tempore. Quare assuefaciendus est animus laboribus pugnae, perpetuae illi quidem cum carne ac

mundi illecebris. Semper enim uxor haec nostra iurgatrix caro, et rixosa, queritur, obmurmurat, obstrepitque legi mentis nostrae. Unde quandiu caro ac sanguis una sunt, tandiu certandum est, et ne ipsa opprimatur lex mentis obnixe contendendum alioquin inter hostes tam bellaces ac uafros, ut sunt appetentiae effrenes animi atque illarum autores daemones, te tutum ducere, atque illorum telis impenetrabilem, signum est nimium confidentis animi, ne dicam temerarii atque arrogantis. Non certe negandum est perfectissimos quoque homines tangi quidem posse labe aliqua peccati et uinci etiam. Verum peccati dominatum admittere, illique subiici, id rarum sane inter perfectos, atque insolitum. Quocirca illud est additum a sancto sene, porrectumque omnibus qui uase hoc testaceo carnis obducti sunt. Obsecro, inquit, abstinere uos a carnalibus desyderiis, quae militant aduersus animam. Id quidem illis scriptum esse arbitror, quos supra genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populumque acquisi-

[acquisitum]

{1555 p. 142}

-tum, et qui misericordiam consequutus sit a Deo, nuncupauit. His, inquam, tam praeclaris diuinisque ornatis appellationibus uult cautum esse Petrus, ne quid cum concupiscentiis, naturae humanae fere ingeneratis, illique infestissimis, tanquam stimulis ad peccatum ac lapsum habeant foederis: quod si mos est illis antiquus, atque ars uetus in acie uersari, uersentur ut lubet in alienis castris, non in nostris: nam illarum magis timendus est fauor, quam uulnus atque ira. Abstinetes (inquit) uos, detrectateque concupiscentiarum militiam. Militent quidem non pro uobis, sed contra uos: tantum illud aueo, ut ne Dei gratia tanquam umbone tutissimo contecti succumbatis.

|1 Peter 2.12| Conuersationem inter gentes uestram habentes semper bonam.

Non est quidem tuta conuersatio, neque stabilis inter illos amicitia, qui propriis adhuc seruiunt affectibus, quod sane est militare in castris concupiscentiarum uersarique in exercitu carnis periculoso ac saeuo. Mirum sane est, quam beneuole pieque cum erga nos, tum erga Deum afficiuntur hi, quibus sanctus quidam animorum habitus in nobis ex sancta nostra conuersatione, morumque integritate atque elegantia compertus est, ac notus. Homines enim, quamuis immanes et diri, ex hac mirabili uiuendi temperantia in nobis perspecta, facile (nisi omnino feri sint) commollescunt, atque (ut sic dicam) cicurantur, ex durisque et implacabilibus obtrectatoribus fiunt Dei, atque illius sapientiae, qua suos tam ineffabili gubernat ratione, praecones ardentissimi atque indefessi. Unde sequitur,

|1 Peter 2.12| Ut in eo quod detractant de uobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus

{1555 p. 143}

uos consyderantes glorificent Deum in die uisitationis.

Sic dominus IESU in euangelio suo, Luceat lux uestra (inquit: haec est sancta conuersatio) coram hominibus, ut uideant bona opera uestra, et glorificent patrem uestrum qui in coelis est. Petrus uero, Ex bonis operibus uos consyderantes glorificent Deum in die uisitationis. Vocat diem uisitationis, cum post diutinas errorum tenebras ac noctem apparet ueritas. Foelix uisitatio cum Deus aperit oculos caeci nati, et dat lumen oriens ex alto. Illi igitur quibus antea nulla erat uera de Deo, deque illius beneficentia notitia, uisa postea filiorum Dei fide, perspectaque illorum modestia, ac tum in moribus, tum in doctrina, candore, ac ueritate, illos laudant, quos haud multo pridem uituperabant: illisque ut de maleficis solet, acerrime detrahebant. Sic sane in exordiis ecclesiae male audiebant, habebantque uulgo Christiani: qui ut malefici, supersticiosique, et infructuosi ab aetatis illius hominibus habiti, sermentarii, semissique, ut refert Tertullianus, ac desperati (quippe quibus mos quidam inerat, non tam obstinate, quam fortiter pro Christo mori) uocabantur: quos tamen absque flagitio uixisse refert Plinius ad Traianum scribens, tantum illos quotidie antelucanis horis conuenire, carmenque Deo suo Christo canere, atque una cibum sumere. Ita sane tum fuit status infantiae Ecclesiae. Cui nos quoque adhaerescere cum uitae simplicitate, tum religionis studio ac pietate, et fas est, et necessarium. Hic itaque luce clarius est, quantum afferat commodi rebus sacris pene collapsis uitae sanctitas atque eum synceritate doctrinae coniuncta integritas. Qui istiusmodi instructi sunt disciplina in omnibus recte factis sese ultro exercent, atque ne cui sint causa uel er-

[erroris]

{1555 p. 144}

-roris, uel dissidii, ad omnia etiam, quae quandam saltem habeant similitudinem pietatis, se accommodant. His quidem ea omnia, quae a prudentissimo familiae Dei oeconomio praecipuntur, scripta esse iudico.

|1 Peter 2.13| Subiecti, inquit, estote omni humanae creaturae propter Deum.

Omnem quidem potestatem a Deo esse, proptereaue simplicem illi praestandam esse obedientiam definiunt patres, Caeterum humanam creaturam, hominem, qui aliqua sit praeditus potestate, seu statutum aut legem intelligit et aequae est atque si diceret, Quicquid statuerit, legeque cauerit magistratus, parendum erit. Quod clarius in his quae sequuntur uidere licet.

|1 Peter 2.13-14| Siue regi quasi praexcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis ad uindictam male actorum, laudem uero bonorum.

Siue igitur rex ille sit qui iubet, siue ipsius magistratus, siue quispiam alius a rege missus, simpliciter parendum erit. Quid, si rex sit leo rugiens, ut inquit Salomon, atque ursus exuriens? huic etiam libenter, modo impia non iubeat, obtemperamus.

Tunc quidem illud ingeminandum esset, Obedire oportet magis Deo quam hominibus. Audierant enim Christi discipuli a principe sacerdotum, Praecipiendo praecepimus uobis, ne doceretis in nomine isto. Stultum sane praeceptum, ac flagris dignum. Ecquis unquam bonus huic esse parendum censeret? Quare iis quae ad pietatem attinent si contraria praecipuntur, totum omnino detrectandum est imperium, obluctandumque legi impia praecipienti. In illis autem, quae ad ciuilem spectant politiam ac cultum, etiam si absurda interdum uidentur et uiolenta, standum est tamen legi, ac ne quid dissidii oriatur obtem-

[obtemperandum]

{1555 p. 145}

-perandum. Nam ea in primis natura est legis, ut bonos praemiis, malos uero poenis afficiat. Ad uindictam, inquit, male actorum, laudem uero bonorum. Verum, ut inquit Plato, nisi essent improbi, non essent leges: nam iusto, ait Paulus, non est lex posita: paret tamen, ne cui offensioni sit, ut paruit Christus soluendo didrachma.

| 1 Peter 2.15| Quia sic est uoluntas Dei, ut scilicet sint magistratus ac leges: quibus obsequentes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

Id scribit Petrus, ne quis dicere auderet, Liberi facti sumus per Christum, quid igitur paremus magistratibus? Audi: ita fieri praecepit Deus, ergo Dei uoluntas est ut pareamus: atque hunc ad modum stultorum hominum ignorantia retundi poterit illorum: qui quam sublimis facta sit libertas nostra ignorantes, superbe nos agere arbitrarentur, si in obediendo aut tardi essemus, aut contemptores. Sitis, inquit Paulus, sine querela simplices filii Dei in medio nationis prauae atque peruersae, inter quos lucetis sicut luminaria mundi,

| 1 Peter 2.16| Tanquam liberi, et non quasi praetextum habentes malitiae libertatem, sed sicut serui Dei.

Hic uides ueram in filiis Dei libertatem laudari, falsam uituperari. Sed mirum quam longe a scopo deerrant nostrae aetatis homines quidam, uarii, inconstantes nouarumque factionum disseminatores: quibus ea tandem Christiana uisa est libertas, quae cunctis dirutis ecclesiae ritibus, ab illis quidem rebus pendeat, quae aut nullae penitus sint, aut quae, omissa omnino bene, casteque uiuendi regula, in omne scelus ferantur more suum.

{1555 p. 146}

Et haec quidem omnia tam immania atque impia praetextu libertatis obtegere adnituntur. Tanquam liberi, inquit, quorum ea in primis debet esse cura, ut non solum libenter atque ultro, uerum etiam cumulatus quam caeteri et bene agant, et a patrum institutis ne unguem quidem (ut aiunt) transuersum discedant, uestram exercete libertatem. Quod sane non agunt serui, illique, qui nimium insolenter de se nescio quid uanae lucis iactantes, aut metu parent, aut nihil ultra quam iussum est agunt: aut certe iura omnia tam humana, quam diuina conculcantes, in libertinorum haeresim, quae magistratus, ritusque omnes e mundo tollit, incurrunt. Ecquid stultius unquam uisum est, aut auditum, praetextu quempiam libertatis Christianae res etiam a Christo, nedum ab hominibus ordinatas contemnere, contemptasque irridere? Non id certe agit contenditque libertas Christianorum, ne cui morem geramus: sed ut ordinem legum quoque humanarum etiam strictius accuratiusque, quam caeteri e uulgo homines seruemus: si cui debemus nostras operas, soluamus: cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal. A Baptismo quidem ac lege fidei facti sumus liberi a lege peccati et mortis, non a lege hominum. Siquidem ea est uoluntas Dei, ut tanquam liberi pareamus: tantum abest, ut nos uelit praetextu libertatis in omnem ferri turpitudinem, illudque iam tritum inter contumaces iactitare, Liberi iam facti sumus per euangelium, unde quicquid libuerit erit agendum. Is quidem ferarum potius est ritus, ac mos, quam hominum ratione utentium, illorumque qui a spiritu Dei sancto ducuntur, ut hi se duci somniant. Itaque (ut tandem finiam) citra religionis iniuriam mos gerendus est legibus, seruandusque est rituum decor ille, quem patres seruatum iri definierunt.

{1555 p. 147}

|1 Peter 2.17| Ad haec omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate.

Venenum nullum tam est efficax ad alienandos mutuo animos, quam ubi quis contemni se putat. Hinc odia, querelae, indignationes, uindictae, atque huius generis permulta ortum habent. Quare unicuique suus praestandus est honos, etiam inferiori: de omnibusque bene sentire ac loqui, optimus est ad conseruandam diutius concordiam aditus. Omnibus, inquit, cuilibet conueniens, exhibendus est honor. Sed familiaribus fidei consuetudo quoque et familiaritas. Iccirco additum est, Fraternitatem diligite. Nemo certe arctius amandus est, quam is, quicum, Deo autore, aliqua nobis intercedit necessitudo. Huius quidem amicitia colenda est, caeterorum uitanda: quem tamen delectum, in amandoque prudentiam nunquam hi assequuntur, qui Deum offendunt: quocirca sequitur, Deum timete. Is sane timor, quo Deum offendere metuimus, idem est quod amor. Siquidem inter filios Dei, qui patrem amat, eundem et timet: et qui timet, amat. Qui igitur ita affecti sunt, ut Deum ante omnia et uereantur et diligant: quomodo eos, qui uices pro Deo in terris gerunt, non uerebuntur? non amabunt? non honore prosequuntur? alioqui certe maximae excitarentur in mundo turbae. Principes, inquit, qui pro Deo in terris sceptrum tenent honorate. Quod si interdum grauius ab illis imperantur uectigalia, soluite tamen. Si donum quoque exposcunt, porrigite: nam pax communis rebus caeteris fortunisque priuatis anteponenda semper est.

|1 Peter 2.18| Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis.

{1555 p. 148}

Fusius de his Paulus cum alias, tum Ephesiis scribens edisserit. Serui, inquit, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis uestri sicut Christo. Erant tunc serui quidam, quibus graue uidebatur seruire dominis profanis, cum essent liberi facti ob religionem fidei. Errabant sane, quandoquidem non officit seruitus in pietate. Sic Paulus Corinthiis scribens, Seruus uocatus es, non sit tibi curae: sed et si potes fieri liber magis urere (seruitute scilicet.) [sic, re punctuation] Qui enim in domino uocatus est seruus, libertus est domini: similiter qui liber uocatus est, seruus est Christi. Cum omni itaque reuerentia (timore uertit interpres) dicto parendum est dominis, non solum aequis humanisque, uerum etiam asperis, morosis, difficilibus. Discolus Graece est difficilis: unde sic legit fulgentius, Non tantum bonis et modestis, sed etiam difficilioribus.

|1 Peter 2.19| Haec enim gratia si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste.

Vocat hic gratiam, laudem, seu gloriam: Gloria (inquit) ea demum est ingens, si propter Deum, qui tuae mentis conscius est, molestias pateris iniuste. De testimonio hic etiam conscientiae intelligi potest, quae Dei conspectu contenta, praua hominum iudicia, addo et poenas ac cruciatus deridet. Huius enim testimonio uir probus armatus, quae tam saeua potest esse procella in mari hoc uasto miseriarum, cuius fremitum, concursumque undarum, atque iram, non derideat? cum in coelis animo sit cum Deo. Quid mundi, tam uilis scilicet rei, suaque natura inferioris, pertimescit iniurias? Haec igitur gratia est, haec laus, haec gloria, quae maxime cum Deo, tum hominibus probari solet, cum quis a diris improborum calumniis iniuste exagitur. Alioqui certe, quae laus?

{1555 p. 149}

|1 Peter 2.20| Quae gratia, si peccantes caesi colaphis suffertis.

Hoc est: quae uestra potest esse gloria, aut laetum conscientiae testimonium, si propter uestra malefacta punimini? si meritas luitis poenas? Illa, illa inquam, uera est gloria ac celebritas, si pro re iusta, ex aequaque actione gratis uos atterunt scelesti.

|1 Peter 2.21| In hoc enim uocati estis, ut scilicet bene facientes, toleranter quae ingerunt maleuoli feratis.

Omnibus etenim ad Dei religionem accersitis crux est parata. Iccirco stolidum illud omnino esset opinari, diuinum cultum, qui purus, constansque esse debet ac fidelis, debere in delitiis corporeis, quae natura sordidae sunt et periculosae, uersari. Non (crede mihi) ad pompam, non ad luxum, non ad delitias, non ad libidinem uocati sunt

credentes: sed ad ferendam crucis crucifixique tum ignominiam, tum paupertatem, tum in primis neglectum mundi. Haud secus quidem in terris actitasse uisus est tantus dominus.

|1 Peter 2.21| Nam et Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius.

Haec tandem uniuersalis illa est, prorsusque omnibus necessaria regula spiritus, Christi uitam imitari cum in omnibus, tum uel maxime in perferendis non solum aequo, sed et forti animo aduersis, ut elegantissimo diuinoque depingit penicillo beatissimus senex, cum ait:

|1 Peter 2.22-23| Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum maledictis af-

[afficeretur]

{1555 p. 150}

-ficeretur, non remaledicebat: cum pateretur, non minabatur.

Non solum, inquit, absque labe fuit peccati in terris Christus, sed tanta uixit innocentia, ut ne dolus quidem repertus fuerit in ore eius ullus. Siquidem cum maledictis incesseretur, tacuit tanquam agnus purissimus: tantum abfuit ut maledicta regesserit, ac par pari retulerit.

Porro cum caederetur, cum cruci clauis affigeretur ferreis, nunquam ultionem comminatus est, sed omnem uindictam remisit patri: qui humano minime commotus affectu res ponderat, sed iuste, aequissimaque collibrat bilance.

|1 Peter 2.23| Tradebat autem iudicanti se iuste.

Hoc est, et se et suam causam commisit iuste iudicanti, patri nimirum, qui omnia iustissimo expendit iudicio. Qui uero iniuste legunt, id totum ad iudices, ad quorum tribunal condemnatus fuit Christus, referunt. Permisit, inquit, causam suam ab iniusto decerni iudice: tantum abfuit, ut iniurias ipse proprias ultus fuerit.

|1 Peter 2.24| Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae uiuamus, cuius liuore sanati sumus.

Decuit sane quidem Christum, qui pro delictis uniuersi generis humani, innumerabilibus illis quidem et grauioribus, quam quae aut ferre, aut per se diluere unquam humana conditio potuisset, omne genus contumeliarum subire: crucique, facinorosis debita ac latronibus, suffigi. Haec sane omnia Christo omnium innocentissimo neququam debebantur. Sed tum haec, tum alia acerbiora quoque, ac magis cruenta homini perditissimo, ipse tamen omnium iniurias turbarumque colluuiem, quo pax fieret uniuersalis, in suo proprio corpore

{1555 p. 151}

ac carne ab omni reatu immuni pertulit: perpessusque illa solus est, quae genus humanum totum perpeti par fuerat. Disciplina pacis nostrae (inquit Esaias) super eum: hoc est, castigatio afferens nobis pacem super eum fuit: cuiusque liuore, nempe uibicibus ac plagis, sanati sumus. Nam quemadmodum illius mors uitam attulit perditis, ita illius plagae morbositas sanitatem: utrique enim necessitati obnoxii eramus. Verum illa ipse omnia subiit, praes factus pro nobis ac uas, ad hoc ut peccatis mortui iustitiae uiueremus. Iccirco (ait) tot passus est Christus angustias, ut soluto pro delictis uniuersis ab illo in cruce debito, mundi curis exuti deinceps in locupletissimis iustitiae bonis uiueremus. Quare in tam periculoso rerum statu haud amplius ut prius, stertendum erit: necesse quippe est, cum Christo prius nos omnes emori, quam ad uitae inuouationem cum illo resurgere. Crucifigenda est igitur caro haec bruta, crucifigendae concupiscentiae, crucifigendae appetentiae illae effrenes, quae fere nisi cum uita non terminantur. Atque hunc ad modum coelesti assuefacti disciplinae, mori mundo, iustitiaeque uiuere incipietis, omnes uos, qui olim

|1 Peter 2.25| Eratis sicut oves errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum uestrarum.

En cuius conditionis inueniebantur esse ante Christi aduentum homines. Omnes nos, inquit Esaias, quasi oves errauimus. Qui quaeso? Vnusquisque (ait) a uia sua declinauerat. At tandem per Christum conuersi estis. Quonam oro? Ad uocem nimirum domini uocantis, qui hactenus tam salutarem Dei uocatum audire uel dissimulastis, uel impudenter nimium detrectastis. Sic Christus de suis concionabatur electis: Oues meae, inquit, uocem meam audiunt, et ego uitam aeternam do

{1555 p. 152}

illis. Caeterum episcopum et pastorem appellat Christum Petrus, ob peruigilem piamque illius erga animas solitudinem. Episcopum enim superintendentem, rebusque omnibus quibus praeest necessariis prospicientem interpretantur. Quare saluare in perpetuum potest (ut ait Paulus) accedentes per ipsum ad Deum, semper uiuens ad interpellandum pro nobis. Beda legit Visitatorem, nam uisitauit, et fecit redemptionem plebis suae.

CAPUT III.

|1 Peter 3.1| Similiter, et uxores subditae sint uiris suis.

Iam inde a primis totius uniuersi exordiis id cautum fuit, ac sancitum a Deo, ut mulieres subditae essent uiris propriis, ab illisque penderent: caeteroqui nulla unquam futura domi pax. Quare cuiusmodi sit naturae maritus haudquaquam discutere debet mulier, simul atque inter illos ratum factum est coniugium: sed illud potius, quid ipse uelit in coniugio Deus. Ut enim par est, homines cum liberis tum

seruos, uel magistratibus, uel dominis nonnunquam discolis et morosis, obtemperare: ita mulieres, lege etiam ipsa naturae, suis uiris parere conuenit.

|1 Peter 3.1-2| Ut si qui non credunt uerbo, per mulierum conuersationem sine uerbo lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem uestram.

Erat interdum, ut altero coniugum in infidelitate perseuerante alter fidei adhaereret, Verum et illud haud raro contingebat, quod alter uictus modestia alterius, moribusque in melius post conuersionem praesertim re-

[reformatis]

{1555 p. 153}

-formatis, absque etiam doctrinae accessu ad fidem ueniret: Adeo in regno fidei haud parum interest qua quis modestia uiuat, suamque attestetur fidem uitae innocentiae. Plerunque enim accidit, ut uitae qualitas efficacius quam doctrina ipsos etiam moueat infideles. Siquidem doctrinam leporemque sermonis in prauo quoque homine uidere possumus: morum uero candorem, atque actionum puritatem, non nisi in uere sancto animo ac puro. Hic certe tanto ab apostolo de re tanta praesertim admonitas se esse gaudeant uxores.

|1 Peter 3.3-4| Quarum cultus non sit extrinsecus plicatura capillorum, aut circundatio auri, aut amictus uestimentorum: sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.

Capillorum plicaturam uocat cincinnos illos uanissimos, in quibus potioem partem sui ornatus ponunt mulieres illae, quas plane fugit quantae illi sint dignitatis. de quibus sic sponsa, Cincinni mei pleni sunt guttis noctis. Porro tranquillum animum ac modestum, nempe ab omni genere litigiorum secretum. Cordis hominem appellat: hoc est, hominem (ut diuus interpretatur Ambrosius) interiorem, qui suam potissimum in corde (quod fons est uitae) sedem habet, exterior uero in moribus: et est perinde quasi id diceret, Homo interior ab omni corruptione alienus, atque a turbis semotus, sit totus pudicarum foeminarum ornatus, sit cerussa, sit purpurissum, sit fucus, sit (ut semel dicam) uera illa pulchritudo ac decor, qui gratior futurus sit Dei oculis, addo et mariti, quam mundus ille totus mollissimus mulierum, quo uel ipsae foedissimae sedentariae

{1555 p. 154}

uti solent in lustris. Oro, cui unquam ex maritis cultus istius generis placuit in uxore, qui communis asset eum meretricibus? Certe satis ornata est mulier, quae honesto compta est cultu suo uiro, non caeteris: alioqui uenum se exponit, et si non re ipsa, opinione tamen ac fama mulier huiuscemodi usa uanitate, quam cum scortis publiceque prostitutis conuenire diximus. Istiusmodi quidem imposturae forma

praeter id quod animi parum pudici indicium est, periculis procisque se exponit infinitis. Stata igitur tutior et naturalis. Qui cultus coram Deo eximius est et magnificus. In eo sane tota uis pulchritudinis mulierum esse debet, ut animum plane candidum, atque erga uiros suos fidelem, pacatum, abhorrentemque a dissidii habeant. Nam cor sic affectum qui ornatum alium, qui Deus non sit, aut qui Dei pietatem non referat, optabit aliquando? Atque eundem cultum ipsum esse arbitror, quem diuus Petrus eximium appellat et locupletem, seu magnificum: ut pote cui ne diuitiae quidem amplissimae comparari possent. Et ut ad maiorem tam sancti cultus ornatum accenderentur mulieres, exemplum Sarae posuit uxoris Abraae, foeminae sane pudicissimae ac sanctae.

|1 Peter 3.5-6| Sic quondam, et sanctae mulieres sperantes in Deo ornabant sese subiectae propriis uiris, sicut Sara obediebat Abraae dominum eum uocans cuius filiae factae estis beneficientes, et nullo timore perterritae.

In eo (ait) totum suum uoluerunt esse ornamentum ac pompam antiquae illae foeminae, si suis ultro subiectae essent maritis. Et id quidem nullo superuacaneo exterritae metu, sed ductae amore potius, atque erga illos reuerentia. Nec mirum profecto, nam spem omnem suam

{1555 p. 155}

in Deo, non in rebus caducis esse decreuerant. Talis fuit Sara Hebraea, quae cum magna esset ac nobilis, uirum tamen suum dominum appellare non uerebatur. Postquam consenui, (inquit) et dominus meus uetulus est, uoluptati operam dabo? En quomodo lectissima mulier uirum suum dominum appellat. Est quoque aliud timoris genus nonnunquam in coniugiis frequens turpe illud quidem, et detestandum: cum ne uiri alio se uertant, uerentur uxores: unde anxietas quaedam mentis meticulosa nimium ac turbida (quam zelotypiam appellant autores) oriri solet: qua interdum percitae nonnullae uiri sui amorem non solum sibi uanissimo ac ficto cultu, uerum etiam uerbis nescio quibus fanaticis, carminibusque ab anu, laenaue, aut saga acceptis student conciliare. Quare non iniuria ab Apostolo nostro est dictum, Beneficientes, et nullo timore perterritae. Facile enim quae istiusmodi affectae sunt languore ad minimam quanque uiri sui uel absentiam uel indignationem exanimantur, recurruntque ad medelas illas insulsas, de quibus nonnulla hactenus a nobis.

|1 Peter 3.7| Viri similiter cohabitantes secundum scientiam quasi infirmiori uasculo muliebri impartientes honorem, tanquam et cohaeredes gratiae uitae, ut non impediatur orationes uestrae.

Iam ad informationem maritorum transit Petrus: nam nihil propemodum esset actum, si omissa illorum instructione de uxoribus tantummodo moribus diseruisset [sic, disseruisset]. Itaque illos hortatur, ne quemadmodum solent pecudibus pecudes, ita suis ipsi abuti uelint uxoribus. Haud pecudes illae quidem sunt, aut iccirco uiris coniunctae sunt mulieres ut despectui, promiscuaeque habeantur libidini. Si-

[Siquidem]

{1555 p. 156}

-quidem a maritis contemptae, pro scortisque habitae (hinc rixae, odiorumque tam ingens sub tectis illis infelicibus aliquando accumulatur aceruus, ut ingentior aut Caucasus aut Athlas minime sit) indignantur. Et certe non sunt spernendae a maritis uxores, simulue cohaeredes secum factae sunt uiuae gratiae. Gratiae inquam illius, quae ueram affert uitam, quae Deus est. Sentit (opinor) de salutis beneficio, quod Dei donum esse quotquot credimus fatemur: quare intulit, illudque gratiam uitae, seu mauis gratiam uiuam appellauit sapientissimus senex. Commune itaque contubernium inter coniuges ea debet esse scientia munitum, ac delectu eo informatum, ut quid suae unicuique parti conueniat non sint nescii: sed potissimum quid tam uitreis uasis (ut sunt mulieres) pertractandis consentaneum sit: quidue tam imbecilli naturae, mollissimaeque consuetudini, conueniens sit antidotum, non ignorent mariti. Suus enim et ipsis debetur honos in tam arcta communitate uel uitae, uel thori: ne despectui habitae, ut diximus, pro pace rixas referant et discordias: quibus sane uitis in domum aliquam, tanquam intemperis importunissimis insinuat, quid calamitatis? quid infortuniorum non subeunt utriusque? Nam ubi inter coniuges oborta est casu aliquo indignatio, morsusque exin amari et tristes, ibi nulla potest esse requies: immo quod maximum omnium censi debet, tota auertitur a diuinarum rerum contemplatione illorum mens, neque ullo unquam modo aut ratione apta fit ad commiscenda cum Deo colloquia in oratione. Quae sane res si non est miserrima, quid miserum in terris censi debeat non uideo. Quare commodum adiecit, Ne impediuntur orationes uestrae.

[1 Peter 3.8-9] In summa autem omnes unanimes com-

[compatientes]

{1555 p. 157}

-patientes, fratrum amatores, misericordes, modesti, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes.

More optimi oratoris utitur noster apostolus. Etenim multis in superioribus, quae cum ad salutem nostram in communi, tum quae ad ordinandam optime uitam inter coniuges attinent, non tam enarratis quam per membra concisis, atque ostensa illorum ui, ac dignitate omnia postea uno ueluti formato epiphonemate ac summa, pariter colligit, nouaque alia inducit. Ne multis, inquit, uos hortor ut unanimes iisdem ipsis in aedibus agatis compatientes: hoc est, similiter affecti, tactique communi fortuna. Ad haec, una eademque sit ac pertinax ad promerendum uobis Deum perpetuo inter uos studio, atque ardore spiritus, consensio conspiratioque. Sic Paulus hac de re Hebraeis scribens, Mementote (inquit) uinctorum tanquam simul uincti, et laborantium tanquam et ipsi in corpore morantes. Modesti: affabiles nimirum, atque

ad caeterorum consuetudinem commodi et humani: tantum abest ut uestris in actionibus uel morosi nimium sitis, uel superstitiosi.

|1 Peter 3.9| Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto.

Sed e contrario, lacessiti etiam bene imprecantes. Totam hanc legem et doctrinam a Christo hauserat Petrus, iccirco in supradictis de ipso loquens ita edisserit: Cum maledictis afficeretur, non remaledicebat, cum pateretur non minabatur, immo tradebat uindictam iudicanti iuste. Quantum porro illud in prouerbiis nostra abhorreat a religione superuacaneum omnino est uelle asserere argumentis, cum per se foedum admodum

{1555 p. 158}

sit, et prorsus detestandum. Ne dicas, ait Salomon, quomodo fecit mihi sic faciam ei. Conuitium itaque conuitio in religione Christi non est refellendum, sed perfringendum beneficiis.

|1 Peter 3.9| Scientes quod in hoc uocati estis, ut benedictionem haereditate possideatis.

Optatissimus is est uocationis nostrae finis, Dei haereditas, seu benedictio haereditatis: hoc est, immensa haereditas, quam sane adipisci hi nequeunt, qui a patris deerrant praescripto, exorbitantque suo a fine naturali, qui est Deus, atque illius bona aeterna. Ergo nequicquam hi uiuunt, qui sic uiuunt, cum ad hunc uiui finem debeat ab hominibus, ut bonorum coelestium post hanc uitam haereditatem assequantur.

|1 Peter 3.10| Verum qui appetit uitam illam ueram, et dies uidere bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia sua ne loquantur dolum.

Qui diuturnae (ait) uitae cupidus est in hoc etiam mundo, diesque suos appetit uidere fortunatos, en compendiarium ostendo illi uiam. Is ante omnia suam contineat linguam, atque intra dentium uallum ita seuerè arceat, ut ne semel quidem in prauum aliquod uerbum prolabi sinat. Arceat item labia illa sua maledicentiae assueta a remaledicentia, a conuitiis ingerendis, a dolisque concinnandis, quod est, eum quis bene ore precatur, animo autem male.

|1 Peter 3.11| Declinet a malo, et faciat bonum: inquiret pacem, et persequatur eam.

Mundus quidem iniuria accepta iniuriam reddit, uulnusque uulnere compensat. Quocirca cum nunquam a malo inferendo referendoque cessatur, nunquam pa-

[pacem]

{1555 p. 159}

-cem, quae uera pax sit, uidere possumus: nam repercussione iurgia facile concitantur ac rixae, patientia sopiuntur. At tu interim, qui maleuolorum iniquorumque hominum iniurias sustines, nec contumeliarum unquam finem uidere te posse opinaris, ne desperes, neque te proinde a Deo derelictum arbitreris.

|1 Peter 3.12| Nam oculi domini super iustos, et aures eius in preces eorum: uultus autem domini super facientes mala.

Immensa profecto haec est diuini amoris significatio erga suos. Caeterum ex aspectu principis qualis sit illius erga nos animus facile coniectare possumus. Sic de Deo fere ex his maxime, quae tum hic, tum alias in scripturis legimus, par est coniectare. Oculi, inquit, domini super iustos: hoc est, benigne iustis fauere solet hominibus Deus: neque unquam illos, quamuis multa ui fluctuum obrui uideantur, deserit: tantum abest, ut ad illorum preces obsurdescat. Contra uero, uultus eius super facientes mala. Pro ira atque indignatione uultum in scripturis poni haud rarus est usus: unde illud, Pones eos ut clibanum ignis in tempore uultus tui. Amore itaque ac beneuolentia suos prosequitur Deus: ira uero ac flagellis alienos: nempe illos qui laetantur in malefactis et persequitur, et ut meriti sunt ad bonum amplexandum auertit et indurat. Dicitur facile non potest quam grauem ferant sarcinam uiri iusti, si cum istiusmodi contingat hominum genere uiuere, qui sic uiuunt. Et ut hi quidem non solum dissidia spargere consueuerunt, et lites: uerum etiam refugos ipsos a discordiis atque a contentionibus abhorrentes, extremo persequuntur odio. Sic iusti non tantum (ut ait Petrus) inquirunt pacem, sed etiam persequuntur eam: hoc est, ex animo, totoque conatu sectantur pacem. Nihil sane magis in uo-

[uotis]

{1555 p. 160}

-tis habent probi quam ut pax sit, imperiumque teneat in domo Dei regina uirtutum omnium Concordia, consensioque ad bonum. Eos quidem non latet re nulla alia tam clare repraesentari in terris statum futurae uitae in Deo, quam pace. Ad quam sane assequendam reprehendendamque quasi a fuga omnibus (ut aiunt) contendendum est neruis.

|1 Peter 3.13| Ecquis est qui uobis nocere possit si boni aemulatores fueritis?

Vide quam longe semoti sint ab iniuriis fortunae sectatores pacis. Si omnibus, inquit, utiles esse studueritis, siue is hostis sit, siue amicus, quid refert? quis unquam tentabit uos laedere? Auferre quidem possunt improbi pecuniam, famam, uitam tandem: quid postea? Auferunt quae obnoxia sunt fortunae ac morti. His certe malis (ut uocant) adeo non laeduntur uiri iusti, ut uitam etiam ex illis adipiscantur aeternam. Ideo infertur,

|1 Peter 3.14| Siquid patimini propter iustitiam beati.

Iustitiam hic uocat sanctas operationes fideique ac diuinae religionis defensionem: Sic Christus: Beati eritis cum maledixerint uobis homines propter me.

|1 Peter 3.14| Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini.

Nihil in nos queunt improbi, nisi uelimus. Si quid minantur. qui obsecro hi, quorum conuersatio in coelis est, ne caduca huius mundi amittant bona uerebuntur? Timeant illorum iacturam qui ea diligunt, quique tyrannorum minas pluris faciunt, quam illius potentiam qui potestatem habet mittendi animas in geennam ignis: illi uero interempto corpore, fortunisque direptis, nihil praeterea in quod saeuire possint, habent. Quare superfluum ille omnino est timor, cuius finis tam imbecillus

{1555 p. 161}

sit, ut nihil aliud quam risum illis mouere possit: qui nullo alio afficiuntur pauoris genere, quam eo de quo sic Daud, Timete dominum omnes sancti eius. Tantum uero abest, ut non semper tranquillo degant animo, uel in cruciatibus, ut etiam ab illa penitus abhorreant perturbatione, cuius hic meminit Petrus, cum ait, Et non conturbemini: immo laeto praesentique uiuite animo: atque eo subinde laetiori, quod non desit uobis occasio uestram ostendendi uirtutem ac fidem erga Deum.

|1 Peter 3.15| Dominum autem Deum sanctificate in cordibus uestris.

En scopus ac finis afflictionum pro Christo susceptarum. Vide quid hac de re dicat Esaias: Omnia quae loquitur populus iste coniuratio est. Timorem eius ne timeatis et

pauentis: Dominum exercituum sanctificate. Ipse pauor uester sit et terror, et erit uobis in sanctificationem. Deum autem sanctificari in cordibus nostris id esse arbitror, quaecunque occurrant aduersa ab illius pendere subsidio, illique fidere, atque illum laudare: nam iustus dominus in omnibus uis suis. Unde toto hi errant coelo, qui queri solent de occultissimis iudiciis Dei, deque illius prouidentia (sic talpae sunt) expostulare. Ecquid (aiunt) id potius quam illud agit Deus? Cur non ulciscitur, cum Deus ultionum esse ab omnibus praedicatur? Qui malos tandiu tolerat? Quomodo tam scelestos fert magistratus? Videtne quae iniquissima fiunt in terris? Hisce autem tam inconsideratis querelis, ab animoque plane aegroto profectis respondet Daniel: Domine, inquit, quaecunque fecisti nobis, in uero iudicio fecisti, quia peccauimus: unde nobis confusio, tibi honor et gloria.

[1 Peter 3.15] Quaecunque igitur accidant, ne contur-
[conturbemini]

{1555 p. 162}

-bemini, parati semper ad satisfactionem omni poscenti uos rationem de ea quae in uobis est spe.

Fere Christianus non est, qui quamobrem Christianus sit ignorat. Tota haec res in fidei cardine uersatur. Quocirca si quis me cur sic sperem percunctetur: audacter respondebo, Quod Dei pollicitationibus nixus illius confido clementia ac fide. Ille enim qui me e nauis ista miseriarum euocauit, is me iussit caducis rebus calcatis, spretoque mundo isto infido, ac sui dissimili, in se solo sperare, ab ipso pendere, atque ipsum tanquam fidissimam cynosuram, in hoc uasto periculosoque turbarum freto intueri. Quam (oro) afferre possum aliam ad id asserendum quod uolo rationem? Cum quidem tam efficaci uiuitur persuasione ac fide (ut diximus) cuius etiam sit naturae ille, quem supra omnia cum amare, tum quaerere, tum potissimum ab eo bona aeterna sperare iam inde ab eodem ipso fontis lauacro didicimus, non solum non ignoramus, uerumetiam copiosissime aliis praedicare idonei sumus, tutique uiuimus, atque ad satisfaciendum omnibus qui nos sciscitantur de his quae credimus speramusue parati: non tamen rixosis, quae neque ab odiis sunt alienae, id agendum est altercationibus.

[1 Peter 3.16] Sed cum modestia et timore conscientiam habentes bonam, ut in eo quod detrahunt uobis tanquam malefactoribus, confundantur, qui calumniantur uestram bonam in Christo conuersationem.

Sal id est spiritualibus escis omnibus tam necessarium, ut eo neglecto, nostrae omnes, quamuis rectae et graues,

{1555 p. 163}

insipidae reddantur actiones, atque apud Deum uanidae. Quare id absque controuersia affirmari potest, nihil felicius homini contingere posse, quoad hic uiuitur, bona conscientia, deque recte factis memoria. Et certe laniena quaedam dira est, ac tygride omni crudeli saeuitia superior, mens illa in homine, quae perpetuis ob malefacta lacerata morsibus, lacerat et ipsa quicquid candoris, quicquid fidei, quicquid inest in homine, quod diuinae capax sit lucis ac uitae. Obbrutescat prorsus necesse est homo, qui a monstro hoc immani perpetuo laniatu exeditur et torquetur. Replicat ferme Petrus, quod in superioribus monuit dicens, Conuersationem uestram inter gentes habentes bonam. Illud quoque, Haec est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis molestias. Iam diximus facile nostra integritate, et modestia, moueri erga nos homines, etiam infideles: ita a nobis alienari usu turpi uitae, et dissolutione. Quare danda est opera, ne cui malo exemplo simus, ac ruinae. Piaculum id ingens esset, peneque inexpiabile. Vitae itaque modestia, timor item Dei cum tuto conscientiae testimonio, eae sunt partes potissimum illae, quarum gratia, si cui quispiam male uult, istuc illi contingere oportet, quod abiecto odio, simul et obtrectandi facilitate, pudore suffundatur: uisisque in illo, cui detrahare consueuerat, tam diuinis uirtutibus et gratiis, conticescat, atque ab inueterato iam maledicendi habitu et usu sileat penitus: imo (quod haud raro accidit) pro calumniis antiquis nouas reponat laudes, pro odio amorem, pro saeuitia beneuolentiam. Adeo efficacissimae est energiae probitatem prae te ferre in moribus ac uitae filo.

|1 Peter 3.17| Melius est enim beneficientes (si uoluntas Dei fuerit) pati, quam malefacientes.

Simulac praefixa manet Dei sententia, atque inuariabi-
[inuariabilis]

{1555 p. 164}

-lis uoluntas, ut sui ab improbis durissima quaeque subeant: satius proculdubio erit, istiusmodi malae fortunae necessitatem experiri ob benefacta, quam ob male: contra nimirum quorundam opinionem, qui aliquo affecti incommodo, iacturaque uel nominis, uel fortunarum, queruntur, clamantque se aequo animo praesentem ferre posse acerbiter, si uera illa essent, de quibus falso tam male audiunt. Turpis haec est persuasio, nimisque improuidi hominis et uecordis, cum illud tandem secretissimum sit diuinae prouidentiae consilium, ut probi ab improbis tantisper dum hic uiuitur diuexentur, atterantur, subque illorum malleo atque incude complanentur. Ita profecto egit in terris magister omnium Christus, cum tamen innocentissimus omnium esset, imo ipsamet iustitia. Crucis tamen supplicium tam immane, tam cruentum, tam infame non detrectauit: oblatumque a patre, haud pro sua quidem tutanda conciliandaque salute, sed pro nostra omnium, qui immedicabili plane detinebamur aegritudine ac morbo, non exhorruit.

[1 Peter 3.18] Quia et Christus semel pro peccatis mortuus est iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, uiuificatus autem spiritu.

Sic ex Graeco transferunt, quo uim uerborum maiorem in uocibus illis, mortificatus, uiuificatus, agnoscas, si ad Christum illas referas: ut sit sensus, Nimium delicati id esset animi indicium, non sedato ferre animo ac forti aduersa, atque ea omnia, quamuis amara, quae nobis propter peccata nostra ab iniquis irrogantur hominibus, postquam Christus (quem non uelle imitari summum esset scelus) tam amaros, ut scimus, perpressus est

{1555 p. 165}

cruciatus: non pro suis quidem, sed pro alienis omnino peccatis. Et quidem certe id semel egit, pro omniumque erratis semel, haud pro quolibet peccato uno plures luit poenas, atque copiosissime (cum tamen innocentissimus omnium esset) satisfecit, ut nos offerret Deo. Finis itaque mortis Christi, atque illius tormentorum is fuit: ut nos, qui refugi eramus a Deo ac rebelles, ipsi summo patri reconciliaret, reconciliatosque offerret. Nec porro summa absque ratione est dictum Semel: siquidem hoc spreto iam non relinquitur hostia alia pro peccatis. Semel, ait Dauid, loquutus est Deus. Semel itaque Christus ea parte qua mori potuit satisfecit abunde: iccirco ait Petrus, Mortificatus carne. Altera uero parte, qua cum Deus et ipse patri aequalis est uiuit semper, uitamque omnibus illis impartit, qui secum et semel et cito mori malint, quam diuturnam uitam uiuere cum caeteris caducarum rerum amantioribus, quam illarum, quae aeterno fulciuntur aeuo in coelis. Proinde parum tuta uita eorum uidetur esse, qui plusquam semel mori uolunt anteaquam demigrent a corpore: quod sane semel etiam fit, haud pluries. Tunc enim animae discedentes a corpore eo proficiscuntur, unde amplius sua ad inertia non sinuntur corpora redire, nisi post rerum omnium interitum atque inuouationem. Illo uero mortis genere, quo semel mori cum Christo etiam non abeunte anima a corpore necesse est, fit peccati interitu, atque superuacanei terrenarum rerum studii et amoris occisione. Quod sane mortis genus mundi sapientibus incognitum, nobis autem per Christi mortem reuelatum, in baptismo perfici cum credimus, tum ut rem et raram et diuinam tum necessariam proni ueneramur, et de qua haud multo post nonnulla dicturi sumus. At iam ad difficillimum diuinissimi apostoli locum peruenimus, quem de illis unum esse arbitror, quos asserit Hie-

[Hieronymus]

{1555 p. 166}

-ronymus ita arduos esse et difficiles, ut doctissimos quoque homines ad eorum intellectum caecutire faciant, et hallucinari.

[1 Peter 3.19-20] In quo et iis qui in carcere erant spiritibus, ueniens praedicauit, qui increduli fuerant olim cum semel expectabatur Dei longanimitas in diebus Noe cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo animae saluae factae sunt per aquam.

Graecorum opinionem ferme omnium, et maxime diui Gregorii Nazaneni, qua asserunt Deum ex praenotione futuri status animarum ac fidei mensura, si in corpore diutius uixissent, salutem interitumue inferre solitum: quoniam Latinorum aures offendere uideo, alium hic sensum quaerendum esse iudico, non nouum quidem illum, neque eum quem in re tam difficili uerissimum esse opinor: sed eum sane, quo percepto, minus forsitan animus dubius remaneat, et inquietus. Fatendum et illud uidetur, permulta apostolos (ut erant purgatissimi intellectus homines) in spiritu uidisse, quae nos homunculos crassos nimirum atque hebetes fugiant: ut plane sunt quae hoc in loco de incredulis apud inferos, deque Christi praedicatione ad illos enarrantur. IN QUO. Ex Graeco uertunt quidam, Quapropter, uel huius simile: ut sit sensus, Christum IESUM, quo ostenderet uim suae mortis non tantum his utilem futuram, qui post eius aduentum nascituri erant fideles, uerumetiam illis, qui praecesserant, quique in sede quadam tuta apud inferos (quem sinum Abraae nuncupari legimus) seruabantur, ad illos uisendos descendisse: quo cum peruenisset seque illis tamdiu expectatum ostendisset, cursum salutis peractum esse: iccirco paratum praemium:

{1555 p. 167}

atque unam omnino et Dei et hominis factam esse felicitatem annunciauit. Qua sane praedicatione id actum esse, quod pii illi homines quibus cum Dei religio semper placuisset expectassentque intrepidi quae Deus pro hominum salute acturus esset, fidemque praedictionibus hortatibusque sanctorum adhibuissent, uiso auditoque Christo, in quem uenturum apportaturumque salutem, atque de carcere illo, et si tuto, obscuro tamen et caliginoso liberationem credidissent, mirabili inauditoque affecti sint gaudio. Qui uero increduli cum uiuerent extitissent, uaticiniaque de aduentu reconciliatoris contempsissent uixissentque exleges, extremo miserrimoque contabuerunt moerore ac metu, ad eum omnino modum illorum, qui neglecta praedictione Noe de diluio quamprimum affuturo, senis laborem in extruenda mole illa arcae ingenti deridebant: immo, quod dictu horrendum est, Dei patientiam, atque ad toleranda illorum scelera lenitatem perpetuo duraturam tum sibi, tum caeteris persuadere conabantur: quare ab apostolo est dictum, Cum semel expectabatur Dei longanimitas: hoc est, Dei patientiam nunquam desituram, proinde semper expectandam esse iactitabant. Nimum profecto de Dei lenitate sibi promittebant Dei hostes. Quocirca cum hac fere essent omnes imbuti persuasionem atque incogitantia, turba plane illorum innumerabilis, octo exceptis, qui cum Noe ad Arcae praesidium confugerant, interiit. Hi quidem pauci Arcae beneficio seruati sunt ab aquis, in quibus illi infelicissime suffocati interiire, hi inquam fide nixi, illi diffidentia et temeritate corrupti diuersum sortiti sunt finem. Et quemadmodum sancti illi patres quam magna affecti sunt laetitia, ut diximus, inspecto Christo: sic alii eum praedicantem, cuius fidem dum uiuerent despexerunt, aut minus uera

annuntiare opinati sunt: aut si ue-

[uera]

{1555 p. 168}

-ra ea esse non ambigebant, eo se tamen peruenisse sua culpa cernebant, ubi fidei locus iam esset nullus. Nam fides nusquam nisi in iis qui uiuunt in corpore uim habet et efficaciam. Id dicit Petrus, ut ad Baptismi tandem mysterium explicandum deueniat, unde infert,

|1 Peter 3.21-22| Cuius figurae nunc respondens Baptismus (quo non carnis sordes abiiciuntur, sed quo fit ut bona conscientia respondeat apud Deum) nos quoque saluos reddit, per resurrectionem IESU Christi, qui est ad dexteram Dei profectus in coelum subiectis sibi angelis, et potestatibus, et uirtutibus.

Eritne uero alienum ab instituto, antea quam caetera prosequamur, huic (quam modo posui) difficillimi loci intelligentiae sensum alium, quo copiosius rei difficultas pertractari possit, addidisset. Sic itaque aliter atque est dictum dici potest, Sanctissimum apostolum, ut sempiternam indiffinitamque Christi uitam ac spiritum absque principio temporis ullo extitisse assereret, istiusmodi usum assertionem, Nullum scilicet tempus unquam fuisse cui Christus non superuixerit, uegetaueritque omnia, ac suo in statu, quem ipsemet (ut pote orbis terrarum effector) rei cuilibet esse uoluerit, tum seruauit, tum perpetuis adauxerit beneficiis, ditaueritque donis illis amplissimis, quae nos etiam, nisi prorsus ferrei sumus, experimur: et hisce omnino oculis intuemur et contemplamur. Verum praestantiori quodam genere beneuolentiae, curaque exactiori atque amore, nostrum genus alioqui contumax et ingratum, semper tutatus est tutaturque continue, fouet, alit, amplectitur, perficit: et demum post tot exantlatis infortuniorum mon-

[monstris]

{1555 p. 169}

-stris, quibus proborum uita semper exposita fuit atque obnoxia, foelicissime ad se trahit: quod sane de caeteris animantibus dici posse non est qui dicat, nisi rationis expers sit omnino ac brutus. Eo quoque excellentissimum prophetam spectare censeo cum aliis, tum potissime illo in psalmo plane diuino. Cum enim dixisset iumenta simul et homines cum rebus caeteris Deo curae esse, eaque omnia ab illius pendere manu atque ope, mox intulit, Filii autem hominum sub tegumento alarum tuarum sperabunt. Cum haec itaque ad hunc se habeant modum, necesse est fateri, Christi spiritum saluti prae caeteris rebus humani generis uariis semper rationibus et uiis consuluisse: atque assiduis occultisque uel ab ipsis mundi exordiis cum afflatibus tum uatum praedictionibus prospexisse. Et quam sane uim diuinam aeternam ue in Christo naturam atque erga homines beneuolentiam altera in epistola celebrare uoluisse Petrum ipsum arbitror, cum scripsit, Christi spiritum quid de Christo futurum esset denuntiasset prophetis. Atqui si etiamnum ambigis, is ipse spiritus est,

qui in rerum primordiis superferebatur (ut inquit Moses) aquis, illisque incubabat: molem scilicet illam primam rerum indigestam ineffigiatam, confusamque, (quem chaos appellarunt antiqui, nostri aquas abyssumue, aut terram) et fouens, et uim illi impartiens distincte educendi gignendique ea omnia (ut sic dicam) nominatim, quae simul sata concretaque in unum quiddam coibant indistincte et confuse. Aeternum igitur esse Christi spiritum fatendum est: atque eum quidem, qui quemadmodum aeternus est, sic hominibus (nobilissimo utique suae admirabilis prouidentiae opificio) singulari nunquam defuit praerogatiua, ad illosque perpetuis usus sui amoris indiciis: ueniens, ut inquit Petrus, cunctos semper hortatus est, lucisque illis tantum attulit, quantum ad bene

{1555 p. 170}

sanctaque uiuendum satis uideri poterat: siue hi fuerint probitatis, atque adeo diuinae religionis sanctaque uiuendum satis uideri poterat: siue hi fuerint probitatis, atque adeo diuinae religionis studiosi, quibusque coelum ipsum beatorum uel in corpore positus patria fuerat, mundus uero diuersorium, et id sane graue et molestum: siue ex iis extitissent, qui facinorosam cum agerent uitam, neque finem peccandi reperirent ullum, carcerem hunc tum mundi, tum proprii corporis, (seu antrum appellare libeat more Platonico) tanquam ueram tutamque patriam ac domum incoluere: ut plane de illis dici potest, qui tempore Noe a spiritu Christi ubique praesentis admoniti, partim aure facili diuinis auscultaunt praeceptionibus: partim uero obcaecati, suapteque sponte salutare auersati exhortationes, ut increduli uixerunt, ita ultro hostes Dei effecti, iudicatique, miserabili perierunt interitu, aquis obruti. Cuius figurae, inquit, nunc respondet baptismus. Ex his itaque, quae attulimus, haec uolunt intelligi de Christi spiritu sempiterno: qui non solum ad inuisendos patres apud inferos iam a mortuis suscitatus, uerumetiam antea ad uiuos ipsos iuuandos perficiendosque descenderit, clausos nimirum in mundo hoc tenebroso, ac specu corporis angustiore, quam etiam ut libere a tam ampla re, ut est anima rationalis, solaque in terris capax diuinitatis, habitari queat. Atque haec omnia peregit Christus ui spiritus sui, ad id potissimum spectans, ut bonos in ueris bonis firmaret, malos autem a sceleribus deterreret, atque eximeret: qui mos fuit illi proprius ab aeterno et peculiaris, ut nos quoque in praesentia mirabili gustamus suauitate, sentimusque spiritum ipsum Dei nostrum nunquam non alloqui, arguere, monere, ad sese trahere: et ne diutius in malis oberret, metum illi iniicere, ut uerissimum illud prophetae esse haud ambigi possit: Firmabo, inquit, super te oculos meos: seu ut legit Chaldaeus, super te in bonum oculum

{1555 p. 171}

meum. Quod perinde ualet, atque si ex ore Dei dixisset Dauid, Curam tui habebam perpetuam, uiamque quam te accipere cupio nutu oculi, ut res solent secretissimae peragi, demonstrabo. Is igitur (ne multis) est spiritus Christi qui hic loquitur, semperque locutus est, neque unquam loqui cum omnibus desinet: sed cum his praecipue, qui ut sui essent ab aeternis secreuit saeculis, legem illis statuens in uia quam elegit. Sed de Baptismo iam est dicendum. Cum iam inde ab exordio rerum conditarum decreuisset Deus genus humanum sua culpa corruptum atque proinde in

perpetrandis sceleribus pertinacissime inueteratum, per baptismum illum, qui uim omnem eluendi animarum sordes a Christi morte nancisceretur, iri recuperatum: id antea cum signis, tum praedictionibus patrum frequentissimis, ne uti rem nouam exhorrescerent homines, innotescere uoluit. Inter quae quidem signa illud fuit omnium celeberrimum, quo in uniuersali illo orbis terrarum diluuiio, de quo nunc loquitur Petrus, quid Deus in baptismo optaret fieri, abunde intelligi posset. Voluit tum sane Deus fidem haberi uerbis Noe cum diluuium illud fore breui praediceret. Voluit et illud quod tali exterrefacti uaticinio homines resipiscerent, omissoque antiquo illo in malis committendis usu atque habitu, ad Deum, unde peccando aufugerant, reuerterentur, arcamque cum Noe domo ac familia ingressi ab imminente seruarentur interitu. Abnuit tum maior pars hominum, qui cum diuinam minus extimescerent ultionem immo diuturnam Dei dissimularent patientiam lenitatemque in inferendis poenis tam pii domini despectui haberent: iccirco neque resipiscentes, neque a ueteri peccandi studio ne parum quidem temperantes, arcae refugio nequaquam usi sunt. Quare auersi a Deo miserabili fuerunt exemplo posteris, quanti esset periculi diuinae non

{1555 p. 172}

obtemperare uoluntati: atque proinde neque quae in primo ortu ex lege naturae sancita erant, neque quae in secundo per Baptismum seruare uelle. Verum ut illi Noe diluuium praenunciante non credentes, nec spiritui Christi, quem Noe tum loquebatur fidem habentes, in aquis poenas dederunt meritis suis sceleribus: ita eos, qui modo doctrinae Christi non assentiuntur, quique poenitentiam spe uana delusi de die in diem differunt, aquasque illas, quarum lauacro haud sordes quidem corporis, sed animae abluuntur, negligunt perire necesse est. Cuius (ait) figurae nunc respondens Baptismus nos quoque saluos reddit. Quasi dicat Petrus, Omnes Deus, ante quam ab interiori aquarum diluuiio summergantur, ad resipiscentiam (ut olim illius tempestatis homines hortabatur) et hortatur, et expectat. Verum de se ipsi actum esse certo sciunt, nisi fide Christi uerbis adhibita poenitentiam agere non procrastinentur. Cum dicunt enim Pax, Pax en improviso repentinus emergit turbo ac mors. Non intelligo (inquit Petrus) de Baptismo ac lotione corporum, quae lotio ad Iudaeos magis attinet, quam ad Christianos: sed de Baptismo spiritus, quo maculae exterguntur animae: cuiusque effectus istiusmodi est, quod tutam quietamque reddit conscientiam, et ad respondendum Deo, ecquid de se testetur percunctanti, et promptam et eruditam. Quapropter nihil hic aliud esse conscientiae responsionem ad Deum arbitror, quam declarationem quamdam testificationemque penes Deum, quae fit in Baptismo: aequaeque pollet, atque si dixisset, baptismus quo seruari oportet non est quidem lauacrum quo notae mundantur corporeae, sed significatio declaratioque nostri fidelis animi erga Deum: qua nimirum attestatione sordes actutum quamuis obscoenae (ut aqua solent corporeae) in anima exterguntur. Et id sane totum ob uirtutem maxime resurrectionis Christi

{1555 p. 173}

contingit. Nam ut nihil propemodum pro nobis egisset Christus, si solum contempta resurrectione mori uoluisset, ita nullam assequeretur mundiciam anima in ablutione

illa membrorum quae fit in exordio fidei, nisi uerbum uitae, cui fides innititur, suas exequeretur partes interius, quae est quaedam animae a morte inflictata a peccato resurrectio ac noua uita. Tingitur itaque atque etiam abluatur, si lubet, sorde a corporea homo in Baptismo, anima uero a sorde illa letali, qua inhaerente tota quanta est foedatur auertiturque sua aborigine, et cui nulla unquam profutura sit ablutio exterior absque fide, qua uere purgantur animae in Deo. Per fidem, inquit Paulus, oraculo admonitus Noe, ea quae nondum uidebantur ueritas, apparauit arcam ad salutem domus suae: per quam arcam condemnauit mundum, et eius quae secundum fidem est iustitiae factus est haeres. Is igitur finis est fidei ac Baptismi: sed illud est pauoris plenissimum, Octo tantum homines inter tot hominum myriades seruatos esse in arca. Arca quidem nostram adumbrabat ecclesiam, octo uero animae paucitatem seruandorum: at colluies illa hominum innumerabilis summersa fluctibus innumerabilem eorum turbam, qui damnandi essent, praetendebat. Cum haec igitur ad hunc se habeant modum, qui fit quod tanta nunc inter homines uiuatur oscitantia? tanta animorum stupiditate? Sanctissimis quidem parendum est ulla absque conctatione ecclesiae ritibus et sacramentis, inter quae sacramenta primas tenet baptismus: sed ante omnia in ritibus et sacramentis quaerenda est medulla spiritus cultusque animae interior: quo sane neglecto, ecquid frustra in his desudamus, quae parum utilitatis nobis sunt allatura? Multum certe affert commodi, multum utilitatis, multum ut res necessaria emolumentum, atque ad salutem adeundam et roboris et uigoris

{1555 p. 174}

Baptismus quo nunc utimur, modo non absit fides, arca nimirum foederis, sinisque salutis tutus. Atque ea quidem omnia contingunt nobis Christi cum benignitate, tum potentia, tum mirabili illa sua incomprehensibilique, atque ipsis infernis spiritibus extimescenda cum patre aequalitas, Qui est in dextera Dei, profectus in coelum, subiectis sibi angelis, et potestatibus, et uirtutibus. Sic Paulus quoque de patre loquens, Suscitans illum, inquit, a mortuis, et constituens ad dexteram suam in coelestibus super omnem principatum, et uirtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed in futuro: hoc est, Si quod aliud est nomen spirituum quod ignoramus, reuelandum tamen in futura uita. Ac omnia demum subiecit sub pedibus eius: ut qui omnia (tanta est Christi potentia) in omnibus adimpleat, satisque pro omnibus sit rebus.

CAPUT III.

|1 Peter 4.1| Christo igitur passo pro nobis carne, et uos eadem cogitatione armemini.

Maxima ea omnium esset in homine ignorantia, atque error, illius nolle in toto uitae suae cursu tum memoriam retinere, tum uitae disciplinaeque uestigia et complecti studio, et moribus imitari, cuius beneficio se intelligit omni ab errore animi reuocatum esse, atque ex morte ad uitam felicissime restitutum. Hisce enim simul collatis eum unum esse iudicat, qui potentissimus omnium sit atque sanctissimus: cuique salutem cum suam, tum omnium hominum iri commendatum oportere:

quemadmodum ab ipso illam omnes excellentissimo quondam uel ipsis aeternis beatisque spiritibus haud plene cognito et accepere mysterio, et nunc, uti

{1555 p. 175}

solent dona gratuita ab illo nisi prorsus ingrati esse uelint, profectam confitentur eamque illi ferunt acceptam in cuius amore libentissime conquiescunt. Christo igitur passo pro nobis carne, et uos eadem cogitatione armemini. Is ille est, cui quicquid bonorum, quicquid uitalis uigoris inest in nobis, quicquid gratiarum, pacisque atque animorum securitatis et uitae obtinemus id totum acceptum illi referimus, ab eoque ob praeclarissima sui eximii amoris erga homines signa praeterita, atque indicia suae infinitae potentiae cunctas beate perfecteque uiuendi formas extrahere sperareque didicimus. Quare ipso passo pro nobis carne, ecquid obstat quin et nos eadem qua ipse cogitatione, iisdemque ipsis omnino armis atque eodem animi proposito armemur cum illo? Tuta semper fuit, atque hostium telis impenetrabilis armatura Christi. Qui sic armatur in congressu cum hostibus securus est, ac siue eminus, siue cominus res sit agenda, uictor ex acie discedit. Tolerantia itaque, atque in aduersis, mortisque ipsa in acerbitate ac dolore excellentissimo cum fidei tum constantiae protectus clypeo Christus, armatusque innocentiae lorica, atque ense accinctus iustitiae, in medium cum hoste arrogantissimo saeuoque dimicaturus prodiit circi: e quo uictor tandem ipso debellato, profligatoque illius imperio, atque extincta durissima illius tyrannide, excessit e uiuis: onustusque spoliis prostrati hostis captiuam secum duxit captiuitatem. Duo igitur tam periculoso in bello egit Christus: unum quidem, quod nos ex hostium dominatu, duro illo quidem et insupportabili uendicauit: alterum, quo effectis iam liberis exemplum foret patientiae: atque illos quibus deinceps utendum esset armis commonefaceret, doceretque bellandi modum, quod et fecit.

{1555 p. 176}

|1 Peter 4.1-2| Quia qui passus est in carne, desiit a peccatis ut iam non desideriiis hominum, sed uoluntate Dei quod reliquum est in carne uiuat temporis.

Ergo, inquit, qui ad sui ducis exemplum corporeas afflictiones, mundique iniurias pacato tolerat animo: mentemque ad crucifigendas cum Christo appetentias, motusque rebelles animo perfringendos subiugandosque spiritui assuefecit, is absque dubio rebus hisce omnibus quibus ut plurimum obedire solent homines suppeditatis, uni soli adhaeret Deo: cuius uoluntate fretus nixusque, quod reliquum est uitae, id Dei totum consecrat religioni. Quare danda est opera, et cunctis (ut aiunt) neruis contendendum, ut ne deinceps secundum concupiscentias, quibus humana corrumpi solet uoluntas, nostra traducatur uita: neque amplius conformes esse uelimus impuro huic seculo: sed Deo potius, atque sanctissimae illius uoluntati, qua eo nos uocat, seiungitque a turbis, ut unuquisque [sic, unusquisque] nostrum uas suum possideat in sanctificatione et honore.

|1 Peter 4.3| Sufficit enim praeteritum tempus ad uoluntatem gentium consummandam.

Satis, inquit, nimium indultum est carni, satis concupiscentiis, satis seruitum est mundo: hoc est, nimium diu secundum uulgi uitam uiximus, illorum nimirum sectantes consuetudinem, qui perpetuo ueluti studio mali cum sint,

|1 Peter 4.3-5| In lasciuuis, in concupiscentiis, in uinolentiis, in comessionibus computationibusque, ac nefariis simulacrorum cultibus commarcescunt, uiuuntque Deo mortui.

{1555 p. 177}

Unde admirantur non concurrentibus uobis in eandem luxuriae refusionem, blasphemantes: qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare uiuos et mortuos.

Res sane tremenda, nostrum quemlibet tali iudici subiici oportere, qui tum uiuos tum uita functos diiudicaturus sit: atque illorum siue actiones, siue animi conceptus trutina (quod aiunt) expensurus aurificum. Esto suis in sancendis legibus, sententiisque promulgandis homines caeco aliquo impediti iudicio connueant atque errent: Deus autem ab omni errore humano remotissimus cum sit, omnia aequissima collibrat lance ac statera, cuilibet quod suum est iustissime tribuens. De uiuis, atque de iis, qui e uita excesserint a Deo Opt. Max. diiudicandis, tametsi de illis, quos Christi aduentus uel uiuos uel mortuos inuenerit, intelligunt plerique, de impiis tamen ac pii hunc cursum totum orationis diuus interpretatur Augustinus, uel ob id maxime quod mox infertur, Propter hoc et mortuis euangelizatum est. De illis enim, qui iam e corpore demigrarunt, id minime dici posse arbitratur, cum hos asserit in carne iudicari. In hac, inquit, uita mortuis (hoc est, infidelibus et impiis) euangelizatum est, ut cum crediderint luant poenas carne, ut mos est hominum: caeterum uiuant Deo spiritu. Siquidem id humani prorsus est iudicii, ac potestatis, homines poenis corporeis ob commissa scelera mulctare, nihil praeterea. Dei uero proprium est, atque excellentissimae illius naturae conueniens, aut parcere, aut mulcta affectos afflictosque uiuificare, ac spiritu ad se trahere: idcirco additur ab apostolo,

|1 Peter 4.6-7| Propter hoc enim et mortuis euangelizatum est, ut iudicentur quidem secundum

{1555 p. 178}

homines carne, uiuant autem secundum Deum spiritu. Omnium autem finis appropinquauit.

Totum sane bonum hominis in interioribus locatum est animae recessibus, et si carne atteri contingat et corrumpi. Id dicit Petrus, ne a resipiscentia, et spe ueniae ob facta illa quorundam improba, propter quae a Deo uera uita se ultro abdicarunt, exterreat.

Hi uere mortui sunt, licet in corpore adhuc uiuant bene lauto et omentato. Hi, inquam, in sinu fortunae lasciuientes, perquam maximo detinentur animi stupore et admiratione, cum nostra cernunt temperantia suum damnari luxum. Mirantur dico, ac tanquam de re insolita et peregrina obstupescunt, ad suam nos illam ferme uniuersalem uoluptatum refusionem, exuberantiamque deliciarum non concurrere: immo huiuscemodi suam ipsorum uitam tam suauem, tam delitiosam uti anguem exhorrescere auersarique, ac nostra damnari frugalitate atque usu rerum earum, quibus in Deum continenter ferimur, illique unimur. Luxuriae nomine omnem luxum, intemperantiamque uitae intelligit: ex qua infinita oriri solent desyderia: ex desyderiis uero, et concupiscentiis monstra illa naturae corruptae, uinolentiae scilicet, comessationes, comotationes, nefariusque idolorum cultus, atque illa tandem omnia, quae in sapientiae libro legimus: Omnia, inquit, commista sunt: sanguis, homicidium, furtum, fictio, corruptio, infidelitas, turbatio, periurium, tumultus, bonorum uerorum obliuio, animarum inquinatio, nuptiarum inconstantia, moechia, impudicitia. Qui igitur tam uasta premuntur uitiorum mole ac sarcina, de nostra obmurmurant integritate, detrahunt innocentiae, atque a congressu proborum tanquam a re, suo a proposito remotissi-

[remotissima]

{1555 p. 179}

-ma, ac noua omnino abhorrentes, quicquid in buccam uenerit de illis obloquuntur (blasphemantes ait) atque effutiunt. Verum haec omnia risu digna censenda sunt, simulatque omnium rerum finis appropinquauit. Perampla haec est proborum consolatio, cum recolunt cursum ad mortem celerem esse ac breuem: uitae uero adaptionem adoptionemque diuturnam, atque aeternis conclusam limitibus. Praeterit certe perinde ac rota figuli uita hominis, fugitque ueluti umbra serotina quicquid uiuitur in hoc mundo. Tunc finis (ait Paulus) cum tradiderit regnum Deo ac patri, et cum euacuauerit omnem principatum, et potestatem, et uirtutem: hoc est, cum superbissimum abstulerit hominum dominatum, daemonumque tyrannidem et imperium debellauerit Christus, tunc finis erit uniuersi. Sunt ex Graecis qui finem hunc, cuius meminit Petrus, ad Christum referant: utpote qui ut certa est origo rerum conditarum, sic earundem, potissimum autem fidelium sit finis scopisque haud dubius: cui conformes fieri par sit eos, qui ad illius attinent religionem, quae in unione maxime cum ipso, quae in hac etiam uita per assiduas contemplationes obtinetur, est posita: unde infertur,

|1 Peter 4.7| Estote sobrii et uigilate in orationibus.

Idem ferme in Luca legimus: Vigilate, inquit, omni tempore orantes. Oratione quidem sedula ac pura fit anima Deo similis. Quare non iniuria a Petro est dictum, Vigilate in orationibus. Sed illud considerandum, sobrietatem non inedia necessariam esse in oratione: illa enim mens uegeta fit et uiuax, hac iners, languida, ieiuna.

Animo itaque estote praesenti, inquit, atque insomni cum Deum oratis, tantum abest ut a crapula suffocetur cor uestrum ac somno.

|1 Peter 4.8| Ante omnia autem mutuam inter uos

{1555 p. 180}

charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.

Videtur interpres non uidisse scopulum, in quem nostri aeui homines incursum erant, cum transtulit, In uobismetipsis: quasi Petrus asserere uoluerit cuiuslibet charitatem a seipso (sic loquuntur) incipere debere. Alioqui quomodo perdam pecuniam, ut ait Salomon, pro fratre meo et amico si sic uiuitur inter homines, ut sua quilibet in primis curet commoda neglectis alienis? Amor enim uerus ignorat modum in amando, nec ad suas magis quam ad aliorum mouetur commoditates. Quapropter is prorsus uim ueri amoris ignorare uidetur, cui ita est persuasum, ut charitatem suo ab utili potissimum metiri debeat. Agrestis nimium istiusmodi est persuasio, atque animi parum ciuilis, ne dicam Christiani. Sancitum fuit igitur lege olim aeterna, ut mutuis inter se officiis, atque obsequiis certarent homines, alterque in alterius procurandis commodis, auertendisque periculis ac damnis studiosus esset: unde uerissime a sene sancto est dictum, quod charitas operit multitudinem peccatorum. Sic Iacobus: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiae suae, saluabit animam a morte, et operiet multitudinem peccatorum. Is omnium maximus est Christianae dilectionis finis et effectus, ut qui illam perfecte obtinuerit Deo gratissimus esse censeatur: illique sua omnia, siue quae ad animum spectant, siue quae ad mores, probentur. Cum igitur ad eum se habeat modum, uiuatque in Dei amicitia perseuerans quispiam, qui poterit unquam labe aliqua peccati grauioris premi, affligique culparum sarcina? Si peccat (ut peccare et saepe, et nonnunquam enormiter, uidemus hominem etiam iustum quoad in corpore hoc uiui datur fragili et caduco) a gratia tamen tegitur et ne pec-

[peccatum]

{1555 p. 181}

-catum appareat, beneuolentia Dei mirabili cooperitur. Non displicet autem quorundam interpretatio, qui clausulam hanc, encomiumque charitatis istud sic explanant, ut operimentum illud ad proximi peccata referant: nam uim eam amoris spiritualis esse affirmant, ut peccata, quae semper praesto adsunt, quaeque ab aliis ferme patrantur, ne palam fiant, obtegat et suffocet. Quod sane a Salomone scite admodum scriptum fuit, cum scripsit Odium iurgia concitare, dilectionem autem multitudinem obtegere peccatorum, nedum unum aut alterum. At tu praeclarissimum huiusce generis amoris erga alios finem contemplare: Scimus (inquit Ioannes) quod translati sumus de morte ad uitam, quoniam diligimus fratres.

[1 Peter 4.9] Hospitales inuicem sine murmuratione.

Is inter caeteros unus est praecipuus dilectionis, beneuolentiaeque mutuae fructus, quem antiquos etiam a Dei religione extorres adamasse, deque illo optime sensisse legimus. Ait Plato, hospites omnes a Deo esse. Verum tam grata Dei oculis beneficentia animo exercenda est tum hilari, tum liberali: ne inuiti,

obmurmurantesque illud agamus, quod ultro agere debemus. Hospitalitatem, inquit Paulus, nolite obliuisci. Tantum hi, qui amicorum hospitio benigne suscipiuntur, ex illis minus sint, de quorum moribus sic legimus in Ecclesiastico, Vita nequam hospitando de domo in domum. Ergo tessera hospitii ab antiquis frequentata, nobis debet esse modestia pudorque: ne hospiti de suo aliquando hospite illud audire contingat: Hospitabitur, inquit, et pascet, et potabit ingratos, et ad haec amara audiet.

|1 Peter 4.10| Verum unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes,

{1555 p. 182}

sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.

Haec omnia nobilissimae sunt sancti amoris partes, ac membra. Ut quisque (ait) munera a Deo accepit, ita cum aliis communicare non recuset: illud cogitans, se istiusmodi donorum administratorem esse, atque oeconomum, non autorem aut dominum. Ad hoc enim sibi ea data a Deo esse, quo ex iis alios iuuat non sit nescius: neque aliis ea inuideat, quae propria illorum sunt. Ut quidem tam liberali domino uisum est suis coelestibus ornatur bonis: tantum abest, ut a nobis bona illa esse atque ex nobis oriri opinemur. Nemo itaque id arroganter, quod suum neququam est sed aliorum, sibi uendicet: sibi que iccirco creditam esse pecuniam arbitretur, quo in sudario illam ociari sinat. Sunt eae quidem ad nostros inter nos magis conciliandos, adglutinandoque animos occasiones praestitae a Deo. Qua de re cum uaria multipliciaque, atque propemodum infinita sint Dei dona hominibus collata, bona ea fide ab iis, quibus credita sunt, impartiri debent aliis, qui id appetunt quaeruntque.

|1 Peter 4.11| Unde si quis loquitur, tanquam sermones Dei loquatur.

Id sane cum pacis tum nanciscendae salutis optatae in Deo fundamentum esse existimamus: cum illi, quorum interest alios erudire, uulgoque doctrinam nostrae religionis, tradere, atque exponere, haud sua quidem somnia commentaue afferre studeant: sed Dei ipsius legem, in legeque illius uoluntatem, quantum fas est homini, aperire. Ea itaque sit, serueturque in disseminanda Dei doctrina et maiestas et ueritas, ut auditor a Deo illud esse organum, quod audit, persentiat.

{1555 p. 183}

|1 Peter 4.11| Ad haec si quis ministrat, tanquam ex uirtute, quam suppeditat Deus, ministret: ut honorificetur Deus per IESUM Christum, cui est gloria et imperium in secula seculorum, Amen.

Permulum sane interest qua quis ratione aut animo, in pertractandis rebus potissimum alienis utatur. Fultus enim illius autoritate, cuius negotia ministrat quispiam, raro sui eum obsequii poenitere necesse erit: quippe qui alterius ope subnixus et administrat, et res gerit alienas.

Tectus itaque sui domini potentia atque autoritate, quaecunque agit, ea recte agere ab omnibus iudicatur: excusaturque fere, etiam si in aliquo deerrare a recto uideatur: et praesertim si cum studio illo ac labore assumpto pro aliis coniuncta sit probitas, atque animi rectitudo. Nihil certe humanis in rebus tam prae se ferre arbitror pacatissimum futurae uitae statum, quam si optimo principi optimi contingant ministri, qui omnia iuxta sui domini uoluntatem, quae recta esse debet, expediant: amentque magis in tam ampla rerum mole ferenda sui domini honorem, ac subditorum commodum, quam propriam utilitatem.

Haud raro quidem accidit saeuos nos adeo magistratus rapacesque experiri: atque in explicandis subditorum causis, tam uel inertes, uel tumidos, uel fumum etiam (ut est adagium) uendere solitos: ut satius omnino uideri posset, minusque incommodum, populos a principe regi malo et iniquo, ministris tamen aequis et commodis, quam contra sub bono principe nefarios experiri ministros. Tantum id cupimus, ne principes naturaliter boni, sua interdum propria abusi facilitate conniueant in meridie, caecique illis in rebus esse uelint, ubi oculatissimi esse debent.

{1555 p. 184}

Nam nolle uidere quae uideri oporteat, idem omnino peccatum esse quis non iudicet quo ille arctetur, qui et sciens et prudens labitur atque errat? Si quis igitur a Deo est electus suarum rerum dispensator in terris, ut quidem ad tam nobilem inexpectatamque electus est functionem, a tam praesertim excelso potentique domino: ita se ab eo uim omnem exequendi, quae iussa sunt, accepisse suis in actionibus prae se ferre debet. Quicquid profecto honoris, quicquid laudis, quicquid gloriae, quicquid meriti tandem sua illa in dispensatione nancisci potest, id totum ad Deum, cuius administer est, et referat et effundat. Nam quemadmodum suam impartitur Deus benignissime donorum copiam: sic in eisdem illis ipsis dispensandis communicandisque cum caeteris uim ultro suppeditat, additque animum, et uirtutem. Quibus sane rebus qui recte uti sciunt, hi suis in explicandis negotiis, causisque interdum difficillimis, atque arduis diffiniendis, se ueros Dei esse ministros et dispensatores ostendunt: non tyrannos, dispensatoresque rerum sibi creditarum, quae bona fide tractari debent et syncere. Ita de legibus condendis censendum erit, quae ab humano minime prodire debent iudicio: sed habita in primis diuini honoris ratione. Munia itaque omnia, quae sunt dona Dei, pure fidelique animo exequenda sunt.

| 1 Peter 4.11 | Ut in omnibus honorificetur Deus per IESUM Christum.

Perspecta enim in ministro integritate ac fide, dominum uti autorem in seruo illo frugi laudare consuescimus. Verum neque ille, qui ob recte acta laudari solet, in se (si sapit) recte factorum laudem, sed in Deum, cuius est minister, refundi appetat: neque quaerat gloriam in re non sua. Caeterum quomodo nostris in actionibus

{1555 p. 185}

honorandus sit Deus, ita definit Chrysostomus: Deo, inquit, gloria datur si concordēs, si compacti, si consentientes inter se fuerint credentes: si uno animo, unaque mente Deum laudauerint, si imbecilliores gestauerint, si quod abrumpitur membrum non neglexerint. Id certe genus laudis in terris quaerendum est, uel solum, ne ex illis simus: censeamurque illi fauere gloriae, de qua sic Christus: Quomodo (inquit) credere potestis qui ab inuicem gloriam quaeritis? Nimum id esset arrogantis animi ac superbi, id sibi quempiam uelle sumere quod Dei proprium est. Quare quaecunque nobis agere contingat, aut loqui, aut moliri animo, ea tali condita esse debent prudentia ac spiritu, ut laudem omnem in Deo et esse, et ad eum referri desyderemus, censeamusque id totum perfectum iri per Christum: quo mediatore homo fere Deus effectus est, ob gratias plane infinitas illi caelitus concessas. Unde non absque ratione Christiformes nouo uocabulo appellantur credentes, tanquam qui in Christo uti proprio illorum fine conquiescunt: in illumque (id operante amore in primis) transformantur.

|1 Peter 4.12| Charissimi nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem uobis fit, quasi noui aliquid uobis contingat.

Solent peregrinis, quocunque suum habeant iter, noua ubique fieri obuia. Iccirco facile in rebus quoque parui momenti in alieno solo et patria admirantur. Quare (tametsi duriuscule) eo usus est uerbo interpres Peregrinari. Nolite (inquit) admirari: multumque tanquam de re noua (ut solent peregrini atque extranei) commoueri, si ad exercitationem uestrae fidei uario aduersitatum aestu exploremini. Vocat Petrus aduersitates, feruorem, cuius ui solet Deus (uti solet auri-

[aurifex]

{1555 p. 186}

-fex aurum) igne ardenti discernere, atque de illo periculum facere, cuiusmodi simus temperamenti periclitari. Et haec est aeterna quaedam diuinae erga nos beneuolentiae significatio, sanctioque uel ab ipsis primis conditarum rerum exordiis coepta, diffinitumque ab aeterno in coelis fuit, eos omnes, qui ad capescenda bona coelestia cum Deo futuri essent idonei, in aduersa prius fortunae ardore examinandos excoquendosque, et sic ad summum perfectionis apicem euehendos. Quocirca cum alias saepe in scripturis, tum potissimum apud prophetam ad hunc se iactat modum ecclesia: Saepe (inquit) expugnauerunt me a iuuentute mea. Appellat enim suam iuuentutem ecclesia, ueterum sanctorum uitam quae a iustissimo Abel coepta in Christum desiit iam anus facta: a quo sane postea innouata regenitaeque, illud primum (ex quo nouam iterum repetiuit infantiam) audire meruit: Nisi quis natus fuerit denuo, non poterit uidere regnum Dei. Quare exigua minime ea esset mollicies animi, re de illa trepidare, quae semper ab initio rerum fuit usui sanctis hominibus. Vide quid hac de re loquitur sponsa. Nigra sum, (ait) sed formosa filiae Hierusalem, sicut tabernacula Chedar, sicut pelles Salomonis. Decolorauit, inquit, me sol: hoc est, aestus aduersitatum paululum me obfuscauit. Chedar porro Ismaelis filius fuit, habitauitque ut sacrae ferunt literae in tabernaculis, et papilionibus aeris iniuriis expositis. Caeterum de Salomone legimus, quod fecit sibi de pellibus rubricatis (saeuitiam crudelemque impiorum naturam adumbrabat) tabernaculum, in quo

delectabatur. Has itaque uolubilis fortunae uices tanquam res peregrinas, recensque exortas ac nouas, exhorrescere, atque ob illarum inconstantiam exterrefieri peregrini prorsus animi est, atque extorris a Deo. Ait igitur: Nolite charissimi, ceu de re noua et insolita, ut so-

[solent]

{1555 p. 187}

-lent peregrini admirari, si uos aestu uehementi aliquo turbidioris fortunae (quod ad experimentum uobis fit) explorari contingat.

|1 Peter 4.13| Imo potius in eo, quod consortes facti estis calamitatum Christi gaudete, ut in reuelatione quod gloriae eiusdem gaudeatis exultantes.

Cum palam (inquit) fiet, reuelabiturque ea quae nunc latet gloria uitae immortalis: ad cuius possessionem non, nisi exantlatis prius turbis hisce praesentis uitae periculosissimis, uocantur fideles, inenarrabili exultabitis laetitia. Dura certe atque amara uobis proponi, et ea quidem et saepe et diu, quis it inficias? Verum illud consolationi uobis debet esse non minimae, quod hunc ad modum, atque his omnino mediis, stimulisque concitatissimis ad perfectionem digni habemini, qui socii existimemini uitae Christi, quae uita in terris perpetua quaedam fuit propter acerbitatem persecutionum et crux, et mors. Ferendum itaque pacato est animo et tranquillo illud totum, quod cum antiquis patribus tum Christo in primis necessario ferendum fuit. Quid? Nonne oportuit pati Christum, et sic intrare regnum Dei? Eiusdem (inquit) gloriae cum illo iam facti estis participes.

|1 Peter 4.14| Quapropter si exprobramini in nomine Christi beati. quoniam quod est honoris, quod gloriae et uirtutis Dei, et qui est eius spiritus super uos requiescet.

Absolutissima haec est finitio, quod qui probris ob Christi nomen affectus est, is uel in terris beatus censi debet. Qui (oro) non beatus is erit, si totius honoris, to-

[totius]

{1555 p. 188}

-tius gloriae, totius quae in Deo est potentiae ac uirtutis fit consors et particeps, atque eiusdem omnino naturae cum Christo? Transit penitus in animam iusti, in uenas, in neruos, in arterias, in ossa tandem ipsa uirtus naturaue Christi, ut uerum illud indubie esse experiamur, quo nos carnem ex carne eius, atque os ex ossibus esse, occultissimo asseuerat mysterio Paulus: quod nihil aliud prae se ferre censeo, quam quod infertur a nostro autore. Et qui est eius, inquit, spiritus super uos requiescet. Is

quidem Dei est spiritus idem omnino cum illo Deus: cuius afflatu, uigoreque et influxu qui animati sunt quomodo non dii erunt, ac filii excelsi omnes? Hi sunt nimirum effectus, is finis, is admirabilis incomprehensibilisque uexationum pro Christo susceptarum terminus: haec beatitudo nostra, haec gloria, haec uis omnis scopusque tolerandarum aequo infractoque animo aduersitatum ob Dei honorem tutandum in terris, ut deiformis prorsus euadat anima in hoc etiam mundo, non solum in coeli. Quod est, ut ille ait, in ipso esse, in ipso uiuere, in ipso moueri, atque quaecunq; obueniant unum cum ipso esse. Quae sane omnia in illa Christi definitione comprehendisse mihi uideor: Nisi, inquit, manducaueritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem non habebitis uitam in uobis. Satis itaque iam sit Dei uos habere spiritum in uobis tanquam in domicilio charissimo quiescentem: simul atque quicquid honoris, quicquid gloriae, quicquid uirtutis, et quicquid tandem est Dei spiritus uestrum factum est, atque in uobis requiescit: si tamen Christi passionibus, ut idem inquit Petrus, communicaueritis.

|1 Peter 4.15| Tantum nemo uestrum patiat, ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut tanquam curiosus alienorum inspector.

{1555 p. 189}

Notat hic Petrus quorundam curiositatem in his maxime rebus, quas nihil ad se pertinere cum non sint nescii, in illas tamen (quo quempiam calumniari possint) oculatissimi sunt inspectores: quod animi certe parum quieti signum est, et illiberalis: immo hominis, ut ait Oecumenius, ueteratoris ac dolosi, facilisque et prompti ad omne malum. Replicat ferme Petrus quae in superioribus scripsit. Si, inquit, ob malefacta affligimini, quae uestra gloria? Sed si quid patimini propter iustitiam, beati: unde sequitur,

|1 Peter 4.16-17| Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine: quoniam tempus est, ut incipiat iudicium a domo Dei.

Iudicium iniurias mundi uocat et flagella, quorum scalpro ac serra proborum uitam exerceri et expoliri, bene multis intuemur exemplis. Sic aeterno uisum est patri, ut sui in amplexibus crucis et uiuant et moriantur: alieni uero, parumper quasi quam illi probiores, intacti ut uiuant: quorumque filii sicut nouellae sunt plantationes in iuuentute sua, filiae eorum compositae, circumornatae ut similitudo templi: ad haec, Promptuaria eorum plena. Huius quidem consilii diuini atque imperscrutabilis decreti interpretem fuisse Hieremiam censeo cum illius lego uaticinia. Haec dicit dominus (inquit) Deus exercituum: Bibentes bibetis: quia ecce in ciuitate, in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere: et uos (impios alloquitur) quasi innocentes et immunes eritis? Non eritis immunes. Iam igitur tempus est, instatque aetas, ut filii Dei ante alios discutiantur, examinenturque exacte: et flagris, et angustiis eo interdum infestioribus, quod ab illis, qui pessi-

[pessimi]

{1555 p. 190}

-mi omnium sunt, irrogantur. In isto, in isto, inquam nomine ac parte quod Christi sectatores sitis gloriemini. Non uos pudeat pigeatque Christiani nominis: neque eorum, quae pro istiusmodi professione uobis ab improbis et saeua, et amara inferuntur. Immo potius gloriandum uobis est, quod digni existimemini, qui pro nomine IESU contumelias subeatis, milleque quotidie mortibus distinemini. Clamat certe Paulus, Ego stigmata domini mei IESU Christi in corpore meo porto. Insignia sunt haec quidem militiae Christi symbolaque sanctiora, quam ipsae iam sint cruces, quibus nostri utuntur milites in castris. An uero hi qui crucis tessera ab aliis discernuntur in acie militari, ea agant, quae illi agere solent, qui tam salutari insigniti sunt nota, ipsimet iudicent, simul ac iam palam factum est, quam saeua, quamque atroci se habeant modo in castris, in hospiciis, in templis, in mediis ipsis uallis atque obsidionibus. Perstillant iam astra ipsa lachrymis ob ea et dira, et horrenda, quae fiunt in terris ab iis, qui in armis sunt. A nobis uero immortales agenda sunt gratiae Deo, qui nos adeo in sublime euexit, amauitque, ut Christianos esse uoluerit: iusseritque suppeditato mundi regno eam nos uiam terere, quam illius potissimum pertriuuit unigenitus cuius euangelium non erubesco, clamat Paulus: clamant et caeteri, quibus crux sapit suauius quam Luculli deliciae. Quaerit magnus Basilius, Qui fit quod iudicium istuc a domo primum Dei incipiat? Naturaliter, inquit, his qui nobis familiarissimi sunt magis indignamur, cum in nos peccauerint. Deo autem non alii familiares magis sunt quam fideles, qui complent domum Dei, quae est ecclesia: ideo et primum, et interdum grauius, quam alii suarum culparum luunt poenas.

[1 Peter 4.17-18] Verum si primum a nobis, quis finis eorum

{1555 p. 191}

-rum qui non credunt Dei euangelio? Si iustus uix saluabitur, impius et peccator ubi comparebunt?

Multae sane tribulationes iustorum sunt, inquit Dauid: uerum de omnibus iis liberat eos dominus, atque in tuto ponit, abscondens illos in abscondito tabernaculi sui. Nam nouit dominus uiam iustorum, iter autem peccatorum peribit. Spe quidem salutis puniuntur pii homines in hoc mundo: funditus uero delentur impii: de quorum irreparabili interitu sic in Ezechiele legimus: Interficite eos usque ad interneccionem: omnem autem super quem uideritis Tau, ne occidatis et a sanctuario meo incipite: hoc est, ab illis qui templo seruiunt. Quare Septuaginta, A sanctis meis: uertunt. Caeterum Tau, quae est extrema litera Hebraeis, crucem praetendit. Si igitur tam seuerè castigat suos dilectos filios Deus, facile iudicare poteritis, quis finis, quis exitus, quae tormenta tandem maneant illius hostes. Et si iustus tam difficulter uitam hanc transcurrit sine infortuniis et flagellis: ubi locus erit iis qui contradicunt (unde iustitia hauritur) euangelio? Id dictum mutuatum uidetur a prouerbiis Salomonis: Si iustus, inquit, in

terra recipit, quanto magis impius et peccator? Si caeditur pius, impius ubi manebit? Quando itaque (horrendum) tanto impulsu concutiuntur fideles, ac nutant: quomodo poterunt consistere hi qui fide carent? Si qui pie uiuunt, tanto labore et periculo perueniunt ad portum salutis, quo fures? quo parricidae? quo hypocritae? quo adultores? quo hi qui mundum Deo anteponunt, aliquando deuenient? Qua rursus facie? quo ausu perfricatae frontis homines ante Dei tribunal cum dies illis dicetur, comparebunt? Causa certe cadent, neque resurgent impii in iudicio.

{1555 p. 192}

|1 Peter 4.19| Itaque et hi qui patiuntur secundum uoluntatem Dei: fideli creatori commendent animas suas in benefactis.

Supra, Melius, inquit, est ut beneficientes, si Dei uoluntas fuerit: hoc est, simulatque Dei est uoluntas ut sui electi transeant per ignem et aquam, anteaquam educantur in refrigerium, ferant toleranter, suas tradentes animas in illius manus qui eas condidit. Si absque tua is cura (o homo) aut opera cum nondum esses te creauit, recuperauitque amissum: num te sua ope recuperatum deseret? Tantum illud cupit altissimus, ne tam sublimi affectus beneficio deses uiuas et ociosus, cessesque ab eisdem operibus illis, quae tuam erga ipsum testari possint cum fidem, tum uirtutem. Igitur qui Deo autore uexantur in hoc mundo, ne (oro) perterriti retro abeant, desperentque: quin potius animose quae ferenda sunt ferant, deponantque animas suas sic male habitas apud Deum illarum creatorem: qui fidelissimus omnium depositarius cum sit, non sinet eas, quas tam care emit, e manu sua elabi et perire, modo in benefactis certam suam faciant electionem quotquot uocati sunt ad uitam.

CAPUT V.

|1 Peter 5.1-2| Seniores qui sunt inter uos, hortor consenior, et testis passionum Christi, et eius quae reuelanda est gloriae communicator: pascite qui in uobis est gregem domini.

Breuiter quae in primis ad officium spectant illorum, quibus regendarum animarum credita est prouincia et cura a Deo, in medium adducit Petrus. Nouerat enim tantus pater quam grauis sarcina atque onus esset

{1555 p. 193}

animarum rectio: quae tamen sic inconsulto ab omnibus ferme ambitur et queritur, quasi nihil intersit bouesne aut sues sub te habeas, an animas ratione praeditas, et tam caras Deo, ut pro illis recuperandis proprium exposuerit filium, peneque neglexerit. Hi certe errant, qui tam temerarie inconsultoue ad ea petenda se ingerunt,

quae pudenti minimeque ambizioso accipienda sunt animo. Sed hi magis et errant, et digni mulcta sunt, qui dant, nihilque referre arbitrantur, utrumne is qui praeponi aliis debeat bonus sit sutor, faberue, an bonus in administrandis rebus illis, quibus fulcitur probitas, decorque uirtutum comparatur atque alitur, uel custos, uel ratiocinator. Stolidi nimium est hominis iudicium, uelle tabulam penicillo indocto conspurcare, pictorque antequam pictor sit appellari. Secus enim periculum esset, ne pro abiete aut orno myricam, pro boue lacertam, aut pro musca aut uespa uel crocodilum, uel etiam onagrum, aut elephantem pingeret. Gregorius Nazanzenus, uir grauissimus et sanctus asserit foedissimum eum esse usum in promouendis animarum custodibus: nisi qui promouendi sunt sui admoniti officii, purgari prius studeant, sic deinde purgare: Sapientiam, inquit, discant, et ita sapientiam doceant: illuminentur primum, deinde illuminent: sanctificentur, et alios postea sanctificare curent. Quid certe sibi uelint qui secus actitant, me fateor ignorare, simulac uideo in hunc concurrere errorem et doctos, et indoctos: hos quoque, qui ob infinitam sibi datam a nescio quo fato potentiam ridere solent omnia, et contemnere. Hi itaque qua uti debeant moderatione in gubernandis suae fidei creditis gregibus audiant a Petro, qui suam istiusmodi admonitionibus concludit epistolam. Seniores, inquit, hortor. Vocat seniores, presbyteros seu episcopos. Alias enim nulla erat harum uocum distinctio. Seniorum itaque nomine

{1555 p. 194}

puto omnes intelligi, qui aliis praesunt, quorumque interest animas sibi commendatas uigilanter custodire. Ego, inquit, iam senex, et ille quidem, qui quotidianis exerceor pro Christo contumeliis. Ego (inquam) ille, qui propriis uidi oculis afflictum Christum, lacerum, consputum, irrisum, cruci tandem appensum, et crudelissime interemptum: et ille, qui ut morti interfui illius acerbissimae, ita praesens fui gloriosae illi in monte uisioni, umbrae nimirum futurae in coelis gloriae in Christo, sic meos hortor condiscipulos et conseniores:

|1 Peter 5.2-3| Pascite, qui in uobis est gregem Christi: prouidentes non coacte, sed spontanee, neque turpis lucri gratia, sed prompte: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

Hoc et, ut sitis exemplaria gregis, uitaque uestra sic quoddam expositum uulgo, in quod prospici debeat ab omnibus, speculum: et illud quidem abstersissimum ac purum. Sit, inquam, uita uestra tanquam coelestis quaedam idaea, unde sumant bene recteque uiuendi normam hi, qui a uobis, tanquam figmentum a figulo, aut a plasmatore plasta informandi sunt. Vide quid Paulus grauissimum illum iuuenem, episcopum tamen, moneat: In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate. Caeterum cleros uocat fideles, qui et sors domini dicuntur, et haereditas. Sic Paulus: Cooptati sumus in sortem filiorum Dei. kleros [Gk.] enim sors est. Pastores hi igitur animarum uere dici debent, qui in primis, uti olim Aaron, uocati sint: uocati uero atque rogati, oneri sese trepide submittant: et quandiu uiuunt nihil prius habeant, quam gregem sibi creditum qua uerbo, qua spiritu, qua cibo

{1555 p. 195}

etiam, atque alimento corporeo (si re sua indiget) pascant atque alant. Tantum uero abest, ut se principes, aut reges, aut dominos gregis esse opinentur: ut se quoque indignos ducant, qui inter oues Christi ueri pastoris adnumerari debeant. Ad haec, non solum ab ipso turpi expetendarum rerum questu alieni esse debent praesules: uerumetiam ab omni quaestus suspicione remotissimi adeo sint, ut ne nomen quidem ipsum turpis lucri sine ingenti animi commotione audire possint. Nouerint enim auaritiae comitem esse tyrannidem. Scitis, inquit Samuel ad suum clerum, quod nullius unquam bouem aut asinum ab ullo uestrum acceperim. Quem imitatus hac in re Paulus sic Ephesios alloquitur in Actis Lucae: Argentum, et aurum, et uestem nullius concupiui. Postremo uero quicquid in commodum subditorum agi poterit, id totum ultro agant, atque ex animo, menteque expedita, libera, fixaque in Deo, cuius se uices gerere in terris, non tam effuse gaudeant, quam ne aliquando malae fidei custodes habeantur sanequam timeant. Ceterum quod noster interpret uertit Voluntarie: ex Graeco legimus Prompte, seu propensis animis: ut quanta hinc debeat esse hilaritate praeditus suo in exequendo officio antistes, atque animi propensione in subditos, intelligi possit. Quod porro nos legimus Secundum Deum: tametsi in Graeco non habetur: suo tamen, et eo quidem sanctissimo non uacat sensu, ut tunc maxime, potissimumque secundum Deum aliquid a nobis agi iudicetur, cum Dei honor pro fundamento rei agenda statuitur: qui honos permaximus censi decet, si recta, si flagrans, si uigil habeatur cura de ouibus nobis commissis. Siquidem quilibet antistes greges quidem habet, sed domini: quos iccirco a summo sibi commendatos esse pastore non ambigat, ut illos pascat, ut alat: non ut deglubat, lanaque abrasa iugulet. Itaque

{1555 p. 196}

episcopi ministri sunt ouium Christi, non domini. Pasce, inquit Christus Petro, oues meas, non tuas. Atqui Deus posteaquam in Ezechiele correxit ignauiam pastorum dicens, Vae pastoribus qui pascunt semetipsos: adiecit, Ego pascam oues meas, et ego eas accubare faciam, et pascam illas in iudicio: hoc est, recta eas ratione atque amore pascam: quod illi non faciunt.

|1 Peter 5.4| Et cum apparuerit princeps pastorum percipietis immarcescibilem gloriae coronam.

En merces illorum qui bene praesunt ecclesiae, corona scilicet gloriae immarcescibilis. Cum igitur apparuerit manifeste pastor ille, qui nunc inter nos, immo intra nos latet, reddet suis coronam, non ex corruptibili serpillio, narcissoque, aut amaraco contextam: sed gloriae, sed diuinae claritatis, sed ipsius naturae Dei, aeternae, incorruptibilis, immortalis. Id praemium, ut hic legis, pastorum est a summo ueroque pastore electorum: qui, ut iussum est, suam expectare debent mercedem a domino gregis, non a grege ipso. Illi quidem (ait Paulus) corruptibilem coronam accipient, nos incorruptam.

|1 Peter 5.5| Similiter iuniores subditi estote senioribus.

Sint praesules, ut dictum est, circumscripti: quibus cum subditi ultro parent dicto, nihil optatius in mundo: omnia quidem secundum Deum tunc fiunt. Ibi pax, ibi amplissima inter fideles charitas, ibi mutua reuerentia, ibi tandem gaudium in spiritu sancto. De senibus etiam omnibus in communi id dici posse arbitror: siquidem suus aetati illi semper debetur honor ob longum rerum usum et experientiam. Cum annis enim crescit ut plurimum prudentia ac uitae integritas. Unde sic Ioannes sua in epistola: Scribo, inquit, uobis patres, quoniam co-

[cognouistis]

{1555 p. 197}

-gnouistis eum qui est ab initio: hoc est, uita uestra illis in rebus annis pubescentibus uersata est, quae notitiam uobis Dei perfectam attulere: tantum abfuit, ut in friuolis omnino rebus, aut turpibus et uanis, uestra attrita fuerit iuuentus. Eximia sane tunc fit auditorque harmonia, cum mutuis certant inter se officiis, et superiores et inferiores. Hi quidem honore et reuerentia, illi amore et custodia: hi ueris ab animo profectis obsequiis suis simpliciter obediunt senioribus, illi autem ea accipiunt animi demissione subditorum obedientiam ac pietatem, ut ueris conuenit pastoribus, qui se haud suas, sed alienas sub se habere oues non ignorant. Hic certe quemadmodum rebellionis locus extat nullus, sic neque tyrannidi, nec imperio tumido et fastuoso: quare commodum additur,

|1 Peter 5.5| Omnes inuicem humilitatem insinuate: quia Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Vult pari utrosque passu humilitatis incedere: quoniam Deus mirabili antiquorum exemplo prae se semper tulit, quanto sibi esset stomacho homo superbus et arrogans, quantaque prosequeretur dilectione ac fauore illos, qui demisse de se sentientes, nihil tam in uita appetent, quam ne aliquando se aliis praeponi contingeret. Cupiunt sane et hi quoque praeesse, sed suis propriis appetentiis, suis cupiditatibus, suis illis (quae nunquam nisi cum uita finiri possunt) occultissimis, in medullisque animae ingeneratis uariarum rerum, deliciarumque, tum odiorum, amorumue aut efferarum uoluptatum titillationibus, obscenisque motibus et effraenis.

Id persentiens Petrus, hortatur humilitatem inter nos seri, alique mutuis cum superiorum tum inferiorum officiis atque obsequiis. Vide quid Paulus (qui Corinthiis scribens, se

{1555 p. 198}

illis imitandum proponit) dicat: Non enim nos ipsos praedicamus, sed IESUM Christum dominum nostrum, nos autem seruos uestros per IESUM Christum. Intransi olim Petro (ut ait Lucas) Caesaream, Cornelius occurrens pedibus se eius humiliter strauit: et ille leuauit eum dicens: Surge, nam et ego homo sum sicut et tu. Id autem agit superbia, quod eo adigit insaniae hominem nonnunquam ineptissimum et stultum, ut se plusquam hominem esse somniet, fugatque se rem quandam nouam esse, atque insolitam e coelis lapsam. Haec sane monstra quotidie nobis obuia iam fastidimus. Quare hisce omissis, uos quibus cordi atque usui est Christi uita, quae humilitate constat maxime,

|1 Peter 5.6-7| Humiliamini sub potenti manu Dei, ut uos exaltet in tempore uisitacionis: omnem sollicitudinem uestram proiicientes in eum: quoniam ipsi cura est de uobis.

Sensus: si ignobilitas, atque ut uobis uidetur tyrannis illorum, qui rerum potiuntur inter uos, suadere uobis uidetur, ne talibus subiiciamini: at saltem Dei habita ratione, qui sic statuit, quique potentissimus est iudex humilitatis, illis parete. Fingite uos Deo, non hominibus obedire. Freti quippe fortissima Dei manu, qui humilibus fauere solet, qui unquam superborum imperium ac dominatum timere poteritis!* Ille ipse quidem Deus spectator pugna uos sic oppressos euehet aliquando ad feliciorum statum, suoque tempore illi soli noto uos in tuto collocabit: tantum curas uestras omnes, atque anxiam futurorum sollicitudinem, apud illum deponere ne differatis. Ipse enim amat uos, iccirco et uos et res uestras diligentissime curat. Non potest enim non uos tutari, quos ut filios e diligit et amplectitur. Sic Pau-

[Paulus]

{1555 p. 199}

-lus: Nihil solliciti sitis: sed in omnibus, oratione et obsecratione, petitiones uestrae innotescant apud Deum. Haec est uera philosophia, quicquid accidat niti Deo. Quare sapientissime, ut caetera, illud fuit a propheta traditum: Iacta super dominum curam tuam, et ipse te enutriet: non dabit in aeternum fluctuationem iusto. Clarius forsan ex Hebraeo: Reiiice, inquit, in dominum onus tuum, et ipse te sustentabit. Depone, inquam, in sinu Dei omnes curas tuas: sineque illum tui curam sumere et habere, qui et uult, et potest quaecumque uult. Quis Deus igitur sicut Deus noster? At uero cum caeteri fere omnes ad uoluptates magis, quam ad crucis duriciem amplexandam procliues sint: uos contra

|1 Peter 5.8-9| Sobrii estote et uigilate: quia aduersarius uester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem deuoret: cui resistite fortes in fide.

Cum hoste fortissimo et astutissimo nobis est pugna: dolis quidem instructus est, atque animo ut noceat obfirmato, calletque artem nocendi: ideo circuit tanquam leo famelicus incautos. Tanquam certe leo est daemone qui leo cum praedae incumbit, horrendos edere solet rugitus. Id sane in primis appetit nequam ille spiritus, ne per spacium trium dierum ab Aegypto secedamus: hoc est, ne spiritus noster, et anima, et corpus seruetur in die domini. Quare, ut ait Leo pontifex, omnium discutit consuetudines, uentilat curas, scrutatur affectus: et ibi quaerit artes nocendi, ubi quenque uiderit studiosius occupari. Quam profecto calliditatem atque astutiam non ignorans Paulus clamabat, Induite armaturam Dei (Petrus fidem uocat) ut possitis stare aduersus insidias diaboli. Siquidem marte (ut est uer?) aperto cer-

[certare]

{1555 p. 200}

-tare non solet: sed sedet (ait Dauid) in insidiis ut interficiat innocentem. At tu hostium mihi potentiam formidabilem ex Paulo considera. Non est nobis, inquit, colluctatio aduersus carnem et sanguinem (homines scilicet mortales) sed aduersus principes et potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spirituales nequitias in coelestibus: seu propter coelestia, ut interpretatur Chrysostomus. Ideo cautius uigilantiusque certandum est, simulatque de coelestibus et aeternis fit pugna, et cum hoste inexorabili et immani. Quid itaque agendum? Fide opus est stabili ac minime nutanti. Caetera quidem effugia nonnihil possunt, at fides omnia. Unde posteaquam dixit, opus esse sobrietate et uigilantia: summam addidit praesidii cum ait, Cui resistite in fide: et id quidem fortiter, atque animo absque haesitatione impauido. Tam nobile autem necessariumque praesidium uidit olim Esaias quando admirabundus exclamauit, Quomodo confractus et contritus est malleus uniuersae terrae? Is est daemon, quem fide iri confractum praenouit tantus uates: quae sane fides in eo posita est, ut credamus Deum nostri curam habere, nobisque omni in loco ac statu uitae semper adesse: quia sic fore pollicitus est.

Quocirca ualde apposite Paulus Hebraeos admonuit dicens: fide Moses reliquit Aegyptum, non ueritus animositatem regis.
Sic postea Petrus semel in concione habita apud Iudaeos de fide disseruit dicens: Deus in nobis elegit per os meum audire gentes uerbum euangelii, et credere, fide purificans corda eorum. Alio item loco, Et ecclesiae, inquit, confirmabantur fide, qua credebant animas per gratiam seruari. Hoc igitur umbone tecti quid non insidiarum? quid non ferociae hostilis cum detegimus tum superamus? Utcunque alio se conferant homines, ea tandem insuperabilis est conclusio, quod fide uincimus, fide protegi-
[protegemur]
{1555 p. 201}
-mur, fide et uiuimus et mouemur in Deo. Unde non iniuria quanto maximo potest conatu clamat Petrus: Resistite in fide. A fide ne recedatis. Fidem mordicus tanquam sacram anchoram tenete,
 1 Peter 5.9 Scientes eandem passionem ei quae in mundo est, uestrae fraternitati fieri.
Hoc est, Soli minime estis, qui scelerosis infensi ea tolerare cogimini, quae uobis communia sunt cum fratribus uestris in mundo dispersis. Communis quidem cum illis uestra est fortuna, qui ob impiorum saeuitiam passim per orbem ferme uniuersum dissipati indefensique latent ut profugi.
 1 Peter 5.10-11 Deus autem (quod ad consolationem uestram sit dictum) omnis gratiae, qui uocauit nos [sic, uos] in aeternam suam gloriam in Christo IESU modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, consolidabitque. Ipsi gloria et imperium in secula seculorum, Amen.
Gratiam omnem, uocat cumulum coelestium donorum uberrimum: et aequae est atque si diceret. Deus ille, a quo largitio omnis bonarum rerum proficiscitur: et qui nos, quo sua demum ornaret ditaretque beatitudine: ac, finitis uitae huius aerumnis, quas diu saeuire in suos amicos non sinit, gloria immortalis, ad capescendum iustitiae praemium accersiuit, ille ipse quaecunque pollicitus est seruabit, perficietque. Hinc porro pugnae pro uobis fessis succedet, ac deinceps ne nutetis suffulciet, corroborabitque: et tandem aeneos, quodam modo occultissimo, et impenetrabiles hostium telis faciet: tantum abest, ut laudem uobis ob bene actam pugnam uendicetis. Ipsi enim, non uobis, debetur laus, debetur gloria
{1555 p. 202}
debetur ut omnium potentissimo, imperium in secula aeterna, Amen.
 1 Peter 5.12 Per Syluanum fratrem fidelem, ut arbitror, breuiter scripsi: obsecrans, et testificans hanc esse ueram gratiam Dei in qua statis.

Ut illam quae sequitur epistolam Petri esse non dubitemus, ut olim fuit dubitatum, necesse est dicere, Petrum ante hanc primam sua manu scriptam Syluano, quem familiarissimum habuit discipulum, mandasse nescio quid breue perscribendum Iudaeis, de quo nunc meminit. Alioqui certe, nisi sic coniectemus, quae sequitur non esset secunda: quam tamen secundam esse ipse autor memorat. Quare non iniuria additam parenthesim illam (ut arbitror) puto: quasi inferre uellet. Syluanus (ut arbitror, et ut ipse promisit) uobis scripsit. In illis itaque uerbis suo iussu a Syluano scriptis orabat Iudaeos, ne de his, quae hactenus cum a se tum a caeteris audierant apostolis, quin uera essent addubitent: testificans ueram eam esse doctrinam, atque institutionem: In qua, inquit, nunc statis.

|1 Peter 5.13| Caeterum salutat uos ecclesia in Babylone coelecta.

Ea nimirum, quae electionis uestrae, tametsi procul dissita a uobis, est particeps. Volunt autores duas esse Babylones: alteram in Chaldaea, alteram in Aegypto, ex qua hanc scripsisse epistolam Petrum sunt qui opinantur. Alii hic Romam allegoricos ob morum religionumque portenta intelligi arbitrantur: sed meo iudicio duriuscule, perinde quasi tantus apostolus, atque imperterritus Christi praeco, Romam uereretur suo appellare

{1555 p. 203}

nomine, incusareque impietatis, et reprehendere, in qua ob Christi religionem, libertatemque praedicandi occisus fuit. De Marco cuius hic fit mentio, illum esse non ambigitur, quem scribit Hieronymus discipulum fuisse Petri atque interpretem, puto et amanuensem in scribendo euangelio. Is enim propter sedulitatem obsequii filii uice habebatur a Petro. quare eum uocat filium. Sequitur:

|1 Peter 5.14| Salutate uos inuicem osculo sancto.

Hoc est, a mente ingenua, pudica, aperta, minusque dolosa profecto. Is error late satis inter mortales proserpsit. Iam multi Amasae interfectores pro uirtute habent fallere, irridereque, si quis malit in re propria falli, quam fallere. De hoc legimus ad hunc modum. Dixit Ioab ad Amasam, salue mi frater: et tenuit manu dextera mentum eius quasi osculans eum: qui percussit eum in latere, et effudit intestina eius in terram, et mortuus est, nec secundum uulnus apposuit. Gratia (quo finis exordio epistolae conueniat) uobis omnibus, qui estis in Christo IESU. Amen. Sic est ut scripsi.

{1555 p. 204}

EPISTOLAE SECUNDAE BEATI PETRI INTERPRETATIO.

|2 Peter 1.1-2| SIMON Petrus seruus et apostolus IESU Christi iis, qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri et saluatoris

IESU Christi. Gratia uobis et pax adimpleatur in cognitione Dei, et IESU domini nostri.

Ea quidem est diuinae ueritatis natura, ac disciplinae coelestis incrementum et progressio: ut nisi frequenter quod semel est persuasum inculces, quasique refrices, atque recentiori saepe studio et hortatu instilles, aut qualicumque suo contenta exordio retardetur, aut relabatur etiam et euanescat. Adeo cor humanum natura instabile, atque in iam coepto iustitiae itinere sui plerunque dissimile, facile uel ipsa salutis propriae documenta fastidit et auersatur. Quod sane periculum noster animaduertens apostolus hanc secundam priori, caeteroqui per se et eruditae et immensae propemodum efficaciae, coniunxit epistolam: nobis scribens, qui in calore ipso fidei atque igne desides uiuimus, prorsusque antiquae, allataeque nobis a patribus doctrinae immemores congelascimus: ac (ut uerbo utar magis proprio et naturali) commarcescimus. Sed ipsum iam audiamus Dei legatum: quanta gratia, quantaque animi libertate ac doctrina sui domini pertractet negotium. Coaequalem fi-

[fidem]

{1555 p. 205}

-dem dicens cuiusmodi tum fuerint credentes necessitudinis inter sese, ac dignitatis ostendit. Parem (inquit) gratiam, atque eiusdem omnino roboris fidem nobiscum adepti estis: et id quidem ob iustitiam Dei, qua perfecte bonus est et copiosus suis in partiendis donis ac liberalis, contigit: ipso mediatore Christo seruatore nostro. Haud rarus quidem in scripturis est usus Deum iustum appellari, non solum quoniam iustitiam in moderandis rebus conditis et seruat et administrat: uerumetiam quia ex abundanti suae iustitiae thesauro nos iustos efficit. Rex tuus tibi uenit iustus inquit Zacharias: hoc est, ut te iustum reddat. Quare et nos quoque effecti sumus iustitia Dei, ut ait Paulus, in ipso nempe Christo: quo mediatore iustitiam nacti sumus a Deo, ut ipse iustus sit ac iustificans. Siquidem ex copiosissima Dei patris gratia, quam illius esse iustitiam confitemur, seruati sumus: ex uitae uero merito, mortisque ignominia, atque acerbitate poenarum Christi, quibus factus est nobis et sapientia, et iustitia, et sanctificatio, ipsi irato patri reconciliati sumus: nam cum ipso qui uera est iustitia, facti sumus etiam nos (qui iniustissimi eramus, ac perdit) tum iusti, tum salui. Gratiam porro hic uocat electionem, progressumque ad pietatem, atque uniformem cum caeteris eiusdem diuinae religionis consuetudinem minusque morosum conuictum, ac superbum. Pacem autem appellat quietem a turbis, ac persuasionem illam neutiquam ancipitem salutis: ex qua laeti pacatique requiescimus in Deo. Quam sane felicitatem raram admodum in terris e Christi cognitione prouenire a sancto sene edocti arbitramur. Nam haec est uita aeterna, ut cognoscant te unum et uerum Deum, et quem misisti IESUM Christum. Atque ad hunc sane modum caput ipsum esse amplissimum, medium item, ac finem pacis salutisque omnium uniuersalem, tum credimus, tum

{1555 p. 206}

nisi prorsus plumbei simus, iam experiri possumus. Et hac proinde pace animi, quieteque a turbis maxime internis, praeclarissimum aliud atque eximium pacis

emergit genus, de qua sic Esaias, Sedebit (inquit) populus in pulchritudine pacis: et unusquisque sub ficu sua, sub quercu sua, sub uite sua requiescet tutus. Verum cum una sine altera haberi nequeat, utranque a Christi cognitione ortum habere non nescimus. Siquidem eo bene cognito, in illius statim inflammamur amorem, rapimurque in desyderium coelestium, contempto mundo: quod sane est ueterem abiecisse hominem cum actibus suis, ut ait Paulus: hoc est, inueteratum exuisse peccati affectum atque usum: illumque induisse hominem qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creauit eum. Ergo ex integra de Deo notione tota innouatur anima, felicissimeque (senio prisco illo Aadae prorsus antiquato) repuerascit: et quem certe cognitionis effectum ac uim praesensisse olim uatem eximium iudico, cum ait in psalmo, Firmamentum est dominus timentibus eum: et testamentum ipsius ut manifestetur eis Quod uersum ex Hebraeo clariorem reddit sensum: Felix enim Pratensis sic transtulit: Secretum domini timentibus eum, et foedus eius ut faciat cognoscere. Secretum istuc quidem est, quod neque caro, neque sanguis detexit unquam: sed pater Christi. Visne dicam rem ineffabilem? Is raptus est. atque ecstasis, qua anima in Deum, tota quanta est, rapitur immergiturque in altissimam diuini amoris caliginem: sic illam appellat Dionysius. Ex qua quidem a sensibus alienatione atque secretissimo cum Deo congressu mirabile quoddam inter Deum et animam initur foedus: quo illa se nihil amplius uelle agere, cogitareue aut cognoscere, quod uel Deus non sit, uel ad Deum ducat, obstringit. Ille autem ut perpuratum impartiat intellectum, ac faciat

{1555 p. 207}

(ut inquit Daud) eam cognoscere se nimirum ac Deum, detque deinceps ad contemplationes rerum coelestium frequentandas et uires et aptitudinem. Et sic foedus illud secretissimum notum duntaxat illis, qui Deum timent, clauditur: ut Deus pater sit, homo filius: ille det, hic accipiat, cognoscatque Deum uerum esse in uero, ut ait Ioannes: quae est uita aeterna, etiam in hac uita. Effectus uero istiusmodi beatissimae cognitionis cuiusmodi generis sit ex sequentibus facillime comprehendi potest.

|2 Peter 1.3-4| Quomodo omnia nobis diuinae uirtutis suae, quae ad uitam et pietatem faciunt, donata sunt per cognitionem eius, qui uocauit nos propria gloria et uirtute: per quem maxima et preciosa nobis promissa donauit: ut per haec efficiamini diuinae consortes naturae: fugientes eius, quae in mundo est, corruptionem.

Per cognitionem, inquit, eius eo peruentum est felicitatis, ut quicquid diuinae uirtutis ab humano potest percipi intellectu, illud totum nobis ille ipse, qui suapte nos sponte, suoque proprio robore atque ope, a sordida mundi faece euocatos extractosque, in suorum numerum cooptauit, abundantissimo tribuit, ditauitque bonis illis, quorum praesidio ea omnia, quae ad ueram nanciscendam uitam pietatemque absque errore interim assequendam conducunt, elargitus est. Quare quaecunque in causa religionis (ea est pietas) moliri nos iuuat, ea cuncta diuinae accepta referri debent potentiae et gloriae: quae infames, inglorios, debiles, planeque emortuos ita integre restituit confirmauitque, ut eisdem illis

{1555 p. 208}

ipsis potestatem dederit filios Dei fieri, ferrique tam leuibus pennis in sublime, ut in diuinam prorsus naturam transire facultas data sit, modo superato semel mundo per ipsum sua ipsi antiqua minime usi incogitantia ac rebellione a propriis iterum acti cupiditatibus, illectique lenociniis, seruire haudquaquam uellent tam agresti domino ut ipse est mundus. Quod sane esset canem ad uomitum dudum eiectum reuerti, ut ait Salomon: aut suem lotam in coeni iterum uolutabro reuolui. Caeterum preciosa quae sint ea ac maxima, quae hic dicit credentibus donata esse, ob quae diuinae eos naturae participes, nempe e crassicie terrena spirituales effectos asserit, puto ea omnia esse, quae secum attulit in mundum ueniens filius Dei: inter quae illud omnium praestantissimum fuit ac preciosissimum, quando aeternae uitae pollicitatione nos tutos fecit, firmauitque supremo illo pignore atque arrhabone sui sancti spiritus: quo accepto iam nefas esset de diuinis ne parum quidem subuereri promissionibus. Ad hoc enim, inquit Gregorius, pignus accepimus, ut de promissione quae nobis fit certitudinem teneamus. Pignus igitur atque arrha, ob certitudinem promissorum dari solet. Iam, inquit Petrus, promissa maxima, promissa antiqua, rara, inaestimabilia tenemus, quoniam iam data sunt. Qui (oro) non omnia sua nobis donauit pater, cum filium proprium donauit? filium unicum? filium illum, in quo thesauri omnes sapientiae sunt reconditi? cuius imperio dicto parent uniuersa atque illi eidem ipsi quod sunt, quod uiuunt, quod sua in primogenia seruantur conditione, crescuntque indies magis, ferunt acceptum? Tantum illud expetit tam munificus dominus, ut qui ex tot iam collatis hominibus donis futurae uitae statum illum beatorum immortalem, ab omnique corruptione semotum prae se iam ferre possunt, re ipsa tandem quod de se uere dici appetunt praestare stu-

[studeant]

{1555 p. 209}

-deant. Quod sane tunc erit, cum a uitiorum cupiditatumque contagione omni, tanquam a letali quopiam angue refugerint.

|2 Peter 1.5-7| Vos itaque cura omni adhibita subministrate fidei uestrae uirtutem, uirtuti scientiam, scientiae temperantiam, temperantiae patientiam, patientiae pietatem pietati uero fraternam charitatem, fraternae uero charitati dilectionem.

Posteaquam, inquit, tam eximia uobis ope fidei contingere, at quae diuinae sunt naturae possideatis: agite dum, in id incumbite, ut ne sitis desides et cessatores: sed agendo quae cum decore agenda sunt, praesentem adhibete animum. Datus sane quidem est uobis ager fertilis, curate ne pro tritico subcrescant dumi: sit igitur efficax, sit operosa, sit uirtute spiritus bene munita fides uestra. Verum ne et ipsa quoque uirtus (siue fortitudinem appellare mauultis) in temerariam quandoque prolabatur audaciae suspicionem, huic addi debet scientia, quam nihil aliud hoc in loco esse ducimus, quam temperatum, optimeque consultum delectum rerum: quo absque errore quid, quae illud ratione aut tempore agi oporteat, diiudicari possit.

Querebatur de quorundam inscitia Paulus qui zelum quidem Dei haberent, sed sine scientia. Praepropera (crede mihi) interdum fit etiam in sanctis hominibus ad actiones diligentia ac studium: nisi calori illi suo nonnunquam effraeni atque indomito scientia istiusmodi, quae rerum delectum esse definiuimus, adhibeatur: cui tamen et ipsi modus quidam est adhibendus, temperatus sane, et commodus: unde mox additur: Scientiae temperantia: nam genus quoddam esse scientiae non ambigebat, quae (ut etiam

{1555 p. 210}

fatetur Paulus) turgida esset et ampullosa. Cupit itaque uir undequaque circumspectus modum omnino quendam in ipsis etiam uirtutibus adhiberi: sed potissimum temperantiae fraeno scientiam gubernatum iri, ne quid arroganter re in tanta praesertim, ut est doctrina Dei atque coelestium rerum disciplina, agi contingat: quam eandem tamen ipsam comitari patientiam oportere asserit, ob id arbitror, quod in actionum bonarum electione atque excellentia, non defuturos praeuidit aduersario, non uersutos, non ueteratores, non quicquid egeris loquutusue fueris calumniatores. Aiebat Cyrillus, homines patientia Deo fieri similes: quamobrem eam penitus necessariam esse in exercitatione uirtutum censebat Paulus. Patientia, inquit, nobis est necessaria. Et certe non absque reconditissimo mysterio a coelesti sponso liliam inter spinas suam appellari sponsam legimus. Olea quoque suis dum haeret ramusculis, luditque quasi inter folia, libero quodam modo utitur aere: at oleum nisi pressa crebraque macerata contusione non effundit. Sic uirtus, sic fides, sic Dei religio perlanguescat oportet in homine si desit hostis. Verum huic etiam tam necessariae uirtuti: ut est patientia, copulanda est pietas, ratio scilicet Dei continenter habita, dum quid agitur, cogitaturue, aut in re tanti momenti, ut est exercitatio spiritualis, tentatur. Nam tum demum illum uerum esse Dei cultum, quem pietatem appellare libuit, existimamus: cum quaecumque agere uolumus ea omnia (habita in primis pro fundamento diuini honoris ratione) pie sancteque peragi exoptemus, quaeramusque in omnibus, ut uita nostra in Dei obsequio, atque in proximi commodis attrita, eo aliquando deueniat perfectionis, ut usui, uel ipsis hostibus, illisque qui extorres prorsus sunt a regno fidei, esse possit: iccirco commodum a nostro subinfertur apostolo, Pietatem comite-

[comitetur]

{1555 p. 211}

-tur amor fraternus, amorem fraternum dilectio: haec dilectio ad domesticos attinet fidei, quae continua aucta exercitatione non solum in Deum, nodum utique uirtutum omnium, contendit: uerum etiam erga hostes ut diximus ac maleuolos, tum beneuolentia, tum beneficiorum collatione, obliuioneque iniuriarum mirabili quodam perfectionis gradu fertur et ascensu. Vide igitur eximiam in eruditissimo piscatore gradationem. Fides, inquit, uestra se ueram esse fidem ostendat scientia, temperantia, patientia, religione cultue Dei, una cum tum Dei tum proximi dilectione, et (quod uinculum est perfectionis) etiam ad hostes beneuolentia: alioqui aut tenuis esset, aut nulla.

|2 Peter 1.8| Haec enim cum uobis adsunt et exuberant, non uacuos, nec sine fructu uos constituent in domini nostri cognitione.

Res certe spiritus, et quae in Deum, qui incomparabilis est potentiae ac maiestatis, tendunt, paruae omnino censi debent nisi continuis tanquam riuulis ebulliant in anima, atque inde ad aliorum exundent commodum et utilitatem: qua de re superfluum minime erit illud addidisse, cum uobis adsunt et exuperant. Hanc sane rerum copiam in se olim fuisse prae se tulit Propheta cum ait, Tu mandasti mandata tua custodiri nimis: hoc est, ualde excellenter, absque omnino mediocritate uoluisti tuam seruari legem. Haec, inquit, si praesto uobis adfuerint, imo quae natura diuinarum est rerum exuberarint, qualique exundauerint: nec uacuos, nec uestro illo in conatu studioque cognoscendi Deum inanes reddet, nec sine fructu. Quid? iam sane illum cognoscitis, quem tantopere tanquam coelestibus armati praesidiis cognoscere efflagitastis. Vana nequaquam fuit et infrugifera uestra de Deo peruestigatio: nam quae tanto sudore

{1555 p. 212}

conatuque diutino et pertinaci comparare uobis elaborastis, iam estis assequuti.

|2 Peter 1.9| Cui autem praesto non sunt haec, caecus est, et manu uiam tentans oblitus se a ueteribus suis peccatis fuisse purgatum.

Caecus, inquit, est qui sic errat, quia absque Christo, qui sol est animarum uniuersalis. Quare per maeandros nescio quos cupiditatum infinitos perplexosque diuagari illum necesse erit, uiam eam, qua ad Deum recta contenditur, nunquam assequuturum. Morem is quidem murium imitari uidetur, qui tabulatum aut parietem perambulantes cauum quaerunt: siue illum etiam naufragorum, quibus natura illud inditum est, ut quicquid per undas nacti fuerint, teneant. Apte quoque istius generis homines describit Esaias: Palpauimus (ait) caeci parietem, et quasi absque oculis attrectauimus, impegimus in meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. De his etiam sensisse alium apostolum arbitror, cum quosdam elegantissima usus analogia procellosi maris fluctibus, qui a uento subagitantur et circumferuntur comparauit. Petrus uero eundem illum, qui huiusmodi concitatur uertigine, immemorem pristinae ait esse purgationis signum nimirum ingrati animi et uecordis. Videtur is sane quidem oblitus penitus foederis, quod cum Deo pepigit in baptismo, cum quod semel remissum fuit et interemptum, repullulare siuerit, foedissimo reuolutus lapsu in easdem ipsas sordes, quas propriis uidit oculis a coelesti manu tolli ac detergi. Oblitus, inquam, uidetur esse purgationis, hoc est, remissae culpae delictorum ueterum, ea dum incaute nimium repetit, atque in idem recidit lutum. Tam paruine (malum) aestimari solet a nonnullis interdum donata sibi sanctitas a Deo?

{1555 p. 213}

|2 Peter 1.10| Quapropter fratres operam date, ut per bona opera certam uocationem, et electionem uestram faciatis.

Tametsi, Per bona opera, in Graeco non est, apte tamen est additum: nam nihil aliud hic uelle Petrum coniecto, quam ut quilibet det operam, ut per bonas operationes ac recte facta, alii sibi persuadeant illum electum esse ad uitam. Sic hac de re Oecumenius: Cum ille, inquit, oblitus sit, date uos potius operam, ut permanentem atque immutabilem ostendatis uestram uocationem et electionem. Nemo omnium utique est, ex ultimis etiam uulgi hominibus, qui nostram non facile iudicent fidem et dubiam et infirmam, si fidei professionem nullae comitentur operationes, quae uerae operationes sint, ac fidei maiestate dignae. Benefactis itaque nostra ostentanda est fides, ne Deus nequicquam nos accersiuisset, cooptauissetque inter suos uideatur. Opera certe sancte instituta, tum nobis tum caeteris, in quo simus gradu fidei apud Deum, ostendunt.

|2 Peter 1.10| Haec enim facientes non peccabitis aliquando.

Coniuncti quidem semel fide mediatrice cum Deo, firmatique in illo, qui peccare aliquando, aut ab itinere deturbari iustitiae unquam poterimus? Alte sane flagella as, qui istiusmodi sunt, habent radices in spe uitae, quae a Deo est. Et qui in eo manet, ait Ioannes, non peccat. Sed si quis peccat non uidit eum, nec cognouit eum: quae quidem caecitas, atque ignorantia in anima certi est interitus significatio.

|2 Peter 1.11| Sic enim abunde ministrabitur uobis introitus ad aeternum regnum domini nostri

{1555 p. 214}

saluatoris IESU Christi.

Haec uia quidem tuta est, qua itur ad Deum, uia ampla, uia complanata, uia sine qua omnis alia uia confragosa est, ardua, infesta, paliurisque plenissima accutissimis ac mortiferis. Ecquam igitur aliam nobis effingimus? fide hic itaque opus est animata et uiua, caeteroqui et dubii uiuimus, et ancipites e uita abimus. Et certe periculosissimus noster is esset ausus ad mortem usque nostram protrahere conuersionem, neque unquam dicere in peccatis perpetrandis, Sat est. Qui sic agunt, his perangustus et salebrosus offertur ad uitam aditus: caeteris uero patens, apertus, facilis. Valde (ait) liber et expeditus subministrabitur uobis introitus in regnum: non Caesaris certe, aut tyranni cuiuspiam crudelis ac trucis: sed in tutissimum seruatoris nostri Christi regnum, regionemque illam beatissimam, quae nullo unquam afficitur incommodo, nullo foedatur inquinamento, sordeque inficitur nulla, et quae tandem nullo continetur tempore aut annorum spatio. Ipsum enim uero regnum per se aeternum est, infinitum, immortale, ab omnique prorsus mutatione, uanitateque semotum.

Caeterum ne domini nomen audientes tanquam duri principis nomen extimescerent homines consulto seruatoris uocem interposuit: hoc est, domini illius, qui seruare

solitus est, non occidere, ut hi solent, qui nil potius antiquiusque in regno suo habent, quam ut timeantur, immanesque reputentur et formidabiles.

|2 Peter 1.12| Propter quod non omittam uos semper commonefacere de iis licet scientes, et confirmatos in praesenti ueritate.

Vide sanctissimi pastoris in scribendo circumspectionem Non desistam, inquit, uos ad ea quae saepe replico adhor-

[adhortari]

{1555 p. 215}

-tari: tametsi necessarium minime sit, cum uos hisce in rebus uideo et confirmatos et eruditos. Huius quoque generis temperantia ac mansuetudine in scribendo usus olim Ioannes sic sua in epistola, Non scripsi uobis (ait) quasi ignorantibus, sed scientibus ueritatem. Adeo uiri sancti ab omni semper arrogantia ac fastu, mirabili posteriorum exemplo, se alienissimos praestitere. In praesenti ueritate: aequae est atque si dixisset, quam nunc tractamus, quamque tanto sudore fundare connitimur.

|2 Peter 1.13-14| Iustum autem arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo excitare uos per commonitionem: certus quod uelox est depositio tabernaculi mei, quemadmodum et dominus noster IESUS Christus significauit mihi.

Aequum plane est ac debitum (inquit) ut meis uos monitis quoad uixero expergeficiam et admoneam. Dictu facile non est, quam saepe nisi continui adhibeantur stimuli torpescant, peneque formicinis (ut ait Comicus) inambulent gressibus in uia iustitiae, uel ipsi exercitatissimi uiri. Tanta quidem nostri huius est corporei domicilii corruptio, tanta infirmitas, tam facilis dissolutio ac ruina: ut ni fortissimis continenter obfirmetur et clauis et uectibus, aut corruat ingenti aedita habitatorum strage necesse sit, aut perpetuis hiscens rimis mortem nutabundam minitetur continuam. Huiuscemodi certe naturae uita haec est praesens, ut dixi, quandiu miserrimo utitur huius caduci corporis tentorio, scio (inquit) breui fore, ut quemadmodum significauit mihi dominus noster IESUS Christus, deponam hoc tabernaculum meum. Vocat tabernaculum suum corpus, ut pote quod breui hora, more sane peregrinantium aut

{1555 p. 216}

militantium in castris refigendum esset. Sic etiam Paulus hac usus est metaphora Corinthis scribens: Et qui sumus, ait, in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati. Hic legis corpus id nostrum uitro ipso fragilius tabernaculum esse animae: sed in tabernaculo eodem ipso graues gemitus exaudiri, ac lamenta.

|2 Peter 1.15| Dabo autem operam et semper habere uos post obitum meum, ut horum mentio fiat.

Curabo, inquit, dum uita suppetet, tam crebro, tamue tenaciter atque alte uestro in solo animae figere quae scribo et moneo, quod post meum ab humanis excessum eorum omnium tum meminisse, tum inter uos comminisci conferreque poteritis, simulac ore nos, ut soleo, admonere mihi minus integrum futurum sit. Censent nonnulli hanc epistolae clausulam de in, quae scribere instituerat, intelligi debere. Ex scriptis enim facile illorum qui scripserunt recordamur, uiuuntque in nobis mortui: imo nos cum illis et uiuimus, et colloquia miscere consuescimus, perindeque eorum monita ac si uiui essent amplectimur et seruamus: quare illud additum esse existimant, Habere uos.

|2 Peter 1.16| Non enim doctas fabulas sequuti notam uobis facimus domini nostri IESU Christi uirtutem et praesentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis.

Paulus Corinthiis scribens asserit se non in doctis humanae sapientiae uerbis Christum praedicasse. Docta autem humanae sapientiae uerba appellat Paulus argutiam scribendi, atque elegantiam arte elaboratam confictamque: qua usi olim ueteres haeretici praestigiis suas uelabant

{1555 p. 217}

ineptias. Haec sane omnia doctas fabulas, artificiosum scilicet docendi modum ac eruditum appellat Petrus, ut sit sensus: Nos doctrinam illam minime sequuti, quam ueteres haeretici miro doctoque artificio dicendi perornarunt, notam uobis fecimus nostris in concionibus potentiam aduentumque domini nostri IESU Christi: sed hi potius, qui oculis propriis illius contemplati sumus maiestatem. Certa quippe sectati sumus, non dubia fictaque, ac uanissimis implicita uerborum maeandris, atque anfractibus, ut illi. Extollit doctrinam Christi diuinissimus senex, dicitque non eam esse, quam antiqui docuerunt impostores, qui fabulis, nescio quibus, mira arte contextis usi suas fundarunt disciplinas. Caeterum qui Praesentiam in hoc loco legunt, errant: nam uox Graeca Praesentiam indicat, seu Aduentum. Simplicissimo, inquit, usi docendi genere, quae propriis conspeximus oculis uobis attulimus, potentiam scilicet incomprehensibilem Christi, atque praesentiam illam mirabilem plenamque maiestate, ac signis illius diuinitatis manifestissimis, quorum sane omnium nos spectatores esse uoluit in monte sancto. Tunc, dico, quando uenerabilis illius facies solis instar lucidissimi resplenduit, ac uox illa magnifici cuiusdam horroris plena e sublimi coelo audita fuit,

|2 Peter 1.17-18| Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et hanc uocem nos audiuius de coelo allatam cum essemus cum ipso in monte sancto.

Acceperat enim a Deo patre honorem et gloriam, quando uox haec a magnifica patris maiestate intonuit. Hic ille, inquit, est filius meus dilectus, qui tantum mihi placuit, ut per ipsum mediatorem sim passus erga genus

{1555 p. 218}

humanum mihi infensissimum placari. Ipsum itaque meum et filium et legatum, (nam uerba uitae aeternae fert secum) audite. Ipsum, inquam, iam demum audite, qui uarias hactenus atque inanes a Gymnosophistis, a Magis, ab Ariolis, falsisque sacerdotibus, ac pastoribus, fabulas, falsasque simulatae religionis inuentiones, et eas quidem non tam impias, quam ridiculas et aniles audiulistis. Id autem tam insolitum ac nouum in Tabor monte spectaculum uidisse Mosem arbitror, cum saepe alias, tum maxime quando semel in concione quadam habita ad populum, illud attulit: Prophetam suscitabit dominus de gente uestra, quem sicut me, ipsum audite. De gloria uero et honore, quid sentiant patres dicam breuius. putant enim uoces istas pro decore illo ac luce positas, qua filium pater tam mirabili conuestiuit elegancia, condecorauitque splendore, ut solem ipsum radiis aequarit. Hisce quidem notis plenissimam in Christo fuisse dignitatem ostendit Petrus. Idem antea Daud ostenderat. Gloria, inquit, et honore coronasti eum. Idem etiam de magnifica maiestate patris sentiendum erit, hoc est, e coelis, ubi maiestas patris plenius magnificentiusque quam in mundo hoc imo cernitur. Vidimus (ait Ioannes) gloriam eius sicut unigeniti a patre. Ecquis igitur tam est demens inter homines, ac sui tam parum compos, qui legatum talem, qui non solum legatus Dei sit, uerumetiam filius, et filius dilectus, non libenter audiat? Ipsum, ait, audite. Causa? Quia nullus ei amplius succedet. Nullus sane alius expectandus est post hunc Dei legatus, quin qui erunt, ab hoc erunt. Quotquot igitur ab orbe condito scripserunt, scribentque in posterum, suspenso audiendi erunt animo, nisi ex illorum scriptis ipsum eos audiuisse compertum fuerit. Quare stupidos illos esse semper iudicaui, qui tametsi illum audiunt, non tamen solum, neque in primis audiunt.

{1555 p. 219}

|2 Peter 1.19| Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus uestris.

Iudaei ualde summaque religione addicti erant uaticiniis prophetarum. Ideo istius generis studium in eis ac laborem laudat Petrus: sed eo usque tamen, ut in illis explicandis, inuento illorum scopo, haud diutius immorarentur. Quod uero iam esset inuentus atque in manibus omnium positus, ex his quae sequuntur depraehendi potest. Nos, inquit, prophetarum scripturas de Christo per se satis solidas ac firmas ob testimonium Dei patris tam certum firmiores dilucidioresque quam antea possidemus. A nonnullis hic obseruatur graecismus in comparatiuo Firmiorem, posito (ut illius linguae moris est) pro positiuo. Verum cum prior sensus, quem posui, apertus uideatur ac lucidus, qui dictionem Latinam graecismis obscurari necesse est? Prophetae itaque suis illis uelo quodam uerborum obductis pollicitationibus excitant animos, et ad promissam ueritatem peruestigandam preparant et accendunt, dum quodam modo occulto adumbrant Christum, qui tantorum, ut uidemus, uaticiniorum praesensionumque terminus est a primo statim homine formato ab omnibus uerae religionis cultoribus qua obscure, qua aperte expectatus et intellectus. Quam quidem

uariam et differentem intelligendi prophetas, atque adeo de Christo uenturo rationem implicite explicite fieri uolunt ex nostris nonnulli. Quocirca qui etiamnum in fidei doctrina plane rudes sunt bene hi agunt si a prophetis primum fidem auspicantur. Lucerna hic igitur est prophe-

[prophetia]

{1555 p. 220}

-tia, cui tandiu innitendum est, quoad dies, quae est aperta de Christo cognitio, appareat: ac lucifer solis praeuius oriatur in cordibus nostris. Haec fides est, qua habita iam non est opus prophetia. Locum autem caliginosum appellat obscurum de Christo mysterium, notitiamque de diuinis consiliis ancipitem ac remotam in prophetis. Ita ferme erat maiorum aetas nondum exorto sole illo, qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Is Christus est, qui se mundi lucem nuncupare consueuerat: quam qui sequeretur libero incessurus esset pede in uia hac dumosa uitae, ac perdifficili. En quomodo Christo luce uniuersali emergente cessere tenebrae, ac densissima errorum caligo e terris excedens in fumum abiit. At illud tamen in uaticiniis prophetarum disquirendis necessarium uidetur, ut si qui ea delectantur lectione, eo legant animi proposito, ut nihil propriae illis adhibere audeant interpretationis. Interpretationum quidem egent suffugio prophetae simulatque immensissimis inuoluta sunt obscuritatibus eorum scripta: uerum eae debent esse extra humanum sensum atque arbitratum, sed a Deo caelitus infusae. Nam et ipsi quoque uates tam uastae molis aenigmatum autores, ea nequaquam proprio interpretari sensu, aut proferre fuerunt ausi. Iccirco a sanctissimo infertur apostolo:

|2 Peter 1.20-21| Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetica scriptura propria interpretatione non fit. Non enim uoluntate humana allata est olim prophetia: sed spiritu sancto inspirati loquuti sancti Dei homines.

Absolutissima ea debet esse finitio: ea omnia, quae diuino suggerente spiritu scripta sunt, eodem quoque ipso

{1555 p. 221}

aspirante peruestigari oportere atque explicari: alioqui ieiunas siccisque et saepenumero arrogantes interpretationes ac falsas audire tum cogemur, tum scripturarum candorem ac lucem sic male haberi, atque obscurari ab iis, qui priuato feruntur ausu et sensu, supremum in modum doleremus. Non ut proprius itaque suggessit intellectus, humanus scilicet, iccirco debilis, et qui facile labi potest et errare, loquuti sunt sancti Dei homines: sed sicut coelestis instigauit furor (ut sic dicam) atque impetus. Non est igitur (ut concludam) prophetarum scriptura priuatae interpretationis, sed diuinae, hoc est ad afflatus attinet Dei illius intelligentia. Qui Deus, ut inquit Ioannes, dedit nobis mentem, ut cognoscamus uerum Deum, et simus in uero filio eius, qui est uerus Deus, et uita aeterna.

CAP. II.

|2 Peter 2.1| Fuerunt et pseudoprophetae in populo, quemadmodum et inter uos erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum qui emit eos dominum negant, accersentes sibi celerem perditionem.

Suis quidem coloribus depingit haereticos et falsos doctores uir sanctus. In antiqua enim illa Iudaeorum aetate, qui a nequam aliquo spiritu, furiosoue daemone exagitati futura praedicerent, extitere. Quod sane genus insaniae a ueteri planeque exoleta tum Graecorum tum Chaldaeorum religione (addo et his Aegyptios) originem, ut in monumentis ueterum Phlegetontis

uidere licet, habuisse legimus. Hi tametsi prophetarum uatumque diuinorum nomen sibi sumerent, uulgoque uen-

[uenditarent]

{1555 p. 222}

-ditarent, a prophetarum tamen uerorum more, qui coelesti diuinoque mouente spiritu sua proferebant oracula, longissime aberant. Serpserat postea sensim in Dei quoque religionem apud Iudaeos istiusmodi uenenum, ortum nimirum ab extrema illorum auaritia atque ambitione. Hisce itaque in medium pertractis, ac tanquam feris deuastantibus uineam domini palam ostensis, ab illorum nos posteris, quibus nulla unquam aetas caruit cauere iubet. Hi sane sunt, qui contempta fidei simplicitate, chimaeras nescio quas introducunt opinionum. Ait itaque: fuerunt olim falsi prophetae, eruntque in posterum eorum simillimi doctores, qui clam astuteque sectas inducent perniciosas ac letales. Istius autem modi homines (mallet monstra illos appellare) fuerunt imprimis Arrius, ante hunc Valentinus, Pelagius postea, Nestorius, et quam plurima portenta alia, quae etsi nihil tandem egerunt, turbarunt tamen quietem nostram, atque eo multorum impulerunt animos, ut fere nil iam firmum quo niti deberent uideretur. Secus alii, qui longo tum rerum tum librorum usu sane quam eruditi, haud se quidem solum, sed et caeteros lue illa ab exitiali immunes reddere perdidicerunt. Apte uero sectas perditas dicit propter finem illorum perniciosum. Nam in supremam pene calamitatem ut olim posuerunt, ita et nunc ponere egregiam nauant operam fidei culturam tam infensarum sectarum auctores fautoresque. Maxime autem istuc idem nostra etiam aetate proserpsit uirus in sacramenta ecclesiae: quibus sane mediis ueluti quibusdam conuenientissimis atque instrumentis uti solet Deus ad impartienda sui sancti spiritus dona atque diuinas largitiones suis electis: inter quas quidem largitiones principem tenet locum amor erga religionem cum feruidus, tum diuturnus. Verum illud, si uidetur, cum Irenaeo fatendum erit. Sacramen-

[Sacramenta]

{1555 p. 223}

-ta, inquit, non sanctificant hominem, sed pura uniuscuiusque conscientia sanctificat sacramenta: hoc est, uim sentit sacramentorum, quorum finis est sanctificatio: alioqui toxicum fiunt immedicabile: et hi qui sordidis affectibus sese ingerunt sacramentis, simias imitantur, qui humores hominum ac membra referunt, et tamen homines non sunt: sic sanctus ille. Quare non iniuria clamat Chrysostomus. Si uideris hominem Christianum, statim consydera, si confessio eius ac uita conueniunt cum scripturis, uerus Christianus est: si autem non est ut mandauit Christus, falsus est Christianus. At tu interim mihi cuiusmodi sit qualitatis utriusque spiritus ex Ioannis assertionibus intuere: Omnis, inquit, spiritus qui confitetur in carnem uenisse ex Deo est. Ista sane assertio prae se fert IESUM ad terras has nostras inuisendas, purgandasque ab errorum spinis descendisse seruasseque ab interitu homines, qui neque uiribus ipsis naturae propriis, neque proprio conatu aut ausu seruari poterant. Et omnis (ait) qui soluit IESUM, ex Deo non est, et hic est spiritus antichristi. Soluit autem IESUM qui eum (ut aiunt) diuidit: hoc est, qui uel humanitati, uel diuinitati, aut sapientiae, aut illius potentiae quidpiam detrahit. Soluebat itaque IESUM Arrius, qui filium quidem Dei eum esse asserebat, sed dempta illius aequalitate cum patre. In quem sane errorem lapsus olim fuisse Origenem ex illius scriptis cognosci potest. Soluebat item Photinus, qui Christum Deum non esse dicebat, sed hominem purum: soluebat more Photini contrarius Manichaeus, qui illius fassus diuinitatem, humanitatem negauit: soluebat Apollinaris, qui utrunque asserens, animam tamen in illo rationalem extitisse diffitebatur: soluebat tandem (ne haereticorum nunc omnium singillatim insanias iam per concilia antiqua reiectas commemorem) Pelagius

{1555 p. 224}

audacissimus, qui affirmare non est ueritus, hominem ex se, naturaeque uiribus, ulla absque ope diuina seruari posse: quod quidem erat, posse hominem per Adam, omisso Christo, cuius aduentus ac mors eo modo superuacanea extitisset, salutem assequi. Sed hi fumo uelocius in nihilum resoluti euanuerunt errorum artifices: qui, ut noster queritur senex, sectas conati sunt inuehere perniciosas: et quod scelestius censeri debet, eum qui emit illos dominum negant: cum ei tamen (o impudentiam raram) suum iam dederant nomen: cuique propterea propriam ipsorum salutem ferre acceptam debuerant, ut pote empti ab eo sanguinis ac mortis pretio illo inaestimabili, quo uniuersus, nedum illi, recuperatus est orbis. Verum non impune id totum: inducunt enim sibi celerem perditionem. Cito, ait, dabunt poenas. Id quidem ad piorum consolationem additum esse reor, quibus compertum iam esse debet, uinitorem coelestem haud diutius apros istos spurcissimos demolientes fidei amoenitatem toleraturum. Sed illud maximopere admirandum, quod cum tam nefariae uitae futuri sint quidam,

|2 Peter 2.2| Multi tamen sequentur eorum luxurias.

Ex Graeco legunt perditionem, non luxurias, quamquam luxuriae nomen hic etiam conuenire posse arbitramur: nam ex luxuriosa petulantique illorum uita mors accersitur atque interitus. Sed parum esset si soli, postquam sic uolunt, perirent: uerum simplices, qui innumeri fere sunt, uidere ad tam mortiferum hamum adescari

quis ferat? Sed et illud quoque magis dolendum, quod uia ueritatis rectissima illorum culpa passim blasphemari auditur.

|2 Peter 2.2| Per quos, inquit, uia ueritatis male audit.

De his puto Paulum cum Romanis scriberet, intellexisse:

{1555 p. 225}

Et nomen, inquit, Dei blasphematur per uos inter gentes. Cernentes enim in fide debiliores illos qui primas occupant sedes, flagitiose uiuere, atque idem ipsum quod uiuunt publice profiteri iam coeptum facile remorantur institutum, resiliuntque a proposito.

|2 Peter 2.3| Et fictis, inquit, uerbis per auaritiam de uobis negociabuntur.

Id quidem moris est mercatorum fere omnium, ut fictis uerbis blandiciisque emptores, quo carius possint uendere, alliciant. Ita agi ab haereticis et nos quoque maxima religionis iactura continuis experimur exemplis. Nihil sane omittunt, omnia tentant, in omnes sese commutant species, ac, quo sagacius simplicium perstringant oculos, illisque imponant, atque astutissimis illudant fallaciis, conuertunt formas. Pantomimos diceret. Atque id totum ob quaestum et auaritiam ab illis agi quis non uidet? Vestra, inquit, quaerunt et uenantur, iccirco uos arte deludunt cauponaria. Quid enim uersutius? quid fallacius illis, qui in caupona quid uendunt? Sed illos, si sapitis, ne sequamini.

|2 Peter 2.3| Quibus iudicium iam olim non tardat, neque perditio illorum dormitat.

Iudicium uocat damnationem quam haud procul ab illorum abesse felicitate denuntiat. Ne uos fallat, inquit, quod felices hi uideantur, quod potentia praediti, quod in gremio fortunae tanquam in natali solo securi dormiant. non diu quidem istiusmodi fortunae plausu potientur: quandoquidem non tardat dormitatie illorum interitus: hoc est, non per negligentiam impotentiamue iudicis intermittitur differturque: siquidem qui iam dudum in mente Dei aeterna diiudicati sunt: cito quantum coelestis soleat iudex tarditatem poenarum

{1555 p. 226}

grauitate compensare re ipsa periclitabuntur.

|2 Peter 2.4-9| Si enim Deus angelis, qui peccauerant, non pepercit, sed catenis caliginis in tartarum praecipitatos tradidit seruos in iudicium: et prisco mundo non pepercit, sed octauum iustitiae praeconem Noe seruauit, diluuium mundo impiorum inducens, et ciuitates Sodomorum

ac Gomorrae in cineres redactas subuersione condemnauit, easque fecit exemplum his qui impie essent acturi, et iustum Loth oppressum a nefandorum iniuria ac libidinosa conuersatione eripuit. Is enim oculis et auribus iustus cum habitaret inter illos quotidie animam iustam iniquis illorum factis excruciat. Nouit dominus pios de tentatione eripere, iniquos uero in die iudicii puniendos seruare.

Vana sunt haec, dicet aliquis, fictarum rerum commenta, inuentionesque de poenis magistris errorum infligendis futiles et aniles, contra illos maxime qui Dei uices in terris gerere uideri uolunt. His diuinissimus respondet apostolus, argumento utens a maiori (quod aiunt) ad minus: licet suo more concise, et absque membris illis ac finitione determinationeque suppositis, atque conclusione solitis: quibus sane partibus neglectis uolunt argumenta mirum in modum hiare, ac male claudi. Qui tamen mos, seu potius defectus re in sacra explicanda adeo sanctissimos non deterruit a scribendo autores, ut eum etiam cum amasse, tum suis in scriptis, et

{1555 p. 227}

saepe et libenter, et data opera interspersisse uisi sunt. Adeo haud multum referre arbitrabantur coelestes uiri qua quis phrasi uerborum illis in rebus dilucidandis uteretur, quae solo Dei spiritu et scribuntur, et ab illis qui legunt recte intelliguntur. Quod itaque caeteris apostolis qui mira aliqua scripserunt, fuit peculiare, id in primis ab eorum principe suis in epistolis seruatum fuisse cernimus. Cum enim succincte de quorundam iudicio quam primum ob foedam illorum uitam ac doctrinam, propter quam ipsa male audiebat religio, accessuro dixisset: de hominibus mox illis latius, angelisque qui ab ipsa prima rerum origine aut peccauerunt, aut ne a posteris Dei ignoraretur tum iustitia tum potentia, pietatem coluerunt, scribere instituit: qui Deus quemadmodum in peccatis pertinaces, quodamque modo rebelles, seuerissime punire solitus est: ita in uia iustitiae sincero gradientes incessu, quibusque diuinus honor plus quam uita propria est carior, seruare, suisque copiosissimis bonis ditare consueuit, ac se illis tradere. Quare tam longa (ut hic uides) periodo, illud tanquam epiphonema sane quam necessarium addidit. Nouit dominus pios de tentatione eripere, iniquos uero in diem iudicii puniendos seruare. At tu interim argumentandi modum in doctissimo animaduerte piscatore. Si angelis, inquit, natura nobilissimis, qui peccauerant, non pepercit: nec impostoribus quidem istis hominibus sane despectissimis parcet. Ecce, ait Iob, qui seruiunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit prauitatem: quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur a tineas. Diuus hic clamat Bernardus, Si sic actum est cum angelo, quid de me erit, cum sim cinis et terra? Quomodo igitur Deus tam contemptae rei, ut homo est prauus, censendus est uelle parcere: qui tam sublimi, ut erat angelus nec pe-

[pepercit]

{1555 p. 228}

-percit, nec inter suos diutius commorari est passus? De Angelorum lapsu nota est historias, notaque illorum in Deum audacia, nota ruina. Deiecti enim e coelo imum hunc aerem occupauerunt: qui tamen extremam iudicii sententiam opperientes, suum secum interim ferunt, quemcunque locum teneant, incendium. Diuus Augustinus hunc eundem locum infernum uocat, quem a Daemonibus, quo ad extremum ueniat iudicium, habitari asserit Quocirca ut ineuitabilem illorum ostenderet damnationem, illud protulit, Sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit. quod clarius ex Graeco intelligimus: sic illi, Sed catenis caliginis (catenis enim ac loris damnati uinciri solent) in infernum detrusos tradidit ad iudicium seruatos. Hoc est, in hoc seruatos, ut ultimo illo examine ac iudicio damnati perpetuis excrucientur suppliciis. Interim autem catenis aeternae noctis uincti aerem hunc crassum ac tetrum impune peruagantur. Angelis igitur creaturarum omnium excellentissimis non pepercit Deus: non pepercit item prisco illi mundo ante diluuium foedissima hominum uita contaminato. Perstat in sententia Petrus, atque in eodem colludens argumento coeptae iam instat operae: et aequae est, atque si diceret: Si mundo adhuc rudi, recensque formato minime indulset, quid putandum de nobis, reuelata iam luce ob Christi aduentum, ac tot collatis ab eo beneficiis nostro generi? Offensus itaque antiqui illius mundi sceleribus Deus, omnes fere, uno Noe excepto, deleuit: praecone nimirum infatigabili iustitiae et diuturno: quandoquidem perpetuo ueluti clangore per centum annos, quo spatio fabricata fuit arca, futurum denuntiavit diluuium deterruitque, quod in se fuit, uniuersalem hominum audaciam a malefactis. Octauum praeconem dicit, propterea quod septem tantum animae cum ipso inter tot hominum myriades seruatae sunt, di-

[diluuiio]

{1555 p. 229}

-luuiio in mundum impiorum (hoc est in mundum circunquaue ab impiis obsessum, et foedissimum in modum occupatum) inducto. Ad consolationem quidem haec dicta sunt proborum: qui cum quantae sit curae Deo illorum salus recolunt, nihil minus uerentur quam ab illo deseri. Et ciuitates Sodomorum et Gomorraeorum in cineres redactas subuersione damnauit, exemplum eorum qui impie acturi erant. De iis ne, inquit, circumforaneis, obscurisque doctoribus non sumet poenas iudex ille aequissimus, qui amoenissimae regioni, in qua florentissimae sitae erant Sodomorum Gomorraeorumque ciuitates, non pepercit: sed ita funditus euertit, ut nulla tam magnifici operis superessent uestigia: paucis tantummodo graueque olentibus (transactae nimirum conflagrationis testibus) relictis cineribus? Sodomum metropolis fuit regionis illius feracissimae in Iudaea: cuius Sodomi ambitum sexaginta fuisse stadiorum scribunt historici. Hanc igitur tam celebrem urbem cum Gomorra, atque cum aliis quatuor eiusdem ferme amplitudinis ciuitatibus, maximo terrificoque immisso incendio penitus deleuit Deus. Aiunt terram eam ex atroci illa sed debita Sodomitis ultione adhuc fumare, ad aeternum illorum exemplum, qui mollissimis promiscuisque uacantes libidinibus suum more uitam acturi essent infamem: quibusque aeternus indubie lege Dei aeterna debetur ignis, sulphur, foetorque intolerabilis cocyti et Phlegetontis [sic, Phlegethontis]: luctus item et conflagratio, poena nimirum tum Draucis tum catamitis atque turpissimis exoletis a summo decreta iudice ad exemplum (ut diximus) aeternum, communeque omnibus illis qui

sic uiuunt. Contra uero iniquissimis illis deletis ac flammae traditis, Loth iustum, qui uisa obscoena illorum uita maximopere discruciabatur, peneque ab effrenata illorum consuetudine opprimebatur, e contaminatissimo

{1555 p. 230}

sceleratorum commercio, inter quos graue illi oppido erat uiuere, semouit, tutumque in tam periculosa flagitiosorum hominum multitudine seruauit. Is enim cum iustus esset, auresque sanctissimas atque oculos ab omni horrentes flagitio haberet, miro afficiebatur dolore, quod inter illos uiuere cogere, in quorum moribus multa quotidie cum uidere, tum audire quae nollet necesse esset. Quotidie, inquit, suam ipse animam iustam iniquis facinorosorum hominum factis qua uisis, qua auditis excruciebat. Atque ad hunc sane modum, NOVIT Deus pios de tentatione eripere, iniquos uero in diem iudicii seruare cruciandos cum spiritibus nimirum immundis, ac tetrus: quos uolunt, ut dictum est, in hac ima aeris regione, quoad ad iudicium accersantur extremum, peruagari: atque ad exercitationem illorum, qui uerae student religioni, a Deo secretissimo suae obstrusae prouidentiae consilio ac proposito tolerari. Verum illud omni studio curandum, ut ne anxie nimium nostram optemus liberationem, Nouit enim ipse tempus, nouit modum, nouit quid nobis magis conducat, quid secus. Qua de re haud iniuria quidem a sancto dictum est autore, Nouit dominus. Ferenda est igitur forti elateque animo quoad ipse iusserit crux Christi. Immo quod Christianae perfectionis non mediocre est argumentum, uenerationi nobis hi esse debent, qui crucem afferunt: quippe qui diuinae sunt instrumenta prouidentiae ad exequenda Dei iudicia in terris. Scite itaque illud fuit a propheta oratum, Eripe (ita ex Hebraeo transferunt) animam meam ab impio, qui est framea tua, et ab inimicis, qui tibi uice manuum sunt. Esaias quoque hac de re sic:

Vae Assur, inquit, uirga furoris mei, et baculus ipse est in manu eius indignatio mea. Iob item cum tam uarie diuexaretur a daemone, fassus est se a Dei manu ea perpeti. Manus, ait, domini tetigit

{1555 p. 231}

me. Igitur nouit dominus (ut saepius rem tam necessariam repetamus) tempus liberationis nostrae. Nouit etiam tempus mulcta afficiendi illos, qui ut plurimum diutius seruari a Deo uidentur, quam nostra uellet mollicies animi.

|2 Peter 2.10| Sed eos maxime qui carnem sequentes in concupiscentia pollutionis ambulant.

Qui sint isti, qui sic ambulant ac uiuunt: puto illos esse, qui timore cum Deo tum hominum reiecto in omnem sese prostituunt libidinem, et quicquid libuerit more pecudum consectantur. Ad haec,

|2 Peter 2.10| Dominationem contemnunt.

Audaciam hominum: illos spernunt, qui legitima atque ordinaria praediti sunt autoritate: quibus tamen honor, ac iuncta cum dilectione reuerentia ab omnibus haberi debet. Sunt qui hoc in loco audacem quorundam temeritatem, e qua non paucae exortae sunt haereses, reprehendi existimant: qui negata prorsus Dei gubernatione in mundo ac dominatu, eo impulerunt nonnullos, ut se impune peccare posse opinarentur. Huius sane generis monstra fuere ante alios, ut refert Irenaeus, Nicolaitae, Gnostici postea, Naaseni, Cerdoniani, Marcionitae, atque alii pene infinitae impietatis atque impudentiae haeretici. Quocirca aptissime infertur,

|2 Peter 2.10| Audaces, praefracti, qui splendores non uerentur conuiciis incessere.

Quaeuis nefaria, inquit, audent. Praefractus uocat homines sui capitis, ac sensus, et qui facile ab inueterato iam usu abduci nequeunt. Noster interpretes Sibi placentes, transtulit, quod is bellissime conuenit, qui in facinoribus perpetrandis cum induruerint, non solum peccata quotidie peccatis accumulunt, uerumetiam ob commissa

{1555 p. 232}

nefandissimum in modum sibi applaudunt: ut illos sane est uidere, quibus nihil placere iam potest, quod iniurium non sit, aut damnosum, aut cruentum, aut libidinosum, aut (ut semel dicam) ferum omnino, et immane. Quod Graecis est, Splendores non uerentur conuiciis incessere: hoc est, eos qui dignitate splendoreque aucti sunt aliquo. Nostri legunt, Sectas non metuunt introducere blasphemantes. Et perinde est, atque si diceret, Ut obedientia subditorum ablata seditiones facilius moueant, praepositis detrahunt. Sunt qui, maiestatem, hic eo legunt modo, quo sua in epistola utitur Iudas. Dominationem, ait, contemnunt, maiestatem blasphemante hoc est, diuinas spernunt ordinationes, statutasque in terris hierarchias, gradusque in ecclesia uenerandos, quae omnia Dei maiestatem referunt, nihili faciunt. Eone uero iam uesaniae nostra, simul ac frontem semel perfricuit, processit aetas, ut si qui sunt inter mortales qui male audiant, hi ut plurimum ex illis sunt, qui rerum potiuntur, quique ex summa rerum sibi credita, atque autoritate populorum suffragiis comparata, cum magni sint, omnium uidentur sententiis ex more uariis ac dissipatis esse obnoxii? Sed in portu nauigant, si tantae rerum moli atque oneri coniuncta sit cum potentia probitas, fraenum nimirum ad coercendas uulgi linguas fortissimum. Si uero aliter ac debent uiuunt, ut male agunt qui tantae detrahunt maiestati, detrahunt

tamen cum causa, ansaque inuenta suae plane satisfaciunt leuitati, colorato maxime praetextu aliquo reperto.

|2 Peter 2.11| Cum angeli, qui sunt potentia, ac uirtute maiores, non ferant aduersus ipsos apud dominum maledicum iudicium.

Arbitror illud idem, quod Iudas in quorundam petulantiam atque abusum linguae inuectus protulit a Pe-

[Petro]

{1555 p. 233}

-tro eadem de causa prolatum esse: quamque strictius ille sic: Cum Michael archangelus cum diabolo disputans altercetur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiae, sed dixit, Imperet tibi Deus. Voluit tunc daemon corpus Moysi, quo populum ad illius cultum prouocaret, detegi palamque fieri. Cui Michael obstitit, modeste tamen, ne tam nobili creaturae, quasi illi reuerentiam exhibens ob principatum, male imprecari (id est iudicium blasphemia inferre) uideretur. Tam sanctus angelus igitur ac potens, noluit inter mutuas illas cum daemone altercationes tam execrandum spiritum ob dignitatem naturae maledictis impetere, iniurioseque aggrauare apud Deum. Petrus uero, Praefracti isti et audaces, eos qui splendore aliquo sunt praediti ac dignitate, non uerentur maledictis incessere: cum angeli, qui maiori fulcti sunt dignitate, ac potentia fortiores, neutiquam eos (splendore utique insignes) fuerunt ausi probris exagitare, atque illis detrahere, apud dominum potissime: quod sane tolerandum, si id contigisset, uideri poterat: cum res apud Deum, qui uniuersalis est arbiter, uentilaretur. In idem utriusque recidunt sententiae, atque uerba fere. Non displicet etiam illorum opinio nonnullis, qui haec omnia ad Deum referunt, existimantes de angelis hic prauis mentionem fieri: qui cum propter nobilitatem naturae longe praestent hominibus, suo tamen in lapsu ac ruina maledictis in Deum abstinere, tanquam qui diuinae deferrent autoritati. Mi enim cum ob suae originis praestantiam excellentissimi creaturarum omnium sint, Deum tamen suae extremae calamitatis atque exitii iudicem ipso etiam in lapsu uenerati sunt: tantum abfuit, ut quidpiam in illum eiecerint contumeliarum. Et sic supremam illam in Deo potestatem, qua cuncta concutit et tremefacit, magis uenerati sunt, quam execrati.

{1555 p. 234}

|2 Peter 2.12-13| Hi uero ueluti irrationabilia pecora naturaliter genita ut capiantur et intereant, in his quae non intelligunt blasphemantes, in perditione sua peribunt, reportantes mercedem iniustitiae, pro uoluptate ducentes si in diem delitiis fruuntur.

Hi, inquit, perinde, atque si bruta essent rationis expertia, nata utique ad lanienam, nihil pensi habentes, sceleratiores quam ipsi sint daemones uidentur esse: qui cum suis obtrectare praepositis uereantur, hi tamen omni in loco et fortuna a maledictis non abstinent: immo etiam his de rebus quae illos fugiunt omnino obloquuntur:

signum certe peruersissimi eorum animi et maligni. Nollent sane quo liberius peccare possent esse magistratus. Qui in perditione sua peribunt. Apte sua, hoc est se digna: nam in continuis degentes, ac si belluae essent uoluptatibus, in eodem ipso in quo uixere pereunt luto: percipientes quidem mercedem sibi multis nominibus debitam, praemium scilicet transactae aetatis, cum hic ob contaminatae uitae famam, tum in futurum ob poenarum atrocitatem, et grauitatem. Quid?

|2 Peter 2.13| Ducunt uoluptatem delitias diei: labes ac maculae, delitiis affluentibus in conuiuibus suis luxuriantes uobiscum.

Vide, ait, conclamatos illorum animos. Qui enim de nocte solum libidini uacant, hi prae se ferunt nescio quid pudoris: at isti nihil se assequutos opinantur, nisi per diu id agant ac palam: existimantes tum demum ueras eas esse delitias ac uoluptates, si diurnae eae sint, non contenti nocturnis. Hominesne sunt isti? num belluae? Haud tales igitur amplius sceleratos nefariosue appel-

{1555 p. 235}

-lari fas sit, sed ipsummet scelus ac nefas: simul ut eos uideo suis in conuiuibus totos luxuriae addictos esse, et id quidem uobiscum, uestrisque cum uxoribus ac liberis.

|2 Peter 2.14| Vobiscum dico non animaduertentibus quod hi oculos habent adulterii plenos, et qui a peccatis cessare nequeant.

Adeo, inquit, procaci sunt aspectu et inuerecundo, ut adulteram non aspiciant solum, uerumetiam ipsissimis hauriant oculis. Cum certe semel in iterandis delictis occaluerint, nihil aliud se iam cogitare posse ostendunt quam quomodo suas explere possint cupiditates: finem interim peccandi statuentes nullum.

|2 Peter 2.14| Pellicientes animas instabiles.

Nondum scilicet ad bonam frugem informatas. Facile enim a quouis uento nutant animi leues et infirmi, adescanturque ab iis potissimum,

|2 Peter 2.15-16| Qui cor exercitatum auaritia habent, execrabiles filii, qui relicta recta uia aberrarunt, sequuti uiam Balaam ex Bossor, qui mercedem iniquitatis dilexit: sed redargutus fuit de sua uesania: animal subiugale mutum humana uoce loquens prohibuit prophetae insipientiam.

Graecis est non tam auaritia, quam ui malisque artibus partis. In iis quidem accumulandis exercitatum habent ingenium, callentque artem. Hi certe qui libidinosae

uiuendo decoctores suarum rerum fuere, necesse est, ut alienarum, ne desit pergraecandi in posterum facultas, raptores fiant. Sic sunt illi, qui tum Deo tum hominibus inuisi probis omnibus infensi sunt. Siquem a re-

[recta]

{1555 p. 236}

-cta deerrantes uia sequuntur Balaam ex Bossor. Alii Beor, legunt: sed uariant interdum Graeci ab Hebraeis in nominibus istiusmodi barbaris. Nota est historia ex Numero Mosis, quomodo scilicet Balaac Moabitarum rex Balaam inuitauit magum muneribus ut malediceret Israeliticis copiis, quae tunc in armis erant: nam scelestissimo uati ars erat e magia, ut exercitus, cui suis ipse maleficiis male imprecaretur, in praelio succumberet: iccirco istuc petiit ab eo Balaac. Sensus itaque is esto: Auaritia quidem atque alienarum rerum siti raptuque obcaecati, probis male imprecari solent corruptissimi quidam, in hoc Balaam imitati: qui meliora cognoscens, immo a Deo ne impio pareret regi admonitus: spreuit tamen admonitionem, ac populo illi tam caro numini maledicere, maxima illi mercede promissa, conatus est. Verum se dignam retulit confusionem ab asina uoce humana correptus. Et nisi minus ille oculis animi uidisset, quam oculis corporeis asina uidit, a nefario suo facile declinasset consilio, ut illa ab itinere conspecto angelo declinauit. Quare eo penitus exuto ratione, Brutum animal et mutum suae illum castigauit insipientiae lingua loquutum humana. Istiusmodi plane naturae sunt haeretici (ut dixi) doctoresque indocti ac uenales: quos eo interdum caecitatis impellit iuncta cum ambitione auaritia, ut spe tantilla lucri apparente Deo ipsi optimo maximo, non solum hominibus, detrahare parati sint, ac male imprecari. Exoculati semel pecuniarum cupiditate, cuncta illis et sacra et prophana, modo emptores inueniant, fiunt uenalia. Quid mirum?

|2 Peter 2.17| Sunt enim fontes sine aqua, et nebulae a turbine exagitatae.

Sunt fontes, ait, sicci, pleni que ruderi ac limi falsi isti doctores, qui ob ostentatam uulgo eloquentiam atque

{1555 p. 237}

religionem uidentur fontes esse lucidi, et copiosi: uerum si propius accesseris, uasa illos esse inania et solitaria reperiēs. Sunt proinde etiam ut nubes circumactae a uentis, quae ne guttam quidem depluunt, cum tamen imbrium copiam polliceri uideantur. Hos uocat alter apostolus arbores autumnales bis mortuas, cum scilicet prius fructibus, quod in autumnis illis contingere uidemus, foliis postea exutae uidentur emori. Eradicatē, inquit, a pomariis nimirum ecclesiae.

|2 Peter 2.17| Quibus caligo tenebrarum reseruatur.

Poena certe debita caliginosis animis, ac tetris. Inferni supplicia intelligit. Sic Iudas: Sunt nubes sine aqua, quae a uentis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae, undae efferae.

|2 Peter 2.18-19| Superbiam enim uanitatis loquentes, inescant per concupiscentias carnis in lasciuis eos, qui uere aufugerant, qui in errore conuersabantur, dum illis libertatem pollicentur, cum ipsi serui sint corruptionis.

Vocat corruptionem turpis uitae consuetudinem atque habitum. Is quidem praecipuus haeticorum mos est, uerba scilicet iactare thrasonica, et fastuosa, promissionesque promissionibus accumulare arrogantissimas, sed inanes. Eritis (ait daemon) sicut Dii, scientes bonum et malum. Quid hac promissione arrogantius? quid ampullosius? Quod enim proprium illius est naturae qui butyrum ac mel, ut praedixit Esaias, comedit ut sciret reprobare malum, et eligere bonum, leuissimae foeminae ausus est polliceri uersutissimus serpens. Hi itaque astutissimi aucupes id moris habent, ut incautos, qui caeteroquin a mortifera illorum doctrina, qua infecti prius fuerant, sese paulatim subtrahere, ne quid agere incon-

[inconsulto]

{1555 p. 238}

-sulto uideantur, quaerunt: falsis pelliciant promissionibus, retineanturque lenociniis, pollicentes quidem libertatem spiritus, cum ipsi interim mancipia sint libidinum obscoenissima. Nihil sane libentius audit uulgus, quam uti posse libertate. Vulgus dixi solum, quamquam non me fugit, permultos etiam non infimae sortis homines huiusmodi libentissime adhaerere disciplinae atque haeresi. Qui autem tali imbuti sunt persuasionem, quod nihil non liceat, eos necesse est corporeis oblectamentis, quibus natura humana haud libenter caret, obtemperare: illisque tanquam uilissimi serui uel nolentes obsequi.

|2 Peter 2.19| A quo enim quis superatus est, eius fit seruus.

Ut uerissimum illud sit apostolicum, QUI facit peccatum, seruus est peccati. Nec sane mirum: siquidem qui peccat, procul dubio superatur tanquam in duello a peccato, iccirco uelit nolit, seruire, uiuere, mori quoque in peccato, nisi suppetias Deus ueniat, cogitur. Seruus iam erat factus peccati epistolae huius autor, quando Christum se ignorare metu ancillae cuiusdam sordidae perterritus fassus est ne semel quidem, sed iterum atque iterum, nisi respexisset in eum dominus. Nam a diuinissimo illo aspectu admonitus, illustratusque a uero sole, fleuit amare. Fleuisset et Iudas ad eum sane modum, si admonitiones a magistro in coena illa extrema sibi factas non refutasset. Adam quoque ipse post leue praelium commissum cum peccato uictus quaesiuit latebras, considerans se nullo unquam modo a dira seruitute peccati, quam sibi ultro asciuerat, neque ab hasta, sub qua peccando transierat collum, per se posse excutere, si uocanti Deo parere neglexisset. Nostrum est igitur labi, uincirique catenis peccati: surgere uero post

{1555 p. 239}

lapsum atque eximi a peccati nexibus iam alterius est iurisdictionis, nempe Dei offensi, qui gratis (ut ait Augustinus) cum propositi nostri assensu nos asserit in libertatem. Sed illud timoris plenissimum quod sequitur me terret.

|2 Peter 2.20-21| Si enim posteaquam refugerant ab inquinamentis mundi per cognitionem domini et saluatoris IESU Christi, iis rursus implicati superantur, facta sunt illis postrema peiora primis. Melius enim fuisset illis non cognouisse uiam iustitiae, quam post cognitionem conuerti ab eo, quod illis traditum fuit, sancto mandato.

Sanctum mandatum appellat legem a Deo sancitam, ad quam seruandam quotquot nomina semel dederunt Christo indissolubili tenentur foedere. Verum caue putes, ut putarunt olim haeretici, spem hic illis adimi ueniae qui peccant. In hunc sane errorem nonnullos etiam ex nostris lapsos esse magno nostro dolore uidimus. Verum fatendum quoque est Petrum hic ueniam negare, sed illis duntaxat qui ad mortem usque delinquere beneque notam ueritatem expugnare connituntur. Istuc quidem peccatum, peccatum ad mortem, pro quo diluendo nemo orare permittitur, appellat Ioannes. Semel enim illuminati atque ad excellentiorem aliquem perfectionis gradum per Dei spiritum, atque illius cognitionem, quae fit per fidem euecti, sed postea donorum coelestium obliti ad opprimendam ueritatem iam cognitam accedunt, utroque in peccata prolapsi in his, quae ad corpus attinent, sua omnia oblectamenta, omissis interim iis quae sunt animi, capere student hi a

{1555 p. 240}

Deo sua neglecti culpa desertique censerit possunt: iccirco ardua atque difficilis uidetur eorum curatio. Impossibile est eos, inquit Paulus, qui semel sunt illuminati, (non solum de gratiae radiis, sed etiam de Baptismo, quod sacramentum illuminationum appellabant antiqui, intelligit) gustaueruntque donum coeleste (remissionem nimirum peccatorum, quae accepta intellectaque atque agnita a peccatore, mirabiles in corde humano exsuscitat spiritualis gustus suauitates) et participes facti sunt spiritus sancti, (senserunt scilicet se esse factos domicilia Deo digna) et gustauerunt bonum Dei uerbum (mysteria intelligit legis, ac uerbum illud, de quo sic Dauid, Eructauit cor meum uerbum bonum) uirtutesque seculi uenturi, (de gloriae aeternae magnitudine, quam etiam in hac uita persentiunt electi, atque illius experiuntur maiestatem, loquitur) et prolapsi fuerint, rursus renouari ad poenitentiam. Encomia sunt haec perfectionis, quae qui possidet, atque iterum ad condonatas iam olim reuertitur sordes, dataque opera sequitur errores sprete ueritate, iam magis induruit, quam ut conuerti posse uideatur. Verum enim uero, si et is quoque ex animo resipiscit, Deus eum non auersatur. Siquidem, ut ait Chrysostomus, etiam in ipso temporis articulo, cum iam anima festinat ad exitum, et egrediens ad labia expirantis emerserit, poenitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur: nec serum est quod est uerum. Quare non quantitas criminis, non breuitas temporis, nec horae extremitas, nec uitae enormitas, si uera contritio, si pura

fuerit uoluntatis mutatio, excludit a uenia. Hanc sanctissimi uiri opinionem communem sane cum sanctoribus sacrarum litterarum interpretibus irrident nonnulli, ex his potissimum, qui ita delicato sunt stomacho, ut scriptores plane omnes a Christi aetate fastidiant, de illisque male

{1555 p. 241}

opinentur et sentiant. Non est tamen diutius spe ueniae saepenumero inutili, nostra procrastinanda conuersione, ne forte, ut scriptum est, quaeramus tum spatium poenitentiae cum inueniri non possit: illudque de nobis dictum experiamur, Fiant dorsa eorum semper incurua. facta sunt igitur illis postrema peiora primis ob induratum iam sensum et malignum. Et certe in tenebris nondum plena exorta luce caecutiuisse aliquando haud multum sane reprehensibile uideri poterat: at solem ipsum totam iam illustrantem regionem auersari atque a perceptis iam radiis refugere, ultroque ad tenebras olim execratas redire, atque in illis nulla habita cognitae ueritatis ratione oblectari, quid censes? Qui talis est, fere daemonum aequauit malitiam et improbitatem.

|2 Peter 2.22| Huic enim accidit quod prouerbio dici solet, Canis reuersus ad suum uomitum.

Nihil sane sordidius illi potest contingere, quam quod semel eiecerat resorbere. Frustra igitur uomitu purgauit stomachum peccator, animam scilicet peccati sorde inquinatam, si repetiit eiectum, si resorbuit quod naturam grauabat Quid illud?

|2 Peter 2.22| Sus lota, in uolutabro luti.

Reuoluta scilicet post lotionem. Quid, obsecro, te iuuat lauacrum baptismi? quid cognitio Dei? quid longa poenitentiae lamenta? si ad sordes haud multo pridem detestatas et sciens et prudens reuertaris? Sic canis, inquit Salomon, qui reuertitur ad uomitum suum, sic insipiens qui iterat stultitiam suam. Periculosissimum quidem istuc est genus incogitantiae, melius dicerem rebellionis, si quod aliud.

{1555 p. 242}

CAP. III.

|2 Peter 3.1| Has iam alteras charissimi uobis scribo literas, in quibus uestram excito in commonitione synceram mentem.

Et sic duas istas epistolas tanquam a diuo Petro scriptas legit ecclesia. Prima igitur a nobis ut potuimus exposita et illustrata, ad alteram uenerabundi ac timidi interpretandam accessimus, exercitationis nostri frigidi ingenii potius (ut in alterius exordio diximus) gratia, quam quod speraremus ex nostris hisce frigidiusculis atque ieiunis commentariis posse lucis aliquid addi tantae maiestati, ut sunt apostolorum scripta. egent tamen, spero, in academia domini rudiores, quibus nondum plena

concessa est abditarum rerum cognitio et gustus. Tantum id aueo, ut non solum hi qui supremis fidei gradibus nondum assueti in imis adhuc immorantur, equi bonique consulant, si quid in harum lectione aut parum caute uidebitur dictum, aut a uulgari pertritoque sensu alienum: sed illi etiam, qui in sublimi tum litterarum, tum sanctitatis apice constituti de utroque possunt genere doctissime iudicare. De erraticis uero quibusdam sanctulis, qui totam pene Europam peragrantes a nemine sane missi, sed a propria persuasi existimatione de alienis scriptis censuram sibi arrogant, sino alios iudicium facere. Mecum uero non incommode agi arbitror, si per otium mihi licuerit, quae cano tum mihi tum meis musis canere, non aliis. Libenter equidem ego pene decrepitus (iam tertium et sexagesimum praetergressus sum annum) cum decrepito apostolo loquor, et necessitudinem in eo. Exploratissimum quidem habeo senem istum Deo carissimum et amicum et legatum, hac in epistola non tam

{1555 p. 243}

suae tempestatis homines, quam nostrae etiam hortari, ne blandis quorundam persuasionibus aures accommodent, neque illorum plusquam circaeis teneantur praestigiis: sed in dubiis, quae oriri solent in re nondum plane sibi explicata, prophetas consulant et apostolos, qui ut legitimi sunt nuntii a Deo missi, ita uera afferunt et salutaria: illi adulterina, falsa, mortifera: cum uerius illusores dici possent quam doctores. In quibus. Ad utramque refertur epistolam. En alteras, inquit, do uobis literas, uosque eadem de re iisdem in literis commonefacio. Non certe quod ne parum quidem de uestra addubitem in fide Christi synceritate, quam dudum compertam habeo. Sed ad ea amplexanda uos excito, ad quae uestras intueor mentes bene intentas esse et confirmatas. Id sane moris est illis, qui alios instruunt, ut sponte et sua progredientibus adiungant stimulos. Eos quidem non praeterit, ignem nisi assiduus alatur nutrimentis facile sopiri et extinguere.

|2 Peter 3.2| Ut memores sitis uerborum, quae praedicta sunt a prophetis: et praecepti nostri, qui sumus apostoli domini et saluatoris IESU.

Istud in primis fuit apostolis suis in concionibus consilium, ut homines in fide ancipites ac nutantes ad prophetias ueteres rimandas adhortarentur: ut pote qua reconditissima fidei mysteria longe ante praedixissent, licet obscure ac tecte. Ipsi autem apostoli easdem ipsas obscuritates et tenebras limpidissime postea et illustrarunt, et solem ipsum e caligine illa antiqua prophetarum emersisse iam tandem commostrarunt. Caeterum institutionem uitae, et disciplinam illis traditam uocat praeceptum apostolus noster, Ut memores, inquit, sitis praecepti nostri, qui nuntii sumus et legati domini et saluatoris IESU. Quare nostri ad sectandam iustitiae

{1555 p. 244}

uiam hortatus, sunt in primis hortatus Christi, cuius legatione fungimur apud uos Scite id quidem: nam Deus fons est et origo suae doctrinae, apostoli uero tubuli quidam aurei, per quos deriuantur uerba uitae ad homines. Hisce enim suo a magistro dicitur, Qui uos audit, me audit: et qui uos spernit, me spernit. At iam quid hortetur audiamus.

|2 Peter 3.3-4| Illud, inquit, primum scientes uenturos in extremis diebus illusores, qui iuxta proprias concupiscentias ambulent, et dicant, Ubi est promissio aduentus eius? nam ex quo die patres obdormierunt, omnia sic permanent ab initio creationis.

Id ante omnia, inquit, latere uos nolo, quod uenient senescente mundo impostores quidam effrontes, qui concupiscentiis, infinitis illis quidem et scelerosis operam dantes, eo impudentiae deuenient, quod uobis insultare non uerebuntur dicentes, Ubi frequens uestra illa est de aduentu Messiae ad iudicium pollicitatio? Ea quidem erat antiquitus apud fideles cura, ut assidua commemoratione ac spe futuri iudicii, cum se inter se ipsi consolarentur, tum ut improbos, atque in peccatis obduratos a turpi illo suo proposito deterrent. Illi contra cernentes in dies acrius prauitatem inualescere, neque punitionis indicium apparere ullum, expectationem illam iudicii uti uanam et commentitiam deridebant. Putabant enim nunquam futurum quod tandiu differebatur. Qua de re insolentiores facti sic insultando dicebant, Ubi est antiquata iam uestra illa persuasio iudicii? ubi corporum, ut uos iactare consueuistis reuiuiscencia? ubi uestrae religionis praemia nequicquam expectata? ubi iudicis praesentia et aduentus? Ex quo enim

{1555 p. 245}

die patres obdormierunt omnia, sic permanent ab initio creationis: hoc est, ab eodem ipso rerum conditarum exordio patres unus post alium interiire, seu ut uos uultis obdormierunt, nec quisquam illorum hactenus reuixit: ita et nobis nostrisque posteris, quo una omnino sit forma uniuersi, contingere necesse erit Vicissim enim alter alteri ad hunc usque diem successit: succedemus et nos aliis, alii item nobis a infinitum. Quamobrem inanem uestram hanc esse spem orbis immutandi, quis iam ignoret? At auctor sanctissimus istiusmodi improborum petulantiam castigans ex praeterita mundi reformatione futuram asserit, ad haec addens, Dei iustitiam haud semper ad hominum flagitia connixisse, sed de omnibus aetatibus sumpsisse poenas. Iubet proinde illos cauere, ut ne eis accidant, quae impiis olim ante diluuium, quos subita nec opinata corripuit aquarum uis, acciderunt.

|2 Peter 3.5| Nam illud uolentes nesciunt, quod coeli iam olim fuerint.

Data (inquit) opera, atque tam euidentis rei notitiam ultro aspernantur. At cuiusnam, obsecro, rei tam euidentis affectabant ignorationem? Quod scilicet mundi olim immutata fuerit facies propter hominum scelera, et quod idem ob eandem omnino causam futurum sit. Coeli, inquit, erant olim ut nunc sunt. Aerem intelligit hunc crassum, in quo sunt sedes nubium, ordinariaeque fiunt quotidie, ut uidemus, impressiones, ut grando, imber, tonitrus, pluuia, uentus, turbo, fulgur fulgetrumque, et id genus permulta, quae in aere gigni, in ea uidelicet regione, quae (ut uerbis utar Augustini) fuit occupata ab aquis diluuii, non est qui nesciat. Coeli itaque nomine aerem, quod in scripturis ualde est frequens, intelligit. Miluus, ait Hieremias, in coelo cogno-

[cognouit]

{1555 p. 246}

-uit tempus sum. Daudid item, Intonuit de coelo dominus. Sic aer saepe accipitur, ut diximus.

|2 Peter 3.5-6| Et terra ex aqua et per aquam consistens Dei uerbo, per quae is, qui tunc erat mundus, aqua inundatus periit.

Ea quidem nostri est mens apostoli, ut ex ueteri illa orbis immutatione per aquas diluuii, quo tota penitus terra obruta uisa est interiisse, alteram probet futuram eadem de causa qua prima, ob insupportabilem scilicet mortalium fere omnium superbiam, atque diuinae religionis contemptum. Affore aliquando scribit, quod Deus orbem hunc nostrum contaminatissimum in igne furoris sui uisitet: eum purgans, innouans, atque illi pulcherrimam quandam et immortalem, haud amplius destruendam tribuat formam. Neque hoc durum uideri debere simulatque iam altera praeterierit: sed illa quidem per aquas, haec autem posterior per ignem uniuersa depopulaturum suam sortietur innouationem. Quod uero terra ex aquis consistat ac per aquas, id quidem intellectu difficile non uidetur: siue quoniam ex indigesta mole illa quam dixere chaos prodiit, et quam appellari aquam a Mose legimus, ut illud est, Spiritus domini ferebatur super aquas: res scilicet distincte producendas e materia illa informi: illisque auium more quo rebus omnibus uim gignendi suppeditaret, placidissime incubuerit. Atque is erat spiritus Dei: seu, ut legunt Hebraei in suo maximo Genesi, spiritus Messiae. Mercurius item, qui fuit circa tempora Mosis, spiritum intelligibilem, ne uentum putarem, appellauit. Siue etiam quia firmavit Deus terram super aquas, ut ait Daudid: unde illud est: Congregentur aquae quae sub coelo sunt in locum unum, et appareat arida, et uocauit aridam terram. Esdra quoque Deum alloquens, Tertia,

{1555 p. 247}

inquit, die imperasti aquas congregari in septima parte terrae: sex uero partes siccasti et conseruasti. Tota igitur congeries illa aquarum, quae res secum continebat uniuersas inseparatas, atque elementa indistincta, cessit Dei iussu, et sic emersit tellus ista infelix, pro qua usurpanda quid non agunt mortales? Ob eam itaque causam terram ex aquis originem habuisse, per aquasque constitisse ferunt, ut pote quae in puluerem resolveretur nisi continuis irrigationibus, ut solet corpus humanum sanguine, per uenas cuniculosque subterraneos ablueretur, quasique refrigerium caperet: atque haec omnia uirtute uerbi Dei contigere: quo imperante, ut ait Paulus, condita sunt uniuersa. Nedum id quidem, sed ipsomet uerbo quaecunque olim condere uoluit suo in statu conseruat, atque ullo absque labore sustinet. Quod sane Paulum intellexisse uideo cum alias, tum potissime, cum ad Hebraeos scribens sic de filio, Portans, inquit, omnia uerbo uirtutis suae: hoc est, uniuersa ui uerbi sui potentissima moderans: nam portandi uerbo, ut ait Chrysostomus, facilitas gubernandi continendique intelligitur. Per quae: nempe coelos ac terram: siquidem ut e coelis profusae sunt olim pluuiae illae infestae, ita e terra larga emersit aquarum profluentia. Et rupti sunt, ait Moses, omnes fontes abyssi magnae: nempe ipsum

profundissimum humorum barathrum, canalesque aeris uniuersi sua ruperunt claustra, impetuque a uerbo Dei incitato, et immenso, et furibundo totum inundauerunt orbem. Mundus, inquit, inundatus periit. Animantia intelligit, ac res omnes illas, sine quarum decore atque utilitate solitarius esset orbis et inhabitabilis. Consumpta est, ut scribit Moses, omnis caro quae mouebatur super terram. Atque haec quidem omnia propter flagitia hominum Quocirca in superioribus mundum uocauit impiorum.

{1555 p. 248}

|2 Peter 3.7| At qui nunc sunt coeli, et terra eiusdem uerbo repositi sunt, seruati igni in diem iudicii, et perditionis impiorum hominum.

Quemadmodum autem creati sunt coeli, sic iidem ipsi ad suam natiuam instaurati formam seruantur Dei iussu (ut Dei iussu conditi sunt) extremae illi conflagrationi, qua urgente puriorem defaecatioremque quam nunc habent, nanciscentur faciem. Tunc, dico, quando improbi ac nefarii, ipso omnia deuastante aestu funditus absumuntur. Quod autem tam crebro de impiis mentionem faciat Petrus, non ab re quidem fit. Ex his enim toties repetitis, quasque in theatrum frequentius adductis, cupit nos esse admonitos, illorum uitam diuinis adeo oculis fuisse semper infensam atque odiosam, ut eorum causa Deus rerum uniuersarum machinam delere tum olim coactus fuerit, tum in futurum acerbiori quodam modo, atque irreparabili euentu deleturus sit, atque euersurus a fundamentis. Adeone scelestam nefandorum hominum uitam tantae fuisse semper efficaciae censebimus, ut clementissimae naturae Deum ad pulcherrimum sui orbis opificium destruendum et olim impulerit, et in futurum impulsura sit? Seruati, inquit, coeli sunt igni in diem iudicii, et perditionis impiorum. Quod tamen quando futurum sit, quis unquam nouit mortalium? Id quidem a Dei pendet praescripto ac uoluntate: seriusne an maturius, haud multum quidem refert ignorare: refert enim quo quis apparatu cum uenerit inueniatur.

|2 Peter 3.8| Unum autem hoc non uos fugiat charissimi, quod unus dies apud dominum aequae est, ut mille anni, et mille anni ut dies unus.

Esto (inquit) caeterorum, quod est humanarum rerum ingenium, obliti sitis: hoc unum saltem uobis ne exci-

[excidat]

{1555 p. 249}

-dat animo, quod nulla apud Deum sit temporum distinctio, nulla intercapedo, nulla necessitas. Cuncta illi quamuis abditissima sunt nota, perindeque futura ut praesentia aperta illi sunt, aeternaque in illius uiuunt mente. Neque est quidem quod uos moueat iudicii tarditas. Illud curandum potius, ne quando uenerit parum uos paratos inueniat. Sic est humanus sensus, ut quaedam nobis longe esse uideantur, quaedam prope, cunctaque ex nostra sententia atque arbitrio, ponderemus. Verum apud Deum

a crassicie ista corporea remotissimum omnia aequalia sunt, atque absque tempore. Qua de re suis in pertractandis iudicis, definiendisque sententiis non utitur affectu humano, ut solent homines, sed suo, aeterno nimirum, diuino, aequissimo, longequo semoto a caeterarum rerum inconstantia et uarietate: cuique nec aliquid praeteritum est, nec futurum: sed omnia uno eodemque procedunt passu et nudo et simplici coram illius aspectu, tantum a mortalibus ignorato, quantum creator creaturis praestat et antecedit. Quaecumque igitur nobis, siue quae ad poenas, siue quae ad gloriam attinent, est pollicitus, suo concedit tempore, nec nostra attendit festina nimium desyderia. Semper enim in Deo omne tempus, siue breue nobis uideatur, siue longum, eadem constat ratione ac modo. Siquidem mille anni, immo mille annorum myriades apud illum tanquam dies hesterna est, quae iam praeteriuit. Quare non est quod dicatis Deum nimium in iis quae promisit seruandis cunctari.

|2 Peter 3.9| Non tardat dominus promissiones suas, quemadmodum nonnulli tarditatem existimant. Sed longanimis est erga nos, dum non uult ullos perire, sed omnes ad poenitentiam accedere.

{1555 p. 250}

Haud suas, inquit, diutius prorogat pollicitationes Deus, quasi illum promisisse poeniteat, ut quidam dicere non sunt ueriti: et quoniam non statim quae promisit praestat, tarditatis eum insimulant. Quod si differt, ut diximus, tempusque longius praescribit: non id quidem contingere arbitrandum est, quod promissorum sit oblitus, sed sua usus interim pietate, utpote cui hominum (ubicunque locorum sint) cum salus, tum uita est curae: ad poenitentiam omnes hortatur, inuitat, prouocat, tantum non cogit. Ea quippe Deus est erga omnes lenitate et clementia, ut nullo modo quempiam, nisi ipse uelit, abiiciat, sinatque perire. Vult certe omnes, cuiuscumque sint uel patriae, uel originis, uel religionis homines (quod quidem in ipso est) seruari, per poenitentiamque ad pietatis suae fontem accedere, expurgisque ad uitam. Verum ne fallamur poenitentia ipsa quam resipiscentiam appellant autores, qua homo se intime cognoscit, suamque praeteritam detestans uitam se discutit et uentilat, Dei est donum. Quod sane ex Hieremiae uerbis de Ephraim suum attestante ex resipiscentia dolorem prolatis deprehendi potest. Castigasti me, inquit, domine, et eruditus sum quasi iuuenulus (multis is plagis anteaquam edometur indiget) indomitus. Conuerte me, et conuertar: quia tu dominus meus et Deus meus. Posteaquam enim conuertisti me, egi poenitentiam: et postquam ostendisti mihi (me scilicet) percussi femur meum: (signum nimirum extremi doloris) confusus sum et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiae meae. At tu mihi aeterni patris clementiam contemplare.

Conturbata sunt uiscera mea, inquit, super eum. Miserans miserebor eius, ait dominus. Statue tibi speculam (quo tuam anteactam circumspecies uitam, quod in ualle raro contingit, locoque campestri omnibus pervio) Pone tibi amaritudines (etiam quan-

[quando]

{1555 p. 251}

-do suauiam tibi a mundo offeruntur) Dirige cor tuum in uiam rectam (quod hactenus per obliquos uitiorum anfractus maeandrosque errorum inexplicabiles diuagatum est) Vsque quo delitiis dissolueris filia uaga? [Jeremiah 31.22] Reuertere uirgo Israel ad ciuitates tuas, (haud multo pridem neglectas, qui sunt sanctorum conuentus: Hierusalem certe aedificatur ut ciuitas). Itaque (ne multis) patienter, quo nos tandem ad poenitentiam pertrahat, nostram fert stupiditatem et duriciem. Tantum non despondeamus animum, reluctemurque tanquam indomitae nondumque cicuratae ferae uocanti Deo. Neminem quidem (ut saepius repetam) a se alienari deerrareque a grege reliquo atque interire uult Deus. Siquidem ita ipse in Esaia loquitur, In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui. [Isaiah 54.8] Ergo misericordia tua aeterna est, indignatio uero momentanea, o altissime. Iccirco, o, qui manducatis panem doloris, surgite postquam sederitis: nam poenitentia suos et ipsa habet cum fine fletus, suos cruciatus, suaque lamenta. Erit enim aliquando ut dicere non formidatis, Domine praestitisti decori meo uirtutem. Itaque, ut finiam, longanimis: ac quo tandem ad ipsum toties a nobis contemptum fugatumque reuertamur serui fugacissimi, inertes, periuri, fallaces, infidi, patiens et lenis est dominus.

|2 Peter 3.10| Veniet autem dies domini sicut fur in nocte, quo coeli uehementi sonitu transibunt, elementa uero aestuantia soluentur, terraque, et quae in ea sunt opera exurentur.

Ita etiam Paulus hac de re Thessalonicensibus scribens edisserit. Ipsi, inquit, diligenter scitis, quia dies domini sicut fur in nocte ita ueniet. Cum enim dixerint, Pax et

{1555 p. 252}

securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugient. Vos autem fratres non estis in tenebris, ut uos dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes uos filii lucis estis, non noctis et tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut caeteri, sed uigilemus, et sobrii simus. Et infert Apostolus qua ratione sit uigilandum: Induti, ait, loricae fidei et charitatis, et galeam quae est spes salutis, quoniam non posuit nos Deus in iram hoc est, non nos creauit, propriaque redemit uita, ut noster esset carnifex ac lanio, sed in acquisitionem per dominum nostrum IESU Christum, qui mortuus est pro nobis, ut siue uigilemus, siue dormiamus, simul cum illo uiuamus. Haec sane omnia haud ab re quidem ex Paulo ponere libuit, ut stimulo tam diuini apostoli ad sacratissimi senis nostri stimulos addito ad ea ardentius amanda, quae uera bona sunt, accenderemur, consideraremque continuis ueluti excubiis excitati, quanti sit periculi tot inter hostes, et eos quidem inexorabiles et cruentos in utrumque dormire oculus. Caeterum ut diem illum improuisum inexpectatumque esse demonstret, subito illum et impraemeditato furis aduentui comparat. Fur enim clam suspensoque gradu incedens, res tuas antea quam animaduertas iam abstulit, corrasitque ex arca aurum tanto tuo sudore comparatum. Sic dies Domini citius quietiusque quam unquam putassent homines de improuiso ueniet. In quo sane tanta erit flammarum uis atque aestus, ut coeli ipsi ingenti strepitu ac celeritate in aliam transituri sint formam,

pulchriorem tamen, quam ea nunc est, quam habent. Et sic eundem ad modum elementa, quibus res constant reliquae, ut illa incendii rapacissima exusta dissoluentur. Hunc porro terra, atque ea omnia quae ut e terra sunt et oriuntur, ita in ipsa tanquam in sinu nutricis et continentur et aluntur conflagrabit,

{1555 p. 253}

totaque ipsa demum humanarum rerum natura omni exusta crassicie et inquinamento, purgabitur. Asserunt patres cum coelum tum terram, speciem, non substantiam mutaturos, illosque in perpetuum motibus plane coelestibus quiescentibus ad sempiternam Dei gloriam permansuros.

|2 Peter 3.11-12| Cum igitur haec omnia soluantur, quales oportet uos esse in sanctis conuersationibus et pietatibus, expectantes et accelerantes aduentum diei Dei, per quem coeli incensi soluentur et elementa aestuantia liquescent.

Cum cuncta, inquit, tam exacte per ignem purificanda sint, ut etiam quae peccare nequeant sint dissoluenda: quae cura? quod studium in uobis peccantibus debet esse, ne impuros imparatosue et incogitantes dies uos illa horribilis Dei reperiatur?

Conuersationibus dicens et pietatibus: studium uult intelligi assiduum ad uitae inuouationem, quin et ad spiritualem diuinae religionis culturam, quam pietatem appellamus, animum et uigilantem et eruditum, ne scilicet in tam necessario cultu somniculosi perpetuis in erroribus uersemur. Atque id quidem celeriter peragendum est nobis, ne impraemeditati ab illius praeueniamur aduentum. Quis itaque est tam sui penitus immemor, qui suae quotidie in tam periculoso rerum statu non habeat uitae rationem? non se discutiat? non castiget errata?

non, donec hodie (ut ait Paulus) cognominatur, semet a somno excitet, illud cogitans, iam iam aduentare iudicem illum, de quo sic legimus, Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius? Ad cuius sane ignis incendium creata omnia ea, quae corruptioni sunt obnoxia, conflagra-

[conflagrabit]

{1555 p. 254}

-bunt, elemantaque [sic, elementaque] metalli instar liquefacti colliquescent, quo cuncta affabre admodum depurata, ab igneque medullitus adesa, partim intereant, partim in pulchriorem reformatur faciem, statumque incorruptum et immortalem.

|2 Peter 3.13| Nouos uero coelos, et nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.

De mundo haec nostro renouando dici non asserunt patres, iccirco quod ablato e terris homine, atque immortalis facti, non erit qui iustitiam in mundo colat: siquidem

post diem illum ultimum homo, qui in pietatis studio sese prius exercuerit, Deoque contemptis mundi illecebris adhaeserit, ad praemia aeterna capescenda uocabitur, constitueturque cum Christo amplissimorum bonorum haeres in coelis, ubi perfectissimam suam habet sedem iustitia, sanctitas nimirum, ac copia bonorum uerorum exuberantissima. Haec noua est Hierusalem, haec sedes Dei, haec illius haereditas, haec tandem beatitudo illa ad quam continua sese praeparant exercitatione dum hic uiuitur electi. Quae sane encomia de orbe hoc nostro uel millies perpurgato, qui dici posse opinantur errare uidentur. Vidi, inquit Salomon, sub sole in loco iudicii impietatem, et in loco iustitiae iniquitatem. Utcunque igitur de felicissima illa orbis innouatione futura praedices, illud compertum, mundum tunc absque habitatore homine fore, cuius illo ab die aut coelum lucidissimum cum Deo, aut obscura tetraque apud inferos caligo ac nox domicilium erit aeternum.

|2 Peter 3.14-15| Quapropter Charissimi haec expectantes date operam, ut immaculati, et incontaminati ab illo reperiimini in pace, dominique nostri longanimitatem salutem arbitremini.

{1555 p. 255}

Mora quidem illa, qua suam differt ad iudicium praesentiam Deus, non sic est interpretanda, quasi non amplius uenturus sit: sed illud magis cogitandum, patientissimum dominum sua erga nos ad hunc modum semper uti solitum longanimitate, ut seruet, ut moneat, ut ad poenitentiam excitet, ut tandem ex hostibus coniunctissimos sibi et amicos et filios, quae immensa illius est bonitas, faciat. Quare in id totis incumbendum est uiribus, ut puros nos, cum uenerit, atque inculpatos (sic immaculatum et incontaminatum exponimus) reperiatur in pace: hoc est, ulla absque rebellione ac dissidio sensuum ad mentem, portionem utique hominis naturae diuinae capacem, et consortem.

|2 Peter 3.15-16| Quemadmodum et dilectus frater noster Paulus iuxta datam sibi sapientiam scripsit uobis, etiam in omnibus fere epistolis loquens de his, inter quae sunt nonnulla difficilia intellectu, quae indocti et instabiles detorquent, sicut et caeteras scripturas ad suam ipsorum perniciem.

Sapientiam diuo Paulo datam cum dicat Petrus, non tantum illum laudare appetit, quantum Deum ipsum, sine cuius consilio ac dono ne mutire quidem unquam potuisset tantus apostolus, non solum arcana Dei profundissima aperire, ut fecit. Loquens de iis, inquit hoc est, de iis omnino rebus suis in epistolis loquutus est, de quibus ego in meis. Nihil sane tam accurate uterque scripsit apostolus quam gratiam Dei, atque erga peccatores tum clementiam tum longanimitatem esse immensam: aduentum item illius ad iudicium haud procul abesse, resurrectionemque hominum uniuersalem fore: cupere interim Deum a uia iustitiae deerrantes homines

{1555 p. 256}

sese colligere, longoque quasi postliminio ad amantissimum illorum patrem redire: quin illos, qui inuitantem Deum auersati fuerint, poenas apud inferos aeternas manere ac diras: praemia uero illorum, qui trahenti Deo sponte ipsi sua paruerint, manumque porrexerint, ac non fecte pietatem coluerint, suauiam esse amoenamque, ac nullo unquam limite finiendam, sed sempiterna conclusa annorum serie absque tempore in coelis. Atque haec quidem omnia quemadmodum in Deo, qui perfectissima est ueritas, firmata sunt, atque a diuina illius mente in electorum intellectum profecta et infusa, sic ab indoctis parumque suis in sententiis firmis, male habentur. Et cum a deprauato illorum intellectu percipi non possint, ad sua ipsorum commenta pertrahunt, falsaque detorquent interpretatione. Nam qui semel a recto religionis itinere deerrarint obduruerintque in erratis (ut plane agunt hypocritae et haeretici) hi ut plurimum inter sacrarum litterarum amoenitates spinosas commiscentes opiniones ac somnia, fallaces, chimaerisque portentosissimis plenas persuasiones afferre consueuerunt: quorum tamen finis exitium futurum est aeternum ac aerumnosum. Ecquem alium finem? quem terminum? quem tandem exitum praestolari posse iudicas Dei hostes, nisi horrendum, terrificum, formidolosum, minacem, letalem?

|2 Peter 3.17-18| Vos itaque dilecti posteaquam id praecognouistis, (a sanctis autoribus admoniti) caute ne simul a nefariorum errore seducti excidatis a propria firmitate. (fidem intelligit) Sed crescite in gratia et cognitione domini nostri et saluatoris IESU Christi [sic, Christi]. Ipsi gloria et nunc, et in diem aeternitatis. Amen. FINIS.

IN DIVI IOANNIS EPISTOLAM PRIMAM IO. BAPTISTAE Folengii ad monachos solitudinis Casinensis Commentarii.

Prologus

INTERPRETATURUS vobis christianam philosophiam,¹ quae dilectione, ac tum in Deum tum in homines, qua potissimum Deo similes efficitur, charitate nititur;² a viro illo, atque eius scriptis, quem dominus IESUS nobiscum vivens tam charum habuit, ut matrem illi suam moriens commendaverit, exordium sumam. Rem arduam tento, atque eo difficiliorem, quod illius virtus a plerisque mortalium ignoratur: imo, quod narrationem impedit, et nota, et in oculis omnium posita dissimulatur, ac tanquam res ludicra irridetur. Iam amor mutuus, nodus nimirum totius perfectionis christianae, refrixit, atque odiosus factus est.³ Omnes contra Christi doctrinam quaerunt quae sua sunt: quod non agit charitas; quae (ut inquit Paulus) benigna est, nempe liberalis, et in alienis commodis tota posita. Quare illius religio, quae amore constat, queri merito posset, obscurum iam sibi locum in terris etiam apud illos esse,⁴ qui vel carnis, vel religionis affinitate coniuncti, nihil tam horrent, quam amoris nomen. Et tamen sua passim in lege Christus necessarium eum esse

{1555 p. 258}

ad assequendam beatitudinem ita frequenter inculcat,⁵ ut pene nihil aliud qua verbo, qua vita docere voluisse appareat. Unde non absque mysterio se vitem, nos palmites, se pastorem, nos oves, se patrem, se convivatorem nuncupat, nos filios et convivas.⁶ Quid, oro, hisce appellationibus affinius? quid coniunctius? verum suavitate istiusmodi mutua, proprii amoris felle contaminata, sublimis ille rerum divinarum gustus, quo anima in hoc aegerrimo vitae statu alitur, ac in sponsi sinu deliciatur, deperit: fiuntque amara omnia inter homines, aspera, difficilia, atque odiorum plenissima.⁷ Hinc porro rixae istae infinitae bellorum, in coniugiis perfidia, in contractibus, in mercimoniis, in ipsaque religionis, ne

¹ Philosophiam christianorum in charitate fundatam esse. (Christian philosophy is founded on love/ caritas.)

² Deo similes efficitur per charitatem. (We are made similar to God through love/ caritas.)

³ Amor mutuus, christianae religionis nodus, refrixit. (Mutual love, the nexus of Christian religion, grows cold.)

⁴ Caritas queritur locum sibi in terris obscurum esse. (Love/ Caritas complains that its place on earth is obscure.)

⁵ Amor mutuus ad assequendam beatitudinem necessarius. (Mutual love is necessary for achieving beatitude.)

⁶ CHRISTUS vitis est, pastor, convivator: nos palmites, oves, conviviae. (Christ is the vine, the pastor, the dinner host; we are the shoots, the sheep, the dinner guests.)

⁷ Mala quae a proprii amoris contaminatione proveniunt. (The evils which come forth from the contamination/ defilement of self-love.)

dicam religionum persuasione discordia, ac lites tanquam lerneae hydrae capita emersere. Puto et hanc ob causam occultum illud virus, quo universus iam infectus est orbis, edisserendi, pervestigandique illa, quae temeritatem omnino nostram latere voluit altissimus, dimanasse. Nam omissa cura intelligendi, quae Deus iussit, quaeque sua in religione servari praecepit, in disquirenda divinae providentiae ac voluntatis abyssu cuncti fere occupamur. Quid? nonne ex parum cauta, ne dicam arroganti, quorundam persuasionem, et libertatem, acerrimi iam facti sunt hostes inter se se gratia et arbitrium?⁸ Quantam Deus bone, segnitiam apud nonnullos, atque ad actiones illas, quibus fulcitur charitas, fidesque tanquam arbor baccis et fructibus honestatur,⁹ ignaviam peperit praedestinationis opinio nimium pertinax, ac suis nuda membris praescientia. Cum omnia quidem a Deo \2.a\ circa mortalium curationem facta sint, fiantque in dies in pondere et mensura,¹⁰ id est, sapientissime, irreprehensibilique ratione et iudicio: nihilo tamen minus usque eo nostra iam processit audacia, ut incredibili animarum iactura et damno ipsum

{1555 p. 259}

fere Deum in rerum administrandarum providentia caecutire, atque in distribuendis sui sanctissimi Spiritus donis hallucinari velimus. Qui cunctis calculis favent arbitrio, vix gratiam admittunt. Qui gratiae, ullo absque medio, aut donorum consideratione, etiam ipsum arbitrii nomen aversantur, praedestinationemque (ne dicam fatum) opponunt,¹¹ contenduntque arbitrium humanum cum praedestinatione minime coire posse. In his igitur difficillimis, atque hominum captum obruentibus distenti plerique, quae sciri oportuit, omittunt.¹² Proinde nescio qua sermonum novitate, atque opinionum insolentia contenti, ne digitum quidem ad veras pietatis actiones promovent. Alget Christus in pauperibus,¹³ atque in squalore carceris pro his, qui alieno premuntur aere, et usuris, emoritur: fame, sitique enecatur horum loco, qui quadruplatorum obnoxii sunt delationibus, et catenis: quique liberorum gregibus onusti, vix cibario vescuntur pane. Ad haec infinitis cum irretiti sint homines vitiorum errorumque nexibus, nos tamen tetra haec spectacula crudelissimo praetereuntes animo stomachamur, si quis veram salutis rationem sitam esse memoret in abdicatione proprii amoris, ac studio conciliandi nobis Christi, in ferendaque eius cruce, non in discutienda definiendaque illius maiestate, ipsi soli nota,

⁸ Gratia et arbitrium, ob quorundam dicendi licentiam, hostes **pene** inter se factos esse. (Grace and free will, on account of the outspokenness of some, have almost been made enemies between themselves.) [Allusion to Luther.]

⁹ Operationes bonae haud aliter unitae sunt fidei, atque sunt baccae arbori, ac fructus. (Good works of faith are joined not at all differently than are berries and fruits of a tree.)

¹⁰ Quid sit cuncta a Deo fieri in pondere, et mensura. (What does it mean that all things are made by God in [his] weight and measure.)

¹¹ Quid incauta quorundam praedestinationis assertio pariat. (What the incautious assertion of some on predestination may bring about.)

¹² Stultam esse nonnullorum audaciam in disquirendis supervacuis, omissis interim quae sciri debent. (The audacity of some, in investigating superfluous matters, is foolish; meanwhile they have omitted what they ought to know.)

¹³ Alget CHRISTUS in pauperibus. (Christ suffers cold in regard to the poor.)

atque illi, cui \2.b\ voluerit Pater revelare.¹⁴ Est enim Patrum diffinitio veram contemplandi viam non in scientia solum, aut gustu illo suavi, qui cum pure orantibus communicatur, positam esse, sed in cognitione potissimum nostri, atque humili nostrae tenuitatis sensu, unde amor oritur ad proximum, ac nostri odium.¹⁵ Vere tunc quidem fluminis impetus laetificat civitatem Dei,¹⁶ cor scilicet pium, et humile: non curiosum, sibi que placens, procax, suspiciosum, et in his rimandis, quae altissima obiecta sunt caligine in Deo, impudens, et incautum. Quam ob rem si unquam nostris in studiis, atque actio-

{1555 p. 260}

-nibus fuit opus humilitate, nunc nostra opus est tempestate, in qua non docti solum, verum etiam ii, qui lanificio, aut in tonstrinis, sutrinisque victum sibi comparant, de mysteriis ipsis arcanis, atque omnino occultis disputant, ac aliis rem tantam velut hactenus ignoratam aperire contendunt. Erro. obnubilant potius, atque cum iniuria sancti Spiritus vitiant quicquid candoris inest sponsae. At vos, qui sublimia Casini iuga colitis, servatisque Patrum nostrorum morem, qui per nemora montis ac cellulas sparsi, simplicissimamque, atque adeo sanctissimam agentes vitam, ab omni procul aberant quemadmodum fastu, ita prava mentis persuasione, et curiositate, genus aliud doctrinae exercere par est. Ut enim vos olim a Patrum institutis minime degenerasse vidi, sic, o, non tantum vos, sed etiam quotquot christianae favent religioni, quique humeros collapsae pene fidei structurae supponere desiderant,¹⁷ ad doctrinam illam capescendam, quae tum humilitate, tum mundi, atque adeo nostri \3.a\ pro Deo despicientia ac neglectu, tanquam aeneis columnis fulcitur,¹⁸ accensos videam. Tutissima haec est via spiritus,¹⁹ atque ad nanciscendos sponsi amplexus compendiaria. Sinamus quaeso, Deum sua sapientissima providentia, quae condidit, moderari. Sinamus praedestinationem nobis nostrisque ingeniis inaccessam suos in Deo sortiri effectus. Sustinete, vos oro, dominum, atque illius dona, inter quae humanum est arbitrium, divinum illud quidem, atque in anima aequae fulgens, ut divus inquit Bernardus, ac gemma solet in auro,²⁰ venerabundi colite, Deique gratiam et

¹⁴ Vera salutis ratio in ferenda CHRISTI cruce, non in definienda illius maiestate versatur. (The true cause of salvation resides in bearing Christ's cross, not in defining/proclaiming his majesty.)

¹⁵ Ab intima nostri cognitione amor oritur erga proximum, ac nostri odium. (Love toward a neighbor arises from intimate knowledge of ourselves and hatred of ourselves.)*

¹⁶ Quo tempore fluminis impetus laetificat civitatem Dei. (At which time the impetus of the stream gladdens the city of God.) [Psalms 45.5]

¹⁷ Paraclaesis non inutilis. (Entreaty is not useless). [Not clear which passage is referred to.]

¹⁸ Doctrina spiritus humilitate, mundique contemptu, tanquam columnis fulcitur aeneis. (Doctrine is supported by humility of spirit and contempt of the world, as though by columns of bronze.)

¹⁹ Humilitas tutissima via est, ac necessaria christiano. (Humility is the safest/ a very safe path, and is necessary for a Christian.)*

²⁰ Arbitrium humanum aequae est in anima, ac in auro gemma. Bern. (Human will in the soul is the same as a gem set in gold.) Bernard of Clairvaux [1090-1153].

misericordiam super omnia opera eius exaltate. Nihil enim tam movet divinum iudicem, quam cor contritum et humiliatum.²¹ Eruditionem certe, quae multa est in vobis, non reprehendo: sed illam absque humilitate nullam esse dico.²² Humilitas vero nihil altum de se sentit, tantum abest ut ad pompam, aut propriam gloriam, quae in spiritu hausit,

{1555 p. 261}

blatteret. Dei praecepta in primis sint vobis cordi, sint animo, sint ipsis quoque medullis animae affixa. De caetero sinamus Patrem nostram operari iustificationem,²³ quae a gratiane, an ab arbitrio, an a fide, et operationibus illis, quae a charitate proveniunt, originem habeat, quid nostra interest belligerare, ac propterea cum charitatis scissura digladiari? Tantum illud fatendum, tam gratuitum donum a Patris benignitate, tanquam ab Oceano gratiarum per Christum²⁴ (de cuius plenitudine nos omnes accipimus) oriri, perfici, et demum in animam nonnunquam aridam, solitariam, nihil ve minus quaerentem, quam ut iusta sit, derivari. \3.b\ Non quidem supervacanea illa est Prophetiae admonitio: Iacta, inquit, cogitatum tuum in domino, et ipse te enutriet. Alio item loco: Ipse, ait, faciet. Nam ipse quidem est, qui omnia operatur in nobis siquidem in ipso sumus, vivimus, et movemur.²⁵ Illi igitur cura est de nobis, ut ait Petrus, modo velimus,²⁶ modo nostri omni abiecta supervacua sollicitudine ad illum, non ad vanissimam de nobis persuasionem confugiamus; in illumque nervis omnibus animae, non in nos ipsos, aut in proprium sensum, intellectumque ad divina caecutientem, feramur. Vultis ne ad vitam ingredi? huc puto vestros labores omnes dirigi. Vultis, inquam, quod sit ad coelum, iter non ignorare? servate mandata, ut vos hortatur Christus. Caeterum Spiritus dona a coelesti Patre summa cum veneratione ac fide praestolemini. Dat enim quibus vult, et qui in ipso, ac per ipsum accipere merentur, vel gratiam, vel salutem.²⁷ Scilicet Dei voluntati nostra de arbitrio ratiocinatio, aut fidei, aut iustitiae definitio praefixit terminos. Deus, inquit sapiens, timendus est, atque eius praecepta servanda, hoc est omnis homo. Sed de his satis, Dolor enim meus gravissimus ob ea, quae nostra aetate circumferuntur, spargunturque per vulgus, me sic sermoni de amore, quem dudum vestrum in

{1555 p. 262}

profectum parturio, praefari voluit. Non quidem me praeterit, quantum tum vobis, tum sacro vestro monti debeam. Dicam igitur quae in felicissimo vestrae Albanetae recessu didici. Alii scio, in erigendis aedificiis, temploque, ubi cineres atque ossa divi Benedicti asservantur, instaurando, perorandoque occupantur.²⁸ \4.a\ Alii item, ne quid vestrae

²¹ Nihil tam movet divinum iudicem, quam cordis humilitas. (Nothing moves divine judgment so much as humility of the heart.)

²² Eruditio sine humilitate vana est. (Erudition without humility is empty.)

²³ Iustificatio est donum Dei. (Justification is God's gift.)

²⁴ Dei benignitas oceanus est gratiarum. (God's mercy is an ocean of graces.)

²⁵ Deus est, qui operatur omnia in nobis. (It is God, who performs everything in us.)

²⁶ Deus curat nos, modo velimus. (God takes care of us, if only we wish it.)

²⁷ Cui hominum generi sua erogat munera Deus. (The sort of men to whom God gives out his presents.)

²⁸ Norma brevis ad salutem. (A brief rule for salvation.) [Reference to the Rule of St.

desit quieti ac otio, dilatant fundos illud verentes, ne anxia introducta quaerendi victum solitudine disciplinae rigor perlanguescat. Non desunt etiam, qui aere soluto alieno vestras facultates ab omnibus fere direptas, vestras faciant. Sunt et qui vos ad servandos antiquos loci ritus, et cerimonias, moneant, cogant quoque, atque ad vigiliis, ad ieiunia, ad silentium proborum nimirum delicias, hortentur. Ego, quod et illi faciunt, dilectionem, et charitatem mutuam vobis suadere cupio. Imo scriba ipse spiritus in epistola, cuius expositionem meditamur, et suadet, et (nisi caecutio) persuadebit. Non quod aliquid dicturum me sperem, quin sit a patribus et luculentius et elegantius expressum, sed hinc opportunam me nactum occasionem laetor: unde calamo, qui ore nequeo, meas possim vobiscum de amore illo, quem vos inter vos sanctissime colitis, communicare cogitationes. Ore certe debueram, sed ratio nescio quae, ac necessitas meorum in psalmos commentariorum me a tam charo secrevit secessu.

Defuit certe mihi hac in re, ut in caeteris, tum mundus; at non defuit Deus, non deeritque in posterum, spero. Cuius sane ego fretus benignitate sui dilecti sermonem patrum sensu, et auctoritate interpretari incipio. lectorem tamen admonens ne mea, si in commentariis nihil aliud quam nudum sensum auctoris ac succinctum expetit, legat. nam multa quae tempori servire posse iudicavi, meis in commentariis interspergere consuevi, quam vero feliciter ego postea videro; prodesse certe non obesse mihi semper fuit animus.

[Added below are the two pages of the *Prologue* which follow in the 1546 and 1547 editions, but were omitted in the 1555 edition.]

Atque illud interim, quod alias \4.b\ me dixisse memini, de me repetere non gravabor, tantilla me scilicet, imbutum Graecorum eruditione ad id scribendi genus, quod absolutissimum in literis omnibus requirit scriptorem, animum induxisse. Sic aiunt nonnulli, qui neglectis, seu potius non intellectis latinis autoribus graecos solum in sinu portant. Qui rem tantam, inquiunt, uti est divinarum rerum interpretatio ausus est aggredi, cui vix prima graecorum sunt nota rudimenta? Oleum absque dubio perdit, et impensam. Haec sane ut saepe audio de me a nonnullis, ut dixi, iactari, sic doleo divitias Spiritus in tam arcto ab illis concludi armariolo, ut pene affirmare ausint amplissimam rerum coelestium exuberantiam in nullo, quod graecum non sit, reponi posse scrinio, quod mens in homine est, capax nimirum CHRISTI, qui fons est sapientiae, atque bonorum omnium origo.

Verum illud quoque addant, multos propterea ex sanctioribus olim autoribus, a literis tum graecis, tum hebraeis, abstinuisse, non quod omnino displicerent, facultasque, aut ingenium defuerit, sed erudita quadam, ut sic dicam, ignoratione, atque animosa de Deo fiducia delectati, an Dei spiritus, quae arcana sunt, absque linguarum istiusmodi peritia, quod isti negant, per ora posset eloqui incircumcisa, et indocta, experiri voluere.

Tam sanctas quippe mentes non latuit, aliam omnino rem esse Platonis eloquentiam, atque, ut ipsi appellant, divinitatem, admirari, in illiusque lectione insensescere, aliam Paulum apostolum in observantiis graecanicis hallucinantem, ultroque balbutientem audire, gustare, plurisque facere, quam alios Xe-

\5.a\ -nophontem, aut acutissimum in paradoxis Zenonem. Latinus quidem sum, latinis faveo, latinos, modo probi sint autores, et in iis eruditi, quae CHRISTI spiritum magis quam Theocriti fabulas, ac, quod eum graeculorum nostrorum venia dixerim, βαττολόγια [battologian] exprimunt, deamo, et libentissime lego. Ad haec nostra prorsus religionis

exordia, et perfectio, non in graecismo certe, sed in Dei sita sunt lumine.²⁹ quo hausto nihil est tam obstrusum, et reconditum, quin animae* sic illustratae* pervium fiat, ac lucidum, etiam sine literis. Magna profecto ea esset afflatuum coelestium imbecillitas, si istiusmodi inerudita, ac tenui literarum cognitioni, et doctrinae cogeretur ancillari tanta maiestas, ut sacra est lex, ac Dei notio.³⁰ Quare per illos nobis liceat absque Homero, aut Euripide, quibus libenter caremus, CHRISTUM Iesum crucifixum nostris in scriptis profiteri, atque illius amorem, qui totus candidus est, et rubicundus, per incultos simplicium animos disseminare. Non reputatur, inquit, doctus, qui graecas ignorat literas. Audio, et rideo. Verum hi videant, an huiusce existimationis desiderium a vanitate animi proficiscatur, vel secus. Siccine impudenter nostro abutimur ocio, ac studio? Libenter itaque in hac mea gloriabor ignoratione, ut inhabitet in me virtus CHRISTI, qui res adeo universalis est, ut omnia sit in omnibus.³¹ Haec pauca, non quidem in literarum vituperationem scribere libuit, sed in defensionem liberalitatis IESU CHRISTI. His igitur haud ab re delibatis ad dilectum CHRISTI discipulum redeo, qui sic suam de amore orditur ad fideles concionem.

{1555 p. 263} \5.b\

CAPUT I

1.1. QVOD fuit ab initio.

Quae ad Christi maiestatem attinent, breuiter attingit Ioannes: quae autem ad mores, quaeque ad beatitudinem gradus effigiant, prolixius. Sic agunt praeclarissimi rerum sacrarum interpretes. Nam antea uelle Dei perscrutari secreta, qui ab omni remotus est crassicie, atque inquinamento, quam carnem domes, et ad obsequium diuinorum assuefacias, animi parum prudentis est, et ad ea cogitanda, quae sensuum mortificationem postulant, minus idonei.³² Unde ualde errant hi, qui tantilla percepta de diuinis cognitione et gustu suis in meditationibus, putant se esse perfectos, atque ad uiam illam expeditam Spiritus,³³ quae nullis rerum corporearum imaginibus ac formis impeditur, paratos. Verum cum imbecilliores sint, quam ut secretissimos cum Deo congressus adire possint, facile deficiunt turbanturque, si suo illo ueluti precario priuantur gustu.

Quam ob rem leuissima uix iniuriarum molestia affecti, aut cupiditatum titillatione puncti, quamprimum resiliunt, atque in carne, qui in spiritu nequeunt, refrigerium uenantur. Sedandae sunt igitur prius appetentiae illae effraenes, quibus fulciuntur sensus, moresque

²⁹ Religionem christianam non in graecismo sitam esse, sed in Dei lumine. (Christian religion is not centered in Atticism [i.e. Greek ideology] but in the light of God.)

³⁰ Res sacras dilucidare possunt qui Deum habent, etiam sine literis, aut linguarum cognitione. (Those who have [regard for] God, are able to elucidate sacred matters, even without letters or the knowledge of languages.)

³¹ CHRISTUS res est universalis, estque omnia in omnibus. (Christ is a universal cause, and is all things to all people.)

³² Hominis parum prudentis est, uelle antea Dei secreta rimari, quam carnis petulantia fraenetur. (It little avails the prudent man to wish to probe the secrets of God until wantonness of the flesh is curbed.)

³³ Doctrinam omnem vanam esse absque Dei cognitione et gustu. (All doctrine is empty without the knowledge and taste of God.)

prius informandi ad policiem euangelicam, quam ad ea rimanda accedas, **quae longissima uix exercitatione et studio a perfectissimis acquiruntur uiris.**³⁴

Alioqui, quomodo absque \6.a\ mentis ariditate quae in primo statim sermonis exordio dicuntur, audies? Quod fuit ab initio. Quod erat ab initio ex Graeco legimus, qua uoce Christi aeternitatem ostendi uolunt, hincque Marcioni et Cherinto haereticis responderi, qui negat Christum ante

{1555 p. 264}

Mariam extitisse. Qua de causa illud quoque maiestatis plenum suo fecit euangelio exordium autor dicens: In principio erat uerbum: quod idem est, quod nunc dicit, Quod erat ab initio. Aeternitatem hic igitur filii Dei asserit Ioannes, polletque perinde, Erat, atque Semper est, ut diuus inquit Chrysostomus. Nam et numero, et omni temporum consequentia diuinitas prior est et superior.³⁵ Cum ergo, ut inquit ille, de unigenito dicatur, Quod in principio erat, ante omnia intelligibilia, et ante secula fuisse intelligas necesse est. Si quidem dixisset, Initio coepit esse, Filii aeternitatem negasset, atque proinde amplam haereticis aperuisset ianuam. Verum cum dicit, In principio erat: dogmata illorum uniuersa tollit. At mox illius humanitatem de diuinitate sobrie locutus asserens intulit:

**1.1. Quod audiuius, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, quod manus nostrae contrectauerunt de uerbo uitae,
1.2. et uita manifestata est.**

Parum sane profuisset mortalibus in altissimo errorum barathro immersis, si Deus sua in illa incomprehensibili, ac plane caecis animis incognita maiestate permansisset,³⁶ nec aliquando sui misertus figmenti adeo summis sese illius attemperasset naturae, ut homo factus unus omnium miserrimus atque egentissimus, apparuisset \6.b\ uisibilis, palpabilis, mortalis, unusque omnino ex Adae posteris, peccato excepto.

Et hoc est, quod hic uult Ioannes, quod et alibi dixit: Verbum, inquit, caro factum est, et habitauit in nobis. Nam simulac profundissima illa atque arcana de diuinitate Christi pronuntiasset, Verbum erat apud Deum, et Deus erat uerbum, hausta nimirum ex illius pectore, qui de se simul, et de Pa-

{1555 p. 265}

-tre asseuerauerat, Ego et Pater unum sumus, quasi nostram miseratus ignorantiam, ac tarditatem, protinus intulit, Et uerbum caro factum est, et habitauit in nobis. Ita eundem seruat modum in epistola, quem seruauit in Euangelio. Etenim ostensa strictim, et breuiter

³⁴ Divinorum cognitio vix longa acquiritur exercitatione, et sudore. (Knowledge of divine [matters] is acquired with difficulty from long practice and sweat.)

³⁵ Diuinitas et numero, et omni temporum consequentia, prior est. (Divinity is superior to rank and to all succession of time.) [Cf. Chrysostom, Homilies on the Gospel of John, Homily 2, "we shall decline to speak of "first" and "second" [clause] for the Divinity is above number, and the succession of times."]

³⁶ Parum profuisset nobis, si Deus in sua semper mansisset sublimitate. (It would have profited us little if God had always remained in his own sublimity.)

Christi diuinitate, quod aegrotis, minusque tantae magnitudinis capacibus placere possent, continuo adhibuit dicens, Quod audiuius, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, quod manus nostrae contrectauerunt de uerbo uitae, et uita manifestata est. Dilucidior erit litera, si propter rudiores, quibus is meus potissimum effunditur sudor, hunc ad modum ordinetur. Quod erat ab initio de uerbo uitae (hoc est ipsum uerbum) quod de illo audiuius (nempe a lege, et prophetis) Quod uidimus oculis nostris (nam uidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre) Quod perspeximus, et manus nostrae contrectauerunt (cum se palpabile in conclauo illo secretissimo praebuit) cum, dico, uita omnium nostrum, quae prius latebat, sensibus etiam ipsis corporeis exposita fuit. Et ita licuit inuisibilem uidere, impalpabilem palpare, inaccessibilem alloqui.

1.2. Et uidimus, et testamur, et annuntiamus \7.a\ uobis uitam aeternam.

Ne nouum, inquit, sit uobis aut insolens, quod dixerim Deum, quem nemo uidit unquam, nos nostris conspexisse oculis, ac manibus contrectasse. Id quidem contigit, quia uita, nempe ipse Deus, per carnis assumptionem orbi se uniuerso uisendam praebuit, atque eam, ut iterum repetam, et uidimus, et testimonium de ea nunc dicimus, annuntiamusque uitam illam esse aeternam,

1.2. Quae erat apud Patrem.

Natura certe sua erat inuisibilis, at demum tamen

{1555 p. 266}

1.2. Apparuit nobis.

Itaque

1.3. Quod uidimus et audiuius annuntiamus uobis.

Atqui ex hac tam immensa Dei benignitate, qua uisibilem [sic, visibilem], qua palpabilem, qua tanquam colonum super terram, ut inquit Hieremias, absque diuersorio se mundo exhibuit, primus in nobis oritur erga illum amoris gradus, cui anima innixa ad contemplationis excellentiam disponitur.³⁷

Quam sane contemplationem nihil aliud esse ducimus, quam penitiori de nobis concepto neglectu ad pedes Christi prouolui, atque eo usque perseuerare, quoad in spiritu dilecti uocem audiat insusurrantis, Surge amica mea, et ueni, iam hiems transiit, imber abiit, et recessit. Putasne animam illam in mundo tunc esse?

Ergo diligentissima praemissa nostri antiqui Adae occisione cum Christo uersari, uera est contemplationis norma, illa quidem breuis, ac tum cunctis tum nobis, qui mundo defuncti

³⁷ Unde primus oriatur in nobis amoris gradus erga Deum. (From where the first step of love toward God arises in us.)

uideri uolumus, obuia.³⁸ Cum audio quidem Dei filium a discipulo illo, quem inter caeteros magis dilexit in terris, uerbum uitae, imo ipsam uitam,³⁹ et \7.b\ eam sane aeternam, ac lucem omnium uniuersalem appellari, quid aliud mihi opto, quaeroque ad uitam diuerticulum? De hoc, puto, sensit Dionysius, cum ad Titum scribens, uerte te, inquit, ad radium. Nam per Christum, qui splendor est gloriae paternae,⁴⁰ cognoscitur Deus, quemadmodum sol iste uisibilis per radios ac splendorem, qui eiusdem est naturae cum sole. Non me praeterit multos a patribus constitui gradus, quibus adnixa humana mens in diuinarum rerum contemplationem rapitur. Verum delictiores iam facti sunt homines, quam ut multiplicationem huiusmodi graduum in re praesertim tali admittant, in qua anima fit ui amo-

{1555 p. 267}

-ris cum Deo uniformis.⁴¹ Ea etenim uis est amoris, ut facile absque gradibus amatum adeat, quod raro ab intellectu solo seruatum uidimus.⁴²

Congressus enim istiusmodi secretissimus cum Deo si ab intellectu duntaxat expetitur, periculum est: et id quidem indubitatum, ne anima insolescat, et se amet, quod ab illa, quae amore magis, quam intellectu agitur, cauetur. Proinde ut intellectus in id quoque pure queat incumbere, necesse est, ut suas non ignorans tenebras ad amorem, qui natura lucidus est, recurrat, atque illo nitatur. Qui amor tam ardentem accendi potest, atque in amatum conuerti, ut eadem fiat (quod ait quidam) cum Deo altitudo, eadem profunditas, eadem longitudo.⁴³ Et tunc suarum oblita operationum anima, a Dei spiritu solum, qui illius est uita, agitur. Atque hoc sane modo humanus silet intellectus, cum amor connubii spiritualis fit pronubus.⁴⁴

Et haec omnia unus atque idem operatur dominus \8.a\ IESUS, quem modo lucem, modo uitam, modo salutem, modo iustitiam nostram, et redemptionem, agnum nempe auferentem peccata mundi, sacrosancti appellant interpretes. Sed iam illud in litera non omittendum, Vidimus, ui uerbi Graeci efficacioris praefere sensum, quam est simpliciter, uidimus. Illis est, Contemplati sumus, uelutque ad id expositum spectauimus, quod ad uiros apostolicos referendum erit. Hi enim non solum corpoream Christi praesentiam uiderunt, ut caeteri: sed longa cum ipso uersati consuetudine, speculatores facti sunt, ut inquit Petrus, illius magnitudinis. Etenim Christum indutum carne uidisse tantum, magna quidem censi debet felicitas: sed ea omnium maxima, atque arra

³⁸ Contemplationis definitio recens excogitata. (A definition of contemplation recently thought up.)

³⁹ Vita omnium Deus. (God is the life of all.)

⁴⁰ CHRISTUS gloriae paternae splendor. (Christ is the splendor of fatherly glory.)

⁴¹ Vi amoris sit anima Deiformis. (Let the soul be God-like/ God-shaped with the power of love.)

⁴² Amore magis quam intellectu in Deum rapiuntur animae affectus. (The passions of the soul are captivated more by love for God than by the intellect.)

⁴³ Amoris uehementia fit anima eadem cum Deo altitudo, profunditas, longitudo. (The soul is made vigorous in love with God, the same height, depth and length.)* [Cf. Ephesians 3.18.]

⁴⁴ Amore cum Deo res suas pertractante silet intellectus. (The intellect is silent with love for God while drawing out its own matters.)

beatitudinis certa, illius spectasse diuinitatem in membris illis uenerandis latentem. Id usu quoque his accidit, qui spretis mundi curis, in domino (ut inquit uates) delectantur. Nam hoc sane longius a uera contem-

{1555 p. 268}

-plandi ratione diuagantur, quo diutius in meditanda corporea Christi praesentia in terris, imo et in coelis, immorantur.⁴⁵ Altiores quidem illae concipiendae sunt de Christo cogitationes, quas Paulus cibum solidum appellat, quam illae, quas lac, imperfectorum utique alimentum. Unde uerius illud est, quam quod in dubium uerti possit, Christum secundum carnem solum cognitum, haud uere, uti illius decet maiestatem, esse cognitum. Quare uniuersalis magister suos uolens discipulos a suauitate suae praesentiae abstrahi, atque ad ea, quae excellentiorem \8.b\ reddunt animam assuefieri, aiebat, Nisi ego abiero, Paracletus non ueniet ad uos. Alio item loco: si diligeretis me, gauderetis utique, quia uado ad Patrem. Itaque causa perfectioris dilectionis in discipulis fuit Christi absentia. Ideo non usquequaque tutus is est gustus, qui in meditanda Christi humanitate percipitur, nisi ultra progrediariis.

Et certe uenalis ista est suauitas, et mercenaria: nam tandiu sic affecta anima Christum diligit, quandiu dulcedine illa afficitur. Unde sic quidam, Quandiu, inquit, durat dulcedo, durat et dilectio. Nos quidem Deus ad laborem uocat, ad asperitatem, ad crucem: non ad mollem id genus affectuum suauitatem potissime, qua interdum tepidiores in palaestra spirituali, tanquam unguento, perunguntur pugiles.

Eam ob rem ii, qui ab huiusmodi gustu dilectionem, qua in Deum tendimus, metiri solent, errant mirum in modum, cum uera dilectio a mandatorum Dei custodia dignosci debeat.⁴⁶ Unde insequentibus dicitur: Qui seruat uerbum eius uere in hoc perfecta est charitas. Quid uniuersalis praeceptor? Qui habet, inquit, mandata mea et seruat ea, ille est qui diligit me. Connitendum est igitur neruis omnibus, ne quid ex illis, quae iussit Deus, omittatur: caeterum affectum illum suauem, quo anima in rerum diuinarum memoria afficitur, suspe-

{1555 p. 269}

-ctum habeamus, si uetus adhuc in nobis uiuit Adam, transgressor nimirum praecepti, atque ad unius illicium mulierculae, nempe sensuum blanditias, atque malitiam, inescatus.⁴⁷ Porro in excessu mentis, ac in secretis illis cum sponso colloquiis \9.a\ gustare, quam suauis sit dominus, et post gustum illum ad gustum illico mundi redire, et tanquam suam lotam (ut inquit Petrus) in uolutabro luti uolutari, maleque concocta remouere, nescio quo appellare debeam nomine huiusmodi deuotionis gustum, ac contemplandi

⁴⁵ CHRISTI praesentiam solam corpoream intueri haud multum est, nisi ultra progrediariis. (It hardly means much to consider only the corporeal presence of Christ, if you don't go beyond [it].)

⁴⁶ Dilectionem nostram erga Deum ex custodia praeceptorum illius consideramus, non ex gustu, quem deuotionem appellamus. (We consider our love toward God, which we call devotion, a result of the keeping of his precepts, not from enjoyment.)*

⁴⁷ Gustus omnis spiritualis suspectus esse debet, si uetus adhuc in nobis uiuit Adam. (The enjoyment of all [things] spiritual ought to be suspect, if old Adam still lives in us.)

morem. Et id pro uoce illa, Vidimus et perspeximus, sint dicta. Nunc ad seriem epistolae reuertamur. Vitam (inquit) illam aeternam Christum IESUM, qui semper, tanquam munus suo tempore erogandum hominibus, erat apud patrem Deum, Deus et ipse: quique nouissimis hisce diebus apparuit uisibilis, et cuius diuinitatem innumeris deprehendimus argumentis annuntiamus uobis.

1.3. Ut et uos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio eius IESU Christo.

Is esse debet finis legationis eorum, qui praesunt Ecclesiae, credentium unitas:⁴⁸ quam tum augeri Dei spiritu credimus, cum ii, qui illos docentes audiunt, ui legis audita a mundi foedere se disiungunt, illisque iunguntur, qui de hoc mundo non sunt, ut inquit Christus. Ea uera est Ecclesia, cuius consortio contempto, nulla potest esse contemptori salutis spes. Ergo extra Ecclesiam, fidelium nimirum concordiam, Deique delicias, nullam fatemur posse esse bene institutam congregationem et societatem.⁴⁹ Nanque a coelesti patre, de cuius utero (ut inquit ille) sapientia oritur, initium habuit atque incrementum. Quare ipse unigenitus tam necessariae copulae autor, sic patrem alloquebatur: Pater sancte serua eos in

{1555 p. 270}

nomine tuo, \9.b\ quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos.

Atqui unio istiusmodi, qua aequales pene efficimur Deo, fide formatur, perficiturque dilectione, atque aequa ad omnes beneficentia.⁵⁰

Et haec est necessaria illa societas, de qua nunc edisserit Ioannes, cum Patre esse, et filio eius IESU Christo. Etenim Pater idem plane uult cum filio, idem sapiunt pariter, idem sentiunt, idem intelligunt, idem docent.⁵¹ His sane adminiculis fulcitur Ecclesia, creaturque in nobis, atque inter nos alitur cor illud unum apostolicum, quo quasi symbolo notati sunt fideles.⁵² Eo quidem diuulso, aut sectarum, discordiarumque maleis [sic, malleis 1546] contuso, ac rupto, pulcherrimum Ecclesiae domicilium nutare cernimus, quemadmodum ab ipso integro stat immobile, et inconcussum. Et certe nisi prorsus necessaria esset in Dei aede concordia et amor, haud ita crebro illorum nos admoneret Christus, non illius discipuli.

Imo ne ipsi quidem Ethnici, uerae omnino religionis expertes, discordias et simultates suis in rebus publicis enutriri sunt passi.⁵³ Sed illis omissis, quid sapientissimus dominus

⁴⁸ Scopus illorum qui praesunt ecclesiae, qualis. (The goal of those who are in charge of the church: what it is.) [Statement reiterated in two subsequent Index entries, see p. 371 (68.a) and p. 480 (131.b).]

⁴⁹ Extra ecclesiam non est salus. (There is not salvation outside of the church.)

⁵⁰ Unio fidelium necessaria. (What is needed for the union of the faithful.)*

⁵¹ Dei et CHRISTI una est voluntas. (The will of God and Christ is one.)

⁵² Cordium unitate tanquam symbolo signati sunt fideles. (The faithful are marked by the unity of [their] hearts as a symbol.)

⁵³ Congregationem illam hominum a Deo procul esse, quae litigiosa sit et ambitiosa. (That congregation of men which is litigious and ambitious is far from God.)

moneat, quid saepe inculcet, quid doceat, quid a nobis uelit, quid exigat, ne excidat memoria: quanquam memoria tenere Dei legem, ac illius praeceptiones ad unam scire, ipsa re tamen, ac factis contradicere, sit ne ridiculum magis, an lacrymabile, non dico. Illud uero diuina fultus auctoritate [sic, auctoritate] non silebo, coetum illum hominum: quamuis sublimem, atque uirtutibus ornatum, non eam esse societatem, quam cum patre esse, atque eius filio scribit Ioannes, si disparem uoluntatem, si odia, si similitudines, si matrem horum omnium altricem in eo uidero \10.a\ grassantem ambitionem, feram nempe illam crudelem, atque aprum quem Dei uineam depopulatum esse querebatur propheta.⁵⁴

Querimur et nos, simulatque cernimus cecidisse robur e Sion, et dilectam pedes omnibus diuaricasse uiatoribus. Id sane

{1555 p. 271}

est, quod dicere uoluit scriba Spiritus sancti, cum ueram pietatis faciem delinians, falsam fucataque expunxit, ac ueluti lituris superinductis, sanctissimis deleuit monitis et praeceptis, quod est perinde quasi diceret: Vestra non amplius sint commercia et sodalitates cum his, qui oderunt pacem, et qui immundi cum sint sues, in coeno gruniunt, uitamque magis irrationabilem, quam homine dignam praeferunt. Sed societas uestra sit nobiscum cum Patre, et cum eius filio IESU Christo, cuius rogatu perpetuus nobis ad Deum patet accessus. Tale enim ipsius interuentu, cum iam capite periclitaremur, initum est foedus cum Patre. Imo talis est nobis oblata pacis conditio, ut integrum plane nobis iam factum sit ex hostibus, et his quidem sceleratissimis, filios Dei fieri.⁵⁵ Quis tam plumbeus est, qui hic non maxima gestiat laetitia? Quam ob rem conuenientissime ab Apostolo additur,

1.4. Haec scribimus uobis, ut gaudeatis, et gaudium uestrum sit plenum.

Non me, inquit, clam est, quantum ob hoc conciliatum uobis cum Deo contubernium gaudeatis, quantum uos inter uos tripudium agatis: unde pene superfluum uideri posset admonuisse, uestramque hilarem ac ultroneam ad id laetitiae uoluntatem, et (ut sic dicam) promptitudinem stimulasse. Non tantum sane id scribo, ut gaudeatis, quod \10.b\ uos agere certo scio: sed ut gaudium uestrum plenius sit: quod absque dubio continget, si uos uidero non secus de aliena gaudere felicitate, atque de propria. Sic enim christiana est charitas.⁵⁶ Sic Christus induitur: sic in itinere, quo itur ad patriam, non erratur. Maximus profecto istiusmodi est consensus, et communionis uis atque efficacia, quae in Christo fit.⁵⁷ Unde illud oritur iucundissimum intuentibus spectaculum, thea-

⁵⁴ Qualis sit sancta hominum societas, qualis execrabilis. (Which society of men is sacred, which accursed.)

⁵⁵ Ab adventu CHRISTI ad nos data nobis est potestas, filios Dei fieri. (From the advent of Christ, we are given the opportunity to become the sons of God.)

⁵⁶ Indicia nonnulla perfectae charitatis inter homines. (Some signs of perfect love among men.)

⁵⁷ Unio illa vera est, quae fit in CHRISTO. (That one union is true, which is made in Christ.)

{1555 p. 272}

-trumque coeleste, ac diuinum inter illos, qui in charitate radicati, ut inquit Paulus, et fundati, non fabulas indoctas et lasciuas, ut mimi solent, et histriones, uulgo uenditant impudenti: sed uirtutum officinas exercent, atque in spiritus arena, quantum sua ualeat in Deum fides, ac dilectio, in oculis Ecclesiae demonstrant. Hincque mirabilem illum charitatis ardorem uidere licet, quo uel usque ad diuisionem spiritus et animae combusti, nihil iam sentiunt, quod non sit ignis, aut igni simile. Si ex ipsis unus aegrotat, aegrotant caeteri, alterque in alterius commodum aequae incumbunt, ut in proprium. Imo efficacius libentiusque rem curant proximi, quam propriam ac suorum. Si cui peccare etiam ad mortem contingat, Deus bone, quantus omnium moeror, quantus luctus, quantum ad medelam subsidium, quam ampla charitas, quam flagrantis et assiduae ad Deum preces. Quid si opus sit pro salute fratris emori? Putasne tum diuisiones illas formari animo?⁵⁸ Res meas effundo pro alio, si fratris corpus periclitatur. Corpus item meum trado, si illius anima. Caeterum si aequa inter nos est proportio, neque pro anima animam, neque pro corpore corpus, \11.a\ neque interim pro re aliena meam impendo. Siquidem ad consilia haec pertinent, non ad praecepta. Vix eiusmodi rerum partitiones admittunt in palaestra spiritus hi, qui non contenti mediocritate, eo feruntur in Deum amore, ut nihil fere probent, quod diuinam non repraesentent imaginem:⁵⁹ perfectam nimirum in rebus curandis tum prouidentiam, tum iunctam cum commodo alieno probitatem, ac, qua maxime delectatur Deus, erga omnes dilectionem, quae tanta esse posset, ut nullo habito salutis propriae, uel qua seruatur corpus, uel qua anima, respectu, quicquid sunt pro aliis impenderent, modo Dei gloriam extolli posse praeuiderent. Ego certe (inquit cordatior) si geennae flammae et cruciatus]

{1555 p. 273}

-ciatus in me unum omnes conspirarent, saeuirentque, ac infelicem hanc animam quasi pissitando haurirent, non exhorrescerem, nec meam uel unico gemitu expostularem sortem, modo Dei nomen iri exaltatum compertum haberem.

Eo igitur imbutae spiritu animae, atque ardore illo, ut diximus, instinctae, non possunt non summo illo ac pleno affici gaudio, de quo nunc loquimur, cuiusque copiam e Philippensium profectu percipere desiderans apostolus, sic illos hortabatur: Implete (inquit) gaudium meum.⁶⁰ Qua re obsecro? auro ne? argento ne? sellane curuli, aut magistratu alio? Minime quidem omnium. Sed quo oro? Idem sapiatis, inquit, eandem charitatem habeatis, unanimesque idipsum sentiatis. En gaudium, en alacritas, en laetitia illa, per qua alter alterius mutuam gratulari debent profectum in Deo et charitatem.

⁵⁸ Absurda quaedam de amoris gradibus partitio. (A certain partition into the steps of love is absurd.)

⁵⁹ Dei gloriae intuitu nullam admittimus in amoris gradibus partitionem. (In the consideration of God's glory we admit no division into the steps of love.)

⁶⁰ Verum pastoris animarum gaudium quale sit. (Of what sort is the true joy of the pastor of souls.)

Gratulationes autem illae, quae fiunt inter homines ob deuictos, occisosque hostes, aut propter adeptum \11.b\ magistratum, et aduictum aerarium, ab humano proficiscuntur affectu potius, quam eo, quem decet sanctos: atque illos quidem, quibus mundus iste grauissimo est oneri ac taedio, non quieti:⁶¹ quam nusquam esse existimant, praeterquam in illo, qui, quoniam nulli obnoxius est uanitati, aut, unde rerum corruptiones et tenebrae ortum habent, uicissitudini, lux a Ioanne appellatur.⁶²

#Philippenses 2 2.2: implete gaudium meum ut idem sapiatis eandem caritatem habentes unianimes id ipsum sentientes

1.5. Et haec est (inquit) annuntiatio, quam audiuius ab eo, quoniam Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae.

Tenebrae peccata sunt in primis, haereses, ignorantia.⁶³ Et qui in tenebris ultro ambulant, caecutiunt assidue, uiuuntque miseri, et nihil tam horrent, quam lucis nomen. Non ueniunt (inquit) ad lucem, ne opera illorum arguantur.⁶⁴ Caeterum lucis nomine, praeterquam quod Deum signamus, sanctam legem intelligimus: opera item iustis-

{1555 p. 274}

-tiae, castos mores, pudicitiam, eruditionem, et caetera huiusmodi animae ornamenta.⁶⁵ Quibus tamen omnibus omissis huc Christum lucem illam ueram, quae illuminat, datque uitam omnibus uenientibus in hunc mundum, auocemus, atque cum scriba nostro sanctissimo annuntiemus, quae de illo audiuius. Quid obsecro istuc est? Quoniam, inquit, Deus lux est, atque ea quidem, in qua tenebrae sunt nullae. At unde, oro, auditum est Deum esse lucem? Ab ipso sane quidem: Ego, ait, sum lux mundi.⁶⁶ Quid ergo sol iste uisibilis? ad quid conditus est? Ob id nimirum, ut luceat in mundo: Deus autem tum huius, tum caeterarum rerum conditor lucet in animis, ut diuus aiebat Chrysostomus. Qui tamen \12.a\ se lucem nuncupat mundi propter homines mundi incolas, nec minus propter res caeteras, ob continuos uidelicet suae bonitatis radios, quibus omnia permeat, percurrit, seruat, atque esse iubet. Semel enim Pharisei (tanquam qui nihil doctrinae cuiquam attribuere consuescerent nisi Prophetis, quos lucem Iudaei appellare soliti erant) Christum inscitiae arguentes, Galilaei nomen illi obiecere, patriam nimirum ignobilem, et in qua propheta non uixisset. Vide, inquit, quod a Galilaea Propheta non surrexerit. At dominus, cui mos fuerat ac natura, uel ipsos rebelles hostes instruere, atque ad ueritatis lumen attrahere,⁶⁷ sic inter se de illius doctrina dissidentibus respondit: Ego sum lux mundi, non Palestinae duntaxat et iudaeae, ut uestri olim Prophetae. Omnes orbis regiones

⁶¹ Vita haec praesens taedio sanctis est, atque oneri, non voluptati. (For saints, this present life is [one of] tedium, and a burden not a pleasure.)*

⁶² Nullae in Deo vicissitudines. (There are no vicissitudes in God.)

⁶³ Tenebrae in spiritualibus quae sint. (The shadows that are in spiritual matters.)

⁶⁴ Dei praecepta memoriter tenere, factis uero contra dicere, absurdum. (To hold God's precepts in memory, but to contradict them with deeds, is absurd.)

⁶⁵ Lux sancta est lex, ac mores probi. (The law is sacred light, and good morals.)

⁶⁶ Cur Deus dicatur lux et sol. (Why God is called light and sun.)

⁶⁷ Diuinae est bonitatis uel ipsos fugitivos et rebelles trahere. (It is characteristic of divine goodness to draw in even fugitives and rebels.)

lumine meo indeficienti illustro, omnes afflo, omnes ad lucem Patris amabilem inuito, Et ut breuiter dicam, qui sequitur me non ambulat in tenebris. Cui porro magistri assertioni succinuit [sic, succinit] Ioannes inquiring, Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae. Obsecro, quid erat mundus ante Christi accessum ad nos? In quanta uersabatur errorum caligine nostrum genus? Et leges, et maiorum

{1555 p. 275}

scita, et bene uiuendi praeceptiones, uno facto uolumine in tenebris uolutabantur. Retraxerat radios Sol iustitiae, atque nobis iratus ob scelera, ne ipsum quidem naturae lumen, quo a caeteris distamus animantibus, integrum suas exequi sinebat operationes. Verum ille, qui in rerum exordio sua infinita, atque incomprehensibili sapientia lucem secreuit a tenebris, aquasque ab aquis miraculo \12.b\ omnium stupendissimo seiunxit, et dixit: Fiat lux, et facta est lux: sic suam attemperauit seueritatem, ac iustitiae gladium, ut dimoto diluuiio a terris, cacumina montium apparere iusserit. Tunc sane (o incredibile mysterium) tum inquam, praefinito tempore a Patre, Verbum caro factum est, et uenit lux in mundum: sed tenebrae eam non comprehenderunt, ut etiamnum haud desint, quae ignorent tantae lucis beneficium, non amplius tenebrae, sed profundissimae noctes, et si quid obscurius dici potest. Quod enim, cum nox esset, ac tenebrae super faciem abyssi, diligerent magis homines tenebras, quam lucem: minus certe admirandum uideri potuisset, cum obuoluto tenebris uniuerso, ne unus quidem esset, ut queritur Dauid, qui faceret bene.

At orto iam Sole, in ipsis hallucinari radiis, ac more noctuae ad aspectum luminis hebescere, ac refugere, iam grauius peccatur, quam si nulla prospecta luce adhuc terra esset inanis et uacua.⁶⁸ Hoc est, ut admonet Ioannes, si adhuc in tenebris ambulamus.

1.6. Si dixerimus, inquit, quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus: mentimur, et non facimus ueritatem.

A Christo confestim alienatur, qui peccat:⁶⁹ nulla quidem potest esse inter lucem, et tenebras coitio. Unde clamat Paulus Corinthiis scribens: Quae nam societas lucis ad tenebras? Atqui si Deum diligimus atque eius unigeni-

{1555 p. 276}

-tum, debemus, sicut ipse ambulauit, et nos ambulare: alioqui, cimariis ipsis, obscurioribus circunsparsi tenebris, nostris in consiliis et actionibus perinde implexe ducimur, atque ii solent, qui per labyrinthi ambages, ac \13.a\ maeandros suspensi diuagantur.⁷⁰

⁶⁸ Peccant letaliter homines, qui post CHRISTI aduentum peccant, quam qui antea.

(They sin in a more mortal way those who sin after the advent of Christ than those who sin before it.)

⁶⁹ A CHRISTO statim alienatur qui peccat. (One who sins is immediately alienated from Christ.)

⁷⁰ Per labyrinthum vagatur, qui a CHRISTI uita discedit. (He who departs from the path of Christ wanders through a labyrinth.)

Quemadmodum enim tute inter homines non uiuitur absque luce, ita absque Christo, qui lux est animae, caecutiat oportet ac pereat, quicquid diuinae lucis capax est in nobis, et particeps. Sed illud considerandum: qui fit, ut plerique ab istiusmodi solis radiis remotissimi cum sint, se tamen prope esse opinentur?

Aut hi certe inscitia errant et ignorantia, quod uix fateri debent, cum adeo lucide iam se effuderit sol noster et copiose, ut nemo sit, qui merito queri possit, se in tam uniuersali lumine caecum esse. Aut peccant consulto, ac data opera in limine ipso luminis attoniti labant.

Semel enim peccati tenebris suapte sponte addicti, atque a luce Spiritus ultro auersi, iam induruere: iam in caligine, atque umbra mortis sedere decreuerunt: iam lucem inuisam habent: iamque animae interitum tanti faciunt, quanti alii et uitam et Deum. Vtcunque errent, permagnum id est amentiae argumentum, quod cum mali sint, se nihilo minus et probos, et Deo charos esse arbitrentur: ut sunt illi (exempli causa) qui in Dei aedibus, familiisque bene institutis uersantes, nihil non agunt, quo mundi bonis, ac commodis, etiam cum religionis opprobrio et iactura potiantur: caeterum quid de aeterna uita futurum sit, nihil pensi habent.⁷¹ Censesne genus id hominum in tenebris diuersari, an in luce? Filioli mei, aiebat senex noster, nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo: qua tamen habita, lucida continuo fit anima, atque propterea quae ab eo propter peccati tenebras fuerat disiuncta, Deo unitur. Turpissimum igitur \13.b\ in modum fallitur et mentitur, qui in tenebris ambulans se cum

{1555 p. 277}

Deo, qui lux est mundi, consortium habere opinantur?

Nam qui se putat innocentiam (quam iustificationem appellant) posse assequi sine Christo, tota errat uia, et si quis id audet dicere, mentitur, fucumque et sciens et prudens sibi obducit.⁷² Vide quid sequitur:

1.7. Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem, et sanguis IESU Christi filii eius emundat nos ab omni peccato.

Aperte definit apostolus haudquaquam posse dici in luce esse et uiuere hominem, hoc est a peccato, peccatique caligine et foeditate purgari absque Patre atque illius filio: cuius sanguine ac morte nostra adeo omnia sunt abstersa crimina, ut nullus amplius extet reliquus in nobis ne naeuus quidem peccati, nisi uelimus. Quod sane donum ante lucis

⁷¹ Quo ducuntur itinere hi, qui se bonos existimantes mali sunt. (These [people] who are considered on the path, who esteem themselves good, are bad.)

⁷² Errat, qui iustificationem se posse assequi sine CHRISTO opinatur. (He who thinks he is able to attain justification without Christ, errs.)

huiusce aduentum uix uni atque alteri contigit ex sanctoribus. Nunc uero omnibus factum est obuium,⁷³ nec est, ut quis fratrem suum amodo, ut scriptum est, de domino interroget: omnes enim a minimo usque ad maiorem cognoscunt.

Quid oro, cognoscunt? Deum nempe in luce esse, imo lumen illud in se habere, atque in nos effundere, quod totam ita commutet animam, ad se trahat, innouet, transformetque, ut de nobis dici merito illud possit apostoli, Eratis tenebrae, nunc autem lux in domino. Quod quidem beneficium ac donum efficacissimo cruori IESU Christi, qui nos emundat ab omni peccato, referri acceptum debet, quoque indissolubilem cum Patre nanciscimur \14.a\ consuetudinem et amicitiam.⁷⁴ Unde ueram illam inter homines creati necessitudinem et charitatem cernimus, quae unanimes illos, atque (ut inquit Dauid) unius moris habitare facit in domo domini. Et hoc est in luce esse, in luce am-

{1555 p. 278}

-bulare, in luce uiuere, ac demum in luce mori.⁷⁵ Qua de re non absque causa suos hortabatur Ephesios Paulus dicens: Ut filii lucis ambulate, nam fructus lucis est in omni bonitate et iustitia et ueritate. Magna profecto uis est lucis huiusmodi, quae hominem Deo similem reddit. Siquidem parte illa, qua non solum in amicos beneuolentia afficitur, uerum etiam in hostes,⁷⁶

ac sibi infestos diffunditur, (qui est, ut inquit Paulus, lucis fructus in omni bonitate) Deum imitatur, similisque illi fit, atque is omnino, qui pro salute proximi, nullo habito propriae respectu (quod frigidiusculi in Dei obsequio non agunt) nec mortem, nec uitam, neque ipsam demum, si fieri posset, a Deo separationem, pertimescit. Nihil non audent uere Dei amantes, modo illius honori seruiant, atque illius gratiam demereantur.⁷⁷ Sanguis igitur IESU Christi, cuius pretium ipsi etiam beati sensere spiritus ab initio, ipse est, cui nostram omnem debemus iustitiam, atque animae purgationem.⁷⁸ Nec est tamen quod quis sibi propter adeptam innocentiam nimis adblandiatur, cum omnibus id natura propemodum datum sit post Adae lapsum, ut peccato obnoxii, uix horae unius securitatem sibi polliceri queant.⁷⁹ Peccant omnes,⁸⁰ sed bis ille felix, qui minimis urgetur. Quare uerius illud est, quod sequitur, quam quod aliud maxime: \14.b\

⁷³ Iam omnibus obuium factum est purgationis donum. (Now the gift of purgation/ justification has been made open to all.)

⁷⁴ CHRISTI cruor res ea est, qua purificamur, Deoque unimur. (The death/ blood of Christ is the thing by which we are purified, and made one with God.)

⁷⁵ Quid sit in luce esse. (What it means to be in the light.)

⁷⁶ Quomodo effimur Dei similes per beneficentiam etiam erga hostes. (In what way we are made similar to God through kindness even toward [our] enemies.)

⁷⁷ Nihil pertimescunt Dei amantes, modo illius nomen exaltari contingat. (Lovers of God fear nothing, if only his name should happen to be praised.)

⁷⁸ CHRISTI sanguini, cuius pretium etiam beati spiritus sensere, nostram debemus iustitiam. (We owe our righteousness to the blood of Christ, whose worth now too the holy spirits have sensed.)

⁷⁹ Omnibus propemodum connaturale factum est post Adae lapsum peccare. (For almost everyone, it has become natural/ innate to sin after the fall of Adam.)

⁸⁰ Nemo est qui non peccat. (There is no one who does not sin.)

1.8. Si dixerimus, inquit, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et ueritas in nobis non est.

Maxima ea est hominum illorum confidentia, qui a peccati sorde se mundos praedicant, cum Paulus dicat fateaturque, se non propterea iustum tuto dici posse, quod nihil sibi consciret: Nihil mihi (inquit) conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Clamat psaltes: Delicta quis intelligit? Et certe, quis gloriari potest se mundum habere cor, si-

{1555 p. 279}

-mulac legit Prophetam querentem se in iniquitatibus conceptum, peccatoremque in lucem editum? Quis tutus igitur (obiiciet quidam) in tam certis lapsibus et continuis, iter id uitae periculosum transiget? Iam fassus est senex mortalium delicta in Agni sanguine ablui, cuius uirtute [sic, uirtute] ac bonitate nostrae etiam quotidianae sordes non imputantur, sed teguntur, omninoque, ac si nunquam extitissent, occultantur,⁸¹ modo studium in nobis, et conatus proficiendi de uirtute in uirtutem non desideretur.⁸² Atqui semen id illud est Dei manu in nobis insitum, quo habito ad mortem peccare non possumus. Nam quod crebro inter homines peccetur, id imputandum est non tam caeduae ac turpi illorum naturae, quam consuetudini, atque ad ea, quae illis efficere possunt incogitantiae. Quod uero ullo absque merito subleuentur, ac denuo, milliesque deinceps a continuis mudentur errorum notis et maculis, id proprium est Dei, atque illius gratiae beneficium et munus:⁸³ quod sane omnibus ita expositum est atque obuium, ut nemo iam sit, qui queri merito possit, se in sordibus et tenebris derelicto,⁸⁴ caeteros in lucem ascitos esse, atque propterea filios Dei effectos.

Lux enim uniuersalis est Christus, cuius \15.a\ spiritus amor est, et is quidem generalis: omnes inuitans, omnes multiformis gratiae suae donis illectans, attrahens, uiuificans, ac demum, quantum in se est, seruans.⁸⁵

Sed illud horrendum dictu, quod plerique hominum huiuscemodi persuasione imbuti ac fide, nulla tamen afficiuntur spiritus dulcedine ac suauitate, sed duriores in dies facti, peccatis modum statuunt nullum.⁸⁶ Horum quidem imbecillis fides est et uana, imo (ut illam alius uocat apostolus) mortua in semetipsa. Siquidem Dei promissis fidere, nec uitam dissolutam, et effraenem aliquando compescere, atque ad iustitiae normam informare:

⁸¹ Virtute cruoris CHRISTI quotidiana etiam nostra occuluntur scelera. (With the power of Christ's death/ blood, even our daily sins are covered over.)

⁸² Quantum promoveat in nobis conatus proficiendi. (How much an inclination to do good may bring about in us.)

⁸³ Proprium hominis est labi, Dei autem erigere. (It is typical of men to slip away, but of God to erect.)

⁸⁴ Nemo queri potest, se in tenebris derelictum. (No one may complain that he has been abandoned in the shadows.)

⁸⁵ CHRISTI lux est generalis, cuius spiritus amor est. (The light of Christ is universal, whose spirit is love.)

⁸⁶ Inani illius est fides, qui CHRISTI vita non aemulatur. (Futile is the faith of one who does not emulate the life of Christ.)*

uanus istiusmodi est cursus, uanum consilium, uana persuasio.⁸⁷ Sed nec fidem illam

{1555 p. 280}

quidem appellare audemus, qua quis edoctus Dei filium pro se mortuum esse, atque propterea sibi omnia condonasse crimina sibi persuadet, nisi ipsum Dei filium cum amet, tum sanctis uitae moribus imitetur. Unde non immerito clamat ille, Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeantur? nunquid poterit fides saluare eum? Adeo enim cum uera fide coniunctum est operandi studium ac feruor, ut non solum ex fide, uerum etiam ex operibus iustificari homines asserat tantus pater.⁸⁸ Nec obstat, quod saepenumero inculcat Paulus, nempe hominem iustificari per fidem sine operibus legis, quae scilicet absque spiritu fiunt, aride nimirum, arroganter, atque persuasione propriae uirtutis et (ut fere erant pharisaica omnia) excellentiae infecta. His delibatis fatendum erit, hominem, quoad in carne uixerit, peccatis esse obnoxium, crebro labi, atque in lapsibus delectari, ac \15.b\ tandem mori: nisi pater, qui tradens nobis filium suum bona omnia cum illo tradidit, rarum illud fidei munus impartiat, qua tum in Deum, tum in proximum amore flagrantem,⁸⁹ non solum remissa nobis esse peccata per Christum credamus, sed etiam uitae innovationem allatam.⁹⁰ quarum quidem rerum signum est euidens sacramentorum collatio, quo nemo nesciat illud interne in anima peragi, quod foris per eiuscemodi ministerium peragitur.⁹¹

Sed haec omnia propemodum nihil ad salutem, nisi uita respondeat ministerio. Lepidos sane mores laudo, laudo uitae policiem, laudo cerimonias, silentia, solitudinem, frequentemque tum confessionem, tum oblationum uictimae salutaris usum, fidei nimirum nostrae in Deum uim utcunque testantia. Verum nisi uidero inter haec omnia Christum bonorum omnium conciliatorem uersari, secumque gregem illum sexaginta fortium, qui ambiunt lectum Solomonis, habere, quo illorum uitam appellabo nomine? [Song of Solomon 3]

{1555 p. 281}

Mundanarum quidem rerum amorem inter delicias spiritus immiscere, odiaque et simultates in purissimo Ecclesiae campo serere, hoc est, formosissimam sponsae faciem foedare uelle: quid censes? Malos male perdet dominus, ac uineam suam locabit aliis agricolis. O immensam nostram incogitantiam. O uanissimam confidentiam. Putamusne fidem hanc nostram informem, quam etiam colunt Daemones, nos posse absque uitae reformatione ea, quae in Christo fit, seruare?

Fallimur miserandum in modum, totoque erramus coelo, atque in ipso uocationis nostrae

⁸⁷ Vanum illius esse consilium qui credit, nec vitam interim corrigit. (Worthless is the advice of one who believes but nevertheless does not correct his life.)

⁸⁸ Iustificationem etiam ob operibus, quae naturaliter unita sunt fidei, prodire. (Justification also comes about on account of works, which are naturally united to faith.)

⁸⁹ Nobilissima pars fidei. (The most noble part of faith.)

⁹⁰ Absque uitae innovatione nulla est vis fidei. (The power of faith is nothing without a renewal of life.)

⁹¹ Quid prae se ferat sacramentorum collatio. (What does the offering of the sacraments show?)

caecutimus limine. Dum enim nos iustos esse, atque proinde \16.a\ tutos, et (ut sic dicam) impeccabiles arbitramur, eo ipso statim immundi efficimur, tantoque turpius delinquimus, quanto imprudentius nos mundos esse cum nobis tum aliis persuadere quaerimus: unde seductio illa oritur periculosissima, atque impostura, de qua ita senex noster. Si dicimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et ueritas in nobis non est. Seclusa autem ueritate, subintrat fucus, et dolus: quorum artificio atque arte usus olim Daemon, Euam infelicem seduxit, seductamque interemit. Cum itaque nos absque peccato esse credimus, decipimur, atque a ueritate seducti et alienati, in obscurissimas errorum tenebras praecipitamus:⁹² arguimurque temeritatis et amentiae, qui illud nobis arrogare contendimus, quod nemini unquam praeter quam Christo contigisse non ignoramus. Et ut quidem illis, qui sanctissimam, atque adeo angelicam in terris agunt uitam, id detur nonnunquam fiduciae, ut cum propheta suam queant praedicare iustitiam et innocentiam, atque illis fas sit in improborum notam et contumeliam ad Deum confugere, et clamare: Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

{1555 p. 282}

Illud quoque: Iudica me Domine secundum iustitiam meam, et secundum innocentiam meam super me: nobis itidem non licet, qui et hoc, et illud certatim facimus, qui manus non tornatiles quidem, et aureas, plenasque hiacynthis, ut de sponso Christo praedicat sponsa, circumferimus: sed inquinatas, sed plenas sanguine, usurisque, tanquam bonarum artium \16.b\ instrumenta ostentamus: Quique in aerumnarum aut iniuriarum compensatione non solum par pari referimus, sed pro beneficiis iacturam, pro beneuolentia prodicionem, pro gratia odium retaliamus. Quid? nonne aeternae iam factae sunt etiam inter illos, qui religiosiores uideri uolunt, et simultates, et odia? nonne bella? nonne pro re quoque nihili digladiationes? Et tamen seducti nescio a qua probitatis persuasione ac sui amore, se coelum digitis tangere eo maxime tempore opinantur, quo fuco pietati obducto, ac uel orando, uel rem sacram operando, religioni, animo uiuunt sanguinario et crudeli. Sic sunt nostrae aetatis sancti, sic exul factus est Christus a mundo.⁹³ Quae uero sint reliquiae illae superstites, ac semen, quo amisso futuri sumus sicut Sodoma, et Gomorra, nouit Deus. Nos interim nostram non ignorantes miseriam, atque ad peccata procliuitatem, et crebros lapsus, perterrefacti clamemus ad Deum altissimum.

1.9. Nam si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra.

Compertior res est, quam ut multis probetur, confessionem illam, quae in corde contrito et humiliato fit Deo, primas sibi uendicare partes in animarum purgatione, eamque illi inesse uirtutem et efficaciam, cui innixa illa altera, quae fit Ecclesiae, potens est, atque ad

⁹² Periculum id ingens est, cum quis se absque peccato esse existimat. (The danger is enormous when someone judges himself to be without sin.)

⁹³ Effigies illorum, qui se sanctos fingunt. (Images of those who portray themselves as saints.)

absolutionem nanciscendam idonea.⁹⁴ Prius enim lacrymis,

{1555 p. 283}

peccatorumque horrore placandus est Deus, postea Ecclesia, cuius ille est caput, reconcilianda.

Id dico, ne prima illa contentus, Ecclesiam negligas. Si nescis, unum, atque idem corpus est Christus et \17.a\ Ecclesia: alioquin qui Ecclesiam, quae Christi spiritu alitur, non audit, Christum neitquam audire potest.⁹⁵

Quapropter, ut dicere coeperamus, antea conciliandus est nobis Christi fauor per cordis amaritudinem et dolorem, quam sacerdotem adeamus: nam sponsus non secus nostris delectatur fletibus, et poenitentiae lamentis, ac solent pueri, quod aiunt, caprarum lacte, quae cum pessime oleant, typum prae se ferunt peccatorum. Sed uide quid dicat: In fletu, inquit, uenient ad me, et ego in misericordia reducam eos. **Necessario igitur confessioni illi, quae fit homini, praemittendae sunt lacrymae, quibus placatum numen misericordiam impartitur, abluitque animam, ac sibi in sponsam copulat.**⁹⁶ De hac certe confessione sentit Ioannes in primis, cum ad confessionem suos hortatur dicens, Si confiteamur peccata nostra. Subindeque causam assuit quam ob rem ad confessionem prouocauerit.

1.9. Fidelis, inquit, est Deus et iustus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.

Clamandum, inquit, est ad dominum spe firma exorandi remissionem peccatorum, quia fidelis est, uerax scilicet atque de his, quae pollicitus est, promissi seruantissimus, modo nostram illi constantem offeramus fidem, qua credimus remitti nobis peccata quamlibet grauia et letalia per meritum Christi, qui in se credentibus remissionem pollicitus est peccatorum, unde nostra oritur iustificatio, cuius causa primaria, ut uocant, et efficiens, Deus est, finalis Christus, formalis uero Dei \17.b\ charitas, quae diffusa in cordibus nostris per Spiritum san-

{1555 p. 284}

-ctum, qui datus est nobis, cor nostrum, alioqui durum ac ferreum, molle reddit et docile, atque ullis absque meritis innouat, transireque facit in Deum libere.⁹⁷ Motus itaque ad misericordiam, et, qua omnes complectitur, charitatem, propter mortalium interitum Pater, per Filium suum unigenitum, quem constituit haeredem uniuersorum, decreuit genus istuc nostrum seductum et captiuum in libertatem asserere. Unde quicquid tunc Pater in hominum gratiam, et salutem est operatus, id totum propter filium operatus est.

⁹⁴ Confessio interna peccatorum, alteram illam, quae fit sacerdoti, praeuenire debet. (An internal confession of sins ought to precede that other one which is made to a priest.)

⁹⁵ Unum atque idem corpus est, CHRISTUS et ecclesia: quam qui non audit, nec CHRISTUM audire potest. (Christ and the Church are one and the same body: he who does not accept [the Church], is unable to accept Christ.)

⁹⁶ Confessionis auriculari necessario praemittuntur lacrymae. (Tears necessarily come before an auricular confession.) [Cf. Martin Luther, LW 31: 351; WA: 7:54–55.]

⁹⁷ Iustificationis gradus et definitio. (The definition and degrees of justification.)

Ideo causa praecipua atque (ut uocant) finalis, quam spectat Pater in condonandis peccatis, Christus est, ob cuius dignitatem, ac meritum condonat si quid peccauimus. Ut Deus quidem, idem nostrae autor est iustitiae cum Patre et Spiritu sancto ut homo uero, causa est illa in primis, quam respicit Pater in remittendis noxis. Hinc Paulus clamat: Iustificamur gratis gratia ipsius, nempe Dei, per redemptionem in Christo IESU, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. Caeterum iustum Deum appellat senex sanctissimus eo fere modo, quo Dauid in psalmo. Iustus, inquit, es domine, et rectum iudicium tuum. Siue enim iustitiae uocem ad partem illam referas, qua res cunctas aequissimo moderatur imperio: siue ad illam, qua perfectissimo diuitiarum cumulo beatus in se est (is modus interpretandi scripturas frequens est apud autores) utrunque Dei potentiae conuenit.⁹⁸ Ad iustitiam igitur pertinet cum primis res omnibus pro cuiusque dignitate partiri, \18.a\ et distribuere. Rogo, fuit ne unquam meritum cum illo comparandum, aut dignitas, ad quam ascitus est homo post Christi crucem? Videte (ait Ioannes) qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur, et simus. Unde quidam ex solitariis nostris sic suam depingit, nobilitatem: Particeps (inquit) nominis, particeps factus sum et hae-

{1555 p. 285}

-reditatis: Christianus sum, frater Christi sum: Si sum quod dicor, haeres sum Dei, cohaeres autem Christi. Factus itaque homo Dei filius per adoptionem, et gratiam, iccirco haereditatis consors unigeniti, imo eiusdem omnino naturae, nempe os ex ossibus, cum Christo, si suam petit portionem, quae Deus est, quid agat Iustitia? nunquid solo homine reiecto, res caeterae conuenientissimo suae naturae fruuntur bono? Iam quidem per Christum Deus noster est factus, cum Deus homo factus est. Eam ob rem haereditario ueluti iure, legeque (ut ita dicam) naturae debetur nobis Deus, qui noster Pater est ac pastor, nos filii, atque oues pascuae eius. Mirum profecto esset, si aegrotum filium Pater, aut ouem languidam et morbosam pastor auersaretur. Peccat quidem anima infelix, atque letaliter uulneratur: quid agat? ueniam petet, ac medelam: A quo? a tyrannone irato? ab hostene ipso suo crudelissimo? A Patre certe, et eo quidem fideli et iusto: fideli, quoniam quod est pollicitus praestat: iusto, quoniam iustitia praeuia dat ueniam animae tanquam rem illi promissam et debitam. Qui debitam? quoniam illius iussu, qui promisit, petiit: Petite, inquit, et accipietis.⁹⁹ Quare sanctissime scripsit \18.b\ Ioannes: Si confiteamur (inquit) peccata nostra, fidelis est, et iustus, ut remittat nobis peccata nostra. Quid porro sit peccata remitti, mox aperit: Et emundet nos ab omni iniquitate. Sub nomine iniquitatis totum scelerum aceruum intellige. Est et alia impetrandi ratio iustitiae causa, ob pactum scilicet inter hominem ac Deum sancitum. Remittite, inquit, et remittetur uobis. Praestet igitur praescriptam sibi conditionem a Deo homo, pacti ille non erit immemor. Id sane uult aequitas, id iustitia, id leges omne is tum humanae, tum diuinae postulant. Quod si dirus quispiam tyrannus peccatum agnoscenti remittit foedusque seruat poscenti, num id negabit Deus quouis

{1555 p. 286}

⁹⁸ Iustitia qualis in Deo. (What justice in God is like.)

⁹⁹ Hominem posse salutem, uti rem sibi debitam, a Deo petere. (A man may ask for salvation as a thing owed to him by God.)

homine clementior, ac fons ille gratiarum, e quo salus processit uniuersi? Atque hinc (id alterum erat iustitiae membrum) dictus est iustus, nam bonorum omnium cumulo felicissimus cum sit, cunctas creaturas (non solum ratione praeditas) pro illarum modulo beat, ac suo in statu seruat. Ita enim de iustitia Dei ratiocinantur sanctiores, qui partem illam in Deo, qua impios cruciatibus afficit, iudicium magis quam iustitiam appellant. Iam illud pro confesso habendum, nullo tam grato Deo sacrificio aut hostia ad aram fidei posse litari, quam cum homo se peccatorem agnoscit, atque proinde mollicie omni ab animo semota et ignauia, totus in se ipse iratus insurgit, easque a se se deposcens poenas, quas dignas tanta culpa, quanta est tam pium Patrem offendisse, non modo praeterita, uerum etiam futura exhorrescit facinora, se macerans, se ulciscens, se tandiu cruci illi suffigens, in qua illos, qui in Christi \19.a\ acie militant, affigendos esse asseuerabat Paulus dicens: Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum uitiis et concupiscentiis, quoad eius in Spiritu audiat: Tolle grabatum tuum et ambula, signum nimirum perfectae liberationis a peccato.¹⁰⁰ Quod sane beneficium sub mirabili illo paralytici miraculo expressum sanctissimos mysteriorum Dei interpretes non latuit. Et tu, inquit Bernardus, si iam surgis desiderio supernorum, si grabatum tollis, corpus uidelicet a terrenis subleuans cupiditatibus, ut iam non feratur animus concupiscentiis eius, sed magis ipse, ut est dignum, regat illud, et ferat quo non uult: si demum ambulas, quae retro sunt obliuiscens, et ad ea, quae ante te sunt, te extendens desiderio, et proposito proficiendi, curatum te esse non dubites. haec ille. Non itaque fucum nobis imponi sinamus, cum carnis sensus suggerit nos tutos esse propterea, quod baptizati sumus, quod sacris initiati, quod crebro oramus, si grabato adhuc nostro

{1555 p. 287}

decubantes, desideria carnis perficere, quod uetat Paulus, modis omnibus inquirimus. Frequenter enim per confessiones ablui, nec unquam Christum induere, quid Dei filium ostentui habemus?¹⁰¹ quid tam efficacem uictimam, ut est mors Christi, nostris irrita facimus ineptiis? Demus, demus gloriam Deo, nostrosque continuos non dissimulemus lapsus.

1.10. Nam si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, et uerbum eius non est in nobis.

Miserrimus omnium ille est, in quo Dei uerbum suas non exequitur partes, quae sunt \19.b\ (ni fallor, atque ob id est datum in primis) ut animam pascat, et Deo iungat.¹⁰² Unde non immerito a prisco illo concionatore fons sapientiae appellatur in excelsis:¹⁰³ a Paulo autem, gladius Spiritus, quo nimirum effraenes illae in nobis belluae concupiscentiarum,

¹⁰⁰ Quid sit tollere grabatum. (What it means to take up one's pallet.)

¹⁰¹ Confessionem crebro repetere, neque unquam CHRISTUM induere, parum utile. (To return to confession repeatedly, and never take on Christ, is of little use.)

¹⁰² Verbi Dei est **animas** pascere, ac Deo unire. (To feed souls and to unite with God is [characteristic] of the word of God.)

¹⁰³ Verbum Dei fons est sapientiae in excelsis. (The word of God on high is a fountain of wisdom.) [Ecclesiastes 1.5]

iraeque, et libidines interimuntur. At uide quantum tenebrarum propter illius absentiam nostris obfunditur oculis. Si nostram, inquit, miseriam ignoramus, signum est ingens Dei uerbum non esse in nobis, quod si adesset, cederent actutum tenebrae, atque orta luce, in quantis errorum uersaremur ambagibus, inspiceremus.¹⁰⁴ Dauid enim uocat Dei uerbum lucernam atque in caliginosa uitae huius nocte lumen. Nos contra nescio quid lucis nostro ab arbitrio, aut ratione humana, quae fallax est, proficiscentis, nobis effingimus, cui, si quid in rebus etiam quae ad animam spectant, agendum est, innitimur, eo fulcitur, eo tegimur, eo tandem seruari credimus. Verum benignissimus Dominus, qui (ut ait Paulus) omnia in omnibus est, scilicet, pro rebus omnibus satis est omnibus, quae res potissimum sit, qua nixae animae seruari debeant, ne diutius erraremus, breuibus aperuit, cum dixit: Qui uerbum meum audit, et

{1555 p. 288}

credit ei, qui me misit, habet uitam aeternam: ut uerissimum illud omnino appareat, fidem scilicet oriri ex auditu, auditum autem per uerbum Dei. Illud uero curandum, ne quis fucis stultior, (ut illum appellat Chrysostomus) suam ad hunc modum foueat insipientiam, atque in Dei obsequio tarditatem. Ecquid in me promouet Dei uerbum? quid literae? quid speculationes illae Paulo potius aut Ioanne dignae, quam \20.a\ homuncione isto, cui sat est simpliciter ambulare? Qui ambulat simpliciter, in fiducia ambulat.¹⁰⁵ Audio. Sed uide an Simplex, ut ait idem, eo in loco pro stulto, et pro eo, qui nihil nouit, intelligendus sit, an pro non malo, et non uersuto. Amat certe Dei spiritus in anima sanctam simplicitatem: at non ignauiam, et bonarum rerum neglectum. Quod uero sint (ut nonnulli ex his, qui inscitiam, quam simplicitatem appellant, hoc tegunt pallio, obiicere solent) qui doctrina spiritus excellentes, intumescant, atque in luce iam cognita hallucinentur, ultroque ad lapidem angularem impingant, culpa solis non est: neque ille propterea reprehendus, qui dedit, cum adeo bonus sit, ut solem suum oriri faciat super bonos et malos: sed propria id illorum agitur malitia, atque amore mundi. Tantilla enim contenti aura in uulgo, sic insaniunt, ut sacrosancta etiam rerum obstrusarum mysteria ad fastum, seu ad spem praemii uanissimam reserare non reformident. Hactenus de uerbo uitae, a quo stulta abhorret simplicitas, haec dicta sint. Qui enim docti sunt in regno Dei, hi suam libenter caeteris ad aedificationem corporis Christi impartiant doctrinam, non ad gloriam et uanitatem. Qui uero rudiores sunt, ut fere omnes sunt mechanici, atque illi, quibus nullum est ad literas ingenium, non solum obuios docentes libenter audiant, uerumetiam inquirant, rogent, atque ut ministros Christi apud se habeant, et, si opus est, alant. Atque ita pulcherri-

{1555 p. 289}

-mum erigetur in terris templum Dei, non manufactum, neque creationis huius mundi, sed fide, et qua praecipue Christi religio \20.b\ fundatur, charitate. Vide quomodo sapiens ille utrunque informet membrum. Sic primum. Si est tibi, inquit, intellectus, responde proximo. Aliud item sic: Esto mansuetus ad audiendum Verbum Dei. Iam illud dicendum

¹⁰⁴ Signum evidens an Dei uerbum sit in nobis. (Whether the word of God is an evident sign in us.)

¹⁰⁵ Quid sit simpliciter ambulare. (What it means to walk simply.)

uidetur, quam Deum ratione mendacem facimus, cum nos immunes a peccatis esse iactamus.¹⁰⁶ Reor enim quae a sanctis uiris dicuntur, aut literis mandantur, ea omnia a Deo proficisci. Cum quidem lego in ecclesiaste [sic, lowercase], non esse hominem iustum in terra, qui faciat bonum, et non peccet: id aequale lego, ac si a Dei ore prolatum esset.¹⁰⁷ Nonne quotidianis experimur exemplis tritum illud dictum sapientis in cunctis iustis locum habere, Septies in die cadit iustus? Et ut immensam autorum syluam hoc idem asserentium omittam, putasne Ioannem, quando in superioribus dixit, nos plane falli, ac seduci, si dixerimus quoniam peccatum non habemus, a memphiticis uatibus, ut olim Pythagoram, aut ab Aegyptiis Platonem, rem tantam didicisse, an potius a sapientiae fonte illo hausisse, qui ait, Ego sum uia, ueritas, et uita? quique, quo nostram ad peccata facilitatem, ne dicam perpetuitatem, significaret, sic suos Deum precari instituit inter caetera apud Matthaem, Dimitte nobis debita nostra? quae debita quomodo intelligi debeant expressius posuit Lucas.

Dimitte, inquit, peccata nostra. Unde clamat Salomon, Quis potest dicere, mundum est cor meum, et purus sum a peccato?

Et certe quamuis a consensu, quae mors est animae, abstinemus: negare tamen haud possumus, quin carnem peccati, cuius uis acti, et impulsus non raro illudimur, circumferamus.¹⁰⁸ \21.a\ Nec est quod quis sibi ultro imponat dicens, sanctos uiros peccare quidem uel continue, sed citra periculum, et iacturam,

{1555 p. 290}

cum magnus asserat Basilius, nullum tam paruum esse peccatum, quin magni aestimandum sit.¹⁰⁹ Diuus etiam Augustinus in definitione fidei affirmat, nullum sanctum et iustum carere peccato. Ergo omnes peccato sunt obnoxii, proinde diuina egent purgatione. Et qui id negat, Deum mendacii arguit, cui honos sit in secula seculorum. Amen.

CAPUT II.

2.1. Filioli mei haec scribo uobis, ut non peccetis.

Quandiu ecclesia in tentoriis militaribus commoratur, impiosque ne Christi uestis inconsutilis scindatur, tolerat, nigriciem quandam imperfectionis contrahere uidetur. Unde non immerito se nigram in canticis amatoriis appellat: formosam tamen ob studium, credo, et conatum ad perfectiora.

Sed hi naeui potius dicendi sunt, quam maculae illae, quibus infecti permulti, grauitatem sui morbi non sentiunt: quos tamen sponsa, uti sedulae nutrices solent, non respuit, imo

¹⁰⁶ Quid sit Deum mendacem facere, cum nos absque peccato esse dicimus. (What it means to make God a liar, when we say that we are without sin.)

¹⁰⁷ Omnes peccato obnoxii sunt. (All are guilty of sin.)

¹⁰⁸ Descriptio illorum, qui a Deo recesserunt. (A description of those who have retreated from God.)

¹⁰⁹ Nullum tam paruum peccatum est, quin magni aestimandum sit. (No sin is so small that it should not be thought great.)

strictius plerunque, quo tandem resipiscant ad uitam, quam illos, qui uiua sunt membra Christi, et fouet, et amplectitur.

Coetus uero ille quis sit, qui supereminentem uiam charitatis ingressus, Dei statuit ciuitatem in coelis, nedum in terris, quique cum Paulo de se illud dicere non \21.b\ ueretur, Viuo ego iam non ego, uiuit autem in me Christus, nouit Deus. Fons enim is est signatus, puteusque aquae uiuae, quae fluunt cum silentio. Hoc est, in Dei prorsus mente sita est ecclesiae perfectio, atque seruandorum notio.¹¹⁰

Quare danda nobis est opera, seduloque elaborandum, ne, ut a Ioanne nostro admonemur, peccemus. Siquidem interstitium indubitatum, quo ab ecclesia, Christi nimirum corpore, uti membra mortua

{1555 p. 291}

rescindimur, est peccatum. Haec scribo, inquit, uobis o Filioli, ne peccetis, ne Deum offendatis, ne itinere omissio iustitiae, in praiceps prolabamini. Iam plus quam satis indultum est carni et sanguini, resipiscite, reflexisque gressibus ad cor redite praeuaricatores. En ego Christi praeco e sublimi tanquam specula clamo, moneoque, ne peccetis. Intuere tenerum pii Patris erga liberos animum in uoce illa: Filioli, Filioli, inquit, mei scribo haec uobis: nempe illa, quae praecessere, ut non peccetis.¹¹¹ Dixerat in superioribus neminem a leui saltem noxa peccati immunem uiuere: et cui aliter persuasum esset, hunc errare: seducique, ac Deum mendacii arguere. Nunc uero ne peccemus, perinde hortatur, quasi nobis integrum sit non peccare. Suine est dissimilis in assertionibus tam sanctus Apostolus? nihil certe minus. Obserua igitur pii pastoris prudentiam.

In exordio enim sermonis nos nostrae admonuit miseriae, quae adeo tenaciter nostris insedit uisceribus, ut pene connaturale factum nobis sit peccare. Quid oro miserius? quid infelicius, quam sic a natura per peccatum corrupta impelli, ac fere cogi, ut Deum etiam nolentes offendamus? \22.a\ In progressu porro epistolae cautos nos reddit, hortaturque ad innocentiam tuendam. Sed hic uiribus plusquam herculeis opus est. Imo natura humana ex se nihil aliud agere iam potest (natura nascimur filii irae et damnationis) nisi peccando quam letale fuerit posteris primi Adae uulnus, ostendere. Gratia igitur Dei uis ea est in primis, quae negotium id ingens et difficile perficit.¹¹² Quam sane rem aduertens Paulus, ob uimque illam homini per legem peccati illatam deterritus, clamabat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sed mox unde opem expectari par fuerat et auxilium, addidit: Gratia Dei per IESUM Christum dominum nostrum. quod idem omnino est,

{1555 p. 292}

¹¹⁰ Ecclesiae perfectionem, seruandorumque cognitionem, in Dei nomine esse. (The perfection of the church, and the recognition of those about to be saved, is in the name of God.)

¹¹¹ Paraenesis Ioannis a peccati usu nos deterrens. (John's exhortation deterring us from the enjoyment of sin.)

¹¹² Gratia Dei duntaxat nos a peccatis immunes facit. (The extent to which the grace of God makes us immune from sin.)*

quod a Ioanne hic dicitur: Scribo, inquit, uobis, ne peccetis.

2.1. Sed et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem IESUM Christum iustum.

Asserunt Patres ad membra corporis illius generatim cuius participes factae sunt etiam beatae Animae in coelis, pertinere, pro membris illis Deo supplicare, quorum uirtutem ac robur in lucta carnis e tranquillis coelorum sedibus in mundissimo diuinitatis speculo intuentes precantur, ut corpus illud tandem, cuius caput Christus est, ex quo totum per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum fidei, crescat etiam in uirum perfectum, in plenitudinem corporis Christi, qui solus propitiator is est, qui ad dexteram Dei patris sedens, interpellat pro nobis, non quidem uoce, aut oratione ad numeros formata, sed miserando, sed subueniendo, \22.b\ sed uirtutem ad triumphum pro debellatis hostibus suppeditando.¹¹³ Vna enim est Ecclesia atque connexionis charitas nostra haec religio, cum his, qui exantlatis iam mundi per CHRISTUM aerumnis, Deum non iam per speculum in aenigmate, ut nos, intuentur, sed uere, sed perfecte, sed absque uelo.¹¹⁴ Quare absurdum minime id erit opinari, ut inter quos una est charitas, una etiam sit uoluntas, atque ad ferendas his qui in acie adhuc laborant suppetias, desiderium et affectus, quem conuenientissima uoce precationem appellarunt sancti Dei interpretes. Quid, oro, Ecclesiae puritati officit istiusmodi persuasio? Nihil certe uideo detrahi posse fidei candori, si milites iam in tuto positos pro his, qui in agone etiamnum contendunt, atque in arena cum fortissimis congregiuntur hostibus, sollicitos esse credamus. Tantum illud pro confesso haben-

{1555 p. 293}

-dum, Christum solum mediatore illum esse, per quem Pater omnes sperantes in se recipit, felicissimeque ecclesiae illi ad quam suspirant electi (nempe ecclesia militans) copulat, et ex utraque unam efficit Hierusalem, sanctam illam quidem, a Deo electam, tutam, beatam, et cuius ciues immortales sunt spiritus, rex autem Christus: atque idem pro his, qui corpore grauati, ut inquit Paulus, ingemiscunt cupientes dissolui, et esse cum Christo, aduocatus. Quam ob rem si cui fors contigerit labi, aut in ruinam aliquam peccati quamuis grauissimi cadere, aduocatum habet iustum IESUM Christum.

Et id quidem non apud tyrannum implacabilem et iratum, \23.a\ sed apud Patrem, apudque illum, qui nostra diligentius, quam nos ipsi, curat commoda. Tutae igitur ac saluae sunt merces nostrae, simul atque illum, qui tam ardentem nos amauit, ut mortem pro nobis seruandis non exhorruerit, habemus aduocatum, et propitiatorem: iudicem uero Patrem.

Iam nihil damnationis est his, qui in Christo sunt, ut inquit Paulus. Unde irrecuperabiliter

¹¹³ Absurdum minime est opinari partem illam corporis CHRISTI quae in coelis est, pro ea quae adhuc laborat in terris, Deum precari. (It is not at all absurd to think that the part of the body of Christ which is in heaven prays to God on behalf of that [part] which still struggles on earth.)

¹¹⁴ Ecclesia una est illorum qui in coelis sunt, et qui in terris. (The church of those in heaven and those on earth is one.)

hi peccant, qui uitae suae turpiter, et absque fructu, praeteritae memores desperant, atque adeo male de Deo sunt persuasi, ut tam beneuolum refugiant iudicium, in quo Pater arbiter est, frater autem assessor, atque interpellator.¹¹⁵

Iccirco iustissimus ille fuit creatoris dolor, cum Adam lapsum fugientemque Patris aspectum requisiiuit dicens, Adam ubi es? quasi diceret, Patrem fugis? Patrem auersaris? Vide quantum animi reis addant uerba illa domini IESU, Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis. Quid?

putasne id dicere Christum, quo supplex quo sudantes sub talento illo plumbeo, in quo sedet iniquitas et peccatum, irrideat, atque, uti solent permulti nostrae tempestatis antistites, infamet, et traducat?

Reficiam, inquit, uos, uestramque refocillabo debilitatem:

{1555 p. 294}

non frangam, non calamitosis addam calamitatem, non calamum attritum conteram.¹¹⁶ Accessi tantum ut seruem, non ut perdam, non ut figmentum meum, cuius infirmitatis particeps factus sum per carnem abiiciam. Equidem, ut de me dicam, persuaderi mihi facile patiar, neminem tuto ad hominum rectionem, et curam promoueri posse, nisi Christum, normam uidelicet bene sancteque uiuendi, induerit. \23.b\ Hoc est. Nisi undequaque Spiritus sancti oleo perunctus, obductusque (Christum unctum interpretantur) uestem illam stragulatam induerit, de qua sic Paulus: Induite uos sicut electi Dei, sancti, et dilecti, uiscera misericordiae benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, et donantes uobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut dominus donauit uobis, ita et uos.¹¹⁷ Hae sunt partes, quas in sui gregis ductoribus requirit Christus. Quare nunquam Christianum illum esse pastorem dixerō, qui exuto Christo, ueste nimirum gratiarum omnium et uirtutum polymita, pro misericordia saeuitiam, pro benignitate duriciem et auaritiam, pro humilitate fastum, pro modestia impudentiam, pro patientia ultionem induerit, querelasque mutuas subditorum non tam extinxit, quam accensa flamma odiorum auxerit.¹¹⁸

Vult, inquit Chrysostomus, dominus IESUS animam nostram illius esse domicilium, et ipsum rursus nobis loco uestis circumdari, ut idem nobis sit omnia intus et foris, quippe et nostra perfectio et complementum sit: complementum enim illius est, qui omnia in omnibus implet. Contemplare igitur dignitatem, strictumque nodum cum anima, tui aduocati, o homo. Ille enim qui te creauit, qui te redemit, qui tuae consors est naturae, pro te stat coram Patre.

Quare discusso metu, timoreque illo, qui seruis conuenit, abiecto, cum fiducia ad thronum

¹¹⁵ De iudicio non esse dubitandum, in quo Pater iudex est, frater noster assessor. (One should not be hesitant about a judgment in which our Father is the judge, our brother the counselor.)

¹¹⁶ Quae ad rectores **animarum** spectant. (What things pertain to the guiders of souls.)*

¹¹⁷ Quid sit induere CHRISTUM. (What it means to take on Christ.)

¹¹⁸ Descriptio pravorum antistitum. (Description of depraved authorities.)

Dei ac-

{1555 p. 295}

-cede.¹¹⁹ Peccasti: Ne, expauescas, neque a Dei aspectu uelut Cain desperatus fugias: quandoquidem aduocatum habes apud Patrem IESUM \24.a\ Christum iustum. Dico, aduocatum habes et syncerum, non uenalem, non clamosum, non fraudulentum, non, ut plerique in causis agunt forensibus, fortunas magis litigantium expetentem, quam iustitiam et pacem. Nihil sane tam cito exhaurit respublicas, et ciuitates, quam insaturabilis quorundam ciuiles controuersias tractantium erynnis, atque ad coaceruandas opes, nempe calamitatem suis posteris susque deque auiditas. His frenum omnino a principe, aut ab illis, qui rerum potiuntur, iniiciendum est: ne dissimulatis erroribus ac flagitiis illud merito de se usurpari audiant, Malum scilicet nullum esse in ciuitate, cuius non sit autor dominus ciuitatis. Sed ad nostrum redeamus aduocatum, quem, quo nos fidentiores reddat, senex iustum esse affirmat. effectus uero iustitiae istiusmodi qualis? Audi.

2.2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Non in longum, ait, lites clientium protrahit noster aduocatus, non uiduarum, non orphanorum, non reliquae turbae infelicis ac destitutae causas data opera aut confundit, aut quia desunt pecuniae, auersatur, in reosque saeuissime inuehitur.¹²⁰ At subuenit inuocatus, parcit immeritis, erudit, atque ne in controuersiis cum hostibus succumbant, addit illis animos, et quantum in se est, quotquot ab Adam illo transgressore usque ad consummationem seculi fuere, suntque in praesentia, ac futuri sunt in posterum, seruat. Ut homo enim noster est aduocatus et intercessor, ut Deus autem una cum Patre propitiatur omnibus iniquitatibus nostris.¹²¹ Parum dico. Non solum enim illis, qui Spiritu sancto suo afflati, \24.b\ diuinis assentiuntur immissionibus, ac monitis, sed

{1555 p. 296}

uniuerso penitus mortalium generi offensum Patrem reconciliat (modo uelint) et propitium reddit. unde intulit Ioannes,

2.2. Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Inspice generalem Christi gratiam, atque ad capescendam ueniam pollicitationem. Non quidem particularis huius, aut illius est gentis Deus, sed uniuersalis sol est iustitiae

¹¹⁹ Quid sit cum fiducia ad thronum accedere. (What it means to approach the throne with faith.)

¹²⁰ Effigies male causas tractantium in foro iudiciali. (An image of cases badly handled in judicial court.)

¹²¹ CHRISTUS ut homo noster est advocatus, ut Deus, una cum patre propiciator. (Christ as a man is our advocate, as a God, together with [his] father, a propitiator.)

Christus Deus noster.¹²² Ubi non est gentilis, ut inquit Paulus, et Iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, seruus et liber, sed omnia, et in omnibus Christus. Nemo sane est, qui se abscondat a calore eius. Poterat quis in dubium uenire, an illis tantum, atque illorum erratis, quibus cum familiariter uixit, propitius fuerit Christus, haud caeteris. Ea propter illiusmodi occurrens dubitationi uir prudens illud adiecit: Non pro nostris autem tantum, fuit scilicet expiatio filius Dei: sed etiam pro totius mundi, nempe erroribus et peccatis.¹²³ Hic certe Iudaeorum supercilium deiicitur, confunduntur haeretici, ac uel usque ad desperationem indignantur hypocritae: quibus omnibus persuasum est, Dei penes se tantum gratiam habitare. Vana ista est persuasio et impia. Quare semotis a grege domini lupis istiusmodi truculentis, fateamur Christum uniuersalem fuisse uictimam, et expiationem.

Quod si salus ad omnes non peruenit, illorum culpa fuit, qui solis radios auersati, sanctoque Spiritu reluctantes, ultro tenebras elegere, caecutieruntque data opera.¹²⁴ Occiso \25.a\ itaque in cruce Christo, non tantum qui in coelis sunt spiritus beati, et qui in terris agunt homines fideles: sed et qui in carcere erant, ut diuus ait Petrus, ad quos ueniens praedicauit, tam salutiferi cruoris senserunt uirtutem. Verum attoniti facti sunt homines, atque ita incogitantes, ut

{1555 p. 297}

neminem propemodum uideas, qui carnis curam, et commoda non diligentius amplexetur, perfici atque in desideriiis, ut inquit Paulus, quam quae ad salutem animae pertineant, cogitet. Nam praecipuam uiam eam esse ad salutem non ignoramus, si Dei beneficia, inter quae potissimum est mors Christum continue libenterque uersantes animo, sic uitam nostram instituamus, ut hi uere simus, qui dicimur, militiae uidelicet Christianae amantiores quam rerum illarum, quae cum ad mundum spectent, caduca sunt, uaria, infida, et ad interitum pertrahentia: alioqui sanguis Christi, expiatio nimirum illa generalis, et salutifera, nobis erit in scandalum et ruinam.¹²⁵ Atqui, si nescis, sanguis etiamnum Abel iusti (hic erat Christi typus) clamat de terra in filios diffidentiae, ultionemque minatur et mortem. Tantum uero abest, ut aduocatus sit apud Patrem pro ingratis, ut etiam illos auersetur: atque a conuiuio coelesti, tanquam eos, qui absque ueste se se ingesserint nuptiali, excludat.

Et ut semel dicam, participem posse neminem esse beneficiorum Dei arbitror, qui benefactoris immemor, ad futura capescenda munera se indignum exhibet.

Verum cum omnes se nosse Deum fateantur, proindeque ad illius religionem pertinere sibi persuadeant, ne erretur, ut fit, \25.b\ atque in delectu itineris, quo recta ad Deum pergitur, hallucinemur, imo ne malum bonum, et bonum malum dicamus, crassae quorundam ignorantiae sic occurrit Ioannes:

¹²² Gratia CHRISTI uniuersalis est, itidem et ueniae promissio. (Christ's grace is universal, and the guarantee of pardon.)

¹²³ CHRISTUS uniuersalis fuit expiatio. (Christ was universal expiation.)

¹²⁴ Salus ad omnes pertinet, et qui non seruantur, in causa ipsi sunt. (Salvation pertains to all, and those who are not saved, have themselves to blame.)

¹²⁵ Quomodo CHRISTI mors fiat nobis in ruinam et scandalum. (In what way the death of Christ may result in ruin and downfall for us.)

2.3. Et in hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus.

Parum sane esset hominem quempiam ex Christianis parentibus ortum baptizari, et in fidei mysteriis erudiri, sacrisque insuper initiari, atque ad summum usque gra-

{1555 p. 298}

-dum ecclesiae acciri, subindeque ab omnibus coli, ac ueluti quoddam probitatis simulacrum e coelo lapsum adorari, si ad illius praecepta seruanda, qui dona huiusmodi rara contulit, ignauus fuerit, et obliuiosus. Ergo animae sanctitas, quae amore maxime nititur, et cognitione, ex praeceptorum Dei studio, atque in illis exercitatione deprehendi potest.¹²⁶ Etsi enim baptismus inter alia bona, quae secum affert, quaedam sit nota, et symbolum, quo ab infidelibus, ut olim Iudaei a gentibus per circumcisionem, dignosci debeat,¹²⁷ uanus tamen cum huius, tum caeterorum sacramentorum, atque ordinum esset usus, nisi uita, quae potissimum in seruandis Dei mandatis animatur, et perficitur, sacramentis responderet. Si igitur quis asserat, iuretque se Deum cognoscere et amare, non contradicam, modo illius mores eo sint praediti temperamento et uigore, ut de illo id dici posse negem, quod de sapientibus huius mundi dicere non uerebatur Paulus, quod scilicet cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt (nempe fide ac obedientia) sed euanuerunt in cogitationibus suis. Quibus nam obsecro? Audi. Existimantes se esse sapientes, \26.a\ stulti facti sunt. Nam suam, non Dei gloriam quaerentes, sibi que tantum modo placentes, nihil non insulsum, ac uani dum cogitare poterant. Hanc sapientiam diuus Iacobus terrenam appellat, animale, et diabolicam. Stultissima itaque ea est sapientia, quae propria nititur existimatione, atque, ut eas uocant Graeci, *διαλογισμοις dialogismois*.¹²⁸ Quocirca simpliciter parendum est numini, obtemperandumque uerbis uitae, quibus decentissime ornata est sacra lex, grauida quidem mysteriis, sed potissimum praeceptionibus illis, quas qui, quoad eius fieri potest, non transgreditur, ex seruo peccati fit filius Dei liber, atque ad nanciscendam pacem illam animi, quae exuperat omnem intellectum, idoneus. Porro huiuscemodi pax, et quies,

{1555 p. 299}

qua sabbatum fit ex sabbato in anima, a Dei oritur cognitione et amore.¹²⁹ Cognitionem dico, non illam quidem, quam hi etiam habent, qui athei sunt, uerum eam, quam mundi

¹²⁶ Sanctitas **anim**arum unde deprehendi possit. (How the sanctity of souls may be detected.)

¹²⁷ Baptismus inter caetera quae secum affert bona, symbolum est fidei. (Baptism, among the other good things it brings along with it, is a symbol of faith.)

¹²⁸ Stultissima ea est sapientia, quae propria nititur existimatione. (That wisdom is extremely foolish which depends on its own estimation.) Dialogismos in biblical language is defined as reasoning that is self-based and therefore confused.

¹²⁹ A Dei cognitione et amore oritur in nobis pax **animi** et quies. (Peace and quiet of the soul arises in us from the knowledge and love of God.)

corde possident. Etenim quod potentissimus sit omnium Deus, quod optimus, quod maximus, quod sempiternus, quod omnia condiderit, quod ea ipsa moderetur, ac, ne in nihilum dilabantur, sustentet, ac foueat: nemo fere est, modo sit sui compos, qui non concedat, et se cognoscere fateatur.

Verum sapientiam illam, et cognitionem, qua duce ad interiora usque uelaminis, cuius custodes sunt fides et charitas, penetramus, haurire, atque in cellam uinariam, in qua susurro quodam tenui, auraque leniter flante, auditur.¹³⁰ Dilectus meus mihi, et ego illi, introduci, emori quoque in sponsi amplexibus, et transire de claritate in claritatem per diuinorum cognitionem, atque ecstasim, \26.b\ iam ad aliud sapientium genus attinet, quam hi sunt, qui ore, ut inquit Paulus, confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Horum conditionem ac mores ita Hieremias expressit: Sapientes (inquit) sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciuerunt. En praeceptorum Dei neglectus, atque ignoratio in huius mundi sapientibus inuenta, en fucus hypocritarum detegitur: en unde tumultus opinionum in nostra hac aetate lasciuientium ortum habent. Non est iam regio, non ciuitas, non oppidum, non uicus, qui peculiarem sibi non effingat religionem: quam quidem tametsi unam esse fatentur omnes, uarios tamen, quos sibi uerissimos esse persuadent, derisis caeteris, informant gradus: ac perinde uicissim pro illis tuendis indignantur, rixanturque, quasi bene uiuendi ratio, ac uera pietas in tenebris usque ad id tempus uersata, iam demum apud se emergerit, sedemque sibi tutam et certam pene fessa locauerit. Hinc (credo) prodiit, quod infinitus iam propemodum sit factus scribentium numerus:

{1555 p. 300}

hinc sectae, hinc haereses coortae, contentiones illas, quibus miserandum in modum pie affliguntur mentes, exsuscitarunt. Nam ut multis iam propter uniuersalem eruditionem, ac styli gratiam, integrum est suos mandare literis animi conceptus, atque ad aedificationem Ecclesiae, si quid inuenisse, quod uerum sit, uidentur sibi, cum aliis communicare: sic non desunt, qui (ut ait Paulus) ex contentione atque inuidia, aut quo rumore tanquam Camarinam moueant, et pie scribant, et uerum dixisse appareant.¹³¹ Est et aliud nunc scriptorum genus, qui tam ardentem in quorundam \27.a\ libros inuehuntur, ut nullo plane seruato tum decoro, tum modo, nihil aliud mihi agere uidentur, quam crabrones irritare: atque eam sibi difficilem assumere prouinciam, quam hi sibi arrogat, qui quicquid scribas, contradicunt tamen, taxantque pro haeretico nonnunquam, si quod mysterium ab illis ignoratum protuleris, aut si uerbum non ad amussim correctum forte exciderit. Scilicet leue est piaculum quempiam haereseos insimulare, atque in hominum gratiam (de promulgatis haeticis non loquor) innoxios grauare.¹³² Certe si mitra aut pileus, aut

¹³⁰ Fides et charitas tanquam ianitores sunt coelestium contemplationum. (Faith and charity are like gatekeepers of celestial contemplation.)

¹³¹ Periculosa nostri temporis conditio, in qua quilibet **pene** particularem sibi effingit religionem, unde ortae sunt haereses, atque scribentium multitudo. (The dangerous situation of our times, in which almost anyone may make up his own particular religion, from which heresies have arisen, and a multitude of writers.)

¹³² Turpissimum illud est genus hominum, qui quempiam haereseos accusant, cum ab ecclesia nondum ille iudicatus sit. (That sort of man is very nasty who accuses someone of heresy, when the [accused] has not yet been judged by the church.)

beneficiorum, ut uocant, multitudo quaerenda est, non eo sane modo quaeri debet, quo scinditur charitas, fidesque periclitatur, atque concordia illa, qua absente nullum ne uestigium quidem pietatis inter homines esse potest, naufragium facit. Id totum, ni prorsus falsus sum, a Dei ignoratione, atque illius praeceptorum neglectu pendet, ac uim habet.¹³³ pene cum Paulo dixi scriptores huiusmodi charitatem ueritatis non habere. Siquidem,

2.4. Qui dicit se nosse Deum, et mandata eius non custodit, mendax est, et in eo ueritas non est.

{1555 p. 301}

Notant quidem hic, Nosse, pro amare positum, pollereque perinde quasi diceret Ioannes,¹³⁴ Neminem unquam dixero Deum diligere, si illius non paret mandatis.¹³⁵ Imo si quis id dicat, mendacii debet argui, atque in corde illius nulla est ueritas, licet ore prae se ferat ueritatem. Vtraque enim litera Senis nostri sanctissimi sententiae seruire potest.

Proculdubio fateri possumus genus illud hominum, neque Deum cognoscere, neque amare, qui illius negligit praecepta. Quis, oro, uel mediocriter in

\27.b\ Dei amore uersatus, seu in his, quorum ope atque usu quam sublimis sit Deus, quamue suis contemptoribus expauescendus, et formidabilis, cognosci potuit, delectatus, tam suauem, atque adeo potentem spernat dominum? Idem plane est dominum quempiam spernere, atque illius spernere mandata. Mendax igitur ille erit, ac fuci plenus, qui etsi partim uerbo et doctrina, partim exteriori facie, qui mos est hypocritarum, Deum se notum habere profitetur, ac diligere, si tamen quae ad diuini amoris significationem faciunt, emerserint, nepam senseris tactum, ut ait ille, in pariete.¹³⁶

Resilit haud secus ab his, quae nuper docuit, ac solet bubo, aut noctua uisa luce. Et demum uide quam notam ad id significandum benignissimus ostenderit magister. In hoc cognoscent, inquit, homines, quod uere discipuli mei eritis, si feceritis quae ego praecipio uobis. Discipulorum nomine, et amicos, et eos, qui ad secreta Dei colloquia admittuntur, intellige. In illo enim mirabili cum Deo congressu fit anima sapiens, atque ad caetera spiritus dona capescenda idonea. Unde nullus in anima sic coelitus illustrata potest esse aut error, aut, unde omnis oritur superstitio, stulta persuasio, aut ad actiones illas, quae a charitate proueniunt, ignauia et neglectus.¹³⁷ Praeceptorum itaque Dei obseruatores hi sunt, qui se Deum cognoscere, diligere, ac uti patrem timere, et uenerari, quemadmo-

¹³³ A Dei ignoratione cuncta emergunt mala. (All other evils emerge from ignorance of God.)

¹³⁴ Nosse pro amare positum a Ioanne. ('To know is to love' has been set down by John.) [I John 4.16]

¹³⁵ Impossibile est, ut Deum quis diligat, si praecepta eius contemnit. (It is impossible that someone love God if he scorns his precepts.)

¹³⁶ Hypocritarum mos ac uita nepae comparatur. (The behavior of hypocrites and the life of a crab are compared.)

¹³⁷ Difficillimum est errores in anima Dei charitate accensa, residere posse. (In a soul inflamed by the love of God, it is extremely difficult for errors/ deceptions to be able to reside.)

{1555 p. 302}

-dum prae se ferunt, ita pro tutando Dei honore ac religione, parati semper sunt ad quaeuis subeunda tormenta, et cruciatus. Nec mirum quidem, nam Christi spiritu imbuti, christiformes quodammodo efficiuntur, \28.a\ hoc est ad contumelias, ad iniurias, ad sanguinis una cum uitae iactura effusionem pro Patris gloria paratissimi.¹³⁸ Quare non semel Christus suam uocat crucem Patris gloriam, et claritatem.¹³⁹ In morte quippe Christi incomprehensibilem in modum aucta fuit Dei religio et cultus.¹⁴⁰ Qui apud nos etiam a Dei charitate deliniatur, perficiendus tamen in Christo, cum Deus erit omnia in omnibus, destructaque lege peccati, quae spiritui aduersatur, liberi cum domino semper erimus. Ibi, o domine, in lumine tuo uidebimus lumen, qui nunc Andabatarum more cum oculatissimis hostibus congredi non ueremur. Ut enim absque armis, clausisque oculis in arenam, ubi te pugiles armati ad pugnam prouocant, descendere haud tutum est: sic Dei armatura, quam fidei laminis intertextam, atque uncinis affectuum, qui a coelestium rerum cognitione prodeunt, munitam esse oportet, te exutum, exoculatumque, ad luctam spiritualem accedere, periculosissimus est ausus, et qui facile risum spectatoribus mouere possit.¹⁴¹ At longum magis fortasse quam institueramus, de notitia, quae de Deo in obtemperando illius praeceptionibus haberi potest, atque per coniecturas deprehendi, sermonem fecimus. Id consulto egimus, quo haud ignorent imperitiores in diuinis, quam facile ab intemperata de nobis existimatione deludamur, fingamusque nescio quas in nobis uirtutum formas, uanas illas omnino, et quae uitia potius dici queant, quam uirtutes. Nam ut diximus, error is est propemodum uniuersalis, et qui ex his etiam permultos, qui religiosiores uulgo apparent \28.b\ inuoluat.

Adeo tenax est gluten propriae excellentiae persuasio, qua infecti plerique uix an sit Deus uere

{1555 p. 303}

norunt.¹⁴² A Dei quippe notione eo longius seiuncti sunt, quo propius sibi adhaerent, se amant, seque esse aliquid ob literas, atque ob seruatos praefixos quosdam sibi ritus opinantur, omissis interim grauioribus, magisque necessariis.

Ad illos, credo, pertinet mansuetissimi seruatoris et magistri seuerum illud Vae, apud Matthaeum Vae uobis, inquit, pharisaei tristes, qui decimatis mentham, et anetum, et cyminum, et dimittitis quae grauiora sunt legis.¹⁴³ Laudo literas, laudo cerimonias,

¹³⁸ Quid sit Christiformes fieri. (What it is to be made Christ-like.)

¹³⁹ Crux CHRISTI fuit Patris gloria. (The glory of the Father was the cross of Christ.)

¹⁴⁰ Crux CHRISTI in quibus rebus versetur. (In what matters the cross of Christ is occupied.)

¹⁴¹ Absque armis fidei ad pugnam descendere cum hoste fortissimo, haud tutum est. (It is hardly safe to descend into battle against an extremely strong enemy without the arms of faith.)

¹⁴² Gluten tenax est propriae existimationis opinio. (The belief in one's own opinions is a tenacious bond.)

¹⁴³ Quaecumque agunt homines in exercitio religionis, merum cyminum est et anetum absque charitate. (Whatever men do in the practice of religion, without caritas/ love, is mere dill and cumin.)

bonosque mores, ac, si placet, assiduum orationum meditationumque probo usum et exercitationem. Imo huiusmodi omnia adeo non improbo, ut ea etiam necessaria esse in academia spiritus dicam.

Verum absque dilectionis mutuae ornamento ea prorsus merum cyminum esse, et anetum, et si quid uilius in hortis seri potest, assero, clamoque cum Sene nostro sanctissimo: In hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit se nosse eum, et mandata eius non custodit, mendax est, et in eo ueritas non est.

2.5. Qui autem seruat uerbum eius, uere in hoc charitas Dei perfecta est.

Obserua sacrosancti huius Theologi doctrinam, qui a Dei cognitione charitatem adeo non separat, ut unum penitus uelit esse Spiritus sancti donum. Caeterum notio illa de Deo, quam in philosophis fuisse legimus, quamque nonnulli ex his etiam, qui in religione haud mediocre sibi nomen compararunt, se habere iactitant, absque diuinorum \29.a\ gustu, notio quidem est, at non illa, quam modo cognitionem, modo charitatem Dei appellat Ioannes.¹⁴⁴ Quae charitas nihil aliud est, quam fax quaedam accensa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, qua in Deum per amorem, puramque cognitionem, atque ad diuinas percipiendas immissio-

{1555 p. 304}

-nes desiderium mouemur.¹⁴⁵ Qui enim tam praeclaro affectus est motu, atque ustus igne a mundanarum statim rerum amore se abdicat, seque superans non solum illatas sibi iniurias fert toleranter, uerumetiam pro inferentibus Deum ipsum deprecans, it laetus a conspectu mundi quod dignus sit habitus pro nomine IESU contumelias pati, hoc est, crucem ferre.¹⁴⁶ Modo quidem Dei nomen illustretur, nihil tam arduum est atque difficile, quod non amplecti audeat. Quicquid conditum est, ad Dei gloriam tum amat, tum (mirares) uel propriam ipsam odit animam, et ut Christum lucrifaciat, aequae ac stercus ducit: tantum abest, ut Dei mandata non sint illi dulciora super mel et fauam: laeteturque super eloquia domini, sicut qui inuenit spolia multa. Non sane illum praeterit ex uerbi Dei notitia atque obseruatione ut asserit Ioannes, quale sit diuinae charitatis pondus in unaquaque anima comprehendi posse: quorum quidem mandatorum finis ipsa est charitas, hoc est, mundi contemptus, nostri odium, atque ampla ad omnes, siue hostes sint, siue amici, dilectio.¹⁴⁷ Haec iubet Christus, haec a suis maxime deposcit, haec adeo necessaria esse

¹⁴⁴ Charitas Dei atque illius notio tota est alienis in commodis. (The love of God and the whole notion of that is in regard to the benefits of others.)

¹⁴⁵ Charitatis definitio et effectus. (The definition and effect of caritas.)

¹⁴⁶ Nihil aliud est contumelias pro CHRISTO pati, quam crucem ferre. (To suffer insults on behalf of Christ is nothing other than to bear the cross.)

¹⁴⁷ Quomodo finis mandatorum Dei sit charitas. (In what way the goal of God's commandments is love.)

definit, ut his neglectis nullum ad regnum Dei patere uelit aditum. Qui enim seruat uerbum Dei, seruat uerbum \29.b\ uitae, Verbum quo anima instructa fit unus cum Deo spiritus, uiuitque in eo magis, quam in sese: unde quaecunque agere libuerit, ea omnia ad Dei refert gloriam, et proximi commodum.

Non inflatur, non agit fraudulenter, non malum pro malo reddit, non quaerit quae sua sunt, sed quae aliorum. Videsne modo animae illius excellentiam quae uiam mandatorum Dei felicissime percurrit, ubi per amorem, atque ad diuina studium dilatatur cor eius? Donum id Dei est omnium praeclarissimum, obuium his solum, qui sunt eius: nam caeteri lucem istiusmodi oblatam perinde refugiunt, et ut rem penitus incogni-

{1555 p. 305}

-tam auersantur, ac solent amentes uisa auri massa in itinere, aut sus inspecto amaraco. Dei enim infensi cum sint, atque ultro ad pietatem ferrei, quid succi spiritus a tam duris mentibus prodire posse existimas? Proinde quicquid agunt, ferum est, durum, immite, uarium, exitiale. Quod si quid tamen lenius datur cernere, id totum lascium est, effoeminatum, languidum, ac mundo deditum.

Quare ad minimam uel aeris sereni iniuriam, aut leuem morbum, aut tantillam mortis memoriam, non secus pauent ac contremiscunt, atque alii in grauissimis et certis assolent periculis. hi nempe ulla absque notitia, quae uera notitia sit, illorum, quae iussit Deus, a Dei \30.a\ dilectione et charitate, cuius uirtute atque ope suaue fit iugum Christi, ita horrent, ut nihil in eis uideri queat, quod impietatis non sit plenum, atque futurae damnationis signum.

Danda est itaque opera nobis, qui credimus, quique in amoris exercitatione ac studio uersantes, nihil Christi dilectioni, praeferimus, ut si suum in nobis effectum, tum baptismum, tum caetera sacramenta, et ritus illos ac mores, quibus fulcitur religio, tum Christi maxime meritum, habere expetimus, a diuinis praeceptionibus ne digitum quidem recedamus. Alioquin illis omissis haec adeo non proderunt, ut etiam formidabilia futura sint, et mortifera.¹⁴⁸ Ergo

2.5. In hoc scimus, quoniam in ipso sumus.

Siquidem per amoris funem ita Christo conglutinamur, ut unum prorsus censeatur corpus et sponsi et sponsae. Ad haec, nonne Christus amor est? nonne charitas?¹⁴⁹ et qui manet in charitate nonne iuxta doctrinam spiritus in Deo manet, et Deus in eo? En quid pariat Dei uerbi custodia, atque ad seruandas illius praeceptiones sollicitudo, Dei scilicet cum anima coniunctionem.¹⁵⁰ Imo Deus

{1555 p. 306}

¹⁴⁸ Baptismus et caetera sacramenta quibus exitio sunt. (For whose fate are baptism and the other sacraments.)* [Note: What does *exitio* mean here?]

¹⁴⁹ CHRISTUS amor est, et charitas. (Christ is love and caritas.)

¹⁵⁰ Ex Dei uerbi custodia fit unum cum Deo anima. (As a result of the keeping of God's word, the soul becomes one with God.)

ipse mysterio ineffabili fit animae statio, fit incendium, fit uita, fit omne bonum. Et certe,

2.6. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, et ipse ambulare.

Charitas quidem nunquam ociatur, nihilque eorum, quae nouit esse grata ei quem amat, omittit.¹⁵¹ Hoc sane experimento uere nouimus, nos ad illius pertinere corpus, atque illius hausisse spiritum, quo opifice fax illa in nobis accenditur, et flamma, de qua diximus Dei charitatem oriri. Parum quidem esset nos Christum ore profiteri, factis uero in illius obsequio tepescere. Non, opinor, professio istiusmodi uerum Christi discipulum facit, sed imitatio.¹⁵² Nam qui se in Christo esse, per eumque salutem sibi apportatam iactitat, \30.b\ illius debet etiam uestigia obseruare, atque illis ipsis incedere. Vixitne ille sibi duntaxat, ut tu, an caeteris? Sibine tantum est mortuus, an nobis?

Atqui neque sibi uixit, neque interiit tantus dominus: sed se nobis totum impendens, totus noster tum uiuus tum mortuus factus est: nostramque non detrectans miseriam, uilissimum se omnium, quo nos beatos redderet, effecit. Putasne conuitia suis seruis dominum pro conuitiis congegessisse? Ita quidem non congegessit, ut etiam pro his, qui probra irrogarent, Patrem deprecaretur. O normam certe uiuendi huius mundi sapientibus incognitam. Iam in tam altum descensum est improbitatis barathrum, ut uix inuenias, qui hos amoris stimulos animaduertat. Aurea profecto nostra haec esset aetas, si re perinde ipsa homines praestarent, ut uerbis praedicant. Quid non de fide, fiduciaque in Deo per Christum collocanda docent uel ipsae mulierculae? Iam iustificationis originem et meritum ab omnibus uulgo hominibus, si otium tibi est audiendi, audies definiri. obmutescunt pene doctiores. Verum, cum manus ad sti-

{1555 p. 307}

-uam admouendae sunt, emerseritque opus aliquod praeclarum, quod dandum sit uirtutis nostrae specimen, quamue solícite et robuste Dei opera, quae nostri omnino neglectu perficiuntur, nauanda sint, ostendendum, frigent omnes: nihilque non amori proprio, summa cum iniuria rei cognitae, postponunt. Hi quidem, ut inquit Christus, ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Censesne id genus homines iisdem illis, quibus Christus, quem in se habere somniant, incedere uestigiis an propriis \31.a\ nempe uariis, fluxis, suique dissimillimis, atque ad interitum properantibus?

Vestigium ad uitam fuit crux Christi praecipuum, qua erecta, et conspicua cunctis facta mortalibus, iam inde arcana illa prodiit doctrina, qua omnibus Christi sectatoribus ostensum fuit, neminem ad Patris regnum ascisci posse, nisi eius filio, quem caput electorum esse uoluit, per passionis prius ignominiam ultro copuletur, affixisque cruci illius affectibus omnibus noxiis, et concupiscentiis, recta in Deum per amorem, rerumque humanarum despectionem (addo et sui odium) proficiscatur, uiuatque Deo, peccato defunctus.¹⁵³ Quotus igitur quisque est ex illis praesertim, qui sibi nimium adblandiuntur,

¹⁵¹ Charitas nunquam otatur. (Love is never idle.)

¹⁵² CHRISTI professio non christianum facit, sed imitatio. (A profession of Christ does not make one a Christian, but rather an imitation [of Christ does].)

¹⁵³ CHRISTUS caput electorum a Patre ordinatus. (Christ is ordained by the Father to be

et placent ob uisam lucem, qui huiusmodi sentiat crucis affectus, acutissimos quidem illos, atque usque ad diuisionem spiritus et animae penetrantes? Dic sodes, putasne uitam eam similem esse uitae Christi, in qua stupra, usuras, dolos in contractibus, in testamentis, in mercimoniis, in qua homicidia, uel quae ferro, uel quae ueneno, uel quae odio et oblocutione perpetrantur, commisceri uides? Eane, quae fastu intolerabili atque ambitione et auaritia armata, nihil tam sanctum est, ac iustum, quod non confundat, et pro adipiscendo magistratu aliquo, aut diuitiis, aut scorto non peruertat? Oblitus enim quis semel Dei creatoris sui, necesse est, ut et omnem

{1555 p. 308}

bene uiuendi rationem abiiciat, cunctaque praeferat creata creatori, ac neget Christum, quem tamen se assecutum arbitratur tum, cum se bonum esse effingit, speratque sibi Deum ob suas quasdam insulas, et \31.b\ sine fide, et charitate, uix ui actas operationes deberi. Vita haec est incauta omnino, et quae Deum magis irritat, quam placat. Visne igitur Christum sequi, ac uiuum illius corporis censeris membrum? quicquid agis, aut cogitas, id totum ad illius honorem et age et cogita.

Qui sic agit pius est, castus, lenis, patiens, comis, non sibi uiuens soli, sed caeteris potissimum¹⁵⁴: non reddit malum pro malo, non maledictum pro maledicto, non pro dente (id quondam duris permissum fuit Iudaeis) dentem excutit: si quid etiam commune cum aliis tractandum erit, illorum potius, quam suum spectat commodum: omnes in Christo, et per Christum amat: honores oblatos nihili pendit, non quaerit fugientes, ut nunc fit, illosque sectatoris horrentes indignitatem haud inhiat.¹⁵⁵

Et demum qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum uitiis et concupiscentiis. Qui uero non sunt eius, carnem suam fouent, hoc est, uitia nutriunt, ac mundum Deo praeferunt. Ergo qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, et ipse ambulare.¹⁵⁶

2.7. Charissimi non mandatum nouum scribo uobis, sed mandatum uetus, quod habuistis ab initio. Mandatum uetus est uerbum, quod audistis.

Dicturus enim Ioannes, qui odit fratrem suum, in tenebris est, et tenebrae obcaecauerunt oculos eius, ne ab Euangelii suauitate, offensi uoce tenebrarum, uel eo maxime, quod in lege Mosis legerant, odio habebis inimicum tuum: ne inquam his, atque id genus aliis au-

{1555 p. 309}

-ditis ab incoepa iam spiritus doctrina resilirent, eorum \32.a\ praeoccupat dubitationem, appellatque praeceptum charitatis praeceptum uetus, utpote a Mose, atque a Prophetis Dei nomine celebratum.¹⁵⁷

the head of the chosen.)

¹⁵⁴ Effigies vitae christianae. (An image of Christian life.)

¹⁵⁵ Norma brevis sequendi CHRISTUM. (A brief rule for following Christ.)

¹⁵⁶ Facies illius atque effigies, qui CHRISTI formis effectus sit. (The appearance and image of one who has been made Christ-like.)

¹⁵⁷ Praeceptum charitatis uetus est. (The precept of love is ancient.)

Condito statim uniuerso mandatum de diligendo tum Deo, tum proximo (ea erat naturae lex) insculptum fuit mortalium animis, exaratum postea literis a Mose, per Christum uero declaratum, atque, ut res summe necessaria, praeceptum, et promulgatum. Quid? adeo benignissimo placuit Domino, ut nedum illud iam hominum moribus antiquatum instaurauerit, sed et suum esse peculiariter uoluerit.

Hoc, inquit, est praeceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. Vide quomodo Christus suam uocat institutionem amoris copulam, nexumque illum, quo astricti homines inuicem, nihil proximi commodis anteponeere debeant, quemadmodum non anteposuit ipse Dei filius, qui propriam, ut ita loquar, deuouens uitam, non tam pro amicis, ac sibi necessitudine coniunctis mortem obiit calamitosam, quam pro hostibus [sic, hostibus], et his quidem sceleratissimis, ac poena dignis. Haec uis ea est amoris, quam, ut altius nostris insideat animis, suum proprium uocat mandatum.¹⁵⁸ Siquidem quod uerbis commendauit, id re ipsa primus praestitit.

Non quidem ea uixit uitae ratione dominus atque uniuersalis omnium pastor, qua nostri uiuunt interdum proceres et pastores, qui ut plurimum in delitiis lasciuiantes, uitae aliis duritatem praedicant, nihilque tam solícite peruestigant, quam quomodo posthabitis uel necessariis subditorum commodis, nihil sibi desit ad luxum et libidinem. Hi certe dilectionis mandatum neque pro nouo habent, neque pro ueteri: sed \32.b\ uti rem mundo insolitam non norunt, miranturque si qui sint, qui eo affecti spiritu, nihil omnino Dei charitati anteponant. Nostra, inquit, curemus, alii ut possunt. Pa-

{1555 p. 310}

-storesne istos appellabimus, an mercenarios? Sint enim uero etiam pastores: sed uideant, num in se illud Dei conueniat apud Hieremiam encomium: Pastores, inquit, multi demoliti sunt uineam meam, conculcauerunt partem meam. Caeterum uinea domini illius sunt electi, pars uero Dei propria illius est ad omnes charitas, quam, ut diximus, suum peculiare uoluit esse mandatum, quod modo uetus, modo nouum, non absque summa ratione appellat Ioannes.¹⁵⁹

2.8. Iterum, ait, mandatum nouum scribo uobis.

Vetus quidem, quoniam a primogenia rerum origine, ut praefati sumus, datum fuit. Nouum autem iccirco, quia mortalium incogitantia et malitia exoletum, peneque oblitteratum, per Christum instauratum fuerit, atque adeo innouatum, ut suo ipse exemplo ostenderit commoda nostra omnia proximorum commodis postponenda esse, uitamque pro illorum salute effundendam, qui periculis tum animae tum corporis expositi, nostro indigerent officio, atque implorarent auxilium.¹⁶⁰ Sintne hi hostes, an amici, haud multum refert, modo diuinis oculis nostra, quae a dilectione ea, qua omnia ad Dei charitatem referimus, probentur opera. Nam quemadmodum in ipso sumus, uiuimus, et mouemur, ita

¹⁵⁸ Altius insident **anim**o, quae fuerint saepius repetita. (Those things which are repeated more often, will penetrate the soul more profoundly.) See p. 343.

¹⁵⁹ Vineam domini qualis. (Of what sort are the vines of the lord.)

¹⁶⁰ Charitatis mandatum quomodo nouum sit. (In what way the commandment of love is new.)

quidquid sumus, quidquid uiuimus, quidquid a suo sancto moti spiritu operamur, id totum diuino amori offerendum erit, comburendumque super altare holocausti prospectans ad orientem, qui Christus \33.a\ est, sol utique iustitiae, ac lampas illa et fax, qua deflagrantes animae nihil amant, quod totum igneum, totum lucidum, totum uerum, diuinumque omnino, et beatum non sit.¹⁶¹ Unde sequitur:

2.8. Quod uerum est, et in ipso, et in uobis

{1555 p. 311}

quia tenebrae transierunt, et uerum lumen iam lucet.

Notant in superioribus nonnulli, quo dilucidior fiat litera, non, Iterum, legendum esse, sed Rursus: aut, quod etiam clarius erit, Contra. Ut simulac dixerat, Mandatum uetus est uerbum quod audistis, mox uocem contrarietatis, non iterationis intulerit. Graeca tamen uox utrunque sonat. Item, Quod uerum est et in ipso: illud, et, redundat: nec Quod, ad mandatum referri uolunt: quanquam nihil sententiae Ioannis (ut mea est opinio) utrum, Quod, neutrum, aut ui uocis Graecae foemininum facias, officit. Sic itaque illi, qui Quod, absolutum legunt, hanc literam subdubiam alioquin et obscuram interpretantur. Principio quidem primum, Et, expungunt: dein secundum pro Etiam exponunt, ut ea sit litera: Quod uerum est in ipso, etiam in uobis, subaudi, uerum est: atque hunc sensum reddunt. Quod in se uerum est, id scilicet, quod tenebrae transierunt, et uerum iam lucet lumen, in uobis etiam uerum est. Nam sicut fugatis a mundo peccati tenebris per Christi aduentum, lux fidei, diuinorumque cognitio, quod maximum est lumen, iam apparuit, ita expulsa errorum caligine ac nube, iam gratiae lumen illuxit uobis. Frustra, inquit, in uobis non fuit Christi aduentus: sed quemadmodum is lux est uniuersalis, sic aptam in uobis ad amplexandam lucem, quam ipse

\33.b\ impartitur animae, materiam reperit. Verum igitur illud in se est, lumen disiectis tenebris apparuisse in mundo. Verum item et illud, uos abiectis erroribus ac peccatis, quae immensis offunduntur tenebris, illustratos esse. Iam uero illorum, qui, Quod, ad mandatum referunt, is esto sensus: Mandatum id nouum, quod ab initio quoque mortalium inditum fuit animis, in ipso Deo, qui summa est ueritas, uerum est. Proinde a uobis recipi debet, atque

{1555 p. 312}

animo figi, ut pote qui illius ueritatis expertes minime estis. Verissima certe fuit haec iussio in Christo, et sancta: non ficta, aut (ut omnia fere sunt hypocritarum) impura. Quonam pacto quaeso? quia quod iussit praestitit: en ueritas in Chisto [sic, Christo]. At uerum istuc interim non erat in uobis mandatum, cum odiis obfuscati, conuitia conuitiis pensabatis, par parique a uobis in compensandis iniuriis referebatur. Nunc autem uerum et in uobis

¹⁶¹ Altare holocausti typus fuit CHRISTI in lege veteri. (A type of Christ was burnt as an offering in the Old Testament.)*

factum est, sed non ex uobis, uerum ex diuinae lucis beneficio, qua in cordibus uestris per Christi spiritum effusa, iam quid a suis in causa amoris requirat Deus edocti estis: id nempe, ut bonos omnes in Christo, ac per Christum diligatis: prauos uero ob Christum, id est, ut conuertantur ad Christum.

Ea itaque tota uidetur esse ratio dilectionis mutuae inter Christianos. Qui secus amant, humano ducuntur affectu, natura plerunque sordido, et instabili.¹⁶² Maxima propterea adhibenda est cura, ne tam diuina in homine portio ac flamma, ut est amor, ui alterius ignis atque ardoris, qui ab effraenatis concupiscentiarum ictibus solet excuti, suffocetur: curandumque \34.a\ ne auri amor, aut scorti, aut affinium, aut propriae existimationis, Christi amorem in nobis extinguat.

Nam sicut nullo alio animae affectu tam suauiter delectatur Deus, ut casti amoris et puri: sic contra, nullo alio magis offenditur, quam impuri et libidinosi, Ab amore dein turpi atque odio aequae animae offunduntur tenebrae: hoc est, qui odit proximum, aut qui illum amat intemperanter, is absque Deo est: quem lucem esse aeternam, et lumen uitae hi experiuntur, qui ab omni odiorum genere abhorrentes, Deum propter se, homines uero in Deo tum amant, tum iuuant obsequiis, etiam non requisiti. Hos quidem non praeterit transiisse iam tenebras, quas secum fert odium, et illuxisse uerum lumen, quod amor: uerum

{1555 p. 313}

2.9. Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.

Non possum, fateor, non interdum complurium deflere ignorantiam, et uanam de se persuasionem: qui tametsi Dei pietatem ac cultum, qui sanctis ornari solet actionibus prae se ferre uidentur¹⁶³: inimicitias tamen odiorum plenissimas, etiam in immeritos exercent. Unde, oro, tantus stupor mentis? unde tanta obliuio? satius sane esset, minusque religioni incommodum, filios hosce tectos aperto, ut aiunt, marte congrredi uidere, (tunc spes reconciliationis esset aliqua) quam talem enutrire fucum, atque irreparabilem propter odiorum pertinaciam, dissidiorum pestem. Errorne is est incognitus, an pertinax in malis potius deliberatio? utrunque foedum. Verum quae a deliberato proficiscuntur animo peccata, et foediora sunt, et capitaliora.¹⁶⁴ Quanquam neque error dici potest \34.b\ lapsus ille, in quem sponte sua quis labitur, ut fere illis, quos nuper memorauì, contingere suspicor. Siquidem frequens illorum ad ecclesiam accessus, frequens lectio, frequens eleemosynarum usus, atque cum probioribus consuetudo et conuictus, non mediocrem arguunt futurae uitae cognitionem et fidem. Sed cum de odio, et offensis acceptis fit mentio, non est scelus, quod non amplectantur miseri, modo suos uideant hostes incommodo aliquo uitae, aut fortunarum, aut famae affici. Adeo quicquid candoris attulit

¹⁶² Vera dilectionis mutuae ratio. (The true reason for mutual delight.)

¹⁶³ Pietatis cultus bonis ornatur operationibus. (The cultivation of piety is adorned by good works.)

¹⁶⁴ Peccata, quae a deliberato proficiscuntur **animo** capitaliora sunt, quam quae **secus**. (Sins which proceed from a resolute soul are more deadly than those [which proceed] otherwise.)

pristina lux, sequens obfuscauit caligo, et nox. Non est tam sanctum opus, quod tenebrosum non reddat odium et simultas.¹⁶⁵ Quod eo libentius inculco, quod uideam in id mali genus etiam illos labi interdum, qui speciali religione se Deum possidere opinantur. errant toto coelo. Unde hi patienter, non oscitanter, ut solent tritiora, quae ad Corinthios scripsit Apostolus, audiant, deque se dici existi-

{1555 p. 314}

-ment: Si, inquit, habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. De fide tantummodo testimonium, aliis omissis, huc affero: siquidem de fide neutiquam uulgari, atque inter homines consueta, sed integra et perfecta Paulum concionatum esse doctiores scribunt. Quod in euangeliis (ait Genadius) maximum esse dominus asserit, scilicet montes per fidem transferre, id sine charitate nihil esse uult Paulus. Idem ferme Origenes, caeterique ex Graecis. Quare si frustra illa est fides, quae fere Dei aequat potentiam,¹⁶⁶ absque charitate, quid erunt ieiunia? quid eleemosynae? quid orationes? quid uigiliae? quid decor ille rituum ac cerimoniarum, quo mirabilem in \35.a\ modum Dei ornatur religio, proderit?¹⁶⁷

Nihil sum, ait Paulus, absente charitate, et nos aliquid esse gloriamur? Nos caecos, atque incogitantes, qui ultro in meridie parum uidemus. Fatendum igitur erit, eum ipsum hominem, qui fratrem suum odio habet, in tenebris uersari, hoc est, absque Deo esse,¹⁶⁸ atque illo incedere tramite, quo itur ad mortem, quantumuis sit ille sanctus, et ad tertium usque coelum ascitus, miraculisque conspicuus, et admirandus. Contra uero,

2.10. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est.

Qui fratrem suum diligit, is proculdubio non errat, aut aliquo impingit, quoniam in luce ambulat. Offendit enim in saxum (en scandalum) aut aliud simile, qui in tenebris graditur, non item qui in luce. Caeterum, ut iam diximus, Deus est animae lux, Separatio autem a Deo, quam potissimum ab odio prodire ducimus, caligo est densissima. Iccirco non est lumen, non solis fulgor et radius cum illo comparandus, quo is, qui in proximi dilectione perseuerat, illustratur.

{1555 p. 315}

¹⁶⁵ Non est tam sanctum opus, quod non deturpet odium. (No work is so holy that hate does not defile it.)

¹⁶⁶ Frustra fiunt omnia absque fide. (Without faith all is for nought.)

¹⁶⁷ Cerimoniis ornatur religio, modo adsit charitas. (Religion is adorned by ceremonies only if love is present.)

¹⁶⁸ Qui fratrem suum odit, in tenebris uersatur, et est absque Deo. (He who hates his brother dwells in shadows and is without God.)

2.11. Qui autem odit fratrem suum in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat: quia tenebrae obcaecauerunt oculos eius.

Haud dici facile potest, quantum is subeat periculorum, qui odit alium. Et ut nihil aliud periculosius sit, illud mihi periculosissimum uidetur, cum solitudinem aliquam quis pererrans, aut labyrinthum, (quo alio nomine uitam hanc bonis infensam appellabimus?) amittit semitam, seu nescit, ut inquit senex noster, quo eat. Ita anima ob fratris odium obcaecata, Christum \35.b\ amittit, qui uia certa est errantibus per inhospitam uitae huius eremum ad patriam: amisso uero Christo, qui non semel se mundi lucem esse asseruit, quomodo inextricabiles ac dubios uitae anfractus et maeandros tuti superabimus?¹⁶⁹ Ergo Christus non solum uia est ad Patrem, uerumetiam uiae lumen ac fax, qua accensa in nobis recta incedimus: extincta uero nostra culpa, erramus attoniti ac uorticosi.

Obseruastine unquam illius faciem ac mores, qui odio in quempiam elatus pene amens fit ac furiosus? Quantus in uultu liuor, quanta uecordia, quanta cum impudentia iuncta inquietudo, deformitas, atque ad ea quae agenda sunt, obliuio et stupiditas. Quam misere distorquentur qui tales sunt, quam crudeliter.¹⁷⁰ Adeo enim ab irrequieto uexantur odiorum oestro nonnulli ac furia, ut pene illud tragicum ad illos pertinere dicerem, nisi me nota baptismi sacrosancta deterreret. Id Dei iudicium esto: nos tantum quae de illis timemus, proferamus.

Audi igitur quid ille uidit admirabundus: Hem, inquit, ut liuidam liuidus adipem depascit dipsas: Ut foeda foedus prester exhaurit exta: Ut furit in oculis cerastes: ut in impexum debacchatur ca-

{1555 p. 316}

-put haemorrhoids: Ut sordidam tabo frontem lambunt colubri: Ut uiperis horrent crines, longaque torta sibilat cauda draco. Nihil sane ad deliniandam odiosorum faciem addi posset, illorum praesertim, quibus indiuidui dati sunt comites liuor et ambitio. His tamen, ut pote a Christi academia explosis et reiectis, penitus omissis, ad explanandam, gustandamque sanctissimi uiri doctrinam, \36.a\ uertamus stylum. Tantum illud oro, ab eisque obnixe efflagito, ut dicti illius haudquaquam immemores: Qui odit fratrem suum, homicida est: suum aliquando deformem inspectent animum, paueantque a iudicio illo extremo, inexorabilique Dei omnipotentis irati. Sed scribam audiamus Spiritus sancti:

2.12. Scribo uobis filioli, quoniam remittuntur uobis peccata propter nomen eius.

2.13. Scribo uobis Patres quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scribo uobis adolescentes, quoniam uicistis malignum.

2.14. Scribo uobis infantes, quoniam cognouistis Patrem. Scripsi uobis Patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scribo uobis iuuenes, quoniam

¹⁶⁹ CHRISTUM amittit, qui fratrem odit. (He who hates his brother loses Christ.)

¹⁷⁰ Descriptio morum illius, qui odio in alium elatus, fit pene amens. (Descriptio of the behavior of that one who, raised up in hate for another, becomes almost demented.)

fortes estis, et uerbum Dei manet in uobis, et uicistis malignum.

Iam uniuersos, qui nomen per baptismum atque Euangelii doctrinam Christo dederant, commonefacit: hosque omnes in exordio statim admonitionis, quo paterni sui affectus, ac laboris assidue recordentur, filiolos appellat. Dein singulorum aetatem accersens, eam, quae uniuscuiusque aetati conueniens magis uisa est, suppeditat doctrinam: laudatque illorum fidem, atque erga Chris-

{1555 p. 317}

-tum dilectionem et notitiam. Illud uero non me mouet, neque, quo minus huius apostoli sensum peruestigem, et ut assequar contendam, remoratur, quod multus sit in repetendis sententiis, aut iterandis uerbis ueluti, ut nonnullos offendi uideo, ex sermone proximo exceptis.¹⁷¹

Quid obsecro, ab ore illo sapientissimo, quod ab ipsa edoctum fuit sapientia, prodire aut debuit, aut potuit, quod multum, superfluum, seu temere iteratum \36.b\ atque inconsulto dictum, uocari debeat?

Sexcenta credo, si scripta essent Euangelia, atque ea quidem totidem repetita, non iccirco tamen adeo diligenter audirent homines, et intente, quin aliis iterum opus esset praeceptionibus ac monitis, non sane culpa solis, qui uniuersalis cum sit lampas, infinitis, si daretur, sufficeret mundi machinis, sed hominum oscitantiae, atque ad ea, quae sciri debent, obliuionis. Oro, num quia propalata Euangelii pace, atque per Christum reconciliatione cum Deo diulgataa, nihil aliud in Ecclesia iam edocetur, quam gratis seruari homines per fidem, apertos esse coelos, ac regnum Dei uel ipsis patere Dei hostibus, ac rebellibus, modo lumen oblatum respicientiae non auersentur: num, inquam, ob tot inuulgata, quotidieque iterata Dei beneficia cessatum est a uitae fastu et superbia? num ab usuris? ab oppressionibus? ab odia? a laesionibus?

O nostros testudineos in uia Dei passus. Ferrei propemodum facti sumus, ac duriores quam quos repetiti hi ictus edomare possint. Miramur tamen, querimurque delicatissimi, si Deo placet, homines, si nostram ob tarditatem ea repetant sancti autores, atque ad fastidium usque, ut blatterant quidam, inculcent, quae uix semel, ac tenuiter, ut pretiosior assolet liquor ab aurea stillare fistula, prolata, satis omnibus, et qui in coelis sunt spiritus, et qui in terris agunt homines, facere debuissent, nisi nostra obstitisset duricies, atque in his quae-

{1555 p. 318}

-rendis, quae aeterna pollicentur bona, segnicies. Obserua igitur, o qui Christi spiritum hausisti, quam necessario nobis consulens suis in iterandis \37.a\ sententiis utatur ordine scriba sanctus: Scribo, inquit, uobis filioli. Vocat filiolos non solum pueros, quos instituere pariter cum caeteris intendit, uerumetiam illos, quos in sequentibus partim senes, et Patres, partim adolescentes et iuuenes, partim infantes nuncupat.

¹⁷¹ Cur Ioannes aliquibus uidetur multus in repetendis sententiis. (Why John is seen by some to repeat many a sentence.)*

hos quidem omnes ut pote in Christo sui ministerio regeneratos, tenero tanquam filios prosequatur affectu et charitate. Et primum (latenti sane mysterio) uim exprimit baptismi, cuius uirtute purgati ad tantam peruenerant innocentiam (effectus is amplius est baptismi) ut solo Christi nomine inuocato, cuius spiritu purificatae sunt aquae, gratis ulla absque poenitentia, aut pro peccatis satisfactione remissionem acceperint peccatorum.¹⁷² Remissa, inquit, ac plane abolita sunt in uobis per Christi nomen peccata. Quid gratius audiri potuit? quid salubrius? Ergo tam immensum uobis gratulor beneficium, quoniam remittuntur uobis peccata propter nomen eius. Atqui uos in primis alloquor o Patres, o pastores, gregis dominici ductores, o qui per aetatem antiqua, et quae longo annorum remota sunt interstitio a uobis, cognoscere potuistis. Id sane gaudeo, sed illud magis, quod antiquum illum dierum, nempe Christum, qui erat ab initio non ignorastis, sed plenam de illo, unde uestra exorta est salus, hausistis notionem. Nam Christum Dei esse filium cognoscere, eundemque mortalium omnium redemptorem fateri, atque proinde illi fidere, et quicquid accidat inniti, certissimum salutis pignus est, et arrhabo.¹⁷³ Et quidem magna ea est felicitas in

\37.b\ sene cui adeo integri sunt sensus ac ualetudo, ut prisca aequae ac si praesentia essent, memoria teneat, et cognoscat. Sed maxima illa et prope diuina, si Christum, qui fuit ante omne

{1555 p. 319}

tempus, nouerit, atque illius frequenter animo uoluerit beneficia. Nam Christum cognoscere, et illius ignorare beneficentiam, non cognitio quidem uocari debet, sed turpis ignoratio.¹⁷⁴ Quantumuis igitur longe in praeteritos prospiciant annos senes, mortale tamen illud est quod uident, atque caducum: Christum uero intelligere, qui aeternus est, ac notitia apprehendere incomprehensibilem, iam aliud ualetudinis genus requiritur quam sit humana, quae suapte natura decidua est et labilis. Haec enim ad moderatam corporis habitudinem ac texturam attinet, illa a Patre luminum nedum impertitur, sed etiam, ne bonis datis male utamur, conseruatur: utrumque tamen Dei munus est. Verum quod minus est, haud multis datur: quod maius et nobilius, negatur nolentibus. At in quo numero hi censendi sint senes, qui utraque carent ualetudine, uix dicere ausim, adeo aetas illa semper mihi potius fuit uenerationi, ac stupori, quam derisioni. Sed illa magis, quae haud annorum numero tantum ac diuturnitate, ut ait sapiens, computatur, sed fide in Deum integra, atque in doctrina spiritus, quae in contemplationibus uersatur, exercitata, de thesauris sciat obstrusioribus proferre et noua et uetera.¹⁷⁵

Vel saltem qui huiusmodi grauati sunt annis, et longaeui, si sobrii sunt, ueluti suum admonet Titum apostolus, si pudici, si prudentes, si sani in fide, si in \38.a\ dilectione, si in patientia ualidi, hos ut rem diuinam e coelo nobis delapsam et colo, et ueneror. Senes uero stolidos ac morosos, quique nihil aliud praeter annos sua in senectute enumerare possunt, non sic amo, sed tacite praeteriens canos in eis tantum honoro.

¹⁷² Baptismi effectus singularis. (The singular effect of baptism.)

¹⁷³ Certissimum salutis signum, quale. (A very certain sign of salvation: what it is.)

¹⁷⁴ CHRISTUM cognoscere, sed illius ignorare beneficia, ignoratio turpis est. (To know Christ but be ignorant of his kindnesses, is a disgraceful ignorance.)

¹⁷⁵ Laudabilis senectus qualis. (Praiseworthy old age, what it's like.)

Non est quidem tam delirus senex, cui suus non debeatur honos ob caniciem.¹⁷⁶ Rem pene incredibilem dicam. Est apud nos senex hoc in loco, in quo haec nunc commentor, ita obliuiosus, ut nihil penitus recordetur. Quod si tamen quidpiam enar-

{1555 p. 320}

-rare occoeperit, rem statim ipsam, locum, ordinem, obliuiscitur: rursus, si per circumlocutiones rem iam exorsam absoluere conatur, itidem ipsae excidunt circumlocutiones ita, ut nihil omnino nisi confusum, et quod risum moueat auditoribus, eloqui possit.¹⁷⁷ Erga hunc tamen sic dementem, quia senex est ac decrepitus, officiosissimi sunt loci incolae, ac pie obseruant et uenerantur hominem certe uel ob id maxime miserandum, quod praeter indicibilem hanc suam obliuionem, tam continuis exagitur pauoribus, ut quoscunque audiat strepitus, aut hospites aduentare intelligat, apparitores, aut carnifices, qui eum iugulent, aut ad magistratus pertrahant, adesse opinetur. Scribo uobis adolescentes, quoniam uicistis malignum. Instructis in superioribus senibus, ac non tam natura patribus, quam religione, atque ob sapientiam et morum grauitatem, in populis autoritate: transit ad informandam adolescentium aetatem de more fluxam, ac uariis concupiscentiarum flammis obnoxiam.¹⁷⁸

Ut enim longaeuis, conuenit prudentia, \38.b\ uitaque sanctissimis undequaque ornata moribus: quo iuuenes, caeterique e uulgo homines habeant, unde bene uiuendi rationem, tanquam a perfectissimis idaeis, sumere possint, in senili requiritur aetate: ita in primis annis illis, in quibus ardentius effraenes mouentur appetentiae, corque ad uoluptates magis quam ad uirtutes amplexandas incitatur, summa est adhibenda cautio, atque ad eneruos illos subiugandos animi motus diligentia.¹⁷⁹ Non tam quidem feruent lebetes ac ebulliunt ad flammam suspensi, neque tam ardet pertinaciter teda [sic, taeda] pinea incensa, ut ardet adolescens ociosus, ac molliter educatus.

Quam ob rem ea in primis debet esse Patribus cura et uigilantia, ut eorum filii, et hi, qui propter aetatem nondum ad obeunda munera publica idonei sunt, sed qui tamen de se nonnullam mouent expectationem, ac spem posteris, il-

{1555 p. 321}

-la informentur disciplina et rerum usu, ut nihil prorsus aut cogitare, aut agere permittantur, quod graue idem non sit, maturum, ingeniosum, quodque immensum publicae utilitatis prae se non ferat desiderium et amorem. Haec sane omnia praeterquam quod non aspernandam arguunt in puero uirtutis indolem, animum quoque indicant niueum, et syncerum. Sed alia omnino ratione condocerendi sunt ephoebi, qui coenobiis inclusi, occupationes mundi tum lenocinia refutasse se profitentur. His primum tanquam fraenum iniiciendus est Dei timor, et reuerentia: amor postea, et ad spirituales formandos conceptus omissa uanitate desiderium. Ex hac nimirum doctrina tota spiritualis fit anima, et in his meditandis, quae ad \39.a\ mundum attinent, ignara. Illi enim suos ad ciues

¹⁷⁶ Non est tam delirus senex, cui suus non debeatur honos ob caniciem. (No old man is so crazy that honor is not owed [to him] on account of his white hair.)

¹⁷⁷ Exemplum senis obliuosi. (Example of a forgetful elderly person.)

¹⁷⁸ Adolescentium vita labilis est. (The life of adolescents is labile/ unstable.)

¹⁷⁹ Quomodo alendi sunt adolescentes. (How adolescents should be reared.)

tuendos, ornandosque dignitate ac fortunis, cum opus est, edocentur: hi uero ad sui neglectum, ac mundi odium. Illi ne pedem quidem moueant, aut ne quid omnino moliantur animo, quin utile futurum suae patriae sit, imbuuntur: his ne tantilla quidem permittitur terrenarum rerum sollicitudo, sed toti in Deum accensi, nihil in mundo diligunt, nisi quod pure Deum referat.

Mortui quidem carni ac sensibus, in his tantum versantur rebus, quae animam purgant, et satiant: non deturpant, atque a prima sua origine, quae tota coelestis est, ac diuina, retrahunt. Raro enim adolescentes, hi potissimum, qui (ut diximus) uitae huius obitum profitentur in coenobiis ad laudabilem perueniunt senectutem, si a teneris, in rebus nihili occupati, nil minus edocentur, quam ut omnino spirituales sint.

Unde errant Patres, si humano obcaecati affectu, plantas adhuc rudes ac debiles ad uitae nonnunquam ueteris et annosae fulcimentum aptare adnituntur. Ex quo illud necessario contingere uidemus, quod male, ambitioseque iuuentus educata, in malum incidit senium, atque fatuum. Cu-

{1555 p. 322}

-pisme tuis in moderandis rebus senem habere sapientem? eum elige, qui sapuit [i.e. sapivit] iuuenis, a senibusque fuit enutritus sapientibus, non a feruidis et indomitis puerorum ingeniis. An putas de huiusmodi posse dici adolescente, quod uicerit malignum, an uictus cesserit maligno? id potius extremum. Siquidem contra uersutissimum ueteratorem ac peruicacem uelle armis plumeis aut uitreis ad pugna egredi, audacia quidem est, sed temeraria et \39.b\ periculosa. Armis itaque duris ac inuictis ad debellandum tam acrem aduersarium et uiolentum, ut est daemon, utendum erit. Caeterum malignum uocat diabolus, propter illius astutiam, atque ad irretiendas animas calliditatem. Cum semper sit metuendus, tum in primis illius cauendus est animus atque ars, cum se transfiguratur in angelum lucis. Quare aptissima usus est uoce Ioannes, illum appellans malignum, hoc est, dubium, uafrum, uersipellem, atque subobscurum.¹⁸⁰ Antiqui enim lucem malignam pro luce subobscura intelligebant, unde ille,

Quale sub incertam lunam sub luce maligna.

Ait igitur: Ad uos, o qui annorum molliciem, atque aetatis licentiam, animi robore, maiorumque autoritate, et cultura superastis, quique fortissimum, atque adeo imperterritum, Deo duce, uicistis hostem: hostem, inquam, illum transfugam, dolosum, pertinacem, milleque nocendi artibus instructum, et armatum, scribo: admoneoque, ut perseueranter in iam adepta duretis uictoria. Eo, quo coepistis, pergite animo, ac ui mentis. Vestrae quidem aetatis iuuenes ob id laudari, felicesque censerentur solent, quod robore corporis nullis uel plenioris aevi hominibus facile cedant. Vos beatiores, qui robore mentis neque cupiditatum illecebris, neque illarum autori dia-

{1555 p. 323}

-bolo cessistis. Sit, ut lubet, aliorum uirtus in bellorum discrimine conspicua: sit in theatris, sit in ambiguis illis cum monstris ac feris congressibus. Vos celebrius de uobis dedistis specimen, quippe qui aduersus carnem, atque latentes inimicorum insidias et

¹⁸⁰ Cur diabolus uocetur malignus. (Why the devil is called malicious.)

dolos, non minus fortes quam circumspecti fuistis. \40.a\ Vos itaque tanquam probatae uirtutis filios mea scriptione ac laude dignos ducens, haec scripsi uobis. Scribo et uobis infantes, quoniam cognouistis Patrem.

Quod notant nonnulli, ad eosdem hic scribi, quos supra filiolos appellauit: quemadmodum non improbamus, ita si quid aliud alii senserint, quod sententiam non mutet, imo locupletiores reddat, non inuiti admittimus. Id tantum cupimus, ut omni deposito supercilio, sic spiritualia tractemus, ut nos posterius honorem Dei quaesuisse iudicent, non nostram gloriam et laudem. Cohorresco, cum mihi in mentem uenit cuiusdam morientis ex nostris querela. Is enim magnae celebritatis lector, atque earum rerum, quae nunc in Dei aede non mediocri pusillorum periculo controuertuntur, ac publice disputantur, interpretis: cum uitae finem sibi adesse intelligeret, sic suum testatus est dolorem: Vae mihi, ait, qui res sacras interpretatus sum. Ego enim, qui morientium animum ac fidem pie interpretari soleo, sic dictum illud accipio, tanquam a mente haud male quidem sibi conscia profectum, sed timida, et quae purgatius forsitan, quam antea, uidisset, quantum puro animo et humili res tantas tractari oporteat.¹⁸¹ Sanctus quidem spiritus tum nostris delectatur scriptis, cum ipse solus quaeritur, cordeque humili et purgato accersitur.¹⁸² Qua de re, ut dicere incoeperamus, haud multum torqueor, si quid in hisce maxime minutiis uariant interpretes, modo suus in tractandis diuinis mysteriis non desideretur candor, ac pura fides.¹⁸³ Iam diximus uocem hanc Filioli, in superioribus credentes am-

{1555 p. 324}

-plecti posse omnes. Quod si quis \40.b\ contradicat, asseratque tum filiolos, seu pueros, tum infantes, eosdem omnino esse: cedo, cum illisque consentio, iterationem hic esse illam necessariam, de qua superius nonnulla. Tantum illud diuersum (si tamen diuersum) interpretemur, quo in primo loco est dictum, Quoniam remittuntur uobis peccata propter nomen eius[.] In secundo autem, Quoniam cognouistis Patrem. Obsecro, unde orta est peccatorum remissio? nonne a Dei cognitione? Nemo certe tam amplum unquam poterit sperare beneficium, ut est peccatorum remissio: nisi prius nouerit Deum patrem esse, et eum quidem bonum, placabilem, liberalem, potentem, et qui ardentius nostram expetat salutem, quam nosmetipsi. Hac itaque notitia et persuasione imbuta anima, in repertae lucis accenditur amorem, audetque sperare, atque illi soli fidere: quem ut potissimum nouit, sic in donis elargiendis celerem, atque ultro uolentem credit. His conceptibus purgatur anima, hoc est, abolito antiquo peccati chirographo innouatur, uiuitque in Christo, qui totius purgationis ac uitae animarum autor est, et conseruator.¹⁸⁴ Absente nanque Christo mortua est anima, praesente uero eo uiuit uitae genere, quod est

¹⁸¹ Exemplum cuiusdam interpretis scripturarum morientis. (Example/ Admonition of a certain dying interpreter of scriptures.)

¹⁸² Quando Spiritus sanctus nostris delectatur scriptis. (When the Holy Spirit is delighted by our writings.)

¹⁸³ Res sacrae quomodo tractanda sunt, at edocendae. (How holy matters are treated and taught.)

¹⁸⁴ Gradus quidam sublimis, quo purgantur animae. (A certain lofty position in which the soul is purged.)

absconditum in Deo:¹⁸⁵ cuius cognitio profundissima obtecta caligine, mundique sapientibus incognita, paruulis tantum illis, atque infantibus, quos hic audis agnouisse Patrem, detecto Mosis uultu, manifestatur.

Confitebor, inquit Christus, tibi domine Pater coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et reuelasti ea paruulis.

Tam quidem indignabunda, ut ita \41.a\ loquar, stomachatur dominus ob quorundam arrogantiam, qui cum stultissimi omnium sint, se tamen sapientissimos esse existiment, ut illa etiam, quae eum rudioribus communicare solet, eos latere uelit. Ergo illi, qui se probe norunt, quique suomet se metien-

{1555 p. 325}

-tes pede nihil altum de se sentiunt: sed uenerabundi, summissique ac trepidi, ad diuina peruestiganda mysteria accedunt, gustu illo coelesti et notitia a benignissimo donantur spiritu, qui a sapientia illa, quam Paulus sapientiam carnis appellat, exhorrescit. At tu uide, quanta tum fuerit christianorum perfectio, cum haec scriberet Ioannes. Quis id credat? uerumne potest esse, ut infantes illi, qui per aetatem terrenum et mortalem ignorant, coelestem ac immortalem cognoscant Patrem?

Scribo, ait, uobis infantes, quoniam cognouistis Patrem. Pudore plane hic suffundor, ac meam non queo, quantum sat est, detestari segnicem, et mei amorem, quo in me grassante, in tam profundum coniectum me uideo nonnunquam ignorantiae somnum, ut ne me quidem integre noscam, tantum abest, ut ad illa rimanda, gustandaque idoneus sim, quae me iccirco fugiunt, quoniam Dei sapientia non nisi demisis [sic, demissis] conceditur animis, paruulis nimirum illis, de quorum felicitate sic Deus in patres impios contestatur. Paruulos uestros, de quibus dixistis, quod praedae hostibus forent, introducam, ut uideant terram, quae uobis displicuit. Quare non frustra illa fuit domini IESU, adducto in medium discipulorum puero, comminatio: Nisi, inquit, efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis regnum Dei. Sed illud \41.b\ consolationis plenissimum in sinu gero. Puer natus est nobis. Non sibi, inquit Esaias, natus est puer, sed nobis:¹⁸⁶ nostram scilicet ut instauret ruinam, utque deliris ex senibus in sapientissimos reformet pueros, addatque innocentiam immundis, puritatem impuris: atque ut eam inserat in nobis uim spiritus, qua exutis ueteris Adae spoliis, noua conuestiamur cute: hoc est, ut serpentium more per angustas discerpti pueri nostri plagas transeuntes, uetustas deponamus exuias: et sic ephoebi facti in Christo, barbam illam horridam, mysticam, im-

{1555 p. 326}

-pexam, uatibus relinquamus memphiticis, ac gymnosophistis, nempe mundi sapientibus, ac Magis. Hi enim omnes ueterem olentes sudorem, an suauitas sit spiritus ignorant. Etenim a diuinarum rerum cognitione, quae fide maxime nititur, alieni, in his quaerendis, quae fastus suggerit ac libido, miserrime occupantur. Ad hos profecto senes non scripsit Ioannes: uerum ad eos, quos illum, qui ante rerum exordium erat, agnouisse certo sciuerat. Quapropter ea, quae antea monuerat, ne possent elabi, prudentissime repetit. Scripsi uobis

¹⁸⁵ CHRISTO praesente uivit **anima**, absente uero moritur. (When Christ is present, the soul is alive, but when he is absent, it dies.)

¹⁸⁶ Meditatio de puero IESU. (Meditation concerning the boy Jesus.)

(inquit) Patres, qui cognouistis eum, qui nec initium habet, nec finem. Scripsi uobis iuuenes, quoniam fortes estis, et uerbum Dei manet in uobis, et uicistis malignum. En telum illud tam hostibus formidabile ac mortiferum.¹⁸⁷ En armatura, qua muniti esse debent milites, qui in acie uersantur spirituali. Vicistis, inquit, malignum, quia Dei uerbum manet, perseueratque, tanquam res optime cognita, in uobis. Atqui de fide hic dici arbitrator: siquidem, ut in sequentibus definit, Haec est \42.a\ uictoria, quae uincit mundum, fides nostra: quam porro scimus ex auditu percipi, auditum autem per uerbum, quo in nobis regnante, nullus relinquatur aduersario locus. Aut regnet quidem in anima peccatum oportet, aut innocentia, qua in nobis per uerbum illud, quod erat ab initio, creata, mundi amor (unde uim sumit in nobis malignus, ex quo peccatum, unde mors, tanquam spiculum letale ac medicatum infigi solet) excluditur. Ad quem usum porro satum sit Dei uerbum in terris, edocuit Dei filius in deserto illo horrido tentatus. Alioqui certe quo confugere debeat anima a daemone lacessita, non uideo, si uerbi Dei armis exuta, cum tam astuto pugili et crudeli manum conserere cogitat. Huius sane periculi haud ignarus Moses, per uerbum domini (sic in Numeris egimus) figebat tentoria, et per uerbum illius pro-

{1555 p. 327}

-ficiscebatur. Hinc suos ad hunc modum hortabatur Colossenses apostolus: Verbum, inquit, Domini habitet in uobis abundanter: hoc est, hubertim more diuitum, et copiose. Nam diues si quam subit fortunarum iacturam, non subito, quod illi unde damnum resarciat abunde suppetit, prosternitur. Ita agunt qui uerbi Dei diuitiis affluentes, stant in acie imperterriti, nihilque minus metuunt, quam ut uicti in praelio succumbant. Spiritus quidem ensem (sic uerbum Dei nominat Paulus) quaquauersum et caesim et punctim in hostes uibrantes, pernici rotantur agilitate. Hac igitur tecti armatura feruentioris ingenii homines, ut fere sunt iuuenes, a maligno illo atque nequissimo, ut eum uocat Paulus, ueteratore, securi sunt. Vicistis, ait, malignum, quoniam \42.b\ Dei uerbum in uobis sedem posuit. Felix statio, et digna, cui Cor undequaque defaecatum praeparetur. Cogor aliquando haec mecum commentans, in illam uenire cum multis opinionem: qui asserunt, tantam nunc uitiorum errorumque calamitatem nostros occupasse animos, iccirco quod in sacrarum literarum exercitatione, unde Dei uerbum hauritur, aut ignaui sumus, aut nimium ambitiosi.¹⁸⁸ Aequae enim bene uiuendi deturpant formam, et qui ignorant, et qui superbe sciunt.¹⁸⁹ Quapropter danda est opera patribus, ut illud in primis eligatur studium a suis, quod sacrum sit, et Christum doceat. Breuis quidem est uita, et quemadmodum uanitati, sic periculis exposita est infinitis. Quid ergo tam concitum uitae spatium, in rebus, studiisque nihili conteritur, et euanescit? Christus tandem nostrum sit studium, nostra lectio, noster scribendi scopus, nostra omnis cura, negotium, amor. At scio quem finem quietemque suorum tum studiorum, tum laborum expetant plerique. O mentes interim caecas. Mundus, et is corruptissimus, excluso Christi

¹⁸⁷ Verbum Dei telum est, quo superantur daemones. (The word of God is the weapon with which devils are overcome.)

¹⁸⁸ Mala omnia in mundo nunc dominari propter ignorantiam scripturarum. (Now all evils in the world rule on account of ignorance of the scriptures.)

¹⁸⁹ Mores eorum, qui aut ignorant scripturas, aut ambiciose sciunt et docent. (The behavior of those who are either ignorant of scriptures or who understand and teach ambitiously.)

{1555 p. 328}

spiritu, uel in ipsis religioni consecratis dominatur. Iam absque ullo pudore quaeruntur dignitates: iam fraudibus, iam (malum) donis, atque hypocrisi, quod olim antiquis patribus fuit horrore, emitur. Apud Campanos monachos extant annales, in quibus illud inter caetera memorabile: dignumque quod ad posterorum exemplum in aes aut saxum incidatur, factum legimus. Cum enim in Cauensi coenobio, quod propter frequentiam monachorum ac sanctitatem, tum ob ingentem fortunarum \43.a\ uim et copiam (ex his enim mille, et eo amplius alebantur monachi) celeberrimum fuit, in demortui locum creandus esset abbas: hi, quibus electio decreta erat, quorumque intererat: ne quid dissidii oriretur, prouidere, locum antea quam ad electionem peruentum esset, ab armatis circumsederi militibus imperabant ne scilicet suffectus electioni reluctantis fugeret. Adeo sanctissimi illi uiri subesse magis, quam praeesse caeteris ambiebant.¹⁹⁰ O normam certe uel ipsis summis Pontificibus necessariam, atque Episcopis, nedum monachis: quibus illud potissimum in uotis debet esse, ut nihil animo concipiant quod mundum oleat.¹⁹¹ Surdisne canit uir sanctus, cum mundum non tam amari, ut fit a nobis, hortatur? Hunc audiamus:

2.15 Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.

Oro, nunquid eget glossis absolutissimum istuc axioma? Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quemadmodum enim a Patre, uti ab oceano quodam gratiarum immenso, uirtutum riui dimanant: ita a mundo intemperanter amato, tanquam a spurcissima ebulliunt cloaca uitiorum agmina. Non hic mundum appellat pulcherrimam hanc faciem uniuersi, cu-

{1555 p. 329}

-ius opifex est Deus: sed foedas rerum inanium cupiditates, luxumque illum contaminatissimum, ac libidinem: qua qui exhuberant, felices mundi possessores, beatique censi solent.¹⁹² si quidem res conditae amandae sunt, amor is in ipsarum effectorem refundi debet, atque in ipso, tanquam fine reperto quiescere. Nam qui in opificio sic delectatur, \43.b\ ut nihil ultra quaerendum esse existimet, is in opificem contumeliosus reputabitur. Proinde hi, qui adeo ardentem mundi res diligunt, ut Deo posthabito nihil praeter mundum se amare prae se ferant: a Dei non immerito dilectione et charitate, qui rebus omnibus est praeferendus, extorres fiunt. De his sane scribit Ioannes, non de illis, qui mirabili hac mundi fabrica tanquam gradibus quibusdam necessariis praesertim rudioribus ad Dei inuisibilia contemplanda uti solent. Quare si quid in rebus conditis

¹⁹⁰ Exemplum monachorum cavensium contra ambitionem. (Admonition of the monks of Cava [de' Tirreni] against ambition.)

¹⁹¹ Qui monachum profitetur, nihil appetere debet, quod mundum sapiat. (One who professes to be a monk should not long for anything that tastes of the world.)

¹⁹² Quid mundi nomine intelligat Ioannes. (What John understands by the term world.)

diligunt, in Deo, ac per Deum, quicquid illud est, diligunt: tantum abest, ut eorum quicquam oderint, quae creauit Altissimus.

De utraque mundi appellatione sensisse Ioannem arbitror, cum de Dei uerbo quod erat in principio apud Deum, loquens, ita scribit: Mundus per ipsum factus est.¹⁹³ En mundus a Deo conditus, opus nimirum nobilissimum et amabile. Et mundus eum non cognouit: nempe terrenarum rerum cupiditatibus affixi, atque adeo intenti, ut nihil penitus probarent, quod carnem non saperet, moreque pecudum oblectaret. Quae res igitur mollem hanc nostram naturam, planeque corruptam, a tam lasciuo atque effoeminato syrenarum cantu immunem reddet, simul ac cernimus, nostroque maximo experimur damno, et periculo, nihil aliud uitam hanc esse miseram, praeterquam struem quandam immensam malorum?¹⁹⁴

Vide quid uigilantissimus moneat episcopus: Fugite mundum o qui coelestia desideratis, fugite tenebras, fugite circa eum istuc mare uoluptatum, rabidum, sinuosum, periculo-

{1555 p. 330}

-rumque plenissimum.¹⁹⁵ Fieri nequaquam potest, ut utrique \44.a\ pariter domino seruiatur. Excidit, excidit, inquam, a Patris dilectione, qui mundum diligit. Quid ille habet, aut pollicetur, quod exitiale non sit? quodque praesentaneum non secum afferat uenenum? Non uos unquam locus quantumlibet secretus, non uos titulus religionis, non ipsa demum sacra unda baptismi a mundi amore separabit, si impurus in uobis fuerit animus, atque ab ecclesiae synceritate diuisus. Cauete, uos obsecro, a maligno. Videte canes, uidete concisionem, uidete quomodo caute tot inter mundi laqueos ambuletis.

2.16 Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia uitae, quae non est ex Patre sed ex mundo.

Iam mundi effigie ob oculos ponere decreuit Senex uenerandus. Effigiem dico illam, quam qui miratur et diligit, fit Dei hostis actutum, quia ex Patre non est, sed contra Patrem. Nos coloratius tam sordidam laruam, habitis a Scriba sancto liniamentis, depingamus.¹⁹⁶ Trifariam enim totum hoc absoluit negotium. Pars prima ad uoluptates attinet, secunda ad stemmatis ac nobilitatis ostentationem, postremam uero ad mundi gloriam, et dignitates pertinere iudico. Corporeis itaque uoluptatibus addicti, nec non uanissime absque animi bonis iactantes familiam et prosapiam, aut dignitates iniussi et non acciti usurpantes, uel (ut uerbo utar ueteri) cauponantes, ex Deo non sunt, sed mancipia mundi, mundoque uelint nolint fiunt obnoxii. Est quoddam hominum genus, etiam inter eos frequens, qui speciali cultu religionem profitentur, \44.b\ adeo, in procurandis rebus illis, quibus oblectantur sensus, et acuti et sagaces, ut nihil

¹⁹³ Duplicis mundi definitio ac forma. (Definition and form of the two-fold world.)

¹⁹⁴ Nihil aliud est uita haec praesens, quam malorum acervus. (This present life is nothing other than a pile of evils.)

¹⁹⁵ Adhortatio ad mundi fugam. (Exhortation to flight from the world.)

¹⁹⁶ Effigies mundi illius, quem in maligno esse scribit Ioannes. (An image of that world which John writes is in wickedness.)

{1555 p. 331}

quod ad satiandam gulam, aut extimulandam uenerem, aut captandum uulgi fauorem, coaceruandasque diuitias facit, omittant. Turpe illud omnino, et execrandum, quod de pingui quodam audiui archipresbytero in plebe iactari apud Samnites. Si hominem, inquiunt, quaeris, nunquam ociosa est illius uita. Quid? aut ludit, aut scortatur, aut cum lurconibus ad epulas sedet.¹⁹⁷ Huiusce quidem coloris homines mundus ut suos, ne dicam sues, complectitur, alit, ac uti lanienae destinatos boues infarcit, Pallor quidem, aut temperata tum coloris, tum habitudinis membrorum ratio, mentem arguunt sublimem in uiro honesto et graui.¹⁹⁸ Pinguedo uero ea uentris, quae non natura (quis naturae uitia insolenter carpit?) sed usu crebro artolaganorum, atque id genus esculentorum, popinarumue, et potationum, quae homini Epicuraeo magis quam Christiano conueniunt, uiuarium quoddam est libidinum, atque ad nefandissimum quenque concubitum et molliciem: incitamentum.

Diuus Augustinus de carnis concupiscentia sic scribit: Concupiscentia, seu desiderium carnis, non modo libidinis et rei uenerae, sed omnium quae ad carnem pertinent immoderatus et illicitus usus est, siue cibi, siue potus, siue lusus. Caeterum ita ex Graeco legimus: Quicquid in mundo est, hoc est, quicquid appetunt carnales homines, libido scilicet carnis, libido oculorum, et insolentia uitae, non a Patre est, sed a mundo. Absque dubio relatiuum, Quae, quod referri uidetur ad uitae superbiam solum ab interprete, \45.a\ tria illa complectitur, quorum primum ad carnis delicias et uoluptates pertinere diximus, Secundum ad ostentationem imaginum, et stemmatis. Tertium ad dignitates, quae intemperanter desideratae et quaesitae, quantumlibet spirituales appareant, mundanae dici debent et carnales:¹⁹⁹ quoniam qui illas expetunt, et uel usque ad effusionem animae inquirunt, emunt

{1555 p. 332}

quoque, et cum non obtinent, insaniunt, mancipia fortunae sunt obscoena, ne dicam ludibria risu digna. Vide quo effraenata nonnunquam procedat istiusmodi hominum intemperantium libido, quantunque illos sursum deorsumque uoluet, atque ostentui fors habeat. Quoties enim cumque creandus est magistratus, toties emoriuntur, uerentes sane ut irrisi praetereantur: irrisi tamen ac praeteriti, ad nouam iterum se irrisionis occasionem impudenter exponunt. O stultitiae pabulum, O uis incomprehensibilis ambitionis, quae mortuos etiam e sepulchris euocatos, ad infamiam uniuersi uiuere facis: si tamen uita illa censi debet, quae in arbitrio fortunae posita, atque in alto errorum uitiorumque pelago iactata, nihil firmitatis, nihil sapientiae, nihil quod sanum prae se ferat animum, in se habere potest.²⁰⁰ Ergo hominem sic male de se meritum ex Deo non esse concludi debet, Itidem de illis dicendum uidetur, qui antiquum ostentantes sanguinem, et non uulgare

¹⁹⁷ Exemplum cuiusdam praelati impudici. (Example of a certain shameful prelate.)

¹⁹⁸ Pallor honestus et temperata coloris ratio in homine, quid prae se ferat. quid etiam. (Honest paleness and a moderate range of color in a man, what it shows. What else.)

¹⁹⁹ Dignitates illae, quae homines reddunt impudentes, sunt fugiendae. (Those honors which shameful men deliver/ render, are to be shunned.)

²⁰⁰ Ambitosorum mores. (Habits of the ambitious.)

genus, religionem quoque, toti in recensendis auorum gestis occupantur, homines alioqui stupidi, atque, uti uinum fugiens, a maiorum gloria et spiritu degenerantes. Contenti quidem Patrum erexisse statuas, imaginesque, tum fana et palatia colossis adornasse, ac picturis, \45.b\ huiusmodi se fumosis enutriunt titulis et monumentis. Vide igitur in quam sordida rerum faece ab his uiuitur, qui mundum hunc miserum tanquam patriam incolentes, toti in libidinibus, in alendis scortis, canibus, auiumque gregibus, in usuris, in comparandis tum diuitiis, tum, natura etiam reluctantante, dignitatibus, quae omnia cum uita terminantur, ac mortem animae ut plurimum inferunt, distinentur. Concupiscentia, inquit Augustinus, oculorum, et auaritiam, et omnem inanem comprehendit rerum aspectabilium curiositatem: Superbia uero uitae omne genus arrogantiae, et ambitionis. Volunt quidam primum

{1555 p. 333}

parentem his tribus oppugnatum arietibus occubuisse, Christum rursus eisdem ipsis in deserto, sed uicisse. Quo admonemur tandiu nos meriti obnoxios esse, ac damnationi aeternae, quandiu cum primo Adam conuersamur: Vitam autem restitui, atque in Dei familiam nos, alioqui seruos inutiles et fugitiuos, cooptari, si cum secundo. Vincimus enim cum Christo coniuncti, uincimur uero cum Adam, ueteri nempe homine, et transgressore.²⁰¹ Obserua quam paterne nos Paulus ab intemperis huiusmodi foedissimis per Adae casum humano generi conciliatis deterrens, ad Christum reuocet. Non in commensationibus, inquit, et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitis, non in contentione et aemulatione: sed induimini dominum IESUM Christum. [Romans 13.13] Qui acutiori sunt ingenio, atque in his rimandis, quae extra mundum sunt, sincero et sancto, eandem ferme sententiam a Paulo hic dici sentiunt, \46.a\ quam a Ioanne, cum asserit mundum hunc immundum et coenosum, libidinibus totum obscoenis, auaritia inexpleta, et ambitione, scaterere ac sordescere. Quare qui sic mundum diligunt, ut ad pomum iugiter manum porrigant, hoc est, ut transgressores semper sint, hi ex Patre non sunt, sed ex mundo illo qui Deum non cognouit. Et tamen

2.17 Mundus transit, et omnis concupiscentia eius.

Nihil sane uelocius, addo et fallacius, mundi effigie.²⁰² Oro, quid infirmius fortunae bonis? quid miserius? Quae nam in rebus mundi tam cito transeunt, quam transit externa corporum pulchritudo, ac decor ille uultus, quem leuissimus offuscat morbus: tollit quoque si uehementior fuerit? Porro si aurum spectas, si gemmas, si uniones miraris et deperis, quid tali amore insulsius? quid magis fortunae ludibrio expositum, addo et pauo-

{1555 p. 334}

-ris plenum? De honoribus autem tam anxie quaesitis, non est quod dicam modo, simul ac

²⁰¹ Vincimus CHRISTO uniti, uincimur disiuncti. (United with Christ we vanquish, separated we are vanquished.)

²⁰² Nihil fallacius mundi effigie. (Nothing is more deceptive than the image of the world.)

omnibus palam sit factum, quam ridicule suis soleant imponere uenatoribus. Et ut quod sentio eloquar, dignitates huiusmodi, quae procaces, ne dicam procos, reddunt homines, ac impudentes, si ad bona animi referre libeat, referam et alia ego pene innumera, quae tamen bonis perinde animi conuenire cernimus, atque conueniunt lappae satis tritici, ac lolium. Non sane mundi honoribus obstrepere nunc mihi est animus, utpote a Deo optimo maximo ordinatis. Sed stolidos, atque anxios illorum execror competitores, quorum haud secus me miseret inquietudinis, ac soleo lepra infectos miserari, aut quos in paralyysi tremere conspicio.

\46.b\ Ea enim est ambitiosorum natura, ut praeter quam quod Deo inuisi sunt, uariis continuisque agitentur tum animi, tum corporis permotionibus: canes diceret, aut asinos ab asilis ardente Syrio extimulatos.²⁰³

Hi proculdubio suis in consiliis atque actionibus se magis quam Dei gloriam, commodumque uniuersale et spectant, et ardentius forsitan quam alii ceteras uoluptates, quas mundus uti perpetuas suis ostentat cultoribus, deamant.

Et nihilominus mundus iste fallax, uelocissimus est cursor, praeteritque (ut inquit Paulus) illius figura, et imago

2.17. Qui autem facit uoluntatem Dei, manet in aeternum.

Felici, atque adeo arcana antithesi, in lasciuiam mundi fluitantes cum his, qui solido animi proposito Dei uoluntati obsequuntur, comparat. Illi, ait, qui mundo adhaerent, quique illius cupiditates contra Dei praeceptum, qui cordis mundiciem suis imperauit, amplexantur, cum suo ductore mundo, aura uelocius praeterlabentur. Contra, qui per uoluntatis consensionem

{1555 p. 335}

Deo adhaerent unius effecti spiritus cum eo, longaeui erunt, atque cum illo, qui aeternus est, aeterna perfruentur uita. Non queunt non adipisci aeternitatem, qui cum Deo per unitatem spiritus coniuncti, tam arcte illius copulantur uoluntati, ut deiformes potius, quam homines mortales, et cito desituri, uideri possint.²⁰⁴ Spiritus quidem Patris coelestis, ut animas a mundi uanitate uindicans, totas coelestes facit et puras: ita post uitae huius certamen, aeterna donat felicitate. Etenim quemadmodum aeternus est, sic aeterna, quibus aeterni perfruamur, largitur praemia. Quod quidem non \47.a\ agit spiritus Satanae, autor nimirum mortis, atque id genus rerum, quae ut uanae sunt ac fluxae, ita hominem ad aeternum pertrahunt interitum. Quid non malorum suggerit tam nequam spiritus? quem dolum? quem fucum omittit, quem non obducat oculis miserorum tam sagax praestigiator? Ad inconcessam alliciens uenerem, mille (ut ait quidam) obiicit formas incautis irritabiles, quibus tanquam scopulis illisi, facile naufragantur. Quid gulae illecebras memorem? quid

²⁰³ Ambitiosi, tanquam canes sunt ab oestris syrio ardenti puncti. (The ambitious are like dogs pricked by the frenzy/ gad-fly of Dog Star heat.)

²⁰⁴ Antithesis de illis, qui mundo seruiunt, et qui Deo. (Antithesis of those who serve the world and those who serve God.)

eduliorum lautitias? quid potationum affluentiam describam? quid crassas illas mensarum cupedias, atque ad concubium usque protractas coenas? quid lusus? quid inter lupas comessationes, obscoenitatesque non dicendas dicam?

Suggerit interim Daemon pessimus lasciuas, quibus eneruantur animi, cantiones, dicteriaque obscoena: quorum lenocinio, crebro ueluti ariete concussae uirgines, labant trepidae ac dubiae, nutantesque minantur ruinam.²⁰⁵ Putasne spectacula illa nefanda comoediarum (irritamenta sane libidinum, ad quae uel ipsae pudicissimae alliciuntur matronae, moestaeque reluctantibus etiam, suamque deplorantibus sortem maritis, inuitantur, imo indicta mulcta coguntur) ab ullo alio prodiisse autore, quam a spiritu illo spurcissimo:²⁰⁶ qui aequae interdum nostros ludificatur optimates, ut in li-

{1555 p. 336}

-mo quoque profundi, in quo non est subsistentia (ut inquit Daud) positi et immersi, se tutos esse, atque in portu nauigare arbitrentur? Quicquid tamen delinquit uulgius, id totum sciant referri sibi acceptum. Id rursum sciant praecipuum istuc tetro illi cacodaemoni esse consilium, in id eum incumbere, in eo machinis \47.b\ omnibus adhibitis totum esse, ut mentes nostras a ueris perpetuisque bonis auocatas, ad inanes rerum imagines amplexandas, et simulacra conuertat. Qui enim exorato Dei praesidio tam uafro et uersipelli restiterit suasori, is longe beatus. Qui autem illi cesserit et succubuerit, is omnium miserrimus ad aeternam detrudetur mortem. Spiritus quidem Dei ea suggerit, quae uitam pollicentur aeternam: Spiritus uero Satanae, quae mortem, atque exitium illud, quod eo infelicius iudicari solet, quo infinitum est, atque aeternum. Iam tu mihi considera, quam prudenter sanctissimus Ioannes negotium hic Dei tractet. Scribens enim illum ipsum hominem, qui diuinae paruerit uoluntati, aeternum fore, hoc est, cum Deo ipso, quem unice dilexit et amauit, aeternis iri donatum bonis: illud innuere etiam uoluit, trifariam illam mundi partitionem, quam carnis uoluptatibus, oculorumque irritamentis, ac uitae fastu et strepitu constare asseruit, minime ex Deo esse, imo praeter illius uoluntatem mundum inuasisse. Quapropter eos, qui tam immundis adhaesissent dominis, Dei reluctari praeceptis, quae eo spectant, ut homines a mundi uanitate extractos patri ipsi coelesti per amoris ac fidei nexum adglutinet. Proinde neque impudicos, neque curiosos uanarum rerum inquisitores ostentatoresque, et oculos somnii, atque inanibus pascentes formis, neque fastuosos, et arrogantes, et qui tumultuosas tum usuris, tum ui raptas coaceruant sibi opes, ad regnum Dei pertinere: quod nemo ingreditur (ut ait quidam) pollutus, ac re-

{1555 p. 337}

-bus huiusmodi onustus, quae mentem aggrauant, atque in iustitiae semitis lassescere faciunt. \48.a\ Caeterum ne tempus diutius in inquirenda Dei uoluntate, qua cognita et custodita, bonis donantur perpetuis animae, conteramus, sic illam depingit Paulus: Haec est, inquit, uoluntas Dei, sanctificatio uestra.²⁰⁷

²⁰⁵ Artes variae daemonum. (The various arts of demons.)

²⁰⁶ Comoediae inter christianos irritamenta sunt libidinum. (Comedies among Christians are inducements to lust.)

²⁰⁷ Voluntas Dei est animarum sanctificatio. (Holiness of souls is the will of God.) [1 Thessalonians 4.3: For this is the will of God, your sanctification: that you should

An uero a mundo tam largum donum sperari queat, tute iudica qui legis, forsan et experiris quam periculosum sit ad praefurnium sedere fuliginosum, nec fuligine contaminari. Quandiu enim carnem hanc infelicem circumferimus, agitamurque uelut a fluctibus ab illius appetentiis et cupiditatibus, uiuimus certe: at circum tamen uersamur trepidi in freto quodam undoso curarum et fracto, atque adeo periculose iactamur, ut plane impossibile uideatur non aliqua saltem irati maris aspergine non solum affici, uerumetiam terri et concuti.²⁰⁸ Sed illud maximae nobis debet esse consolationi, quod breui desitura sit haec procella, citoque is ueniet, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.

Grauis quidem (quis id neget?) corporea haec est sarcina. Graue bellum. Grauisima quae hoc in bello infiguntur uulnera: sed conflictus breuitas, immensa futurae uitae expectatione ac fide, compensari debet. Iam nihil pene est, quod cito transit.²⁰⁹ Quocirca quid malorum? quid periculorum tali imbutus persuasione non sufferet toleranter? non fortiter? non animose? Ignauae omnino mentis indicium est, atque inconstantis fidei argumentum in illis rerum euentibus sic prosterni et atteri, ut omissa erga Deum fiducia desperes, muliebriterque ulules et queraris.²¹⁰

2.18. Filioli (inquit scriba sanctus) nouissima \48.b\ hora est. Et sicut audistis, quia antichristus uenit, et nunc multi antichristi facti sunt.

{1555 p. 338}

Unde scimus, quia nouissima hora est.

Agnito enim cursus fine, quod reliquum est stadii, fit leuius, atque propter spem brauii expeditius. Hinc Ioannes, praeco nimirum spiritus, ac tubicen, nostrae quidem timens in arena defatigationi, ac lassitudini, sic fere: O qui in agone hoc anxio uitae pro focus atque aris cum hoste decertatis fortissimo, gaudete. En finis belli iam prope est, cursusque stadii iam iam promissam attingit metam. Durate: ecce hora conflictus extrema: ecce (quid anxii suspiratis?) certissima uenturi finis praeludia. Iam antichristus, quem agonothetae nostro anteambulonem fore non dubitatis, haud longe abest a foribus. Imo nunc quoque pro uno multi emergerunt antichristi.²¹¹ Adeo enim mundus hic insolens et superbus erexit in

abstain from sexual immorality.]

²⁰⁸ Quandiu vivimus in hoc mundo, tanquam in freto iactamur undoso. (As long as we live in this world, we are tossed about as if on a wavy sea.)

²⁰⁹ Nihil ferme est, quod cito transit. (There is almost nothing which transitions quickly.)

²¹⁰ Ignavae mentis signum est, in adversis nimium atteri. (It is a sign of a sluggish/cowardly mind to be worn down excessively in adversities.)

²¹¹ Admonitio Ioannis, quod Antichristus iam venit. (John's warning that the Antichrist has already come.)

Euangelii negotium cristas, ut non pauci id sibi usurpent nomen. Et quidem merito. Nam Christi doctrinae aduersantes eo degunt uitae genere, quod pecori magis conueniat, quam Christiano, cuius firma ea esse debet professio, ut malit e uita abire, quam uel semel peccando ab his, quae pollicitus est, desciscere:²¹² quod ex nostris nonnullos egisse doleo. Et quidem,

2.19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.

Notant quidam latinius legi posse Exierunt, non, Prodierunt: ut diuus etiam legit Augustinus. Siquidem de quorundam defectione ab Ecclesia est sermo, non de origine. Quocirca sic transferunt:

\49.a\ E nobis profecti sunt. De illis loquitur, quos superius antichristos appellauit: hi enim a caeterorum communione deficientes, illis qui Christum intrepide profitebantur infesti admodum erant,

{1555 p. 339}

sed tecte. Nam ipsissimis Christi armis atque praesidiis Christum astutissime oppugnabant: quae sane ars et fucus uix a paucis dignosci poterat. De istiusmodi fucoso hominum genere, ecclesiaeque perniciosissimo, sic Paulus Philippensibus scribens, non modo suam admonuit aetatem, uerum etiam et nostram. Multi (inquit) ambulant, quos saepe dicebam uobis, nunc autem flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus: quorum Deus uenter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Haud pauci tum quidem erant, sunt et in praesentia, qui Christi crucem praedicantes, re tamen ipsa, et uita cruci aduersantur. Hi enim non minus forsitan, quam publici atque aperti Dei hostes, candori sponsae officiunt, et quieti. Unde non absque lacrymis illam prodiisse monitionem reor. Multi (inquit) ambulant, uobiscumque familiariter conuersantur, qui eadem quae nos docere prae se ferunt: sed ad quaestum, ad mundi gloriam, ad aucupandam (quod non egit Christus) sanctitatis opinionem. Talem sane fucum, illorum indicat uitae ratio, quae de diametro cum Christi uita pugnat et cruce. Huiusce itaque coloris homines antichristos appellare non uerebimur cum Ioanne. Qui tametsi in Ecclesiae gremio simul cum caeteris Christi crucem ferre, ac puris interesse ritibus et sacramentis cum illis \49.b\ qui Dei spiritu aguntur appareant: a Deo tamen, atque ab eis quos docet unctio, Christi nempe spiritus, a seruandorum consortio iam sunt expuncti. Iam, inquit, e nobis nostroque recesserunt collegio. Ab integritate quidem corporis Christi (quod niueis constat animis, atque tum fide tum charitate, uiuis nimirum membris, perficitur in Deo) semoti, ac tanquam membra putida dissecti, nobiscum esse non possunt, qui ob Christi amorem, et mundum et quicquid in mundo expeti possit, contempsimus. Illi contra, nullum non movent lapidem,

²¹² Antichristus, imo Antichristi, quales in Ioanne. (The Antichrist, or rather the Antichrists, what they are like in John.)

{1555 p. 340}

quo mundum sibi concilient, atque in ipso sub religionis praetextu regnent. Hanc semper, mi lector, uitam miserrimam esse existimaui. Verum illud supra omnes molestias molestissimum mihi semper uisum est quod huiusmodi membra cadauerosa, sacrosancto uiuoque, et quod nullum admittit mortis genus, et inquinamentum, sponsae corpori purissimo et immortalis assuere: atque in ipsis nobilioribus texturae illius partibus collocare attentant hi, quorum potissimum interest, hortum domini a feris seruare indemnem. Si sic architectantur Proceres, quid agant baiuli? quid operarii? Exeant, exeat iam tandem: abeant, discedant, erumpant palam uulpes istae uersutissimae, quae uineam Dei Sorech occulte demoliuntur. At e nobis (inquit Ioannes) exiere, alioque profecti sunt. Apertissimo id fuit argumento illos non fuisse ex nobis, quod exierunt. Vtique si ex nobis fuissent, nobiscum in Dei obsequio, quod infractum constantemque in primis requirit animum, perdurassent. Nunc uisum est Christo \50.a\ ut qui sunt eius, perstent intrepidi. Quos uero ad suum non pertinere corpus uel ab initio nouerat, hos palam fieri decreuit. Quod sane uestrum in maximum cessisse commodum, sat scio: nam ex illorum defectione qualis sit uestra erga Deum fides et charitas ostensum est.

Siquidem qui ad occasionem desciscunt a Christo, Christianos se simulant, non sunt.

2.20. Sed uos unctionem habetis a sancto, et nostis omnia.

Vnctionem uocat Ioannes Spiritus sancti afflatum, quo tanquam pretiosissimo pigmento perfusae animae, quid suo in cultu requirat Deus, perfecte norunt. Discretionis quippe dono spirituum (sic illud appellat apostolus) insignitae quo quisque ingenio Dei uineam excolat: hoc est, qui ueri sint Christiani, qui secus, compertum ha-

{1555 p. 341}

-bent. Tam uerum illud quidem est, quam quiduis aliud uerissimum, hominem spirituales omnia diiudicare. Non est sane tam occultum secretum, resque adeo arcana, quam saltem coniecturis non assequatur uir a Christi spiritu eruditus: quem Spiritum propterea hic sanctum nuncupari legimus, quia quos semel imbuerit, hos se dignos facit: sanctos uidelicet, atque ad excellentiora nanciscenda chrismata idoneos.²¹³

Caeterum a mente sordida, inque rebus corporeis se se nimium oblectante auolat Dei spiritus: unctio nimirum illa suauissima, e cuius exuberantia et perfusione delibutae animae, ad luctam eam cum Deo secretam, inenarrabilem, incomprehensibilem, in qua saepenumero fit Deo superior anima, accinguntur.

Vide quid a colluctante secum anima roget sponsus, pene in lucta prostratus: Dimitte me inquit, \50.b\ iam enim ascendit aurora. O mysterium, o arcanum haud multis cognitum. Quid illa uictrix? Non te (ait) dimittam, nisi benedixeris mihi.²¹⁴

²¹³ Spirituales homines nihil non diiudicant. (There is nothing spiritual men do not discern.)

²¹⁴ Lucta Jacob cum angelo quid protenderit. (The struggle of Jacob with the angel, what prolonged [it].)*

Non potuit quidem non parere uictoris uoluntati uictus. Tu obserua benedictionis cum uim tum ordinem.

Quod est (inquit) nomen tibi? Respondit, Iacob. Nequaquam, (ait ille) Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel. Israel directum a Deo, seu uidentem Deum, ut uult Philo, interpretantur. Quocirca in hoc totam uersari cardine Dei benedictionem ad animas, ut directae ab eius spiritu, illum contemplantur, asserere possumus. Posthac, ait, non erit tibi nomen Iacob, nomen uetus, nomen a praeuaricatore desumptum, nomen, cuius appellatio uae est aeternum. Sed (nomine sane nouo, quod os domini nominauit) appellaberis a Deo directus, cui antea mundus ipse indiuiduus erat comes, et dux. Sit igitur nomen tuum, ut meum est, admirabile.²¹⁵ Porro quid admirabilius in terris uisum est unquam, quam hominem ex inimico, ut illo quid profligatissimo, filium Dei factum? Ego

{1555 p. 342}

certe natura filius, tu ex adoptione et gratia. uterque tamen filius, atque ita filius, ut inseparabiliter utrique sit nomen filii, idem utrique spiritus, eadem mens, uoluntas eadem, atque haereditas.²¹⁶ Vide, oro, quid filius naturalis patrem roget: Pater sancte serua eos in nomine tuo (nomen proprium Dei erga fideles est pater)²¹⁷ quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et uos: uolo ut ubi ego sum, et illi sint mecum. En habes in hac filii praecatione suauissimum illud, quo recreantur animae, Patris nomen. Habes homines per gratiam filio traditos, \51.a\ habes nexum utriusque indissolubilem: nam si Patrem a filio separas in diuinis, quatenus unus est Deus, atque unius substantiae spiritus, ita coniunctionem filii cum suis membris, quae sunt sanctorum animae, diuidunt.²¹⁸ Habes tandem communem perpetuamque utriusque filii mansionem apud Patrem, cum ait: Volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut uideant claritatem meam, quam dedisti mihi. Haec sunt (ni fallor) quae in tam felici lucta congressuque cum Deo, in quo anima fit unum cum Christo, perdiscuntur. Verum animalem hominem, crassum scilicet, atque humano duntaxat utentem iudicio ac sensu, istaec omnino fugiunt, quae spiritualiter (ut ait Paulus) examinantur. Siquidem ab his tantum, qui Christi sensum callent, quae ad spirituale pertinent connubium, diiudicantur: sus enim luto assuetus, quae nitida sunt et odorifera, non aliter conculcare pedibus, aut immundo rictu proterere est solitus, atque solet excrementa in male olenti pessundare latrina, aut cloaca. nullus illi delectus, sit ne ambrosia an nautea [sic], quod offertur. Sic sunt homines uoluptuarii. Sic sunt inuidi, sic haeretici, sic hypocritae, sic pauperum contemptores, sic fortunarum illarum, quae ipsis debentur miseris, asoti. Sic demum sunt hi, qui tum usuris, tum rapinis, tum praesertim immoderato ad dignitates ambitu, atque

{1555 p. 343}

²¹⁵ Nomen Dei, nomen est admirabile. (The name of God is an admirable name.)

²¹⁶ Et CHRISTO et homini idem est nomen filii. (Both for Christ and man, the name of son is the same.)

²¹⁷ Nomen proprium Dei erga fideles, est pater. (The special name of God in relationship to his faithful, is father.)

²¹⁸ Patrem a filio inseparabilem esse in diuinis. (In divine matters the father is inseparable from the son.)

aestu integras exhauriunt regiones, totamque ipsam bene uiuendi rationem e mundo tollunt. De istiusmodi itaque hominum genere scripsisse Ioannem arbitror, cum antichristos multos suis apparuisse temporibus questus est.²¹⁹ Quos tamen e caeterorum \51.b\ contubernio decessisse asserit. Sed expende modestissimum in exhortando senis animum. Ne quidem illis, quod ferme cunctis tum erat commune credentibus, detrahere uideretur, nempe Spiritus sancti etiam in specie uisibili praesentiam, sic ait:²²⁰

2.21. Non scripsi uobis quasi ignorantibus ueritatem, sed quasi scientibus eam. Et quoniam omne mendacium ex ueritate non est.

Antea quidem dixerat illos a sancto unctos, propterea omnia illis comperta esse: nunc, ne indignanter acciperent admonitionem, in exorsa iam excusatione diutius immoratur. Quod moneo, inquit, uerum est: neque id scribo quasi uos latuerit ueritas, qui doctorem habuistis Christi spiritum, quem qui habet nihil non nouit: sed in memoriam reuoco, quae antea noueratis.

Altius enim insidet animo, si quid fuerit crebrius repetitum. Miserum illud quidem uidetur, cum corpus suis destituitur membris. uerum illud afferre solet gaudium aegrotis, si abscissa uomica pus exstillare desierit. Pustulae illi quaedam erant uerius ac tubercula sano alioquin corpori interspersa, quam uiua membra, quibus informatum est corpus Christi, a quo proculdubio illud dissidet membrum, quod putridum est, aut superuacuum.²²¹ Rariores quidem facti estis, non eo inficias. Verum cum uos intueor purgatiores factos, atque ob foedum illorum itum pacatiores, laetor. Et, ut concludam, nihil omnino propter paucos ad aliena castra transfugas, decessit Christi militiae.

Vos in iam coepto perseuerate consilio. non

{1555 p. 344}

deerit quidem sancti unctio, quae de omnibus addiscendis \52.a\ uos graphice doceat. Scripsi itaque uobis non quasi ignorantibus ueritatem, sed illam compertissimam habentibus: illud quoque scripsi, quod omne mendacium ex ueritate non est. Vocat mendacium quicquid a Christi disciplina est alienum.²²² Dici facile non potest, quantum Deo gratum sit cor simplex, et absque ullo fuce syncerum. Unde quantumuis homo Dei religionem ore profiteatur, fucus tamen sit ac duplex, cum Deo ne parum quidem commercii habere poterit. Nos totos Christo in baptismo deuouimus, iurauimusque quaecumque emersissent aduersa, in illius perseuerare cultu ac religione, quae id potissimum a nobis efflagitat, ut contempto mundo, coelestia tantum inquiramus.²²³ Itaque uideat unusquisque, quomodo integre illud seruet foedus: uideat, inquam, quem sibi maxime suis in actionibus statuerit finem: quid in diuitiis, quid in adipiscendis cogitet

²¹⁹ Qui sint illi, qui suis comparantur, et Antichristo. (Who those [men] are, who are compared to swine and to the Antichrist.)

²²⁰ Ioannis tempore Spiritus sanctus etiam in specie uisibili dabatur. (In the time of John, the Holy Spirit was actually bestowed in visible appearance.)

²²¹ Malus christianus pustula magis ac vomica est, quam Christi membrum. (A bad Christian is more a pustule and an abscess than a limb/ member of Christ.)

²²² Mendacium quid sit apud Ioannem. (What a lie is for John.)

²²³ Quid in baptismo polliceamur. (What we promise in baptism.)

magistratibus: uideat quo animo, quo ingenio, quo proposito ad studia, ad literas, ad connubia, ad artes perdiscendas, atque ad sacramentorum ordinumque communionem moueatur: uideat quid in huiusmodi rerum usu meditetur.²²⁴

De aperta a Deo rebellione non loquor modo. Nemo ferme homo est, qui usuras, parricidia, stupra, rapinas, oppressiones, bella inter Christianos, furta, uiolentasque (ut sic dicam) ad dignitates irruptiones, atque, ut istiusmodi recenset illuuiem Paulus, idolis seruientes, molles, catamitorumque amatores, ebriosos, maledicos, et id genus permultos non detestetur, proque apertis Dei hostibus, qui haec agunt, non habeat. At illos huc aduoco, deque illis \52.b\ scribo, qui probitatis praetextu nequitiam dissimulantes, pessimi omnium sunt: quippe quibus pro ludo sit, Dei abuti patientia, atque in ferendis illorum iniuriis, et simulatione, tolerantia. Nihil sane tam officit Dei religioni, quam fucus, ac mentita pro-

{1555 p. 345}

-bitas.²²⁵ Quisquis igitur quocunque modo aut causa mendax est, Christum negat, qui summa est ueritas. Porro qui negat Christum, illique rupto foedere cum Deo inito aduersatur, quid dubitas hunc antichristum esse?²²⁶ At uero, ne nunc in partiendis mendacii generibus torquearis, uide quid inferat Ioannes:

2.22. Quis est mendax, nisi is, qui negat quoniam IESUS est Christus?

Id quidem scelestissimum genus est mendacii: haec omnem superat impietatem assertio. Et quemadmodum uitae aeternae pignus, imo ipsammet uitam aeternam esse non diffitemur, si quis cognoscit te, o Deus, solum Deum uerum esse, et quem misisti IESVM Christum, ita perpetuae damnationis signum id erit indubitatum, IESUM esse Christum, nempe ad medelam uniuersi pollicitam negare unctionem. Atqui id negant Iudaei, qui suum adhuc expectantes messiam, nullum non mouent lapidem, quo Christi obnubilent religionem. Negant et Christiani illi, qui sacro tincti, perfusique liquore, nihilo tamen secius uel ad Dei offensiones peccando, sponteque sua a iustitiae itinere deerrando, alacres sunt et prompti: ac si Christus omnium arbiter nullius omnino esset potestatis:²²⁷ uel ultro ueniam post lapsum desperantes \53.a\ aequae abiiciunt animum, quasi Christus non esset IESUS, seruator nimirum omnium sperantium in se: IESUS enim sonat Seruatorem, Nomen sane aeternum, atque illi ante quam mundus fieret a principio, a Patre inditum. Nomen, quo audito non est tam in peccatis prouolutus quispiam, qui non reuiuiscat in Deo, illud cogitans, quod non sit aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat illos saluos fieri praeter nomen istuc uitale.²²⁸ Mosesne antiquae legis typus? Aaron item

²²⁴ Beatitudinem maxima petendam esse ueneratione et metu. (Mercy ought to be sought with the utmost veneration and awe.)*

²²⁵ Nihil tam officit Dei religioni, quam simulata probitas. (Nothing impedes the worship of God more than simulated probity.)

²²⁶ Qui sint illi, qui negant CHRISTUM. (Who they are who deny Christ.)

²²⁷ Qualis sit Antichristus, nostra hac aetate. (What the Antichrist is like in our age.)

²²⁸ IESUS seruatorem sonat, nomen sane aeternum ac uitale. (Jesus sounds like savior, the name is truly eternal and vital.) And see passage below, p. 346, beginning "Quid

cerimoniarum, atque adeo

{1555 p. 346}

cruenti sacerdotii princeps, populum Dei electum in regionem illam huberem, totiesque a Deo promissam, introducere potuerunt, an imperator Mosi succedens IESUS? Is IESUS nostri faciem adumbravit, qui genus hominum de ignorantiae errorumque Aegypto eductum, euocatumque a morte, sibi asseruit.²²⁹ Quid sacer ille nuntius? Vocabis, inquit, nomen eius IESUM. Qui sic o Angele Dei? Dicam. Ipse saluum faciet populum suum a peccatis eorum. Ergo IESUS seruat. Ergo quicumque inuocauerit nomen IESU, saluus erit. Vide quid de se testetur IESUS: Ego sum (inquit) ostium: si quis per me introierit (nemo uenit ad Patrem, nisi per IESUM) seruabitur. Paulus quoque uocis huius suauissimae contemplanus uirtutem, iuxta et nostram execrans erga IESUM ingratitude, clamabat. Si quis non amat dominum nostrum IESUM Christum, sit anathema, Maranatha. Maranatha interpretantur, Dominus noster uenit.²³⁰ Quasi diceret: Quid opus uerbis? quid fucum ommissa \53.b\ ueritate (quae est in Deo) simplicium oculis offundimus? Venit dominus, in cuius aduentu res factis, non fuco, aut fastu, definietur. Christi porro nomen tum regiam, tum pontificalem prae se fert dignitatem: siquidem non solum sacerdotes, uerum etiam Reges oleo ungi, atque unguento chrismatis deliniri consueuerant:²³¹ unde et Christi, uncti nimirum, appellabantur.

Quod sane nomen, atque unctionem, Christo Dei filio magis conuenire ducimus, quam illis: quippe qui cum mortales essent, mortali inungebantur oleo: Christus uero aeternus Dei filius aeterna atque odoratissima sancti spiritus perfusus est unctione, quae ab ipso postea capite descendens in barbam, barbam, inquam, Aaron, ad oras usque extremas profluxit uestimentorum sponsae.

Ideo in canticis sui amati nomen oleum effusum esse clamat: Oleum, inquit, effusum nomen tuum,

{1555 p. 347}

ideo adolescentulae dilexerunt te. Fuit itaque Christus non solum Rex ille, per quem Reges, ut ipse de se testatur, regnant, sed et sacerdos secundum ordinem Melchisedec. Imo non minus uictima, quam sacerdos ad uniuersi expiationem factus est tantus dominus.²³² Caeterum Christi regnum uita est aeterna, Sacerdotium uero aeterna illius est apud Patrem interpellatio: sed et libationem, ac hostiam, perpetuam dicimus esse in illo animarum purgationem,²³³ quam ex sacramentorum fonte illius sanguine purificato deriuari non

sacer ille.”

²²⁹ Cur Iosue, non Moses, populum ad terram duxit promissam. (Why Joshua, not Moses, led the people to the promised land.)*

²³⁰ Maranatha quid significet in Paulo. (What *maranatha* means in Paul.) [1 Corinthians 16.22, from the Aramaic meaning something like the lord has come.]

²³¹ CHRISTI nomen regium est, ac pontificale. (The name of Christ is regal and pontifical.)

²³² CHRISTUS Rex fuit, sacerdos, et uictima. (Christ was king, priest and victim.)

²³³ Quid sit modo regnum CHRISTI, sacerdotium, et libatio. (What is now the kingdom of Christ, the priesthood and sacrificial offering.)

nescimus. Quare qui hunc fontem ignorant, unde effluant gratiarum riui, atque ad animas innocentia, minime [sic, minime, 1546] tenent.²³⁴ Ergo cui adhuc \54.a\ IESUM, Seruatorem mundi esse, atque eundem uel sacerdotem, uel hostiam in crucis ara pro uniuersali ac aeterna expiatione mortalium Patri oblatam, nondum persuasum est, is quidem mentitur (ut ait Ioannes) negatque IESUM esse CHRISTUM, qua negatione quid sceleratius excogitari potest? Itaque (sit ut lubet in caeteris excellens)

2.22. Hic est antichristus, qui negat Patrem et filium.

2.23. Nam qui negat filium, nec Patrem habet. Qui confitetur filium, et Patrem habet.

Adeo enim unum est Pater et filius, ut neuter sine altero queat consistere. Sic enim filius: Ego et Pater unum sumus. Unde in confessione habita in concilio Niceno, Filium consubstantialem Patri Patres esse definierunt. Quare non absque causa Paulus Hebraeis scribens, qui tametsi Patrem faterentur, Filium tamen negantes, antichristum nescio quem alium pro Christo opperiebantur, ut nunc quoque operitur gens ista omni-

{1555 p. 348}

-dissima. Vocat filium splendorem gloriae, et figuram substantiae patris. Vult Phocius Graecorum acutissimus in splendore ac relucentia paternae gloriae naturam, siue naturalem a Patre progressum intelligi: dicitque filium, ut Deum etiam, non solum ut hominem, constitutum a Patre haeredem uniuersorum, quod ab aeterno substantiae paternae, et gloriae, omniumque ex aequo bonorum cum Patre sit particeps, et omnia sit filius, quae Pater, praeterquam quod non sit Pater: nam lumen est de lumine. Siue igitur refulgentiae aut splendoris uoce naturalem progressum cum Phocio, siue coaeternitatem cum Cyrillo \54.b\ intelligas, non aberras a scopo.²³⁵ Etenim eiusdem omnino sunt naturae radii cum sole, atque cum igne spendor [sic, splendor]. Ideo sic Petri successor Clemens: Filius (inquit) est uerbum, et speculum, et character, et imago uiuens Patris uiuentis, in omnibus Patri similis, eiusdemque naturae, in diuinitate genitus, et genitori per omnia coequalis. Nec quaeratur quomodo genuit filium Pater, quod et Angeli nesciunt nam Deus a nobis minime discutiendus est, sed credendus.²³⁶ Sufficit nosse quod lux genuit splendorem. Haec ille. Verum ne splendoris nomen quispiam audiens subdubitaret, num eiusdem cum Patre esset substantiae filius (in splendore quis substantiam requirat?) addidit Paulus: Et figura substantiae eius: hoc est, imago naturalis, ac tanquam expressum sigillum illius substantiae. Est igitur filius forma, est character, est imago, est omnimoda similitudo, atque expressio paternae substantiae. Et quemadmodum per se, nullo externo indigens adminiculo, subsistit Pater, ita filius.

Cum dicimus quidem, Pater Deus est, artifex est, omnipotens est, ac id genus alia, quibus

²³⁴ Sacramenta, unde gratiae emergunt, a CHRISTI sanguine purificata. (The sacraments, whence comes grace, emerge from the purified blood of Christ.)

²³⁵ Quomodo intelligatur filium, splendorem esse gloriae, ac figuram substantiae patris in Paulo. (In what way one may understand the son to be the splendor of glory and figure of the substance of the father in Paul.) [Hebrews 1]

²³⁶ Qua ratione filius sit genitus a Patre, latet etiam angelos. (For what reason the son was born of the Father, lies hidden even from angels.)

paternam utcunque exprimere conamur naturam, id totum quoque damus et filio: ut pote, qui totam, ut ita dicam, hauserit Patris substantiam atque essentiam. Sed de his satis. Haud scio equi-

{1555 p. 349}

-dem prudentisne sit animi, uelle in his rimandis diutius immorari, quae uix strictim quasi per transennam ab apostolicis ostensa sunt uiris. Nos ad consuetum lactis suctum reuertentes, solidiora quae sunt edulia sinamus aliis, atque cum Paulo constanter asseueremus neminem posse dicere dominum IESUM, nisi ille, qui \55.a\ a spiritu Patris edoctus, omnia scrutatur, etiam profunda Dei: tantum abest, ut anathema IESUM dicat. Siquidem quis ab ipso patris spiritu, ut diximus, edoctus, filium execratur? contemnit? et non potius amplectitur, ac super omnia et diligit, et ueneratur, et adorat? Cui aliter persuasum est, is quidem nec uere nouit, nec habet, ut inquit Ioannes, Patrem. Vide quid nobis filius pene eum stomacho improperet: Si Deus Pater uester esset, diligeretis utique me: ego enim a Patre processi, et ueni in mundum. At mundus non te cognouit, o mundi fabricator et uita. Ecquis igitur est, qui uere nouit Patrem? Audiamus ipsum filium: Scio, inquit, eum. Unde id nouimus? Sermonem, ait, eius seruo. Ergo qui Dei sermonem non seruatur, haud nouit Deum. Nihil explicatius. Nos igitur miserrimos, atque incogitantes, qui ore, uitaeque policie duntaxat, et cerimonia fatentes Deum, gestis uero negantes, in tantilla diuinorum cognitione sic insolenter efferimur, ut neglectis Dei praeceptionibus, perinde securi in utranque dormimus aurem, quasi pro unico nos habeat in terris Deus uirtutum archetypo, atque disciplinarum miraculo: Verum, si sapitis,

2.24. Vos quod audistis ab initio, in uobis permaneat, quia si in uobis permanserit quod audistis ab initio, et uos in filio et Patre manebitis.

Initium hic uocat Ioannes tempus illud, quo nouum

{1555 p. 350}

salutis semen iactum fuit per Dei spiritum, quo ductore, quasique manum stiuae admouente, per boues illos fortissimos, quos mare fusile admirandum in templo Dei sustentasse legimus, noster alioqui salebrosus, atque \55.b\ ambagibus errorum, spinisque obsitus peccatorum, excultus fuit ager, quem Christus non auro, argentoque numerato, sed proprio sibi acquisiuit sanguine, ac morte. Is enim, quae est illius indicibilis bonitas, nostris primus iniecit fraenum erroribus, disseminatoque uitae uerbo, ac sparsa ubique sui diuinissimi spiritus luce, e tenebris (ui tunc opus fuit) genus istuc nostrum miserrimum euulsit, sibique asseruit, atque ad tantam suos euexit hostes sublimitatem, ut illis dederit potestatem filios Dei fieri. Consiti ergo aliena manu, atque empti, cuiusnam iuris erimus?²³⁷ Nostri ne? qui ultro uenditi sub peccato, grauissima, itaque insupportabili premebamur seruitute, ut ne extremus quidem in nobis audiretur halitus? Mundine? de cuius nos manibus, atque hasta, iure belli, in quo Dei filius emoriens, mortem ipsam

²³⁷ Emptae a CHRISTO animae, illius factae sunt iuris. (Souls obtained by Christ, become of his law.)*

iugulauit, extraxit, suosque fecit: atque ad aeternorum bonorum haereditatem perinde asciuit, cooptauitque, ac si nostro ea Marte ac uirtute adepti essemus? Paulus enim hisce connumeratis nexibus, quibus innodati homines arctiori stringebantur nodo, quam solent rei capitis pyratae in carceribus uinciri manicis, ac bois stringi, sic ait: Haec quidem fuistis. Mox uero liberationis modum intulit: Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri IESU Christi, et in spiritu Dei nostri. En a quo, quibusque remediis nostra orta est libertas. Quare ex meretriciis, spurcissimis nimirum membris ac foedis, facti sumus per gratiam et alienam coemptionem membra Christi. Unde clamat Paulus: An nescitis quoniam \56.a\ membra uestra templum est Spiritus sancti, qui uobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti

{1555 p. 351}

enim estis pretio: iccirco illius facti, qui emit. Id uult Paulus, nos qui eramus tanquam oues sine pastore errantes, e solitudine ad caulas retractos assertosque esse in ius dominicum, qui nostram a iure diaboli captiuitatem non pollicito, sed praesenti redemit pretio. Membra itaque Christi facti per illius redemptionem, poterimusne ad tantam deuenire socordiam, ut membra iterum procacis impudentissimaeque meretricis, nempe lasciuientis mundi, et nostram sitientis a Deo defectionem, ac fugam, efficiamur? Maneant, maneant, inquam, in nobis, ne id contingat, perpetuo, quae ab initio audiuius, hausimusque a Christi spiritu, uerba fiduciae, uerba promissionum, uerba uitae aeternae, uerba quibus ad animam insinuatis, fit Dei templum cor hominis, ac diuinarum particeps contemplationum. Atque hunc in modum in filio et Patre manebimus, unius omnino effecti cum eo spiritus. Mundus enim cum nos ut sua adamaret mancipia, res futiles, ac penitus inanes et sordidas suppeditare poterat: nihil praeterea. Sed Christus, in cuius mox ius transiuimus, uitam eam pollicetur, atque elargitur, quae omnis expers tum aerumnae ac miseriae, tum finis, beatissimis atque adeo aeternis referta est bonorum thesauris, et quae paruo omnino emitur, etiam si uitae iactura emi contingat.

2.25. Et haec est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, uitam aeternam.

Obserua breuissimam futurae uitae ac felicitatis definitionem. Nihil est, \56.b\ inquit, aliud uita beata, uita illa, ad quam die, noctuque suspirant Dei filii, hi nempe, qui Christi molestias, mundi anteponunt delitiis, quam in Patre manere ac filio:²³⁸ cuius quidem mansionis autor est utriusque spiritus, atque idem ad destinatum brauium ut dux ita, ne in cursu deficiamus, nutemusue in stadio, soler-

{1555 p. 352}

-tissimus praecursor. Iam dilucidior fuisset litera, si Qua, non Quam, uertisset interpretes ad hunc modum, Haec est promissio, qua promisit nobis uitam aeternam. Haud scio equidem, an huiusce uitae desiderio, quae in aperta diuinitatis uisione, atque cum Deo, qui uita est animae non solum coniunctione, uerum etiam similitudine est posita, teneantur hi, qui

²³⁸ Vita beata qualis. (What the blessed life is like.)

terrenarum rerum cupiditatibus affixi, potioem animae partem (amorem dico) quo Deo potissimum uniri possent, in coeno tanquam sues immundi, sepultam tenent. Aut certe istiusmodi uiae ratio, per quam deiformes etiam in hoc mundo efficiuntur piorum animae, prorsus me latet, aut quae fieri uideo absurda sunt, atque omnino a uero itinere exorbitantia aut tali persuasione imbuti sunt homines, ut nullam aliam futuram esse uitam, quae diuturnioribus innixa sit bonis, quam ea sunt, quae sexcentis exposita esse mortibus uel una die experiuntur, tum credant, tum morum dissolutione palam testentur. Sane dicerem frustraneam fuisse Christi praesentiam in terris, nisi quasdam cernerem in mente Dei proborum reliquias: raras illas quidem, atque ita occultas, ut plane suspicer tum illos demum ad religionis iam perditae instaurationem e tenebris emersuros, cum ne uita quidem \57.a\ eos dignos hi ducent, qui se solos ad id laboris natos arbitrantur, ut uel ipsis ultra columnas Herculeas habitantibus, bene uiuendi leges praescribant, ne dum Christianis illis, qui ob temporum licentiam nonnihil ab euangelicis descuiere praeceptionibus. Obsecro, quibus id armis tentare cogitant? aereisne? an illis, quibus usus est Christus in praelio hoc duro cum morte et peccato? Tum, dico, quando fortis armati arma ipse auferens, uniuersa spolia eius diripuit, interficiensque inimicitias in semetipso, pacem, ut inquit Paulus, euangelizauit? Cum quidem pro Christo bellum istuc, quo tenebrarum harum po-

{1555 p. 353}

-testates debellari solent, ineundum sit, Christi ipsius armatura ac telis tam arduum perficiendum est negotium. At nostrum, si lubet, armorum usum cum illo, quo Christus mundi principem cum toto illius exercitu profligauit, comparemus: nostraque inter nos, in re tanta praesertim discutiamus consilia: imo hi sua, qui rerum potiuntur, quorumque interest pulcherrimae Christi sponsae in acie periclitanti subuenire. Ille in primis tenuissima armatus paupertate, munitusque satellitio illo hominum, quos pauperes spiritu uocare libuit, in medium prodit circi, atque in theatrum cum mundo dimicaturus descendit. Quid nos? quo obsecro armorum genere? Quibusnam praesidiis rem tam difficilem aggredi est nobis animus? luxure? opulentiane, quae usuris, ut fit a plerisque, atque auaritia, et infelicis plebis sanguine sit acquisita? Christus enim suos appellat milites beatos, si esuriant sitianteque iustitiam.²³⁹ Nos contra, neque \57.b\ comessionibus, neque, unde portentosae illae et promiscuae libidines, quas Paulus uerecunde cubilia, et impudicitias nuncupauit, originem habent, ebrietatibus, uel modum, uel finem ponimus. Ille, Discite a me, inquit, quia is sum et humilis corde. Quid nostrates Proceres? Audiamus Esaiam sub Moab nomine illorum adumbrantem ingenia.

²³⁹ Arma quibus tutantur Dei milites, et quibus eorum adversarii. (The arms by which the soldiers of God are defended, and those by which their enemies [are defended].)

Audiuimus, ait, superbiam Moab. superbus est ualde. At uide huiusce bestiae uecordiam. Superbia (inquit) eius, et arrogantia eius plus quam fortitudo eius. Iccirco ululabit Moab ad Moab, et tandem uniuersus ululabit. Heu mundi fastum etiam inter mortuos inuentum, atque e sepulchris foedissimo omnium exemplo exsuscitatum. Clamat Paulus, In carne ambulantes non secundum carnem militamus: arma nanque militiae nostrae non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum. At tu iterum perspice, quam ex diametro, ut aiunt, inter sese dissideant arma Christi et arma illorum, qui se tamen ad

{1555 p. 354}

Christi militiam pertinere, imo ad Christi religionem tutandam se unos e coelo delapsos opinantur. Certe si, ut diximus, Dei religio pene in ipsis uacillans basibus, firmissimis, ut conuenit, offirmanda est uectibus, nullis aliis utendum erit instrumentis, quam illis ipsis, quae secum attulit in terris opifex ille admirabilis, qui effinxit uniuersa, nempe humilitate, fide, iustitia, patientia, terrenarum rerum contemptu, ac qua uel sola suus obducitur color sponsae, charitate: quae quoniam in terris iam nulla est (abiit dudum in coelum indignabunda) totus confusus est orbis. Hinc praelia, hinc \58.a\ regnandi cupiditas, hinc oppressiones, hinc rapinae, hinc odia, hinc extrema illa demum usurarum calamitas homicidiis ipsis crudelior, originem traxere. Non est (opinor) tam fortis animus, atque ad aduersa alioqui perferenda impavidus, qui hic non timeat, qui Christi uices non doleat, quique non malit e uita excedere, quam in tam aerumnoso rerum statu, in quo nulla habita probitatis ratione, scelestissime uiuitur, perpetuo angi, et cruciari. Censendumne erit uitae aeternae pollicitationem, quam factam nobis a Deo Patre cum alias in scripturis, tum in hac maxime legimus epistola, ad illuuiem istam hominum ambitiosorum, crudelium, inertiumque pertinere? Errant qui id arbitrantur. Siquidem nisi penitus capiti illi, in cuius texturam cooptari cupimus, ac membra censi, similes usqueadeo effici conemur, ut unius omnino fiant uigori, naturaeque, et caput et membra, nulla nobis erit cum Deo portio. Tu uide, ne pro Christi corpore, quod undequaque perfectum esse debet, ac uniforme, chimaeram aliquam, aut monstrum aliud huic simile in credentium coetum obtrudas, sponsamque illibatissimam et uerecundam pro pellice habeas. Ne id contingat, summo enitendum est studio, cauendumque ab illis ipsis rebus, a quarum astu pellecti multi ac seducti, ex membris Christi in

{1555 p. 355}

membra transeunt meretricis. Quam sane metamorphosim eo periculosiorem quo

frequentiorem sanctissimus nostrae timens infirmitati apostolus, sic nos hortatur:

2.26. Haec scripsi uobis de his, qui seducunt uos:

2.27. et uos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in \58.b\ uobis. Et non necesse habetis, ut aliquis doceat uos, sed sicut unctio eius docet uos de omnibus, et uerum est, et non est mendacium. Et sicut docuit uos, manete in eo.

Id uult Ioannes: Haec ideo tot uerbis replico, ac uel usque ad rauim inculco anxius, ne impiorum capti praestigiamentis, a Christo omnium benignissimo, ad mundum, dominum nimirum agrestem et fallacem, transfugiatis.

Non desunt, scio, uestro in coetu seductores qui uestram cauponantes simplicitatem ac fidem, antichristi uerius quam Christiani uocari possunt. Cauete, obsecro, ab istiusmodi uenatorum aucupio: fugite mundum, nam quae, ad mundum attinent, ut laciniosa sunt, ac tortuosa, sic obliquo ueluti gyro ac maeandro ad interitum pertrahunt. Sed quid uos multis moneo?

Ipsa Christi spiritus etiam citra nostram adhortationem, non solum commonefaciet uos, uerum etiam suauius attrahet afflatibus, et nusquam non uestris aderit consiliis. Is quidem quandiu uobiscum erit, nihil uobis ad coelestem nanciscendam gloriam deesse poterit: tantum abest, ut rebus illis, quae ad praesentis uitae institutionem faciunt, frustremini. Nec est uerendum quo minus ea uera sint ac sancta, quae is docuerit, qui ab omni procul abest furore et inquinamento.

Tantum in eo, quod ille uos semel edocuit, perseuerate.²⁴⁰ Ingenii sane uani signum est

{1555 p. 356}

et peruersi, ab incoepto probitatis studio ac proposito facile relabi et deficere.²⁴¹ Rectam, opinor, hausistis doctrinam: non defuit spiritus, non unctio, non Patris aeterni subsidium. Meministis quo uester dirigendus sit cursus, quo labor, \59.a\ quo indefessum illud anxiumque pertingendi metam tum studium, tum conatus. Nihil iam aliud restat, nisi ut in ea, quam edocti estis, ut dixi, persistatis instructione ac doctrina. Atque id quidem non temere: aut sicut hi solent, qui leuissimo agitantur animo, inconsulto, ac interrupte, sed usque ad Christi aduentum perseueranter: quem sane aduentum haud procul esse a foribus praesentisco,

2.28. Et nunc filioli manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in aduentu eius.

Diuus Augustinus legit, Manete in ea, nempe unctione. Verum siue Ea legas, siue Eo, alterum ad Christi refertur spiritum, alterum ad ipsum Christum, quae eadem est unctio,

²⁴⁰ Adhortatio ad perseverantiam. (Exhortation to perseverance.)

²⁴¹ Ingenii signum est uani ab incoepto facile desistere. (It is a sign of an unreliable mind/ talent to desist readily from an undertaking.)

ac dulcis quaedam in anima suauitas, qua mens affecta tota lenitur, atque ad percipienda secreta legis mysteria praeparatur. Sed illud cauendum, ne exorsam in nobis flammam ignauiter restinguamus. Nam Christi spiritus eiusmodi est naturae, ut semper ardeat: nec aliunde, quo suam enutriat flammam, uenatur alimenta. Ipse enim per se ignis est.²⁴² Quocirca peregrinis haud commiscetur incendiis, neque alium ab anima requirit fomitem, ac nutrimentum, praeter ipsam animam. Quae tamen, ni prudens sit, et constans, in eam facile delabitur socordiam, ut ignem tam uitalem pertaesa, ignem alium concupiscentiarum ita strictim amplexetur, ut tota se mundo tradat, quae prius fuerat Dei. Unde duplicis fit rea piaculi: nam praeterquam quod e purissimo sancti spiritus ardore in tetrum illud, letale,

{1555 p. 357}

horrendum, \59.b\ miserabile, detestandumque se demiserit incendium, leuissimi quoque censebitur consilii. Atque in his peccati generibus mirum quam turpiter errent fere omnes. Iccirco non tantum ab huius apostoli doctrina, sed et aliorum, tum maxime ipsius Dei uerbis, tanquam assiduis pungimur stimulis, urgemurque ne exorsum in nobis remollescere sinamus studium. Quocirca non in cassum clamabat Paulus: Spiritum nolite extinguere. Spiritum extinguit, qui a Deo ad mundum transfugit: extinguit, qui coeptum iter iustitiae commutat et praecidit: extinguit, qui ipsiusmet spiritus refutat afflatus: extinguit, qui foedis deditus uoluptatibus in turpissimo commarcescit ocio: extinguit lurco, helluo, rapax: extinguit hypocrita, iners, tyrannus: extingunt hi tandem, qui ob amorem mundi religionem Dei non solum uenalem habent, uerum etiam illa, ad conciliandos sibi honores ac dignitates, pro lena utuntur.²⁴³ Vide in quam miserandam transmutantur formam atque imaginem plurimi ex his etiam, qui primas tenent, aut magis occupant, cathedras in Dei aede, ac templis. Et tamen in anima sic male affecta et turpi non habitat Spiritus sanctus. Haec admonuisse non inutile fuerit, cum propter illos, qui persuasum habent felicissimum hunc scribam Dei in repetendis sententiis multum (pene dicunt superfluum) esse, tum ob quorundam facilem impudentemque in mutando consilio leuitatem. Adeo enim instabiles sunt (de locorum mutatione modo, uel status uitae quandoque male imprudenterque assumpti non loquor) atque in instituenda sua ipsorum uita, et uarii, et \60.a\ imbecilles, ut uno eodemque temporis momento ardere illos uideas et algere. Unde non iniuria crebros illos inculcari audimus stimulos. Vnctio maneat in uobis. manete in ea. Et nunc: Filioli manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in

{1555 p. 358}

aduentu eius. Siue enim aduentum Christi uniuscuiusque mortem, siue iudicium uniuersale, siue etiam particulares illius afflatus intelligas ad animam, non erras, opinor.²⁴⁴ Solet quidem benignissimus dominus antea multis peneque infinitis extimulare modis animas, quam ad extremam illam a corpore separationem peruentum sit, ne tum quidem imparati inueniantur homines cum paratissimi debeant inueniri.

²⁴² CHRISTI spiritus per se ignis est. (The spirit of Christ is a fire unto itself.)

²⁴³ CHRISTI spiritum quomodo extinguiamus. (How we extinguish the spirit of Christ.)

²⁴⁴ Adventus CHRISTI triplex. (The three-fold advent of Christ.)

Magna ea est confidentia, cum quis absque oleo et lampade bene emuncta sponso Christo ire obuiam contendit. Fax purgatissima et accensa in aduentu magni Dei ad nos, est necessaria: alioqui illud erit periculi, ne explosi, exhibatique, ac reiecti a conclauis illo coelesti, et coenaculo, in quo animae beatis atque adeo perpetuis delitiantur epulis cum sponso, ianuam a tergo claudi sentiamus.²⁴⁵

Ut enim facis huiusmodi liquorem ac nutrimentum, fiduciam esse in anima ducimus: ita portarum clausuram animae desperationem, atque in malis perpetuitatem arbitramur. Etenim nullo alio tam longo seiungimur interstitio a sponsi congressu et contubernio, quam desperationis, atque ultroneae a clementissimo Patre, dicamne fugae, an defectionis, ignoro.²⁴⁶ Siue igitur quotidianis ad resipiscentiam pungaris stimulis, siue ad aliam uitam per mortem e corpore euoceris, fiducia \60.b\ tibi opus est ingenti, et ad conciliandum plenius Dei fauorem et gratiam, certa.

Secus enim si egeris, quinam gratiam illam spiritus, quam iustificationem appellamus, quamque a fide potissimum oriri credimus, assequi poteris?²⁴⁷ Cum iustificentur itaque homines gratis per fidem (ut sentit Paulus) quid paues? quid de diuina dubitas clementia? quid illam, illam tam amplam angustiis nescio quibus insulsis, Dei arctas liberalitatem? Visne Deum in morte habere propitium? te totum (quantus quantus sis) in illius proiice uoluntatem. Quae talis est, ut animarum omnium salutem magis ex-

{1555 p. 359}

-petat et quaerat, quam nosmetipsi propriam. At sic tamen interim noster adornandus est cursus, itaque concinnanda nostra haec uitae lampas, ut cum fiducia ad thronum (ut inquit Paulus) accedere non uereamur: nam fides, quae suis denudata est membris ac fructibus, non illa est, quae Deum promereatur.²⁴⁸ Aliter quidem saluandorum quoque Daemonum spes esset non exigua. A qua tamen assertionem pii omnes tam horrent, quam a reliquis illis, quae suam ob impietatem diuinae refragari iustitiae ac naturae, certo norunt. Proinde anima, quae fide illa uiuit, cuius tanquam lampadis inflammatae fomes perpetuus ac nutrimentum diuinus est amor, qui operationum ellychniis ornatus sit, atque altus: ea est, quae in sponsi aduentu non expauescit, non trepidat, non (ut inquit Ioannes) confunditur: sed hilaris et expedita, fit illi obuiam.²⁴⁹ Felix occursus, ac dignus homine illo, qui concessio uitae usu non abutitur: sed ea, qua conditus est a Deo, natura, sic uiuit in hoc mundo, ut uenientem \61.a\ dominum, non ut hostem timeat, sed ut amicum et Patrem uenerabundus praestoletur. Alioqui certe nullam unquam, quae Deo grata sit, inire uitae rationem, ultroque a benignissimo Patre deficere, uoluntarieque delinquere, atque in peccatorum faece ac sorde omnem aetatem consumere, qua fronte? quo animo? qua fiducia Deum offensum, atque infinitis ultroneisque irritatum, iuxta et iratum, culpis,

²⁴⁵ Oleum in lampade ferre quid sit. (What it mans to carry oil in a lantern.)

²⁴⁶ Nullo alio tam lungo [sic, longo] seiungimur a Deo interstitio, quam desperationis. (We are separated from God by no other gap as lengthy, as [that] of despair.)

²⁴⁷ Iustificationem non expectari debere sine fiducia. (Justification without faith should not be expected.)

²⁴⁸ Fides absque suis membris, ac fructibus, minime seruat. (Faith without its members/limbs and fruits saves least.)

²⁴⁹ Lampas fidei quomodo ornari debeat. (How the lantern of faith ought to be adorned.)*

expectabimus iudicem? Dura ea est hominum conditio et periculosa, qui uitam hanc breuem, datamque homini a Patre aeterno, ut mentis aciem in rerum coelestium contemplatione ac desiderio, ullo absque interuallo fixam habeant, in his solum, quae ad carnem mundique oblectamenta pertinent, afflictam obruunt. Quare haud mirum esse debet, si aut in uita admoniti ab incepto pertinacique in malis non resiliunt proposito, aut in morte constituti, iusto Dei iudicio desperant, censentque

{1555 p. 360}

diuinam clementiam suis uictam sceleribus cessisse.

Rumor est nuper hisce in oris dissipatus, Episcopum quendam Pannonium post uitam in aulis principum ac negotiis illis, quae institorem magis decent, quam Episcopum, attritam, lecto grauiter decubasse: qui tamen, antequam e uita excederet, suis a familiaribus rogatus, ut eiectis iam tandem ab animo huius mundi curis atque occupationibus, Deo adhaereret: illique, tametsi grauissime ac hostiliter ab se laeso, fideret, speraretque ab eo ueniam, qui nulli quamuis scelesto suam denegat misericordiam: quin potius stat ad ostium pulsans, nihilque tam cupit, quam ut ad eum fiducialiter recurratur: respondit: Si Deus mihi parcat, non est iustus. His dictis e \61.b\ uita discessit.²⁵⁰

Exemplum sane horrendum id mihi uisum est, dignum tamen memoria, ac quod literis propter illos mandetur, qui simili donati pedo ac infula, nihil sic amant in uita, quam ne suum aliquando praestitisse officium appareant. Certe si quantum oneris secum habeat mitra illa, quae non tam gemmis, filisque aureis ab Idaeis intertexta esse debet phrygionibus, quam pura fide a Dei spiritu, ac tum in Deum, tum in subditos dilectione, qua malint etiam a carnifice millies obruncari, quam ne una quidem aberret a grege ouicula, diligentius expenderent Episcopi, non sic animose rem tantam aggredierentur, non emerent, non uel usque ad fastidium summi Pontificis peterent, fereque extorquerent. Sed hic mihi tempero. Quid enim mea haec interest monere, qui mortuus sum? Ergo ad mei similes tantum, quos eodem in sepulchro mecum Deo seruire gaudeo, secundum mensuram regulae, qua mensus est mihi Deus mensuram pertingendi usque ad illos, scribo.²⁵¹

Non enim quasi non pertingens ad eos superextendimus nos. Ideo si quid scribo, illis scriptum sit. Nam inter meos, et Reges, et Principes, et Pontifices, et populares homines agnosco. Tantum illud

{1555 p. 361}

auero, petoque, ut se tales Deo exhibeant, quales se esse interposito etiam bis iuramento promiserunt. Magna profecto nostra est obligatio, magnum debitum, magnaue, ac indelebilis promissionis syngrapha, obsignata nimirum crucis nota, atque impressione. Si quidem nostra est aliena uita a mundi consortio, manet integra inter nos et Deum transactio [sic, transactio] et pactum.

Sin secus: hoc est, si his quae uel in baptismo, uel in professione \62.a\ denuo polliciti

²⁵⁰ Exemplum episcopi morientis. (Example of a dying bishop.)

²⁵¹ Episcopi veri consilium circa subditorum salutem. (The advice of a true bishop concerning the salvation of his subordinates.)*

sumus, ex animo reiectis, obliteratedisque reconciliationis nostrae cum Deo conditionibus, sic uiuere libeat, ut merito periurii damnari possimus, ius illico foederis ob ruptam fidem resignatur, atque in aliena castra transfugientes, ex Dei filiis, hostes euadimus.²⁵² Siquidem qui amicus est mundi, ut noster inquit senex, Dei inimicus constituitur. Porro mundum non tantum patentia illa flagitia appello, quae perpetrata, ipsis etiam solent esse horri flagitiosis, quantum occultas, peneque incomprehensibiles in animo peccati radices ac blandimenta: quibus inescati plerunque homines, eo trahuntur, quo a mundi illicio, atque hamato fune concupiscentiarum euocantur.²⁵³ Hinc primum promissae fidei obliti, ad diuinas obsurdescunt inspirationes, contemptisque Dei mandatis, in omnem sese proiiciunt turpitudinem. Quid uero malorum atque impudentiae ab affectu inordinato ac turpi oriri soleat, frequentes rerum nostrarum calamitates testari possunt. Tolle igitur nimium illum terrenarum rerum aestum et ingluuiem a Christianis, cessabit quam primum ambitio, cessabit superbia, cessabit hydra illa insolens, unde rixarum omnium emergerunt capita, dominandi cupiditas, atque propterea ad aliena commoda difficultas, ad propria uero tanta rerum effusio ac luxuries, ut nullus unquam uel nostram, uel nostrorum infarciendi libidinem inueniatur modus. Hi sunt quidem fructus carnis, hi sardonici risus, eae insidiae, haec lenoci-

{1555 p. 362}

-nia ea uniuersalia, in quae ipsi quoque interdum impingunt mortui. Contenti enim quidam suo illo excelso gradu, ne dicam laqueo, ferme in aliam prae animi \62.b\ impotentia transformantur speciem, quae non sit hominis sani, sed aut amentis, aut ferae indomitae ac immundae. Quare hisce assueti maleficis, longoque usu attriti atque inueterati in peccatis, ad quemuis Christi aduentum exanimantur.²⁵⁴ Si a primo illo, quo mens ad praeteritae uitae resipiscentiam atque detestationem, quae est diuinae beneficentiae natura, admonentur, pertentari eos contigerit, auertunt actutum animum, resiliuntque, et alio, ne suae salutis monitorem audiant, deflectunt. Adeo miseri, qui ad tam suauem tactum commollescere debuerant, indurantur, atque ultro ad uniuersales spiritus sancti radios hebescent. Si a secundo, tum dico, cum ad supremum peruentum est uitae suspirium, inuitantur, nullum illis discrimen, primane, an secunda uigilia ueniat dominus. Nam cum semper imparati sint, ad minimam mortis memoriam contremiscunt, nihilque tam inuiti audiunt, quam illud Christi: Ecce sponsus uenit, exite obuiam illi. Quo se tunc uertant trepidi? Ad mundumne? quid mundo fallacius? Ad Deumne, quem sibi ultro infensum reddidere? Enimvero si sapiunt, quo scelestius a Deo descuere, eo pertinacius celeriusque ad illum, cui proprium est misereri et parcere, confugient.

Tantum illi fidant, atque in eum quicquid in uita deliquerint ulla absque diffidentia reiiciant. Ignis enim consumens Deus est. Ab hoc sane non tantum ad scoriam usque decoquantur animarum flagitia, uerum etiam in tam nitidam refunduntur imaginem ac

²⁵² Arcta est promissio eorum, quae promittuntur in baptismo, arcta et quae in coenobiis privatim. (The promise/ guarantee of those things is strict, which are promised in baptism, and strict as well those [promised] privately in monasteries.)*

²⁵³ Unde illuuias errorum dimanavit. (From where the filth of errors has flowed.)

²⁵⁴ Cuius sint vitae, qui CHRISTI timent aduentum. (Whose lives are those, who fear the advent of Christ.)*

formam, ut sint tanquam filiae Dei uiuentis, purae uidelicet, atque ab omni prorsus ueteri
63.a\ consuetudine defaecatae.²⁵⁵

Verum ad huiusmodi spiritus immissiones duriores sunt nonnulli, quam ut emolliri uelint.
Itaque in peccatis enutriti, in peccatis etiam irre-

{1555 p. 363}

-parabiliter emoriuntur. Caeterum qualis fuerit status morientium, tale erit et iudicium.²⁵⁶
Unde qui condemnati e uita demigrarunt, eandem secum ferentes sententiam, ante Christi
tribunal sistentur, audituri nimirum iudicium illud horrendum: Ite maledicti in ignem
aeternum. Is erit aduentus filii Dei postremus, in quo Christus, cui Pater omne dedit
iudicium, uniuersalis erit arbiter, reddetque unicuique secundum opera sua. His quidem,
qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem, et incorruptionem,
quaerentibus uitam aeternam: His autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt
ueritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, et tribulatio, et angustia in omnem
animam hominis operantis malum. Habes effectum iudicii. Nunc formam habe ex
euangelio. Cum uenerit filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc
sedeat super sedem maiestatis suae (quis hic primum non expauescit expectans audire
quid id rei sit?) Audiatur. Et congregabuntur ante eum omnes gentes (o potentiam infinitam
nostri iudicis) et separabit eos ab inuicem, sicut pastor separat oues ab hoedis. Quid
postea? Et statuet oues quidem a dextris, hoedos autem a sinistris. Iam uideo hic totam
contremiscere mundi machinam, ne dum iudicandos.²⁵⁷

Tunc dicet Rex iis qui a dextris erunt, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum uobis
regnum a constitutione mundi. 63.b\

Quanto hic gaudio solent hi affici, qui nullius sibi conscii sceleris, illud formidandum
impiis iudicium iucundo praestolantur animo. At tu qui legis intueri, quibus potissimum
praesidiis seruari possis: Esuriui (inquit Rex) et dedistis mihi manducare: Sitiui, et dedistis
mihi bibere: Hospes eram, et collegistis me: Nudus, et operuistis me: Infirmus, et uisitastis
me: In carcere, et uenistis ad me. Et quandiu fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi
fecistis. Eae sunt uerae illae, ac

{1555 p. 364}

solidae, quae decent sanctos, operationes: reliquae uero quae prae se ferunt pietatem, sunt
ad has gradus, atque illarum ornamenta, quarum tamen omnium basis ac fundamentum
pura est fides, quae adeo segniter non ociatur, ut se etiam mortuam contestetur, si cesset.
Noui quosdam non popularis apud uulgum opinionis, quibusque mos erat ne digitum
quidem ab Ecclesiae institutis recedere: siue ieiunia, siue missarum orationumque
frequentiam, siue dierum obseruationes, atque id genus alia, quae gradus bonarum esse
actionum diximus, requireres.²⁵⁸ Verum cum pro re nata succurrendum esset calamitosis,

²⁵⁵ Quomodo Deus ignis sit consumens. (In what way God is a consuming fire.)

²⁵⁶ Qualis est morientium status, talis et erit iudicii. (What the status is of the dying, so
too will be [the status of their] judgment.)

²⁵⁷ Iudicium universale quale futurum sit. (What universal/ final judgment will be like.)

²⁵⁸ Quae a christianis requirentur in die iudicii. (What will be required of Christians on

Nerones dixisses. Quid? Inter ipsas etiam pias alioqui exercitationes uidi illos ita in aduentu pauperis panem petentis furere ac insanire, ut blasphemias quoque, et maledicta inter psallendum immiscerent. Hi quidem dantes non dant. Iccirco quicquid agunt, cum absque fide sit ac spiritu, inter peccata potius connumerari debet, quam inter actiones illas, quae Deo probentur, quarumque obseruatores ad dexteram supremi iudicis collocatum iri non ambigimus. Hi quidem ob fidei candorem ac simplicitatem agni ab agno illo emaculato, \64.a\ qui tollit peccata mundi, appellantur: Illi ob foedam uitae consuetudinem et maleolentiam haedi: de quorum iudicio sic commemorata piorum felicitate, narrat Matthaeus: Tunc ex his, qui sinistris eius erunt, dicet: (Heu miseri, quo uos mundi protraxit amor? Quo carnis illecebrae? quo bonarum rerum neglectus? quo ambitio? Audite o qui ut mundo, sic Deo fucum facere credidistis. Audite increduli: audite rebelles, periuri, decoctores, rapaces, sicarii, hypocritae, homicidae, fures, auari, sacrilegi, blasphemii [sic, blasphemii], et qui uestra Dei clementiam aequasse facinora, imo superasse, iudicastis. Audite quas certas daturi estis poenas. Cohorresco o benignissime IESU, nec absque maximo terrore tuam illam, illam, inquam, tuam

{1555 p. 365}

terrificam, iustam tamen, et necessariam sententiam proferre audeo:) Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et angelis eius. Esuriui enim, et non dedistis mihi manducare: sitiui, et non dedistis mihi potum: Hospes eram, et non collegistis me: Nudus, et non operuistis me: Infirmus, et in carcere eram et non uisitastis me. Et quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Obserua quomodo totius rei Christianae summa sit posita in amore proximi.²⁵⁹ Et quidem statutum est a Deo perfectionem legis esse dilectionem, finemque praecepti charitatem de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta. Ad haec tanta fuit olim etiam apud Ethnicos cum priuati tum publici hospitii cura et obseruatio, ut Plato scriberet, hospites omnes ac pauperes a Deo esse.²⁶⁰ Quae porro genera poenarum subituri sint improbi, \64.b\ quis modus, ubi, aut qua ratione torquendi sint apud inferos, praeter id, quod illa incognita sunt, nostri minime est instituti ea uelle stilo persequi: quae ut arcana sunt, atque in Dei mente reposita, sic rationibus tractata humanis, fidem reddunt aliquantisper infirmam. Idem censendum iudico de his, qui quaerunt, peruestigareque enituntur, quo motus consilio Deus, uniuersale illud fieri decreuerit iudicium.

Superuacanea haec est inquisitio, nodumque in scirpo hi mihi quaerere uidetur. Lego enim et credo fore iudicium, in quo quidem omnes resurgemus, at non omnes immutabimur. Atque ea omnia in momento nictuque oculi gerentur.²⁶¹ Nec tantum homines, sed et angeli beati, tetrique spiritus, coram illo, qui iniuste pro nobis iudicatus, tunc iuste orbem iudicabit uniuersum, sistentur: ubi morosa nulla erit opus discussione, quandoquidem sibi quilibet testimonium illis reddente conscientia ipsorum, atque inter se inuicem

judgement day.)

²⁵⁹ Tota summa rei christianae in dilectione posita est. (All the greatest importance of Christian matters is placed in love.)*

²⁶⁰ Quid de hospitio frequentando senserint ethnici. (What the heathens felt about frequenting a guest house.)

²⁶¹ Iudicium uniuersale subitum erit. (The final judgment will be sudden.)

cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum iudicabit Deus occulta homi-

{1555 p. 366}

-num, innotescet. Et demum pii omnes IESUM aspicient praesentem ad gaudium, impii autem ad moerorem. Turbabuntur, ait sapiens, timore horribili, suamque execrabuntur inscitiam, atque errorem, dicentes: Ergo errauimus a uia ueritatis, et ambulauimus per solitudines inaccessas: uiam autem domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt illa tanquam umbra. Contra uero iusti stantes in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, accipient regnum decoris, et diademae speciei de manu altissimi. Haec, \65.a\ inquam, lego, atque in huiusmodi assertionibus meam alo fidem. Caeterum quae curiositatem sapiunt, quaeque meum exuperant captum atque aciem, tam fugio quam quis alius. Quare ad ea, quibus nostra accenditur fiducia in Deum, reuertentes, arcana haec omnino, et tardis, ut me esse fateor, incognita, sapientioribus relinquamus. Puto enim, syncera fide, ac operationum earum sedulitate, quae a dilectione proficiscuntur, eum nobis conciliari posse Dei fauorem, atque amicitiam, (quae omnia illius dona sunt) ut in quacunque hora aut modo aduenerit, illi obuiam ire minime formidemus: sed prompto animo, atque ob donatam nobis fiduciam hilari et confidenti, sponsum opperiemur.²⁶² Ergo quaecunque accidant aduersa, manendum est in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam. Atque hoc modo in felicissimo illius aduentu neququam pudefacti explodemur irrisi, ut illis fatuis euenit uirginibus, quae acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum. Unde ad fores conuiuii cubantes expectantesque introductorem, illud confusionis plenissimum retulere: Abite improuidae, nescio uos.

En igitur repulsa illa molestissima, qua non iniuria plectuntur hi, qui nulla uitae suae habita ratione in hoc mundo, Christi aduentum non solum timent, uerumetiam, ne esset iudicium atque ultor,

{1555 p. 367}

uanum fore et commentitium exoptant, sibi que, sed frustra, persuaderi uellent. Vos autem, quibus sanior mens est, atque incensae ad sponsi aduentum et tediae et faces,

2.29. Si scitis quoniam iustus est, scitote quoniam et omnis, qui facit iustitiam, ex ipso natus est.

\65.b\ Nulli dubium, quod qui iustificationis gratiam adepti sunt, ideo iusti appellantur, quoniam Christo insiti sunt qui nostrae iustitiae autor est, ac dator.²⁶³ Da hominem quamlibet uirtutibus ornatum ac probum, abscissum tamen a Christo, huic iustitiae nomen haudquaquam hi tribuent, qui probe norunt aequae hominem amputatum a Christo, esse ac

²⁶² Fide, et actionibus, quae a dilectione prodeunt, conciliatur nobis Dei favor. (By faith and actions which come from love, God's favor is acquired by us.)

²⁶³ Iustus quispiam dicitur iccirco, quoniam CHRISTO insitus est. (Therefore anyone is said to be just, because he has been grafted onto Christ.)

palmas solet a vite recisus. Quam ob rem non ociosum est, quod tam crebro inculcat benignissimus dominus, suosque hortatur in se, tanquam palmites in vite manere: Qui manet, inquit, in me, hic fert fructum multum: nempe iustitiae, quae a fide illa, quam in Deum habemus, quaque uniti sumus Christo, originem habet. Unde improba ea omnino est uox, ac detestabilis, qua non nulli se factos quidem homines a Deo haud negant, uerum se iustitiae nomen ex sese nancisci posse asserunt. Id certe perinde est, atque si quis asseuerat sarmentum (ut inquit ille) emucidum posse ex se uuas producere, aut cadauer in cineres iam collapsum posse ex se uiuere ac spirare. Christus itaque, qui non tantum iustus est, sed et ipsamet absolutissima iustitia (aliter pro uniuersali hominum damnatione satis nunquam facere potuisset) ex se filios sui gignit similes, quos fide alit, atque ita charitatis suae potu inebriat, ut unum plane illos secum cum Patre efficiat. Haec est perfecta iustitia, si quod tamen perfectionis nomen in hoc mundo reperiri detur. Raro enim ad tantum animae candorem ac lumen potest quispiam, quamuis in caeteris

{1555 p. 368}

perfectus, euehi, ut non interdum notas quasdam imperfectionis \66.a\ prae se ferat. Sic est huius mundi natura aggrauat enim uel nolentes, trahitque inuitos in peccati legem, nobis nimirum a Deo relictam, ne nusquam desit ad perfectionem exercitatio ac lima. Indicium igitur id certum erit, nos ex Deo natos esse, si ita (quemadmodum ipse iustus est) in iustitiae studium incubuerimus, ut iusti nomine ab ipso iustitiae erogatore Christo cohonestari mereamur. Id nempe studii, atque seduli in uia iustitiae exercitamenti nos a Deo natos, atque insitos illi esse arguit.

Verum in hoc erratur a multis, qui suam uolentes, ut inquit Paulus, constituere iustitiam, iustitiae Dei non sunt subiecti. Sibi quidem uiuere adnitentes, Deo moriuntur: neque unquam, ut idem asserit, per legem legi emori didicere: unde a radice miserrimum in modum degenerantes, nihilque quod pietatem referat et iustitiam, parientes, more surculi abscissi atque proiecti sterilescent.

Danda est itaque opera, in illudque ui summa animi connitendum, ne ab incoepto in nobis per Christum iustitiae itinere deerrantes, in carnem, qui spiritu rem tantam coeperamus, consumemur. Cor quidem torpidum, atque suo in obsequio languidum, non amat Christus, multo minus sordidum, et, quod maxime fastidit, superbum et fictum.

\66.b\

CAPUT III.

3.1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.

Sapientissimus apostolus, atque idem coelestium mysteriorum nuntius, ut erat arcana quadam, hausta nimirum e sinu Christi, diuinae charitatis erga homines imbutus doctrina et cognitione, sic omnes, qui ex Deo

{1555 p. 369}

nati sunt, eadem affici notitia non modo uult, sed et illam ipsam rem tam saepe insinuat, ut plane affirmari queat, neminem, qui id ignoret, ad aliquam peruenire posse, quae uera sit, diuinorum atque adeo propriae salutis notionem.

Tametsi enim humanum id superat ingenium, prorsusque incomprehensibile factum est, quam ampla fuerit atque immensa Dei charitas erga genus humanum: tamen istud nostrum in primis debet esse studium, laborque, et exercitatio, ut id penitus non ignoremus. Qui sane tali uiuunt deliberatione, non queunt non obices omnes, atque impedimenta, quibus necessarium illud praecidi potest consilium, horrere. Ideo a mundanarum rerum cura atque amore auersi, in id solum mentis aciem ita intente dirigunt, ut nihil, quod mundi crassiciem oleat, admittant.

Cum quidem purissimae sit naturae Deus, qui poterit unquam a spisso animo et sordido ne tantillum quidem intelligi? An sit Deus, quis iam in dubium uertit? Verum affectus illos ardentis amoris in Deo erga homines nemo \67.a\ unquam nisi eodem accensus igne cum illo metiri poterit.

Qua de re si quos uideris ultro libenterque in his uersari, quae ad mundum attinent, hos dicas nulla posse ratione ad diuinorum cognitionem introduci.²⁶⁴ Nam res spiritus eo peruestigandae sunt animo, qui nullo alio detentus affectu, in id totus feratur, quod non tam nixu proprio, quam benignissima Dei manu assecuturum se confidat. Hanc sane ob causam puto antiquos Patres antra solitudinum et uastas eremos adiisse, ne quid omnino, quod tam delicatum cum Deo congressum interturbare posset, diligere cogerentur.²⁶⁵ Is felix, qui in his mundi rebus uersando, mundum odit. Nam qui mundum diligit, is ex Deo non est.²⁶⁶ At cuius ditionis ille sit, qui ex Deo non est, tute cogita. Philo in libro, quem de uita theoretica composuit, sic de primis ecclesiae institutis retulit: Renuntiabant, inquit, cunctis fa-

{1555 p. 370}

-cultatibus suis, qui se ad huiusmodi philosophiae, nempe Christianae, disciplinam dabant. Tum deinde omnes etiam uitae sollicitudines abiicientes egressi extra urbem in hortulis uel exiguis agellis degebant, refugientes imparis propositi consortia. Non cibus illuc, non potus apportabatur, sed diuina solummodo eloquia. Ab ortu autem diei usque ad uesperam, omne eis spatium studiorum exercitiis ducebatur, quibus ad diuinam philosophiam per sacras literas imbuebantur.²⁶⁷

²⁶⁴ Qui se ultro, libenterque curis onerant mundanis, ad diuina percipienda fiunt inepti. (Those who voluntarily and willingly burden themselves with worldly concerns, become inept at perceiving divine matters.)

²⁶⁵ Cur patres antiqui solitudines frequentarunt. (Why the ancient fathers frequented solitary places.)

²⁶⁶ Qui mundum diligit, ex Deo non est. (He who loves the world, is not of God.)

²⁶⁷ Quid Philo de antiquis scripserit christianis. (What Philo wrote concerning Christians)

Aurea profecto institutio, qua uerae pietatis culmen est erectum, sed ob ignauiam posterorum, et anxium ad amplectenda terrena studium, pene dirutum.

Sunt quidem necessarii in mundo magistratus, sunt iudices ut Dii habiti in terris, sine quorum autoritate uix \67.b\ ab improbis tuta esset innocentia ueruntamen in tam opportunis bene institutarum rerum praesidiis, omnis abesse debet ambitio.

alioqui sancte optimeque ordinata a Deo, non queunt non confusissime pertractari, si qui rerum potiuntur quidpiam aliud quam uniuersale commodum, atque illius, cuius uices in terris gerunt, honorem appetunt.

Diuites sua libenter impartiant egenis, neque ob fortunarum copiam adeo insolenter turgeant, ut humanae sortis obliti, Christi pauperes ludibrio habeant. atque illa, quae calamitosis erogari decuit in alendis canibus, scortisque et parasitis, insumantur.

Pauperes uero iuxta Dei timorem, uitae necessaria manuum artificio, si datur, sibi comparent: sin minus idonei sunt, quaestuque uita sustentanda est, id agant uerecunde, et parce.

Cuperem quidem ob quorundam impudentiam, et ad aliena ligurienda uoluptatem, omnem omnino tolli ab ecclesia Dei mendicitatem.²⁶⁸ Cuperem etiam, ut opulentiores ita in communicandis superuacaneis saltem benigni essent, quod nemo mendicato uiuere cogeretur. Et certe dum quilibet ex ditioribus sua tantummodo quaerunt commoda et luxum, nihilque non

{1555 p. 371 }

agunt, quo reclamante quoque Dei iustitia, suos tantum, qui interdum propter ignauiam nulli sunt usui, infarciunt et saginent: contra autem, cum tam in immensum iam aucta sit mendicitas, ut fere inuenias qui secus, et si non desint, qui necessaria suppeditent, se posse uiuere denegent: adeo suaue nonnullis factum est id genus ocii. Cum, inquam, haec istiusmodi se habeant modo, non solum urbes et regiones infelicissimo turbantur \68.a\ motu, sed et ipsae omnino religiosorum familiae atque aedes tali nonnunquam agitantur uertigine, ut emporia dicas, aut nundinas.

Censemusne multos in hoc tam sui dissimili, ac turbulento uitae statu posse aliquando eo peruenire quietis atque ocii, ut libere in diuinarum rerum contemplatione uersari queant? nihil minus. Opinantur quidam praesentaneum id fore tot malis remedium, si rite indicta contingant comitia, et generalem tantilli huius orbis nostri synodum acciri detur.²⁶⁹ Sancte hi quidem, sed in eo caecutiunt, quod nondum cunctae illis perspectae sunt rerum earum origines, pro quibus cogendum esset necessario concilium.²⁷⁰

Arbitrantur enim restitutis religiosorum moribus, diminutisque illorum facultatibus ac bonis, totam Christianae Reipublicae machinam pene labefactatam posse denuo erigi, ac instaurari.

Non inficior equidem struem hanc immensam illorum, qui sacris absque delectu initiati sunt, ad tantam deuenisse morum dissolutionem, ut ipsimet in causa sint, quamobrem toti

of old.)

²⁶⁸ Mendicitas inter christianos vix ferenda. (Mendacity is not to be tolerated among Christians.)

²⁶⁹ Concilii celebrandi ratio. (The reason for celebrating/ holding a council.)*

²⁷⁰ Concilium generale necessarium esse, sed non omnes eundem spectare scopum. (A general council is necessary but not all consider the same goal.)

fere orbi stomacho facti sunt, atque horrore, nedum irrisioni. Unde ab his potissimum, ut pote qui primi labantem impulerint religionem, prodire debet iudicium, et id quidem seuerissimum, ne dissimulatis in Deum iniuriis, nihil quod firmam polliceatur lapsarum rerum instaurationem a Patribus decerni possit: de aliis postea uidentum erit, tantum in timore Domini. Non me fugit praeterea quam late principum pene omnium

{1555 p. 372}

ac praelatorum tyrannis aucta sit, quam saeuae ac inexplebiles exactiones, quam maximus humanarum diuinarumque legum neglectus. Vix inter Christianos \68.b\ reperiens magistratum, qui in tractandis negotiis publicis Deum ob oculos habeat. Quaerunt fere omnes quae sua sunt, non quae IESU Christi, non quae religionis, non quae publica concernunt commoda. Iam ita uiuitur a plerisque, ac si fortuito casuque res mundi, tanquam concursus atomorum agitentur. Nulla pietas, nulla clementia, nulla charitas, et adhuc an conuocari debeat synodus in dubium uertitur?

Sed illud stupendum non praeteribo, quod cum fides propemodum periclitetur, atque amor mutuus, unde oritur in nobis Deus, omnino extinctus sit in mundo, ad illa solum tractanda conuenire apparant, quae forsitan ignorata fidei minus officerent, quam eo modo intellecta, quo a plerisque intelliguntur, disputanturque, turgide nimirum, atque ad pompam. Obsecro, quid mea interest definiri, quas in me habeat uires arbitrium, quas uoluntas, quas Dei gratia, si nullo adhibito uitae meae temperamento, neque gratiam uocantem audio, neque manum uoluntati atque arbitrio suam deploranti debilitatem, ac ruinam, porrigo?

Quorsum ad originem, effectumque iustificationis et sacramentorum discutiendum inuitor, qui ab omni prorsus beneuolendi ratione alienus, nihil me agere uideo, quod uiua sit fide nixum: qua, ut sic loquar, sequestra, Spiritus Dei in cor hominis descendit: unde nostra omnis emanat iustificatio, atque ad sacramenta digne percipienda dispositio? Parum est a Patribus decerni, pacem nodum eum esse indissolubilem, quo non modo res conditae in terris, sed etiam quae in coelis, suo in statu conseruantur, uiuuntque in Deo, nisi depositis \69.a\ non tantum armis, quantum belligerandi libidine, atque, unde originem habent concertationes et rixae etiam in pacis templo, ambitione, uim

{1555 p. 373}

nobis magis inferri patiamur, quam nos aliis inferamus. O inscitiam hominum. non pascitur, crede mihi, doctrina nostra hac uanissima Deus, neque more humano istiusmodi genere scientiae, quae inflat, delectatur. Quare nostrae prius corrigendae sunt appetentiae, dirigendaeque a mundi amore in Deum, quam ad illa peruestiganda definiendaque accedamus, quae purgatissimum requirunt animum. Sic nimirum placato numine, nostrumque ad concilium accersito Dei spiritu quid non exorabunt Patres? quid non recte sancteque sancient in Dei nomine congregati? Qui ita suas condunt leges ac decreta, ut nihil aliud spectent quam Dei honorem, hi profecto filii Dei sunt, hi digne praestant aliis, hi facile dissidiosorum hominum atque haereticorum destruentes consilia, omnemque altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei attenuantes, in captiuitatem redigent omnem intellectum, in obsequium Christi.²⁷¹ Quid? in promptu habentes omnem ulcisci

²⁷¹ Qui leges condunt, hi nihil aliud, quam Dei honorem spectare debent. (These

inobedientiam et impietatem, fraenum mundo uel reluctanti iniicere ualidi erunt. Sic sunt illi, qui a spiritu Dei nostri sancto illustrati, non a spiritu Dei huius seculi nequam obcaecati, mundo ferocienti dominantur, eumque ad timoris Dei regulam informant. Alioqui segnibus conductis agricolis in uineam domini, neque maceries, neque ulla unquam obstare sepes poterit, quin turmatim porcorum greges irrumpant, qui totam conculcantes uineam, ita integre depascant racemos, ut ne unus quidem \69.b\ in lacum illum, in quem e praelo, quod solus calcavit Christus, redemptionis liquor effluxit, a uinitoribus inferri possit. Atque ita Christus ab hominum malitia pene superatus, e uinea excedet, aliosque (Turcas fortasse ac Sarmatas) quibus tuto suam commendet sponsam, eliget defensores. Interim autem uos, o qui non tam Casini, quam contemplationis montem illum sublimem, in quo beneplacitum est Deo habitare, colitis, uidete qualem

{1555 p. 374}

charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus. Videte, inquam, quam charos habuit nos Deus, ut non solum amicos, uerum etiam filios et dici et esse uoluerit. Tametsi enim uerbum Simus, non sit apud Graecos, additum tamen adeo non corrumpit sensum, ut etiam iuuet, reddatque uenustiores, gratumque magis, ob rudiores maxime, quibus nondum compertum est, nullum omnino esse discrimen inter dici et esse, cum nomen, quod os Domini nominauit, a Deo alicui tribuitur. Diuus tamen Augustinus hac de re ita scribit: Qui uocantur et non sunt, quid prodest illis nomen? nihil prorsus (arbitror) si sint ex illis, de quibus in prouerbiis ita legimus: Nomen impiorum putrescet. Secus uero de illo censendum, de quo sic quidam: Nominabitur tibi nomen tuum a Deo in sempiternum. Quale istuc est nomen? pax iustitiae, et honor pietatis. De Hierusalem, sancto nimirum electorum coetu, praedixit Baruch propheta. Vtrum igitur uerbum addas Simus, uel ne, haud multum adeo refert. Id curandum potius, quod tale sit nobis nomen a Deo datum, ut intra se nostrum quilibet sentiat Dei spiritum operantem \70.a\ clamantemque, Abba, pater. Ea proprie filiorum uox est, atque illorum qui per gratiam et adoptionem filio Dei insiti sunt: et ita insiti, ut unum plane iam factum sit in ipso Deus, et homo. Nam ad rationem summi boni spectat, quod summo se modo communicet cum creaturis: quod sane tum fit, cum naturam creatam tam sibi arcte copulat, ut ex tribus, uerbo scilicet, anima, et carne, una fiat persona.²⁷² Quod si humanam carnem iuxta suae naturae conditionem Deo in unitate personae uniri non decuit, decuit tamen Deum, qui propter incomparabilem suam dilectionem et charitatem ea ipsa unione genus hominum seruare decreuerat, nostram non exhorrescere naturam. Non ideo tamen mutatus est Deus, qui semper est immutabilis: sed

{1555 p. 375}

nostra immutata est natura, quae cum uaria semper fit, atque ab ipso primo suae conditionis exordio sui dissimilis: nihilo minus ab ipsa uerbi assumptione habuit, quod ex

[people] who establish laws, ought to consider nothing other than God's honor.)

²⁷² Ad rationem summi boni spectat, ut se summo modo communicet cum creaturis. (It attests to the plan of the greatest good, that one shares himself with creatures in the highest way.)*

terrena et mutabili sit effecta Deiformis, atque unius omnino spiritus cum Deo.²⁷³ Siquidem tanta est Patris aeterni charitas, ut naturam humanam ad tam excellentem gradum cum uerbo euexerit, ut eadem omnino sit facta hypostasis naturae diuinae atque humanae: ita, quod genus id nostrum alioqui luteum et mortale, secretissimo quodam modo ac ratione diuino innixum stipiti, in Deo magis sit ac uiuat, quam in sese: more nimirum surculi in ramo alterius arboris insiti, (sic humanis, atque omnibus obuiis, utendum est exemplis:) cum ramus sit arbori naturalis, surculus uero insititius, una tamen est arbor, unus truncus, una radix. Ecquid igitur boni \70.b\ a tam admirabili ac stupenda insitione sperari potuit? quid coniunctio illa? illa, inquam, coniunctio ab immensa aeterni Patris charitate profecta nobis attulit praesidii quid fauoris? Illud sane, quod ab ipsa Christum Deum et hominem, nempe fratrem nostrum, accepimus. Charitatis enim Dei immensae, atque adeo imperscrutabilis bonitatis erga hominum genus haec fuit significatio: siquidem ab homine contemptus, non propterea ab aeterno suo illo seruandorum hominum consilio refrixit: neque perinde rem tam indignam ac nefariam est auersatus, tulitque indignabunde, quin limum istum nostrum uilissimum, atque illi infestum, arctissime uinciret, itaque sibi adglutinaret, ut nisi conatu ingenti prostratae uoluntatis a tam felici atque arcto coniunctionis uinculo enodari non possit. Quid Deo sublimius? quid limo abiectius? Et tamen, (O incomprehensibilem aeterni Patris dignationem) Deus ad limum descendit, Deus limo unitur. An id satis illi uisum est? quid? homo, limus uidelicet alga ipsa uilior, ad tam excelsam prouectus est

{1555 p. 376}

sublimitatis altitudinem per Christum in Deo: ut quicquid egit Deus in terris, id limum egisse fateamur, credamusque illa Deum uere pertulisse, quae tulit limus in Christo. Sic e stercore eleuatum est genus humanum: sic Hester depositis uestimentis pullis et lugubribus, introducta fuit ad Regem, a quo regni diademate donata, Vasthi loco regnare iussa est: sic tandem homines ex inimicis facti sunt filii Dei uiuentis, non solum amici.²⁷⁴ Et id quidem propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, lauitque sordidos in sanguine \71.a\ filii sui dilectissimi, quem propitiatorem posuit pro his, qui longe erant, et qui prope, quique profugi a facie domini illam secum, quemcunque peragrassent locum, ferebant sententiam: Vagus et profugus eris super terram. At quid illud profligatae desperationis indicium?

Maior, inquit, est iniquitas mea, quam ut ueniam merear. Addiderant igitur flagitiorum cumulo etiam desperationis iniuriam, itaque pertinaciter in retrahentem a fuga induruerant homines, ut nullum omnino tanquam exanimis experirentur conscientiae stimulum, morique potius decreuerant, quam Deo uocanti assentire: illique, quem a fasciis ipsis offendere didicerant, reconciliari. Ergo propter nimiam charitatem suam, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo: ergo in Christo, per quem accessum habemus in uno spiritu ad Patrem, reconciliati sumus Deo: ergo de gradu eiecta, atque

²⁷³ Natura humana ita est Deo unita, ut magis in illo sit, quam in sese. (Human nature is so united with God that it is more in him/ that than in itself.)

²⁷⁴ Nulla hominis dignitas, aut virtus Deum unquam promeruit, sed ipse Deus per se **animam**, tanquam Hester Vasthi loco regnare uoluit. (No dignity or virtue of man ever deserves God, but God himself wished the soul to reign by itself, like Hester in place of Vashti.)*

occisa Vasthi, illa scilicet immani lege peccati, discissum fuit mortis decretum. Quis istud tam insperatum nobis attulit beneficium? nonne Deus? nonne Pater aeternus? nonne ille, qui suas fore asseruit delitias cum filiis hominum conuersari? Causa uero? charitas, amor, bonitas. Hominumne? Quid hominum? Dei. Quid enim succi ab arido stipite, aut saxo prodire unquam potuisset? Quid a Pyratibus? Quid a statuarum simulacrorumque cultoribus, ac par-

{1555 p. 377}

-ricidis, uel clementiae uel religionis sperari debuit? Omnes enim in id ultro conspirauerant, ut Deo aduersarentur. Qua de re non hominum bonitas, quae nulla erat: non amor, qui e terris excesserat: non charitas, quae dudum ¶71.b¶ fugata in Dei sinu latebat, tantorum bonorum causa extitere. At Deus ex se se motus misit filium suum ueluti colonum in terris absque diuersorio, qui Patris tabellam iam a principio obsignatam, firmatamque iracundiae pessulo, resignaret apertamque e cruce, loco nimirum orbi uniuerso conspicuo, palam ostenderet, in qua sane uox ista aureis formata erat literis, CHARITAS. Hanc homo laetus inspexit, atque inde ueniam sperare coepit, et uitam. Conspexit et daemon, ac horrendum in modum exterrefactus, se regno spoliatum iri praesensit.

Nec quidem falsus fuit: mortuo nanque Christo, atque e tumulo excitato, quin etiam ad dexteram Dei patris gloriosissime ascito, captiua ducta est captiuitas: Morteque prostrata et interfecta, expunctum fuit debitum, atque ob datum pacis osculum, unum facti sunt Deus et homo.

Dum enim hominem tot interstitiis a Deo dissidentem assumpsit Christus, per crucem interficiens (ut inquit Paulus) inimicitias in semetipso, mediumque parietem maceriae dissoluens, fecit esse unum Deum et hominem, uitam (ut sic loquar) et mortem, gratiam et peccatum.

Unde indelebilis se reum facit culpae, qui tam beatum gratuitumque Dei nodum cum anima dissoluere non ueretur. Nam sic uno copulatos ardore, et eo quidem diuino ac aeterno, quo mediatore non solum filius unus est Deus cum Patre, uerumetiam spiritus humanus unus fit cum Dei spiritu, quid unquam dirimet, nisi mens hominis a Deo auersa, atque exultans in peccatis uoluntas? Siquidem inuita humana uoluntate istiusmodi non fit coitio, atque cum ¶72.a¶ Deo unio.²⁷⁵ Quapropter sicut ipsa, pars ea est hominis, quae cum Deo libera-

{1555 p. 378}

-lissimo atque eodem salutis animarum appetentiore quam ipsae sint animae, transigit: ita eadem uel sola est, quae uiolato foedere inuitae semel cum Deo copulae, abrumpit conditiones pacis, fitque actutum e filia Dei filia Babylonis misera. Nec sic tamen suos illos infinitos uniuersalesque charitatis radios a mundo subtrahit benignissimus dominus: si quid peccatur, tolerat, fertque nostram quodammodo humeris miseriam: ut uel sic saltem ad Patre tam beneficum recurrere non uereamur, dediscamusque animi desperationem, ac

²⁷⁵ Voluntate hominis inuita non fit unio cum Deo. (Union with God does not result from man's reluctant will.)

iuxta in perseuerantia peccati impudentiam. Itaque iam demum resipiscamus ad uita, ex animoque expendamus qualem charitate quantamque beneuolentiae significationem dedit nobis Pater, ut filii Dei et nominemur, et reuera simus.

3.1. Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eum.

Ecce palam ulla absque periphraasi uir sanctus asserit Deum a mundo ignorari. Non nouit (inquit) eum, nempe Deum. Ecquis non nouit? mundus. astrane? sol? luna? plantae, terraeque animantia suum non norunt opificem? profecto coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum.²⁷⁶ Suo enim modulo res conditae, quamuis expertes uitae, laudant Deum, cum ab indita ui naturae, atque praescripta rei cuilibet existendi lege summo ab effectore neutiquam recedunt.

Ecquis igitur iste est mundus tam ingratus? tam sui parum compos, qui suum non agnoscat conditorem? eum puto, de quo ita concionatur Christus. \72.b\ Cum uenerit ille (Spiritus intellige Patris) arguet mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio. Illud item:

In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego uici mundum. Mundus ergo iste uisibilis non is est, quem iri a Paracleto reprehensum edisserit dominus: sed ille,

{1555 p. 379}

cuius principem ac rectorem ui eiiciendum esse diuina affirmat autoritas: ille, inquam, quem diuus Petrus mundum impiorum appellauit. Sic enim de Deo praeteritorum scelerum ultore loquitur.

Diluuium mundo impiorum inducens, et ciuitates Sodomorum et Gomorrhaeorum in cinerem redigens euersione damnauit. Clarius adhuc Paulus ad Ephesios scribens. Cum enim Christi coniunctionem cum Ecclesia, quae est corpus ipsius, et plenitudo eius, descripsisset: asseuerassetque ipsum Dei filium in omnibus pro omni bono suppetere, ut pote, qui omnia in omnibus adimpleret: mox intulit, Et uos quoque conuiuificauit, cum essetis mortui delictis et peccatis uestris, in quibus ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiae: in quibus et nos aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostrae, facientes uoluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii irae. Ecce quam musice suo depinxit colore mundi faciem diuinus philosophus. Et nos quoque nonnulla in superioribus attigimus. Vide quomodo gradientes inter delicias atque oblectamenta huius mundi, mortuos appellat apostolus, nimirum Deo ob delictorum frequentiam atque habitum, quo inebriata anima, sensuque illo sublimi, quo in Deo uiuitur, \73.a\ destituta intermoritur[.] Ad haec, qui principi, siue ut illum uocat Paulus, Deo seculi huius nequam, dicto parent, hi diffidentiae filii, ut cernis nuncupantur, hoc est, increduli, ac parum Christi meritis fidentes. Et demum nil nisi carnem, iram, mortem, Sodomam, Gomorrham, et alia id genus permulta hoc in mundo immundissimo connumerari audis. In quibus (inquit) et nos aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostrae, facientes uoluntatem carnis et cogitationum: Hoc est, et animo et corpore toti peccatis expositi et obnoxii. Iccirco eramus natura

²⁷⁶ Qualis sit mundus, qui ignorat Deum. (What the world is like that ignores God.)*

{1555 p. 380}

fili i irae, nempe diuina digni ira, atque ultione. Vides, (ni fallor) huiusce mundi, qui Deum non nouit, effigiem: uides periculum: uides imposturam: uides cantus circaeos. Miror si quis iam sit, quem scorti huiuscemodi fucosi latere possit uafricies, falsique risus. At mirari qui pergam? quorundam potius dolere debeo peruicaciam, ne dicam ultroneas in Deum iniurias, et uoluntarios uoluptuososque in impietatem lapsus: qui nulla uel baptismi, uel professionis rerum earum, quae mentem a sensibus, atque proinde a mundi dilectione euocare possent deterriti memoria ac monitu, ubicunque degant, aut quacunq;ue in re laborent, siue sacra ea sit, siue prophana, mundum in sinu portant: hoc est, pessundato Dei timore, non nisi, quod aut dolum, aut insidias, aut simultates aut libidinem, aut auaritiam, aut tyrannidem, aut ambitionem referat, cogitant, callentque astutissimi (si Deo placet) ueteratores.²⁷⁷ Per illos sane non stat, quin diu sua ipsorum culpa uacillans euertatur religio, subuersaque sancte \73.b\ uiuendi disciplina, mundus ea tandem obtineat, quae haud multo pridem a sanctissimis, ipso etiam reluctantante mundo, deuicta fuerant uiris.

Ergo illud certissima definiri potest asseueratione, mundum ab illis amatum, qui mundi odium profitentur, bonarum rerum exitium, atque instantem praedicere calamitatem. Verum tu, o Christe, cuius hic res agitur, prius quam spinae istiusmodi acutissimae in rhamnum coalescant, succide illas, ad nihilumque deueniant tanquam aqua decurrens: et si quas dirigunt in te sagittas, tu illas, qui potentissimus es omnium, perfringe: fiantque limacibus persimiles, qui inter repandum colliquescunt. Et certe quid nisi repunt cochleolae istae tumidissimae? Possunt sane in curribus, et equis nonnihil ferocire, atque in gratiam fortunae, cuius sinciput se apprehendis glorientur, ineptire, ac penitus dementare. Verum si res mundi huiusce fastuosas

{1555 p. 381}

et ludicras, ob quas ii mirandum in modum insolescunt cum rebus Christi seriis conferre libeat, nihil aliud, ut diximus, quam repunt cochleae. Tantum animos non abiiciant probiores: nam Christus, qui mundum se in illorum gratiam uicisse fassus est, uincet et, credo, ampullas istas ludentes in gremio suae dominae. Hinc nos etiam qui Dei honorem pluris facimus, quam illi suum mundum, ignorant ad unum, eosque omnino praeterit, quod illius assuti sumus corpori, quem, ut licentius suo frui mundo possent, non esse uellent. Quod si illius non penitus ignorant maiestatem, prouidentiam quoque, et quibus omnia suo in statu perseuerant condita, tum potentiam, tum uirtutem, \74.a\ bonitatem tamen, atque in ferendis sceleratissimorum hominum contumeliis patientiam, contemnunt. Id est enim non nosse Deum, atque illius membra prorsus ignorare. Imo cognita acerbissimis diuexant modis. Nec mirum quidem, in mundo sunt, ut iam praedixit dominus, et de mundo non sunt, sed filii Dei cum sint, illius quoque sunt haeredes, cohaeredes autem Christi, unde sequitur:

²⁷⁷ Quid sit mundum in sinu ferre. (What it means to carry the world in one's breast.)

3.2. Charissimi nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus. quoniam uidebimus eum sicuti est.

Benignissimus dominus cum etiamnum in terris nobiscum ageret, nihil fere tam euidenter docuit, quam mundi contemptum.²⁷⁸ Non enim Dei sapientiam latere potuit, pugnare intersese Dei amorem atque amorem mundi. Iccirco suos de mundo nequaquam fore praedixit: Vos, inquit, de mundo non estis, sed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Ecquid unquam a tam fallaci domino requietis sperari potuit? Audite. In mundo

{1555 p. 382}

pressuram habebitis. Verum confidite, quia ego uici mundum. Hae sunt delitiae, quas hi a mundo expectant, qui in Dei castris militant, pressurae, odia, proscriptiones, exilia, atque huiusmodi alia pene innumera, quibus Dei amici libentissime obnoxii sunt.²⁷⁹ His dignus, inquit, non fuit mundus. Quare sic sua a mundo accepta uulnera testabatur Paulus: In omnibus (inquit) tribulationem patimur, laboramus, persecutiones sustinemus, humiliamur, deiicimur, semperque mortificationem IESU Christi in corpore nostro circumferimus, at \74.b\ ea spe tamen, ut uita IESU manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui uiuimus in mortem tradimur propter IESUM, ut et uita IESU manifestetur in carne nostra mortali. Aegro quidem, atque irato haec audiunt animo mundi amatores, iridentque si quis illorum derideat insaniam: quanquam certe non res ea digna uidetur risu, sed dolore potius immenso, cum quis, ex illis etiam, qui se mundo imposturam fecisse opinantur, sic molliter, atque effoeminate uiuit, ut malit muliebrem uel in ipsis Dei aedibus mundum expiscari, quam inter mundissimas spiritus delitias, amaras tamen, atque insolitas suis, uersari. Unde illud oriri cernimus, quod hi plerunque mimos, morionesque, aut pictum pauonum more famulitium, et collusores, forsan et nepotes proprios, ne dicam filios, seu maui spurios, pluris faciunt, quam Christi egenos. Vidi equidem semel quendam non aspernandi nominis antistitem, ita manum in delitiis habuisse, ut ne interrogantes quidem, aut officii causa illum de more deducentes (intentus nimirum tolutario, qui forte pexus bellissime aderat) uel audiret, uel comitatum illum officiosum, gratum se habere indicaret.²⁸⁰ Sed festiuiter circumspectans modo iubas equi, modo dorsum leniter manum molli, atque ex contactu manicae odorata contractans, nihil aliud quam dilecto

{1555 p. 383}

gradario caeteris interim neglectis adblandiretur. Exhorruui, fateor, hominis leuitatem, ne

²⁷⁸ Nihil tam euidenter edocuit CHRISTUS in terris, quam mundi contemptum. (Christ taught nothing on earth so manifestly as contempt for the world.)

²⁷⁹ Delitiae illorum, qui CHRISTO merent, pressurae sunt, et erumnae [sic]. (The delights of those who serve Christ are afflictions and troubles.)

²⁸⁰ Exemplum cuiusdam antistitis contra mollitiem vitae. (Admonition of a certain minister against the softness of life.)

dicam impudentiam monstrumque tunc uisus sum deprehendisse sub graui illo habitu, informe, non hominem, cui animarum curatio tuto committi posset. Et tamen huiusce farinae \75.a\ praesules quoquo te uertas, in sponsae ludibrium ebullire uides, et emergere. Heu sortem mundi infelicissimam. Ex lue sane istiusmodi letali iam facta est domina gentium sub tributo, corruique Sion ad Struthionum planctum.

Hae nempe pressurae illae sunt ineuitabiles, quas nusquam suis deesse filiis decreuit Pater aeternus: quasque ego non tam cruciatibus ac poenis, quas corporibus hisce moribundis a tyrannis inferri uidemus, metiri soleo, quam moerore illo, quo miserandum in modum hi affliguntur, qui Dei uineam ab ipsis cernunt deuastari agricolis et uinitoribus. Et tamen secretissimo Dei consilio sic fieri oportere non inscii sumus.

Iam illud inter caetera nostram omnem leuare posset molestiam, atque huiuscemodi animi aestum lenire, si Dei uoluntatem in omnibus, quae occurrunt, non detrectantes, prompto id amplectamur animo, quod necessario nostram ad exercitationem a Deo mitti certo scimus.

Intuere num uerba illa Christi apud Patrem pro suis tunc habita discipulis moerorem omnem illum etiam, quo ob conculcatam afficimur religionem auferre queant, uel ne. Queunt certe, modo ea, qua conuenit in Deum fide et dilectione, expendantur. Ego dedi inquit, eis sermonem tuum: (en praesentaneum in primis contra mundi uulnera remedium) et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in ueritate: sermo tuus ueritas est. Haec forsitan domine ad tuos solum spectabant discipulos, non ad alios quam multis adhuc

{1555 p. 384}

\75.b\ obiectos erroribus et peccatis. Audi: non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te. Audio domine, et me ex illis unum esse, qui ad tam felicem admittuntur copulam mihi persuadeo. Nec falsus sum.

Verum tu interim sine quo inanis est hominum conatus, inanis cursus, inane item consilium et deliberatio, meam adauge fidem, iuua conatum, insinua uires: imo, quo obnixius tenaciusque tibi adhaerere possim, sic meum erudi animum et uoluntatem, ut te solum uim eam esse et uelim et intelligam: per quam, ut tuus ait Paulus, fiduciam et accessum habeam in confidentia per fidem, qua in te uiuo. Ita enim abs te non tantum motus, uerumetiam et impulsus, et usque ad stadii metam sustentatus, ea omnia, quae debilem hanc animam in cursu tam difficili remorari solent, haud pluris faciam, atque solent pueri a fictis excitati terriculamenti, in sinu matris sese abdere. Tuta omnia quamuis horrenda sibi tum fore existimant. Tu et si Pater es, et is quidem nostri amantissimus, affectum tamen illum etiam maternum, quo nostram alioqui meticulosam exuscitare consuescis erga te fiduciam, quotidie experiri nos facis, eoque donas spiritus ardore ac testimonio, ut audeamus te Patrem appellare, atque subinde ad te tanquam ad tutissimum matris sinum confugere. Hac igitur animatus persuasione, cuncta quae hic mihi tuo a discipulo scribuntur, omni reiecta haesitatione ac diffidentia, tum libenter audio, tum mihi ipsi cum primis dici non ambigo: Charissimi, inquit, \76.a\ nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus quoniam uidebimus eum, sicuti est. Dixerat enim nos mundum ueluti diuersae factionis

milites non agnoscere. Nec mirum, ait, si mundus non cognoscit Dei filios, cum

{1555 p. 385}

Deum ipsum ignoret. Verumne quid huiusmodi nos turbet odium, illud in mentem ueniat, quod sumus filii Dei. Certe qui tali dignantur cognitione ut se Dei filios esse sibi persuadere possint (quemadmodum sibi quilibet, ne semper in itinere nutent iustitiae, persuadere debent) tanti aestimant mundi indignationem atque iniurias, quanti res caeteras fortunae ludicras, et nihili.²⁸¹ Cum enim ad tam sublimem mentis excellentiam et dignitatem euecti sint, ut se Dei haeredes, cohaeredes autem Christi fore intelligant, se rerum quoque conditarum dominos per Christum esse intelligunt. Quare mundi ineptias deridentes, eo tanquam mimo aut histrione in scena hac stultorum uti consueuere. Vidistine unquam pantomimos uarias in species seu morum seu personarum sese transfigurantes, cachinnos mouisse spectatoribus? ita mundi stultitiam, addo et feritatem, et, si lubet, delitias contemplantur, feruntque filii Dei, quem breui, transacto uitae huius citissimae curriculo, se uti est inspecturos et credunt, et maxima mentis laetitia praestolantur.²⁸² Quandiu enim in hac cum mundo colluctatione exercitatur, uix fieri potest, quin aliquam saltem ex tetro, puluerulentoque pugnae istiusmodi genere contrahamus labeculam et nigriciem: qua impressa, impossibile plane est, eam nos posse ostendere nunc dignitatem \76.b\ ac splendorem, quem post bellum istuc ineuitabile in coelis cum Christo expectamus. Id quidem temporis ad pugnam attinet, non ad triumphum.²⁸³ Adest sane dignitas, sed non uidetur, non apparet, non quales futuri sumus in Christo comprehendi potest. Cum porro Christus apparuerit uita nostra, tunc et nos apparebimus (ut inquit Paulus) cum ipso in gloria: Deoque, non natura, sed qualitate similes erimus: nempe beati, sancti, iusti, puri, immortales.²⁸⁴ Ad haec, nos qui Christo per crucis tolerantiam, mundanarumque rerum despicientiam atque irrisionem,

{1555 p. 386}

similes sumus, erimus et in futurum in maiestate gloriae. Nonne uidimus eum, cum in humanis ageret, rerum omnium huius mundi contemptorem? nonne abiectum? nonne a satrapis, superciliosisque scribis et pharisaeis, hypocritarum scilicet agmine derisum? nonne a mundo ipso, qui eum non cognouit, male habitum?²⁸⁵ quid tum, cum uita illa, quae nunc abscondita est in Deo, innotuerit? tunc illum uidebimus sicuti est, ac semper fuit, mirabilem, excelsum, incomprehensibilem, substantiaequae sibi soli cognitae.²⁸⁶

²⁸¹ Quilibet sibi persuadere debet se Dei esse filium, ne semper haereat. (Anyone who must persuade himself to be a son of God, does not always adhere.)*

²⁸² Sancti viri hunc mundum eo mirantur modo, quo mimos solent scaenicos. (Holy men admire the world in that way, in which they usually [admire] theatrical farces.)

²⁸³ Id temporis ad pugnam attinet, non ad triumphum. (At that time it concerns the battle not the victory.)*

²⁸⁴ Deo qualitate, non natura similes erimus in coelis. (In heaven, we will be similar to God in quality not in nature.)

²⁸⁵ Qualem in terris vitam vixerit CHRISTUS. (The sort of life Christ lived on earth.)

²⁸⁶ Quo modo videbitur Deus a nobis pro uti est. (In what way God will be seen by us for [what] he is.)*

Caeterum quis similis unquam fuit Deo in filiis Dei? Ipse enim qui magnus et terribilis est super omnes qui in circuitu eius sunt, sibi soli est notus. alioqui cum uidere (ut ait quidam) et intelligere comprehensionis sit species, is qui Deum intelligentia assequeretur, aut Deo maior esset, aut ipse Deus. Cernetur igitur a nobis modo plane ineffabili in suae deitatis substantia, ut creator a creatura cerni potest. At nunc interim quidem a nobis uidetur per speculum in aenigmate, \77.a\ quasique per transennam intuitu fidei atque oculis illis, de quibus ita Christus: Beati oculi qui uident ut uos uideatis. In futura uero uita secretissimo modo, atque omnino nobis, quandiu in carne sumus, incognito, eum uidebimus. Si quidem ratio uisionis illius, quemadmodum a separatis a corpore animis comprehenditur, palam nobis nunc esset, iam beati essemus: quando quidem ea beatorum propria est portio, atque usus.

At nunc interim quidem a nobis uidetur per speculum in aenigmate, /77.a/ quasique per transennam intuitu fidei atque oculis illis, de quibus ita Christus: Beati oculi qui uident ut uos uideatis. In futura uero uita secretissimo modo, atque omnino nobis, quandiu in carne sumus, incognito, eum uidebimus. Si quidem ratio uisionis illius, quemadmodum a separatis a corpore animis comprehenditur, palam nobis nunc esset, iam beati essemus: quando quidem ea beatorum propria est portio, atque usus.

Hic nobis tantum in hoc mundo pro uiribus est enitendum, in illudque totis (ut aiunt) neruis incumbendum, ut si coelestis imaginem (ut eam appellat Paulus) induere, nobiscumque ferre post mortem efflagitemus, terreni effigiem tantisperdum in carne uiuimus, dediscamus, exuamusque si quid ueteris inhaesit Adae: atque illud in primis cogitemus, nos haudquaquam gloriae Christi consortes fieri posse,

{1555 p. 387}

nisi et crucis fuerimus. Porro crux Christi in eo maxime uersatur, ut uel lenociniis, uel aduersis mundi huius fortiter exantlatis, in amorem ac desiderium illius, qui crucem sibi prius quam nobis fabrefecit parauitque, totis animi uiribus feramur. Alioqui res est, quae desidiā omnem atque molliciem eam, quam in tolutario antistite in superioribus nos uidisse diximus, excludit. Nihil effoeminatum in suis amat Christus, nihil sordidum, nihil fucatum, nihil ambitiosum, nihil quod absque sua cruce sit.

3.3. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est.

Parum quidem esset nos ex Deo natos esse opinari, persuasumque habere \77.b\ Dei uisionem piarum esse in coelis perfecta animarum felicitatem, nisi et spes esset cuilibet se id, quod hac de re credit, adipiscendi.²⁸⁷ Qui tali imbutus est fiducia, ea omnia quae suum impedire possunt cursum remouet, illaque sectatur, quae uim suppeditant ac fauorem. Et ut quidem Dei filius in hoc etiam mundo, alioqui caliginoso et obscuro, totus coelestis fuit ac purus: ita qui ad sanctissimum illius spectant commercium, omni uacare debent inquinamento ac turpi amore. Proinde non modo ab ipsa nefanda lue peccati abstinent, horrentque a delictis illis ultroneis, quae mortem inferunt animae: uerumetiam causas

²⁸⁷ Spes unicuique esse debet adipiscendi, quae de futuris credit bonis. (Each person ought to have hope of obtaining what he believes concerning future good.)

diuerticulaque ad peccatum pertrahentia, tanquam uenenatas dipsades aut cerastes euitant. Nunquam eum tutum dixero, qui se facile periculis exponit, quique ultro uel fugientes quasi illicia ad peccatum, occasiones uenatur. Is certe nondum de his plenam hausit notitiam, et si de illis magnifice blatteret, quae praestolamur post mortem in coelis, aut uana illa fore opinatur, uel si uera esse non dubitat, spe tamen tenui nixus, ut diuitiarum coelestium non plene

{1555 p. 388}

gustum nouit, sic eas a Deo sperare, quem sibi iratum esse iudicat et implacabilem, non audet. Unde absque coelestium expectatione ac fiducia uitam hanc miseram (qui tales sunt) transigentes, toti in appetendis corporeis occupantur.

Atque ita infelix anima, nata nimirum ad contemplanda diuina, mutata sorte, ad amplexanda stercora, nempe delitias mundi, conuertitur: mortua quidem Deo, mundo uelit nolit uiuere cogitur. At non eo se habent modo hi, qui abiecto \78.a\ terrenarum rerum affectu, in inquirendo sponso toti sunt.

Hinc (ut dixi) continuis sese exercentes pietatis studiis, in Deo spe uiua requiescunt: id est, ut ait Ioannes, sanctificant se, sicut et ille sanctus est. Quocirca non iniuria clamabat Paulus, spe nos seruatum iri. Quod si quidem a Christo, qui totius nostrae purgationis autor est, in istiusmodi exercitamento quo purificari quaerimus in Deo, pendere, illique, si quid splendoris nanciscimur, referre acceptum debemus: noster tamen ei non displicet in re praesertim tam seria cum labor, tum conatus, tum pertinax et insuperabilis ad coronam deliberatio, qua hi potissimum, qui in stadio ad metam usque perseuerant, a benignismo [sic, benignissimo] donantur Christo.²⁸⁸ Nonnihil enim iam possumus audemusque ex nobis, simul atque noster factus est Deus, itaque arcte nos sibi astrinxit, ut una omnino facta sit uoluntas Dei et hominis in Christo: qui interstitium illud immensum, chaosque uastissimum inimicitiarum inter Deum et hominem auferens, talem sanciuit legem, ut omnia, siue is mundus esset, siue uita, siue mors, siue praesentia, siue futura, nostra essent, nos Christi, Christus autem Dei. Mirum si tam sublimem hominis uirtutemque nobis per Christi mortem conciliatam expendis, te adhuc truncum inanimem, atque ad actiones pietatis immotum effingis. Ecquid non audet in re salutis humanus spiritus, qui unus iam factus sit cum Dei spiritu?²⁸⁹ Ergo si

{1555 p. 389}

quid, quod uim potius diuinam quam humanam prae se ferat, egeris, (sic sunt actiones Deo dignae) quid dubitas \78.b\ in te id Deum egisse, teque in Deo? At si rursus in labem aliquam peccati relapsus a Deo deflexeris, iam tu solus egisti, non Deus tecum, a quo tu sponte tua alienatus cadere potuisti: ²⁹⁰ qui illi insertus non modo securus eras a lapsu, sed

²⁸⁸ CHRISTUS tametsi bonorum omnium dator est, nostro tamen delectatur studio.

(Although Christ is the grantor of all good, still he delights in our effort.)

²⁸⁹ Qua ratione possumus aliquid ex nobis in re salutis. (For what reason we are able [to do] something of ourselves in the matter of salvation.) And see 1546, p. 82a.

²⁹⁰ Si quid boni agimus, id agit Deus in nobis, nosque in Deo; si mali quidpiam, nos soli. (If we do something good, God works that in us, is something bad, we [are] alone.)

etiam ad operationes illas idoneus: quae cum Dei munera sint, tuas tamen non secus esse uoluit, atque si tuo ab arbitrio solum profectae essent ac uoluntate, non ab illo. Adeo liberalissimus dominus suas in nobis coronat largitiones, remuneratque quasi meritum.²⁹¹ Quod si porro interrogor quantum illud fit quod possum, insipiens tu, qui diuinarum gratiarum oceanum ripis includi arbitraris.

Tantum me equidem posse iudico, quantum sol ille dederit, qui omnes quamuis fugacissimos irradiat, mouet, pungit, illectatque (ut sic loquar) donis, ac placidissimo sui purissimi spiritus illapsu pertrahit, a fugaque reprehendit, atque ne uocantem refugiat uim addit et gratiam, ne quis suae improbitatis atque duritiae causam in Deum reicere audeat, causeturque se inuocatum alio diuertisse.²⁹²

Vocantur itaque generatim omnes, sed excellentius, qui per baptismum Christo commoriuntur, uiuuntque in Deo per uitae innouationem exuscitati.²⁹³ Sed felicissimi illi omnium censi debent, qui existimantes se quidem mortuos esse peccato, uiuentes autem Deo in Christo IESU, sic suas ordinant uitae actiones, ut ultra non seruiant peccato. Nam quod Christus, cui insiti sunt per baptismum, mortuus est, peccato mortuus est semel, non pluries.

Quare extremae id erit signum insipientiae ac impietatis, nos iterum, qui Christi \79.a\ imaginem circumferimus, ad peccata, quibus semel cum Christo mortui sumus, redire, reuomereque dudum excocta. Si quidem mortui sumus peccato, quomodo (ut ait Paulus) adhuc uiuemus in illo?

{1555 p. 390}

Monstrum id est immane, atque ad ea quae a fidei natura abhorrent obnixe contendens. Id dixisse me minime poenitet propter quorundam imbecillitatem, qui oblata occasione se ostendendi cuius sint temperaturae, atque erga Deum professionis, trepidant subito, facileque a pristino resilientes calore, despondent animum.

Quod si quidem Deus est (quo ampliorem suam in nobis ostendat dilectionem) qui operatur in nobis, ut inquit Paulus, et uelle et perficere pro bona uoluntate at illud tamen fatendum, nos omnia audere, posseque in eo, qui nos confortat. Membra enim singula in corpore humano suas habent proprias functiones, suum uigorem, sua officia: Sed a capite, a quo tanquam a fonte sua cuilibet uis membra destillat, atque energia, uitam hauriunt. Caeterum Christus suae caput est Ecclesiae, nos membra de membro. Verum illud timendum, ne per usum peccati quo solo a Deo separamur, a tam uitali rescindamur capite.²⁹⁴ Porro peccatum iniquitati tanquam basi innititur. Siquidem

3.4. Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas.

²⁹¹ Suas in nobis Deus coronat largitiones. (God crowns us with his largess.)

²⁹² Tantum possumus quantum uult Deus. (We can do as much as God wishes.)

²⁹³ Nemo queri potest, se non esse uocatum. (No one may complain that he was not called.)

²⁹⁴ Peccati usu a Deo separamur. (We are separated from God by the practice of sin.)

Illud obseruari solet in Ioanne, ab illis maxime, qui Christi spiritum habentes, nihil non elimatum, diuinum, coelestiumque secretorum conscium ab huiusmodi dici scriptoribus probe norunt, in singulis fere uerbis uniuersalem \79.b\ haereticorum machinam tanquam tormentis aeneis quassari, ac si attentius inspexeris, dirui atque extirpari. Tantum uero abest, ut in uerbis illis, Sanctificat se, sicut et ille sanctus est: Pelagianorum pestem foueri censeant, ut etiam exterminari iudicent. Nam nuda haudquaquam id asseuerasset prolatione uir sanctus, nisi prius rem tali praemuniuisset elogio: Omnis qui habet spem hanc in eo. En fulcimentum, quo sustentata tan-

{1555 p. 391}

-quam erratica uitae anima, ex se posse aliquid in Deo confidit, experiturque quam periculosum sit nullo diuinae se gratiae fultam auxilio, suis tantum niti uiribus, sibique quod proprium Dei est, sumere, atque impudenter arrogare. Id sensit Pelagius, cumque illo hi, qui nunc tantum exulceratae tribuunt naturae, ut pene Deum, cura animarum omissa, solum coelestia moderari faciant.²⁹⁵

Sed illud timendum, ne dum Pelagianorum scopulum uitare contendimus in Manichaeorum incidamus syrtes: qui tam nudam effingunt humanam naturam, et desolatam, ut fato, necessitatique ineuitabili seruire uelit nolit compellant: ut hi agunt, qui cuncta indiscrete nimium et improuide ad praedestinationem referunt.

Verum haec ueteri Patrum consensione iam pridem explosa sunt. Posse quidem nonnihil ex se hominem, ut diximus, definierunt: sed in Deo, qui tam copiosae est erga animas beneficentiae, ut nostra uelit esse merita (ut diuus inquit Chrysostomus) quae sunt ipsius dona.²⁹⁶

Hincque suis nos haud aliter uti decreuit largitionibus, atque illi solent, qui maximis a principe ditati bonis, eis quidem ut suis utuntur: sed eo usque tamen, ut principi non \80.a\ solum dona illa accepta referant, uerum etiam tanta erga eum afficiuntur animi propensione et gratitudine, ut quicquid unquam ab illo perceperint, aut percepturi sint, id totum domini sui esse et uelint et fateantur.

Imo si absque Deo quidpiam se posse unquam opinarentur, mallent ad perpetuos obrudi inferorum ignes, nedum uita hac misera priuari, quam sine illo, quem unice diligunt, posse uel supra angelicas hierarchias collocari.

Si quid igitur possunt aut possident, id totum dant Deo.

Tantum pro uirili parte adnituntur, ne quid unquam in tam liberalem peccent benefactorem, neque de re omnino non sua, quasi illam non acceperint, gloriantur.

Eos quidem non praeterit, quod omnis qui facit peccatum,

{1555 p. 392}

et iniquitatem facit, et quod peccatum est iniquitas. Quamlibet enim parum a uero iustitiae

²⁹⁵ Pellagii opinio de Dei gratia, atque hominis potestate. (The opinion of Pelagius concerning God's grace and man's ability.)

²⁹⁶ Vult Deus sua dona, nostra esse merita. (God wishes his gifts to be our deserved rewards.)*

scopo quis aberrauerit, is proculdubio transgressor fit legis. Ad hunc fere modum peccatum hoc in loco ab iniquitate distinguunt, ut peccatum secundum uim uocis graecanicae sit lapsus, atque a proposito ostensoque iustitiae bono defectio: iniquitas autem ipsa legis transgressio, siue quicquid contra legem fit, aut sine lege. Unde *anomos* [Greek] Latinis exlex est ac (ut passim noster uertit interpres) iniquus. quanquam Graecis iniquus *anomalos* [Greek] est.²⁹⁷

Quare is esto sensus: O uos qui in sortem filiorum Dei acciti estis, in eam gratiam qua ex hostibus facti estis ciues sanctorum et domestici fidei, toto incumbite studio, neque alio deflectite: aliter uero rei actutum legis uiolatae censebimini. Nam peccatum, ut leue sit et humanum, id nunquam efficiet, quo minus is qui peccat, non obseruatae \80.b\ legis insimuletur. Nec est quod quis sibi adblandiatur dicens, se quidem peccatorem esse, at non iniquum: quoniam non eadem res sit peccatum et iniquitas. Is enim uero perfectam undequaque, et suis absolutam numeris audiat definitionem. Peccatum est iniquitas. Solent quidem homines, hi potissimum, qui sceleratioribus ac manifestis utcunque abstinent delictis, sibi non nihil tribuere iustitiae, propterea quod iniqui non sint, nempe adulteri, rapaces, parricidae, furesque, et id genus alia, quae ab iniquitate illa prodire putant, quam omnem inquinamentorum molem complecti asserunt autores. Caetera uero? Illa dico, quae in corde insunt contaminato? Illa, quae semper uisa sunt Patribus eo periculosiora, quo magis incognita, imo a plerisque dissimulata, tectaue fuco nescio quo effictae religionis et pietatis? Semper ego quidem hos magis, quam illos Deo inuisos esse existimaui: iccirco iniquiores, atque propterea ad resipiscentiam illam animi, quam ab ampla diuinarum gratiarum benignitate

{1555 p. 393}

oriri non nescimus, duriores. Vos uero qui dudum in uasto mundi pelago spatia estis, confidite, postquam Deus ipse in terris apparuit, non ut unum quidem atque alterum, sed omnia simul semelque a suis expungeret errata, deleretque si quid debebamus quod sane multum erat, nobisque, qui non eramus soluendo, tam graue et molestum, ut nullis unquam nostris exolui potuisset uiribus et conatu. Per carnis itaque assumptionem, qui latebat apparuit, seque reum faciens pro omnibus, de peccato damnauit peccatum.

3.5. Et scitis, quia ille apparuit, ut peccata tolleret, \81.a\ et peccatum in eo non est.

Siquidem peccatis obnoxius fuisset Christus, nec sibi, nec caeteris, etiam si millies obiisset mortem, fecisset satis. Decuit certe innocentiam eiuscemodi subire expiationem, quae nisi in munda carne, sanctaque anima perfici potuisset.²⁹⁸ Cum igitur altissimo, letalique detineremur obliuionis somno, omnesque miserimum in modum in utrunque obdormiscerent oculus, nec esset qui Dei praesentiam alioqui corporeis oculis inspectabilem ueneraretur, e caligine illa sua aeterna maiestatis ac nube, mortalium sane oculis, addo et angelicis inaccessa, prodit uisibilis: atque homo factus, humanos omnes, excepta peccati corruptela, in se tulit affectus: nostramque sumens miseriam, ac mundi

²⁹⁷ Anomos anomalos [Greek].

²⁹⁸ Decuit CHRISTUM innocentem esse. (It was fitting for Christ to be innocent.)

iram, pro nobis, qui destinati eramus morti, mortem ipse oppetiit turpissimam et cruentam.

Atque hunc in modum rescisso mortis chirographo, quo aeternae sese damnationi astrinxerant mortales, in Deo uiuere coepimus: et nisi nostra impediisset impietas, iam suo mundus peracto cursu et obsequio ociaretur:²⁹⁹ homoque, qui iccirco conditus est, atque in agni sanguine purificatus, ut Christi corpus adimpleat, in coelis absoluto penitus uitae huius corporeae itinere,

{1555 p. 394}

cum suo uiueret redemptore felicissimus, ac propter reintegrati corporis dignitatem et gloriam plene beatus.

Nostra omnino in peccatis duricies atque amor mundi debitam uniuersi dissolutionem remoratur, in longumque protrahit. Adhuc laborat dominus sustinens: adhuc nostram fert peruicaciam, adhuc tota die expandit manus suas ad populum non credentem, et contradicentem sibi. \81.b\ Heu mundum ingrattissimum. Ecquid iam praestolaris?

Aliamne uictimam? Christumne alium? Num te fugit nullam amplius relinqui hostiam pro peccatis? Si alium profecto redemptorem opperiris, et qui pro tua stet amentia praedem expectas, tota erras uia, miseriorque ac infidelior es, quam ipsa sit miseria et infidelitas.

Quod si te neminem alium expectare clamites, qui tuam possit tegere impietatem, praeter Christum, qui pro cunctis mortalium omnium satisfecit reatibus: oro, quid Christi sanguinem? quid mortem? quid pretium? quid meritum tam efficax derides?³⁰⁰

Peccando enim, seu potius in ultroneis perseuerando lapsibus Christi cruor ostentui habetur et irrisioni, illiusque mortis robur perte [sic] fit irritum et inane. Iam amor mundi nostro ab intellectu tam salubrem excussit sensum. Unde (obsecro) quae carnem hanc moribundam fouere possunt tanto comparantur ardore ac mentis aestu, ut non iam uulgus ipsum solum natura stolidum, suique ut plurimum dissimile, atque nouarum rerum cupidum: sed ipsos quoque sapientiores et optimates in hoc genere amentiae insanire uideam?

Si Christi membra sumus, ut nos esse iactamus, cur peccatis? cur illecebris, infinitis illis quidem, atque appetentiis uel diuitiarum uel honorum uel libidinum obtemperantes, a purissimo illius corpore, in quo peccatum non est (ut inquit Ioannes) degeneramus? Ipse certe apparuit, uixitque in terris: non quidem ut peccatorum alendorum materiam suppeditaret, uerum ut illa omnino

{1555 p. 395}

tolleret: tulitque constantissime, modo nos ea ablata uelimus. Volumus quidem, \82.a\ si dilutis resipiscentia praeteritis instantia auersemur, caueamusque in posterum ne aliquo uel leuiter impingamus. Faciles sane a nobis sunt lapsus, at in pristinam reponi libertatem

²⁹⁹ Mundus iam suum perfecisset cursum, a motuque quievisset, si homo a peccato cessasset. (The world would have finished its course, it would have quieted from movement, if man had ceased from sin.)

³⁰⁰ Nullam iam hostiam, praeter CHRISTUM, relinqui pro peccatis. (Now, no sacrifice for our sins remains, except Christ.)

et consanescere, iam alterius id iuris esto et uirtutis. Quare diuina hic opus erit manu.³⁰¹ Aliter uero ab illius euulsi fauore, aut propter nostram malitiam obcaecati, nullum nobis aliud tam potens extabit effugium, quin assidue per inextricabiles diuagemur errores. Adeo periculosum est uel parum a Dei manu desereri.³⁰² E contrario

3.6. Omnis qui in eo manet, non peccat.

Ecce uitis illa huberrima, de cuius succo insititii uiuunt surculi, in eamque adolescent formam et magnitudinem, ut suae penitus origini haud absimiles appareant, dignique qui, tantisperdum uineae inhaerescunt, nonnihil ex se gemmarum, et demum fructuum gignant, atque ad ornatum fidei producant, Vim nihilominus eam non ex se habent, sed a radice uitis, quae Christus est. Verum sua et ipsi gaudent fertilitate palmites, hoc sane felicius, quo minus ignorant se nihil ex se posse absque uite illa, quae dixit, Sine me nihil potestis facere. Haec sunt nimirum opera fidei: hae actiones illae praeclarissimae ac diuinae, in quibus hi maxime, qui se gratis uiti insitos esse non ambigunt, delitiantur: uitique ipsi accepta referunt quaecunque illa sint, quae a spiritu se actos corroboratosque agere certo sciunt.³⁰³ Quandiu igitur in eo, in quo peccatum est nullum, quis manserit, perseueraueritque in insitione, is uita illa, qua in Deo uiuitur, uiuet felicissime: tantum abest ut peccet, aut a uite rescissus intermori possit. Eam \82.b\ ob rem ad Christi corpus perficiendum gratuita Dei uocatione selectus, illique sancti spiritus operatione insertus, indelebilis propemodum reus erit impietatis et perfidiae, si semel emundatus ad

{1555 p. 396}

pristinas relabatur uitiorum sordes. Certe qui uere sunt Christo insiti, haud facile ab innocentia, quam se a Deo gratis accepisse norunt, quantumlibet uis urgeat aliqua infortuniorum, discedunt, atque a percusso cum Patre aeterno foedere deficiunt. Ergo omnis, qui in eo manet, non peccat.

3.6. Et omnis qui peccat, non uidit eum, nec cognouit eum.

Visio huiusmodi, qua Deus uidetur in hoc mundo, fit oculis fidei.³⁰⁴ secus, Deum nemo uidit unquam. Rursus, Cognouit, in hoc loco dinosim habet, signatque actum inhaerentem, et est (ut ait quidam) cognitum habuit. Et certe nisi peccatis quis abstineat, mundumque affectu deserat, licet sexcentis initiatus sit mysteriis, ac Deum se colere asserat, deieret quoque, nondum plene uidit eum, nondum purgatos habet oculos, nondum sublimem illius

³⁰¹ Faciles a nobis sunt lapsus, surgere uero, id Dei est opus. (Lapses by us are easy, but to rise up, that is the work of God.)

³⁰² Periculosum est uel Paulum a Deo desereri. (How dangerous it is to be deserted by God even a little / even for Paul text has *parum* not *Paulum*.)

³⁰³ Fidei opera qua ratione exequi possumus. (By what method we are able to carry out works of faith.) [And see the entry for “Qua ratione possumus” on page 1546 78a.]

³⁰⁴ Fidei oculis uidetur Deus in hoc mundo. (God is seen in this world with the eyes of faith.)

nouit maiestatem, ignoratque adhuc quam nullius sit efficaciae huiusce generis fides, qua ore tantum ac ritibus Deus asseritur, factis autem negatur. Et tamen sic nos male de Deo meriti, hoc est, noxiarum rerum, culparumque notis interspersi, conspurcatique, Deum nobis deberi aut opinamur, aut sic esse, fucō factō religioni, simulamus, scienterque ac prudenter in diuinam iniurii sumus bonitatem. Ita est uisus, si Deo placet, emaculatus, quo se Deum uidere somniant plerique mortalium, et hi forsā, qui se fidei columnas et cardines esse uideri \83.a\ uolunt: profitenturque se duces esse caecorum (ut ait Paulus) cum tamen exoculatissimi sint, atque ita ob mundi plausum et gloriam obtenebrati, ut ne crassam quidem suam ac spissam deprehendant nubem et caliginem, ne dum lucem illam Dei inaccessibleē, quae nisi cum purgatis communicari solet oculis. Caeterum peccata tenebrae sunt, interstitiumque illud

{1555 p. 397}

horrendum atque immensum, quo a Dei uisione seiungimur. Quod si quidem per Christum sublatum fuit, manet tamen adhuc immotum illis, qui sic uiuunt, quasi futurarum rerum sensum habeant nullum, quantunque in se est, antiquas reuocant catenas: uoluntque Dei filium mundum hunc perditum nequicquam inuisisse, parietemque inimicitiarum quae inter Deum atque hominem propter peccatum intercesserant, diruisse. Si porro id negant, dicant, obsecro, cum peccatum inimicitiarum caput extiterit atque autor, qui fit, ut gratis per Christum Deo reconciliati, causam illam eandem de qua mors prodiit et damnatio, repetant? Cur dirutam instaurare contendunt maceriem? Quod si praeterea a noxis illis atque erratis, quibus natura uel ipsis conuiuentibus legum conditoribus, sua annexa est poena, ut sunt (exempli causa) rapinae, incestus, sacrilegia, usurae, homicidia, adulteria, et id genus permulta, quae Deo odiosa esse ipsi quoque fatentur ethnici et infideles, se temperare affirmant nonnulli: credo, simul ac uideo omnem illis ademptam esse ad scelerata istiusmodi facinora nonnunquam occasionem, proboque, si tamen mala illa et scelera, quae ipsi etiam mulcta afficiunt Turcae, non perpetrasse, laus \83.b\ ulla sit et gloria Christiano.

Scilicet nihil aliud a Christi membro expectari par est, nisi ne mortuum sit. Ex hac enim insana de nobis persuasionē quid non malorum experimur? hinc quidem tanquam a contaminatissima contagione nostrae omnes emersere calamitates, pullularunt errores, atque multis ab hinc annis Dei religionem in ipsis nutare basibus, et uidimus, et nos ad hanc usque aetatem peruenisse non tam dolemus, quam instantem iam piis gratulamur per concilium instaurationem.

At non desunt (malum) qui summi Pontificis accusent hac in re tarditatem: alii Caesaris (id nomen sibi usurpant nostri imperatores) uel occu-

{1555 p. 398}

pationes, uel ad bella animum, atque in Turcas expeditionem. Sunt et qui per triuia clamitent simulatum hunc esse cogendi concilii rumorem ac famam. Errant hi omnes (opinor) qui haec spargunt in uulgus. Verum esto non eo, quo conuenit modo, in eundem concurrant hac de re consensum, frigeantque pene omnes ad ignem: non friget dominus IESUS, cuius hic agitur negotium. At neque his (spero) suus deerit calor, quorum prae-

caeteris interest scire, praeuidereque, quem finem tandem habituri sint hi strepitus, quos nisi fraenari contingat, quid ultra sperandum erit? Orandus est dominus, ut iam demum suum exaudiat populum. Quid si conuertatur, et ignoscat Altissimus? En summa concilii celebrandi, praesentia scilicet numinis: sed ad rem nostram.³⁰⁵ Cum equidem casum illum miserrimum primi angeli contemplor: eumque Adae lapsum haudminus toti noxium posteritati, quam ipsi lapso, intueor: uersoque animo, quammaximam deprehendo \84.a\ in illis ambitionem, maximum fastum, maximam dominandi cupiditatem, atque a Deo defectionem. Ergo ab arroganti superbaque illorum temeritate tot mala euecta sunt in mundum, ut sane asseuerari possit, ab una illa radice, ac trunco, flagitiosam omnem erupisse contaminationem, deflagrasse libidines, fidemque omnino e mundo demigrasse, atque illius sedem saeuitiam occupasse ac tyrannidem. Mirum si sic male affectos animos (ut illi fuere) Deum, qui purissimae naturae spiritus est, agnoscere, multo minus uidere posse existimas. Etenim, ut dixi, peccatum res ea est, qua ueluti cataclysi ac lippitudine circumfusi mortalium oculi, Christi faciem, a qua Dei manat cognitio, uidere nequeunt.³⁰⁶ Tantum uero abest, ut immensam illius magnitudinem, ac, qua omnia sapientissimo gubernat imperio, contemplari possint prouidentiam, atque effusam ad omnes gratiarum copiam, ut eo etiam tenebrosius

{1555 p. 399}

obnubilentur, quo inquinatiores in dies facti, ad puritatem illam diuinam et candorem, ad quem mundaе duntaxat accersuntur animae, pertingere adnituntur. O si fidei oculis daretur cerni quanta sit dignitas in filiorum Dei numero censi, cooptarique in illius familiam et affinitatem. Contra uero, quanta deformitas, quanta ignominia, quanta sit foeditas a sincerissimo illius diuelli lumine, atque diabolo copulari, transfugereque e castris domini ad castra satanae. Si caecis, inquam, animis, suaque sponte obtenebratis tantum obueneri posset lucis, ut haec clare intuerentur, mallent (puto) in durissimos uerti scopulos, aut cum feris ferae ipsi effecti in nemoribus latitare, \84.b\ quam turpitudinem suam horrendam, noctemque obscurissimam atque informem errorum, in quam ultro se deiecerunt, uidere posse. Quonam igitur modo hi Deum, atque illius immissiones, quas illi tantum uere norunt qui eas possident, contemplabuntur, qui ne corporeas quidem species nisi fusca impeditaque mentis acie rimari queunt? Adeo tenebrosa res est peccatum, atque diuino aspectui odiosa.³⁰⁷ Quamobrem

3.7. Filioli nemo uos seducat.

Tenera haec est Patris admonitio, cui mos sit dona minis commiscere, ac ne liberi deterriti exasperatique salubrem auersentur admonitionem, blanditias post dueros sermones admouere: sed ita tamen, ut ad reprehensiones redeat.

Sic ueri quidem Patres, sic pastores, sic qui sunt a Deo magistratus suum ita attemperant

³⁰⁵ Concilii celebrandi summa, est praesentia numinis. (The princial point of holding a council is the presence of the divine will.)

³⁰⁶ Peccatum aequae menti est, atque oculis corporeis cataclysis. (Sin from the mind, is like flooding from corporeal eyes.)**

³⁰⁷ Peccatum res est tenebrosa. (Sin is a shadowy matter.)

animum et curam ad subditorum salutem, ut aequae hi patrum severitatem amare possint, et rigorem, ac solent illorum lenitatem ferre, et amare. Qui secus agunt, subditos magis exasperant, et effraenes reddunt, quam dociles et morigeros. Tyranni quidem ab hoc horrent affectu, qui suis in moderandis subditis nihil in primis tam quaerunt, quam timeri.³⁰⁸ Quid mirum? Suavitate quippe spiritus

{1555 p. 400}

destituti, quaecumque agunt aut cogitant, ad proprios referunt affectus, nempe sordidos, crudeles, ambitiosos, suique dissimiles, et absque Dei timore. Vos interim, quibus istius coloris obtingunt Patres, et pastores, fidenti estote animo, laetique spem uestram in Christo, qui uerus Pater est ac pastor, enutrite: persuasumque habete uos uti filios charissimos illi curae esse. Nemo itaque quantumlibet \85.a\ Tyrannus sit ac lanio, uos a iam coepto seducat instituto, absterreatque a concepta dudum in Deum fiducia. Tantum quidem possunt in uos, quantum uosmet permittitis ac uultis.³⁰⁹ In animas profecto (in corpora forsan possunt et famam) pacemque illam arcanam, quam propter conciliatum nobis Deum per Christum possidemus, ius neququam exercere possunt Tyranni. Iam in nostra factum est potestate, succumberene uelimus impiorum iniuriis, an superare, simulac per Christum facti sumus tanquam gigantes ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis, in eo tamen, a quo pendemus, et qui nos segregauit a mundo, ne cum mundo iudicemur. Quocirca danda est opera, ne iterum, ut prius, a recto secedamus itinere seducti, maleque tum ab illorum terrore, tum a caeterorum lenociniis uel exanimati, uel persuasi, qui Christi fidem aut contemnunt, aut ulla absque uitae inuouatione ad aeternam adipiscendam felicitatem satis per se esse affirmant: seductores hi sunt, atque Antichristi.³¹⁰ Ad haec non ille certe qui iustitiam profitetur, is e uestigio iustus censi debet: sed qui per uitae reformationem nihil iam agere decreuit, quod Christus ipse, qui totius iustitiae typus est, non, si in terris adhuc inter homines diuersaretur, ageret. Etenim

3.7. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut et ille iustus est.

3.8. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat.

{1555 p. 401}

Terroris plenissima haec est asseueratio: Qui peccat, diabolum imitatur.³¹¹ At cum id non nesciant homines, peccant tamen, \85.b\ maluntque diabolo per incontinentiam uitae adhaerere, quam per morum integritatem Christo. Proinde magna nostra est audacia, magna confidentia, magna stupiditas, Deo omisso, ad hostis cruentissimi fidem transfugere, illiue, qui ab ipsis primis rerum exordiis suo a domino aufugit, fidere. Is enim cum semper malus sit, Deique legi semper obluctetur, ita in peccatis obduruit, ut nihil iam

³⁰⁸ Pastoris boni ac mali partes. (Roles of the good and the bad pastor.)

³⁰⁹ Tyranni tantum in nos possunt, quantum nos volumus. (Tyrants can do as much to us as we wish them to.)

³¹⁰ Errant, qui asserunt se fidem absque uitae inuouatione seruare posse. (They err, those who claim they are able to keep the faith without the renewal/ alteration of life.)

³¹¹ Qui peccat, diabolum imitatur. (He who sins, imitates the devil.)

aliud queat uel ipse agere, uel aliis suggerere, quod peccatum non sit. Hincque eisdem ipsis omnino lineis, quibus ipse effectus est, suum sibi effingere adnititur satellitium[.] Unde qui suo a creatore auersi, et fugitiui, ultro in illius castris commorantur, hi peccant semper, ac errant attoniti et amentes. Proinde a supremo illo honore, quo in Christo renati sunt, suapte sponte deficientes, in illorum deueniunt numerum, de quibus sic ipse Christus: Vos, inquit, ex patre Diabolo estis: nempe usu peccati continuo ac perseuerantia.³¹² Atque hi sunt, qui (ut Paulus ait) in passiones traditi ignominiae, faciunt quae non conueniunt. Peccant igitur hi semper, qui ueterem non unquam exuentes hominem, foedissimi suasoris auscultant monitis: proindeque Deo neglecto non illibenter illius parent dicto. Sic se habet illorum uita qui mundanarum rerum cupiditatibus ultro obnoxii, nihil aliud quam peccant. Semper hi errant corde, clamat dominus. Contra autem, qui facit iustitiam iustus est, quoniam cui adhaerent, iustus est dominus, et iustitiam dilexit: proinde aequitatem uidit uultus eius. Atqui genus istud iustitiae, qua Deo similes reddimur, puto a Dei imagine \86.a\ per Adae praeuaricationem in nobis deformata, per Christi uero obedientiam restituta, pendere.³¹³ Nam quemadmodum Deus uitam ideo caeteris impartitur, quoniam ipsissima uita est, atque spirantium

{1555 p. 402}

omnium origo et fons: sic bona omnia, quae tum ad animam, tum ad corpus spectant, in nobis per Christi spiritum effusa, largissimam in Deo esse beneficentiam, amplamque ad omnes dilectionem testantur.

Quare in eo maxime Dei in nobis contemplamur similitudinem atque imaginem, quod cum ipse bonus natura sit, iustus item ac misericors, ita hominem iisdem ipsis diuinae imaginis dotibus ac notis praeditum, cum illum effingeret, esse uoluit.³¹⁴ Verum infelix peccando, deerrandoque a Dei praescripto, dotes illas omnes praeclarissimas pene amisit. Unde uersa rerum sorte ex bono actutum et iusto malignus factus est atque iniquus, ex pio et leni crudelis et asper, ex fido ac uerace perfidus et mendax. Tunc enim eo in primogenia sua illa perseuerante innocentia, impressaque a Deo similitudine, si quid agere collibuisse, sanctum id propterea et iustum fuisset, quoniam a iam sancta et iusta profectum esset origine: hoc est, non iccirco quae iusta erant operabatur Adam, quo iustus euaderet, sed quoniam iam erat iustus. Alioqui quomodo uel riuos aquarum lucidos a fonte turbido, uel contaminata ab arbore fructus bonos prodire potuisse existimamus? Id plane arduum. Nam quae lapsum illum miserabilem secuta sunt, quam tenuis ampla illa uis operandi iustitiam, ac potestas, effecta sit, testari possunt.

Et ut nihil aliud miserius e tam aerumnoso \86.b\ contigerit lapsu, certe mare illud immensum gratiarum et donorum, in quo delitiari poterat nobilissimum Dei figmentum, in uastissimum conuersum est poenarum oceanum. Obliterata pene Dei tunc fuit in anima similitudo, amisitque decorem pulcherrima mulierum. Quapropter non modo a paradisi delitiis eiecta, uerum etiam uirtute illa diuina potestateque diligendi bonum denudata,

³¹² Hi continue peccant, qui diabolo adhaerent. (These continually sin, who adhere to the devil.)

³¹³ Iustitia nostra unde ortum habeat. (Our justice: from where it has its beginning.)

³¹⁴ Imago Dei in nobis qualis sit. (What the image of God in us is like.)

formam nescio quam deformem et corruptam immundi spiritus sibi adeo strictim, ne prorsus infor-

{1555 p. 403}

-mis appareret, annexuit, ut plane dissimilis a prima facta sit conditione. Ideo quae prius poterat non peccare, mox peccatis irreparabiliter obnoxia facta est innumeris. Sic est imago Adae et similitudo, sic praeclara illius est effigies. Nam per illius casum, atque a Deo recessum, peccatum in mundo pullulavit, et per peccatum mors. Verum tam inhonesta facies et horribilis, ut erat peccati et mortis, a Christi sanguine uelata, imo penitus deformata, minori coepit esse formidini atque terrori in mundo: siquidem redintegrata Dei imagine per Christum in homine, cessit peccati lex, imago nimirum primi Adae miserabilis, ac digna fletu. Cedente porro peccato, debellatoque funditus eius imperio et iurisdictione in Christi cruce, sua restituta fuit uirtus animae, obductus color, atque ad amplectendam iustitiae disciplinam suum pristinum instauratum fuit robur, antiquatum quidem per Adae transgressionem, per Christi autem iustitiam innouatum: imo e mortuis ad uitam expectatum, et restitutum in illo, cui iam insitae animae per fidem, \87.a\ eodem uiuunt cum illo spiritu, quo ipse in Deo.³¹⁵

Unde quandiu terreni imaginem, ut eam uocat Paulus, secum ferant, tandiu Christi spiritum ignorant. Tantum uero abest, ut iustitiam, quae proprium Christi donum est, diligant, ut etiam deprecentur et fastidiant.³¹⁶ A Christi itaque spiritu duntaxat decor omnis cum fidei, tum actionum illarum quae pietatem referunt, originem habet. Neque alio in fonte tam preciosum piscari par est unionem, praeter quam in illo, de cuius plenitudine nos omnes accipimus. Is Christus est, per quem solum reconciliati sumus Deo, dataque est nobis potestas filios Dei fieri, quae perfectissima est diuinae in nobis imaginis instauratio. Nam quicquid uirium amissum fuit in nobis per Adam, nobis denuo conciliatum est in Christo, cuius nos membra sumus, ipse caput. Fieri ergo non potest, ut quispiam

{1555 p. 404}

quantumuis in caeteris excellens, ad illas amplexandas operationes, atque animi conceptus moueatur, qui Deo sint digni, absque Christo, quo uigorem suppeditante ac uires, iusta fit anima, et ad promerendum Deum idonea. Quocirca si quae iusta sunt agere instituit, non iam id agit, ut iusta efficiatur, sed quoniam iusta iam est in Christo, in quo ipsa uiuit unius facta cum illo (ut dixi) spiritus. Oro, num ignis, quia calefacit et urit, ideo id agit, ut ignis efficiatur: an potius, quia ignis iam est, et urit et calefacit? Sic iustus, de quo nunc loquitur Ioannes, propterea iustitiam sectatur ac diligit, non quo iustus fiat, sed quoniam iustus est in Christo, ac per \87.b\ Christum ad tam sublimem assumptus est gradum, ut iustus merito uocari possit et sit: proindeque ad actiones illas aptus, quae Christianum decent hominem, nempe Christo annexum, de cuius operibus sic asserit Propheta: Opera

³¹⁵ Quo modo restituta fuit homini similitudo Dei. (How the similarity of God to man was restored.)

³¹⁶ Iustificatio merum donum Dei est. (Justification is a pure/ mere gift of God.)*

manuum eius ueritas et iudicium. Ergo qui facit iustitiam (ut inquit Ioannes) iam iustus est, sicut et ille iustus est,³¹⁷ Christus nimirum, qui ad hoc uenit in mundum, ut reformata Dei imagine in homine, mundi principem subiugaret, technasque eius dissolueret: et, quae hic opera diaboli antonomatice appellantur, peccata omnino a debiti syngrapha deleret.³¹⁸ Vide quid inferat:

3.8. In hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera Diaboli.

In superioribus uitam aeternam, quae erat apud Patrem, apparuisse nobis asseruit Ioannes: nunc idem ferme uitam ipsam filium Dei nuncupans repetit. At ipsam audiamus uitam, quae sui ad nos accessus causam exponens sic ait. Ego lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Se lucem uocat Christus, ut pote qui errorum tenebras, noctemque peccati

319

{1555 p. 405}

suo expectato dispulerit aduentu.³²⁰ Tantum non desit fiducia, in portu sumus.³²¹ Venit enim Christus non ut mundum perderet, sed ut seruaret, dirigeretque ad Deum, a quo imprudentissime recesserat, itaque procul aufugerat, ut ne memoriam quidem paternae domus retineret: adeo profundae obliuionis aeternorum comes est peccatum.

At lux e coelo exoriens, factusque homo hominis effector suum sibi asseruit opificium, antea quidem nobilissimis adumbratum liniamentis, uerum postea \88.a\ superinductis aliis a daemone obscuratum, peneque exoletum.

Luce igitur illa adueniente, quam modo uitam, modo filium Dei, modo splendorem gloriae atque figuram substantiae Patris appellari legimus, cessere tenebrae, desiitque errorum nox: morsque subinde, stipendium nimirum atque autoramentum peccati, exterrefacta occubuit.³²² Atque hunc in modum peruicacissimi hostis opera, tanquam orsus araneoli tenuis (ut ait quidam) dissoluta sunt: castrisque illius direptis, lux nostra exuuiis onusta, ad solem, a quo nunquam abierat, remigrauit. Hinc dona dedit hominibus, ut inquit Paulus, diuina quidem illa et praeclara. Inter quae illud excellentissimum omnium uidetur, quod

³¹⁷ Homo an iustus sit, anteaquam opus aliquod iustum operetur, an ex iusta operatione iustus evadat. (Whether a man is just before he has performed some just work, or the just man emerges from the just activity.)

³¹⁸ Cur CHRISTUS in terris vivere uoluit. (Why Christ wished to live on earth.) [Indexed also for 1546 pages 81b and 89b.]

³¹⁹ Concilio non defuturos patres, multo minus Deum. (The fathers will not be absent from the council/ union, much less God.) Not yet found on page 87.b.

³²⁰ CHRISTUM lucem esse quomodo definitur. (How Christ is defined to be light.)

³²¹ Tantum non desit fiducia: in portu sumus. (Don't let faith be so lacking: we are in port.)

³²² Mors fuit peccati autoramentum. (The wages of sin was death.)

3.9. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.

Ea Adam quidem nascimur filii irae, ex Deo renascimur filii adoptionis, in Christoque diuini uerbi semine procreamur.³²³ Ideo eousque nos quidem peccatis abstinebimus, quoad in nobis felicissimum istuc semen (quod uerbum Dei esse, atque in illum fidem arbitramur) perseuerauerit.³²⁴ Quid si tamen uel ipsis uocatis sanctis,

{1555 p. 406}

nempe Dei filiis, peccare contigerit, lapsus hi erunt maiorem partem et tenues, et uenia digni. Sint etiam graues, quid tum? emergent actutum a luto. Imo cum peccant, ui pene inuita animi peccant, et absque peccati studio et amore labuntur.³²⁵ Quod illos minime agere uidemus, qui consulto dataque opera, atque affectu ad uitia contaminato et peruio delinquant: cupiuntque legem non esse, aut qui poenas \88.b\ exigat caecum iudicem, quo liberius peccare possint, expetunt. Plurimi sane refert, quo quis animo delinquat.³²⁶ Dei quippe filii peccati ferme odio peccant: caeteri autem amore ac studio.

Quare hi raro resipiscunt ad uitam: illi uel in ipso praeuaricationis lapsu, miseriam execrantur suam iccirco quod semen Dei in se habent insitum. Quod quidem semen praeter illud, quod diximus, Christi spiritu, esse hi sentiunt, quibus ipsa etiam peccata, nedum res caeterae, cooperari solent ad uitam. Qui fieri potest, ut anima uere in Christo non tantum per baptismum, quantum per uitae inuouationem regenerata, motus illos suos, atque affectus coelestibus assuetos ardoribus, in flammis diutius peccati commorari sinat? Sunt qui Peccatum in hoc loco pro defectione a fide accipiunt quae profecto tanti est momenti, ut peccati nomen antonomatice sibi uendicet.³²⁷ Ita Christus mundi tarditatem in credendo notans, peccati nome interposuit dicens: Cum uenerit ille, nempe spiritus Dei, arguet mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me.

³²³ Ab Adam nascimur filii irae, a Deo autem filii gratiae. (From Adam we are born children of wrath, but from God, children of grace.)

³²⁴ Semen Dei in nobis quale. (What God's seed in us is like.)

³²⁵ Vi fere inuita **animi** peccant sancti. (Holy souls hardly ever sin with an unwilling force.)*

³²⁶ Plurimi refert quo quis peccet **animi**o. (It is of interest to many with what mind someone sins.) [Cf. Isidoro Chiaro (Clarius) whose commentary used similar phrasing "Plurimi autem refert quo quis **animi**o peccet" *Critici sacri, sive Annotata doctissimorum virorum in vetus ac novum testamentum*, vol. 8, c. 1698; Wikipedia on Isidoro Clarius: His efforts on behalf of the Bible and the Song of Songs were part of a larger spiritual movement among the Cassinese Congregations emphasizing the restoration of the Imago Dei in man as the primary significance of justification."]

³²⁷ Peccati vox quid signet in Ioanne. (What the word sin signifies in John.)

Quare ex Deo nati tametsi patrem nonnunquam peccando offendunt, non tamen usque eo a benignissimo deseruntur Patre, ut per infidelitatem desperationemque ab ipso penitus desciscant. Caeterum per infidelitatem delinquere quempiam arbitramur, cum semel quis agnitam, receptamque ueritatem reiicit, impugnatque, ac si potest demolitur. Diuus Augustinus hic

{1555 p. 407}

Peccatum intelligit charitatis fraternae laesionem, ob ea, puto, quae mox sequuntur, nimirum ex \89.a\ Deo illum non esse, qui non diligit fratrem suum. Quomodo igitur cumque accipias,

3.10. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli.

Peccant quidem utrique, sed hi leuius, grauius illi, qui non possunt non letaliter errare ac labi. Non modo peccata illis, ut sentit Augustinus, cooperantur ad mortem, sed etiam ipsae omnino illorum fiunt in peccatis orationes. Hi profecto malum in se ultro alunt uirus, foedas nimirum, diutinasque ad prauitatem suggestiones, immissionesque per angelos malos, quibus turpissimum in modum assentiuntur: illi autem sanctissimo eo nituntur semine, quo caput entis contritum iri longe ante praedixit Deus. Verum neque sic suapte sponte a Deo auersis ac perditis coelestes desunt aculei, non benignissimi Patris afflatus, non radii, non lenti illi gradus ad ultionem, atque ad aucupandam poenitentiam longanimitas: sed ferrei facti, ultroque diuinae obluctantes munificentiae, scienter prudenterque sese morti perpetuae deuouent. In hoc itaque Dei filii a filiis diaboli sunt dissimiles ac diuersi, quod illi uel leuiter a spiritu Dei sancto admoniti, e uestigio manum porrigunt attrahenti. Hi uero ne ardentibus quidem exusti facibus, calorem sentiunt: sed fixi et pertinaces in iam concepto perdurant consilio, atque in malis deliberatione. Non certe titulus, non fons, non religio haec extera, Dei filios ab aliis (postquam a paleis nondum secretum est triticum in area domini) discernunt: uerum probitas, ac tum in Deum tum in proximum et pietas et dilectio.³²⁸ Etenim,

3.10. Omnis qui non est iustus, non est ex Deo,

{1555 p. 408}

\89.b\

et qui non diligit fratrem suum.

3.11. Quoniam haec est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum.

³²⁸ Quae sint illa, quibus Dei filios a filiis diaboli discernimus. (Which things are those by which we distinguish the sons of God from the sons of the devil.)

Magnus Paulus simulac Romanorum ecclesiam de his, quae altissimo uelata erant mysterio, edocuisset, indeque ad morum informationem descendisset, iussissetque suum cuiuslibet persolui debitum: Cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem: mox intulit: Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis: nam qui diligit proximum, legem impleuit. Ac post facto uno omnium tanquam aceruo praeceptorum Dei, in eo cuncta nodo ac uerbo recapitulari, consummarique asseruit dicens: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Id antea docuerat Christus, cuius spiritum bene hauserat uas illud mirabile secretorum Dei, cum de se illa diceret: Habeo, inquit, unde glorier in Christo IESU ad Deum.³²⁹ Non enim audeo aliquid loqui eorum, quae per me non effecit Christus. Alio item loco: An experimentum quaeritis, qui in me loquitur Christus? A Christo itaque non solum uis ista amoris, quo omnibus placere in bonum ad aedificationem iubemur, est perdiscenda: uerum etiam totius uitae nostrae ratio ex absolutissima illius doctrina et uita formanda erit. Ad hoc enim uenit in mundum, ut uetus dilanians mortis chirographum, noua fundaret uitae decreta, innouaretque in Deo quicquid ab Antiquis primi Adae typis degenerauerat. Et primum quidem de se immensum illud dedit amoris specimen, cum non sibi placens, ut ait Paulus, impropria exprobrantium tibi, [Romans 15.3] o \90.a\ Pater, in se cadere uoluit, maluitque ob aliorum salutem sexcentis atque adeo amplius uitae incommodis et iniuriis esse obnoxius, quam proprio seruiens commodo et gloriae, amissae ouiculae curam negligere.

{1555 p. 409}

Suo pene iure repudiato, se totum dedit pro aliis praedem, peccatumque se fecit, et, quo suam nobiscum communicaret iustitiam, execrationem. Videtur Ioannes partim hoc in loco, partim in caeteris suis scriptis, illud asserere, pro compertoque habere, neminem, quantumlibet in iustitiae studiis sese exerceat, iusti nomen assequi posse, si omnia proximi dilectione et cura, totus in caeteris, quae ad religionem spectant, adeo intente occupetur, ut laudem nomenque probi uiri, et sancti se assecutum esse confidat.³³⁰ Non certe fallitur apostolus: siquidem eo in cardine tota uis fidei uersatur. Alioquin is qui proximum suum non diligit, nec Deum quidem ueretur. Si esurierit inimicus tuus, clamat Paulus, ciba illum. Huicne parent mandato Vitilitigatores? num plagiarii? dissidiosi? homicidae? raptores? auari? Et qui usuris, et qui hypocrisi cunctas beneuolendi contaminauerunt leges, eoque in statu Dei religionem posuere, ut iam periculum haud mediocre sit, et pene infamia Christum sequi, atque officia pietatis exercere? Et tamen haec est annuntiatio, quam audistis ab initio, ait Ioannes, ut diligatis inuicem. Hoc est. Non solum ab Euangelii incunabulis id praedicatum fuit, sed etiam a mundi exordio commendatum. Semper enim necessaria fuit amoris lex, ac praecepta.³³¹ Praeuiderat utique Deus non defuturo, qui imitarentur illius mores qui ab initio homicida fuit. \90.b\ Proinde suos semper uoluit nuntios et uates in id potissimum incumbere, ut odium e

³²⁹ A CHRISTO vitae nostrae addiscenda est regula. (Rules for our life that are to be added by Christ.)*

³³⁰ Nihil agunt homines in salutis negocio, si omnia cura proximi, et dilectione, etiam quaecumque iussit Deus, adimpleant. (Men do nothing in the business of salvation, if care for a neighbor and love have been neglected, even if they fulfill all that God commands.)

³³¹ Semper necessaria fuit amoris lex. (The law of love was always necessary.)

mundo extirparent non sererent: non, ut permultos acturos praecognouerat, disseminarent. Caeterum qui primus in cruentissima primi homicidii tragoedia potiores assumpsit sibi partes Cain fuit, homo nimirum sanguinarius, trux, atque terrenarum rerum, unde cuncta illius dimanauit impietas, mire cupidus et anxius. Quare commodum peruersissimi hominis mentionem hoc inseruit Ioannes.

{1555 p. 410}

3.12. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quod occidit eum? quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iusta.

Malignum hic uocat diabolum, impulsu nanque illius ac suggestione crudelissimus frater fratrem mitissimum interemit. Nec scelere tamen illo contentus, arrogantissimum atque fucatum prae se tulit animum in Deum: cum interrogatus ubinam esset Abel, respondit, Nescio nunquid custos fratris mei sum ego? Iam illud quod antea dixerat Deus, arbitrii humani libertatem asserere uidetur. Sub te, inquit, erit appetitus eius, (nempe peccati) et tu dominaberis illius. Unde sic ex Hebraeo quidam transtulit: In manum tuam tradidi arbitrium fomitis, sed tu dominus illius eris si uolueris, et bonas feceris uias tuas. Hic quidem oblata uidetur occasio, ut de arbitrio nonnihil humano edisseramus. Verum cum haec, atque id genus alia difficillima in mundo nunc maximo fere omnium tumultu controuersentur, operaepretium erit, ea magis intacta praeterire, atque ad concilium uniuersale, \91.a\ quod ab omnibus qui Christi fauent religioni, expectatur reiicere, quam nos, etiam si uerissima proferamus, in periculum ullo absque fructu dedere. Speratur enim illis in comitiis, quae a Dei spiritu cogi optamus, fluctus hosce ingentes et fractos iri sedatum: modo qui expectant sua non frustrentur spe ac desiderio.³³² Tametsi quidem suam Deo Ecclesiam curae esse non ambigimus, foreque non dubitamus, quod ille est pollicitus, qui ab omni remotus est falsitate, atque animi inconstantia. Illis tamen, qui Christi spiritu aluntur, quique pacem Ecclesiae, quae seruandorum omnium nutrix est ac mater, non tantum appetunt, sed etiam propria ipsorum sa-

{1555 p. 411}

-lute libentissime, si aliter redimi nequiret, paciscerentur, mora omnis tarda uidetur ac periculosa.³³³ Periculosa quidem? cur non mortiferam potius appellem, simul atque agenti fere animam sponsae nullum uideam nisi coactum admoueri remedium? nullam curationem? nullum refrigerium?

Enimuero undae tam tumultuosae sint ortae turbae, atque ad sedandos hos confusissimos opinionum strepitus, uel mora uel tergiuersatio, si interrogor, dicam intrepide ab uniuersali cum omnium, tum illorum maxime, qui rerum potiuntur, emersisse consilio, quo plerique quae sua sunt, non quae IESU Christi, atque illius sponsae quaerere

³³² Concilium ab omnibus religioni fauentibus expectatur. (A council is expected by all those supporting a religion/ religious order.)

³³³ Ecclesia CHRISTI seruandorum omnium nutrix est, ac mater. (The church of Christ is the nurse and mother of all [people] to be saved.)

decreuerunt. Quod si rursus interrogor, cuiusmodi generis ea sint, quae in primis quaerunt fere omnes. Respondebo, Mundi amorem esse, qui tam alte iam fixit radices in terris, ramosque tam late propagauit, atque umbram, ut (quod de prisco deditioum more factu esse legimus) urbes, agros, terminos, \91.b\ aquas, aras, focos, delubra diuina, humanaque omnia sibi uendicauerit. Et certe postquam tam ampla facta est mundi ditio, ut nihil propemodum aliud inter homines uel audiri uel cerni detur, quam uastum quoddam cupiditatum mare: suspicari possumus, Dei spiritum ex aedibus hisce nostris alio demigrasse, statuisseque alias omnino nationes, quae impietatem dediscentes iustitiam faciant sibi que syncerius obediunt.

Atqui in id omnes conspirant, persuasumque habent, (ut in superioribus quoque diximus, dicemusque in sequentibus: nam quae magis premunt, haud facile silentur) eam omnem turbarum congeriem uel unico Patrum rite euocatorum congressu posse dissolui. At Patres interim illos appello, quibus maiorum more et instituto res Christi et Ecclesiae non sua suorumque commoda in tam solennibus expectatisque comitiis tractare sit animus. Ad hunc sane modum non poterit non sic indicto concilio Dei adesse praesentia. Potest quidem Deus minori haec omnia

{1555 p. 412}

digerere apparatu, et absque labore perficere: uerum suos uult hisce occasionibus, cuius sint doctrinae et spiritus cognosci antistites ac ministros. Necesse enim est illos, ut ait Nazanzenus, undique aurei argenteiue nummi instar circunuerti, ac omni tempore, in omnibusque rebus nihil adulterinum, aut aereum continere: neque in se reconditum habere quod materiae sit deterioris, aut dignum igne calidiori. haec ille. Siquidem Episcopos, aliosque Ecclesiae proceres absque eruditione, rerumque earum gustu atque experientia, quae ad pedes IESU perdiscuntur, uix Patres, qui ad tam necessarium sanctorum \92.a\ conuentum acciri debeant, appellare audeo.³³⁴ Vocentur, ut lubet, eam ueterum fuisse consuetudinem ac morem non lego. Ecquid ab huiusmodi tam male de sponsa sibi credita meritis audire speras, in his maxime locis in quibus nihil non grauissimum, eruditum, ac sanctitate praeditum, audiri conuenit? Poterunt, opinor, qui tales sunt, de negociis domesticis, curaque familiari, forsitan et de uenatione, asturconibusque, uel disertissime ratiocinari, oeconomicamque Xenophontis profiteri. Verum cum ad ea, quae ad illorum attinent officium, peruentum fuerit, nihil insulsius, nihilue indoctius aut oscitantius audiri datur. Quare ne risum hostibus (acutissimis illis quidem et doctis) moueant, nostrisque pariant confusionem iuxta et dolorem, praetereantur: atque tantisperdum res a sanctioribus definiantur uiris, ad calculos ne uocentur, hi quorum interest, curent.

Negocium illud quidem indignum est quod ab imperitis multo minus a pueris, aut unguento delibutis tractari debeat. Robustos enim requirit animos, atque illos tandem, qui Dei spiritu aguntur, non humano et ambitioso raptantur affectu. Haec de his, qui nulla imbuti doctrina et sanctitate, insignia illa ueneranda religionis quae integerrimis debentur hominibus ferre audent, sint dicta. Nunc

³³⁴ Ecclesiae pastores instar nummi aurei sunt, aut argentei. (The pastors of the church are like gold coins, or silver.)

{1555 p. 413}

de illis, qui se doctrina tantum et literis humanis cum athleticis eiusmodi, qui nullum timent congressum, praeter eum, qui cum afflatis fit numine, posse congregari opinantur, breuiter dicam: doctrinam huiusmodi semper fuisse ornamento conciliis, sed sanctimoniam in primis necessariam: atque adeo necessariam, ut sine \92.b\ illa dedecori magis fuerint literae ac detrimento, quam honori et utilitati. Fieri quidem non potest, ut superbus (sic sunt ferme absque Dei spiritu literati) idem non sit et uanus et futilis. Nam coelesti priuatus dulcedine, quae in eo maxime consistit, ut mens in Deo uegeta et erudita nihil tam horreat, quam immoderatam de se persuasionem, doctrina ne solum utetur humana, in re praesertim tanti ponderis, ut Dei est religio?

Eam ob rem hi, qui huiusmodi sunt eruditionis antistites, aut uocandi omnino non sunt, aut suspitiose et cum delectu uocandi. Ingenia quippe humana, nisi fraeno diuini timoris coerceantur, efferaciora sunt, quam ut possint ad ea pertractanda idonea esse, quae nisi candidis, summissisque animis ac Deo per sapientiam annexis, tractari par est. Alioqui nunquam uere, quae instauranda sunt, instaurari poterunt: dum hi (quorum interest res Dei collapsas restituere) aut prorsus inhabiles erunt, et propter mundanarum rerum amorem inutiles, aut humanis tantum praesidiis circunualati, si quid definiri contigerit, irato id Deo definient. Et certe in tam exulceratis temporibus ac periculosis, in quibus Dei exercitum pene ad Triarios deuenisse cernimus, Athanasii hic multi, aut Cypriani, aut ter maximi illi Basilus et Chrysostomus cum nostris, tauri nimirum fortissimi, atque ouium Christi arietes insuperabiles, a mortuis excitandi essent. Verum neque in tantis calamitatibus, in quas nostra ob flagitia incidimus non prorsus reliquiae illae nobiles, quae non curauerunt genua coram Balaal, desiderabuntur. His itaque nixa fi-

{1555 p. 414}

-bris \93.a\ Ecclesia ad pristinum facile reuertetur honorem, eritque his formidini, quibus nunc est irrisioni ac sibilo.

Quae uero illa sint, quae uniuersaliter ad priscam fidei morumque normam per Patres reuocari debeant, tritiora iam facta sunt, quam ut mea hominis, qui aliud nunc ago, egeant commemoratione. Tantum quod meum est, dum uiuero, efficiam. Nam istis tacite, quibus cum uiuo, quae uentura sunt, ex his, quae in mundo fieri uideo, praediuinabo, ad rauimque uociferabor, mala omnia membrorum ab ipsis deriuari capitibus, illisque referri acceptum deberi, quicquid delinquunt populi. Unde si quis celerem expetat deformatarum rerum etiam absque conciliis reformationem, expetat et illud: nempe ut populi suis a pastoribus, tanquam a coelestibus Idaeis ac formis suum sibi sumant posthac, quod hactenus facere nequiuerunt, beneuiuendi modum, ut huc usque ab illis peccandi hausere confidentiam. Dicam clarius. Sic uiuat seniores ac Patres, ut ipsis uel dormientibus [sic, dormientibus], ex filiis nullus peccare audeat. Atque haec erit repentina uniuersi absque synodis reformatio. Et certe nescio quam uim habere illae possint leges, quae ab ipsis statim uiolantur conditoribus. Hoc enim patentiore erunt in illius facie maculae, qui se in speculo contemplatur, quo purius fuerit speculum et splendidius: alioquin a speculari aut turbido aut fracto, quam putas posse reddi imaginem, nisi confusam et obscuram? Da mihi itaque primarios homines, qui eo degant uitae genere, quod Deo probari possit: en subita populorum correctio, en noua mundi facies, en suo sponsa perornabitur decore. Deusque ipse qui indignabundus a nobis \93.b\ aufugerat, reuertetur, et suos inuiset iterum

placatus.

O si iam mundo posthabito Christum hi sancte colerent, quibus ea in primis delegata est prouincia, ut terrenarum rerum amore a subditorum cordibus extirpato Dei spiritum inserant, quem in se esse propter

{1555 p. 415}

longum diuinarum rerum usum et gustum testari iam possent: e si Dei charitas, quae diffusa deberet esse in cordibus nostris, nos sibi totos uendicaret, adeoque ad se raperet, ut nostri cum Paulo de nobis gloriari auderent ad hunc modum pastores: Gratias, inquit, agere debemus semper Deo pro uobis fratres, quoniam supercrescit fides uestra, et abundat charitas uniuscuiusque uestrum ad inuicem, ita ut nos ipsi in uobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia uestra, et fide in omnibus persecutionibus uestris, quas sustinetis in exemplum iusti iudicii Dei. Hic profecto non audio tanti uiri ac pastoris pro suis gloriationem in his uersari, quae ad mundi opulentiam spectant, et libidinem: hic nulla fit mentio adaucti regni, nulla impetrati magistratus, nulla quae ambitionem referat et luxum.³³⁵

Unde (oro) tanta prodiit a maioribus nostris degeneratio? unde a fide illa Patrum feruida, defectio? unde tam ingens circa res spiritus incogitantia, et segnities? O mores. Non his quidem rebus fulcitur Christiana pietas, quae adeptae periculum est ne homines desciscere faciant a Deo: aut ita a recto deturbent sensu, ut quicquid agunt, id totum confusissimum sit atque ferinum. Adeo letalis ea est ebrietas, quae a nimio mundi affectu ac tenui de futurarum rerum statu cognitione ortum habet.

Acciti ergo \94.a\ Patres ad concilium, religionis instaurandae causa, uideant in primis quid potissimum hisce in comitiis quaeri debeat. Puto pacem id esse et concordiam: hoc est, ut quilibet suo proprio atque suorum exutus affectu, depositisque tum armis tum simultatibus ac odiis, in id conueniant, ut una omnino inter omnes sit mens, cor unum, anima una, atque unum prorsus consilium, et ad legendas fidei merces (dissipatas nimirum atque in uastissimo opinionum sectarumque pelago fluctuantes) deliberatio.³³⁶ Hoc enim seposito fundamento ac neglecto, frustra omnia quantumuis elaborata fore pro-

{1555 p. 416}

-nuntio. Non est quidem tam parum sui compos, qui non praeuideat ea in cassum cogi concilia, in quibus de profligandis erroribus, atque abigendis a Dei uinea feris, decerni debet, absque Christi spiritu, qui adeo pacis amans est atque concordiae, ut se in illorum medio, qui in sui essent congregandi nomine, fore praedixerit, quamlibet rarus is futurus esset coetus. Quapropter maxima illa erit concilii dignitas, autoritasque praeclara, et uere digna Deo synodus, ubi qui aderunt, nihil aliud quaerent, quam Christi gloriam, atque illius religionis augmentum.³³⁷ Id praecipue antiquos Patres suis in consessibus

³³⁵ Praelatorum gloriatio pro subditis, qualis esse debeat. (What the glorifying of prelates on behalf of subordinates ought to be like.)

³³⁶ Quae in conciliis potissimum tractari oporteat. (What [things] above all ought to be treated in councils.)

³³⁷ Concilii dignitas in quibus maxime rebus versatur. (In what matters the authority of a council is chiefly engaged.)

quaesiuisse tum legimus, tum res ad uota illis successisse non tam gaudemus, quam ne diuersa nobis contingant ob male affectos quorundam animos, metuimus. Tentanda nihilominus sunt omnia in fidei causa: forsán quod frigide coeptum est calidiorem sortietur exitum. Dona quippe Dei sunt absque poenitentia. Tantum qui accersuntur nihil secum afferant, quod non sit Christi. \94.b\ Nonne domos hi habent, ubi suam manducent coenam? habent suas libidines, suas cupiditates, suam ambitionem: domi habeant, nec coenam domini inturbent. Caeterum de his, quae, ut diximus, in tam expectata synodo erunt tractanda, habiti iam sunt conuentus, priuati tamen, atque inter paucos, utinam secundum Deum, atque illius ergo religionis.³³⁸ Nos interim ab omni hominum uel metu, uel fauore liberi, ne suam deserat Ecclesiam altissimus, lacrymis et orationibus nostram testabimur erga Deum fiduciam. Is quidem sum, qui malim centies mori, quam inter illos uiuere, qui athei omnino sunt: proinde scelerati illius aemulatores, qui cum ex maligno esset, ut inquit Ioannes, occidit fratrem suum, nec aliam ob causam, nisi quod facta illius essent maligna, fratris autem sancta. Causa igitur odii fuit uitae dissimilitudo.³³⁹ Vterque enim suum exprimens parentem,

{1555 p. 417}

quod suum fuit praestitit. Is quidem, ut pote Dei filius, uitae innocentiam: ille malitiam et liuorem, tanquam qui ex patre diabolo esset, qui primum occidit hominem, in quo omnes peccauerunt, iccirco morti obnoxii facti uix nati intereunt.

Ideo res est apertior, quam ut multis probari debeat, inuidum hominem et malignum, Cain scelestum imitari, ac Iudam.³⁴⁰ Nec minus forsán a primo illo homicida occisus fuit Christus, quam a secundo. Nanque agnum occisum fuisse ab origine mundi legimus. Abel enim quae uanitatem interpretantur, Christi typum bellissime expressit, cuius crux amentia et uanitas a mundi sapientibus semper est habita, atque (uti res nihili solent) derisa.³⁴¹

Quare ut ille \95.a\ omnium profligatissimus non tulit innoxium, ita Dei filium IESUM non tulit peruersa Iudaeorum soboles, quae crudelissimo infecta liuore, eo tandem prorupit insaniae, ut Christum suum benefactorem, ac Patrem, ad mortem raptum, tanquam anathema iugularet.

Hinc alius clamat apostolus: Vae illis qui in uia Cain abierunt.³⁴² Puto uiam Cain hic intelligi non tantum quod inuidus esset, et, unde mors fratris secuta est, malitiosus ac saeuus, quantum quod terrenis rebus addictus, nihil prae se ferre poterat, quod crassum non fuerit, terrenum, sordidum, ferum. Iccirco agricola a Mose fuisse scribitur.

Etenim pinguissimum eum esse animum, qui in his ultro libenterque uersatur, quae ad culturam corporis attinent, necesse est. Rari hi sunt, qui curas has sordidas ambientes,

³³⁸ Cuius conditionis hi esse debent, qui ad concilium vocari possint. (Of what condition these people ought to be who are called to the council.)

³³⁹ Quam ob causam Cain fratrem occidit. (The reason for which Cain killed Abel.)

³⁴⁰ Cain ad Iudam imitantur inuidi et maligni. (The envious and the wicked imitate Cain and Judas.)

³⁴¹ Crux CHRISTI semper stultitia habita est a mundi sapientibus. (Christ's cross has always been considered a stupidity by the wise people of the world.)

³⁴² Vae illis esse, qui in uia Cain ambulant. (Woe be to those who walk in the path of Cain.) [Jude 11.]

quaerentesque, ad frugem aliquam spiritus peruenire possint. Imo eo improbiores quotidie ex his fiunt plerique, quo illo semel affecti ueneno, a suauitate spiritus longius euagantur.³⁴³ Memini equidem me puerum adhuc, et rudem in hac sancta in qua nunc uiuo familia, questum esse, meum ad diuina studium propter demandata mihi mundanarum rerum negotia intercipi ac turbari. (quis

{1555 p. 418}

hoc uere monachus non exhorrescit?) Responsum tunc mihi fuit a quodam illa in arena consummatissimo. Heus tu puer, inquit, quid trepidas? An te clam est, necessario quosdam qui huiusmodi iaciant aleam deligendos? Veruntamen uae illis, quibus istuc contingit. Tunc (fateor) exhorruui, consiliumque haud poenitendum, ut res cunquē caderent, cepi. Eo nunc fruor in domino, abdoque me \95.b\ etiam atque etiam in dies secretius, maloque Abel partes sequi, quam illius fratris, qui ideo purissimum occidit iuuenem, quia bonus erat, et amicus Dei. Quocirca

3.13. Nolite mirari fratres, si odit uos mundus.

Atqui euidens istud est signum, nos Deo charos esse, cum sumus inuisi mundo, mundusque nobis: hoc est, cum nulla nobis cum illo pactio est, ac foedus.³⁴⁴ Nam ex diametro, quod aiunt, simul pugnant Dei amor, et amor mundi. Eam ob rem ualde hi errant, qui Dei religionem profitentes, eatenus tamen in incepto gradiuntur itinere, quatenus a mundo non impetuntur. Cupiunt quidem hisce soluti curis, quae Deum adimunt, Christo coniungi, sed ea tamen lege, ne quid controuersiarum subeant. Ii mihi conari uelle uidentur, ut uno penitus tempore et uiui sint et mortui. Ideo non inanis illa fuit Seruatoris assertio, qua docuit fieri nequaquam posse, ut Deo pariter et Mammonae seruiatur. Orto enim Christo in terris, subita et irremediabilis fuit indicta lis et pugna inter mundum et coelum, Inter delicias carnis, et illas quae in spiritu colliguntur. Vtrumuis elige, simulac utrunque simul coire nequit. Etenim mundus occidit Christum, et tu adeo tener es ac delicatus, imo tam pavidus, dicam etiam tam procax atque ingratus, ut illum habere uelis amicum, qui tuum interemit dominum ac Patrem? Crudelia forsā illius extimescis uulnera?

{1555 p. 419}

At uide quid de se egregius ille contestetur Pugil. Ego (inquit) stigmata domini IESU in corpore meo porto. Rursum illud: Per legem legi mortuus sum, ut Deo uiuam. \96.a\
Caeterum quae suis pollicetur mundus, audire non pigeat. Crapulam (credo) libidines, scortationes, iocos, risus, ludos, delicias, plumas, ocium, atque altricem scelerum omnium ambitionem, fauoremque ad dignitates, ad ultiones, ad opes, ad arma. Et demum post

³⁴³ Eos pinguiissimum habere animum necesse est, qui in curis libenter occupantur terrenis. (Those who gladly occupy themselves with terrestrial concerns, must have a very thick soul.)

³⁴⁴ Certissimum benevolentiae Dei erga nos, et mundi odii, signum. (A very clear sign of God's benevolence toward us, and of the world's hate.)

mollem hunc uitae cursum, et sospitem, quem ab omni fore immunem calamitate promittit, pro extremo dat stipendio, ac more ducis liberalissimi congiario, inferorum ignes. Contra sic suos munit in terris Christus, esurie scilicet, siti, egestate, aerumnis, laboribus, angustiis, exiliis, morbis, aegritudinibus, uitae duritate, cruce tandem, et ea quidem perenni hoc in mundo, et cruenta. At post haec omnia pro gratuito se totum dat autoramento, quae uita est aeterna et beata.³⁴⁵

Ergo non graue sit, id uitae tantillum in huius generis amaritudine transigere, quae, praeterquam quod illis suauissima esse soleat, qui carnem iam suam crucifixerunt cum uitis et concupiscentiis, uitam illam parit, de qua sic senex noster.

3.14. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad uitam, quoniam diligimus fratres.

Vita corporis humani est anima, uita animae spiritus Christi: quem qui obtinet, mundo quidem mortuus est, Deo autem uiuit. Atque hac sane uita hi omnes animantur, qui fratrem pro quo mortuus est Christus diligunt.³⁴⁶ In hoc enim totam uitae illiusmodi uim, qua in Deo uiuitur, positam esse uoluit Christus, ut se inter se uicaria prosequerentur beneuolentia homines, tantumque illi placuit \96.b\ is modus perueniendi ad Deum, ut ad ipsos quoque hostes nobisque infestos protendi iusserit:

{1555 p. 420}

Diligite, inquit, inimicos uestros. Ab amore igitur illo, quo tum in Deum tum in proximum tendimus, uita ea proficiscitur, de qua ita Christus: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet. Viuet, inquam, in uite illa aeterna ac beata, tanquam palmes uiuus et ferax, ex qua omnis uita originem habet atque incrementum. Hoc proinde medio ex morte ea qua Deo extinguitur anima, ad uitam qua in Deo beati sumus, transferimur. Vide porro quid benignissimus asserat magister. In hoc, ait, cognoscent homines, quod mei discipuli eritis, si dilectionem ad inuicem habueritis. Ergo ex hoc cognoscimur argumento ac symbolo, an simus Christi discipuli, filii nempe Dei: Hoc est, a mortis tyrannide exempti, et ad spem uitae perpetuae translati, si fratres diligimus.³⁴⁷ Qui certe diligit, bene illi quae amat et uult et facit, quod proprium uiui hominis munus est atque opus. Huius quidem corpus animae beneficio et uegetat, et uiuit, anima uero Christi spiritu: iccirco beata, quoniam illius spiritu agitatur, qui aeterna est felicitas, atque omne bonum.

Ego, inquit, uitam aeternam do illis, et non peribunt in aeternum. Quid illud ad Patrem? Ego, ait, in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum. Ex his sane, nisi prorsus ferrei sumus, uidere licet, quod ubi non est charitas, ibi spiritus non est Christi, hoc est, uita animae.³⁴⁸ Siquidem

³⁴⁵ Quid mundus suis polliceatur, quid Deus suis. (What the world promises to its [people], what God [promises] to his.)

³⁴⁶ Vitae illius, qua CHRISTI spiritu animamur, ratio et definitio. (The reason and definition of the life of that one, by which we are revived in the spirit of Christ.)*

³⁴⁷ Symbolum cognoscendi CHRISTI discipulos. (A symbol for recognizing the disciples of Christ.)

³⁴⁸ Ubi non est charitas, ibi non CHRISTI est spiritus, uita scilicet animae. (Where there is not love there is not the spirit of Christ, that is, the life of the soul.)

3.14. Qui non diligit, manet in morte.

\97.a\ Sit is quidem ea ornatus uirtute fidei, qua (ut diximus) montes transferat: sit eruditus, sit sacris millies imbutus, sit sacerdos, sit pontifex, etiam si lubet maximus, si suum odit proximum, mortuus est, tametsi uitam in sinu fortunae felicissimam degere uideatur.³⁴⁹ Et cum mortuus is uere sit, nihil penitus, quod non sit morte dignum, imo ipsissimum mortis pabulum, aut cogitare, aut agere

{1555 p. 421}

unquam poterit. Num censemus leuem esse culpam fratrem odisse? Expende quid inferat apostolus.

3.15. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: et scitis quoniam omnis homicida non habet uitam aeternam in se manentem.

Cum uaria sint mortis genera, quibus mutuo collatis, eum, qui intulit, capitis arcessunt leges: illius hic tantum meminit, quod, licet a legibus, quae raro animum quamuis nefarium punire solent, dissimuletur, in Dei tamen conspectu grauissimum est, ac mulcta dignum. Esto, non strinxit ferrum quispiam, non aconita miscuit, non in aliquem ense grassatus est, aut arcu petiit praetereuntem ex insidiis: si odit, iam apud Deum homicidii agitur reus. Et quemadmodum de illo, qui uiderit mulierem duntaxat ad concupiscendum eam, definitum est a Christo quod iam moechatus sit in corde suo, quandoquidem quod in se fuit, fecit. Ita qui odit quempiam, maleque illi uult: corde iam homicidium, quod re ipsa facere non potuit, perpetravit: facturum tamen si sibi licuisset. Duplex enim uero hic mihi homicidium signari arbitrator: alterum quidem, quo quis hominem affectu menteque iracunda et fera interimit: alterum \97.b\ uero quo se ipse. Atque utrunque ab uno deriuatur fonte, odii nimirum ac similitatis.³⁵⁰ Unde commodum additum est, quod homicida non habet uitam aeternam in se manentem. Frater quidem uitam hanc sexcentis alioquin expositam periculis, tuis amittere potest sicis atque insidiis: recuperaturus tamen felicior in die domini, quam tu, qui perpetrato homicidio iam uita priuatus es aeterna qua sane iactura nihil homini contingere potest calamitosius. Et tamen parricidarum, sicariorum, lanistarum, atque adeo illorum, qui uenena misero alicui et incauto infundant, tam amplus est numerus, et occultus, ut ne quidem in abditioribus tuarum

{1555 p. 422}

aedium conclauius tutus uiuas. Quot iam, uidimus innocentes, uel opum uel haereditatum uel propriae interdum uxoris aut filiae causa, istiusmodi fati genere absumptos? quot familias conspeximus desolatas? quot uiros? quot foeminas uel in ipsis

³⁴⁹ Qui non diligit, manet in morte. (One who does not love remains in death.)

³⁵⁰ Omnis qui odit fratrem suum homicida est, quomodo intelligitur. (Everyone who hates his brother is a murderer: in what way this is understood.)

templorum adytis occisas cernimus? Vidimus haec (inquam) olim, et fleuimus: uidemusque etiamnum peiora, continuisque experimur periculis, quam nulla sit apud complures futurae uitae consideratio. Si quis enim praecellit in literis, in armis, in facultatibus, in honoribus, in ipsa demum religionis defensione ac tutela, caueat, oro, ab inuidorum ensibus, aut ueneno. Iam sunt (malum) qui etiam inter orbis primates hanc profiteantur lanienam, faciliusque aconitum, aut pertritum adamantem commiscent poculis, quam cocus sal solet esculentis, aut omentum permiscere. Et haec quidem omnia a Christianis ob tantulam huius uitae usuram, ac principatus ambitum in Christianos. Quae sane lues ea \98.a\ instincta est ui ac furore, ut ipsos quoque sublimioris uitae professores, si non ad gladios et uenena, ad extremas tamen et inextinguibiles interdum adigat simultates atque odia. Amentes quidem illos, si qui sunt tales, et incogitantes, qui perpetuis uitae suae incommodis, uanoque labore et seruitute, nihil aliud quam sempiternam sibi comparant mortem, ac damnationem.³⁵¹ Ecquis hic non fleat? Vertant, uertant (inquam) oculos ad Christi exemplum, cuius se uitae aemulatores uideri uolunt. Is quidem tam efficaciter ardentemque nos amauit, ut oblitteratis odiorum causis, quae multae in nobis erant, et ponderosiores, quam ut uiuere mereremur, mortem ipse obierit immeritam pro illis, qui acerrimi illius erant hostes.³⁵² At quam patens illius fuerit, sitque in praesentia amoris signum, ex consequentibus intueamur.

3.16. In hoc cognouimus charitate Dei, quo-

{1555 p. 423}

-niam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.

Maiorem certe hac dilectionem nemo unquam habuit, ut pro amicis quis suis uitam profuderit. Hinc Paulus: Commendat, inquit, charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.

Quid commendabilius quid praeclarius, quam si quis suo pro inimico, atque illo quidem sceleratissimo, mortem oppetat cruentam?

³⁵¹ Improbi religiosi suo illo coacto seruitutis iugo, nihil aliud quam damnationem acquirunt aeternam. (Shameless clerics by that forced yoke of servitude, acquire nothing other than eternal damnation.)**

³⁵² CHRISTI charitas amplissima fuit, quando pro sceleratis mortuus est. (Christ's love was greatest when he died for [our] sins.)

Sic egit Christus pro nobis non solum impiis, uerumetiam illius hostibus, itaque illi infestis, ut cum eo Gigantum more congregari, atque in illum superbiae turrim, molemque ingentem arrogantiae \98.b\ struere non uereremur. Vix enim pro iusto, nempe eo, qui undequaque uirtutum trophaeis ornatus sit, quis moritur, inquit Paulus. Pro bono forsitan, hoc est, pro illo, qui quempiam affecit beneficiis, quis audeat mori. Istud quidem haud insolens esset, beneficiarium pro benefactore uelle occumbere: id fert natura, quod de iusto solum ulla absque officii in alterum exhibitione uix dici potest. Verum Christus, quo nobilissimum de se erga nos charitatis praebere specimen, essetque exemplum posteris, quid sua in religione potissimum requireret, non pro iusto quidem homine, non pro bono, non pro beneficiorum memore et grato, sed pro impio, pro iniquo, pro hoste, pro ingratis omnium animante mortuus est.³⁵³

Obserua quomodo de lotione pedum edisserens magister, ad totius nos uitae suae imitationem ac filum prouocet, suoque exemplo alliciat: Exemplum, inquit, dedi uobis, ut quemadmodum [sic, quemadmodum] ego feci uobis, ita et uos faciatis. Prius enim dixerat: Scitis quid fecerim uobis? hoc est: Non ignorare debetis, quantum me cuiuslibet naturae, quantum imbecillitati,

{1555 p. 424}

quantum indigentiae, attemperauerim. Unde si cum iniuriis posthac et tyrannis uobis erit negotium, a me discere potuistis, quid in causa consimili uobis agendum sit. Ad haec non nihil interdum concupiscentiarum appetitionumque, tum opum, tum dignitatum, uestros sollicitabit animos, lactabitue spe falsa mundus, aut libidine uosmet ulciscendi, quoniam uestrum tunc erit effugium? aut unde tanta in conflictatione animorum petenda erit instructio? a me certe. Vos uocatis me, magister, et domine: e bene \99.a\ dicitis, sum etenim. Verum enim uero id parum erit, nisi et uos e regione ut discipulos dociles ac morigeros praestiteritis. Scitis quid fecerim uobis? scitis quae in terris uestrum ad exemplum gesserim? scitis quam mitis semper fuerim? quam patiens? quam a mundo derisus? quam ob gloriam Patris, meae propriae contemptor? Et demum non nescire potuistis, quae res me potissimum de coelis ad terras inuisendas protraxit, amor nimirum mei figmenti, ac Patris charitas. Si ergo laui pedes uestros ego dominus et magister, et uos debetis alter alterius pedes lauare.³⁵⁴

³⁵³ Vix pro iusto quis audeat mori, quomodo intelligit Paulus. (There is hardly anyone who dares to die for a just person, how Paul understands [this].) [Paul, Romans, 5.7.]

³⁵⁴ Scitis, quid fecerim uobis? quomodo intelligendum contra superbos. (Do you know what I have done for you? how this should be understood in reply to the haughty.) [John 13.12.]

Diuus hic Chrysostomus obstupescens clamat: Quem nam fastum hoc non tolleret? quam temeritatem, quam elationem non deprimeret? qui sedet super Cherubin, proditoris pedes lauit. Tu homo terra et puluis effereris ac intumescis? Merito hic clamat tantus uir suae (opinor) tempestatis supercilio offensus. Quid si nostra uidisset? Quid si praesenti uixisset aetate, in qua non Arium, aut Pelagium, aut Manichaeum, partem nimirum perexiguam orbis, et uix multis cognitam desciscere a fide cernimus: sed ipsam totam omnino religionis machinam ita nutare uident omnes, ut plane uel ipsae diuinare possint uetula, quid malis futurum sit agricolis? Qui nam quaeso pro fratribus eodem quo nos cruore ac morte comparatis nostras dabimus animas, qui illos tum fa-

{1555 p. 425}

-ma, tum facultatibus, tum uita ipsa, si possumus, expoliamus? Verior haec est definitio, quam quae glossematis, ac scholiis induci debeat, nos scilicet ad fratrum nostrorum salutem tutandam, ita paratos esse debere, ut (si opus fuerit) mori pro illis non formidemus, quemadmodum \99.b\ Christus ultro morti pro omnium uita se tradidit. Atque id quidem tunc factum fuit propter immensam aeterni patris, charitatem, qua impellente eo infortuniorum deuentum est a purissimo illius agno, ut eas data opera subiret calamitates ac poenas, quae ipsissimis debebantur latronibus ac piratis. Exemplum sane cum omnibus, tum his maxime necessarium, qui in uicem Christi succedunt in terris, glorianturque se esse pastores gregis dominici, cum tamen nihil minus agere prae se ferant quidam, quam ut Dei oues eo, quo conuenit, pascant edulio. Se ipsi nunc solum alunt nostri pastores, ac suos. Quanquam ne suos quidem uere, cum ea minime sit naturalis, germanaque ouilis Dei pastio, illud tantummodo pecuniis, honoribus, agris, aedificiisque innumeris et prouentibus, concupiscentiarum scilicet atque errorum fomentis infarcire, sed uitae uerbo in primis, morumque integritate ac fide.³⁵⁵ Id potissimum in antistite animarumque curatore requirimus, ut sanctus adeo sit, et in Dei lege eruditus, quod ab ipso tanquam a re diuina, quicquid ad bene sancteque uiuendum desiderari potest a subditis, abunde extrahatur.³⁵⁶ Caeterum res eorum, ac facultates non propriae illorum sunt, sed Christi: quare illis impartiendae sunt cum primis, qui Christi mores in terris referentes, nihil ultra, quam quod necessarium est ad usum uitae, uel quaerunt, uel expetunt.³⁵⁷ Dona uero illa splendida, et conuiuia, quae fiunt, a ministris ecclesiae, ullo absque delectu ac iudicio, ut intemperans illorum fert animus, et ambitio, furta sunt a sinu pauperum abrepta: nam illa quae sua \100.a\ minime sunt effundunt. De honesto

{1555 p. 426}

rerum usu et temperato, haud loquor modo: sed de prodigioso quorundam luxu, ac nimia in effundendis dissipandisque rebus alienis proteruia, haec pauca commemorare uolui,

³⁵⁵ Se ipsi nunc alunt solum nostri pastores; ac, caeteris omissis, suos. (Whether our pastors now nourish only themselves, and their own, with others omitted.)*

³⁵⁶ Quae maxime a curatore **animarum** requiruntur. (What [things] are most required of a caretaker of souls.)

³⁵⁷ Facultates ecclesiae quorum sint in primis. (The resources of the church: whose they are above all.)*

quo non ignorent praesules bona illa tum coenobiorum, tum hospitalium, tum beneficiorum (ut uocant) pinguium, atque episcopatum pauperum omnino esse, ac miserorum: se autem ministros, siue ephoros et episcopos uocare libeat: non dominos, non principes, non tyrannos, non decoctores. Qui tales sunt talemque sibi arrogat auctoritatem, atque iniecta uel legibus tum diuinis tum humanis imperium, uix amant nisi quos suae esse factionis, aut patriae, aut consanguinitatis, nouere. Tantum porro abest, ut animas ipsi proprias pro subditorum salute erogent, ut uitae etiam illis necessaria uel crudelissime subtrahant: uel ita parce demetiantur, ut uix eis uiuere liceat. Verum hi audiant,

3.17. Qui habuerit substantiam huius mundi, et uiderit fratrem suum necessitatem habere, et clauerit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?

Substantiam hic appellat apostolus fortunas facultatesque mundi copiosas. Nam si ille, cui eae suppetunt, pauperum indigentiae subuenire non uult, qui ex tenuioribus unquam subueniet? Sic res se habent nunc mundi, sic ita inualuit generatim auaritia, sic amor proprius, sic Dei contemptus, ut equi nobis curae sint magis, aut canes, aut assentatores, aut aurum ipsum terra obrutum, quam ipsa Christi membra, quibus indigentibus uelint nolint hi debentur, qui iccirco tam copiosis a Deo ditati sunt bonis \100.b\ atque honoribus, ut in se parce, in alios uero effuse benigni sint et liberales. Non hic usum iterum adimo cuilibet statui consentaneum, sed luxu-

{1555 p. 427}

-riem aufero et auaritiam. Alia certe utendarum rerum in rege consideranda est ratio, alia in magistratibus, in dynastis, in priuatis ciuibus, in mercatoribus, in mechanicis. Sed longe alia in his, qui praesunt ecclesiis ac coenobiis. His enim suus a lege cum ueteri tum noua, concessus est usus, et is quidem commodus et immunis. Si quid ultra, pauperum id totum esto et miserorum. At quid de meis hic loquar hominibus? Ut enim in communi commodo satis diuites sunt, ita in priuato lege quadam maiorum laudabili tenues: et nisi uniuersali fere omnium direptioni forent obnoxii, quemadmodum natura liberales sunt, ita eos uideres in pauperes et hospites profusiores. Verum ubi potentium siti, seu (ut ipsi uocant) necessitati satisfacere coguntur, eos nonnunquam praetereunt, quibus in primis suum debent ministerium. Et huic sane extraordinariae, coactaeque illorum seruituti, atque cum iniuria tranquillitatis nostrae inquietudini, adhibendum esse fraenum quis non uideat? quis sancti oicii cupidus ac quietis non id quaerat? Alioqui satius mihi esset, qui animi pacem rebus caeteris antepono, ut antro aliquo inclusus, aut in solitudinem quampiam arenosam proiectus ingenuis uacarem exercitationibus, Deoque fuerer [fruerer, 1546], quam nostros uidere praesules, nosque omnes pariter, omissa ueteri nostrae professionis tranquillitate, continuis angere curis. Vix aliter nunc agi posse uideo. Eo quippe iam nostra deuenit ob frequentem, ut dixi, coenobiorum \101.a\ depopulationem, uitae ratio, et inquietudo, ut qui pacatiori sunt animo inter nos, mallent tantilla separatim, ex communi istiusmodi fortunarum copia, contenti portione, frui Deo, quam tot inter diuitiarum strepitus ac fragores, uel esurire, uel adeo acerbe ab exteris uexari, ut neque Deo, neque mundo seruire illis integrum sit. At uero ut caeteris Christianorum uulneribus celerem optamus curationem, sic nostris

{1555 p. 428}

quoque non defuturos Patres speramus. Modus autem compendiarius et brevis, atque ad id, de quo nunc loquimur, idoneus, qualis sit, tametsi non nescio, mea tamen non interest dicere, hominis nullius profecto in mundo neque ordinis, neque numeri. Id uero serio triumpho. Sed ad rem iam coeptam redeo. Nemo sane mihi asserat se uitam pro fratre facile impensurum, si nummis illi, aut pane forsitan opitulari grauabitur.

Oro, quid Dei ecclesiae afferre potest commodi, addo et honor, si reiecta egenorum cura, muri aulaeis suppariisque aut peristromatis obtendantur uersicoloribus, uel pario crustati lapide parietes, colossaeis perornentur stauis ambitioso in pegmate collocatis?

Haec quidem ut non uitupero, si modum habent, ita uirtutum in primis, ac subditorum habenda est ratio: ne nostra duntaxat sequentes studia atque appetentias interdum effraenes, cogamus subditos, aut fures esse, aut maxima inquietudine animorum et murmuratione, uel prorsus suo a statu deficere, uel eo uiuere uitae genere, quod neque Deo, neque hominibus probari possit. Ergo si fratrem uictu, uestituque, aut tecto egentem uideris, nec illius inopiae tu cui amplae suppetunt \101.b\ facultates, nulla motus clementia subueneris, qui credi potest, ueram in te esse charitatem? Succurrit Iudaeus Iudaeo, ethnicus ethnico, tu Christianus Christo algenti, fameque in paupere periclitanti non succurris? Si fratrem me appellas, et nullum edis fraterni affectus argumentum, derisio est mera, atque mentita bonitas.

Re enim et effectum istius generis affectus patere debet, non uerbis tantum, apparatuque isto futili ac inani promissionum. Itaque

3.18. Filioli mei non diligamus uerbo, neque lingua, sed opere et ueritate.

Claudere uiscera (quod pene exciderat mihi aliis inten-

{1555 p. 429}

-to) seu aperire in scripturis, pro effectu charitatis benignitatisque praestitae, aut negatae, sumi solet.³⁵⁸ Caeterum necessitatis nomen non solum extremam illam inopiam atque egestatem signat, qua qui affecti sunt, intereant necesse est, nisi quis eat suppetias: sed etiam indigentiam simpliciter at pauperiem: ne ex auaris quispiam hinc suam obducatur duriciem, ueletque inclementiam, asserens necessitate duntaxat extrema laborantibus succurrendum esse: hoc est, cum exhalare coeperint animam.

Videant ii, quam nullius memoraturus sit necessitatis huiusmodi, quae mori cogat hominem, dominus IESUS suo in iudicio: Esuriui, inquit, sitiui, infirmus fui, ac caetera id genus nonnulla, quae mutuae indicia sunt charitatis, et fidei in Deum. Cum porro charitas, ut intellexit Paulus, non quaerat quae sua sunt, sed quae aliorum, actio illa perfecta esset, si quis bonis suis omnibus erogatis Christo, his nempe, qui sanctis moribus ac patientia suam cohonestant feruntque

³⁵⁸ Aperire et claudere viscera quid. (What it means to open and close the viscera.)

\102.a\ tenuitatem, nudum dominum nudus ipse sequeretur. Verum quia non omnes tam arcanum capiunt uerbum, paucique sunt, qui istuc perfectae dilectionis imitari uelint exemplum, quod minoris est uirtutis ab omnibus, quibus adsunt diuitiae, requiritur. Si quidem illud, quo facile carere non posses, non impartiris: at saltem quae supersunt, quaeque ad luxum suppetunt, ne impartiri graueris. Petit nudus, et is quidem frater, abs te uestem, petit panem, petit tectum, petit tantillam suae miseriae refocillationem: quid causas nescio quas illi pro ueste aut cibo aut testo [sic, tecto, 1546] impingis? Iam contempsisti Christum, si nescis, in misero illo. Darem, inquit auarus, si casta haec esset mulier, quae petit, aut uir ille probus. Non refert, ait Chrysostomus, cui des, modo quae erogas, intuitu eroges Christi. Neque periculum est interim, ut frequenter hubertimque tua elargiens inopibus fontem exhaurias (quod cauit orator ethnicus)

{1555 p. 430}

benignitatis. Superuacaneus is est in re Christiana timor.³⁵⁹ Siquidem qui iussit pauperibus opem ferri, suppeditabit et fonti suas deriuationes. Tantum id expetit, ne de re non nostra auari simus, libenterque illa ueris dominis distribuamus, quae quoniam nostra minime sunt, diu nobiscum esse non possunt.

Quantum hic nobis clamandum esset, Domine auge in nobis fidem. Nam ab huiusce in nobis parcitate et absentia affectus omnes impuros ac brutos, tum praesertim pusillanimitatem istiusmodi uitiosam oriri credimus.

Re itaque, non gerris, non lingua solum, praestanda haec est fraterna beneuolentia, atque amor reciprocus.³⁶⁰

Caeterum (ueritate) Christum /102.b/ intellige, ad quem tanquam ad certissimum scopum nostrae omnes dirigendae sunt operationes. Nam qui se ueritatis studiosos esse prae se ferunt, hoc est, qui synceram profitentur erga alios charitatem, id muneris se habere a Christo non dubitent, imo ipsum eundem cor nostrum ad illud mouere inflammareque, ac tandem ipsemmet id agere, persuasum habeant: nam

3.19. In hoc cognoscimus, quod ex ueritate sumus, et in conspectu eius suadebimus corda nostra.

Nihil felicius puro conscientiae testimonio: contra nihil infelicius impuro et contaminato.³⁶¹ Hoc enim perpetuis exagitamur pauoribus, illo autem auspicatissimum in modum a Deo pendemus, in eoque laeti uiuimus, expectantes beatam spem, et aduentum gloriae magni Dei, Suadebimus (inquit) corda nostra. Seu, persuadebimus, ut diuus legit Augustinus, cordi nostro. Est enim Graecis suadendo flectere. Hinc Paulus ad Galatas scribens, Modo (inquit) homines persuadeo, an Deum? Nonnulli legunt, Custodimus: polletque perinde ac, satisfacimus

{1555 p. 431}

³⁵⁹ Eleemosynas abunde esse largiendas. (Alms ought to be abundantly granted.)

³⁶⁰ Charitatis mutuae indicia. (Signs of mutual love.)

³⁶¹ Nihil felicius purae conscientiae testimonio. (Nothing is more fortunate than evidence of a pure conscience.)

cordi nostro. At tu uide, quid secum afferat quietis ac fiduciae bene sibi conscius animus: Si re, inquit, ipsa et ueritate, fratres dilexerimus, tunc tuti erimus, conscii nimirum nos iuste in Dei conspectu uersatos esse. Quid hac persuasione iucundius? quid huiusmodi beatius testimonio? Ergo ex pura minusque fucata dilectione, segura, plenaque confidentiae in conspectu benignissimi Patris nostra efficitur conscientia: qua sedata, pignus fit actutum in nobis uitae aeternae per fidem illam, qua \103.a\ iustificati pacem habemus ad Deum: hoc est, eiectis a cordibus nostris tum legis, tum iudicii Dei pauoribus, saeuaque illa a nobis propulsata errorum superstitionumque laniena, quieta uiuimus conscientia: tantique facimus animi tranquillitatem, quanti sua isti regna, et mundi delitias et commoda. Certe cum quis fratrem se candido affectu diligere, ac re iuuare propter Dei spiritum in se habitantem nouerit, se quoque legem uniuersam eodem spiritu Dei opitulante, seruare posse confidit. Qui enim sic diligit, legem seruat, uiuitque in Deo: qui uero secus, manet in morte, ut noster asserit apostolus. Vtrumuis igitur elige, simul ac per Christi uirtutem tui factus es iuris. Caue tamen, Dei spiritum, quem in te esse per Christum non ignoras, in turpitudinem aliquam peccati relapsus, irrites: eoque adigas iracundiae, ut qui antea cum uiro innocente innocens erat, cum sancto sanctus, tua postea offensus leuitate, atque ad mundum transfugio, te deserat, eumque tuo maximo sentias exitio cum peruerso peruersum factum. Tunc sane ad alteram tantummodo partem tu ex te arbitrium inclinare poteris, nempe ad uitium, ad turpem uitam, ad mortem:³⁶² In altera uero inhabilis prorsus effectus corrues, postquam expulso Christo, atque a te tua culpa alienato, illud de te non immerito dici audies, quod diabolus stet dextris tuis, qui haud multo

{1555 p. 432}

prius cum propheta canere consueueras: Dominus a dextris est mihi, ne commouear. Ex nostrae itaque dilectionis mensura ad proximum, cuius sit quispiam uirtutis in hac periculosa mundi arena dignosci poterit, \103.b\ probabiturque a Deo, aut reiicietur, ex huiusmodi notione, quae a propria manat conscientia, ipsis (ut ait Paulus) cogitationibus inuicem accusantibus, aut defendentibus in die domini:

3.20. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, et nouit omnia.

Cor hic pro ui illa interiori et certa, quam quidam sui notitiam, alii conscientiam appellant, sumi debet. Ea siquidem illi est uirtus indita, ut quantumlibet quis suos celet cordis recessus, haec falli nequeat. Quod si ita est, ut quilibet in se ita esse experitur, de Deo certe secretorum omnium cognitore id multo magis sentiendum esse fatebimur. Qui fieri potest, ut qui cor ipsum effinxit quae in corde sunt ignoret? Si cor igitur humanum, rem scilicet tantillam et tenuem, nihil eorum, quae cogitamus, latere potest: latebitne Deum, qui longe maior est corde nostro et conscientia? Quare non est, quod quispiam simulator et duplex imposturam fieri posse Deo arbitretur, putetque diuinos oculos, qui nusquam non adsunt, fucosam illam suam ac mentitam non intueri dilectionem. Id ferme in usu nunc est apud complures, ut simulata beneuolentia, quemuis decipiant. Reprehenderit, quidam legunt, Condemnauerit. Et est sensus: Si cor nostrum, rem omnino cum Dei magnitudine

³⁶² Arbitrium ad malum liberum per se non ad bonum, absque Dei ope. (Free will by itself, without the help of God, [is] for evil not for good.)

comparatam nihili, fallere haudquaquam possumus, quin nos arguat, ac iuxta insyncerae simulataeque arcessat dilectionis, Deum omnia scientem fallere nos posse censebimus? Ergo quo tutam, confidentemque reddamus

{1555 p. 433}

in illius conspectu qui alta a longe cognoscit, conscientiam, non diligamus \104.a\ uerbo (ut inquit Ioannes) et lingua, sed opere et ueritate.

Vtunque enim cor perplexo, qui mos est simulatorum, suos inuoluat, tegatque maeandros ac sinus, maior est Deus, quam sit cor nostrum, et nouit omnia. Ad haec,

3.21. Charissimi si cor nostrum non condemnauerit nos, fiduciam habemus ad Deum.

Ex eo enim quod quis se intime nouit, persuasumque habet se propter spiritum Christi, cuius uirtutem experitur ac dulcedinem, in Dei sortem uocatum esse, atque proinde ad tam excelsum euectum esse uitae gradum et perfectionem, ut cum apostolo illud diuini amoris plenissimum de se posse dicere confidat: Viuo ego iam non ego, uiuit autem in me Christus: audet nescio quid aliud egregium, et excellens, nempe fiduciam ulla absque haesitatione, quae ab impuris cordis affectibus oriri solet, in Deo ponere. Etenim in speculo diuini amoris, unde omnem suam hauriunt pulchritudinem animae et cognitionem, intuetur se Deo, tam immoto firmoque per gratiam adhaesisse proposito: ut tametsi rem tantam, ut est Deus, non ita ut conuenit diligit: nihil tamen illius anteponat amori: imo nihil omnino dignum amore iudicet, quod aut Deus non sit, aut ad Deum pertrahat. Quid (inquit) mihi est in coelo, aut quid uolui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Videsne indubitata in sanctissima uatis anima fiduciam? uides quomodo nihil iam seu in coelis, seu in terris cupiat, quod Deus non sit? Qua de re Paulus cuncta, ut Christum lucrifaceret, \104.b\ pro stercore se habuisse clamabat, peripsemaque mundi se reputans et aborsum prae Christo, atque illius amore, uel quae in coelis, uel quae in terris agunt, inferiora diuina omnino esse dilectione ar-

{1555 p. 434}

-bitratur. Unde in admirabilem illam summae erga Christum fiduciae et amoris prorupit exaggerantiam:³⁶³ Certus sum (inquit) quia neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare a charitate Dei, quae est in Christo IESU domino nostro.

Haec sane non nisi a flagrantissimo diuini amoris domicilio, ut erat cor Pauli, prodire potuerunt. Quid, inquit, Tyrannorum iras et gladios mihi minantur? quid arrogantes scribarum pharisaeorumque calumnias atque dolosas opponunt artes, quando neque angeli ipsi, neque supernae quantumuis nobiles ac Deo proximae potestates me a Dei amore diuellere unquam poterunt? Ad significandum suum constantissimum amorem ad

³⁶³ Fiducia et amor uno proficiscuntur passu ad Deum. (Faith and love proceed with one pace toward God.)

Christum hisce usus est hyperbatis apostolus, alioqui fieri non potest, ut angeli sancti a Deo separent homines. Adeo enim non separant, ut operam etiam assiduam, qua Deo illos concilient, impendant. Nusquam non adsunt nobis fidissimi illi custodes.

Haec pauca de amore illo, quo in Deo anima requiescit, huc attexere libuit propterea, quod eo ex fonte spem animae totam erga Deum atque fiduciam deriuari hi bene norunt, qui altissimis assueti contemplationibus in diuina caligine (sic illam uocat Dionysius) \105.a\ immerguntur. Unde ex illis quidam: Solus, inquit, amor Dei animam ad ueram perducit spem et confidentiam, quam quidem nulla uirtus, quamuis magna et diuina, sine amore dare unquam poterit. Et tamen nihil tam necessarium esse ad assequendam uitae perfectionem existimo, quemadmodum spes est, ac fiducia in Deo. Quocirca concludi id posset, neminem unquam, licet in uirtutum (addo et contemplatio num) studiis se se exercent, ad sublimem illum fiduciae sensum, qui tam necessarius est in Christiano, ut absque illo frustra omnino

{1555 p. 435}

fiant, quaecumque in re salutis molitur, deuenire posse: nisi Deum prius, atque ante omnia diligat, omniaque in Deo.

Secus uero, quomodo impurus auari animus, aut libidinosi, aut factiosi, illiusue, qui praensationibus magis quam ocio, altoque silentio in Deo et quiete delectetur mulcta illa carebit horrenda, qua cor affectum nihil cogitare iam potest, quod turpe non sit, atque ullo sine effugio desperatum? Causa uero?

quoniam terrenarum rerum cupidinem, faecemque libidinum, et ambitionem Dei amori praeposuit. Diuinae quippe bonitatis ignarus, illis potissimum innixus est rebus, quas ardentius quam Deum, imo quas solas contempto Deo dilexerat, efflictimque deperierat. Cum multa itaque requirantur in anima, quorum praesidio ad Deum tuto fidenterque confugere debeat, dilectio in primis id iure omni sibi uendicat: nunquam enim fiduciam in illo pones, quem non amas.

Rursum audebisne unquam Deum, quo tua remittat debita, noxasque condonet, interpellare, si fratrem ipse tuum, imo conseruum, membrumque de membro (ut ait Paulus) corporis Christi \105.b\ amaro persequeris animo, premisque quam maxima potes saeuitia, si quid in te peccauerit?

Qua fronte? qua confidentia tu a Deo postulas, quod ipse tuo negas proximo? Certe si id agis, nonne e uestigio tua reclamabit conscientia, arguetque te amentiae, ac totam adimet exorandi quod oras fiduciam? Petis quidem a Deo, ut pactum seruet: Dimitte (inquis) debita nostra. Iuste id, opinor, et debitum. Verum tu interim quid? Praestasne conditionem? ille, quae est eius incomprehensibilis bonitas, se tua oblitteraturum debita benignissime pollicitus est: sed ea conditione, si tu fratri prius ex animo condonaueris iniurias et peccata ei cupis igitur seruari a Deo foedus tecum initum, tu serua conuentionem in foedere pollicitam. Re, inquam, serua et effectu, non uerbis illis tuis fucatis et indignatione gra-

{1555 p. 436}

-uidis: Remitto quidem quicquid in me deliquit proximus, uerum iniuriarum non sum immemor. Dic sodes, quid sibi uolunt haec? Memoria certe offensionum, pallorque in aduentu illius, quem pro hoste habes, sermo durus, amarus, irrisorius, mordax, residentis adhuc odii in animo indicia sunt indubitata.³⁶⁴

Atque adeo id magis, si pro re nata ueniam imploranti subsidiumque denegaueris. Ergo nunquam Deum nobis speremus propitium affuturumque, si nostris nos fratribus (inter quos hi etiam censendi sunt, qui nobis male uolunt) defuerimus. Pacata itaque nostra hunc in modum cum Deo conscientia, eodemque ipso haesitationem omnem ab animo auferente, fiduciam habemus ad Deum, hoc est, securi, confidentesque sumus coram Deo.

3.22. Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo: \106.a\ quoniam mandata eius custodimus, et ea quae sunt placita coram eo, facimus.

Videtur hic Ioannes uelle ostendere causam, ob quam a Deo nostris in orationibus exaudimur, illius esse praeceptorum custodiam et obseruationem, cum magis consentaneum uideretur dicere, nos ideo diuinas adimplere iussiones, quoniam a Deo adiuti et accensi, non solum ad ea petenda, quae nobis utilia sunt et commoda, edocemur, uerum etiam illa ipsa, spe minime uacillante ac fide, impetramus.

Vtrunque enim uerum. Nam nisi benignissimus Deus mitteret (ut inquit Paulus) spiritum filii sui in corda nostra, clamantem Abba Pater, quid quod nobis conduceret uel optare, uel ab eo petere unquam auderemus? Ab illius ergo spiritu edocti, ad eum prouocamur affectum et ardorem, ut cum ineffabili, cum immenso, cum incomprehensibili, cum in profunda horrorisque plenissima commorante lucis caligine, imo in luce ipsa

{1555 p. 437}

ipsa infinita et mirabili, colloquia miscere non timeamus. Hinc noster a mundi illecebris euulsus amor deliciatur in Deo, spes acuitur, atque ad actiones illas, quas (ut ait apostolus) Deus praeparauit, ut in illis ambulemus, prostrata erigitur uoluntas, consanescitque per Christum: cuius ope etiam imparia nostris uiribus aggredi tentareque non formidamus. Ecquis unquam Dei praecepta se seruare posse absque illius qui iussit spiritu iactabit? Quis fidem? quis charitatem? quis dona illa admiranda sapientiae, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis, ac Dei timoris se posse assequi arbitrabitur sine spiritu fidei, charitatis, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis, ac ignis illius \106.b\ consumentis, qui Deus est? Non quia tot sint spiritus, quot dona, haec loquor: sed quoniam haec operatur unus atque idem spiritus, diuidens singulis, non sicut nostra nonnunquam praepropera, et temeraria uoluntas appetit, sed sicut ipse uult. Nouit enim Deus suum figmentum, nouit sua uasa, nouit quid unicuique impartendum sit. Etenim si nondum in te spiritus Dei est, adiuuat nihilominus, incitat, urget, utque fidelis sis et bonus, admonet. Sin adest, teque iam bonum possidet, te seruat, atque ut ad omne opus bonum paratus sis uires suppeditat. Id enim uero negotium uendicat sibi charitas, qua praesente non modo in Deum credimus, aut fiducia erigimur: sed etiam in eo, quae est summa animarum perfectio, delectamur. Tunc

³⁶⁴ Odii mutui signa. (Signs of mutual hate.)

sane sponte nos nostra uiam mandatorum Dei currimus, ut inquit Dauid, cum per charitatis effusionem ac flammam dilatat ipse cor nostrum. Verum tantae est erga homines bonitatis pientissimus Pater, ut suas ipsius praeceptiones ab ipso magis quam nostro studio ac labore seruatas, perinde remunerare solitus sit, quasi nostrae omnino fuerit uoluntatis ac uirium, ea seruasse, quae sine ope Dei ac fauore seruari nequeunt. Unde concentus quidam mirabilis et diuinus inter Dei gratiam

{1555 p. 438}

et arbitrium humanum ab his auditur, qui se aliquid iam esse in Deo per Christum et sentiunt et fatentur.³⁶⁵ Hunc diuus non ignorauit Bernardus, cum absque libero arbitrio non esse quod seruari posset asseruit, neque absque gratia unde. Fatendum proinde erit posse nos omnia, nedum mandata Dei exequi, in eo, qui nos uocauit, asciuitque ad uitam per Christum. \107.a\ Quare studio istiusmodi nostro, atque in curriculo mandatorum suorum alacritate delectatus Deus, nos audit, quando ea, quae placita sunt illi, tum facimus, tum postulamus. Ideo perpetua quadam sibi inuicem alternatimque succinunt harmonia et sponsus et sponsa, Deus et anima, misericordia et miseria, mors (ut sic loquar) et uita. O certe mysterium, connubiumque his duntaxat cognitum, qui in mundo sunt, et de mundo minime sunt, ut suos omnino esse uoluit discipulos et amicos Christus. Non possum quidem nostram hic non execrari consuetudinem in mundo, nostros contaminatos mores, nostram ad diuina duriciem, ad terrena facilitatem, propensionem, conatum. Infelix ego homo, quis me e tetro hoc adimet tandem seruitutis gurgustio? Gratia enim Dei (non dubito) per IESUM Christum. Sed iam illud uidendum, quomodo quicquid petierimus, impetraturi sumus, cum multa petant homines, quae non impetrant. Puto equidem dominum IESUM hunc soluisse nodum, cum dixit: Quaecunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Absolutissima haec est finitio, quod qui aliquid in Christi nomine postulat, indubitanter accipit. Qui uero secus rogat, aut non obtinet, aut suum ad exitium et damnationem (quo in eo illud prophetae locum habeat, absorpti sunt in beneplacitis eorum) obtinet. Caeterum in nomine Christi petere ac orare nihil aliud esse definiunt Patres, quam in Christo Dei unigenito orare: hoc est, illum per omnia Patri aequalem censere, credereque nihil Pa-

{1555 p. 439}

-trem nobis gratiarum \107.b\ elargiri, quod filius una cum utriusque spiritu non elargiatur, eumque subinde tanquam uerum Patris filium uereri, colere,³⁶⁶ atque eum in omnibus induere, ut nos hortatur apostolus dicens: Induite dominum IESUM Christum. Etenim qui stragula ampla aliqua, aut pallio (ut fere sunt, exempli causa, cardinalitiae uestes illae purpureae ac solennes, quas passim etiam ab illis, qui nullius sunt nominis ac numeri, expeti quaerique uidemus) cooperitur, quoquo uersum se uertit, aut obambulat, nihil omnino aliud, praeterquam uestem illam undecunque effluentem, undantemque prae se ferre potest: imo si quae insunt homini maculae, beneficio togae occuluntur. Ita sunt hi,

³⁶⁵ Concentus admirabilis inter Deum et arbitrium hominis. (Admirable harmony between God and the will of man.)

³⁶⁶ Quid sit in Christi nomine petere. (What it is to ask in God's name.)

quibus Christus pro tegumento est, ac ueste. Unde si quid agunt, cogitantue, aut loquuntur, quid putas? id omne illis est Christus. Hoc est, in actionibus, in moribus, in uerbis, in ipsis quoque intimis cogitationibus nihil aliud quam Christum induunt ac referunt.³⁶⁷ Si quid interim peccare illis contigerit et labi, non uestem quidem, ne foedae appareant pustulae, abiiciunt: sed hoc illi arctius inhaerent, quo maius emergerit periculum, ac nota turpior. Id sane ingens huiusce uestimenti beneficium praeuidit propheta cum exclamauit: Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Quonam (oro) tectorio? Christi nimirum cruore ac morte. Sentis quanam uestis ratione uestiti debeant esse hi, qui a Patre in nomine filii quidpiam exorare cupiant? Atqui de hoc toto precandi genere alium intellexisse apostolum arbitror, cum dixit: Omnia quaecunque \108.a\ facitis, in nomine domini facite. Verum illud quod in lege cautum fuit antiqua terrere nos debet: Bestia (inquit) quae tetigerit montem, lapidabitur. De anima haec illa dici reor, quae immundis nondum exuta affectibus, audet se se diuinis insinuare cum Deo colloquiis, ab eoque illa poscere, quae puris solum communican-

{1555 p. 440}

-tur animis. Adeo enim quae talis est, non fit uoti compos, ut pro temerario illo etiam ausu mulctam, et hanc sane horrendam letalemque referat. Lapidem porro, qui quasi pro meriti compensatione istiusmodi debentur bestiae, puto cor durum esse, ac mentem reprobam: quam profecto calamitatem suis imprecatum fuisse hostibus prophetam iudico, cum ait: Contritio et infelicitas in uis eorum.³⁶⁸ A constanti igitur ac firma praeceptorum Dei custodia is in nobis accenditur affectus, a Dei uidelicet ipsius gratia exorsus, quo nihil omnino aut facere aut cogitare uelimus, quod illi non probetur, quodque ab amore eo non proficiscatur, quo nos aeternorum desiderio per sanctum eius spiritum accendimur, illique unimur. Quoniam, inquit, mandata eius custodimus, et ea quae sunt placita coram eo facimus: iccirco quicquid petierimus accipiemus ab eo. Hic uides necessariam prorsus esse ad conciliandum nobis Dei spiritum et gratiam, obedientiam, promptumque ad exequendas diuinas iussionem animum. Quae tamen omnia Dei munera sunt, ne tu quasi non acceperis imprudens glorieris. Vult sane Deus, quae uniuersalis est eius uoluntas, ut in re salutis non nihil quod nostrum sit afferamus.³⁶⁹ Nostrum tamen ideo, quoniam quod suum est, id nobis, ne penitus sine meritis \108.b\ inueniamur, ita effuse donat, ut nostrum omnino sit et dici debeat. Cum quidem suum donauit nobis filium Pater, donauit etiam omnia, quae spectant ad filium cuius nomen IESU est, cuius natura pietas, cuius uirtus amor, pax, salus, gaudium. Quare si salus nobis contigerit, si pax, si robur, si Dei charitas, si uita, haec omnia nobis per Christum, qui rebus hisce omnibus abundat, contingunt.³⁷⁰ De plenitudine quippe illius nos omnes, quamuis perfecti et excellentes, abunde accipimus. Alioquin sine Christo nostra omnis uoluntas, nostrum arbitrium, uires denique no-

³⁶⁷ CHRISTUM induere quomodo intelligimus. (To put on Christ: how we understand [this].)

³⁶⁸ Quid sit bestiam montem tangere et lapidari. (What it means for a beast to touch a mountain and be stoned.) [Paul, Hebrews, 12.20.]

³⁶⁹ Vult etiam nostrum nescio quid Deus in re salutis interponi. (God wishes to interpose/ insert I don't know what in the matter of our salvation.)

³⁷⁰ CHRISTI nomen IESUS est. (Jesus is the name of Christ.)

{1555 p. 441}

-strae omnes animi atque conatus, sicci essent riuuli, imo coenosi, et uitiorum sordibus oppleti. Tantum porro abest, ut diuinae absque illius ope parere possimus uoluntati, ut reluctemur etiam ultroque detractemus, si quid quod nostrae imbecilli conducatur ualetudini, praecipiat. Bona igitur omnia in nobis operatur Christus, mala uero nos ipsi.³⁷¹ At iam, ne longius euagemur, quae uis potissimum sit praeceptorum Dei, atque illius uoluntatis cognitio, uidendum erit.

3.23. Et hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine filii eius IESU Christi, et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.

Obserua hic duos, oculos ne dicam sponsae, an pedes, nescio, fidei nimirum ac dilectionis. Non est quidem tam ardua atque obscura in diuinis nubes, quam hisce ornata oculis ac pedibus anima non penetret atque assequatur.³⁷² De quorumque dignitate ac efficacia non nihil et nos in supra dictis, ut dedit dominus, attigimus, \109.a\ diximusque mandatum de diligendo proximo tam gratum Dei fuisse unigenito, ut suum proprium inter caetera esse uoluerit, decreueritque in illud, sicuti in perfectissimum salutis nodum totam uim legis, praeceptorumque desinere. Hic certe consilium non habet locum: mandatum quippe est a Patris corde profectum, tamque hominibus necessarium, ut Ioannes non uereatur dicere: Qui non diligit, manet in morte. Nec sane istiusmodi abhorret a natura dogma et definitio. Siquidem cum Deus amor sit, illud necessario contingere opus est, eum qui non amat, absque Deo esse, qui uita est animae. Ergo praecipua uis est legis dilectio ea, qua pudicissimo perseuerantique mouemur affectu erga fratres per Deum in Chri-

{1555 p. 442}

-sto, qui adeo nostri amans fuit, ut mortem pro nobis uiuificandis non detrectauerit. Quod, oro, maius dilectionis signum ab amico praestari unquam potuit? amor itaque occidit Christum.³⁷³ At Daemon, spiritus utique ut sagax et acutus, ita in inferendis uulneribus non solum astutus et dolosus, uerum etiam indefessus carnifex, ac lanio, eo acrius in nos insurgit, quod nos cernit in his libenter uersari, quae pacis sunt, quibusque nos inter nos sedulis fouemus obsequiis. Contra, ob nullam aliam tam insolenter exultat uictoriam, quam cum sparsis iurgiis, accensisque odiorum flammis, amorem mutuum uidet extinctum. Iam illud maximum nostrae est imperfectionis indicium, cum aut leui plerunque, aut nulla interdum occasione tam necessarium inter homines foedus abrumpitur, uiolatur charitas, ac Deus, res tanta scilicet et formidabilis, contemptis illius mandatis, \109.b\ negligitur, irritaturque et nostris a congressibus atque tractandarum rerum apparatibus et diffinitionibus arcetur. Permagna haec est confidentia et audacia. Et

³⁷¹ CHRISTUS bona omnia in nobis operatur, nos uero mala. (Christ performs all good things in us, but we [perform] the bad.)

³⁷² Duo sponsae oculi, seu pedes, fides est, et charitas. (The two eyes of the bride, or feet, is faith and love/ charity.)

³⁷³ Amor occidit CHRISTUM. (Love killed Christ.)

certe iustissimus fuit Daudis pauor, quando consideratis nostris in Deum iniuriis exclamauit: Non egredieris Deus cum uirtutibus nostris. Quid horribilius audiri potest? Quod certius futuri interitus praeludium expectamus? Tantine turpissimus et furens aut irae, aut libidinis, aut ambitionis aestimandus est affectus, ut Deum a nobis eximat? Vidi ego aliquando coetus hominum haud in caeteris aspernandos, Res item publicas alioqui honestissimis ornatas dotibus, ad uerbum solum inconsulte prolatum, seu ad leuissimam illatae iniuriae suspicionem, ad arma, atque ad tantos excitari tumultus ac strepitus, ut mare dixisses ui effera uentorum ab imo reuolutum fundo horrendum in modum furere ac mugire. Quid tum putas? Gestit Daemon laetitia inenarrabili, moreque ouat triumphantium, qui capta praeda (ut inquit Esaias) di-

{1555 p. 443}

-uidunt spolia. Num censes illis, qui tales sunt, Dei fidem, qua IESUM esse Christum, uitam quippe nostram, atque uitalem unctionem et salutem, honori esse posse, an irrisioni? Certe qui Christi sunt, ut omnes esse debent, Christi honorem non modo rebus hisce exteris et caducis anteponunt, sed etiam ipsi uitae propriae ac saluti.³⁷⁴ Caeterum quo alio indicio, qua significatione alia et argumento nostrum ostendemus erga Deum uel studium uel contemptum, nisi illo, quo in custodiendo sermones eius, uel studiose, uel neglecte afficimur, et mouemur? Qui illius \110.a\ seruat praecepta, in Christi nomine ullo absque dubio credit: hoc est, illius fudit promissionibus, illique, quo res cunq̄ue obuenant, innititur, fertque acceptum, si quid unquam Christi maiestate dignum se egisse sibi conscius est. Ex hac porro aequa animi temperatura et quiete amor nascitur in nobis ac desiderium imitandae illius uitae: qui lenissimo cum esset animo et miti, nihil aliud suis mandare potuit filiis quin lene fuerit, mite, atque amoris plenum. Hinc mirabili inflammata ardore anima ac face spiritus, in Christo tanquam in purissimo diuinitatis speculo intuetur, hauritque scientiam illam mundo incognitam, qua sine errore de ima hac in proximos dilectione et charitate in altissimam transit diuini ardoris caliginem. e' qua sol ipse Christus dominus, amor uniuersi et pax, suos exerens radios, ita nostros occupat animos et illustrat:³⁷⁵ ut praesumamus et nos homunculi cum ipso pariter, quicquid sumus, uiuimusque, ad aliorum commodum et salutem impendere. Tale est de amore Christi mandatum, haec illius sanctio, haec iussio, haec uoluntas, sic ipse egit in terris.

3.24. Et qui seruat mandata eius, in illo manet, et ipse in eo.

Benignissimus magister et dominus Christus IESUS

{1555 p. 444}

homo et Deus, qui iccirco uenit in mundum, ut omnis qui credit in eum non maneat in morte: imo ut uitam habeat, et abundantius habeat, ne in discernendo statuendoque amoris termino aut modo diutius caecutiremus, nostrae breuiter subueniendum esse ignorantiae decreuit, cum \110.b\ ait: Hoc est praeceptum meum, ut diligatis inuicem.

³⁷⁴ Odiosorum hominum effigies. (A portrait of offensive men.)

³⁷⁵ CHRISTUS purissimum diuinitatis lumen. (Christ is the purest light of divinity.)

Id scio o domine, in idque et dies et noctes incumbo. Verum in eligendo fine ac modo, hallucinor. Haud me certe praeterit, tuum id esse mandatum, et istud quidem necessarium, ut nos inuicem mutua prosequamur charitate, diligamusque, ut tuus inquit dilectus, alterutrum.

Modus uero qualis sit, ac diligendi ratio et consilium, me fugit omnino: adeo tua in discutienda uoluntate hebes sum ac segnis. Audi o tarde. Id uolo, id uult simul et Pater, ut diligatis inuicem. Modumne quaeris? Sicut ego dominus uester et magister dilexi uos. En uestri amoris terminus, en modus, en ratio, nihil praeterea: Exemplum enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, ita et uos faciatis. Ego quidem meo in amore nihil aliud quaesiui, quam Patris gloriam, ac mundi salutem: sic uos inter uos exercete dilectionem.³⁷⁶

Non certe affectus adimo naturales, nec tollo naturae uim et legem, quin potius prostratam erigo, peneque obliteratedam innouo dilectionis formam:³⁷⁷ quae talis est, ut primas sibi arroget partes Dei honor, rei postea amatae commodum et salus. Salus, inquam, illa in primis, quae sit animarum. Quod si affectus solummodo humanos, et naturales admissem, nunquam sane crucis amaritudinem neque ego haussem, neque aliis, uti antidotum illis necessarium, propinassem. Sic itaque sino suos habere affectus in amore naturam, ut ultra tamen progrediatur, in eum scilicet amoris causas refundens, a quo tam suaues extraxit delicias, ut amor est et charitas.³⁷⁸ Qui sic amat, in Deo manet, et Deus in eo. O altissimum atque

{1555 p. 445}

\111.a\ imperscrutabile diuini amoris mysterium, quod cum uerso animo et contemplor, in memet illico relapsus, totus cohorresco, atque in ipso primo inquisitionis limine deficio. Quid? nonne aeternum Patrem humani generis salutem pluris quam filii uitam fecisse uidimus, ubi tam charum pignus in hominum gratiam occidi passus est? Vide quid hac de re scribat Ioannes. Sic, inquit, Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Ecce animae humanae pretium. Oro, quid in nudinis atque emporiis dignius censi solet, pretiumne, quo quid emitur, an ipso comparata res pretio? Ad haec rimanda quis idoneus? uerum alia ratio est crucis IESU, qua homo a iugo atque hasta assertus est mortis et peccati: alia ea, qua in distrahendis utitur mercibus uel mercator uel proxeneta. Sed de his alias.

Age nunc de unione illa, qua Deus fit animae statio, atque idem per diuinarum praeceptionum custodiam et possessor, et possessio, uideamus, ut ea uideri possunt, quae profundissima obiecta sunt nube in Deo. Tam arcta quidem ea est copula inter Deum et animam, ut ferme idem sit in illis et habere et haberi, tenere et teneri.³⁷⁹

Tenet, ait Bernardus, sponsa sponsum pio affectu ac fide: tenetur autem potentia et misericordia. Nam procul dubio nisi prius potenti atque adeo misericordi teneretur illius amplexu, praeoccupataque Dei benignitate ac luce, sic occultis ueluti subterraneis

³⁷⁶ CHRISTUS exemplum dilectionis. (Christ, an example of love/ delight.)

³⁷⁷ Vera dilectionis forma quae sit. (What the true form of love is.)

³⁷⁸ CHRISTUS nostris delectatur lamentis. (Christ is delighted by our laments/ wailing.)

³⁷⁹ Qua ratione Deus fiat animae statio, atque anima Dei. (For what reason God becomes the station/ fortress of the soul, and the soul of God.) [Statio: “veteribus dictus Coetus, sive conventus fidelium in Ecclesia; Locus in Monasteriis educandis pueris destinatus,” DuCange.]

aquarum tubulis ablueretur spiritus donis: ut illud de se merito dicere non uereretur, eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae, sponsa sponsum \111.b\ nunquam tenere ualida esset.

Nam prius dixerat: Num quem diligit anima mea uidistis? qua sane percontatione uult sponsa suum intelligi affectum, atque amoris incendium ad sponsum. O amor praeceps, clamat Bernardus, uehemens, flagrans, impetuose, qui praeter te aliud cogitare non sinis, fastidis caetera, con-

{1555 p. 446}

-temnis omnia praeter te, te contentus.³⁸⁰ Perinde enim de suo quaerit amatore amans, quasi de re cunctis obuia et nota. Sic illi agere consuescunt, qui ardentem amant, ut fere illa fuit lamentabilis Mariae ad sepulchrum inquisitio: Tulerunt (inquit) dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum: si tu sustulisti eum, dicit mihi. Iam diximus ex uerbis Christi uniuscuiusque amorem ad Deum e sincera praeceptorum illius obedientia, non tantum ex rerum coelestium notitia, comprehendi, palamque fieri posse. Promulgata nanque diuinarum praeceptionum lege, iactum pariter fuit amoris fundamentum: siue, ut expressius dicamus, data omnibus fuit, quo quilibet in Deum affectu moueretur, se se ostendendi occasio.

Proinde qui seruorum more, ut olim fuit Iudaeorum natio, praecepta uitae audiunt, contremiscunt subito, ac suam nequeunt non significare animi demissionem ac diffidentiam. Non loquatur, inquiunt, nobis Deus, ne forte moriamur. Vide segnem animam, seruilibusque onustam affectibus, et cui bellissime conuenire arbitror: Non poterit uulgi ascendere in montem Sinai. Illud quoque Mosis: Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus uestris. Sed aliud omnino ueri filii est institutum, aliud audita Patris uoluntate \112.a\ consilium, alia mens, alius animus. Quid ille? Audiam, inquit, quid loquatur in me dominus Deus, quoniam loquetur pacem: nempe aeternam cum Patre reconciliationem. Dicam audaci

us, eo filium maiori debere erga Patrem affici dilectione, quo maiora sunt ac sublimiora quae iubet fieri. Non illum quidem fugit ab amore illud parentum immenso prodire, cum quid imperant ad illorum salutem attinens, quos unice diligunt: ueluti sunt ut plurimum filii, qui non solum ad obediendum parentibus intenti sunt: atque quaecumque obuenerint accincti et parati: uerumetiam ex praestita sibi occasione et ma-

{1555 p. 447}

-teria suam significandi erga parentes dilectionem ac pietatem, miro afficiuntur oblectamento et laetitia. Quae sane res utriusque arguit uoluntatis, Patris uidelicet iubentis, ac filii obtemperantis. Quod utique in seruis, atque illis, qui empti (ut aiunt) de lapide ad oculum seruiunt, non inuenitur. Siquidem hi natura fugaces infidique ac duri, praecepta non esse, quo licentius peccare possent, appetunt. Secus filii, quibus nihil tam iucundum esse potest in uita, quam ex amantissimi progenitoris praescripto pendere ac uiuere. Ergo Dei mandatum ueluti quidam est lapis

³⁸⁰ Ardentis amoris in anima erga Deum signa et effectus. (The signs and effects of ardent love in the soul toward God.)

lydius, aut incusus: cuius attritu quanti aestimari debeat anima, atque illius erga Deum charitas, ostenditur. Ut enim probaret uos, inquit Moses, uenit Deus.³⁸¹ Vide igitur quam uerissima sit Ioannis assertio. Qui seruat, ait, mandata eius, in illo manet, et ipse in eo: per uoluntatum nimirum parentis atque imperantis uniformium qualitatem.³⁸² Nam quemadmodum Deus incomprehensibilem in modum atque \112.b\ occultum nostram operatur salutem: sic nos illius nostra in re cooperatores effecti, nihil tam cupimus, quam quomodo nostra illi probetur uitae ratio, quae in eo maxime uersatur, ut nihil omnino eorum, quae imperat detrectantes aut refugientes, in illum per sanctissimam illius uoluntatis obedientiam atque consensionem tendamus: dicamusque cum Paulo, Nostra conuersatio in coelis est: hoc est, in conspectu Patris, cuius charitate spiramus et uiuimus, tuti sumus.

3.24. Et in hoc scimus, quod manet in nobis ex spiritu, quem dedit nobis.

Ut enim absque Dei spiritu et afflatu in uia nutamus iustitiae, lassescimusque supini, sic in delectu rerum atque notitia hebescimus, et caecutimus. Res quippe Dei ea praeditae sunt maiestate ac excellentia, ut nisi per illius spiritum,

{1555 p. 448}

cuius res illae sunt innotescant, nostraeque attemperentur ignorantiae, suo manent in fastigio, ac sublimitate: Nam Dei spiritus lux est et lampas, e cuius splendore ea quae de Deo cognosci possunt tum cognoscimus, tum in illorum amore et desiderio inardescimus: adeoque illis arcte copulamur, ut coelestes magis homines, quam terreni et mortales appareamus. Hincque illud supremum omnium ortum habet, quod una prorsus inueniatur uoluntas Dei et hominis.³⁸³ Unde non sine mirabili mysterio illud fere in fine uisionum Ioannis fuit auditum. Et spiritus et sponsa dicunt, Veni. Et qui audit dicat, Veni: spiritus nanque, ut ait Paulus, loquitur mysteria. Felices animas ac beatas, quae a sancto possessae spiritu, suum possident possessorem. De his sane intellexit apostolus, quando suos adhortans Corinthios, \113.a\ tale protulit de illis elogium, Templum Dei sanctum est, quod estis uos. Quare non iniuria spiritum sanctificationis ab ipso dictum legimus: natura enim sanctus est, ex se omnia quae sancta sunt sanctificans, adurens, ad purumque emundans, et Deo concilians. Is etenim, quae sacrosancta illius est ueritas, testimonium perhibet spiritui nostro, quod sumus filii Dei: quod idem penitus est cum illo, de quo nunc loquitur Ioannes, Scimus, inquit, quod manet in nobis (unctio scilicet) ex spiritu, quem dedit nobis Christus, cuius nomen IESUS est, seruator utique, ac praes pro illis, quos suos ab aeterno fore praeuidit per spiritum sanctum suum: qui et rectus propterea appellatur,

³⁸¹ Dei mandatum quasi lapis est lydius et incusus. (The commandment of God is like a Lydian stone/ touchstone even hammered out.)* [Pliny, *Nat. Hist.* 33.43.]

³⁸² Dei ac hominis una fit per amorem uoluntas. (The will of God and of man becomes one through love.)*

³⁸³ Dei spiritus lux est, ac lampas, qua illustratae animae, unius fiunt uoluntatis cum Deo. (The spirit of God is light, and a torch by which enlightened souls become of one will with God.)

quoniam filios et amicos, ne in circuitu cum impiis ambulent recta ad Deum ire condocerit.³⁸⁴ Amen.

\113.b\

CAPUT IIII

4.1. Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.

{1555 p. 449}

Solet scriptura spiritum Dei quibusdam uocibus tanquam suis coloribus exprimere, seu magis de illo utcunque ratiocinari: solet et nequam spiritum egimus enim spiritum in Saule malum, legimus et spiritum mendacem in ore prophetarum, legimus spiritum uertiginis, spiritum pythonicum, spiritum fornicationis, spiritum nequam, spiritum immundum, spiritum Satanae, spiritum huius mundi, spiritum tumidum, elatum, superbum, et spiritum erroris. Contra uero spiritus Dei sanctus, spiritus Patris appellatur, itidem et filii.³⁸⁵

Unde Paulus: Si quis, inquit, spiritum Christi non habet, non est eius. Proinde ut diuersus est in donis, sic uaria sortitur nomina in scripturis. Est enim Dei digitus, est Paracletus, nempe consolator, et aduocatus: nam ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ad haec dicitur et rectus, princeps, bonus, adoptionis spiritus, ac demum ipsa est charitas, nexusque amoris, et gluten quo Deo unimur. Siquidem Pater in illo per Christum et in Christo omnia operatur, omnia fouet, omnia uiuificat, permeat, nutrit: beatque illa tandem omnia, quae uitae in Deo absconditae nequaquam expertia sunt.

Haec nimirum ea est unctio, de qua sic noster senex in antedictis: Vnctionem, \114.a\ inquit, habetis a sancto, et nostis omnia. Ecquid nouum? quid insolitum tibi afferri opinaris, cum Dei spiritum uim eam dici audis in anima, qua delibuta, nihil tam est in diuinis arcanum quo non amore saltem uel penetret, uel pennis illis, de quibus sic Dauid, Pennae columbae deargentatae, peruolet? Argenti nomen nonnunquam pro puro Dei uerbo, synceraque fidei doctrina usurpant scripturae, quemadmodum auri nomine charitatem intelligunt et sapientiam.³⁸⁶ Quae sane omnia ab ipso Dei spiritu oriri nemo est qui ambigat. Unde non absque ingenti diuinarum rerum cognitione disertissimus uatum ita de Christi spiritu concionabatur: Re-

{1555 p. 450}

-quiescet super eum, nempe florem Iesse (hic erat Christus) spiritus domini, spiritus

³⁸⁴ Dei spiritus cur spiritus sanctificationis a Paulo nuncupetur. (Why the spirit of God is called the spirit of sanctification by Paul.)

³⁸⁵ Spiritus sancti appellationes variae. itidem et spiritus nequam. (Various appellations of the Holy Spirit. Likewise of a wicked spirit.)

³⁸⁶ Donum Sapientiae. (The gift of Wisdom.)

sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris domini. Hisce enim spirituum, ut sic loquar, nominibus uult Esaias omnes dotes Spiritus sancti, atque adeo gratiarum omnium plenitudinem in felicissimam Christi animam prouenisse.³⁸⁷ Agite dum et nos nonnulla de istiusmodi spiritus appellationibus, ac donis, ad piorum aedificationem cum uerecunde, tum breuiter attingamus.

DONUM id quidem, quod sibi primum in recensendo gratiarum ordine in Christo locum uendicat, in notitia et gustu summi boni, quod Deum esse fatemur, positum est: uersaturque in purissimo ipsius Dei cultu ac religione, qua potissimum his innititur fulcimentis, quod homo abiectis mundanarum rerum cupiditatibus, totus in Deum feratur, in illumque \114.b\ quicquid uel foris uel intus est transferens, nihilque praeter eum aut colens, aut diligens, omnia ipsius agat causa et intuitu, qui solus amandus est atque adorandus.³⁸⁸ Quae sane regula est, Deum ex toto corde, tota anima, tota mente, totaque uirtute diligendi: Nec sibi aliud uult spiritus, cum his utitur exaggerationibus, quam ut Deum ulla sine amoris diuisione, aut interiorum affectuum pugna, deamemus. Quam quidem amoris efficaciam sensisse prophetam arbitror, quum suam alioqui uagam alloquens animam, sic ait: Benedic anima mea domino, et omnia quae intra me sunt nomini sancto eius. Caeterum mens, quae tanquam regina in nobis praesidet, intra nos est: itidem et ratio, arbitrium, uoluntas, intellectus, et cor appetentiarum utique domicilium, et sedes. Haec omnia in unum collecta hominem, quem interiorum appellamus, Deo seruire facimus, nec in alio suum occupare amorem permittimus, quod Deus non sit. Atque hunc in modum exta illa nostra, quod iu-

{1555 p. 451}

-bet lex, et intestina lota aqua, quin et reticulum iecoris atque adipem et sanguinem, receptaculum nimirum originemque concupiscentiarum ac libidinis, adolebimus super altare in holocaustum et odorem suauissimum domino. Talis propemodum illius est effigies sapientiae, de qua nunc loquimur: donum scilicet altissimi, descendens a Patre luminum: cuiusque radices non a naturae quidem humanae, aut rationis, aut studii quoque nostri et conatus beneficio dependent, sed a Deo: nam omnis sapientia a Deo est. Cuius porro sapientiae finis amor est, atque consensus per assiduas contemplationes cum illo, in quo sumus, \115.a\ uiuimus, et mouemur.

At quemadmodum id primum donorum in contemplatione maxime uersari uoluerunt Patres, sic intellectus donum in cognitione. Unde non ignoranter illud oratum fuit a propheta: Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam. Istiusmodi certe dono carent hypocritae (quanquam et caeteris) illique, qui exterioribus nimis superstitiose addicti ritibus, ac legis literae, nihil quod idem non crassum sit tractare animo possunt. Atque hi uelamen super cor habere dicuntur ab apostolo, carnalesque uocantur et caeci. De his (puto) sensit dominus IESUS cum dixit: Caeci: quod enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donum? Illud rursus: Duces caeci excolantes culicem, camelum autem glutientes. Obserua procerum Iudaeorum (ne dicam de aliis) oculos lusciosos, atque ad diuina hebetes. Veh uobis, inquit, qui mundatis quod deforis est calicis, intus autem

³⁸⁷ Donorum Spiritus sancti enarratio. (Narration of the gifts of the Holy Spirit.)

³⁸⁸ Donum Timoris. (The gift of Reverence.)

pleni estis rapina et immunditia. Pharisaee caece. Hos sane, qui tali affecti sunt bonarum rerum orbitate, ut uidentes non uideant, ultroque caeci in meridie lippitudinem diligant, ac sponte quae Dei sunt ignorent, haudquaquam dixero coelesti huiuscemodi donatos esse suauitate spiritus, qua anima perfusa innouataque, nihil

{1555 p. 452}

quod mundum sapiat appetit, aut intelligere elaborate: Imo uero notitiam omnem, quae supra se non sit, aut se dignior, refugit: ac ueluti rem a sua nobilitate degenerantem auersans, reuelata facie (ut inquit apostolus) domini gloriam specularur, in eandemque transformatur imaginem a claritate in claritatem, tanquam a \115.b\ domini spiritu, cuius munus est praecipuum uigor intellectus et claritas: mentis nimirum fax et lumen illud, quod a Patre luminum deriuari descendereque alius scribit apostolus. Hoc donum profecto, ut diuus inquit Hieronymus, ignorauit Aristoteles, nesciuit Demosthenes, ac demum quotquot ex nostris etiam, qui humanis in inquisitione diuinorum nituntur rationibus, carnales scilicet homines, ut illos uocat apostolus, ac uentres pigri, non percipiunt ea, quae Dei sunt: stultitia enim sunt illis, et non possunt intelligere.³⁸⁹ At tu mihi considera, quam sapienter sub una duo haec munera collocentur copula. Alterum plane sine altero manere posse quis unquam dixit? Dempta etenim ab anima charitate, qui uerissimus est Dei cultus ac religio, sapientia uidelicet illa, qua in primo hoc dono requirimus, quid prophetias hausisse? quid omnia nouisse mysteria proderit? Soli itaque a Dei spiritu illustrati hisce cum caeteris, quae sequuntur, ditantur donis: quae quidem propterea dona nominantur, quoniam a gratuita Dei bonitate potissimum, non ab humano studio aut arbitrio deriuantur. Nunc ad tertium, necessarium illud quidem in doctrina Christi munus, describendum descendamus.

Id consilii donum est, a magni utique consilii angelo, in electorum animas gratuito demissum, et quod iudicio cumprimis nititur uoluntatis: atque in delectu amplectendarum rerum adeo non errat, ut reluctantante plerunque humano consilio et iudicio, quod rebus naturaliter affixum exteris, nihil omnino quod suis non

{1555 p. 453}

conducibile sit commodis et gloriae, quaerit: caeteros \116.a\ quoque ab erroribus huiusmodi liberet, atque ad Deum recta ire doceat: et, ut quidem per sapientiae donum quam suauis sit dominus gustatur, per intellectumque uidetur, ita per consilii munus discernimus et iudicamus.³⁹⁰ Verum quoniam largitiones hae sunt diuinae, et gratis nobis concessae, summa quidem animi demissione atque humilitate ab illo, qui dat omnibus affluenter et non impropere, petendae sunt: orandusque nobis est Deus, ut quemadmodum suae sapientiae nobis tantillum largitus est gustum, addo et notionem, sic bonam, quo illi (ut par est) obtemperare possimus, infundat uoluntatem. Is enim proprie afflatus ad consilii donum attinet: quo sane corrupto, qui sudor noster iste mucidus iactabitur? Corde quidem in Deo accenso, atque spontanea in illius obsequio uoluntate, coelestes in nobis aluntur immissiones ac dona: non uisibilibus istis nostris duntaxat

³⁸⁹ Donum Intellectus. (The gift of Intellect.)

³⁹⁰ Donum Consilii. (The gift of Counsel/ Judgment.)

corporeis actionum ambagibus sine fide, rerumque illarum cognitione et gustu: quae, quoniam occultae sunt in Deo, hisce externis, ut possumus, adumbrare nitimur et sacramentis et ritibus. Adeone tam crasso uiuitur animo et socordi, ut nostra nobis admodum prodesse posse aut sacramenta aut opera existimemus, si in operibus et sacramentis aliud quidpiam, quod Dei non referat honorem, expetiuerimus? Esto, arseris pro commodo proximi, atque in miserorum gratiam tuas omnes effuderis facultates, quid tum? Quid putas tibi tuum istuc allaturum emolumenti consilium absque pace animi, nisique tibi illud iri Deo probatum persuaseris, et ultro actiones illas, quae propterea bonae sunt, quia Dei munere \116.b\ dantur, ei obtuleris? Spiritus enim sanctus, qui gratiarum omnium est autor, spiritus libertatis est, non necessitatis (ut inquit Paulus) et tristitiae. Qua de re hi ualde errant inter nos, qui cum coactam seruiant seruitutem et sor-

{1555 p. 454}

-didam, nempe mundo magis quam Dei religioni ac pietati deditam, se tamen inter Dei seruos connumerari gaudent, eoque pascuntur titulo: Nihil ultra. Dono quippe consilii, quod recta et libera fulcitur uoluntate atque electione, nudati, nihil prorsus, quod inuitum non fit et seruire, uel agere uel cogitare idonei sunt. Quocirca miserrimum illum uitae esse statum iudico, et inquietissimum, in quo iis uiuere contigerit: quandoquidem illum quae uirtutibus donisque spiritus, quo carent, ornare nequeunt, foedis deturpant moribus, inquietantque libidinibus, et quicquid est pacis et candoris fastu demoliuntur intolerabili, atque ambitione. Verum id non mediocre afferre solet piis animis solatium, quod dominus (ut praedixit Dauid) dissipat consilia gentium, uana scilicet ac impia: Consilium autem domini manet in aeternum. Dei porro fuit consilium atque sui sanctissimi spiritus donum, cum acti impulsique Christi discipuli a principibus sacerdotum, ne in nomine IESU quenquam docerent, intrepide suum illis exposuere consilium dicentes: Oportet nos magis Deo obedire, quam hominibus. Hinc Deus ipse in Esaia, Consilium, ait, meum stabit, et omnis uoluntas mea fiet. Contra humanum illud fuit consilium, prorsusque a Deo alienum, cum consilium inierunt, ut refert Matthaeus, aduersus IESUM. Id absque dubio facinus omnium scelestissimum \117.a\ non latuit prophetam, quando praecognitis Messiae cruciatibus ac morte, sic ipsum suos exprimentem angores atque hostium suorum insidias introducit:

Consilium (inquit) fecerunt in unum dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat. Verum quid sponsa? quid suis in recensendis bonis, aut donis quoque, in medium affert? Num suum decorem? num gratias? num uires? Audi quid consilii capiat: Testimonia, inquit, tua, meditatio mea est. Sanctissima profecto exer-

{1555 p. 455}

-citatio, dignaque uiro illo, qui egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die. Caue tamen, o anima, ne in electione fallaris. Non erro prudens: siquidem consilium meum iustificationes tuae, o Deus. En consilium uitale, de quo ita legimus: Consilium illius sicut fons uitae. Tutissima certe haec est uia, Dei legem ac uerbum omissis carnalium hominum consiliis, quae fraudulenta sunt (ut ait Salomon) et inconstantia, pro consiliariis habere. Ita enim uersum illum transferunt ex Hebraeo: Testimonia tua delectationes meae, uiri consilii mei: hoc est, mei consultores, et quibus cum uiuo familiares, tuae sunt

praeceptiones: Cum his loquor, in his delector, hos consulo, atque his utor familiarissime. Sed de his plura ac fusius nostris in commentariis in psalmos dicta sunt. Nunc ad fortitudinis donum explicandum uertatur stylus. Erro.

Imo potius qui id muneris nobilissimi nobis immeritis impartitur, is ipse sui muneris uirtutem et naturam dilucidet: atque ut tum huius, tum caeterorum capaces simus: sic nostram excolat mentem, ac sibi copulet, ut uasa merito misericordiae nuncupari \117.b\ ualeamus. Ab illo etenim quicquid gratiarum infundi solet e coelis, et opperimur, et ne in expectatione deficiamus, atque propterea ad nos conuersi, nos tantum et nostra consideremus, coelestem oramus Patrem ac dicimus: Fiat misericordia tua domine super nos, quemadmodum sperauimus in te. Nostrum quidem lumen, nostra iustitia, nostra animae purgatio ac uita, abs te est, o Christe. Sunt sane aliquid haec omnia per te, nihil uero omnino sine te. Unde si quid, quod probitatem referat, uel agimus, uel cogitamus, uel scribimus, uel praedicamus, id tui sanctissimi spiritus donum esto.

Tantum illud oro, ne in amplexandis radiis tuis illis munificentissimis, quibus solem oriri facis super bonos et malos, tanquam truncus sim inanimis, et saxum. Ex te nanque, scio, mea omnis pro-

{1555 p. 456}

-ficiscitur salus, a me autem perditio. Ex quare, ut in filiorum numerum acciri, cooptarique ualeam, cor meum alioqui durum et intractabile, punge, moue, discute, stimula, trahe tandem, ac si uis, coge. Nam tuo absque uigore, e uitis huberrima gratiarum ac feracissima, quid possunt surculi? quid palmites? quid gemmae? quid excisi ab radice malleoli? Felix enim uero nostra conditio, simulac particeps illius factus est Deus. Alias forsitan uariis purificabantur expiationibus homines ac uictimis, nunc Christo solum opus est. Nunc Christum duntaxat expetimus, in Christo aspicimus, Christo pendemus, per Christum denique solum seruari credimus, asserimusque cum Ecclesia per fidem iustificari homines in Christo. \118.a\ Tantum syncera illi cordis exhibeamus penetralia, caeterum suus non deerit decor fidei ac fructus. Verum plusquam humanis hic opus est uiribus, atque animo in re tanta praesertim (ut est pertinax ad assequendas diuinas inspirationes propositum) infracto et robusto.

Secus, nec desides, nec inconstantes, neque illos, qui praetextu religionis trahunt iniquitatem, ut queritur Esaias, in funiculis uanitatis, et quasi uinculum plaustri peccatum, sua in academia atque palaestra diu tolerat spiritus: cuius praecipuum id munus est, ut in iam concesso perseueretur consilio: quo a nobis, ut illius praescripsit artifex, in supradictis effigiato, de dono alio, quod in arduis difficillimisque uersatur rebus, nunc dicamus.

Hoc sane dono ecquid non possumus in eo, qui nos confortat? Iccirco quidem donum fortitudinis ab Esaia dicitur, quoniam qui istiusmodi donati sunt munere, nihil tam arduum est, atque humanis impar uiribus in mundo, quin inuicto superent animo, et contemnant.³⁹¹ Ideo nullis cedunt illecebris, nullisque perturbantur aduersis, secundisue insolescunt: quaecunque accidant siue

{1555 p. 457}

prospera ea sint, siue contraria, eo tolerant risu, quo solent res praestigiatorum ludicrae ac

³⁹¹ Donum Fortitudinis. (The gift of Fortitude.)

uanae rideri. Iam alto diuinoque conceperunt animo mundi plausum aut iram perinde esse, ac sunt plumae uentorum ui excitae, in sublimique per aerem sublatae, aut ampullarum lusiones per stagnum aliquod colludentium. Quid his inanius? Sic sunt res mundi, instabiles sane, caducae, uitreae, nihili. At tanti nihilominus a plerisque illas aestimari uideo, ut uel ipsos doleam religionis \118.b\ professores ad tam stupidam deuenisse futurarum rerum obliuionem, ut perpaucos experiaris, qui mundi ardentius uanitatem ac lusum non diligant et sectentur, quam res Dei solidas et aeternas. Hinc ortum puto (non mihi succenseant) quod qui honorati magis esse deberent, ac propter religionis opinionem uenerabiles, ludibrio sint uulgo habiti atque irrisioni. De his (opinor) suis in threnis praedixit Hieremias, quando ait: Peccatum peccauit Hierusalem, propterea ludibrio exposita est. O iudicium Dei formidabile, sed ob callum in transgressionibus obductum pene derisum. Audiatur, audiatur praeuaricatrix filia Sion: Omnes qui (haud multo prius) glorificabant eam, spreuerunt illam. Cur id quaeso? quia uiderunt ignominiam eius. Ipsa autem? gemens, sed sero, conuersa est retrorsum. Vide quid inferat tantus uates. Expandet (inquit) manus suas, et non erit qui consoletur eam ex omnibus charis eius. Et merito: nam falsos secuta amatores, abiit in regionem longinquam, quaerens quidem panem, sed non erat qui frangeret ei, porcorum nimirum siliquis assuetae: Et tandem meretrix facta est dilecta contempto sponso. Ac, ne multa, sordes eius in fimbriis eius. Sic itaque illis contingere necesse est, qui suapte sponte e Dei tentoriis ad mundi fidem transfugiunt. Qui mundus cum natura uarius sit confususque, ac sui dissimilis, suos absque dubio milites iisdem ipsis, quibus ipse ornatus est, ador-

{1555 p. 458}

-nat artibus, illisque induit uestibus quae undecunque scissae sint, uetustae, quibusque nouus assui nequeat pannus, ac reponi: hoc est, mundi deliciis inescati, atque (unde omnis oritur uirtutum gratiarumque \119.a\ excidium) ambitioni affixi, nihil quod probitatem spondeat, aut agere, aut mente cogitando assequi idonei sunt.

Quocirca cuncta in illis euersa bene uiuendi disciplina, contemptisque sancti spiritus monitis ac donis, non queunt non infelicissimum in modum suis in actionibus errare, labi, ac mulierum more desides esse, atque elumbes. Secus alii, quibus quaecumque afferas commoda et uoluptates, stomachantur, fastidiuntque omnia, quae spiritus oblectamenta, addo et uirtutem animi (quod proprium fortitudinis munus est) non referant. Siquidem ad fortitudinem hanc admirabilem, ut diximus, attinet, non in delitiis quantumuis immensis, aut in aduersis laboriosissimis, a iam infuso consilii dono discedere, atque animum relaxare. Donum certe nobis qui in castris domini militamus necessarium, si quod aliud. Et quod ut uere, sic strictim ac breuiter depinxit Christus, quando connumeratis suorum aerumnis et angustiis, quae obuenturae illis erant, qui pie uiuere cuperent: atque subinde ad eorum addito solatium, quod Patris spiritus pro illorum concionaturus esset salute in conciliis et synagogis, sic rem absoluit.

Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Quasi diceret dominus, Ad tot superanda incommoda et infortunia magno uobis opus est animi robore, magno nixu, magna fortitudine, magna perseuerantia. Verum nolite timere, ego uici mundum. Oro, quid ad demonstrandam suam erga nos sollicitudinem, ac tum doni istius, tum largam caeterorum effusionem et benignitatem expressius dici potuit? Nouerat enim quam debiles humanae forent \119.b\ uires, quam flaccidae, quam remissae, quam languidae, quamue incon-

{1555 p. 459}

-stantes. Eam ob rem fortissimum prius debellauit inimicum, armaque illius diripuit, quam manus illum cum tam charo pignore, ut est homo, conserere sineret. Prostratus itaque fuit mundi princeps a Christo in terris mortali: quid postea ab immortalis in coelis? Si cum adhuc inimici Dei essemus (ut ait Paulus) tam amplam sui erga nos amoris significationem dedit: multo sane magis reconciliati salui erimus in uita ipsius: qui propterea mortuus est, quo uita mortuis restituta, mortem auctori mortis inferret: unde ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, deditque dona illa de quibus nunc ratiocinamur, suis electis, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi. Hi sunt effectus donorum spiritus: hic ignis ille ac flamma, quae iccirco missa est e coelis, ut ardeat, utque his qui in domo sunt, nempe filiis, lumen afferat. Iam illud uidendum est, quomodo in ipsis recensendis donis consilium cum fortitudine coniugat Esaias. Sapienter id quidem, ut caetera. Vix enim utile illud potest esse consilium, cui desit uirtus animi et fortitudo, quae et ipsa per se, nisi per consilium sustentetur, collabat et deficit.

Optimum quidem fuit Petri consilium et deliberatio, cum a magistro admonitus hunc ad modum: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac priusquam gallus uocem dederit, ter me es negaturus: Respondit, Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Verum constantia illi defuit animi, quando non ab armato milite ac minaci, sed a foemina, ancilla \120.a\ uili et inermi requisitus, an Christi esset discipulus, negauit dicens: Neque scio, neque noui quid dicas. Illamne uero fortitudinem, an temeritatem appellabimus, quae nulli quod firmum sit innixa consilio, in quaeuis fertur amens pericula? Sanctissime igitur et necessario duo haec simul dona copulantur: quibus insuper duo alia uno sub iugo, quo suo

{1555 p. 460}

gradientur impetu rotae spiritus, annectuntur: scientiae scilicet ac pietatis.

SED de scientia primum, quam scientiam sanctorum in scripturis uocari legimus utpote quae in summi boni inquisitione caute prudenterque, ne uel parum trepidet ac erret, tandiu uersatur, quoad extractis quodammodo a diuinis archetypis bene uiuendi formis, ad eam se attemperet agendi uiuendique rationem, ut nulli grauis sit, multis uero utilis et grata. Omnibus omnia, clamat Paulus, factus sum, ut omnes facerem saluos. Quotus enim quisque est, ex optimatibus praesertim ecclesiae, qui haec dicere queat? Possunt quidem omnia in suos, ut ipsi ferunt: sed utinam ut seruent, non ut mactent. Vix quasi per transennam intueor quid sibi uelint gigantes isti super terram. Quis noster, inquit, dominus est? Labia nostra a nobis sunt. Opto ut unius sint labii sermonumque earundem, quemadmodum in primis fuit conditarum rerum exordiis humanum genus: sed in domino, sed in his quae pacis sunt atque ornatus sponsae: ne Dei aedes ex eorum dissidiis et lasciuiis, Babel fiant et Babylon.

Qui tales sunt (pascentes nimirum semetipsos, ut ait Ezechiel, non greges domini) scientiam quidem habere possunt, sed \120.b\ humanam, sed turgidam, sed inflantem: non illam, de qua sic dominus in Hieremia: Pascent, inquit, uos scientia et doctrina. Ad operationes igitur eas attinet istius generis scientia, quam spiritus donum esse asseueramus: quarum finis sit non tantum prouidere bona, ut inquit Paulus, coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus: cuiusque perfectio est charitas, finis uero pax, et

gaudium in Spiritu sancto.³⁹² Talis est enim naturaliter scientiae istiusmodi uis et scopus, quemadmodum sapientia tota in contemplatione posita est, in agnitione intellectus, consilium in deliberatione, fortitudo autem in rerum labentium despicientia et con-

{1555 p. 461}

-temptu: sic de spiritus donis sentiunt scribuntque sanctiores. Iam gratuito huic muneri, quo bonum agere, malumque declinare, atque in medio nationis pravae commode prudenterque conuersari ac iuste condocerunt homines, annexa est pietas. Hoc donum sane mirabile tam exercentibus se in negotio euangelico est utile, ut Paulus ferme aliis, quae ad exercitamenta spiritualia faciunt, omissis, sic suum hortetur discipulum: Exerce te ipsum ad pietatem: nam exercitatio corporalis ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia ualet. Et est pius ille affectus ac motus animi, quo quis Dei causa ad bene merendum de proximo, qui cum uiuit, accenditur. Non illum praeterit ad sanctificationem eos uocari, quotquot ab aeterno trahuntur Patre, et ne diuinis resistant monitis, aptantur ad illasque ordinantur actiones, quarum usu ac frequentia Deum in subueniendo proximis demereri possunt.

Felicissime is quidem Deo foeneratur, qui, \121.a\ (ut inquit Dauid) miseretur et commodat. Unde qui huiusmodi donati sunt a Deo affectu, Pii uulgo appellari soliti sunt, ipsaque actio atque habitus benefaciendi proximo, Pietas: quanquam id nomen tum uerius, tum profundius acceptum, cultum illum potissime quem Deo debemus prae se fert. Atque hunc in modum pietas non erit a dono sapientiae diuisa. Ecce, inquit Iob, pietas est sapientia. Graecis est *theosebeia*, cultus scilicet Dei, ac religio. Sed de hac tota omnino ratione pietatis non hic loquimur, uerum de illa, quae in exercitio, ut diximus, atque affectu subueniendi proximis est posita.³⁹³

De hac (puto) sensit Christus, cum superstitiosi populi religionem (melius dicerem supercilium) demoliens, nouam induxit litandi formam, Misericordiam, inquit, uolo et non sacrificium. Qua sane praeceptione a communi hominum uita et consuetudine ablata, nulla esse

{1555 p. 462}

poterit in terris Christi religio, nulla sancte syncereque uiuendi effigies, nulla forma, nullum ne uestigium quidem pietatis.

Qua qui imbutus est, acceptas facile condonat iniurias, tacet laceratus, parcit, non queritur, non capitis arcessit quempiam, non diem suo criminatori dicit, parque pari in iudicio haud refert: sed quodam se modo nactum occasionem benefaciendi etiam hostibus laetatur, quaeritque si qua possit ratione uel ipsos sibi infestissimos conciliare beneficiis calumniatores. Caeterum in alios quam benignus sit ac pius, ex iam praedictis intelligi potest.

Si quidem suos in aduersarios tam largus est et facilis, censebimus ne illum non miseris quibusque subuenire, uictumque impartiri egenis, nudis quibus se tegant uestes, \121.b\

³⁹² Donum Scientiae. (The gift of Knowledge.)

³⁹³ Donum Pietatis. (The gift of Piety.)

atque oppressis effugium? Totam hanc pietatis rationem breuissimo conclusit hortatu apostolus romanis scribens: Quae pacis, inquit, sunt sectemur, et quae aedificationis sunt (nempe corporis Christi) inuicem custodiamus. Unde, oro, tam ponderosa emersere litium querelarumque uolumina? Unde libelli isti insidiarum falsarumue indices accusationum? Unde apud iudices tanta in disquirendis iudiciis dirimendisque discordiis, ac placandis partibus uel dissimulatio uel caecitas? Quo illa, de qua nunc disseritur, abiit pietas? Quo affectus illi suaues et Christiani concesserunt modestiae, patientiae, lenitatis, ardorisque promerendi nobis Deum ob benefacta ad omnes? Haec omnia e terris iandudum emigrarunt, eoque peruenere, ubi sator aeternus istiusmodi dudum agnitae a patribus sationis, modo turpissimum in modum ignoratae neglectaeque a filiis, uiuit beatus: quoque nemo unquam, nisi iisdem ipsis incedat, quibus ipse incessit uestigiis in terris profectus est.

Quare diligentior, quam hucusque factum est, nauanda nobis est opera: ne nos, qui Christianam profiteamur disciplinam, chimaeram aliquam immanem et informem a dextris Dei sedere in excelsis imaginemur.

{1555 p. 463}

Quod si Dei filius, quo erroneum, fugituumque reuocaret seruum, ad hasce terras nostras impias descendit, tyranni nihilominus, aut parricidae, aut alii aliis huiuscemodi infecti criminibus, quandiu sua in sorde perdurant a Christi corpore mundissimo sunt alieni, nullaque illis pars esse potest in regno Dei. Purissimae sane naturae Deus est, iccirco puros sibi delegit suorum bonorum haeredes: hoc est, ab omni mundanarum \122.a\ rerum contactu et amore liberos. Qui sic suam instituunt uitam, in Christi merito cooptantur familiam, atque (uoce utor ueteri) corporaturam. Caeteri autem fere hostes illius sunt. Et haec de ui illa coelesti, qua alter alterius ob mutua pietatis officia Christi membra efficimur, sint dicta. Nunc de ultimo spiritus munere nonnihil, et breuiter.

Is timor est. Donum sane postremum ordine, sed ex quo tamen primum suum auspicatur exordium. nam initium sapientiae timor est domini: qui et ipse, ut donum proxime positum, bimembris est. Alter quidem ad filios pertinet, alter ad seruos. Vterque tamen laudabilis. modo id genus timoris, quo aequae ac serui plagas metuimus, suos aliquando exeat limites, atque ad metum illum, qui filiis conuenit ingenuis, transeat. Unde summa illa esset miseria, culpaque propemodum inexpiabilis, Deum semper uti tyrannum, non Patrem a nobis haberi. Qui istiusmodi afficiuntur terrore, ut legis minas exhorrescant magis ac poenas, quam reuereantur filiorum more legislatoris praesentiam, hi proculdubio peccare mallent: sed timent legem, timent flagra, timent iratum dominum, quem crudelem tanquam exactorem (ut diximus) carnificemque inexorabilem tum fugiunt, tum ne esset quoque, quo effraenatius peccare possent, appetunt. Verum etsi poenarum formidine, Deique uindicis intuitu, a peccatis quomodocunque abstinent, Dei tamen ipsius iustitiam latenti quodam modo fateri uidentur,

{1555 p. 464}

creduntque unde exordium habet sapientia, comminanti iudici. Hincque suauitati spiritus, quam format charitas, pedetentim \122.b\ assuescentes, incipiunt amare, quod haud multo prius oderant, dulcescit Deus, atque proinde fastidiunt peccatum, execrantur,

resipiscuntque tandem ad uitam. Et quo magis accenditur in illis charitas, eo efficacius deferuet usus peccati, tandiuque incoepto instant operi, quoad perfecta charitas foras mittat timorem huiusmodi seruilem. Seruus certe, ut uoluit Christus, non manet in domo: filius autem manet. Obserua utriusque seruitutis differentiam in Paulo: Seruiamus illi, ait, in nouitate spiritus, non in uetustate literae: quanquam seruo sensato, ut inquit Salomon, seruiunt liberi. Sed id genus seruitutis ad filios magis spectat, quam ad seruos illos, quos Deum tanquam iratum dominium metuere diximus. De his porro illud arbitror dictum, seruus uerbis non potest erudiri. Talem seruum, seruum nequam appellat Christus.

De ingenuiori autem, quem sapientem a Salomone uocari legimus, sic Paulus: Seruum domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui obtrectant ueritati.

Hic mihi obiter intueri, quomodo aliorum etiam censors, domini seruos appellat Paulus, non dominos seruorum, et oppressores, non plagiarios, non carnifices, atque illos quidem, qui haud amplius modestia (ut uult Paulus) et mansuetudine, sed turbido iracundoque animo, ac uultu truculento et minaci, suos corrigunt subditos. Quis pacato similes ferat animo pastores?

Sic nonnunquam ingenuissimi male habentur serui Dei a stultis (ut est adagium) liberis. Est et aliud timoris genus \123.a\ reprehensibile ac turpe, illorum qui nulla consiliorum Dei habita ratione, res timent humanas commodi duntaxat intuitu proprii, aut suorum. Is timor quantumlibet naturalis sit,

{1555 p. 465}

seu potius corruptae naturae additamentum et poena: tamen quatenus a Dei iustitia deflectit, atque illius fiducia et amori aduersatur, superuacaneus est, et a seruatore prohibitus: Nolite, inquit, timere eos, qui occidunt corpus. Alio item loco: Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? Haec inquit, gentes inquirunt. Hae scilicet, quibus siue quidpiam ament, siue timeant in mundo, nihil praeter mundum cogitant. Age iam de nobiliori timoris membro aliqua dicamus. HUNC castum, filialemque uocant expositores, et quem totum in affectu illo positum esse uolunt, quo quis diuinae adeo amans est iustitiae, ac honoris, ut mori malit, quam Dei non uereri praesentiam, quam ubique esse minime ambigit. Unde si quid, quod uitiosum sit ac turpe a mundo obiici illi contigerit, id subito suum in emissarium, tanquam confractum spiculum, retorquet. trepidatque continue, ne aliquo propter uiolatam a se legem, foedusque cum Deo percussum, impingat. Nulla illi de poenis cogitatio, aut metus: sed pura quadam motus erga Deum tum persuasione tum reuerentia, nihil tam cupit, quam (si sic de Deo loqui fas est) quomodo gratificari quid illi ualeat. Quapropter Deum ut Patrem non solum amat, uerum etiam summa iunctaque cum trepidatione fiducia ueneratur. Ita donum est ultimum spiritus, quod castae comparat uxori Augustinus: timorem uero alium seruilem \123.b\ impudicae atque adulterae. Casta, inquit, timet ne discedat uir: adultera, ne ueniat. Illa timet, quia amat, eius optans praesentiam quem amat: Haec timet, quia adhuc nequitiam amat plus quam maritum. Proinde grauis illi est mariti praesentia, cui si speraret occultum fore, committeret adulterium. Illa odit crimen, etiam si sciat perpetuo id posse latere, trepidat tandem atque ardet, ut officio respondere queat. Lepida profecto analogia, ac digna tam eximii uiri in-

{1555 p. 466}

-genio. Haec habui a Patribus, quae breuiter de septiformi gratia dicerem, quae ut in Christo copiosissima exitit, sic perpetuis ad nos per Christum descendit irrigationibus. Nunc enim uero ad literae seriem, a qua libenter istiusmodi aberrauit digressiuncula, redeo. Nolite, ait, omni spiritui credere: sed probate spiritus, si ex Deo sint. Iam sacer dixerat apostolus ex mutua inter homines charitate, qui spiritus Christi effectus est ac donum, deprehendi posse, an Dei filii uere essent, an fucate. Post ad id significandum aliud adduxit argumentum, ex professione fidei IESU Christi. Qua breuibus descripta, ad charitatem iterum celebrandam, scopum nimirum totius epistolae, reuertitur. Iam diximus nullum omnino neque fidei, neque recte factorum, neque uirtutum reliquarum fructum posse rite percipi absque charitate: sal id est uniuersale rerum omnium, quae ad spiritum attinent. Proinde insulsa ea omnia esse oportet atque inutilia, quae agunt homines, etiam in ipsa religionis defensione ac testimonio, si desit charitas, si desit amor, si desit Christi spiritus, \124.a\ qui autor neutiquam odiorum est, sed mutuae conciliator beneuolentiae. Verum cum et mundus suos habeat spiritus, et hos quidem uarios, fallentes, de diametroque cum Dei spiritu depugnantes, iccirco caute admonuit Ioannes explorandos esse spiritus, an Dei essent, uel ne: et id quidem difficillimum omnium est iudicium. Quare in his facilis est error, ni Deus prudentiam illam suppeditet, quam Paulus uitam appellare consueuit ac pacem. Nam prudentia huiusmodi dos est propria spiritus Dei, quo afflante quid non in discernendarum rerum delectu conspicimus? Et si quidem unquam fuit opus diuina hac luce, nunc nostra maxime opus est tempestate, in qua quilibet fere suos particulares habet spiritus: sed maior pars errabundos, pauci stabiles atque regioni fauentes. Ne igitur

{1555 p. 467}

cuius spiritui assentiamur, uocemusque lucem tenebras, quid moneat, attendamus.

4.1. Multi prophetae exierunt in mundum.

***Vulgate: pseudoprophetae**

Quocirca maximum adhibendum est nobis studium, ne in delectu erretur. Nam mens humana eo praedita est ingenio ac ui, ut cui primum adhaeserit opinioni, ab illa non facile dimoueat. Felix quae optima. Ecquid putas unde hae nostrates ortae sint haereses? unde sectae? unde seditiones, ex quibus iam uniuersi concutiuntur labefactanturque religionis cardines, ac pene fides nutat? A proprio sane priuatoque uniuscuiusque sensu et spiritu. Et tamen si ad unum omnes perconteris, neminem ferme, qui non Christi sensum ac spiritum se profiteri attestetur, audies. Adeo in quassatum debacchantur parietem uel ipsi arcae domini \124.b\ fabricatores. Hos quidem prophetas ab apostolo uocari audis, a nobis uero imperitos, fucatos, planosque doctores atque antistites. Quorum quidem imposturam eo difficiliorem cognitu ducimus, quod multo ea est imbuta dicendi lepore, et suauitate, forsitan et (quod periculosius censi solet) innocentiae, tum morum sanctissime informatorum specie, atque opinione obducta.

Hi (ait senex sanctus) exierunt in mundum. Optima profecto, ac uti uera, sic ingeniosissime tecta asseueratio. Id uult Apostolus, quod tametsi humana hi nonnunquam sint praediti doctrina, atque ingenio minime obtuso, in mundum tamen exierunt: hoc est, In id totis incumbunt neruis, quo mundi gloriam aucupentur, turbasque, quibus imponi

haud est difficile, sibi concilient, Deo interim contempto, et quia ad illorum conuiuet culpas, irriso. Num censes ab istiusmodi spinarum genere (sic illos uocat Christus) posse uuas colligi? aut a tribulis ficus? Quare ne diutius a scopo aberretur, uide quid de notione utriusque spiritus afferat Ioannes.

{1555 p. 468}

4.2. In hoc cognoscitur spiritus Dei.

Cognoscite spiritum Dei, transferunt e Graeco. Sed in quo obsecro? An quia tecta fucosaque quorundam ingenia in superioribus detexisti uir sancte, iam aperta facta est illorum notitia? in eandem certe relabimur difficultatem, nisi clarius edisseras. Audi,

4.2. Omnis spiritus qui confitetur IESUM Christum in carne uenisse, ex Deo est.

4.3. et omnis spiritus qui soluit IESUM, ex Deo non est.

Iam quasi (sic sum ineptus) per cancellos \125.a\ intueor quid sit, quod hactenus intueri efflagitabam. Ergo cui persuasum est IESUM Christum olim per prophetarum uaticinationes ad salutem uniuersi promissum, iam tandem quo sua fungeretur legatione in terris, humano assumpto corpore aduenisse, remque ualidissime uti Pater iusserat perfecisse, ex Deo is est. Contra qui Christum diuidit soluitque, humanam scilicet naturam illi tribuens solum, diuinam adimens, aut semihominem illum effingens, is ex Deo non est. Nam cum in Christo duabus ex naturis una effecta sit persona, atque adeo arcte una, ut magis unum sit factum Deus et homo, quam una omnino res sit in homine et corpus et anima, quoniam hos furore percitos dicemus, qui tam inseparabilia separare posse sibi persuadent? Certe illorum spiritus, quo instincti id aggredi non reformidant, ex Deo minus est, sed ex antichristo, ex mundo, ex daemone maligno.

4.3. Et hic est antichristus.

Ex Graeco planius. Hic est ille antichristi: nempe spiritus, quo superiori respondeat particulae, et omnis spiritus qui soluit IESUM ex Deo non est. Mox infert, Hic

{1555 p. 469}

est ille spiritus antichristi. Ille dico spiritus nequam, blasphemus, mendax, semperque Christi spiritui repugnans et contradicens, quo acti quidam scindunt haud secus Dei filium, atque solent res mundi corporeas scindere ac partiri. Hi profecto dominum IESUM neque diligunt, neque proinde cognitum habent, rebus nimirum corporeis, ratiocinationibusque duntaxat humanis addicti, atque propterea coelestium ab intuitu \125.b\ remotissimi. Unde illos haud libenter audimus, qui tametsi Christum tum uerbis, tum doctrina, tum ritibus quoque a pietate minime abhorrentibus fateri uidentur: sic tamen uiuunt, quasi nullius fuerit Christus pietatis inuentor et salutis. Si quidem suis faueret ineptiis, si opes terrenas, si diuitias, si uoluptates, si mundanum polliceretur dominatum atque imperium, o nihil illis potius esset. Verum quoniam omnium horum docet contemptum, atque ad

ferendam crucis ignominiam prouocat, definitque sua passim in doctrina benignissimum magister felicitatem hominum in futuro seculo iri expectatum: hunc negant, hunc sua ad flagitia conniuentem faciunt, hunc habent ostentui: tantum abest, ut promissum eum olim humani seminis redemptorem fateantur. Sic dirimunt indiuisibilem, spernunt amabilem, illumque, qui perenniter cum Patre uiuit beatus, e coelis, quantum in illis est, deturbant. Sic insaniunt homines, et obbrutescunt. Sic tandem hi agere consuescunt, qui antichristi agitantur spiritu.

4.3. De quo audistis quod uenit, et nunc iam in mundo est.

Putant quidam particulam (Qui soluit IESUM) a piis quibusdam Graecis additam contra haereticos. Nam illis ommissa uoce, soluendi, haec est lectio: Omnis spiritus qui confitetur IESUM Christum in carne uenisse, ex Deo

{1555 p. 470}

est, et omnis spiritus qui non confitetur IESUM Christum in carne uenisse, ex Deo non est: et hic est ille antichristus, de quo audistis quod uenit. Audistis (inquit) tum a me, cum ab aliis, eundem ipsum \126.a\ antichristi spiritum uenturum. Imo quo uos cautiores reddam, iam nunc uenit, uersaturque inter illos, qui carnis cupiditatibus suapte uoluntate affixi, Dei spiritus an sit, ignorant. De illiusmodi antichristi mancipiis nonnulla et nos in superioribus, prout dedit Christi spiritus, disseruimus. Antichristi, ait, multi facti sunt, qui tamen e nobis exiere. Vtinam exierint. Hoc dato, neminem fere inuenies, qui Christum soluat: sed integre pieque eum ipsum fatebitur nostra ad abolenda e mortis chirographo debita suffecisse solum, quemadmodum solus is unus est, qui Deus sit et homo. Alii item asserunt literam hanc totam, ut nos legimus, in uetustioribus olim extitisse exemplaribus, sed ab haereticis deprauatam: quin potius, ne suae officeret impietati, expunctam. Quorum sane opinationi, quandoquidem assertionis uocem in re praesertim dubia, non admittunt Nestoriani, assentior. Christo nanque Deo et homini uel diuinitatem, uel humanam conditionem, aut redimendorum hominum tum potentiam, tum uoluntatem uelle adimere, non minoris id est periculi, quam si omnino Deum non esse, qui res moderetur humanas, deneges. Venit itaque iam antichristus, agitque in his, qui Christi doctrinae non tam uerbis, quam uitae dissolutione ac turpitudine obsistunt. Sint hi quamlibet in caeteris excellentes, si a Christi abhorrent uita, iam antichristi illius inquinatissimi, quem in fine mundi uenturum esse non dubitamus, alunt spiritum: quantumque in se est, sedem illi uel in sacratoribus templi sancti Dei partibus, adornant. At

\126.b\

4.4. Vos ex Deo estis filioli, et uicistis eum.

{1555 p. 471}

Amabilem profecto admonitionem, dignamque tanto Patre et Episcopo, cui mos sit plane diuinus mollia inter aspera in sua doctrina commiscere: itaque res rebus attemperare,

uerbaque uerbis assuere, ut austerusne magis sit in contumaces, an in obsequentes benignus, nescias. Ita sunt praesules ac Patres, qui spiritu nequaquam ducuntur antichristi, sed Dei. Vicistis (inquit) eum, Quem? Antichristum ac mundum. Et id quidem per Christum, qui habitat in uobis. Graeci legunt, Eos: pseudo utique prophetas, malignosque diuinae legis interpretes. Non est, ait, quod faecem hanc mundi sordidam pertimescatis, quoniam ex Deo estis. Caeterum qui ex Deo est, iam uicit mundum. Vos quidem, scio, imbecilliores estis, quam ut congregari cum tam pugnaci atque eodem insuperabili debeatis hoste. Verum confidite,

4.4. Quoniam maior est qui in uobis est, quam qui in mundo.

Vos, inquit, ex tam cruento certamine uictores euasistis: at ne id quidem uestra actum est industria et studio, Spiritui certe illi per Christum in uobis commoranti, referri acceptum id totum par est, quod uicistis. Vicit igitur in uobis Christus omnium fortissimus: non uos natura fragiles, non uestrum in primis arbitrium, non uoluntas, non coelestium contemplationum capax mens. Rationem non ausim dicere, quae per se ualde imbecillis est, et ad diuina lusciosa, quanquam et mens ipsa post Adae lapsum maxime. Nihil tum fuit in homine, quin naufragium fecerit. At quid de se ille asserat, qui pro
127.a\ uobis moriens, uos fecit ex acie, conflictuque illo cum peccato ac morte terrifico uictores, in mentem ueniat. Data est, inquit, mihi potestas in coelo et in terra. Quid illud? Ego uici mundum. Ergo res nobis est ac pugna cum aduersario iam presso et uicto. Quid itaque perinde

{1555 p. 472}

gloriaris, quasi tu ex te, proprioque subegeris labore atque arbitratu, tam fortem hostem, uti erat daemon in terris ante Christi accessum ad nos? Infelicissimi profecto omnium fuisset animantium, si generi huic uostro suis in manibus derelicto nullam is attulisset opem, uenissetque suppetias placatus, qui leo factus (ut inquit quidam) didicit capere praedam, hominemque comedere. Qui quidem homo feralibus Leuiathan dentibus commolitus, planeque pertritus, in stercoreosum tam foedae bestiae uentrem iam stercus ipse effectus descenderat. Atqui non frustra uisum illud fuit horrendum, in quo fimum edere humanum iubebatur Ezechiel. Id tamen cibi e spurcissima foedae illius beluae aluo egesti, non detrectauit altissimus, comeditque cibum mortis: quo deglutito, in odoratissimaque suae immensae charitatis uiscera demisso, uitam illam, qua uiuunt animae in Deo, non modo ab interitu reparauit, sed etiam elegantiore quam prius fuerat, uno edidit partu. Nam semel mortuus est Christus, ut qui uiuunt, non iam sibi uiuant, sed ei qui pro illis mortuus est. Hinc Paulus clamat, Pretio empti estis. Quasi diceret, Iam uestri haudquaquam iuris facti estis, sed domini illius, qui uos non pollicito, sed praesenti comparauit pretio. Quid? iam abluti estis, iam iustificati estis in nomine domini nostri IESU Christi, 127.b\ et in spiritu Dei nostri. Ecquid noster? Vicistis, ait, quoniam maior est qui in uobis est (En ille qui uicit in cruce uictorem) quam qui in mundo (En ille qui uictus a mortuo, uitae dominium amisit.) Et tamen hosti ad eum quem diximus modum prostrato nequaquam desunt, qui etiamnum pertinacissime adhaerent, illiusque fouent partes.

4.5. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur: 4.6. nos ex Deo sumus.

{1555 p. 473}

De haereticis, horumque simillimis hypocritis hic potissimum fieri mentionem arbitror, quanquam et de caeteris omnino mundo deditis in aede domini, et criminosis. Hi quidem omnes cum rerum mundanarum cupiditatibus atque ambitioni (ut alii coelestibus incumbunt disciplinis) studeant, in illisque occupentur: non fictam de se dant significationem, se mundi illecebris detineri, atque illius adblandiri persuasionibus.

Iccirco de diuinis raro et fecte, de corporeis, deque sensus oblectantibus, ut assidue, sic ex animo loqui consueuere. Oro, si quem audieris de aucupio, plagisque obtendendis per saltus, aut de canibus in uenatione certis in insidiis collocandis, libenter eloqui, nonne talem hominem uenationi deditum iudicabis? Idem de caeteris disciplinis, uel artibus, uel flagitiis quoque censerit potest. Insaniunt ferme homines hisce in bellis, quae nostra nunc ob scelera continue experimur, commemorandis.

Vidi ego aliquando uel ipsos alioqui grauissimos senes ac Patres etiam cum pueris, non modo inter ipsos mutuo de dubiis bellorum euentibus ita irate rixari, ut nihil unquam ineptius, magisque a sua professione alienum uiderim. Tanta nunc est partium eiusmodi \128.a\ defensio, addo et dissensio.

Quid si audias etiam non paucos, forsitan et religiosiores, sic Turcas appetere, ut pene Christianae illos poenitere dicas religionis, nisi ex his appareat, qui nostrorum principum insupportabilem obiiciat dominatum, atque calamitosas e uita pauperum erutas exactiones? Scilicet a pietatis atque adeo Christianae Reipublicae inimico clementiam expectare debent Christiani. Turpissimum sane istuc est desiderium, ac spes impia. Non hic tamen tyrannidem aut arrogantissimum quorundam supercilium in magistratibus probare est animus, sed nostram execror indignationem, rerumque nouarum studium, quod eo nos aliquando impellit amentiae, ut omni abiecta de Deo

{1555 p. 474}

confidentia, nihil ultra quam quod oculis cernimus corporeis uel cogitemus, uel spe certa praestolemur. Adeo imbecillis nostra facta est de futuris bonis persuasio ac fides. Quorsum igitur istaec a nobis? ob id quidem, ne illius quempiam fautorem esse factionis dubites, cuius ipse defensor est, ac tum uerbis, tum factis sectae ipsi consentaneis assertor. Qui mundo fauent, de illiusque libenter ratiocinantur commodis et uoluptatibus, quid anceps es? Mundana hi absque dubio contaminati sunt haeresi. Alii contra coelestibus ornati dotibus, in diuino uersantur lumine, Deoque placidissime fruente, nullam aliam profitentur in terris factionem, praeter illam, qua unanimes in Deo conquiescunt: quique in mundo cum mundi odio uitam ab omni externarum rerum strepitu remotissimam uiuunt. Hi quidem cum Ioanne, ut uere, sic fidenter de se illud attestari possunt: Nos ex Deo sumus. Felicissima haec est professio, illisque prorsus \128.b\ necessaria, quos summa nunc celebritate cogi ad synodum Tridentinam maxima omnium expectatione (modo non deludamur) inspiciamus. Secus, ne accedant moneo. Nam ubi de reformanda Dei religione habenda erunt comitia, nihil plane agent uocati, nisi ex Deo sint, acciti nimirum a Christi spiritu, qui fortior est, quam qui in mundo est, ut uidimus. Obserua

quanta illis, qui suauissimo Christi ducuntur spiritu (ut eos fore non dubito) credita sit fiducia et uirtus ex consequentibus.

4.6. Qui nouit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum ueritatis, et spiritum erroris.

Necesse est, quod legislator, aut alias Dei uoluntatis interpres, ea praeditus sit doctrina, in spargendoque Dei uerbo liberalitate, ut qui audiunt a gustata iam suauitate spiritus non exhorrescant, sed ardentiores facti, uique di-

{1555 p. 475}

-uini uerbi auditi in incoepa iam professione firmati, ea erga eruditores tum beneuolentia, tum opinione afficiantur, ut sibi persuadeant ipsum Deum esse, qui doceat, cum illos aut e suggesto, aut in conciliis et synodis sacram legem interpretantes audiunt. Sed hic in primis uita concionibus respondeat.³⁹⁴

Alioquin impure uiuere, et euangelicam uelle etiam inuitis obtrudere puritatem, haud scio stultumne sit magis, an ridiculum. Maxima ea est doctoris laus, cum qui audiunt, ex Deo illum esse non ambigunt. Sic noster erat Ioannes, sic Paulus, qui de se illud dicere non uerebatur: An experimentum illius quaeritis, qui in me loquitur Christus? Sic denique omnes erant apostoli, quibus quencunque \129.a\ peragrassent locum, illa erat cordi praeceptio. Nolite praecogitare quid loquamini, sed quod datum uobis fuerit in illa hora, id loquamini. Num putas concionem illam Petri habitam in templo, tam praeter caeteras et celebrem et eruditam, piscatoris ingenium, an lumen superne infusum prae se tulisse? certe de huiusmodi piscatore sic legi audio, quod Petrus repletus Spiritu sancto loquebatur ad eos, nempe dynastes atque alios populis formidabiles. Qui nouit, inquit Ioannes, Deum (nouit autem quisquis amat) nobis quoque, qui coelestia, qui aeterna, qui Deo digna edocemus, auscultat, sentitque nos a Deo missos. Contraque, qui ex Deo non prodiit, ab illius etiam abhorret doctrina et uita, qui contrario prorsus ab ipsis ordine ac more suorum informat uitam. Siquidem pro luxu continentiam, pro auaritia benignitatem, pro ambitione ignomiam [sic, ignominiam], pro uoluptatibus mundi contemptum: et crucem non solum docet, uerum etiam ita serio praecipit et inculcat, ut ferme nihil aliud suis in praeceptionibus indicare uoluisse uisus sit, quam uiam uitae arctam esse, difficilem, ac plane humi pressis inaccessibleem. Haec ignorant qui ex Deo non sunt: et nihilomi-

{1555 p. 476}

-nus hisce et similibus indiciis quinam a Dei spiritu ueraci, quique a doloso gubernantur, dignosci possunt. Non sunt sane absque optima gerendarum rerum prouidentia spiritus negocia. Tantum uero abest, ut temere inconsultoue quidpiam aggrediamur, ut prudentem quoque adhibeamus cum quid agendum sit diligentiam, tum consilium, tum deliberationem. Attende spirituum selectionem, de qua sic supra: Probate spiritus si ex Deo \129.b\ sunt. Etenim in capescenda spiritus doctrina illud in primis curandum, ne errores pro rebus certis imbibamus.

³⁹⁴ Vita concionibus respondere debet. (Life must answer to councils.)* [Index: 120.b]

Iccirco haud parum quidem interest qualem quis habeat institutorem. Qui aquas a sincero haurit puteo, is tuto bibit, qui a coenoso et immundo, facile periclitatur. Eundem fere est inuenire morem in his, qui docent alios. Si e puro sanctoque condocerent doctrinae fonte, quae Dei sunt, purus sanctusque infunditur riuus in auditores. Si a contaminato, en lues errorum, en mors, en orbis confusio.³⁹⁵ A spiritu porro erroris quid recti? quid, quod lumen praebere possit caecis, expectatur? Id quidem non ignorare possumus, ab huiusmodi tetro spiritu ac pernicioso germina illa mortifera gigni, quae carnis opera a Paulo nuncupari legimus. Cui tamen pars maior hominum, quia blanda, sensusque oblectantia pollicetur, inhaerescit magis, quam illi alteri, de quo tanquam amne lucido salubres eae manant scaturigines, de quibus ita Paulus:

Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Aduersus huiusmodi non est lex.

Optime sane: nam lege quomodo indigent humana, quibus dux est spiritus Dei, et comes? habeant, qui spiritui erroris adhuc parent non inuiti, ab illoque uitae dediscant integritatem. Nos interea loci quid spiritus sanctus dicat Ecclesiis audiamus.

{1555 p. 477}

4.7. Charissimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est.

Haud multo post Deum charitatem esse definit Ioannes cum dicit: Deus charitas est. Unde duobus omnino modis de charitate Dei \130.a\ ratiocinari possumus. Altero quidem, quo dicimus uim illam in Deo esse amoris, qua non tantum nos diligit, uerum etiam id efficit, ut nos quoque inter nos mutua prosequamur beneuolentia et charitate.³⁹⁶ Unde in sequentibus ita ait, Si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. Creata haec est charitas, ut eam appellant nonnulli. Altero autem modo de Deo sic loquimur, ut ipse charitas eadem sit, increata illa quidem et diuina, ut caetera plane, quibus ad naturam Dei utcunque exprimendam uti solemus. Atque ea est, qua ipse totus per se amabilis, res omnes, quas summa condidit charitate, et probat, et diligit. Unde non absque arcanorum mysterio uox illa est toties repetita in rerum uniuersalium creatione. Et uidit Deus quod esset bonum. Suum quippe amauit opificium ab initio sapientissimus opifex. Sed iam hic mihi animaduerte: quomodo diuinus interpres et theologus (ita illum diuus appellat Chrysostomus) refocillato quasi cursu, rem eandem, ad attingendam quidem stadii metam necessariam, crebro repetit, adducitque assidue in Circi medium et scenae. Etenim facta spirituum digressionem, simul et antichristo tanquam mimo spectatoribus execrato uix ostenso: declaratoque cui nostram debeamus e tam cruenta concertatione cum mundo uictoriam, ad charitatem iterum celebrandam redit: Diligamus, ait, inuicem. Causam uero mox intulit, Quia charitas ex Deo est. Rursus tantilla hac, licet absoluta, non contentus finitione uir sanctus, latiore aliam ceu supradictorum epiphonema subiungit.

³⁹⁵ Non parum interest qualem quis habeat institutorem. (It is not of little interest what sort of founder someone has.)

³⁹⁶ Duobus modis de charitate Dei ratiocinari possumus. (We can argue about the love of God in two ways.)

{1555 p. 478}

4.7. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit \130.b\ Deum:

4.8. qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est.

Natiuitas eiusmodi, qua animae per amorem, seu illum quo a coelesti Patre diliguntur, siue quo ipsae, quasi filiae Sion uagae collectae, illique connubio copulatae, ex Deo nasci feruntur, gratuito infunditur: et quam nihil aliud esse ducimus, quam sui sancti spiritus accessum, atque ignem: quo urente purganteque in eam refunduntur formam et faciem, ut primo illo abiecto ortu, qui ab Adam ueteri prodierat (quod est ex sanguinibus nasci) renouantur in Christo, altero nimirum Adam ac nouo. Atque haec omnia gratis. Gratisne inquis? Gratis aio: alioqui si aut legem, aut merita, aut uires humanas ea in renouatione concurrissete putas, iam mihi turpem deformemque depinxisti animam, non eam, quam purgatam, ex mortuisque experrectam a Christo solo recepimus. Id totum perfecit negocium Christi sanguis, quo non ambigas absque sanguine (ut citat Paulus) non fuisse remissionem. Quae quidem remissio ille ortus est felicissimus et aeternus, de quo sic suo in euangelio Ioannes: Et dedit eis potestatem filios Dei fieri. Qui uero hi sint, qui tam magnifico donantur ortu a Deo, reor illos esse, quos ex Deo ipse per gratiam nascituros praeuidit. Non ex uoluntate, ait, carnis, neque ex uoluntate, seu uoluptate concupiscentiaque uiri, sed ex Deo nati sunt.³⁹⁷

Hi uere Deum norunt, hi amant, hi (quaecunque accidant) in fide IESU Christi perstant immobiles. Atque haec omnia, ut etiam atque etiam dicam, gratuito. Verum quo ardentius tam tui amantissimi diligas Patrem \131.a\ et benefactorem, illud quoque in mentem ueniat, imo ueluti signaculum aeterno tibi alliga memoratu, figeque animo, quod sicut tua in uocatione [sic, uocatione] ac iustitia, qua gra-

{1555 p. 479}

-tis iustificatus es per fidem, nihil quod tuum esset requisiiuit: unde neque merita, neque uires humanae, ut nuper diximus, in tam excellenti munere, uti est iustificatio, locum habuere: sic dato gratis beneficio, teque per gratiam innouato, iam te uult suum esse tuo in negocio cooperatorem. Vult quoque id quod prius detrectauerat, nempe tuum studium, tuum conatum, tuum arbitrium, ac tuam, quae antea fuerat rebellis, uoluntatem: Tandem te totum tua in re minime deesse quaerit.³⁹⁸

Aliter enim a filiis irae (ita eramus ante uocationem) et poenae, quid harum rerum, quae nullae prorsus erant, ab illoque qui ideo gratis iustificatus est, quo arctiori illum sibi Deus deuinciret obligationis nodo, proferri potuit? Ergo qui non diligit, ut senex inquit noster, non uocationem, non (unde oriri debet amor) uitam sibi gratis conciliatam. [cf. 2 Peter 1.] Nanque ipse non tantum nos amat ut caeteri solent amici, sed et ipsissimus amor est et

³⁹⁷ Natiuitas noua animae qualis. (What the new birth of the soul is like.)

³⁹⁸ Ante uocationem nihil nostrum requisivit Deus, post uero uult, quicquid sumus, illi cooperari. (Before [our] calling God requires nothing of us, but after, he wishes [us] to cooperate with him, whatever* we are.)

charitas. Quod si quis adhuc tam caecus est atque incogitans, ut haec apertissima non uideat: id saltem mecum pertractet animo, expendatque diligentissime, quod nescire flagitium censetur inexpiabile. Quid istuc, oro, est?

4.9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum.

4.10. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, \131.b\ et misit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris.

In his uerbis, nisi prorsus hallucinor, totam mihi uideor deprehendisse salutis humanae rationem. Unde mirari

{1555 p. 480}

haud satis possum, tam necessariam cognitionem in hoc loco sic leuiter ab expositoribus praeteriri. Clara et facilia sunt haec, aiunt quidam ex ipsis. At mihi contra euenit, homini certe hebeti ac tardo. Rerum enim omnium, de quibus nunc fere controuersantur homines, ea difficillima mihi semper uisa est, quae in iustificationis origine et modo uersatur: eoque intricatior apparet, quo hactenus copiosiore hominum partem ad hunc impegisse lapidem nonnullis est persuasum.

Neque tamen hac mihi de re plura scribenda esse iudico, ob multa: sed eo potissimum, quod tum ab aliis, tum a nobis quoque his in commentariis, ac in illis, quae in psalmos ociosi scripsimus, multa sunt dicta, dicenturque a Patribus, religiosissimeque opinor tractabuntur: quibus sane ad concilium accersitis nulla in primis constantior debet esse una conueniendi cura et ratio, quam ut omnes in unam conspirent religionis sententiam, degantque tuto in Deo.³⁹⁹

Quod uix quidem obtineri posse arbitror, dum tanti ponderis moles nutat adhuc (quod aiunt) in bilance. Dicam interim cum Hieremia, Scio domine quia non est hominis uia eius, nec uiri est ut ambulet et dirigat gressus suos. Non iccirco quidem uastissimum illud gratiarum mare Deus misericordiam impartitur homini, quod ipse homo sic uelit aut expetat: sed iam uult, quoniam a Dei clementia motus adiutusque in eo aptatur, ut uelit bonum. Et certe non hic opus est dissimulatione. Nemo \132.a\ fere tam sui parum compos est, qui id omnino in se non periclitetur, quod ait Salomon, Praeparatur uoluntas hominis a Deo. Cuius id proprium esse non nescimus, mentem hominis uagam, a uiaque iustitiae deerrantem admonere, reprehendereque a fuga: et ut se possit colligere, ad inuitantemque gratiam redire, uires ac robur animi suppeditare. Tantum homo stimulos illos perpetuos Dei non paruifaciat. Quare, inquit, moriemini do-

{1555 p. 481}

³⁹⁹ Scopus Patrum ad concilium vocandorum, qualis esse debeat. (The aim of the Fathers calling for a council, what it should be.)

-mus Israel? Reuertimini et uiuite. Itaque qui audit dicat, Venio. Atque hunc ad modum incipit posse aliquid anima, quae a Deo mota, posse desiderauit. Haec est origo iustificationis, id salutis initium, nempe gratuita Dei uocatio.⁴⁰⁰ Ipse nanque prior dilexit nos, cooptauitque in suos anteaquam id uelle idonei essemus. Si te porro inuocatum quereris, erras. imo id magis doleat tua te sponte in reprobum ita traditum esse affectum, ut ea quae non conueniant (ut ait Paulus) et uelis et facias. In hoc est charitas, ait Ioannes, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Nullo, ait, nostro prouocatus officio aut merito Deus ita percipide nos amaui, ut filium suum tanquam uenale mancipium pro nobis redimendis exponeret. Nos certe a Deo auersi mundum pro Deo habebamus, illiusque delectati lenocinio, quae sensum tantummodo alliciebant, sequebamur attoniti. Qua de re cum ius suum in nos Deus merito exercere posset, noluit tamen, sed nouum excogitauit amoris genus. Misit ergo proprium e coelis filium, non illum quidem tanquam paternarum offensionum ultorem: sed uiuam hostiam, uiuum libamen, propitiationemque efficacissimam, et \132.b\ pretium pro sceleratis atque illis ipsis sibi infestissimis in illo exoluit. Ecquis unquam ad hunc amaui modum? Sic sane fuit, o mundi antistites, Dei charitas erga nostrum genus. Nulla hic auditis compensari merita, nullam uirtutem, nullas oblationes, nullum studium. sola atque una omnino id totum absoluit negotium Dei clementia. Quis tam beneuolum non (ut sic dicam) redamaret dominum?⁴⁰¹ Illi profecto noster omnis debetur amor, qui filii sanguine iccirco et morte nostram redemit uitam, illi quo deinceps, haud mundo amplius ut prius uiueremus. Illius enim facti sumus iuris, qui tanti nos emit, quanti aestimandus est Christi cruor. Caeterum si Deus, qui bonorum nostrorum, ut inquit Dauid, non eget,

{1555 p. 482}

neque in referenda gratia nostrum requisiiuit officium, aut quidpiam exegit operis, tantopere nos ultro dilexit, ut diximus: debemus certe et nos inter nos mutua ad illius exemplum prosequi charitate. At uide consentaneum ad ea quae dicta sunt additamentum.

4.11. Charissimi si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere.

Surdisne canit tibicen spiritus? Quam uereor ut cautibus, stipitibusue, nedum surdis hominibus occinuerit tam suavis olor. Verum haec millies nequicquam repetita praetereamus, satisque sit nobis in praesentia admonuisse, quod ut Deum ipsam esse charitatem et credimus et fatemur, et nisi plumbei sumus, experimur: ita odia discordiasque a nequam esse daemone non ignoramus.

Unde qui ex Deo nati sunt, se mutuo in Christo diligunt: hoc est, eo quo ipse docuit, reque ipsa praestitit, \133.a\ tum modo, tum ratione diligunt. Contra qui ex aduersario illius immanissimo dependent, ut ipse quidem et Christum, et eos qui Christum imitantur, acerbissimo insectatur odio: ita illi homines uel eos maxime qui probitati adhaerent ac religioni. Sint enim uero, ut uis, illi quos diximus a nequissimo pendere spiritu, uel religiosi, uel praeclarissimis ornati moribus et uirtutibus, si factiosi sunt, atque ob odia et

⁴⁰⁰ Iustificationis origo. (The origin of justification.)

⁴⁰¹ Amoris magnitudo in Deo erga humanum genus describitur. (The magnitude of love in God toward the human race is described.)

simultates in alios conceptas inquieti, daemones sunt (ut ita dicam) humana induti effigie. Talis sane fuit Cain in fratrem, talis in parentem Absalon, talis demum Iudas proditor in Christum domini: qui porro Dei filius uisibilem se propterea mundo praebuit, quo exemplum dilectionis esset nobis ac forma: quanquam certe

4.12. Deum nemo uidit unquam.

Comperior res est, quam ut luce egeat, Deum, uti in

{1555 p. 483}

sua est natura, neminem unquam oculis uidisse corporeis, nec uidere posse. Sic Deus ipse ad Mosen loquitur: Non uidebit homo faciem meam, et uiuet. Non quod facies illa, quae est facies uitae, ut ait Nissaenus, causa sit mortis uidentibus: sed quoniam, tametsi uiuificet natura, eius tamen est, ut omnem cognitionem transcendat. In hoc Deus uidetur, ut nunquam respicere ad eum cesses. Haec ille. Quod autem legimus Deum nonnunquam uisum a Patribus, ea umbra erat, ac quaedam diuini fauoris, praesentisque numinis attestatio. Unde illud est celebre: Facie ad faciem locutus est nobis in monte. Quod sic intelligitur: Deum scilicet signa illis ita euidencia exhibuisse, ut negari minime \133.b\ potuisset, quin re uera Deus ipse fuerit. Ita alios alias tropo nimirum usitato in scripturis, Deum, seu aliquam illius gloriam, uidisse affirmamus. Quod euidetissime a Ioanne declaratum suo in Euangelio legimus, cum illud citans Esaiiae, Vidi dominum, ita scribit: Haec dixit Esaias, quando uidit gloriam eius.⁴⁰² Gloriam hic Dei, crucem Christi interpretantur, et mortem, ut alias exposuimus. Quapropter cum istiusmodi occurrunt schemata in scripturis, nostra penitus auertenda est mens a crassicie literae, ne Dei maiestatem substantiamque nostris hisce moribundis oculis ac lusciosis inspectabilem, nobis obuiam posse esse opinemur. An uero aut Paulo, aut Mosi, qui Dei gloriam atque eius faciem uidere cupiens, ab ipso audiuit, Non uidebit me homo et uiuet, ea contigerit praerogatiua, quae nemini unquam, uideant alii. Ego interim cum Ioanne illo, qui supra pectus domini IESU in coena recubuit, secretaque hausit coelestia, dicam, Deum nemo uidit unquam. Quod si tamen illum in nobis esse manereque contendis, non contradico, modo id fatearis, corporeis illum aspectibus haudquaquam posse inspicere, sed spiritualibus, ac mente, capace

{1555 p. 484}

quidem coelestium illuminationum, atque acie illa i amoris, qua in ipso ardemus. His itaque obtutibus, quandiu in carcere hoc tetro animae uiui datur, utcunque cerni potest Dei praesentia: reuelata uero facie, ac sine inuolucro, maiestatem illius contemplari, exutis id iam carne animis seruatur. Quanquam neque illis quidem pro rei magnitudine ac ratione, integre. Melius tamen quam nobis, qui mole adhuc inertis sensuum \134.a\ grauati, superuestiri cupimus. Indicia quaedam igitur in nobis insunt efficacissima, quibus an Deus in nobis sit, deprehendi potest. Sed illud omnium maximum ac magis euidens, si abiectis

⁴⁰² Deum uidisse olim facie ad faciem antiquos Patres iudaeorum, quomodo intelligatur. (The ancient Fathers of the Jews to have seen God face to face once upon a time: how this is to be understood.)

odiis omnes in Christo dilexerimus.

Ut enim humana mens aut animus corporeo nequit intuitu uideri, sed suis duntaxat comprehenditur motibus atque actionibus: similiter Deum in nobis esse, non oculis hisce genarum uallo obductis, tectisque ciliorum artificio, sed fraterna ex charitate ac ui illa amoris insigni, quae etiam ad ipsos extendi debet inimicos et immeritos, sentimus. Siquidem absque Dei praesentia nemo sic unquam alium amauit, imo ne se ipse quidem syncere. Ergo

4.12. Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, et charitas eius in nobis perfecta est.

4.13. In hoc cognoscimus, quod in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.

Felicem reciprocationem, Deum in nobis, nosque in Deo uicissim esse, et id quidem sacro illius spiritu conciliante. Qui sane spiritus ad eam nos promouens dilectionem et charitatem, quae Deus ipse est, lumen quoddam mirificum in nobis ac rarum notionis plane diuinae infundit: qua cernimus uere illum in anima residere, in qua

{1555 p. 485}

amor is, qui nullo immoderato imbutus affectu, totus candidus est, et sanctus, resideat.⁴⁰³ Huiusmodi quidem dilectionis gradus perfectissimus est, necessarius tamen, si quis alius. Unde non iniuria perfecta hic charitas a Ioanne dicitur: Et charitas, inquit, eius in nobis perfecta est. Nam benemeritos, et illos, qui gratiam referre possint, beneuolentia prosequi, atque ipsam communibus et usitatis \134.b\ officiis testari, uulgare id genus est amoris, communeque nobis cum caeteris e uulgo hominibus, ne dicam ethnicis ac infidelibus. Ad alium proinde amoris gradum, et eum quidem excellentiorem, quam qui angustiis huiusmodi arctari debeat, suos uocauit asseclas Christus, quando ultro dilexit, quando aduersariis, quando alienis, quando ingratis, quando ipsis suis iratis ac saeuis persecutoribus non destitit suae incomparabilis ad omnes dilectionis indicia impartiri.⁴⁰⁴ Talis fuit in Christo amoris uirtus, talis charitas, talis beneuolentiae erga homines significatio.⁴⁰⁵ Num aliud maius requiri potuit amoris signum ab illo, qui pro te mortuus est? Atqui fortunarum homines, et hi amici, possunt quidem inter sese damnus perpeti, atque subinde resarcire: Sed qui uitam erogent pro inimicis, ut erogauit Christus, aut nulli, aut rari. Ergo a domestica charitatis inter nos consuetudine, usuque per spiritum sanctum nobis datum conciliato, cognoscimus, ut inquit Ioannes, quod in Deo manemus, et ipse in nobis.

⁴⁰³ Signum efficax agnoscendi, an Deus habitet in nobis. (An efficacious sign for recognizing whether God resides in us.)

⁴⁰⁴ Gradus quidam excellens fidei. (A certain excellent position of/ for faith.)

⁴⁰⁵ Qualis fuit in CHRISTO erga homines vis amoris. (Of what sort the force of love in Christ was toward men.)

4.14. Et nos uidimus, et testificamur, quoniam Deus pater misit filium suum saluatorem mundi.

Non multum adeo esset, opinor, Deum fateri suum delegasse filium in terras, nisi et eundem ipsum filium salutem non tantum mundo communiter uniuerso, sed

{1555 p. 486}

et sibi quilibet particulariter attulisse crederet. Ex qua quidem asseueratione illa nascitur admirabilis in anima tum certitudo, tum fiducia, tum maxime consolatio et gaudium, de quo sic Virgo: Et exultauit spiritus meus in Deo. non Deo, inquam, illo solum, cui \135.a\ etiam ipsi assurgunt Daemones, ac tremebundi parent illius dicto: sed in Deo salutari meo. Talem proculdubio persensit in spiritu afflatum apostolus, ac uim fidei, cum illud scripsit, Christumque appellauit saluatorem mundi.

Cum nominat mundum, rem prorsus perditam, atque coelesti parenti odiosam et detestatam intelligit. Nos tantae (ait) rei spectatores fuimus: hisce accepimus oculis, audiuiusque. unde de re multifariam a maioribus praedicta, assertaque testimoniis sermonem facimus, testificamurque Dei filium, quo mundum seruaret, ad terras has nostras contaminatissimas descendisse: et ut concludam,

4.15. Quisquis confessus fuerit, quoniam IESUS est filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo.

Animaduerte ex supra memoratis, quomodo una omnino sit assertio, Christum IESUM fateri esse Dei filium, et charitatem Patris haberi.

Siquidem ab eodem utriusque assertionis fonte eadem manat conclusio, Nos utique in Deo esse, Deumque in nobis. Sic supra. In hoc (nempe ex dilectione) cognoscimus quod in eo manemus, et ipse in nobis. Modo uero. quicumque confessus fuerit, quoniam IESUS est filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. nihil beatius audiri potest. huc quidem nostra omnia connituntur studia, curaque euigilant in eo cunctae, ut Deum tandem obtineamus. Quid si alio nostras diuertimus cogitationes? quid si animum diuinarum rerum participem et capacem,

{1555 p. 487}

pressum humi detinent nonnulli? o insaniam, e curas nequicquam susceptas, e homines (si qui sunt tales) frustra in mundo \135.b\ natos. Infoelicissimum profecto id est genus crucis, in quo quis maximis ultro confectus curis, atque immensis negotiorum solitudinumque agitatus intemperis [sic, intemperis, 1546] nihil praeter mundum cogitat. Is sane mundum, non Deum, et colit, et uti domicilium sibi sempiternum et immortale habitat.

Quin potius ab ipso tanquam ab agresti domino (ut ait quidam) et duro habitatur possideturque, mancipium factum fortunae miserandum. Ad consimilem se habent modum hi etiam, qui seruitutis Dei praetextu ac religionis mundo seruiunt, illiusque

irretiti laqueis, eo trahuntur, ubi turpes sui magis uigent affectus et appetentiae. Hi quidem charitatem Dei non habentes, neque quanti aestimandum sit redemptionis humanae pondus et grauitas, ne per transennam quidem intuentes, absque fide in Deum uitam degunt quemadmodum inquietissimam, ita flagitiosam, ab omnique pie et sancte uiuendi ratione prorsus alienam.

Caeterum confessio istiusmodi de Christo, ac fides, qua illius desiderio atque amore flagrant, ipsum fatemur esse IESUM, eo potissimum tendit, ut confiteamur Deum incomprehensibili motu charitate, filium suum unigenitum ad terras destinasse: non ut illas quidem iudicaret, sed quo foedis ipse, nequissimisque obnoxius iudiciis, homines iam perditos de manu assereret hostili, ut probe exacteque asseruit. Unde illud protinus emersit beneficium, quod uictus a contaminatissimi, atque adeo saeuissimi uictoris hasta gratis ereptus, in libertatem filiorum Dei ascitus sit, cooptatusque in illius satellitium et familiam.

Quapropter ex seruis, \136.a\ uilissimaque mediastinorum colluue emancipatus, non modo liber effectus est, sed etiam filius, et is quidem selectus bonorum coelestium

{1555 p. 488}

haeres ac possessor. Qui sic credit, habet testimonium Dei in se, nempe charitatem Patris: qua habita, habetur et fides illa, de qua iam diximus nostrum oriri erga Deum amorem. Ex quo sane dono felicissima ea prouenit uicissitudo, ac reciprocatio, qua mutuis quibusdam amoris stimulis inter Deum et animam fit unum fere et domus et habitator. Hi effectus sunt charitatis, hi stimuli amoris, hi ardores, noti quidem illis tantum, qui ad diuina potiunda munera per coelestes purgantur illuminationes. At eae foedis nequaquam impartiri solent diuitiae suis.

4.16. Et nos cognouimus, et credidimus charitatem, quam habet Deus in nobis.

Ex supradictis ulla absque haesitatione credi debet illum, qui proximum suum diligit, Deum in se manentem habere: neque aliter fieri posse, quandoquidem Deus ipse amor est. Poteratne charitas huberiori commendari elogio, quam ut appellaretur Deus? Erant forsitan homines Dei munera contempturi, nunquid et Deum etiam? Tantumne scelus non praeuidit apostolus, cum definiuit charitatem esse Deum? imo praeuidit, opinor, futurosque deterrere uoluit obtrectatores, hisce illos ferme praeoccupans uerbis: Video fore aliquando, qui Dei dona contemnent, donatorem quoque ipsum (scelus inauditum) contemnant: nam Deus charitas est.

At in uoce charitatis non modo dilectionem inter homines mutuam, uerum etiam uirtutes omnes animi, atque \136.b\ affectus, quibus Deo gratis reconciliamur, signari uolunt. Verum in eam dudum deuenimus aetatem, ut illa omnia libenter intueamur, gustemusque medullitus, quae uel summis tacta labiis, uulnus afferunt immedicabile. An Dei munera, munera, inquam, illa quibus antiquos Patres pleno ueluti cornu exuberasse legimus, in pre-

{1555 p. 489}

-tio nunc sint, illud est indicio, quod tenuis illorum omnino sit usus. Neque id quidem benignissimi contingit largitoris, uel inopia, uel auaritia, uel odio ad homines: sed nostra prorsus euenit incogitantia, et iuncto cum segnicie contemptu, bonique fastidio. Nihil non iam diuino anteponunt amoris homines, paucis illis exceptis, de quibus sic Esaias:

Relinquentur homines pauci: Terra infecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt foedus sempiternum. Hic propemodum tempora nostra descripsit Vates euangelicus. Ita fere nostrae depicta est facies religionis. Ita nostra infecta est terra, ut inquit Daud, in sanguinibus, in homicidiis, in fraudibus, in omni contaminatione uitae, ac libidine.

Blasphemias enim uero terrificas in Deum quid memorem? Tales quippe sunt, ut tantam in Deo esse mireris tolerantiam, qui eas ferat. Fert tamen patientissime clemens Pater, nostramque quodammodo fert humeris procacitatem. Qui uero? quoniam nos diligit, quoniam pro filiis licet ingratis adoptauit. Unde non ab re illud adiecit senex: Et nos cognouimus et credidimus charitatem, quam habet Deus in nobis. Nam proculdubio

4.16. Deus charitas est, et qui manet in charitate, \137.a\ in Deo manet, et Deus in eo.

Experimento, ait, cognouimus credidimusque, et factis quoque ipsis (ut potuimus) expressimus Dei charitatem esse in nobis, credendo nimirum in Christum eius unigenitum, atque illius inhaerendo doctrinae, quae in eo maxime uersatur, ut nos inter nos amemus, quemadmodum ipse nos primus nullis nostris prouocatus officiis, imo potius lacessitus iniuriis, et amauit, et effectus illos mirabiles dilectionis sua in cruce ac morte detexit. Quid mirum? ipse amor est: et qui, ut conuenit, tum

{1555 p. 490}

Deum per se, tum homines per Deum diligit, satis legi facit. Hoc est, Deum, qui purissima atque adeo aeterna est charitas, persancte possidet, ab eoque (uide nobilitatem hominis) uicissim possidetur, cum lex spiritus uitae in Deo nihil aliud sit, quam lex amoris.⁴⁰⁶
Verum

4.17. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii, quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo.

De perfecta consummataque suis numeris charitate per Deum in nobis iam diximus. Id Dei sane, haud nostrum, est opus. Qui Deus iccirco in nobis tam mirificum excitauit praesidium, ut simili cum illo exemplo nihil mundi huius principem in die potissimum iudicii extremo pertimescamus: quemadmodum eum ipse non solum non timuit, sed etiam ualidissime debellauit. Magna tunc erit, opinor, uis illa recordationis cum accersito

⁴⁰⁶ Lex spiritus uitae in Deo, lex est amoris. (In God there is the law of the spirit of life, the law of love.)* [Cf Paul, Romans 8.2.]

coactoque ad iudicium illud terrificum uniuerso, perfectae suauissimaeque Dei charitatis in nos exhibitae ob Christi mortem, et cruciatus, in mentem uenerit. \137.b\ Fuit sane quidem ut admirabilis, ita maioris in nobis fiduciae effectrix atque excitatrix. Propterea igitur perfecta consummataque fuit erga nos propter Christi mortem Dei charitas, ne non fidentes essemus in conspectu Patris cum semper, tum praesertim, cum dies illa horribilis tanquam extremus scenae actus illuxisset. Non est, credo, qui ambigat perfectissimum illud extitisse amoris signum in Deo, quando filium suum unicum pro humano genere redimendo occidi uoluit. Cui porro tam certum amoris indicium ob oculos assidue uersatur, qui fieri potest ut is, quamuis formidabile pertimescat iudicium? Tantum illud auct su-

{1555 p. 491}

-premus arbiter, ut quemadmodum ille, ita et nos interim conuersemur in hoc mundo, pure scilicet, caste, atque ea in alios charitate, ut in nos ipse: alioqui a nostro facti dissimiles archetypo, deformataque in nobis imagine Dei per uitae dissimilitudinem, quomodo iratum irritatumque, ac minacem feremus iudicem? En timor ille turpissimus, qui ob male sibi conscius animum in nobis conciliatus, a fiducia, quam erga Deum esse oportet, miserabiliter exhorrescit.

Iudicii quidem diuini trepidatio ex inquinata oriri solet ut plurimum conscientia, animoque in flagitiis diutino usu inueterato. Et quidem istiusmodi generis.

4.18. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor poenam habet: qui autem timet non est perfectus in charitate.

Cum desides ac oscitantes in his agendis, quae feruentissimum in anima requirunt calorem, perfectionis uocem audiunt in scripturis, oppido perturbantur, \138.a\ clamantque sat esse sibi somno in uia iustitiae non penitus obrui. Hi mihi illud uelle dicere uidentur, Christi uitam, a qua uel paulum aberrare scelus ducimus non exiguum, ipsis etiam attemperatam esse gliribus, quibus ea est natura, ut maiorem anni partem dormiant: talis enim persuasio nunquam mihi uisa est probabilis.

Quod si quidem caeteris in disciplinis ac studiis languor aliquis, aut remissio, aut torpor, non improbari penitus debet: in coelestium tamen rerum studio ac exercitatione, quibus animae purgantur in Deo, fiuntque per amorem atque uoluntatis unionem cum illo deiformes, omnis detestabilis est segnicies:⁴⁰⁷ uel eo maxime, si ultro assumpta ad tantam impellat oscitantiam et socordiam

{1555 p. 492}

nonnullos, ut sibi persuadeant, uitam illam, quae tum odiis, tum oblocutionibus, tum hypocrisi et ambitione tum auaritia, tum (execrabilis mistura) et psalmis, et ieiuniis, et precationibus, atque aliis id genus fidei (quae nulla in eis est) ornamentis, permista sit,

⁴⁰⁷ Torpor in spiritualibus Deo odiosus. (Torpor in spiritual matters is offensive to God.)

Deo probari posse: illudque in primis curae esse numini, ut sues alat et pantheras. Ita illos appellare soleo, qui uitae sordidae sunt, ac multiuigis, uel criminum uel uirtutum maculis, una facta tum carnis tum mundi tum spiritus farragine, notati. Non eo tamen inficias Christi sponsam polymitam circumamictamque uarietatibus incedere solitam: sed uirtutum, sed gratiarum, sed donorum spiritus, non uitiorum.

An censes neglectum charitatis a Ioanne tum laudari, cum ait Timentes non esse perfectos in charitate? Perinde est quasi dicat, mediocritatem in amore mutuo non requiri, \138.b\ multo minus contemptum aut desidiam. Qui eiusmodi sunt, quique segniter ociantur in uinea domini, ad minimam quanque mortis seu poenarum memoriam, trepidant pauidi, iudiciumque more illorum seruili, qui metu magis dicto utcunque parent, quam reuerentia et dilectione, refugiunt. Cuius sane dilectionis ea est uis potissimum, ut omni abiecta formidine ac ignauia, quaecunque iusseris, praesto sit imperanti.

Hi effectus sunt charitatis, quam consummatam perfectamque in suis requirit Christus. Et qui certe ad eum (quae dixi) modum uel Deum uel homines timet, hoc ipso declarat se nondum muneris istiusmodi assecutum esse terminum et perfectionem (quae eo maior diuiniore censi solet, quod ab omni semota est pauoris genere) qui liber non sit, ac uenerationis plenus: ut simili plane metu afficiuntur erga parentes liberi, atque erga natu grandiores, qui minoris sunt aetatis. Id genus timoris a charitate nascitur: unde illi, tanquam surculus uiti, perpetuo inhaerescit. Metus uero

{1555 p. 493}

ille sordidus, qui poenam, siue ob laesam conscientiam tortores in se habet, longe (ut diuus inquit Augustinus) ab huiusmodi secretus est amoris suauitate: quippe qui poenarum formidine, horroreque potius iudicii, quam amore ducitur, agitque inuitus si quid mandaueris. Unde qui tam humili demissoque sunt animo, illud in primis uerentur, ne parum scilicet exorabilem inueniant clementissimum, qui parum se in alios exhibuerint faciles, atque in condonandis iniuriis liberales. Non audiunt hi quidem Christum, dicet aliquis. Nihil periculosius. At audiant saltem ethnicos, et hos \139.a\ quidem in leuiori genere scribendi occupatos. Sic ex illis quidam, Re ipsa reperi facilitate nihil esse melius, neque clementia. Verum hi ut lubet, sentiant.

4.19. Nos diligimus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.

Causa quidem totius nostrae erga Deum dilectionis est ipse Deus, qui prior dilexit nos. Saxa proinde rudia, et inertia fuisset ad amorem, nisi diuinus nos amor antea praeoccupasset, suaque perfudisset unctione: qua delibutae animae, ex aspera immitique peruersae consuetudinis scabrie et durezza, in suauem ac facilem deueniunt morum usum, atque affectuum liberalium, mireque et in Deum et in homines ardentium.⁴⁰⁸ Certe rem nunquam ita eximiam, ut Deus est, amare potuissemus, nisi nos prior ille ad se suo traxisset amore: id munus illius fuit. Sed in amando magna est adhibenda sollicitudo et

⁴⁰⁸ Causa dilectionis nostrae erga Deum, est ipse Deus. (The cause of our love toward God, is God himself.)

cura, ne Dei amorem ab illo, quo erga proximos afficimur, separemus: neue illud, quod unum esse omnino debet atque impartibile, dissociemus. Eam ob rem

4.20. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim

{1555 p. 494}

non diligit fratrem suum, quem uidet: Deum, quem non uidet, quomodo potest diligere?

Id natura quoque comparatum est, ut animantia suum quaeque genus ament, iuuentque obsequiis, et pro re nata subleuent. Sed longe alia ratio est diligendi in his, qui Christi uitam aemulantur, quam quae ad pecudes, aut ad communem hominum consuetudinem spectat.

A qua tamen non abhorrens Ioannes sic suum format argumentum: Sit aliquis qui se Deum amare asserat, \139.b\ non contradicam, modo suum hunc amorem amando proximum testetur: alioqui mendacii temerariaeque assertionis insimulari poterit, cum plane id esse minime possit, Deum scilicet amari, non ita proximum.

Nam si fratrem quis suum, eiusdem nimirum naturae consortem, praesentem, conuictorem, et qui cum necessitudinem etiam naturaliter contrahere iubetur, imo sine illo omnis esset inamoena et agrestis uistae [sic, vitae, 1546] consuetudo et cultus, non amat: Deum quem nunquam uidit praesentem, amabitne? Haud reor.

4.21. Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum.

Vanissima profecto nostra esset persuasio, si illum, cuius imperium detrectamus, legesque negligimus, amare nos posse contestaremur. Iussit enim Deus tum se, tum proximum a nobis diligi.

Quare unum sine altero esse non posse adeo uerum est, ut qui secus opinetur, quam maximo detineatur errore, neque eum aliter in diligendo ad hunc modum obtinere certum est, atque hi solent, qui capedine aliqua rimosa aut cribro aquas ferre adnituntur, casso scilicet labore ac studio. Amen.

{1555 p. 495}

\140.a\

CAPVT V.

5.1. Omnis qui credit quoniam IESUS Christus, ex Deo natus est.

Miro nos artificio apostolus ad mutuam hortatur beneuolentiam, et charitatem. Nam

dixerat, acutissimoque asseuerauerat argumento in superioribus, homines hominum gratia natos esse: hoc est, necessario ex communi eiusdem generis conuictu mutua sibi inuicem debere dilectionem homines. Si (inquit) eiusdem tecum naturae participem, qui cum familiariter conuersaris imo absque huiusmodi consortio et consuetudine uitam, uiueres insuauem, non amas: Deum, quem nemo unquam hominum uidit, qui amare poteris? Nunc uero alio utens lemmate, sic rem absoluit.

5.1. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diliget et eum qui natus est ex eo.

Iam diximus, mysteriumque, ut dedit dominus, aperuimus: Quomodo scilicet qui credit quod IESUS est Christus, ex Deo is natus sit, nempe per sanctum illius spiritum regeneratus. Cuius afflatu sic in diuinis eruditur, ut in secretioribus quidem atque arcanis diuinitatis penetralibus haerere, multo minus errare labique sinatur. Dei quippe est filius, nedum amicus. At si filius est, num Patrem, atque illos qui ex eadem secum origine processerunt, non amare poterit? Non queunt certe, qui ita prognati sunt, suae non diligere consortes naturae, \140.b\ reformatae quidem in Christo, qui illiusmodi geniturae non modo autor est, sed etiam purificator. Aequae igitur ac nos ipsi amandi sunt hi, quos ex Deo natos esse non ambigimus: non tam quidem quoniam fratres sunt, qua quod a Deo nati sunt, iccirco filii. Nam qui per fi-

[5.2. within text]

{1555 p. 496}

-dem, illam potissimum qua IESUM esse Christum persuasi sumus, tanquam maturus partus editur, ex Deo, cui filius effectus est, nasci dicitur. Unde illud omnino necessarium contingere oportet, ut qui Patrem diligit, et eos diligit qui ex illo procreati sunt. Aliter autem non illos unquam amare Patrem dixero, cuius contemnunt filios atque legem, qua mandatur, ut fratres ex Deo quidem genitos ament. Hoc uno sane indicio, an Dei amantes simus, cognosci poterit, si eius mandata seruauerimus, uel secus. Vide igitur quid suo assuat argumento uir sanctus.

5.3. Haec est charitas Dei, ut mandata eius custodiamus, et mandata eius grauia non sunt.

Grauia minime sunt Dei praecepta, sed amanti, sed illi ipsi, qui ex Deo natus sit. Alioqui crux Christi suauissima et leuis, fit non amantibus plumbea, inamabilis, et horrenda. Estne in rerum natura tam graue onus et ponderosum, quod amanti leue non uideatur? Atqui absque numero immensas terrificasque obiicit tum mundus, tum daemon malorum species. Quid tum? Tantine esse aut mortem aut uitam existimabimus, ut pio a corde diuinum queant excutere uel amorem, uel sufferendi quiduis malorum pro Christo desiderium? Minatur quis tibi exilium, \141.a\ carceres, cruciatus, proscriptiones, mortem tandem: inferat etiam haec omnia, et alia, si quae sunt horribiliora. Eo enim facilius leuissima istiusmodi tolerabis mundi terriculamenta, quo purius tuum in Deo collocaueris amorem. Et si quidem talia, quae natura horrore nobis solent esse ac formidini, fiunt toleratu facilia, quando amauerimus: nunquid asperiora illa censenda erunt atque

intoleranda, quae lex amoris imperabit? Grauia igitur nequaquam ea sunt mandata, quae

{1555 p. 497}

sanxit amoris Deus, qui tam ardentem nos diligit, ut nobis tributa sit ab eo potestas illius effici filios, natos nimirum (ut inquit Ioannes) ex Deo per spiritum Christi. Nulla itaque damnatio, non solum formido, potest his esse, qui in Christo sunt:

5.4. Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum.

Vehementissima est nobis cum mundo rixa, ingensque pugna, et periculosa. Verum neququam timenda est, simul ac longo compertum est usu, quod quicquid ex Deo natum est, vincit mundum, et nos certe ex Deo nati sumus, ergo vincitur a nobis mundus. Argumentum profecto absolutissimum, ac magis uerum, quam si tricis illis logices cornutis cauillisque formatum esset, quibus quiduis cuilibet concedere (ni prudens sis) te faciunt. Sed longe alia ratio est argumentandi apud apostolum Christi, quam apud Sophistas. Vincimus itaque mundum (ut centies repetam) quia ex Deo, qui prior illum debellauit, prodiuimus. Unde iam uictum uincimus, superamusque prostratum a Dei filio. Cuius uictoriae et nos consortes effecti, in castris illi fidei \141.b\ militamus: qui, ut uincere possemus, inuictum pene uicit insuperabilis. At quo armorum genere hi, qui a Deo ortum habent, uincunt mundum? Quibus, oro, praesidiis? copiis ne bellicis? num tormentis illis, illis inquam tormentis aeneis, quae ad perniciem fratrum nostrorum inuentae, sono ipso terrifico et horrendo mugitus imitantur aethereos? Non puto. Doctrinae forsitan humanae atque eloquentiae iure haec omni debetur uictoria? Tantundem. Quid igitur? autoritatis? num sanguini? num numero? num ordini? Nihil minus. Ecquid tandem? arae? fana? sacramenta? ritus id obtinent? Itidem. At scio unde. En bona uoluntas, en arbitrium, en ieiunia, en eleemo-

{1555 p. 498}

-synae, en assiduae in Dei templo supplicationes et lacrymae. Neque has ego tanti facio merces. Dicat itaque sacrosanctus et uates et apostolus, definiatque quod illud potissimum telum sit, quo mundus is nobis infestissimus confodi possit, atque occidi.

5.4. Haec est, inquit, uictoria quae vincit mundum, fides nostra.

Obserua in primis ut fidem appellet nostram, quae alioqui donum Dei sit. Vult sane Pater aeternus, quandoquidem unius facti sumus conditionis cum Christo, ut sui aequae thesauri consortes haeredesque nominemur et simus, atque ipse Christus, quamuis copia differenti. Is enim illi naturalis est filius: nos per gratiam et adoptionem, cohaeredes tamen. Eam ob rem quicquid gratiarum obtinemus a Deo, aut si bonis ditamur coelestibus, cooptamurque in consortium filiorum Dei per fidem, cuncta haec nostra iam sunt, (ut ait Paulus) \142.a\ nos Christi, Christus autem Dei. Et Deus (res mira) quicquid est, totus ad nostra attemperatus est commoda. Unde sua in nobis non aliter cognoscit munera, quam si nostra omnino essent, non sua.

Sed ingratis animantium omnium factus est homo: qui ad tantam nonnunquam delabitur proteruitatem atque audaciam, ut praeclarissimis Dei muneribus contemptis, malit usu uitae turpi ac libidinoso feris ipsis syluestribus assimilari, dicitur mundi mancipium et seruus, quam filius Dei, quam Christi frater, quam bonorum coelestium haeres. Ad quae quidem bona in primis pura fide, siue, ut apertius dicam, fiducia in Deum libera, minimeque nutanti, peruenire se posse aliquando non ambigat. Ideo (ut hic uides) uictoriam illi ex mundano conflictu acceptam referre non ueretur apostolus. Haec est, ait, uictoria, quae vincit mundum, fides nostra: hoc est, Fide (ar-

{1555 p. 499}

-matura nimirum Dei) uincitur a nobis mundus, profliganturque aerae potestates ac principatus. Sed de fide hic illa dici non arbitror, qua qui interdum imbuti sunt, non solum non superant mundum, sed leui aliquando commissa pugna, dant manus hosti. Hanc aiunt daemones quoque in se habere, ac contremiscere. Habent etiam ex nostris illi, quibus mundus ipse imperat, non paret. Qui uero hi sint, aut cuiusmodi sint coloris atque habitus, ex ratione uitae illorum contaminata et fracta deprehendi possunt. Quare aliud omnino requirimus ad assequenda quae Dei sunt, fidei genus, quod nobis cum daemone, peruersaque hominum multitudine minus commune sit et usitatum. \142.b\ Hanc fiduciam appellamus, donum quidem ignotum improbis et flagitiosis. Cuius sane doni potissima ea uis est, ut in his, quae pollicitus est Deus, nequaquam haerere nos sinat. Etenim Deum nunquam pure, ut conuenit, amare poteris, nisi fidem illi prius habueris, eique spe minime dubia adhaeseris. Alioqui uanus propemodum labor is esset omnis atque exercitatio, Deum (ut ait Bernardus) dies noctesque de peccatorum remissione sollicitare, nisi simul quoque credideris, remissionem peccatorum te ab ipso obtinuisse. Et quidem nunquam me satis intellexisse fateor, quomodo is, qui continuis tanquam excubiis ad assequendum gradum quempiam excellentiorem diuini amoris inuigilat, de his maxime, quae hosce praeuenire gradus solita sunt, animi sit semper dubius ancepsque, ac nutabundus Dei praestoletur reconciliationem. Nam Deum rogare, illumque suauissimis huiusmodi, cum oras, bonitatis, misericordiae, clementiaeque uocibus appellare, subinde de illius tum bonitate, tum clementia, tum misericordia diffidere ac dubitare, nonne tuam etiam in dubium uertis factam per Christum instaurationem et salutem? Nonne similis effectus es (ut alius scribit apostolus) flu-

{1555 p. 500}

-ctui maris, qui uento mouetur et circumfertur? Imbecilliorene Dei reris esse clementiam, quam tua potens sit miseria? Dat igitur certo Deus: si quid quod nobis dari expediat, rogauerimus: nihil interim (ut inquit idem) haesitantes. Atque illud est, unde doctrinam hanc didicit apostolus, seruatoris dictum: Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. In nomine (inquit) meo, hoc est, spe firma obtinendi rogata. \143.a\ Quae tamen illis praedita debent esse uitae partibus, quae petitionibus Deo factis respondeant: nihilque, ne unguem quidem transuersum, a Christi uestigiis recedant. Hisce enim adminiculis fulcitur fides, eaque confidentia, per quam uictores e pugna cum mundo periculosissima discedimus, animatur. Quantum porro debemus Christo, quantum illius cruciatibus, quantum morti, quantum beneficentiae, qui tam stabili nos corroborauit

persuasione, ut contra spem spe impauida concipere illa animo audeamus, quae ab ipso solo sperari par sit. Aliter uero Christi clementiae ac meritis, propriae nihilominus existimationis et uirtutis admistione, et fidere, et potioem quoque, sed non totam tribuere salutis causam, constantis parum est indicium animi, atque de his, quae nobis Christi meritum conciliant, ineruditi. Qui quidem Christus eam nostris in cordibus inseuit sui amoris notam, qua signati nil tam humanae inaccessum esse potest rationi, atque ingenio, quin credendo per spiritum sanctum suum ullo absque merito nostro, aut aliorum, obtineamus. Id certe peragit fides, quod nequeunt creata. Unde praeclarissimi huiusce doni excellentiam, imo ipsius datoris Christi IESU benignitatem quis, quantum sat est, laudare admirarique unquam poterit?

At satis utcunque laudant qui in Ecclesiae gremio perseuerantes, solo illo nituntur, qui iccirco IESUS a Deo Patre appellatus est, ut seruet, non perdat, modo nos iri seruatum adeo non dubitemus, ut sic quoque

{1555 p. 501}

esse persuasissimi, uel ipsa contradicente natura, et mole criminum, et simus, et ita \143.b\ esse aliis intrepide, constanterque praedicemus. Haec est palma, haec est uictoria, quae uincit mundum. Quid hic mussant hypocritae? quid blatterant? quid suam hic mihi obiiciunt, nescio quam, uitae durtatem? quid ullo absque succo spiritus macerationem? Dicant, obsecro,

5.5. Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit, quoniam IESUS est filius Dei?

Non est quidem tam aspera diraque procella et aduersitas, aut anceps quoque ac perplexa in doctrina fidei dubitatio, quin firma in Christo fiducia dissoluatur, atque in auras euanescat. Ergo fiducia (ut diximus) uis ea est (non alia) quae uincit mundum: nempe haereticos, prauasque carnis illecebras: bella item, discordiasque iam ita nobis ob usum diutinum et consuetudinem, annexas et familiares, ut nullus ferme tam modicus inueniatur hominum coetus, qui secum non dissideat, rixeturque. Qualia uero illa sint, quae hostis fidei in nobis a multis iam retro annis disseminauerit, acerbiora sunt, sed tamen notiora, quam ut a me nunc, qui aliud ago, rememoretur. Haec fuit causa, quae pios principes, atque adeo caeteras una cum Pont. Max. commouit Ecclesiae columnas, ut synodum hanc celebrem, quam passim cogi uidemus, indicerent. Paueat Christi spiritus tam piis coeptis. Et certe non poterit non suae praesto adesse sponsae benignissimus dominus, quae propemodum meretricari occooperat nec quidem tam execrabili adulterio impudentissimi defuere lenones ac proci. Dicam apertius. Iam sanguis Christi a Christianorum frontibus et facie abstersus, \144.a\ cerussae ac stibio cesserat, desieratque suo a pristino uigore nuda pietas. In quauis nanque re alia, praeterquam in Christo sperabant homines. Imo (nefas inexpiable)

{1555 p. 502}

Christo excluso, uero nimirum sponso ac legitimo, quid non audebant moechi? Quid non superstitionum altores, licitatoresque meritorum, atque humanarum uirium, et

satisfactionum negotiatores, mangonesque impudentissimi? Vincit igitur mundum, cui persuasum est IESU Dei filium esse, per quem accessum habemus ad Patrem: illeque, qui caeteris omnino rebus et praesidiis, aut omissis, aut etiam receptis, sed suum ad profectum attemperatis ei adhaeret.

5.6. Hic est, qui uenit per aquam et sanguinem IESUS Christus. non in aqua solum, sed in aqua et sanguine.

Duo quidem aperta diuini amoris indicia erga homines in adoptione facta per Christum generi nostro, intercessere. Alterum sane inuouationis atque innocentiae gratuito conciliatae, quam per aquam signari ducimus: alterum redemptionis. Nam cum multis detineremur astricti nominibus, nec ulla esset recuperandae libertatis, ne cogitatio quidem tenuis in nobis, non modo spes: auctione quodammodo facta, ingentique proprii cruoris pretio numerato, per se ulla absque prosonetarum [sic] licitatione redemit nos Christus. Unde non iniuria bis sanguinis et aquae hoc in loco fit mentio, ne tanti unquam beneficii memoria excideret. Nullus tam ferreus debet esse animus: quem, cum illi uenerit in mentem Deum pro se redimendo fuisse uenditum et \144.b\ occisum, non suae pudeat pigeatque ingratitude, atque ad sectandas iustitiae partes, tum morae, tum desidia. Videat quam idoneam recuperandarum animarum excogitauerit rationem filius Dei. Parum illi ferme uisum fuisset sub hasta uenditos redemisse, nisi et sordidos longoque situ catenarum et carceris afflictos, aqua sui sanctissimi corporis illustrata purificasset, dignosque aeterni

{1555 p. 503}

Patris aspectu et colloquio reddidisset. Duas res igitur sane quam necessarias in genere humano redimendo concurrisse uideo: lauacrum scilicet ac pretium. Illo mundati sumus, isto coempti illo ex contaminatissima Deorum libidinumque cultura exempti, nitidiores facti sumus ebore antiquo, saphyro pulchriores: uerum isto e durissima duri hostis erepti seruitute atque hasta, in libertatem non tantum filiorum Dei asserti sumus, sed unius etiam naturae uitaeque ac spiritus cum illius unigenito effecti. Nullum iam potest esse inter Dei filium ac filios hominum discrimen, postquam Deus homo factus est, hoc uno in primis excepto, quod Christus Dei est filius, unius omnino substantiae cum Patre: nos per gratiam (ut dixi) et adoptionem: atque id quidem ui sanguinis Christi, et aquae illius salutaris, de qua sic legimus in sapientiae libro: Aqua de petra altissimi data est eis. Ergo cuiusmodicunque res illae sint et controuersiae, quibus miserrimum in modum inquietantur nunc homines, illud securissimum censendum est asylum, effugiumque certissimum ac necessarium, si suis diffisi rebus atque opibus mortales, ad unum confugiant Christum, qui iccirco in aqua et sanguine uenit (ut ait Ioannes) \145.a\ ne non sciremus duo haec remedia, uel sola, nostram ad reconciliationem cum Deo fiendam suppetere: atque adeo suppetere, ut qui diuerticula alia sua in reformatione aut amicitia ineunda cum Deo quaerit, is erret penitus, atque a salutis scopo longe digrediat. Verum non omnes Christum intelligunt, non uim aquarum, non sanguinis, non donorum coelestium efficaciam compertam habent. quam ob rem cuius rei potius, quam Christo innituntur plerique. Alii item sumpta libertatis occasione atque ocii, nulla tam pia sancita est a Patribus institutio, quam non peruertant, ad eunque abutantur usum, quasi Christus nulla suos teneri lege

{1555 p. 504}

uoluerit, nisi effraena et temeraria. Certe qui a Christi spiritu reguntur, eis etiam qui foris sunt exemplo debent esse modestiae sanctitatisque, non ruinae. Quod si rem acu (quod aiunt) attigisse sibi uidentur, illud potissimum agant, quod Paulus se egisse profitebatur, cum omnia se factum omnibus, quo omnes lucrifaceret, attestaretur. Eo sane modo sua in integritate eliminatis dissidiorum causis perseuerabit Ecclesia Christi, qui pacis autor est, non praetextu libertatis, uel turpis ocii, uel dissidii. Alias profecto secum ueniens attulisset merces, si in commutando humanae uitae usu, qui prorsus ferinus erat, aliis etiam praeter illas quas secum attulit indiguissimus. Duas quidem protulit, sed ita, ut una alterius esset perfectio. Quare a Ioanne illud est additum, Non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Nam uis omnis aquarum huiusmodi uiuentium in baptismo a \145.b\ Christi sanguine promanauit, quemadmodum et caetera quoque promanauere sacramenta, donaque ac merita hominum omnia. Per aquam enim uenit, ut nos ablueret: per sanguinem, ut uitam prius amissam restitueret. Quid etiamnum salutis nostrae modum originemque in dubium uertimus? Quid nouas nobis effingimus recuperatae uitae causas? noua remedia? nouam doctrinam? Inspice compendiariam istiusmodi rei finitionem. Sanguis, inquit, IESU Christi emundat nos ab omni peccato: qui porro Christus (quae benignissima illius fuit natura) non his tantum duobus se mundi seruatorem esse prae se tulit indiciis, uerum addidit et sui spiritus attestationem. unde sequitur:

5.6. Et spiritus est, qui testificatur, quoniam spiritus est ueritas.

Sunt qui legunt, Quoniam Christus est ueritas: sed ad testem spiritum magis (at opinor) illud referri debet,

{1555 p. 505}

ut sit sensus: Cum ueridicum esse testem oporteat, spiritus qui non modo uerax est, uerum etiam ipsa est cum Patre ac filio ueritas, de illo, quod delegatus sit a Patre ad salutem uniuersi, testimonium protulit: praesertim cum in specie columbae uisibilis apparens, Christi uerticem ad Iordanis ripas inumbravit. Vide quid hac de re ipse asserat praecursor. Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem uideris spiritum descendantem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Antea uero dixerat: Vidi spiritum descendantem quasi columbam de coelo, et mansit super eum. De hoc quippe intellexit testimonio \146.a\ Ioannes, quando spiritum testificatum esse de Christo, quod is esset filius Dei, mandauit literis, ut hic uides. Quapropter hunc quidem eundem esse Dei spiritum, qui unius cum Deo (Deus et ipse) naturae, una cum uerbo de Christi dignitate, atque ad omnes beneuolentia, non raro testatus sit, arbitramur.

5.7. Quoniam tres sunt, qui testimonium dat in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.

Ut enim horum una est natura et deitas, ita una est consensio, uoluntas una, testimoniumque de Christi diuinitate unum. Nec mirum. Haec sane omnia unus est Deus: semel enim atque iterum Pater, uoce superne audita, Christum sibi esse filium testatus est Verbum autem, cum tot editis miraculis et portentis, e mundo abiens, diuinitatis plenitudinem in Christo Deo et homine fuisse declarauit. Hinc Paulus Christum definitum esse Dei filium per potentiam Romanis scripsit, euangeliumque uirtutem Dei appellauit. At spiritus uel eo quo diximus modo, uel cum ad coetum illum discipulorum pauidum, iuxtaque si quid e coelo aduen-

{1555 p. 506}

-tasset refugii contantem, ignea descendit linguarum forma. Et haec quidem breuiter de testimonio e coelis uiso auditoque, de Christi diuinitate, sint dicta. Arcana enim huiusmodi aut leuiter attingenda sunt, aut casto penitus obuelanda silentio. Caeterum, ut de homine quid afferat Ioannes, uideamus.

5.8. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua, sanguis: et hi tres in unum sunt.

\146.b\ In unum, inquit, conueniunt testimonium, atque horum trium summus est consensus. hoc est, de uno eodemque testificantur Christo, spiritus, aqua, sanguis. De spiritu humano in Christo qui ultro moriens tradidit spiritum, hic dici scribunt doctiores. Indicium sane non modo naturae in illo humanae (hominis est spiritum habere humanum) sed etiam diuinae, cum illi fuerit integrum ponendi ac iterum assumendi animam, quod proprium diuinae fuit uirtutis. Porro de aqua et sanguine, quatenus ad sacramentum attinent, iam diximus. Ad signum autem humanitatis illius demonstrandae, haud parum illud habuit efficaciae, quod e uulnerato iam mortui latere in cruce cruor exiit et aqua: naturae certae humanae significatio, atque adeo ueri hominis in Christo indicium, ut homóne uerus fuerit in dubium iam uerti queat nemini, praeter quam ignauo cuiquam Manichaeo, aut Apollinari: aut illis etiam qui superstitionibus foedisque dehonestantes questibus candorem fidei, illum qui emit eos, ut ait Petrus, negant dominum. His absque dubio uelamen adhuc super Mosis faciem positum est. Adhuc Marath aquas bibere nequeunt, eo quod amarae sint. Adhuc, inquam, cruor illis est in omni terra Aegypti tam in ligneis uasis, quam in

{1555 p. 507}

saxeis. Sed hic mihi tempero, atque ad testimonia fidei IESU Christi redeo: quae siue diuina sint, siue humana, certissima quidem extant et manifesta. Verum illa magis, quae a

Deo, quam quae ab homine quamlibet in uaticiniis arcanisque praedictionibus excellenti proferuntur. Et quidem, \147.a\

5.9. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est, quoniam testificatus est de filio suo.

Omnes quidem quotquot ante Christi aduentum prophetae uixerunt, ad hunc sane scopum sua direxere uaticinia, ut in Christo duas praedicerent naturas: illudque suis illis a Dei spiritu commotis diuinationibus obtinerent, ut Christum crederent posteri, faterenturque Dei pariter atque hominis filium, uenturum illum quidem per aquam et sanguinem: illa, qua nostra significaretur ablutio: illo uero, pretium. Vtrisque tamen uim spiritus addendam esse. Moses enim (ut diuus inquit Bernardus) in aqua, unde nomen accepit tantummodo uenit, non in sanguine: sine cuius effusione, ut sacra habet lex, non erat remissio. Christus autem, cui cruor ille agni celebris Aegyptiorum praeluserat, non in aqua solum, cuius mysterio nostra adumbrabatur innouatio, atque in Deo renascentia, uenit: sed in sanguine etiam, pretio nimirum incomparabili nostrae redemptionis et salutis. Quarum sane rerum praes quidam non inefficax, et arra uitae per Christum recuperatae, sanctus extitit spiritus: qui ut nexus est Patris ac filii indissolubilis, ita sordium humanarum aeternus est purificator, suggestorque bonorum omnium, quorum autor Pater est nuncius filius. Atque de his quidem omnibus Ioannes

{1555 p. 508}

ad ripas Iordanis sedens, non raucum quidem meticulosum ue aut uafrum praebuit testimonium: sed uere ac intrepide, uti se res haberet, enarrans clamabat: Ego uidi, et testimonium perhibui, \147.b\ quia hic est filius Dei. An magnum non fuit tanti uiri testimonium, qui Christus aliquando est habitus a Iudaeis? Magna item extitit praecursoris de filio Dei attestatio. Magna prophetarum, magna angelorum. Quid? magna nonne fuit etiam illa hostium humani generis confessio?

Exibant (inquit Lucas) daemonia a multis clamantia et dicentia, quia tu es filius Dei. Magna quidem sunt haec omnia, sed testimonium Dei maius est. Tu es (ait) filius meus dilectus, in te complacui. En uox Patris e coelo audita. Itaque si testimonium humanum accipimus, probamusque, num aequum sit plus ponderis autoritatisque Dei habere testimonium, uosmet existimate. Caeterum haud multum referre arbitror, utrum literam, ut modo exposuimus, probes, uel secus. Graeci enim totum illud (maius est quoniam) secundo repetitum, non habent. Sic illi: Hoc est testimonium Dei, quo testificatus est de filio suo.

Ergo

5.10. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se: qui non credit filio, mendacem facit eum, quia non credit testimonium, quod testificatus est de filio suo.

Aptius (mea quidem sententia) uertunt, qui, Non credit Deo, uertunt. Certe hi qui spiritu Dei aguntur, re ipsa sentiunt, quam nullis iam humanis opus sit testibus in causa fidei

IESV Christi, de cuius natura et statu tam euidentia sunt Patris testimonia: ut stolidi omnino animi uideatur et amentis, quicquam aliud, quam quod edocuit Pater, de filio existimare. Sint, ut lubet frequentissima et decantata prophetarum, angelorumque, atque omnium

{1555 p. 509}

\148.a\ tandem hominum de Christo testimonia, quid tum? iam non propter uestram loquelam credimus: ipsi enim a Dei spiritu edocti audiuius, et scimus, quia hic est uere saluator mundi. Oro, quod excellentius attulissent unquam de Christo testimonium uel ipsi apostoli, quam pene athei tunc temporis attulerunt Samaritani? Parum sane abfuit, quo minus arcanum illud sponsae de se iactaret gens illa: Introduxit me rex in cellam uinariam, unde anima mea liquefacta est ad uocem dilecti. Ita profecto agere consuevit Deus in humanis cordibus ullo absque delectu, cum illi uisum fuerit. Atque id quidem sui sanctissimi spiritus ministerio, qui testimonium reddens spiritui nostro, quod sumus filii Dei, ad tantam nos eleuat spiritualium rerum cognitionem, ut Patrem ipsum, quem nemo uidit unquam, et uideamus, et (res mira) in cruce Christi ac sanguine degustemus. At hic suo contenti succo resides ac ociosi hebescunt illi etiam qui tam in malis obduruere, ut ne Dei quidem stimulos sentiant acutissimos, atque afflatus, multo minus plagas terroresque futuri iudicii ac mortis. Non homines, non angeli, non humana, non diuina illis satisfaciunt testimonia: non exempla, non lex tota ipsa demum creberrimis de Christo attestationibus grauida et mysteriis, quae ipsum pro debitis uniuersi fore uadimonium pollicentur. Caeterum, ut cuncta alia praetereamus testimonia, quid sceleratius? quid nefandius auditum unquam fuit, quam Deo optimo maximo testificanti fidem non haberi? **Num tantam ad impotentiam animi, addo et mentis duriciem,** \148.b\ deuenire posse quempiam arbitremur, ut Deum ipsum, rem tantam scilicet, et formidabilem, doli mali mendacique audeat accusare?

Lues haec immedicabilis est, ac fletu digna, uel eo maxime, quod haud raros intueamur, qui, licet exteriori fateantur disciplina et cerimonia, re ipsa tamen ac uita

{1555 p. 510}

negant Christum esse IESUM. Hi quidem testimonium Dei non habent in se, sed in ore solum ac moribus fuco simulationeque refertis. Cum enim alia in re quam in Christo suam statuunt iustitiam et salutem, Christum Dei esse filium non intelligunt: nempe ob id a Patre missum occisumque, ut omnes qui illius mortis gustum percepturi essent ac meritum, in eum solum crederent: illique, caeteris tanti quantum par est mundi aestimatis praesidiis ac legibus, fiderent. Tutissima haec est fidei regula, qua facile in Christo reformari possent animae, etiam absque synodis. Quas tamen nostra hac aetate turbulentissima et confusa, necessarias omnino esse, si quid aliud, ducimus: optamusque, ut iam tandem fessis penitus humanis desideriiis et uotis, in unum pars utraque coeat consessum consensumque, atque in re tanti momenti, ut est salutis humanae definitio, deliberandi iudicium. Res hic Christi agitur, non hominum: quam ob rem ipsius opus est spiritu. Videant igitur quo hi ducuntur animo, qui aut accersunt, aut undequaque, dissipato iam rumore ac fama, accersuntur. Interim uero quae a Patribus audiuius, fidei dogmata cum teneamus, tum aliis, ne in causa illius, cui uitam quoque propriam debemus, nedum \149.a\ sermonem, muti simus, ullo absque fuco, aut metu barbarico praedicemus.

Insignis sane ea est humani cordis stupiditas, si aut non sentit, quae de IESU Dei filio in se habet per Patris afflatum testimonia, aut nota contemnit: utrunque enim mortiferum, Quatenus miseria calamitosior, aut infortunium magis horrendum nobis accidere potest, quam si iam in fide decrepiti, quid sit fidei scopus, ignoremus? Adhucne in ipsis fidei elementis haeremus, caecutimusque?

5.11. Et hoc est testimonium, quoniam uitam

{1555 p. 511}

aeternam dedit nobis Deus: et haec uita in filio eius est.

Argumentum id est acutissimum et diuinum, modo hinc absit cauillum et uaficies. Obserua, inquit, certissimum de Christo testimonium, quod is uere sit Dei filius, idemque Deus atque hominum seruator. Quale oro? Vitam, ait, aeternam donauit nobis Pater, quae tamen uita in illius sita est filio: atque adeo sita, ut sine illo haberi nequeat: imo ipse est uita huiusmodi, qua beati efficimur in Deo.

Unde cum dat Pater, dat non modo uitam ipsam beatam, sed ipsummet quoque filium, qui ipsissima est beatitudo. Si itaque uita est aeterna in filio, nobisque a Patre per filium conceditur: signum id magnum est ac testimonium, quod ipse cum Patre Deus sit, qui uitam illam impartitur, quae a Deo solo sperari debet. Ex his proinde facilis coniectura fit (haec nunc cernimus in inuolucro) formaturque fides illa in corde humano mirabilis, qua certi sumus, Patre id operante in spiritu, Christum illius esse filium, apportatoremque salutis ac uitae illius, quam nunc scimus absconditam \149.b\ esse in Deo, reuelandam postea per Christum cum uidebimus eum sicuti est. Ergo

5.12. Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium Dei, non habet uitam.

Clamat e coelis Pater, Ipsum audite. Quid increduli? Mundum audite. Edamus, inquiunt, bibamus, cras enim moriemur. Ex nihilo nati sumus, et posthac erimus, quasi nati non fuerimus. O acerbum inquinatissimi animi iudicium. Alios dein audio: hi quidem mitius, sed periculosius. Vtcunque, aiunt, foede delinquant homines, modo baptizati sint, Christum habent propitiatorem. Hoc solo nituntur, in hoc sperant, ad hunc

{1555 p. 512}

duntaxat confugiunt. Nihil sanctius dici potest. Verum cuius instituti tua est uita? cuius temperamenti? modumne ullum sic bene persuasus adhibes Dei offensis? Dic sodes, quibusnam curis tuus distinetur animus? quibus cor? quibus mens ipsa capax numinis? Vide amice, uide ne sit in spiritu tuo dolus. Haud frigida certe ac fucosa istiusmodi nutritur confidentia, quae hominem procacem facit et impudentem, Dei filius. Non hisce pascitur imposturis tantus dominus. Quid prodest Deo, si hoc modo (ut ait quidam) iustus fueris? quid frustra deciperis? Id sensit Hieremias, cum te increpans clamabat: Quid niteris

bonam ostendere uiam tuam?

In summa: Tunc uera ea est fidei ratio, si spei fiduciaeque de Deo conceptae respondeat uitae tenor. Caeteroqui Deo te fidere, illique etiam inniti, atque ab eo pendere uelle, sed tuae nunquam corrigere uitae dissolutionem, sit ne animi parum sui compotis, an maligni et peruicacis, haud satis scio. \150.a\ Quare danda nobis est opera, obnixequae elaborandum, ne adeo amentes uecordesque efficiamur et stolidi, ut fucum Deo fieri posse opinemur. Cor enim, sedem utique fidei, metitur in primis Deus: uitam deinde exteram, quae cordis innocentiae et testis sit, et indicatrix. Qui igitur syncero feruntur erga Deum affectu, ea praediti sunt de more integritate, ut facile in se Dei testimonium habere prae se ferant, illi autem mundi. Ideo quaecunque mundus suggerit non praetermittunt sagaces (si Deo placet) homines. Atque haec de utriusque partis testimonio sint dicta. Caeterum qui habet filium, ut ait Ioannes, habet uitam, habet Deum, habet omne bonum. Qui uero non habet filium, neque Patrem habet, neque uitam, neque testimonium illud Dei irrefragabile, quo continuis ueluti stimulis admonemur, Christum finem illum esse, ad quem labor omnis noster ac studium conniti debeat: in illoque aspicere, a quo uis nostra

{1555 p. 513}

omnis fidei, qua potissimum seruamur, exordium habet, et incrementum. Eiusmodi quidem imbuti persuasione, quid uel in ritibus, uel in sacramentis, uel in cerimoniis, uel in ipsis quoque legibus humanis inuenimus, quo multum offendamur? Semel enim Dei charitate animati, in ea, cuiusmodicunque sint hominum leges atque sanctiones, uitam degimus tranquillam: cuius profecto uirtutem non ignorantes, in Deum, humanas tamen haud contemnentes ordinationes, toto ferimur nixu ac studio. Haud nos sane quidem praeterit, hasce Patrum leges atque institutiones fraena quaedam esse temerariis, gradusque nonnullos aliis ad perfectiora, quae \150.b\ qui duce Deo sunt assecuti, nihil hisce remorantur impedimentis, quin in Deum ullo absque medio alio transeant. Qui enim iam culmen montis obtinuit, quomodo exesas iterum perrepere quaerit crepidines? quid amfractus? Ista quaerant imbecilliores, ac lassi. Porro mons noster Christus est: uideant modo qui ad eum suspirant, quibus mons iste obtinendus sit mediis, ne errent: neque decliua montis iuga, aspera illa quidem et infabricata, ipsum montis apicem plane amoenum et delectabilem appellent. Et cum caetera, quae a pietate non solum non retrahunt, sed fauere illi etiam uidentur, per gradus illorum informant passus ad montis uerticem, sola fides unico citoque ea superat uolatu, ad quae alii diutina uix ui perueniunt exercitatione ac sudore, non absque fide tamen: aliter uero cassus omnis illorum esset conatus. Hinc puto nonnullos excellentiori, quam sint uulgares homines, ornatos sensu ac spiritu, ad tam sublimem diuinarum illuminationum ascendisse gradum, ut dicerent, Eo perfectionis euolare posse animam, atque ad tantam deuenire posse cum Deo unionem, ut nulla detineretur operandi lege: sed suo contenta ardore, atque ecstasi, illius frueretur aspectu libera, et soluta, ad quem

{1555 p. 514}

alii pie sese exercentes sudantesque peruenire adnituntur.⁴⁰⁹ Istuc enim adumbravit

⁴⁰⁹ Qualis sit illorum sententia, qui asserunt posse hominem ad tam sublimem euehi gradum in Deo, quod nulla detineretur operandi lege. (What is the thinking of those who

mysterium Deus, cum peracto sex dierum opificio, requieuit ab omni opere quod patrauerat. Tamen ut haec uera sint, in populis adhuc peccati lege grauatis, iccirco crassioribus addictis affectibus, non sunt spargenda. Defaecatiorem quidem requirunt mentem, quam ut plurimum sunt homines, qui \151.a\ sua eo facile dirigunt consilia et studia, ubi spes maior est ocii et libertatis. Non hic sane uafra quorundam doctrinam probare mihi animus est, ut doctrinam omnem esse haereticorum duco: sed cautionem in his etiam quae uerissima sunt, propter rudiorum imbecillitatem requiro. Eiusmodi enim sapientia (cuiusmodi actus is est mentis quietissimus, quo anima sine ulla prorsus actione externa in Deo conquiescit) non omnium est, neque omnibus est inuulganda, hisque potissimum, qui in operando diu exercitati, nihil fere ultra. Saliuae quidem illi ac succo bene operandi assueti, licet non mali sint, eo tamen nondum processere cognitionis ac lucis, ut sibi persuaderi uelint, Deum tunc uere apprehendi et gustari, cum animae, sudore istiusmodi factorum absterso exantlatoque, in Deo magis quam in se uiuunt. Ita nonnullos ex nostris sensisse arbitror. Sed quia non omnibus idem fuit gustus, quantam uidi ego interim excitari in illos oblocutionum flammam?

Camerinam dixisses funditus euulsam, commotamque, ac in templis aulaeorum loco appensam. Verum ut a leuissimis quorundam ineruditisque, seu mauis zelo Dei parum temperato affectis animis, illiusmodi processit strepitus, sic re diligentius a Patribus intellecta, cito desiit. Dicitur non potest, quam intemperanter interdum se quidam habeant in diuulgandis aliorum erratis, seu magis propria istiusmodi praetextu nequitia et fatuitate, addo et ignorantia. Hos quidem ut suos amat mundus, fouet, amplectitur, beat eo tandem modo

{1555 p. 515}

ac nutrit, quo solent armenta lanii, aut anseres in saginario recutiti infarciri Iudaei. At nos, qui aliud beatitudinis \151.b\ genus a Deo, quam illi a mundo, praestolamur: quae nostram fulciunt de uenturis fidem, atque expectationem, audiamus: sic enim cum supradictis suum perpetuat sermonem apostolus:

5.13. Haec scribo uobis, ut sciatis quoniam uitam habetis aeternam, qui creditis in nomine filii Dei.

Mirum quam frequenter sanctissimus hic scriba uerbis huiusmodi, Scimus, Scitis, sua in epistola utatur. Non sane id quidem frustra: praecipua nanque ea est fidei uirtus, ut anima suis prius effictas coloribus fidentes faciat, et ulla absque haesitatione intrepidas, in his maxime pertractandis, quae totam requirunt mentem, et ad diuinas illuminationes transitum. Hic scio nonnullos offendi, qui tum se gratum Deo sacrificium offerre opinantur, cum suis in petitionibus aut precibus aut uotis etiam Deo nuncupandis, nonnihil haerent: petuntque dubii, quod nisi persuasissimis concedi solet mentibus: hoc est, ita de diuina nihil uerentibus clementia, ut quae sibi propter peccati turpitudinem haud dari par sit, ea se Dei misericordia consecuturos nequaquam dubitent. Verum continui, tum ultronei nostri in peccata lapsus hanc superuacaneam pepererunt ambiguitatem: atque illa ipsa quae Deus in se sperantibus, interposito quoque iusiurando,

claim man is able to be exalted to such a sublime position in God, that he could be held back by no law of operating.)* [Final index entry.]

dare est pollicitus, obtinendi metum.

Rogo, quid sibi uolunt uerba illa Christi? Petite et accipietis, pulsate et aperietur uobis. Certe nudo hic opus est intellectu, non uafro et cauilloso. Absolutissimum istuc est axioma, Qui petit, accipit. Quid tu ergo dubius rogas? an quia peccator es, ac Dei hostis? Num clam te est id proprium \152.a\ Dei esse munus, idque illum in primis cupere, ut ueniam

{1555 p. 516}

resipiscentibus tribuat, miserosque a miseria subleuet, ac tandem suis illos ornatos donis ad coelum euehat? Petisne aliud? an quidpiam a Deo aliud efflagitas, quod huc non pertineat? Nulli dubium, quod quaecunque petiuerimus (sic in sequentibus concludit apostolus) secundum uoluntatem eius audit nos. Scelus proinde id esset propemodum inexpiabile, quicquam a Deo petere audere, quod praeter illius esse uoluntatem quis certo sciret. At illum in Christi nomine petere arbitramur, qui suis in petitionibus Deo faciendis, nihil aliud molitur, praeterquam aeterni Patris honorem, et eius filii gloriam: quam celebrem tum fore ducimus, cum ea rogantur, quae ut confidentius peti possent, Deus homo factus est, nempe unus ex Adae posteris, peccato excepto. Eo itaque, ut dicere incoeperamus, lux spectat fidei, eo charitas, eo in aduersis constantia, patientia, aequanimitas, desideriumque supernorum, atque cum primis nostri cognitio et contemptus. Caeterum aeterna beatitudo quam maxima petenda est ueneratione, ac uti res nobis omnino inaccessibilis, per Christi tamen uirtutem ac meritum facta peruia et facilis, uerecunde, sanctaque animi trepidatione roganda. Sed in his etiam tanta est adhibenda humilitas et animi demissio, ut ne ipsam quidem beatitudinem impetrare uelimus, si sic uisum fuerit Deo. Siquidem si Deum (ut par est) uel quaerimus, uel supra res conditas amamus: ea debemus affecti esse mente, consilioque, ut ne mortem quidem horreamus aeternam, si ita Dei nomen illustratum iri iudicauerimus.

Illius /152.b/ quippe sumus, qui nos redemit. Quocirca cum in omnibus, tum maxime in precationibus ac uotis domino stamus aut cadimus. Illud is tantum cupit, ut cum seria potissimum ac salutaria petere decreuerimus, uota illi nostra libere fidenterque aperiamus: credamusque Christum IESUM uitam illam esse aeternam, ad quam dies noctesque suspi-

{1555 p. 517}

-rant electi: et quam sane uitam iam praesto nobis esse non dubitemus, simul ut Dei filio credere, atque in illo spem nostram omnem collocare coeperimus. Haec, inquit, scribo uobis: Is totius sermonis mei scopus est: in id praecipue meis in concionibus incumbo, ut tuti sitis, utque omni reiecta ab animo haesitatione credatis, sciatisque indubitanter, uitam iam uobis in manibus aeternam positam esse. Vos, inquam, uitam habetis aeternam, qui creditis in nomine filii Dei. Nollem (sic me seruet Deus) quae huc usque de certitudine habenda in fidei causa diximus, cuiquam scandalo esse atque admirationi. Diximus, quae nos quotidie experimur: ut alii hac in re afficiantur, nec quaero, nec scribo. Ad haec qui uerbum illud Scimus, tam frequens apud Ioannem intelligere unquam potero? Haud multo post sic ait, Scimus quoniam ex Deo sumus. Hinc certe cauillationes omnes abesse debent. Et quidem istiusmodi euulsa meo a pectore persuasione, quanam re alia aut ratione, aut studio, pax illa animi, qua sedari solent conscientiae strepitus, et mens in Deum rapi, mihi interdum conciliari poterit? Num metu illo terrifico iudiciorum Dei, quae dum cogito cohorresco totus et exanimor? Dicam quod in me nonnunquam, tanquam in scena

tumultuaria peragi meo \153.a\ maximo experior periculo. Si quando enim de IESU Christi gratia et beneuolentia aut dubito, aut non illa, qua debeo, ueneror pietate: tum nullam penitus in me esse pacem sentio, sed terrorem, sed fluctuationem, sed animi languorem, interdumque desperationem, atque ad flagitia procliuitatem. Falli enim uero hic ego possum: at is minime fallitur, qui spirituum discretionem habens, omnia diiudicat, et a nemine iudicatur. Aut nimium itaque fiduciae, quam de Deo concipi oportet, tribuo, aut me prorsus destituit Christi spiritus: quem tamen meis in moribus et actionibus, nedum in uigi-

{1555 p. 518}

-liis hisce meis frigidis ac ieiunis, unicum esse scopum et uolo, et quoad uixero nullum alium admittam. Num poterit sic in se sperantem auersari? num abiicere? num labi sinere? Ut alii opinentur, mea non interest scire. At nos illud interim compertissimum habemus, et scimus cum Ioanne, quoniam filius Dei uenit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus uerum Deum, et simus in uero filio eius.

5.14. Et haec est fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos.

Ergo qui suam ita instituunt uitam, ut semper sordidi sint, et impuri: hi ne utique cum orant audiuntur, quoniam non secundum Dei uoluntatem orant, quae purissimae naturae cum sit, puros etiam suos uult esse cultores. Sic Paulus: Haec est uoluntas Dei sanctificatio uestra. Sancti ergo audiuntur, caeteri autem non ita. Sed sanctos interim appello, quos sitire iustitiam definit Christus. \153.b\ Iccirco illos beatos uocat: sanctos nimirum ac dignos, quorum preces exaudiat altissimus. Id uult Ioannes, huiusmodi scilicet fiduciam nobis a Deo concessam esse, ut quicquid iuxta illius uoluntatem, quae nihil impurum diligit et confusum, rogauerimus: id, quicquid illud fuerit, impetrare posse non dubitemus. Tantum illud curandum, ne aliter quam ille instituit ad orationem accedamus: actus enim ille simplicissimus, quo Deo per orationis calorem unimur, cum omne excretur inquinamentum, tum praecipue odia detestetur ac discordias* Qui ita affectus est (ut cuncti affecti esse debent Christiani) ut nihil Dei honori praeferre uelit, quomodo non, quae secundum Dei uoluntatem peti debent, petet? Dico uobis, aiebat Christus omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipie-

{1555 p. 519}

-tis, et euenient uobis. Hic nullam audio celebrari diffidentiam, nullum pauorem, nullam haesitationem. Verum in primis, inquit, quaerite regnum Dei: non uestra commoda, non fortunas, non ultiones, non mundi gloriam, non sanctitatis rumorem ac famam. Haec gentes inquirant, uos autem non sic. De his porro, quae cum rogantur, a Deo uidentur contemni, sic iudico: quod aut petentibus futura essent, si concederentur, detrimento: aut qui rogant immundi sunt, et peccatores, proindeque uel petunt non petenda, uel non eo, quo peti debent, animo. Quocirca hac in exercitatione haud mediocriter nauanda est opera, pro uirilique elaborandum, ne nostris in colloquiis cum Deo habendis inquinatum nobiscum feramus animum: aut si per Dei spiritum mundi effecti sumus, ne illa rogemus, \154.a\ quae impetrata postea exitio nobis futura sint, non saluti.

Quantum certe nobis afferre debent consolationis uerba illa Christi: Pater, inquit, gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autem sciebam, quia semper me audis. Atque haec Christus in obsequio alieno occupatus. Vide sis an potissimum id esse debeat in orante membrum, cura uidelicet proximi assidua.

At quonam illos nomine appellabimus, aut in quo orantium numero atque ordine censebimus: qui cum perpetuis alios afficiant incommodis, uexentque calumniis, atque odiis exagitent innocuos: orant tamen, et quo tectior illorum appareat fucus, exomologesi uel usque ad nauseam audientium repetita (crebro enim, ut suam pluribus attestentur animi leuitatem, mutant sacerdotes) rem sacram quotidie faciunt: Christique cruorem, puris tantummodo propinandum animis, impudentissime bibunt? Hi quidem longa modestissimi IESU abusi patientia sacrosancta quoque pro leui habent sacramenta, Deique benignitate, sua ad obtegenda flagitia, periculosissimum in modum abutuntur. Verum

{1555 p. 520}

his omissis quid de fiducia in Deum habenda sentiat apostolus, edisseramus. Haec est, inquit, fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos.

5.15. Et scimus, quia audit nos quicquid petierimus. Scimus quod habemus petitiones, quas postulauimus ab eo.

Hic quidam facta supradictorum omnium ueluti summula, sic rem totam absoluit. Ergo, inquit, super his tantum plenam nos et indubitabilem iussit ex auditionis habere fiduciam, quae non nostris \154.b\ commodis, nec solatis temporalibus, sed domini congruant uoluntati. Quod etiam in oratione dominica inserere praecipimur: Fiat uoluntas tua, scilicet, non nostra. Haec ille: nos ad institutum. Obserua quam saepe, ut iam diximus, certitudinis uerbum inculcet apostolus. Scimus, ait, quia audit nos: scimus quod habemus petitiones, quas postulauimus a Deo. iam illud compertum, ea quae plerunque a Deo rogare debeamus, obscura nobis esse atque ignota, nisi Christi spiritus edoceat: nam pro salutaribus nonnunquam noxia petere consueuimus. At ille qui nos nostramque miseriam, tanquam oues pastor afflicta, fert humeris, ea suggerere non contatur, quae nobis magis expediunt, et conducunt. Ad hunc sane modum, nempe a spiritu Dei sancto edocti si petimus, scimus absque dubio nos iam impetrasse rogata. Scimus, inquit, quod habemus petitiones, quas postulauimus. Etenim tantae est benignitatis erga suos dominus IESUS, ut nihil quod intertrimento futurum illis sit et damno, rogare sinat. Et cum quidem utilia suggerit, ea omnino suggerit, quae sua ipse sponte nobis caeteroqui ad amplissimam diuini amoris copiam conniuentibus daturus est. Nam quae impossibilia sunt hominibus, possibilia sunt Deo.

{1555 p. 521}

Dempta itaque huiusmodi ab orante fiducia, quam tamen uitae morumque integritate ornatam esse uolumus, non uideo quae peti queant a Deo, quae firmis subnixa sint praesidiis. Clamant passim scripturae salutem animarum in fide IESU Christi sitam esse: tu uero ad congressus illos mirabiles, planeque diuinos cum Deo, absque \155.a\ fide, aut saltem nutanti ac dubio animo accedere praesumes? Tale quidem periculum non libenter

subirem. At unde tam letalis emerit morbus, luesque generalis adreperit, fere diuino. Odiis enim contaminati plerique, iniuriarum quoque acceptarum mole memoriaque et se ulciscendi desiderio grauati, qui suis unquam poterunt erratis Deum propitium orando sperare?

Tam enim odibilis Deo fit pertinax offensionum memoria, et ultionum libido, ut peccatum id esse ad mortem, nempe irremissibile ac deploratum, definiat Ioannes, Attende quid asserat.

5.16. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei uita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut quis roget.

Cum quidem praecipuus epistolae huius scopus charitas sit, qua absente moritur anima, facile persuaderi mihi patior de odiis hic agi mutuis. Vult sane apostolus ad mutuam nos teneri beneuolentiam in his maxime quae ad religionem pertinent, ut sunt fere admonitiones, instructionesque a pio ductae animo sed in primis ad Deum pro salute mutua preces atque gemituum oblationes. Sint enim quamuis proximi nostri delicta grauia, addo et in alios effera et saeua: modo peracti illum facinoris pudeat pigeatque, nostrae haudquaquam pro illius salute reiiciuntur a Deo preces. At contra, si quem ita

{1555 p. 522}

memorem tenacemque iniuriarum uideris, ut nullis placari possit remediis, quin in ulciscendis sibi illatis contumeliis eo dirius incrudescat, quo mitius roges: uanae omnino sunt preces, si quas pro tali effuderis desperato: \155.b\ et sciens quidem et prudens in iam concepta perdurat malitia.

Tametsi enim Deus omni peccatorum genere offenditur: mirum tamen quam aegre ferat, si quid data opera et perseueranter in fratrem deliqueris.

Mirum quam in hoc toto genere ab omnibus ferme peccetur.

Vix inuenias qui fratrem non offendat. Verum facile huiuscemodi delentur notae, quae ab animo plerumque subita ira percito et fragili proficiscuntur, non a maligno et obstinato. Multum adeo interest quo quis peccet animo: etenim offensiones quaedam sunt, quae etsi charitatem aliquantisper laedunt, non tamen extinguunt, ut fere illae extinguunt, quibus odia rixaeque, ac perpetuae, uel usque ad tumulum, comitantur discordiae.

Quis igitur pro sic turpiter affectis Deum rogare audebit? Est peccatum, inquit, ad mortem. En quo appellat nomine mortalium inimicitias: Non pro illo (scilicet peccato) dico ut roget quis. Causam uero qualem affers? Quoniam qui ita pertinaci uiuunt animo ac truculento, ut mori malint, quam inulti esse, ac parcere, legem Dei consulto oppugnant, et quantum in se est demoliuntur: et ut uixere, sic mortem studiose oppetunt odiorum plenissimam, ac desperatam.

Homo homini reseruat iram, (clamat Salomon) et a Deo quaerit medelam? Ipse cum caro sit, reseruat iram, et propitiationem quaerit a Deo? quis exorabit pro delictis illius? Vide quam indelebile atque omnium grauissimum peccatum sit odiorum tenacitas. Enimuero si quae hic scribenda essent, mandare literis non exhorrescerem, ampla mihi deesset dicendorum sylua, densa illa quidem, atque \156.a\ adeo molesta, ut quaquauersum me uertam, acutissimos inueniam du-

{1555 p. 523}

-mos, clauorumque eculeos. His itaque delibatis fateri non graue sit, absolutissimum illud esse opus fidei, pro fratre peccante Deum rogare: tantoque id sanctius peragi quanto ille infirmior est, ac nobis molestior. Indicium utique istuc est optime instituti animi, atque in his, quae Dei religionem ornant, affabre eruditi. Illud quoque fatendum, alienorum hic propterea mentionem fieri admissorum, quo nobis haud clam sit quanto armata ea esse debeat robore fiducia, quae non modo nostra, sed etiam aliena queat abolere delicta. Tantum id auet spiritus: ne, dum oramus, similes simus pelagi fluctibus, qui a uento mouentur, et circumferuntur. Qui certe ad hunc orat modum, animo uidelicet naufragante ac procelloso, et propter haesitationem et ambiguitatem fracto, ineptior quidem est, quam ut Dei spiritu obsignari possit. Quemadmodum maris fluctus non facile formam recipiunt ullam, eo maxime tempore quo a uentis exuscitantur, horrendumque in modum perfracti remugiunt: ita sane mugis potius quam oras, si anceps oras. At nunc alium inquiramus sensum, pertritum quidem illum, atque ab omnibus ferme sic intellectum. Volunt peccatum id esse ad mortem, pro quo sanando nefas omnino sit Deum rogari uoluntque illud intelligi, quod alias peccatum in spiritum sanctum nuncupari legimus: quodque definiunt ad illos pertinere, qui Christi fidem iam receptam deserunt, aut ultroneis commaculant superstitionibus, aut Christo penitus reiecto, illius amplius non parent legibus. Quandiu \156.b\ igitur in uoluntaria perseuerant a Deo defectione, conculcantque, ut ait Paulus, filium Dei: et sanguinem testamenti, in quo sanctificati sunt, pollutum dixerint, spirituique gratiae contumeliam fecerint: hoc est, gratiam quam in Christo esse norunt refutauerint, perdit omnino sunt, atque ulla sine spe ueniae a Deo repulsi. De his quidem illud dici existimo

{1555 p. 524}

in Hieremia: Tu noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Nonne uides quid isti faciunt in ciuitatibus Iuda, et in plateis Hierusalem? Recedam ab eis, quia omnes adulteri sunt, et coetus praeuaricatorum: de malo ad malum egressi sunt. Ecce effigies suapte sponte recedentium a Deo iam cognito: en terrifica in illos comminatio (quasi impenitentes uocant) emissa. Non exaudiam, inquit, te. Caeterum Iudae ciuitas sancta est ecclesia. Plateas uero Hierusalem, loca ea esse reor, in quibus pacem illam sublimem, qua sedatis prorsus

appetentiis in animo effraenis, Deum contemplantur, suum habere domicilium par esset. Sed nonne uides, ait, quid isti faciunt nunquid spelunca latronum facta est domus ista? filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem. Atque hunc ad modum et parentum et liberorum uno facto uolumine omnes propemodum in id conspirant, ut polluant templum sanctum Dei. Pro huiusmodi igitur fidei contaminatoribus, ultroque perseuerantibus in malitia, atque ad hostes transfugis, quis nam sedate fidenterque orare unquam poterit? Non pro his, inquit, roget quis, sed pro illis tantum, quos uel ignorantia, \157.a\ uel imbecillitas ad casum impulit. Et quidem

5.17. Omnis iniquitas peccatum est, et est peccatum non ad mortem.

Tanta, inquit, est peccatorum diuersitas, ut in omni quanlibet parua legis transgressione peccatum incurramus: quicquid enim a suprema recedit iustitia, peccatum est: uerum non pauca esse peccatorum discrimina non ignoramus. Est quidem peccatum ad mortem, hoc est, quod admissum affert mortem, et condonari minime solet: ut de his loqui consueuimus, qui semel illuminati, ultro in

{1555 p. 525}

Spiritum sanctum iniurii sunt, peccantque de industria, atque ab agnita pridem ueritate sponte deficiunt. Est rursus peccatum non ad mortem, ut fere illa sunt, sine quibus in hoc uiui posse mundo non est qui in seipso non experiatur, atque haec ut perpetratu facilia sunt, ita quotidianis delentur precibus tum nostris, tum caeterorum, quibus cum degimus in fidei communicatione.

5.18. Sed scimus quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conseruat eum, et malignus non tangit eum.

Generationem Dei, gratiam uocat, qua quis suffultus quomodo in morbum aliquem capitalem prolabi poterit? Gratia, inquit, Dei conseruat eum, quin et malignus non tangit eum: hoc est, ne leue quidem commertium cum domino illo maligno et impuris, nempe daemone peccatoque ad mortem habet. Cum quis ex Deo se natum esse intelligit, semenque diuinum in filia Dei per gratiam ingeneratum non aspernatur, perstat in acie intrepidus, nihilque tam horret in uita, quam ut dissimilis suo inueniatur parenti. Nam Christus per quem regenerati \157.b\ sumus ad uitam, semel mortuus est, ac reuixit non amplius moriturus: ita et nos a tam nobili non degenerantes stipite, mortui semel per baptismum, ad uitamque cum Christo experrecti ac exuscitati, illud ne iterum agemus, propter quid Christo esset iterum moriendum? Id plane nos uelle significamus, ubi nulla interposita requiete, ad perpetranda scelera promptiores sumus, quam ut ullo diuini timoris fraeno cohiberi posse uideamur. At tanta felicissimi huius est uirtus seminis, (seu gratiae, seu gratuita regenerationis appellare libeat) ut ea si quis donatus fuerit, uix lubens, ex animoque ad peccatum accedat. Cum itaque omnis legis transgressio (ea est iniquitas) peccatum sit, omnes

{1555 p. 526}

ubique gentium homines in eundem offendant lapidem: danda est opera, simul ut omnibus connaturale antea factum sit ob uitiatam naturam, ut peccent, ne peccatis adeo tenaciter uoluptuoseque inhaereamus, ut absque fiducia ueniae hac ex uita demigrare necesse sit. Hoc peccati genus a morte proficisci, atque in mortem desinere quis non fateatur? Quapropter horrendam illam esse legis praeuaricationem ducimus, et mortiferam, cum quis ita in peccatis (illis praesertim quae in odiorum simultatumque pertinacia, nec non in dura et obstinata defectione a fide, ueritateque cognita uersantur) induruit, ut quemadmodum uiuens implacabilis fuit, sic moriens inexorabilem inueniat iudicem. Pro eiusmodi deploratis animis quis Deum roget? Ergo pro his tantum orare conuenit, qui in Christi fide atque dilectione uitam cum morte commutauere. Hi quidem quantumuis \158.a\ blande ac saeue a mundi illecebris aut odiis ne firmo adhaereant Deo mentis robore, impetantur: a iam tamen concepta de Deo fiducia, persuasioneque et amore, ne pedem quidem secedunt: sed in dies aucti magis in Deo, cum apostolo illud quod sequitur de se quoque dici posse non dubitant:

5.19. Scimus quoniam ex Deo sumus, et mundus totus in maligno positus est.
5.20. Et scimus quoniam filius Dei uenit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus uerum Deum, et simus in uero filio eius.

Tria hic narrat apostolus. Primum quidem certitudinis persuasionem more suo asserit: deinde mundum totum innumeris obnoxium esse malis replicat: postremo quid e Christi aduentu sperandum fuit aperit. De certitudine nonnulla in superioribus et prolixè, et ut mea

{1555 p. 527}

fert opinio, necessario diximus: atque illam fuisse Ioannis mentem, nuncque esse ecclesiae existimamus. Ab huius sane iudicio ac censura pendere tum uolo, tum si qui sunt, quibus aliter persuasum sit, quibusque propria magis commenta arrident, quam ecclesiae definitiones, ac decreta, tam illorum execror ingenia et nouitates, quam quis alius. Magis quidem ecclesiae, quam ipsis meis alioqui charissimis ac piis parentibus debeo. Ab illis enim carnem hanc moribundam accepi, et mundum: ab ecclesia uero Christum. cum Christum dico, bonorum omnium aeternorum copiam cumulatissimam intelligo. Caro enim per se ac mundus quid insidiarum? quid quocunque me uertam non obiiciunt rerum earum, quae ab innocentia me retrahant uitae? \158.b\ Verum ab istorum fascinatione atque praestigiis me Christus eximit: qui hac de causa mundum hunc perditum et malignum inuisit, quo nos attonitos, caecutientesque ac stupidos, e tenebris, atraque errorum caligine ac nocte extraheret: sensumque dudum, atque intellectum obtenebratum, diraque phantasmatum irruptione confusum, redintegraret: itaque restitueret, ut omisso mundo uerum illum esse Deum, qui in uero habitat, cognosceremus. Ipse quidem uerus est Deus, uerus est et Pater: uterque uerus atque unus Deus: quandiu

enim per fidei doctrinam in Patre sumus, tandiu in eius sumus ac uiuimus unigenito.
Siquidem

5.20. Hic est uerus Deus, et uita aeterna.

Deus quidem est, quia omnipotens. Verus item, quia unus: atque hic tam potens, tam uerus, tam unicus, ipsa est uita aeterna. Hoc est, ob id uenit in mundum, ut suo concessio lumine, tot inter mundi aduersa nihil aliud quam ipsummet quaereremus. Unde si quid nobis hac in pugna periculosa et cruenta cum mundo succe-

{1555 p. 528}

-dit ex animo, optatisque potimur, id totum sit Christi, qui Deus est uerus: caetera uero quae uel in mundo sunt, uel intra nos, et falsa, et caduca, et imbecilla, speramusne tam uitreis ac debilibus mediis, ut sunt mundi praesidia, aut humanarum uirium, addo et mentium effugia, posse nos aliquando tantas adipisci diuitias, ut est uita aeterna, absque Christo, qui ut fortissimus atque omnipotens est suorum tutor, ita praemium uerum est ac finis? Ipse nanque est uita aeterna. Ergo cum Christum, \159.a\ nostrum esse Deum, nostrum amorem, nostrum arbitrium, nostram uoluntatem, et uolumus, et fatemur: tum uitam eundem esse quoque aeternam, quam nostro amore, nostro arbitrio, nostra uoluntate adire cupimus, fatemur, et praedicamus. Ideo si quem uideris sua fide, suis uotis, suis sacramentis, suis uigiliis, suis eleemosynis uitam aeternam quaerere, sed a Christi uita et imitatione abhorrere: hunc dicas toto errare itinere. Nam nihil aliud aeternam esse uitam ducimus cum Ioanne, quam Christum ipsum. Eam ob causam ut quaerat aliam, nullam tamen tam compendiariam et necessariam ad assequendum quod optat inueniet uiam, quam si Christum induerit. Quare Paulus commemoratis semel quae ad mundum pertinent illecebris, remedium, quo effraenis illius libido coherceri possit, mox attulit: Induimini, ait, dominum IESUM Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. Hinc, reor, infinitae illae ac multiuages sectarum opiniones non solum in regionibus ac regnis, sed etiam in paruis oppidulis et uicis emersere nostra hac tempestate, quod Christi uita posthabita per deuia a plerisque erratum sit. Etenim dum suam sibi quilibet statuere conantur iustitiam, iustitiae Dei, ut queritur Paulus, non sunt subiecti. Oro, quid nos aliud tam procul a praemonstrata uiae synceritate per Christum deturbauit? nonne cruoris eius, unde

{1555 p. 529}

nostra coorta est iustificatio et meritum, obliuio? Esto, uitam speras posse te aliquando beatam assequi: laudo, tuamque non sperno fidem. At tu interim \159.b\ uide quibus id tentas mediis. Si quidem tuae istiusmodi fidei annexus est Christus, iam tu beatus: quandoquidem nihil aliud uitam esse beatam atque aeternam definit Ioannes, (ut diximus) quam Christum habere. Stultissimi sunt igitur homines, qui aeternam uitam efflagitantes quaerentesque, cuncta fere prius quam Christum admittant periclitantur. Unde aut sero, aut nunquam sui fiunt uoti compotes nonnulli ex his maxime, qui totam aetatem in asperitate uitae, legumque priuatarum iugo, alioqui honesto, commacerantes, nihil aliud

quam cursum ullo absque prouentu consumunt. Causa? Quoniam neglecta Christi uita, quae in mundanarum rerum despicientia uersatur in primis, suis illis solum delectantur uitae exterae mercimoniis, in illisque conquiescunt. Auesne, o amice, quae sit uita aeterna tibi exponi? Audi quid de Christo asserat Ioannes: Hic est uerus Deus, et uita aeterna. Visne breuiorem, etiamnum praeter haec tanquam laconismum, audire definitionem? Modum uero qualem nobis statuimus? Aut quid, quo tam sublimem nancisci queant uitam, profitebuntur homines? Vitam certe Christi. Ergo ipse uia est, et ueritas, nedum uita. Nam ipse uerus est Deus, ut inquit Ioannes, est et lux. Imo sol ipse autor lucis, ex qua sensus datus est nobis, ut cognoscamus uerum Deum, (is est Pater) et simus permaneamusque in uero filio eius. Siquidem ad ueram diuinorum cognitionem perueniri posse absque Dei luce ac ductu, quis unquam uel sibi uel aliis persuasit? Ad summam, \160.a\ ne agam de singulis, Christus uita ea est, ad quam adipiscendam contendunt hi, qui sanctis Ecclesiae ordinationibus seruatis et decretis, Christo solo nituntur. Hinc modus attingendi metam, illius est uita.

{1555 p. 530}

Quapropter si uitam aeternam expetimus, quem finem cursus intuebimur? nonne Christum? Si modum, si uiam, si rationem perueniendi inquirimus, num Christo quidpiam anteponemus? Errant itaque miserandum in modum qui diuerticula alia quaerentes, aut Christum praetereunt, aut illa cum Christo necessario coniungunt. Ipse sane uia est solus, per quam tuto itur ad uitam, cuius autor ipse est, ac summa: imo absque illo nulla esset uita. Is unus itaque adorandus, unus quaerendus, unus amandus: quia sine illo non ulla potest esse uia, nisi obliqua: nulla uita, nisi misera: nullus amor, nisi foedus et exitialis nullum bonum, nisi fictum. Ergo cum talis sit noster dominus ac Pater,

5.21. Filioli custodite uos a simulacris.

Quod de Vero in particula iam dicta edisserunt nonnulli, haud operaepretium mihi admodum uisum est huc afferre. Nam utrum ex Graecis Deum addas uel ne, quid ad sensum? Modo enim Patrem, iuxta et filium in uocibus illis (ut cognoscamus uerum Deum, et simus in uero filio eius) intelligamus, sat est. Diuus tamen Hilarius hunc ita locum ordinat, ut intelligamus uerum, et simus in uero, in filio eius IESU Christo, hoc est, per filium eius IESUM Christum non solum nouimus uerum, sed et in uero \160.b\ sumus. Et qui certe in uero manet perseueratque, in Deo ipse manet, siquidem Deus solus uerus est. Ac plus quidem est esse in uero, quam uerum nosse. Id fere compertum, partem primam ad Patrem pertinere, postremam ad filium. De quo illud est dictum, Hic est uerus Deus, et uita aeterna. Quanquam non desunt qui et hanc particulam ad Patrem referunt, Quem nouimus, in quo et sumus per filium. Verum nobis placuit de filio interpretari cum diuo Hieronymo. Sic ille in Esaiiae commentariis: Venit, in-

{1555 p. 531}

-quit, filius Dei, et dedit nobis mentem ut cognoscamus uerum, et simus in uero filio eius IESU Christo. Iste est uerus Deus, nempe Christus, et uita aeterna. Sed de his, quae ad sensum parum habent momenti, plusquam satis. Nunc quod restat epistolae, decurso iam

studio, absoluamus. Filioli (inquit) custodite uos a simulacris. Amen. Tametsi enim de deorum cultura, de qua illud est, Et adulterabantur in ligno, Ioannem hic intellexisse arbitror: aliud tamen simulacrorum genus etiam, quam sit testaceum, aut ligneum, spectasse credo. Ab illo quidem suae tempestatis idololatrias potissimum deterrere uoluit, ab isto uero nostri aevi hypocritas, illosque de quibus cum Sardanapalo is potest esse tumulus, Ede, bibe, lude, post mortem nulla uoluptas. Hi sane omnes licet neque Veneri, neque Baccho, neque Cereri, fictiles erigunt statuas et simulacra: Venerem se tamen et Bacchum, et Cererem, et si quid turpius excogitauit antiquitas, pro Deo habere spurcissimis atque adeo superbis prae se ferunt moribus. De his puto sensisse dominum IESUM \161.a\ in diuitis parabola. Quid faciam (inquit) quia non habeo quo congregem fructus meos? [Luke 12.16-21.] Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, et maiora faciam, et illuc congregabo omnia quae nata sunt mihi, et bona mea. Et dicam animae meae, anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. At tu diues auare ac sordide, uide et contremisce ad eam quam de te laturus est sententiam arbiter uniuersi: Stulte, ait, hac nocte animam tuam repetent a te, quae autem parasti cuius erunt? Nulli dubium quod sic male persuasis nummus deus est, ager item, horreum, penus, equorum seruorumque multitudo, et ipsa demum gemmarum arcula, quemadmodum aliis uel scortum, uel pusio, uel ipsa omnino uxor, pellexue uxoris. Cum rem quidem aliquam ita effraene

{1555 p. 532}

diligis, ut Deum pro illa adipiscenda seu potiunda offendere non uerearis: res ea tibi actutum pro Deo colitur, siue illa sit animata, siue inanimis: ut aurum est, dignitas, magistratus, signa, tabulae, atque id genus alia, in quibus uel ipsi nonnunquam insaniunt religiosiores. Hi quoque, qui ferunt clauem scientiae, ut ait Christus, Desuntne etiamnum idola in mundo? Restant hypocritae, quorum Deus propria est existimatio, ac mentita fucosaque sanctitatis aura, et opinio. Sunt et in hoc numero superstitiosi, uiriumque humanarum plusquam par est sagaces (ut sic loquar) metatores.

Hi enim uel arbitrium, uel uoluntatem, uel iustitiam propriam et merita non aliter colunt, fereque illis sacra faciunt, atque olim magnae Deae, priscae illae Romanorum \161.b\ foeminae adolere thura consueuerant. O stupidam mortalium ignorantiam: siccine in ipso beato solis limine caecutitur ac erratur?

At iam demum (ut finiam) Christus lumen est ac sol. Vita rursus, ac uia ad uitam: caetera autem, quae haud parui faciunt homines, uel superflua omnino sunt, uel gradus quidam ad uitam debiles: totum enim robur salutis in ipsa positum est uita, Christo IESU, ne quae debentur partes capiti, membris attribuamus. Habent nihilominus et membra suas functiones, suos gradus, sua officia: sed eousque tamen, ne quid capiti derogetur. Ab ipso quidem sumus, uiuimus, mouemur, alioqui saxa futuri, aut cespites, si uel paulum quidem ab ipso diuelleremur.

Amen.

Finis.